Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IX
F
34
NAPOLI

IX
F
34

IX
[illegible]

IX
17
34

AGVIRRE
DEFENSIO CATHEDRÆ S. PETRI
CONTRA DECLARATIONEM ILLVSTRISS. CLERI GALLICANI EDITAM LVTETIÆ PARISIORVM XIX. MARTII MDCLXXXII.

ET ADVERSVS QVORVNDAM DOCTORVM PARISIENSIVM AC BELGARVM THESES.

CAROLVS II. Hiſpaniarum Catholicus Rex, &c. Relatione ſibi facta à Supremo Caſtellæ Senatu, Priuilegium conceſsit Magiſtro F. Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino, in Salmāticenſi Academia Primario Doctrinæ Morum Profeſſori, & Supremæ ac Generalis Inquiſitionis Cenſori, vt librum inſcriptum, *DEFENSIO CATHEDRAE S. PETRI, &c.* iam antè examinatum, & probatum, edat, & vbique locorum diſtrahat ac diuendat: vt latiùs conſtat ex Regio Diplomate apud Michaelem Fernandez de Noriega, à Secretis eiuſdem Regij Senatus, Matriti die 22. Nouembris 1683.

TAſſaron los Señores del Conſejo Real de Caſtilla eſte Tomo intitulado, DEFENSIO CATHEDRAE S. PETRI, &c. à ocho marauedis el pliego. Tiene ciento y ſetenta y ſeis, ſin principios ni tablas; y con ellas ciento y nouenta y cinco: que en todo monta mil y quinientos y ſeſenta marauedis, y hazen quarenta y cinco reales y treinta marauedis, en papel. Y al dicho precio mandaron ſe venda, y no mas: como conſta mas largamente de teſtimonio de Miguel Fernandez de Noriega, Secretario del Rey N. Señor, y Eſcribano mas antiguo del Cōſejo en dos de Diziembre de 1683.

AVCTORITAS
INFALLIBILIS ET SVMMA
CATHEDRÆ S. PETRI,
EXTRA ET SVPRA CONCILIA QVÆLIBET,
ATQVE IN TOTAM ECCLESIAM:
DENVO STABILITA

EX MONVMENTIS ANTIQVITATIS CHRISTIANÆ, ET PERENNI DOCTRINA, AC PRAXI SEDIS APOSTOLICÆ, PER SINGVLA SÆCVLA:

Adverſus Declarationem nomine Illuſtriſſ. Cleri Gallicani editam Pariſijs die XIX. Martij MDCLXXXII. & in quorundam DD. Pariſienſium, & Belgarum Theſes.

OPVS VARIA ET MVLTIPLICI ERVDITIONE CONTEXTVM EX SACRIS LITTERIS, TRADITIONIBVS, CONCILIIS, TESTIMONIIS PATRVM, HISTORIA ECCLESIASTICA, ET DAMNATIONE OMNIVM PRÆCIPVARVM HÆRESEON, AB INITIO ECCLESIÆ AD HÆC VSQVE TEMPORA:

AD SS. D. N. INNOCENTIVM XI. PONT. MAX.
PER MANVS EMINENTISSIMORVM DD. CARDINALIVM, PORTOCARRERO, ET MILLINI,

ACCESSIT

RATIO EORVM QVÆ GESTA SVNT AB EODEM SS. D. N. INNOCENTIO XI. ADVERSVS PRÆTENSA IVRA REGIS CHRISTIANISSIMI LVDOVICI XIV. IN QVASDAM ECCLESIAS, ET IN ALIQVOT PRÆSVLES GALLIÆ:

Inſuper & Tractatus Appendix; in quo oſtenditur; S. ANSELMVM Archiepiſcopum Cantuarienſem, ac celebrem Eccleſiæ Doctorem, fuiſſe eximium Defenſorem Cathedræ S. PETRI, adverſus rebelles, præſertim Græcos, & longè contraria prædictæ Declarationi tradidiſſe.

Auctore Magiſtro Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE, Benedictino, in Salmanticenſi Academia, poſt quatuor Theologiæ Cathedras iam obtentas, Primario Doctrinæ Morum Anteceſſore, Regij ac Supremi Senatus Fidei Cenſore, & à Secretioribus Conſilijs, Toletanæ Archidiœceſeos Examinatore Synodali, olim ſemel & iterum Inſignis Collegij S. VINCENTII Salmant. Abbate, & à quindecim annis Studiorum Præfecto.

SALMANTICÆ,
Apud LVCAM PEREZ, Academiæ Salmant. Typographum,
Anno MDCLXXXIII.

Superiorum permiſſu.

HVGO ETHERIANVS lib. 3. contra Græcos, loquens de Eccleſia Romana, eiuſque Pontifice.

ÆQVVM eſt, ratum habere quod tanta Eccleſia decernit, quod tantus Pontifex enunciat: ſine quo vigor calami omnis Eccleſiaſticæ traditionis areſcit; præter quam impoſsibile eſt prorſus Eccleſiaſtica canonicè ſtabiliri: cui vertices montium, & omnium turba fidelium, genua flectere debent, & pro bellicis increpationibus iugum complecti ſubiectionis: cujus Eccleſia ſplendorem de ſe emittit ſemper, & non tenebreſcit: à qua exit lex & iudicium: ad quam omnes vndique terrarum conveniunt.

SS. D. N.
INNOCENTIO XI.
PONT. MAXIMO.

(a) SVCCESSORI B. PETRI PRINCIPIS APOSTOLORVM, VNIVERSI CHRISTIANI ORBIS SVPREMO PRIMATI, VERO CHRISTI VICARIO, TOTIVS ECCLESIAE CAPITI, OMNIVM CHRISTIANORVM PATRI, PASTORI, ET DOCTORI, A CHRISTO DOMINO PLENVM IVS ET POTESTATEM HABENTI IN TOTAM ECCLESIAM:

POST SACRORVM PEDVM OSCVLA,

S.

PAVCIS Menſibus poſtquam Declaratio Cleri Gallicani Pariſijs edita fuerat XIX. Martij M.DC.LXXXII. aliquot eius exemplaria ad hanc Salmanticenſem Academiam pervenerunt, BEATISSIME PATER. Quanto horrori illa fuerit tot eximijs Profeſſoribus, zelo Religionis Catholicę, veneratione Apoſtolicę Sedis, pietate, doctrina, & eruditione claris, non facilè explicare queam. Cùm enim nihil antiquius fuerit huic celeberrimæ omnium diſciplinarum Scholæ, quàm veneratio Cathedræ S. PETRI, eiuſque Succeſſoris Romani Pontificis; non potuit ſine ingenti dolore, & commotione animorum, videre eius auctoritatem palam impetitam, & ab ijs quidem ipſis, quorum officij, & partium erat, illam tueri vſque ad ſanguinem.

Dubitare initio licuit, an is fœtus inopinatus, Galliarum Epiſcopis ſuppoſitus ab aliquo nebulone fuiſſet, impia & fraudulenta manu, vt ijs hucuſque adeò benemeritis de Eccleſia Catholica, dedecus aliquod, aut invidiam conflaret, vel ad horam. Et certè dubitādi non levis ratio erat. Vt enim ordine percurram partes omnes eius Declarationis, quis crederet in ipſo eius aditu à tanto, & tam Venerabili Clero ita propoſitum iri obſervanda decreta Gallicanę Eccleſię, & libertates, vt in illius progreſſu decretorum Apoſtolicæ Sedis, eiuſque libertatis nulla penè ratio haberetur? Quis putaret, exaltationem filiæ, diſcipulæ, & ſubditæ, potiùs in dedecus, & oppreſſionem, quàm in honorem, & obſequium Matris, Magiſtræ, & Capitis omnium ſub cœlo Eccleſiarum futuram? Oportebat certè tot graves, & doctos Præſules, ne in ſpeciem quidem indicare, ſe aliquid habere commercij cum ijs Galliæ Scriptoribus, qui, teſte Archiepiſcopo Marca (b) * De hiſce libertatibus commentarijs editis olim, ijs poſitionibus nituntur, quæ Catholicæ Eccleſiæ dignitatem ſummopere lædunt. Quæ ſanè commentationes à tanti nominis Viris profectæ, eas radices in quorundam animis egerunt, vt Curiarum ſupremarum plerique Magiſtratus nō alijs ferè auſpicijs negotia Eccleſiaſtica dirimant. * Hæc ille protulit, & faſſus eſt, cogente veri-

(a) Concilium Oecum. Flor. Seſs. vlt. ea epitheta tribuit Pont. Romano ex quibus corruit Declaratio Gallic. quoad ſingula capita: Vide infrà d. 15. 16. 24. 34. 35. 36. 37. 38. 39. & 40.

(b) Marca in libello Barcin. edit. an. 1646. qui habetur in Prolegomenis eius ad libros de Concordia, pag. 21. Vide infrà d. 34. & 37.

veritate, atque experimento, cùm adhuc eſſet Conſiliarius Regis Chriſtianiſsimi,& illius nomine PręſesSupremiNavarrę Senatus.Quantò alienior eſſe debuit à ſacris Præſulibus quælibet vmbra patrocinij in eas Theſes, ſub ſpecioſo nomine Libertatum Gallicanarum, convellentes iura Catholicæ Eccleſiæ? Sat plures defenſores habent illæ, ex Aulicis,& Magiſtratibus Galliæ, plus nimio politicis, quos ſæpè captandi libido exoculat.Habeat Sedes Apoſtolica propugnatores ſaltem,quos (c) * Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.

(c) Actor. 20.

Altera deinde ambigendi occaſio erat ex primo §.eiusDeclarationis: in quo ex varijs Scripturæ locis præpoſterè interpretatis ea doctrina concluditur, quæ olim ſolùm in gregalibus, & adulatoribus Henrici III. alias IV. Imperatoris Germaniæ, notorij ſchiſmaticorum Anteſignani, (d) & propterea ſępiùs ac diù à Sede Apoſtolica, varijſque ipſius Galliæ Concilijs, ſacro anathematum igne inuſti, locum habuit: deinde verò elapſis duobus ſęculis ex Orco revocata fuit à Guillelmo Ochamo, ſtipendario Theologo Ludovici Bavari Imperatoris ab Eccleſia abrogati, cui calamum nundinalitiū locavit,in odium Ioannis XXII.Papæ: quęque tandē à Sectarijs ſuperioris ſæculi & noſtri excepta fuit, & ſubinde à Politicis quibuſdam,contra omnes Scriptores Catholicos,& ſenſum ac praxim Eccleſiæ Romanæ: cuius Pontifices multi, (e) etiam ſanctitate & doctrina conſpicui, ſæpe Imperatores, Regeſque ob hæreſim, aut ſchiſma, etiam intra Oecumenicam Synodū Lugdunēſem in mediaGallia celebratam,abdicarunt. Quis ergo crederet,modernos Præſules tam ſubitò, opinionem adeò periculoſam, vt mitiſsimè loquar, tradituros?

(d) Genebrardus in Chron. ad annū 1073. & 1326. Rayn. in Opuſc. Aurea opa.

(e) Spondan. ad annos 593. & 730. & 750. & 842. & 1073. & 1079. & 1212. & 1245. alijſque locis. Vide P. Greg. lib. 15. de Republ. c. 1. §. 11. Cardin. Perronium, Carolum Franciſcum de Abra, &c.

Iam ſi accedamus ad ſecundam ipſorum Theſim,quis crederet à Præſulibus Galliæ publica profeſsione amplectendā? Nihilo enim illa melior eſt, ſed fortaſſe deterior, quatenus Pontificem Romanum, præter caſum ſchiſmatis,ſeu dubię auctoritatis, ſupponit Synodo Oecumenicę, Caput reliquis membris,Doctorem diſcipulis, Paſtorem gregi,Rectorem ſubditis,Supremum Chriſti Vicarium inferioribus miniſtris: contra Scripturæ teſtimonia,adverſus doctrinā in Concilijs Generalibus teſtatam,vno ferè ore à Patribus priſcis, etiam Gallicanis,traditā, & à Theologis penè omnibus.Neque eſt, quòd ad ſuum ſenſum confirmandum allegent decreta, quæ Seſsionibus IV. & V. Concilij Conſtantienſis edita ſunt. Non enim adeò iniurius ero ingenio,& eruditioni tot PręſulumGalliæ,vt exiſtimem illos apud ſe cenſere, aut remotis arbitris dicere, doctrinam illarum Seſſionum eſſe propitiam tam deploratæ opinioni: cùm oppoſitum ſit luce meridiana clarius, & millies ab ipſis quoque Galliarum Scriptoribus demonſtratum. (f) Putandum itaque eſt, in ea Declarationis parte cauſam agi, non Conſtantienſiū Patrum, ſed Bituricenſium,ac Baſileenſium:quorum vtraque Synodus in Concilio Lateranenſi Seſs.XI. Conciliabuli,aut Cōventiculæ infami nomine notata eſt. Aut certè ſi tanto ſtudio fragrant definitionū Synodi Conſtantienſis, accipiant decretum in eius fine prolatum à Martino V.Papa: * Sacro approbante Concilio,mandamus Archiepiſcopis,Epiſcopis,&c. vt qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini,vel de Baptiſmate,ſeu peccatorū confeſsione,pœnitentię pro peccatis iniunctione, vel reliquis Eccleſiæ Sacramentis, ſeu Fidei Articulis, aliter ſentit, ac docet, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia docet, & obſervat; eos tanquam hæreticos iudicetis. * Hæc inibi Concilium. Romana autem Eccleſia docet, ac ſæpe teſtata eſt, veluti fidei articulū, Papam

(f) Duvall. Tomo 2. pag. 699. Spond. ad an. 1415. & 1418. & 1431. Cabaſſutius in Notit. Eccl. pag. 531. aliique. Vide infrà d. 15. 16. & 36.

certum

certum & exploratum eſſe ſuperiorem Concilijs omnibus pleno iure. Deberent itaque Epiſcopi Galliarum idipſum tradere, vt id decretum Conſtantienſis Synodi, & præceptum ſibi impoſitum exequerentur.

Conc. Florent. Seſſ. vlt. verbis ijs, Ἐπιόριζομεν, &c. Conc. Lateran. Seſſ. 11. Vide diſp. 36. ſect. 1.

Quod ſpectat ad tertiam Declarationis Theſin, pariter videbatur alienum à grauitate tanti Cleri, nec facilè ipſi adſcribendum. Quis enim Sedem Apoſtolicam, plenum ius, & poteſtatem habentem in reliquum totius Eccleſiæ Corpus (vti ex ſacris litteris conſtat, & Concilia Oecumenica, ac Patres vnanimi ſenſu teſtantur) ſubijciat, vel adſtringat Canonibus ſolius iuris Eccleſiaſtici, ſiue vniuerſalibus Conciliorum, ſiue peculiaribus Galliæ; quando nulli prorſus ab initio vis vlla, aut auctoritas eſt, vel fuit, niſi mutuata ab Apoſtolica Sede? Licuerit olim in Græcia Photio euirato, & inuaſori Sedis CP. exigere Pontificiam iuriſdictionem ad Canones, quaſi mera, & ſimplex eorum executrix, & miniſtra ſit: licuerit & Hincmaro Rhemenſi, qui ſimili ferè auſu, & eodem tempore, in Gallia eandem litem Romanis Pontificibus intentauit. Immò licuerit vtrique eorum ſub prætextu Canonum, vel vniuerſalium, vel peculiarium Græciæ, aut Galliæ, priuata ſtudia & odia, alterius contra virum ſanctiſsimum Ignatium Patriarcham CP. alterius contra nepotem ſuum Epiſcopum Laudunenſem doctum, & pium, nutrire, ac fouere. Verùm quod licuit refractarijs, idque aſperrimis ſolùm temporibus, non debuit licere modernis Galliarum Præſulibus, ac præſertim ætate, qua apud omnes Catholicos auctoritas ſuprema Romani Pontificis in totam Eccleſiam tam altas radices egerat. (g) Itaque haud immeritò dubitatum fuit, an à moderno Galliarũ Clero edita fuiſſet ea Poſitio, quæ Photianum, & Hincmarianum ſpiritum redolet. Quid? quòd in ea probari vniuerſè videantur mores, & inſtituta in Regno, & Eccleſia Gallicana recepta: cùm tamen plura ibidem inualuiſſe, & in conſuetudinem abijſſe, quæ Catholicæ Eccleſiæ dignitatem ſummopere lædũt, ſuprà ex Marca audierimus? vt nihil dicam de pluribus alijs, quæ doctiſsimus Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis in media Galliarum luce ſcribens, teſtatus eſt, (h) nec Thuanus ſiluit.

Baron. ad ann. 861. & 863. Vide Chriſt. Lupũ in Scholijs ac VIII. Synod. & infrà d. 36. ac d. 41.

(g) Vide Gibalinum lib. 5. de Iure Can. c. 3. & lib. 7 cap. 6. Marcam lib. 7. c. 3. & ſeq. Lege infrà d. 34. & 37.

(h) Genebr. ad annum 1515. Thuanus l. 1. Hiſtor. alijque.

Verùm quæ longè minùs proditura videbatur à Clero Gallicano, eſt Poſitio quarta eius Declarationis. Quis enim crederet, ab eo emanaſſe doctrinam, cuius cõtrariam ex veteris Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ſuo, certam eſſe, & cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequiũ præſtare teneantur, paucis retro annis vna voce teſtati ſunt Epiſcopi Galliarum in litteris Comitiorum Eccleſiaſticorum, ad felicis memoriæ Pontifices Innocentium X. & Alexandrum VII? (i) Nec certè aliud potuere ijdem Præſules ſcribere ad vtrumque Pontificem: cùm eam doctrinam hauſiſſent, (l) non modò ex ſacris litteris, traditione Apoſtolorum, & Synodis Oecumenicis; ſed etiam ex priſcis illis Patribus Gallicanæ Eccleſiæ, ex Reſcriptis Sedis Apoſtolicæ ad ipſorum Conſultationes, & ex Synodis intra id florentiſsimum Regnum celebratis ingenti numero à primis Eccleſiæ ſæculis vſque modò. Quapropter non ſolùm admirationi, ſed dolori etiam eſt, quòd tam ſubitò, tam aliter loquatur, & publicè profiteantur moderni Præſules Galliarum, quàm tota Antiquitas Chriſtiana ac Gallicana ſenſit, & docuit.

(i) Epp. Galliarum an. 1653. & 1660.

(l) Duval. Raynaud. Gibal. alijque innumeri ex Gallis. Vide infrà Tract. I. per totum, & d. 39.

Hæc itaque ſunt, BEATISSIME PATER, rationes ambigendi initio, aut etiam negandi, Declarationem illam verè prodijſſe ab Epiſcopis eius Chriſtianiſsimi Regni, & Cleri, quæ hactenus fuerant decus, & orna-

namentum eximium Catholicæ Eccleſiæ. Verùm cùm poſtea crebra, & explorata eius rei teſtimonia ſucceſſerint, quibus id apertiſsimè habetur, nullus prudens iam vllatenus dubitare poteſt, Declarationem verè prodijſſe ab eiſdem Auctoribus, quorum nomine inſcribitur. Nemo tamen conſcius eruditionis ipſorum id ſibi perſuadere poterit, eos ex animi ſententia locutos. Quamvis enim fortaſſe privatus rerum ſuarum amor, & ſtudium flagrantiſsimæ Nationis ad libertates ſuas tuendas, impedimento fuerit ex parte ad ferendum rectum iudicium de auctoritate Sedis Apoſtolicæ; attamē illud penitus obſcurare, aut extinguere nullatenus potuit.

(m) Aug. lib. 2. de Lib. Arbit. c. 14. initio.

„ † Veritatem atque ſapientiam nemo amittit invitus (aiebat Magnus „ (m) Auguſtinus) non enim ſeparari ab ea quiſquam poteſt: ſed ea quæ „ dicitur à veritate atque ſapientia ſeparatio, perverſa voluntas eſt, qua „ inferiora diliguntur. †

(n) Vide infrà d. 11. n. 210. & d. 34. & 37.

Et certè, vel ad tuendas Libertates Gallicanas, vel prætenſa iura Chriſtianiſsimi Regis in bona Eccleſiarum quarundam vacantium, nihil magis extraneum, aut importunum eſſe potuit, quàm eam Declarationem edere. (n) Nimirum nulla eius Theſis, ſive aſſerta, ſive negata, & ſolo æquata, quidquam momenti confert, vel ad ſtabiliendas eius Regni peculiares Libertates, quæ affectantur, vel ad ius Fiſci Regij in illarum bona. Vtrumque enim petendum erat ex Privilegijs ab Apoſtolica Sede conceſsis, aut conſuetudinibus ab ipſa probatis, ſive ſaltem vltro, & prorſus liberè permiſsis. Neutrum autem eorum capitum vel leviter indicatur in ea Declaratione: tanquam res non iure, aut ratione, ſed facto & vi ſolùm dirimenda ſit.

Verùm irrito planè conatu laborant, BEATISSIME PATER, quicumque potentia, aut multitudine confiſi, labefactare conantur maieſtatem Apoſtolicæ Sedis. Integra illa, & victrix perſiſtet, regnante potiſsimùm INNOCENTIO XI. cuius Apoſtolicus zelus, conſtantia animi, & cæteræ virtutes Heroicæ toti Orbi Chriſtiano notæ, non ſinent, vt illa in aliquo deprimatur. Non patietur, vt errores, aut recēns orti, aut noviter ab Orco excitati, radices agant, & per Eccleſiæ corpus graſſentur. Nimirum ea non ſolùm communis Romanorum Pontificum cura fuit, ſed & peculiaris Innocentiorum, quotquot ferè B. V. præceſſerunt. Innocentius I. (o) non modò fortiter ſe geſsit pro Eccleſia adverſus Imperatorem Arcadium, & Eudoxiam Auguſtam, Atticum Patriarcham Conſtantinop. & Theophilum Alexandrinum, alioſque Orientis Præſules, quos omnes anathemate iuſsit; ſed etiam errores recēns ortos Pelagij, quorum permiſsionis, aut conniventiæ à quibuſdam iniuſtè notabatur, Apoſtolico gladio abſcidit. Innocentius II. (p) etiam poſt plurima beneficia & obſequia à Gallis recepta, non dubitavit Regnum ipſum interdicto ſupponere, ob contumaciam Ludovici Regis. Idem Schiſmaticos ſui temporis, ac præterea hæreſes Abailardi, & Arnaldi de Brixia, tunc in Gallia graſſantes, damnavit, & proſcripſit. Quid dicā de Innocentio III. pijſsimo, ac præſtantiſsimo Pontifice? (q) Non modò damnavit errores ſuo tēpore ortos, præſertim in Concilio Magno Lateranēſi; nec ſolum impensè curavit diſciplinā Eccleſiaſticam innumeris decretis: ſed præterea Epiſcopos multos ob varia delicta in ordinē redegit, ac Reges aliquos, præſertim Eccleſiæ iura ambientes, invicta fortitudine coercuit, abdicavitque. Deinde Innoc. Papa IV. (r) Conſtitutiones in hæreticos edidit, & in Concilio Gene-

(o) Spondanus cum Baronio ad annos 406. & 407. & 416.

(p) Idem ad annum 1133. & 1139. & 1142.

(q) Idē ad annum 1210. n. 4. & 1216. n. 2. ac ſeqq.

(r) Idem ad annum 1245. & 1246.

herali Lugdunenſi tota Synodo & Galliæ probante Fredericum II. Imperatorem impijſsimum abrogavit; ac deinde Iacobum Aragoniæ Regem ob diverſa crimina acriter reprehendit. Innocentio V. (s) ne plura, & magna exequeretur, quæ iam animo moliebatur, præpropera mors impedimeto fuit. Innocentius (t) VI. reformata priùs Romana Aula, hæreſes ſui temporis exagitavit; & Reges inter ſe diſsidentes, ad pacé, & concordiam revocare ſtuduit; Orientales ad vnionem cum Romana Eccleſia integram, & perfectam hortatus eſt. Innocentius VII. inter plures alias animi dotes, prædicatur à Spondano, alijſque, Eccleſiaſticæ libertatis, & ditionis Aſſertor vnicus. (u) Decreverat quoque Synodum Generalem cogere ad vnionem Eccleſiæ ſtabiliendam, & damnandas hæreſes: ſed tumultus Romanorum, & immatura mors vetuerunt. Antè verò, quàm fato concederet, Ladiſlaum Regem ob multa ſcelera, & in ijs quòd bona Eccleſiarum invaſiſſet, anathemate inuſsit, privavitque Regno, & terris, quas acceperat à Romana Eccleſia, ſive obtinebat, ad eam ſpectantibus. Innocontius VIII. (x) hæreſim maleficorum extirpandam curavit à Tribunalibus S. Inquiſitionis, facta ijs ampliſsima poteſtate: Ferdinandum Regem Neapolitanum detrectantem ſolvere iura debita Romanę Sedi initio exagitavit, ac tandem anathemate perculſum Regno privavit. Innocentius IX. (y) præditus inſigni pietate, prudentia, & longo rerum vſu, quamvis multa & magna in animo haberet, nihil perficere potuit. Duobus enim ab electione menſibus, exitiali morbo correptus, deſiderium ſui reliquit. Denique Innocentius X. inter plura alia, adverſus quinque illos Ianſenij Epiſcopi Iprenſis errores præcipuos, anno 1653. (z) celeberrimũ illud Diploma edidit, quo nullum diutiùs meditata eſt Roma.

(s) Idem anno 1276. n. 22.

(t) Idem anno 1352. & ſeqq.

(u) Idem anno 1404. & 1405. & 1406.

(x) Idem anno 1484. n. 10. & 1485. n. 2. & 4.

(y) Idem anno 1591. n. 4.

(z) Infrà Diſp. 18. ſect. 2.

Quid ergo inſolitum, aut non dignum INNOCENTII nomine præſtitit B. V. dum immunitatem Eccleſiarum quarumdam vacantium hactenus liberarum, ſtuduit ſartam tectam curare in Gallijs contra prætenſa iura Chriſtianiſsimi Regis? dum Epiſcopos minùs ea de re ſolicitos, quàm par eſſet, officij ſui partes deſeruiſſe conqueſta eſt? dum quibuſdam eorum anathematis fulmen comminatus fuit? dum opiniones plures pernicioſas hoc ſæculo adinventas circa res fidei, aut morum, proſcripſit? dum Declarationem recèns editam à Clero Gallicano cum horrore reliqui Catholici Orbis, indignata eſt? Sanè in hoc BEATISSIME P. nihil apparet non Innocentianum, id eſt, nihil non dignum Apoſtolica Sede.

Vide Diſp. 18 ſect. 5. & ſeqq. latè.

Neque id dixerim quaſi non probem lenitatem, & dulcedinem B. V. erga Regnum & Eccleſiam Gallicanam, nobilem certè, & præſtantem Catholici Orbis portionem. Præclariſsima enim ipſius merita à priſcis ſæculis in Sedem Apoſtolicam, Regum plurimorum pietas & magnificentia in Eccleſiam, numerus pene infinitus Patrum, Doctorum, & Scriptorum, qui Religionem Chriſtianam longè, & latè illuſtrarunt, aliaque quàmplura decora, digna profectò ſunt quæ omni amore & benevolentia à B. V. honorentur. Vtinam in tam ampla, & electa meſſe, inimici quidam homines, plus nimio Politici, vt mitiſsimè dixerim, non ſuperſeminaſſent zizania. Profectò, nec ortæ fuiſſent lites illæ ſeu diſcordiæ B. V. cum Chriſtianiſsimo Rege LVDOVICO XIV. ob iura in bona quarundam Eccleſiarum vacantium, nec eorum occaſione prodijſſet nupera hæc Declaratio. Quin & vbi fortè negarentur ipſi, vſurpare meritò poſſet verba illa CAROLI MAGNI Francorum quondam Regis

Vide infrà Diſp. 34. 35. & 40.

celeberrimi atque pijſsimi in Capitulis, quæ ad ſubditos ſuos miſsit:

Apud Gratian. c.3 diſt.19. & Naucleru Volum.2.gen.28.

„ † In memoriam B. PETRI honoremus ſanctam Romanam, & Apo„ ſtolicam Sedem: vt quæ nobis ſacerdotalis eſt mater dignitatis, eſſe de„ beat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cùm manſue„ tudine humilitas: vt licet vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur „ iugum, tamen feramus,& pia devotione toleremus. † Hæc ille Glorioſiſsimus Princeps,cedro,& immortalitate digna. Quare non dico pauca Eccleſiarum quarundam vacantium iura,ſed plura alia, & longè maioris momenti in reliquas omnes Galliarum Eccleſias, ſi à Sede Apoſtolica negarentur LVDOVICO XIV. Regi glorioſius nomen vbique terrarum ſibi aſſereret ex humili ceſsione eorum in obſequium S. PETRI, & Romanæ Sedis, quàm ex tot militaribus triumphis. Neque enim CAROLVM illum re ac nomine tam MAGNVM fecit multiplex de hoſtibus victoria,quàm eximia in Sedem Apoſtolicam pietas, parata iugum tolerare,ETIAM VIX FERENDVM.

Similiter neque animus eſt exaſperandi animum B. V. erga Præſules Galliarum: quos non ſolùm ob generis claritatem, pietatis, eruditioniſque præſtantiam,ſed etiam ob zelum Catholicæ Religionis amare, & honorare par eſt: ſiquæ autem peccaverunt in nupera Declaratione, corrigere vt filios,ac fratres venerabiles, qui in ea parte humani aliquid paſſi ſunt.Nimirum oportet conſiderare † huiuſmodi nævos eſſe veluti luminarium defectus,quæ licet nonnunquam ſplendoris detrimenta ſuſtineat, non tamen amitiunt luminaria eſſe, quod ſunt. † Benignè, itaque admonendi videntur,& hortandi,vt ijs officijs ergà Eccleſiæ auctoritatem ſupremam, eiuſque plenam libertatem, demereantur Chriſtianiſsimum Regem LVDOVICVM XIV. quibus ipſorum Deceſſores in litteris ad Innocentium X.& Alexandrum VII. quibus Cardinalis Bertrandus Philippum Valeſium: quibus Cardinalis Perronius Henricum IV.quibus Carolus d' Abra de Raconis Epiſcopus Ludovicum XIII. quibus denique Innumeri alij Galliarum Epiſcopi, ac Doctores, ſanctitate, & doctrina celeberrimi ſeculis præcedentibus à tempore Clodovæi,Chriſtianiſsimos Reges ad ſummam Sedis Apoſtolicæ venerationem, & Eccleſiarum immunitatem, allicere & perſuadere ſoliti ſunt. Nec credibile apparet,modernos Antiſtites,avitæ & Catholicæ fidei tenaces, & Eccleſiæ præſtantiſsimos filios, ad vocem & imperium B.V. non revocaturos Declarationem illam, quæ Cathedræ S. PETRI, eiuſque ſupremæ auctoritati in totum Orbem Chriſtianum litem intentat. Nam & Gerſo ipſe, Cancellarius Pariſienſis, quem Prodromum affectant in præcipuis earum theſium, diſertè profitetur, Pontificem Romanum, quoties aliquid præceperit, aut definierit, poſſe omnes Chriſtianos compellere, etiam ſub cenſuris, ne oppoſitum doceant, ſaltem donec congregetur Vniverſale Conciliũ. Quapropter ſi B. V. placuerit definire Theſes ijs contrarias (quas certè nos pluribus locis huius Operis iam longè anteà palam definitas, etiam in Oecumenicis Concilijs,oſtendimus) & præcipere ſub anathemate,ne poſitiones illæ Cleri Gallicani tradantur, aut evulgentur; certum omnino eſt, neminem niſi effrænem, & refractarium, eas de cætero traditurum. Nec ijs graviſsimis Antiſtitibus debet pudori eſſe retractatio opinionum, præſertim facilè, aut ſine matura deliberatione conceptarum: cùm obvia exempla habeant in Magnis Eccleſiæ Doctoribus,

Facundus Hermian. initio Tomi X. Biblioth. Magnæ Aniſſon. lib.6.

Vide infrà Diſp.14.35.& 40.

Vide Diſp. 4. & 8. ac ſeqq. latè.

Vide Raynaudũ in Opuſculo Αυτος ἔφα.

Vide præſertim Diſp. 22. 23.& 24. latè.

ribus, ac luminibus: quibus non in dedecus, ſed in gloriam ceſsit indicta velle, & mutare quæ anteà incautè tradiderant. Inter quos Auguſtinus, miraculum illud ingeniorum, libros Retractationum ſuarum cæteris præfigi voluit: ac præterea alicubi dixit: † Maiore gloria quiſque correctus ſua confeſsione reprehenditur, quàm cuiuslibet errantis ore laudatur. † Quapropter, vel vt famæ ſuæ, ac magnę exiſtimationi conſulant, deberent ſponte ſua corrigere, immò inducere omnino Declarationem illā, antequam ab Apoſtolica Sede nigro theta notaretur.

Auguſt. de Anima lib. 4. cap. 24.

Expectamus itaque, BEATISSIME PATER, vt graviſsimi illi Præſules Galliarum meliori conſilio revocent, & indicta velint, quæ calore & impetu aliquo, vel nimio rerum ſuarum amore abducti protulerunt. Sed fortaſsis exoptant Apoſtolicæ Sedis præceptū ea de re: vt amori veritatis, & odio erroris meritum obedientiæ accreſcat. Sic fiet, vt florentiſsimum Galliarum Regnum, & Eccleſia illa longè ac latè illuſtris à priſcis ſæculis vſque modò, ſplendorem ſuum in eximio gradu retineat, qualem hactenus; nec alibi tutiorem auctoritatem ſuam arbitretur, quàm intra ſinum Cathedræ S. PETRI, iuxta illud monitum eiuſdem Magni Auguſtini: † Oportet nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica Sede per ſucceſsiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit. † Sic etiam quęcumque opiniones abſurdæ, quicumque errores, ſive in quæſtionibus fidei, ſive morum, tempore B. V. nati, aut denuò excitati ſunt, Innocentiano gladio præcidentur, non iam facilè redituri.

Idem libro de Vtilit. credendi cap. 17.

Huic triumpho B. V. alium comitem exoptavimus, & aſsiduis ad Deum precibus obtinere ſtuduimus: victoriam, ſcilicet, Chriſtiani exercitus ab armis Othomanis. Nòrunt omnes, quanto zelo divini honoris, quo ſtudio, & ſollicitudine aſsidua, quibus etiam temporalibus auxilijs, & innumeris ferè millibus aureorum profuſis larga, ac magnificentiſsima manu, curaverit B. V. expeditionem hanc inſignem Glorioſiſsimi Imperatoris LEOPOLDI AVSTRIACI, Sereniſsimi Poloniæ Regis, Excelſi Lotharingiæ Ducis, aliorumque Principum Chriſtianorum, adverſus Barbarum illum, & ſuperbiſsimum Conſtantinopolitani Imperij Tyrannum: qui phantaſticis titulis, immani elatione, ac multiplici in CHRISTVM D. blaſphemia plenis, ſpem nobis addidit ſplendidiſsimi triumphi. Huius prima ac certa notitia, tam diu deſiderata, ad nos pervenit hac ipſa die V. Octobris per Epiſtolam Eminentiſsimi Cardinalis D. D. Savi Millini, Nuntij, ac Legati à Latere S. V. qui ob nobiliſsimam indolem, & præclaras animi dotes tanto Hierarcha dignas, quemadmodum ardentibus votis curat, & exoptat quæcumque ad felicem Eccleſiæ ſtatum, & auctoritatem Apoſtolicę Sedis ſpectant: ita etiam immenſo ferè gaudio perfuſus ob recentem victoriam, ſtatim nos illius certiores fecit: vt in hac florentiſsima Academia omnes Domino Deo exercituum immortales gratias ageremus. Gratulamur itaque B. V. ob inſignem triumphum Reip. Chriſtianæ: gaudium noſtrum hiſce verbis exprimentes:

D. O. M.

SACRVM.

INNOCENTIO XI.

PONT. MAXIMO,

A DEO ELECTO POTIVS, QVAM AB HOMINIBVS,
OB INNOCENTIAM, ÆQVITATEM ET ANTIQVOS MORES:
ZELATORI ARDENTISSIMO DIVINI HONORIS,
Immunitatis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratori eximio,
vtriuſque aſſertori invicto:
PERNICIOSORVM DOGMATVM STRENVO EXTERMINATORI,
libero in tradenda veritate, conſtanti in tuenda iuſtitia,
impavido in afferenda auctoritate S. Sedis:
PROPAGATORI STVDIOSISSIMO FIDEI CATHOLICÆ,
miſsis colonijs Prædicatorum doctrinæ Apoſtolicæ
in extremas vſque Orientis & Occidentis plagas,
Inſulaſque hactenus mortalibus ignotas:
ORPHANORVM ASYLO, PAVPERVM REFVGIO, PATRIÆ PATRI,
viſceribus charitatis, miſericordiæ, & liberalitatis prædito,
non tondenti gregem commiſſum, ſed paſcenti;
non quærenti quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei:
REIPVBLICÆ CHRISTIANÆ MAGNO DEFENSORI,
non modò innumeris aureorum millibus magnificè profuſis,
ſed aſsiduis ad Deum obſequijs, precibus, lacrymiſque,
& exhortatione iugi ad omnes Principes Chriſtianos,
vt pacem ſervent, & bellum ineant contra infideles:
ALTERI ANGELO EXERCITVVM, DVCENTI AC DIRIGENTI
PIISSIMVM LEOPOLDVM GERMANIÆ IMPERATOREM,
SERENISSIMVM SARMATIÆ EVROPEÆ REGEM,
FORTISSIMVM LOTHARINGIÆ DVCEM,
TOTVMQVE CHRISTIANVM EXERCITVM,
E SPECVLA S. PETRI:
VICTORI TANDEM GLORIOSISSIMO
APVD VIENNAM AVSTRIÆ CELEBERRIMAM VRBEM,
fugato, diſsipato, & extincto penè innumerabili exercitu
Turcarum, aliorumque Barbarorum, hoſtium Chriſti,
cum ſuperbiſsimo Tyranno totius Orientis:
TANTO, INQVAM, PONTIFICI, RE AC NOMINE INNOCENTIO,
ECCLESIA TOTA, QVAM LONGE ET LATE PATET,
ROMA TERRARVM DOMINA, GENTIVMQVE PRINCEPS,
CAROLVS II. ANTONOMASTICE CATHOLICVS REX,
HISPANIA EX ASSE DEDITA SEDI APOSTOLICAE,
SALMANT. ACADEMIA RELIQVARVM PRINCEPS,
PVBLICA LÆTITIA, ET GRATIARVM ACTIONE AD DEVM, GRATVLANTVR;
ATQVE INNOCENTIVM, INNOCENTIVM
VICTOREM CLAMANT.

RA-

NONNVLLA Occurrunt, de quibus te moneam, Catholice, & erudite Lector. Cùm iam paratũ haberemus Tomum III. Theologię S. Anſelmi, inſcriptum de *Natura, & Gratia*, in quo præſertim adverſus Baiana, ac Ianſeniana dogmata, & eorũ reliquias, diſputatio eſt, apparuit ſubitò Declaratio Illuſt. Cleri Gallicani nomine edita 19. Martij 1682. in qua, præter plura alia, negatur Romano Põtifici auctoritas infallibilis in pronuntiando de fide, & moribus, niſi Eccleſię cõſenſus acceſſerit. Occurrerunt pręterea variæ theſes in Belgio editæ, in quibus deſiderari videtur Synodus Oecumenica confirmans iudicium Romani Pontificis, vt illud irreformabile ſit. Vtrumvis autem eorum in idem recidit. vt conſtabit ſuo loco. Vide diſp. 2. ſect. 3. & 4. Cumque Ianſenij dogmata, & Michaelis Baij ipſius prodromi, à Pontificibus Romanis, B. Pio V. Gregorio XIII. & Innocentio X. extra omnem Synodũ damnata fuiſſent, parebat vtriuſque ſectatoribus novum, ac latum effugium ex opinione illa, niſi primò omnium præcluderetur. Quare antequam ad præcidendos ramos accederemus, oportuit ſecurim ad radicẽ ponere, vt ea abſciſſa, immo extirpata, minùs negotij nobis faceſſerent propoſitiones aliæ Ianſeniſmum ſapiẽtes. Itaque primò omnũ viſum ſtabilire auctoritatẽ infallibilem Cathedræ S. Petri, ſive Romani Pontificis, ad dirimendum quæſtiones de fide & moribus iudicio irreformabili extra omnem Synodum, præſertim Oecumenicã, & independenter à conſenſu Eccleſiæ accedente. Quamvis autem is initio fuiſſet præcipuus Operis noſtri ſcopus, deinde viſum reliquas eiuſdem Declarationis partes impugnare ex profeſſo, licèt aliquãtò breviùs. Denique cùm certis teſtimonijs didiciſſemus, eius Declarationis cauſam, ſeu occaſionẽ fuiſſe quædã recentia diſſidia SS. D.N. Innocentij XI. cum Chriſtianiſsimo Rege Ludovico XIV. & Antiſtitibus Galliarũ, tum circa iura quædam in bona, ſeu redditus Eccleſiarum vacantium; tum pręterea circa aliquot decreta vtrimque edita; placuit eorum omnium aliquam rationẽ reddere neſcientibus, & plura proferre, quæ circa ea diſsidia obſervare potuimus. Id autem potiſsimùm legere eſt Diſput. XI. huius Operis.

Quoniam verò omnes eiuſmodi controverſiæ, invidioſę ſunt, & in quibus facilè labi poſſemus, præſertim diſſerẽtes cum Illuſt. Galliarum Pręſulibus, claritate generis, pietate, & eruditione inſignibus; non ſatis arbitrati ſumus Opus noſtrum exponere iudicio domeſtico Superiorum Religionis noſtræ, & Illuſt. Epiſcopi Salmanticenſis, ac præterea Cenſoris deſignati à Regio & Supremo Caſtellæ Senatu, vt moris eſt. Quare præterea curavimus, vt ſinguli fere codices è prælo excuſ̃tes, ab alijs dignitate, doctrina, & eruditione graviſsimis Viris examinarentur, & ipſorũ iudicio ſtaret, aut caderet, quidquid prælo expreſſum fuiſſet. Acquievere ij noſtris precibus: & quidam eorum, toto Opere perlecto, quidam potiore eius parte examinata, nihil invenere nota dignum, nihil quod probari non mereatur, nihil denique, de quo Illuſt. Galliarum Præſules expoſtulare poſſint, violatas fuiſſe à nobis modeſtiæ, vrbanitatis, & reverẽtiæ illius leges, quæ ijs graviſſimis Hierarchis debetur. Fragmenta Epiſtolarum quarundã è pluriinis, exhibebimus *κατα ποδας* paulo pòſt. Et certè in ipſo progreſſu ſcribendi, ac calore diſputationis, cùm occurrerent nobis aliqua, quibus timeremus vel leviter indignandos, ſtatim ea repreſſimus, aut induximus; religioni ducentes tam ſacro & venerando cœtui minimã offenſionis cauſam miniſtrare. Quin potiùs ſępiſsimè Eccleſiæ, ac Regno Galliarum, eiuſque Regibus, Concilijs, Patribus, Epiſcopis, & Scriptoribus, impares quidem, ſed quantas poſſumus, laudes tribuimus. Nec mirum id ſcripto fecerimus, quod viva voce quotidię prçſtamus. Pauci enim extra Galliã fortaſſe invenientur, qui ampliùs, qui diutiùs quàm nos per Scriptores florentiſsimæ eiuſdem Nationis proficere ſtudeant: nullus autem qui magis, ſeu privatim, ſeu publicè, eos celebret, atque in cœlum extollat. Id autem nemo accipiat eo animo à nobis dictum, vt ſi quiſpiam Gallorum ex adverſo ſcripſerit, mereamur ab eo eandem gratiam. Satis enim nobis erit, & hoc ſolùm exigimus, vt leges charitatis Chriſtianæ, & comitatis ſerventur. Procul omnis maledicentia, & quælibet ſcommata, dicteria, convicia, & ſarcaſmi, quibus aliquos in Gallijs ſe invicem exagitare videmus, & inciviliter prorſus: quorum exempla recẽtia ſunt nobis ad manum, & ob oculos, vbi hęc ſcribimus. Vt proinde ijs non nemo adaptaverit, quod olim Iulianus Apoſtata, teſte Ammiano lib. 22. dixit: *Nullas adeo infeſtas eſſe hominibus feras, vt ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum*. Nec vt inhumaniùs habeamur, aut opprobrijs exagitemur, proderit cuiquam cõſideratio exiguitatis noſtræ, præſertim collatæ cum ijs Hierarchis, quibus ſubeſſe, & ſervire nobis valdè honorificum foret. Nimirum in hoc certaminum genere, non qualitas perſonarum, nec dignitatis conditio attenditur, ſed ſola cauſæ bonitas, & recta diſſe-

differendi methodus. Quippe ſi quando aliàs,hic locum habet illud Hieron.lib.1. in Iovinianum: *Quomodo in legionibus, & exercitibus ſunt Duces,ſunt Tribuni,ſunt Centuriones, ſunt ſeretarij,ac levis armaturæ,& miles gregarius,& manipuli; commiſſaque pugnâ vacant nomina dignitatum,& ſola fortitudo quæritur ita in hoc campo, & præ iis , non quæruntur nomina.* Habeant itaque Illuſt. Præſules nomina & excellentiam dignitati ſuæ debitam, à qua promerenda nos longiſsimè ſumus Hoc autem loco dumtaxat arma armis, rationes rationibus, argumenta argumentis conferre oportet.

Præterea initio Tract.1. conſtitutum nobis fuerat, in his lucubrationibus nullū habere certamen cum Heterodoxis,ſed cum ijs tantū, qui intra Catholicæ Religionis ſinū viventes,ac florentes,eam Declarationē ediderunt, aut potiùs cum Ochamo, qui primus omnium in Gallia integro ſæculo ante Gerſonem, & duobus ante Almainum,ac Ioannē Maiorem,harum controverſiarum origo extitit. Verùm cùm in decurſu Operis videremus plura ab ijs tribus,aliſque eorum ſectatoribus prolata , tam pro ſua opinione, quàm contra noſtram,& communē ſententiā,quæ totidem ferè verbis apud quoſdam ex Sectarijs habentur; viſum fuit obiter etiam contra hos ſępiùs diſſerere,& ipſorum ſophiſmata extricare, ac nonnunquam digredi, & tantiſper exſpatiari in quædam incidentia, iuxta monitum Bernardi Serm.16. in Cantica : *Etenim canibus quoque ac venatoribus plerum que contingit a fera , quam aggreſsi erant , deſiſtere , & ſequi aliam , quæ inopinantibus forte occurrerit.*

Vt autem diſputationes ipſæ non eſſent aridæ, & ſenticoſę, inſtar earum,quæ quotidie in Scholis nos morantur, abſtinendum omnino duximus à ſtylo harum proprio, & vti ſolùm dogmatico, atque apologetico, ſed miti , & pacato. Cui moderationi deſervit non parum exercitatio ipſa frequens in Schola Salmanticenſi: vbi quacumque opinione imbuti ſint Profeſſores, invicem decertant pacificè, & ſine amarore vllo. Nam,vt alicubi ex Naſone obſervat Petrus Bleſſenſis:

ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores , nec ſinit eſſe feros.

Si autem interdum occurrerint voces aliquæ Scholarum propriæ , quæque exactę non ſint ad Canones Priſciani, aut Ciceronis,&, vt clariùs dicam,alienæ inveniantur à puritate ſermonis Latini; non propterea erit quòd inſultent Critici, & Logomachi, quorum tota ſapientia,mera philologia eſt. Nemo his duobus poſtremis ſæculis eruditior,aut excultior in Gallijs, quā Marcus Antonius Muretus, & Dionyſius Petavius. Attamen prior ex ijs in lib.8. Epiſtol Senecæ epiſt.58. & poſterior in ipſo ferè aditu Diſputationum cōtra Vincentium Lenem, ſecuti alios diſertiſsimos Scriptores, longiſsimè ſunt à delicato illo Hypercriticorum genio,qui totum obliti, in ſolis vocibus ſtudium collocant. Nobis certè non eſt curæ Philologia eiuſmodi exquiſita , & quoddammodo ſuperſtitioſa ; ſed Philoſophia, præſertim ſacra, & Theologis digna : quæ iure merito vocabula aliquot neceſsitate cogente,adinvenit,atque in vſu habet ad ſignificandum res abſtruſas,præſertim divinas. Verùm & eorum pauca admodū in hoc Operere ſunt, excepta Diſp.XLIII. in qua aliquantò ſępiùs vſurpanda fuerunt.

Erit qui obijciat , controverſias hoc loco à nobis tractatas,iam à multis, & doctiſſimis Viris elucubratas fuiſſe: ac propterea nos immeritò eandem cum ijs ſerram reciprocaſſe. Sed certè, ſi hæc accuſatio iuſta eſt, omnium fere illorum qui de eadē re ſcripſerunt, & quorum exempla nobis obijciuntur, fruſtraneus labor fuerit neceſſe eſt. Vt enim omittam Veteres, primus qui de hiſce rebus ex profeſſo ſcripſit à tempore Concilij Conſtantienſis contra opinionem Ochami, & Gerſonis,ac Baſileenſium,fuit doctiſsimus Cardinalis Turrecremata. Quare poſteriores incaſſum laboraſſe videbuntur. Verùm nihil minùs. plurimi enim poſteà cum laude idem inſtitutum proſecuti ſunt. Cur ergo nobis id ipſum non licuerit , præſertim vbi Declaratio Gallicana ſubitò in lucem prodijt, quæ nullo modo à graviſsimo illo Clero edenda vnquam putabatur?

Addendum præterea, nos longè aliam viam inſiſtere,quàm Auctores illos,licèt ſcopus idem ſit: vt legenti , & conferenti ipſorum ſcripta cum noſtris palam erit. Et certè cùm brevi admodum ſpatio temporis fœtū hunc conceperimus,atque ediderimus in lucem (norunt omnes Salmanticæ, & habita ratione temporis facile deprehendi poteſt) non fuit otium percurrendi aliorum ſcripta,niſi obiter ſolùm,& tranſitu quodam. Præcipua itaque & pene vnica cura fuit,ex ipſis fontibus Cōciliorum omnium,præſertim iuxta editionem Labbeanā, & Reſcriptis,ac DecretalibusEpiſtolis Romanorum Pontificū, ac Canonibus,& Decretis Pontificij Iuris,& ſcriptis SS.Patrum, atque AuctorumHiſtoriæ Eccleſiaſticę; nominatim verò ex Gallicanis, tum antiquis, tum recentibus, diſtributis ab initio Eccleſiæ per ſingula ſæcula vſque modò;eruere omnia illa, quæ in hiſce Diſ-

pura-

putationibus continentur, & in ordinẽ digerere. Pauciſſima itaque mutuavimus ex ijs Scriptoribus, qui hanc provinciã ſuſceperunt, niſi vbi ipſorum verba nominatim exſcribimus: in quo certè nulla plagij ſpecies eſt. Si aliqui ex ijs vſi ſunt pleriſque teſtimonijs, quibus nos ipſi; ex eiſdem fontibus hauſerunt, qui ſanè omnibus patent. Deinde in id ſpeciatim præ alijs incubuimus, vt ex ipſis Gallicanorum Conciliorum, Patrum, Theologorum, & Hiſtoricorum ſcriptis diſſereremus longè, & latè adverſus nuperam Declarationem Gallicanam. Curavimus prætereà, iuxta ſeveras Chronologiæ & Hiſtoriæ leges, rationem reddere omnium ferè Cõciliorum, & hæreſeon intra, quę extra illa damnatarum à Sede Apoſtolica: vt ex intenta huius libri lectione obiter, & facile hauriri poſsit non levis notitia Antiquitatis, & Hiſtoriæ Eccleſiſticæ. quod certe à nullo ex ijs Auctoribus curatum fuit. Quòd ſi verò in ijs labi interdum contigerit, aut in quopiam alio, totum id non ſolùm ſubmittimus iudicio Apoſtolicæ Sedis, quam ſemper, & vbique veluti Cynoſuram, aut Helicem ſpectavimus; ſed etiam cenſuræ doctiorum quorumlibet, parati errata quælibet inducere, aut emendare.

Priuſquam verò eruditus Lector lapſus noſtros in hiſce lucubrationibus notet, nos ipſi fatemur erratum quoddam tardius deprehenſum, cùm iam prælo expreſſum fuiſſet. Nam Diſp. VIII. num. 16. allegato quodam teſtimonio Tertulliani lib. de Pudicitia, cap. 1. ad probandum ex ipſius iudicio auctoritatẽ infallibilem Romani Pontificis in pronuntiando de fide & moribus, ſubiunximus: *Et hæc quidem ille, dum Catholicus eſſet.* Idipſum ferè præſtitimus Diſp. XXIII. n. 25. Corrigendũ id eſt: nam tunc Tertullianus iam fecerat naufragium in fide: & verba illius eo loci exſcripta, non tam in gratiam Sedis Apoſtolicæ, quam in odium Zephyrini Papæ, qui veniam indulſerat fornicatoribus pœnitentia functis, prolata fuerunt. Id patet ex toto contextu eius loci. Vide infrà Diſp XXII. n. 29. 30. 31. & 32. vbi de eiſdem Zephyrino ac Tertulliano iterũ ſermo eſt, & denique Diſp. XXXIV. n. 33. vbi pariter de vtroque. Verùm eo poſtremo loco ſatis lapſum noſtrum deprehendimus, aientes Tertullianum iratum & furentem ea verba adverſus Zephyrinum Papam protuliſſe. At ex ijs ipſis cõſtat, decretum Papæ eo tempore omnibus Catholicis peremptorium fuiſſe, licèt inviſum Tertulliano iam in hæreſim lapſo. Cùm autem Catholicus eſſet, plura ſcripſit pro auctoritate Romanæ Cathedræ, tanquam certa ex traditione Apoſtolica. quæ ſparſim dedimus citata Diſp. XXIII. Hunc itaque ſcrupulũ amovere placuit in gratiam eorum, qui emunctiori naſo ſubodorãtur leviuſcula quæque errata, in rebus eruditionis Eccleſiaſticæ.

Prætereà Diſp. VIII. n. 5. poſt mediũ, ſequuti innumeros alios, diximus, auctoritatem Synodi V. Generalis nutaſſe vſque ad tempus S. Gregorij Magni, qui lib. 1. Epiſt. 24. poſtquã dixerat quatuor prima Concilia Generalia eſſe *quatuor Eccleſiæ lapides fundamentales*; ſubdit *QVINTVM QVOQVE CONCILIVM PARITER VENEROR. QVISQVIS ALITER SAPIT, ANATHEMA SIT.* Hæc, inquam, eo loco diximus: quoniam nondum didiceramus Illuſt. D. Petrum Marca inveniſſe in Regia Pariſienſi Bibliotheca, edidiſſe, & notis illuſtraſſe Epiſtolã Vigilij Papæ confirmãtis eam Synodum, quæ hactenus tot ſæculis latuerat. Eius autem authentica veritate ſtatuta, certum eſſe debet Synodum illam quoad Canones, ſive dogmata in ea definita, fuiſſe exploratæ omnino auctoritatis, ante tẽpus S. Gregorij Magni: vtpotè qui Pontifex renuntiatus fuit anno DXC, id eſt, triginta ſeptem annis poſt coactam illam Synodum. Hoc etiam præmittere placuit antequam quiſquam ex Gallis eruditioribus ſuccenſeat.

Denique ad præveniendam ipſorum criſim plus iuſto ſeveram, moneo me paſsim allegaſſe Epiſtolas Decretales Pontificum Romanorum antiquiorum Innocentio I. prout extant in omnibus Conciliorũ editionibus, potiſsimùm verò in Labbeana: idque ea bona fide, qua à cæteris ferè omnibus allegatæ fuerunt in Eccleſia, ſaltem hiſce octo ſæculis poſtremis. Neque enim id vetat quòd poſt medium ſæculi noni Hincmarus Archiep. Rhemenſis & quidam alij, quos plerique Recentiores imitantur, illas nothas cẽſuerint, & fabricatas ab Iſidoro Mercatore. Huic enim ſcrupulo ſatis occurro infrà Diſp XXXVI. n. 17. Nunc addo, quamvis Hincmarus plura egregiè ſcripſerit, in alijs pluribus lapſum fuiſſe: & de eius verſatili ingenio, ac nimio æſtu, præſertim in diſsidijs cum S Nicolao I. Papa, & diris adverſus Hincmarũ Epiſcopũ Laudunenſem, timeri iure poſſe, ne fortè auctoritatem illarum Epiſtolarũ eouſque inconcuſſam vacillare fecerit, & ſuppoſuerit Iſidoro cuidã, omnibus mortalibus ignoto, vt in ſua pervicacia maneret. Vt omittam, quãvis in ijs appareant aliquot parachroniſmi, & errata in Hiſtoria, potuiſſe facilè irrepere incuria, aut vitio exſcriptorum in tot ſæculorum curſu, quemadmodum in alijs ſcriptis indubitatis certum eſt contigiſſe. Cætera vide loco allegato. Orationibus tuis, *CATHOLICE LECTOR*, fave & fove.

FRAG.

FRAGMENTA EPISTOLARVM; ALIQVOT HIERARCHARVM, & Inſignium Virorum ad Auctorem; cùm ſingulas ferè chartas, aut quaterniones recens è prælo exeuntes accepiſſent, ac legiſſent.

Illuſt. Princeps D.D. Fr. ALPHONSVS A S. THOMA, Ordinis Prædicatorum immortale decus, Epiſcopus Malacitanus, eximio ſplendore ſanguinis, pietate, litterarum cultu, eruditione, & alijs naturæ, gratiæque decoribus inſignis, ab initio ferè editionis huius Operis iniunxit Auctori, vt ſingulos quaterniones, cùm primùm prælo ſubducerentur, ad ſe mitteret: lectos autem crebris Epiſtolis ſupra modum honoravit, quas longiſſimum eſſet hoc loci vel ſummatim indicare. Cùm vero reſciſſet, cuidã Hierarchæ viſum, vt aliquot periodi Diſputationis XI. ſect. 11. & 16. leniori ſtylo recuderentur, quò Opus ipſum gratius eſſet etiam Gallicanæ Nationi, nec vllo modo impediretur fructus, qui ex eius lectione ſperari poteſt; ita ſcripſit ad Auctorem.

alatæ Accepta Epiſtola tua, non minori æſtimatione, quàm reliquis, miror, quod in ea
nij 8. narras, deſiderari à quopiam lenitatem in parte aliqua huius Operis. Poſſum enim verè
583. teſtari, me ſingulos quaterniones perlegiſſe *de verbo ad verbum*, & mirari ſolitum, in ijs ſummam vrbanitatem ac comitatem, qua ſcribis: vt proinde ij, quibuſcum diſputas, ne in ſpeciem quidem conqueri poſſint, &c. *Deinde ſubdit propria manu*: Nihil omninò eſt in codicibus editis, quod nõ abundet vrbanitate. Et certè fortaſsis oporteret ad agẽdam cauſam Sedis Apoſtolicæ, vt omnes Scriptores ingenti acrimonia, tam in re, quàm in modo loquendi, exagitarent Theſes illas, & ipſarum Auctores. Sic enim humaniori modo ferretur, & melius reciperetur ſuperveniens cenſura Sedis Apoſtolicæ in ea dogmata, quæ à Catholicis Scriptoribus cum horrore lecta, & acriter refutata fuerint.

Epiſtolam tuam, & amoris indicia æquo affectu ſuſcipio: eſſetque mihi iucundiſſi-
nij 28. mum perfrui aſpectu, & alloquio tuo. Sed quamvis id prohibeat nimia locorum diſtantia, vbilibet tibi coniunctiſſimus ſum. Doleo iterum quòd laborem ſuſcepetis mutandi periodos illas, in quibus nihil omnino inveni, quod vllà prorſus in Gallia offenſioni eſſe poſſit. Scrupulus itaque merus eſt, & leviſſimus timor aſperrimorum temporum, quòd quispiam ſuſpicetur, Chriſtianiſſimum Regnum ægrè laturum, quod tali vrbanitate, & moderatione, immò & veneratione ſcriptum eſt.

lij 27. Iam ad me pervenerunt codices omnes, excepto Indice Alphabetico, & frontiſpicio Operis: quod ſpero communi vbique plauſu accipiendum, ceſſurumque in obſequium Eccleſiæ, & confuſionem eorum, qui Sedis Apoſtolicæ auctoritatem exagitare audent, &c.

Illuſt. D.D. IOANNES DE ISLA, Archiepiſcopus Burgenſis, Præſulum exem-
rgis 5. plar mirum, quà vitâ, quà doctrina, inſignis, ac præſtantiſſimus Theologus Academiæ
prilis. Salmanticenſis, in qua olim Collega Maioris ac Veteris Sodalitij S. Bartholomæi fuit, & Cathedrarum Scoti, ac Durandi celebris Anteceſſor: perlectis codicibus pluribus huius Operis, maximè eos probavit, & præter plura alia, quæ modeſtia iubet ſilentio premere, his verbis ad Auctorem reſcripſit die 5. Aprilis 1689. Accepi hactenus codices tui Operis adverſus Declarationem Cleri Gallicani vſque ad paginam 240. Et quamquam crebris occupationibus diſtinear, curabo illos intentè legere, quòd à tali Auctore prodierint. *Poſtea verò ijs perlectis, ſcripſit propria manu*: Magnæ mihi fuerunt æſtimationi codices hi, quos pari ac ſolita eruditione ſcripſiſti in obſequium Eccleſiæ. Non ſine ingenti gaudio meo illos lego, &c.

Similia ferè ad Auctorem ſcripſerunt, aut viſa parte aliqua, aut etiam potiore huius Operis, alij Illuſtriſſimi Antiſtites, multis nominibus venerandi, nimirũ, *D.D. AMBROSIVS IGNATIVS DE SPINVLA, ET GVZMAN*, Archiep. Hiſpalenſis: *D.D. ANTONIVS ALPHONSVS DE SAN MARTIN*, Epiſcopus Conchenſis: *D.D. SEBASTIANVS CATALAN*, Epiſcopus Civitatenſis: *D.D. IOANNES MARIN DE RODEZNO*, Epiſcopus Pacis Iuliæ.

Præterea clariſſimus Vir, ac nobiliſſimus *D. D. FRANCISCVS ARANDO ET MAZVELO*, olim Sodalis Collegij Maioris S. Bartholomæi, & in Academia Salmanticenſi Theologiæ Doctor, ac Cathedræ Philoſophiæ Naturalis perpetuus Anteceſſor, celebris Concionator Catholicorum Regum PHILIPPI IV. & CAROLI II. Magnæ Eccleſiæ Toletanæ Hiſpaniarum Primatis viginti iam annis Canonicus Magiſtralis, & tandem Archidiaconus, recuſatis ampliſſimis Epiſcopatibus, quàm obtentis, clarior: ab Auctore petijt, vt ſingulos codices, vbi primùm è prælo exirent, ad ſe mitteret. Miſſos autem, & perlectos vſque ad Indicem Alphabeticum, ijs elogijs proſequutus eſt in crebris Epiſtolis, quę modeſtia vetat ad litteram exſcribere.

Simi-

Similiter Clariſs. Vir D. D. IOANNES ANTONIVS DE OTALORA ET GVEVARA, Iacobæus Eques, Collega olim S. Bartholomæi, Pontificij Iuris Anteceſſor in Academia Salmanticenſi, Auditor Sacræ Rotæ, Præſes Granatenſis, ac Supremi Senatus Caſtellæ Conſiliarius, ſpectatiſsimæ pietatis, integritatis, & doctrinæ, qui communi omnium planctu, & inſigni opinione pudoris illibati in tanta opulentia, atque innoxiæ vitæ in aſsidua mole tot gravium negotiorum, diem extremum egit Matriti exeunte Iulio huius anni 1683. omnes codices, quam primùm prælo exprimebantur, recepit, ac perlegit vſque ad initium menſis eiuſdem, in quo correptus fuit morbo lethifero. Ex plurimis autem Epiſtolis ipſius, aliquarum dumtaxat fragmenta hoc loco exhibentur.

Cúm primùm accepi codices tuos adverſus Declarationem Gallicanam editos pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ, eos legere cœpi. & quamvis nondum integrè perlegerim, invenio Opus digniſsimum inſigni opinione tui Auctoris, & conſentaneum brevitati, comprehenſioni, ac claritati Italis exoptatæ. Porro exemplaria ad me miſſa, & mittenda nemini palam erunt: tum ob rationes à te indicatas, tum præterea, quòd mihi moris ſit eiuſmodi lucubrationes ſcrinijs committere. Matriti 6. Februarij 1683.

Accepi quaternionem decurrentem à pag. 177. vſque ad 193. quem iam antè miſſeras. Si opus fuerit, remittam. Quæris quid ſentiam de doctrina & ſtylo Diſputationis vndecimæ. Cenſeo ſcriptam egregio ſpiritu, eloquentia, ac vivida repræſentatione Gallicanarum rerum, earum præſertim, quæ conſilio Miniſtrorum, & Aulicorum geruntur. Non dubito vtcumque reſponſuros, præſertim cùm felicitas ipſorum potentiam augeat. Sed nec ambigo, Pontificem curaturum Eccleſiæ libertatem. Nec enim aliud remedium apparet, quàm quòd ille Apoſtolico zelo, & libertate, quibus eminet, ea præſidia adhibeat, quę opportuna viderit. Novi ſatis genium ipſius, neſcium facile ab incepto deſiſtere. 16. Martij 1683.

Quanto par eſt affectu & ęſtimatione accepi quaterniones hactenus editos, niſi quòd adhuc deſit qui decurrit à pag. 224. vſque ad 241. Cumque quodlibet opus tuũ tanti apud me ſit, audeo exigere vt mittas. Quòd lucubrationes ipſæ exhibeantur Eminentiſsimo D. Cardinali Millino, oportet ſane, cùm primum Tractatui huic priori coronidem imponas. Ex illo & duobus ſequentibus integrè occurſum erit Gallis pro auctoritate infallibili, & ſuprema Apoſtolicæ Sedis, niſi pertinaciter veritati, & rationi contradicere velint. Erit profectò ingẽs tibi gloria extorquere ab ijs, quod nequivit Magnus Cardinalis Bellarminus, qui adeò ſtrenue in eiſdem controverſijs laboravit. Nec dubito fore tibi novum cum Adverſarijs certamen. Reponent enim ſtatim plura altero volumine in oppoſitum edito. Verùm id in decus tuũ cedet: præſertim cum ex ijs quæ obſervaſti, & ſcripſiſti, arma ſuppetant, quibus doctrinam tuam iterum confirmare, & vindicare poſsis. 21. Aprilis 1683.

Gaudeo quòd Hierarchæ illi fecerit ſatis moderatio à te adhibita in quibuſdam periodis: quę ſanè indulgeri potuit ob malignitatem aſperrimorum temporum, & delicata quorundam ingenia. Non enim ex occaſione ſibi data, ſed quæſita, cavillantur, & expoſtulant. Olim exhortationes, etiam aculeatæ, à ſacris hominibus, & ſcriptoribus profectę, Principibus quibuſque venerationi erant. Nunc potiora huius ſęculi ſcripta frequenti vſui morem gerunt, & in eius gratiam ſe impendunt. Alioqui periculum ijs imminet, & Auctori. Exopto videre tandem perfectum Opus hoc tuum. Certum enim mihi eſt, ceſſurum in inſignem exiſtimationem Auctoris: tum propter maieſtatem argumenti, tùm ob eruditionem qua conſtat. Vale pro merito tuo, & deſiderio meo. 19. Iunij 1683.

Mittimus aliorum Virorum inſignium, tum Romæ, tum Salmanticæ, tum alijs locis commorantium, iudicia, & teſtimonia: quibus ij, viſa parte harum lucubrationum, Auctori animos addiderunt ad perficiendum Opus. Id autem nullatenus omitendum, autographa ipſa Epiſtolarum Illuſt. D. Epiſcopi Malacenſis, & D. Otaloræ, propria vtriuſque manu exarata, fuiſſe exhibita Clariſs. Viro D. D. Gregorio Perez Dardon olim Collegij Maioris Conchenſis Sodali, & Cæſarei Iuris Anteceſſori Salmanticenſi, ac poſt alia ampliſsima munera, Fiſci Regij partes agenti in Supremo Caſtellæ Senatu: vt palam eſſet Illuſtriſsimis DD. Conſiliarijs, Auctori non ſatis viſum exponere Opus hoc cenſuris frequentibus Religionis, Ordinarij & Regij Senatus, atque ab ijs approbationes obtinuiſſe (quas poſtea ad litteram exhibebimus) niſi & præterea illud ſubmitteret examini, & iudicio Virorum primæ & ſummæ notę in Hiſpania, antequam editio perficeretur.

APPROBATIO CENSORVM RELIGIONIS DOctorum & Profeſſorum Theologiæ in Academia Salmanticenſi.

IVSSV Reverendiſs. P.N. Magiſtri Fr. IOSEHI DE ZAñARTV Generalis Congregationis S. BENEDICTI Hiſpaniarum, in hac Salmanticenſi Academia Profeſſoris Laureati, & Diœceſeos Toletanæ Examinatoris Synodalis, legimus Tomum hunc inſcriptum, DEFENSIO CATHEDRÆ S. PETRI, Auctore R.A.P. Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre, pluribus alijs Operibus in lucem editis vbique Scholarum noto: cui non dubitamus celebritatem additurum fœtum hunc, & eò maiorem, quò breviori tempore conceptus & in lucem editus, ob ſelectam eruditionem, gravitatem, & varietatem rerum pulcherrimam, non tam indicat paucorum menſium laborem, quàm plurium annorum vigilias. Nihil in eo apparet, in quo fidei Catholicæ integritatē, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem infallibilem & ſupremam, doctrinamque à priſcis ſæculis vſque modò receptam & traditam à Concilijs, Patribus, Academijs & Doctoribus Catholicis, non tueatur, & vindicet: nihil denique, quod vel ipſis Adverſarijs, quibuſcum diſſerit, offenſioni eſſe iure poſsit. Ea, nimirum, eſt comitas, & modeſtia Auctoris, etiam vbi in quæſtionibus graviſsimis & invidioſis verſatur. Quare cenſemus digniſsimum Opus luce publica, eorum præſertim, quibus Antiquitas, & eruditio Eccleſiaſtica cordi eſt. Salmanticę die 10. Novembris, anno Reparatæ ſalutis M.DC.LXXXII.

Magiſter Fr. Ioſephus Perez,
Abbas S. Vincentij, Artium & Theologiæ Doctor, & Linguæ Sacræ Perpetuus Anteceſſor.

Magiſter Fr. Didacus Vaſſantas
Theologiæ Doctor, Cathedrę Phyſicorum Anteceſſor, Præfectus Studiorum, & Ex definitor Ordinis.

Magiſter Fr. Emmanuel Zarate;
Doctor & Profeſſor Theologiæ;

Magiſter Fr. Ennecus Royo;
Doctor & Profeſſor Theologię, ac Philoſophiæ Cathedræ Anteceſſor.

M. Fr. Emmanuel Quiros;
Theologiæ Lector.

M. Fr. Ioſephus Romero;
Theologię Lector.

NOS Magiſter Fr. IOSEPHVS ZAñARTV, Generalis Congregationis S. BENEDICTI Hiſpaniarum & Angliæ, in Salmanticenſi Academia Doctor, ac Profeſſor Theologiæ, Archiepiſcopatus Toletani Examinator Synodalis: Opus hoc ſcriptum, DEFENSIO CATHEDRÆ S.PETRI, Auctore *R.A.P. Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre, &c.* iuſu noſtro examinatum & probatum a gravibus & Doctis Theologis Collegij S.VINCENTII Salmanticenſis, in lucem edi libenter annuimus. In Monaſterio S. Zoili Carrionenſis, die 21. Novembris, 1682.

Magiſter Fr. Ioſephus Zañartu,
Generalis S. BENEDICTI.

Iuſſu Reverendiſs. P.N. Generalis,
M. Fr. Didacus Ruiz,
Secretarius Religionis.

CEN-

CENSVRA RR. P. M. Fr. IOSEPHI GONZALEZ, Salmanticenſis Academiæ Cathedræ Sacræ Scripturæ publici Profeſſoris, Supremæ Inquiſitoris Hiſpaniarum Cenſoris, & à Secretioribus Conſilijs, Catholicæ Maieſtatis Theologi in Regio Conſeſſu Immaculatæ Conceptionis, Archiepiſcopatus Toletani Examinatoris Synodalis, Veræ-Crucis Collegij Regentis, Caſtellanæ Provinciæ Exprovincialis modò Definitoris Generalis, ac Socij Reverendiſsimi P. Generalis, Regalis Ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede.

IVSSV Illuſtriſs & Reverendiſs. Domini D.Fr. PETRI DE SALAZAR Epiſcopi Salmantini, Regij Conſiliarij, Catholicæ Maieſtatis PHILIPPI IV. & CAROLI II. Concionatoris, &c. Vidi, ſeduloque perlegi ſelectiſsimam Defenſionem Cathedræ S. PETRI, elaboratam à Sapientiſsimo, & Reverendiſsimo P. Magiſtro F. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE, Viro vbique notiſſimo, ob præclara volumina Philoſophica, & Theologica, vberi ſtudioſorum profectu in lucem edita, quibus vectigalem ſibi fecit vtramque diſciplinam: in cuius lectione mirum in modum delectatus ſum quippe in hoc Opere collucet Auctor acer ingenio, Eccleſiaſticæ eruditionis peritiſsimus, in quæſtionibus diſſolvendis acutus, in renunciandis erroribus circumſpectus, in explicandis Scripturis cautus, omniſque doctrinæ locuples: ineſt enim ei (vt verbis Ruperti lib. 4. in Matthæum vtar:) *Omnis armatura fortium, vt qui inter Adverſarios pro fide decertant, recurrere ſciant ad hoc propugnaculum, in eoque communiantur, de eoque ſumptis armis habeant vnde animam, pro qua illis eſt res, defendere poſsint.* Summa etenim claritate, miroque ordine comprehendit quæ ad propugnandam Romani Antiſtitis poteſtatem, tum ad decernendas controverſias circa fidem ortas extra Concilium, & ſupra ipſum præſtantiam, tum ad Canones condendos, vel opportunè abrogandos, tum ad Regum depoſitionem, ſubditoſque à vinculo fidelitatis abſolvendos, ſi ad fidem, bonoſque mores tuendos fuerit conſentaneum à tempore Apoſtolorum, ad preſens vſque ſæculum Concilia, & Patres, Doctoreſque vniverſi docuere. Quippe in hoc volumine coniuncta intuetur Lector, quæ ſumma ſolicitudine, pluribus annis aſſequi haud valeret: adeò feliciter pugnat, ſic dexterè revincit novellas aſſertiones Illuſtriſs. Cleri Gallicani, vtì planè adverſas priſcis Patribus eiuſdem clariſsimæ Gentis, dum ſine livore poteſtatem Pontificis Maximi reverebantur, vt ſi adhuc nulla Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum documenta ſuppeterent, hac ſola contorſione clariſsimè oſtenderetur. *Illa eſt enim* (ait Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes cap. 14.) *vera, & ſine contradictione probatio, quæ etiam Adverſarij ipſi ſingula teſtificationis proferunt, in ipſa quidem manifeſta ſua viſione convictis de præſenti negotio, & teſtificantibus, & ſignificantibus, poſtea verò ad inimicitiam erumpentibus, & accuſantibus, & volentibus non eſſe verum ſuum teſtimonium.* Sanè mirandum, vel potiùs deflendum eſt, Viros probitate conſpicuos, dignitate ſacros, ſapientia præſtantiſsimos, Catholicæ fidei validiſsimos pugiles, eam infallibilitatem non agnoſcere in Pontifice Summo, quam Eccleſiæ hoſtes, & perduelles palam faſsi ſunt. Pelagius libellum ſuæ fidei Romam miſsit ad Innocentium, & Zoſimum Pontifices, referente Auguſtino tom. 7. lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 2. Cœleſtius, alter Pelagius, Innocentij litteris non eſt auſus obſiſtere: *Immò ſe, omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſsit*, teſte eodem Auguſtino lib. 1. de Peccato Originali cap. 7. Conſtantius apud Theodoretum in Hiſtoria Eccleſiaſtica cap. 16. ſatagebat, Concilium illud, in quo damnatus fuerat Athanaſius, à Liberio Papa confirmari (quod pariter retulit Ethnicus Ammianus Marcellinus) Petrus Abailardus, apud Parentem Bernardum Epiſtola 100. ad Apoſtolicam Sedem appellavit: Vvaldenſes eandem exorarunt pro confirmanda ſecta, quam profitebantur, apud Emilium de Geſtis Francorum: & ne multis immorer, Vvicleff, vt teſtatur Ioannes Foxus lib. 1. Commentariorum apud Sanderum lib. 5. de viſibili Monarchia Eccleſiæ, hæc ad Vrbanum VI. ſcripſit: *Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici: quia ſuppono quòd ſi ſit orthodoxa, ipſe fidem meam humiliter confirmabit; & ſi erronea, emendabit.* Plura alia videri

poſſunt

poſſunt apud Hoſium in Confeſsione Catholica, cap.28. Prodeat igitur Opus multiplici eru-ditione refertum, & ad confutandas aſſertiones Cathedræ Apoſtolicæ adverſas, fideique pro-pugnationem, omnibus vtiliſsimum. Eo enim Apoſtolica auctoritas mirè permunitur, & noſtræ Salmanticenſis Academiæ Solio Petri ſummè devinctæ doctrina, cunctis Profeſſoribus ore, & calamo communis, quamque iam diu ex noſtratibus communivit ſapientiſsimus Magiſter Zu-mel, aureo illo Opuſculo contra Venetos edito, novo hoc fulcimento ſubſiſtat, & efferatur: nihil enim in eo, vel moribus diſſentaneum, vel Patribus & Concilijs diſſonum deprehendi-tur. Sic ſentio Salmanticæ in hoc Collegio Veræ-Crucis Regalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum die 3. Decembris anno 1682.

M. Fr. Ioſephus Gonzalez.

LICENTIA ILLVSTRISS. D. EPISCOPI Salmanticenſis.

NOS D. Fr. PETRVS DE SALAZAR, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Salmanticenſis, Regiuſque Conſiliarius, &c. Cùm ex præſcripto noſtro Reverendiſsimus Pater Magiſter Fr. Ioſeph Gonçalez, Ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede, & in Salmanticenſi Academia Cathedræ Sacræ Scripturæ publicus Profeſſor, perlegerit librum, cui titulus, *Defenſio Cathedræ S. PETRI, eiuſque Succeſſorum Roman. Pontific. adverſus theſes quorundam nuper editas in Gallia, & Belgio*, Auctore Reverendiſsimo Patre Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino, eiuſdem Salmanticenſis Academiæ Cathedræ Philoſophiæ Moralis publico Profeſſore, &c. ac dignum luce publica invenerit, neque quidquam in eo deprehenderit, quod Orthodoxæ fidei, aut probatis moribus diſſentiat; libenter annuimus vt typis procudatur. Auſpicamur enim Opus ita pium, copioſum, orthodoxum, eruditum ac ſolidum, magnopere profuturum publicæ diſciplinæ, Vniverſaliſque Eccleſiæ tranquillitati. *Contra rationem enim*, ait Parens Auguſtinus, *nemo ſobrius, contra Scripturam nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus.* (Auguſti. lib. 4. de Trinit. cap. 6.) In cuius gratiam præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo munitas, & à noſtro Secretario ſignatas dedimus, Salmanticæ die 5. Decembris, anno Domini 1682.

Fr. PETRVS Epiſcopus Salmantinus.

Mandato Domini mei Epiſcopi,

D. Marcus à Campo & Venea,
Secretarius.

CEN-

REVERENDISS. P. M. Fr. MICHAELIS DE FVENTES,

Ciſtercienſis Congregationis Hiſpaniæ olim Generalis, iam diu in Salmanticenſi Academia Primarij Anteceſſoris Theologiæ, & ſæpe à Supremo Senatu Regiæ Cameræ ad ſacras Epiſcopatuum Hiſpaniæ Inſulas deputati, Cenſura ex præſcripto Summi Caſtellæ Prætoris.

IVSSV Supremi Senatus Regij magna animi voluptate legi, & perlegi Opus ſanè his temporibus opportunum, & vtile, ne dicam etiam neceſſarium, quo Reverendiſsimus Pater Magiſter Fr. Ioſephus Saenz de Aguirre, ſatis notus, & celebris multis alijs ſcriptis evulgatis, & in hac noſtra Academia, poſt alias plures Theologiæ Cathedras, Doctrinæ Moralis Perpetuus Anteceſſor, egregiè pugnat pro Catholica veritate Auctoritatis infallibilis, & Poteſtatis ſupremæ Cathedræ S. PETRI, ſive Summi Pontificis: quam omnes divina fide certam credimus: ſed noviſsimè eam negare auſi ſunt aliqui, quos refert, & refellit nervosè, & eruditè, ne ſilentium videatur conſenſio, aut conniventia. Vnde quamvis iam alij eandem veritatem copiosè pridem propugnaſſent, nullus ita directè, atque in particulari contra iſtos Recentiores: quos non ſolùm ex ipſis Conciliorum fere omnium, & Epiſtolarum Decretalium fontibus, multiplicique obſervatione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ refellit: ſed etiam argumentis ad hominem, vt aiunt, vrget, & perſequitur ex eorum verbis, atque ex manifeſtis aliorum teſtimonijs, non ſolùm Patrum Antiquorum, verùm etiam Auctorum Recentiorum Eccleſiæ ipſius Gallicanæ. Solùm addo quòd circa id obſervat Cardinalis Baronius tom. 12. ad annum 1148. & ex illo etiam noſter Illuſtriſsimus Angelus Manrique tom. 2. Annalium Ciſtercienſium eodem anno cap. 2. & 3. videlicet Eugenium Tertium, ex noſtra etiam Familia, Rhemis in Gallia Concilium celebraſſe Generale; in quo etſi fuiſſet diſputatum de erroribus Gilberti, aut Giliberti Porretani, Epiſcopi Pictavienſis, circa myſterium Trinitatis, atque Incarnationis, Antagoniſta contra ipſum exiſtente Bernardo Patre; non tamen voluit Summus Pontifex intra Concilium eos condemnare, ſed dimiſſo Concilio, quaſi illo non egeret ad definiendas veritates fidei. *His abſolutis* (inquit Baronius) *introducta eſt in Concilium Gilberti Epiſcopi Pictavienſis cauſa, in qua idem Gilbertus expertus eſt, S. Bernardum vehementiſsimum contradictorem. Qui cùm adeo perſtringeret illum, vt omnino convinceret ipſum hæreticum; Eugenius Papa conſulens tanti Epiſcopi famæ, id ſeorſum poſt dimiſſum Concilium faciendum duxit.* Rurſus: prædictus Papa Eugenius, atque in eodemmet Concilio, cùm vidiſſet Eccleſiam Gallicanam cum Patente Bernardo, Symbolum ei tradidiſſe, quo ſuam fidem profitebatur circa dogmata illa Gilberti Porretani, & Cardinales etiam valdè eſſe commotos ob huiuſmodi factum, imò contra ipſum Papam, quia permiſiſſet, cùm definire ſolùm ad Romanum Pontificem ſpectet: *Abbate* (nempe Patre Bernardo) *ad ſe vocato, de hoc facto, qualitateve facti, ſolerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reverentia reſpondit, ſe, vel Dominos Epiſcopos Eccleſiæ Gallicanæ, nihil de præfatis Capitulis definiſſe; ſed quia ab Epiſcopo Pictaviano audierat, vt fides ſua ſcriberetur, idcirco quia ſolus nollet illorū auctoritate, ac teſtimonio, ſimpliciter ſe, quod ſentiret, expoſuiſſe. Hocque tam humili, quam modeſto ipſius reſponſo, prædicta Cardinalium indignatio conquievit.* Ita refert Baronius, & noſter etiam Hiſtoriographus vbi ſuprà ex Othone Friſingenſi, illius temporis Auctore. Ex quibus conſtat, nec hodie Eccleſiam Gallicanā habere aliam maiorem auctoritatem, ſive libertatem, quàm proponendi tantùm cum humilitate id quod ſentit; & poſteà teneri obedire Decretis & credere Definitionibus Summi Pontificis, quamvis extra Concilium. Denique pro eadem veritate additur etiam aliud teſtimonium eiuſdemmet Eugenij Tertij in Canonizatione S. Henrici, quæ habetur tom. 1. Bullarij Magni, vbi inter alia §. 1. hæc habet: *Tametſi huiuſmodi petitio, niſi in Generalibus Concilijs admitti non ſoleat; auctoritate tamen S. Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, ad eam Canonizationem, &c.* Quæ verba cùm referret etiam P. Arriaga 2.2. in tract. de Fide diſp. 9. ſect. 4. num. 23. notat benè, duo à Pontifice doceri in illis. Primum, Concilia non habere firmitatem, niſi quam accipiunt à Pontifice Romano: vnde infertur, definitiones illorum ante approbatio-

nem

nem Pontificis non eſſe de fide. Secundum: ipſum Pontificem ibidem ſentire eam auctoritatem, quæ Concilijs dat firmitatem, poſſe extra Concilia totam ſuam firmitatem habere. Vnde intulit, ſe etiam extra Concilium poſſe ad Canonizationem procedere: quod deinceps iam omnes Pontifices ſequuntur. Hæc ſolùm addidi, non vt robur adijciam, ſed quia delibata ex Pontifice Romano Ciſtercienſi, & cui Pater Bernardus aſsidebat. Præclarum ergo, atque eximium hoc Opus Reverendiſsimi Patris Magiſtri Fr. Ioſephi Saenz de Aguirre, nedum digniſsimum exiſtimo, quod in lucem prodeat, ſed ſummoperè etiã experendum ab omnibus Catholicis. Datum Salmanticæ in hoc Collegio Parentis Bernardi die 28. Decembris, anno 1683.

M. Fr. Michael de Fuentes.

NOVA CENSVRA RR. P. M. Fr. HYACINTHI DE PARRA, Ordinis Prædicatorum Magiſtri in Provincia Hiſpaniæ, Supremæ Inquiſitionis Cenſoris, & Scriptoris celebris,

EX PRAESCRIPTO ALIO REGII SENATVS:

IVSSV Regij & Supremi Hiſpaniarum Senatûs, vidi & perlegi Opus inſcriptũ, *DEFENSIO CATHEDRAE S. PETRI, &c.* Auctore Reverendiſs. P. Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre, Benedictino, in Salmant. Academia, poſt plures alias Theologiæ Cathedras, Primario Morum Anteceſſore, & Supremæ Inquiſitionis Cenſore à Secretioribus Conſilijs. Vidi, inquam, & perlegi, poſtquã editum prælo fuerat aliquot retrò menſibus, & probatum, non modò à Cenſoribus graviſsimis, quibus id muneris deputatum fuit, ſed etiam à Hierarchis, Conſiliarijs, Viriſque alijs primæ, ac ſummæ notæ, quibus nemo non aſſurgit. Probaverant ij, & ſummis laudibus commendàrant Opus, veluti cedro, & immortalitate dignum. Sed tamẽ cùm invidioſæ, & periculoſæ admodum ſint quæſtiones, quas in Declaratione ſua excitârunt Illuſtriſsimi Galliæ Præſules, Scriptoreſque, quibuſcum Auctor diſſerit; idem Regius Senatus novo examini ſubiecit Opus ipſum, veritus ne fortè aliquid Auctori excidiſſet, quod iure ad incudem, & limam revocandum eſſet. Verùm toto illo evoluto, nihil inveni non dignum luce publica: nihil non reſpondens publicæ expectationi: immò nihil non ſupergreſſum commune deſiderium Chriſtiani Orbis, vt Declarationi Gallicanæ pro dignitate argumenti occurreretur. Nimirum diſſertiſsimus Scriptor videtur totius Chriſtianæ Antiquitatis monumenta, Conciliorum Acta, Pontificum Romanorum Reſponſa, Canonici Iuris decreta, Patrum ſcita, Hiſtoricorum teſtimonia, Sæculorum denique eventus varios, præſertim apud Galliam, præ manibus, aut ob oculos habuiſſe quaſi ad nutum: vt auctoritatem Cathedræ S. Petri ſummam, & infallibilem extra, & ſupra Concilia, atque in totam Eccleſiam, & omnes Chriſtianos Principes, inexpugnabilibus fundamentis aſſereret. Oportuit itaque, eximium & verè aureum Opus, plurium ſolito Cenſorum examen ſubire: vt ad ignem, obruſſamque, diu ac multùm examinatum, totidem in ijs Panegyriſtas haberet: qui vnò conſenſu vaticinarentur ipſi immortalẽ gloriam, & communem admirationem, nullis temporum metis coercendam. Ego quidem ex animi ſententia ita cenſeo, & Auctorem digniſsimum celebri vbique Scholarum nomine, quod ſibi peperit inſignibus ſcriptis, antea editis, præſertim Commentariorum in Theologiam S. Anſelmi: quem nova luce, & exquiſita eruditione, ingentique ſacræ diſciplinæ fœnore, iam pridem in vſum & mediam lucem Academiarum Chriſtiani Orbis invexit. Sed enim celebriorem adhuc reddent hæ lucubrationes eruditiſsimæ, & eò mirabiliores, quò breviori temporis ſpatio conceptæ, & editæ. Prodeant itaque in Eccleſiæ vtilitatem, & Hiſpaniæ decus. Matriti in Collegio S. THOMÆ die 4. Novembris 1683.

Fr. Hyacinthus de Parra, Magiſter.

IN-

RELATIO AD SVPREMVM AC REGIVM CASTELLÆ SENATVM, MISSA DIE 9. Novembris à Reverendiſſ. & doctiſſ. R. M. Fr. Hyacintho de Parra, Ordinis Prædicatorũ Magiſtro iam pridem in Provincia Hiſpaniæ, & antea Definitore, Supremæ Inquiſitionis Cenſore & à Secretioribus Conſilijs, Examinatore Synodali Archidiœceſeos Toletanæ, & Theologo pariter atque Examinatore Apoſtolicæ Nunciaturæ in Regnis Hiſpaniæ;

IN EODEM PLENO SENATV AVDITA, ET PROBATA XIII. NOVEMBRIS.

VT Pareram iuſsis Celſitudinis Veſtræ, eâ ſolertiâ, & intentâ curâ, quâ par eſt tam ſublimi auctoritati obtemperare, evolvi integrè librum, cui epigrapha: *Auctoritas infallibilis & ſumma Cathedræ S. Petri extra & ſupra Concilia quælibet, atque in totam Eccleſiam:* Auctore R. P. M. Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre, Benedictino, &c. Cumque argumentum, in quo verſatur, ſit tam arduum & controverſum à viris ſapientiâ & dignitate præcellentibus in Orbe Chriſtiano; Auctor ipſe ſelectâ eruditione, & varietate rerum, omnes numeros tanti operis implet, publicæque expectationi facit ſatis, non in ſubſtantia ſolùm, vt aiunt, ſed in technica methodo, & modo diſſerendi.

Porrò ſubſtantia ſita eſt in ſolidiſsimis fundamentis, quę duobus principijs inexpugnabilibus nituntur: auctoritatum, ſcilicet, inconcuſſarum, & rationum ineluctabiliũ. In quo planè ſequitur Doctorũ Aquilam Auguſtinum lib. 2. de Ordine cap. 9. aientem: *Duplex omnino eſt via, quam ſequimur, cùm rerũ nos obſcuritas movet: aut rationem, aut certè auctoritatem.* Quod ipſum ferè tradiderat lib. 3. contra Academicos cap. 20. lib. de Vera Religione cap. 24. lib. 11. contra Fauſtum cap. 5. & alibi ſæpe, ſuffragiũ ferente eidem doctrinę D. Thomâ Quodlibeto 4. art. 12. poſt Claudianum Mamercum lib. 1. de Statu Animæ cap. 1. Anaſtaſium Sinaitam in libro cui titulus, *Viæ dux*, cap. 1. & Ferrandum Diaconum lib. de Pædagogio cap. 5. quibus communiter Theologi adſtipulantur.

Admirationi eſt copia auctoritatum citatarum ex Concilijs Oecumenicis, & Provincialibus; itémque ex Decretis Apoſtolicis, & ſententijs SS. Patrum, quibus Auctor confirmat & vindicat ſupremam auctoritatem, & certitudinem irreformabilem, quia Pontifex Romanus abſque vlla dependentia à Concilijs definire poteſt quæſtiones de rebus fidei, & damnare hæreticos, ac declarare ius naturale & divinum poſitivum, verſantia in dirigendis actionibus humanis. Sed & adhuc mirabilius eſt, quòd præcipua teſtimonia, quibus in eũ ſcopum vtitur, deſumpta ſint ex Concilijs, tum Generalibus, tũ Nationalibus in Gallia celebratis; ex Reſcriptis Pontificum Romanorum, quibus reſpondent ad Conſultationes Epiſcoporum eiuſdẽ Regni; ex dictis Sanctorum eiuſdem Nationis, aut Doctorum Pariſienſium veterum recentiorumque, qui lauream apud Sorbonam accepere, aut intra eius ſinum numerantur; ac tandem ex Epiſtolis Cleri Gallicani, ſex retro luſtris ad Innocentium X. Pont. Max. ſcriptis: quibus profitebantur, & teſtatam habuère ſupremam auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, Concilijs ſublimiorem, & ab iis independentem; iudiciúmque infallibile & irreformabile in materia fidei & morum. Et hæc quidem præſtat ea comprehenſione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Epiſtolarum Decretalium, Conciliorum, & Patrum à tempore naſcentis Eccleſiæ vſque modò, vt non appareat poſsibile totius antractæ vitæ tẽpus ſat ſpatij aut otij conceſsiſſe vigilantiæ ipſius infatigabili, ad tot rerũ exquiſitarũ notitiã paradã.

Sed enim quas non difficultates vincat indefeſſum ſtudium, & infatigabilis diſcendi ardor! *Labor improbus omnia vincit.* Quos non conatus perficiat ingenium felix, memoria fida, facilitas in penetrando recondito Scriptorum ſenſu, promptitudo in percipiendo, tenacitas in conſervando, iudicium maturum in deligendo ac diſcernendo inter ea, quæ alicuius aut nullius pretij ſunt? Sic, nimirum, docti, quæ apud ſe recepêre ex vſu, conſequuntur; quoniam in pectus ſuum transferre ſciunt integras Bibliothecas, etiam inſtructiſsimas, quemadmodum in Nepotiano obſervavit Hieronymus, dum in eius Epitaphio dixit: *Continua lectione, & diuturna meditatione, pectus ſuum Bibliothecam fecerat Chriſti.* Sic nimirum cum admiratione omniũ in vno volumine proferri poteſt quidquid ſelectioris litteraturæ abſconditur in pluribus libris, & celebribus Auctoribus, qui Bibliothecas exornant. Sic & Plinium Muretus laudat, dum inquit: *Vnum opus ipſius inſtar ingentis Bibliothecæ videri poteſt.* Et hoc ipſum exequitur Auctor libri huius, dum exquiſita eruditione ad ſingulariſsimam Lectorum vtilitatem, veluti in imagine aut tabula Geographica, ob oculos ſiſtit viris doctis quidquid ſelectum delitèſcit in Iure Canonico, Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Scriptura ſacra, ad comprobandum iudicium irreformabile Apoſtolicę Sedis. *Nam ſimul diverſa compilando* (vt vtar verbis Hugonis Victorini lib. 3. Didaſc.) *quaſi de multis coloribus & formis vnam picturam fecit.* Sive, vt eſt apud Caſſiodorũ lib. 1. Divin. Inſtit. c. 1. *quædam fruſta diſertiſsimorum virorum in vno veſtimento contexuit, vt membratim poſſet adunata collectione cognoſci, quod ſub vno corpore nequaquam potuit inveniri.*

Præterea Auctor in hoc Opere ita profert innumera teſtimonia in illud roborandum, vt nulli eorum vim inferat; ſed veluti ſponte ſua accurriſſe videantur; nec accerſita fuiſſe ad inanem & importunam affectationẽ; ſed è re nata deſerviſſe, ſeque inſinuaſſe in materiam ipſam, de qua agit. Vnde & probationes inde ductę conſtant nervis & robore, nec patiuntur exceptionem illarum, quas notat præclarus Vir Hildebertus Cenomanenſis Epiſt. 4. dum ait: *Fruſtra lex adducitur, quæ ad vrgentis cauſæ deciſionem minimè ſuffragatur.* Ideoque Princeps eloquentiæ Romanæ lib. 4. ad Herennium præſcribit: *Oportet teſtimonium cum re convenire: aliter non poteſt confirmare.* Non ſunt impedimento allegationes, quamvis plures, vbi ſunt è re cõtroverſiæ, præſertim in rebus Theologicis. Etenim in iis primas obtinet auctoritas Scripturæ, Conciliorum, & Patrum: eſtque inſtar nervi aut compaginis, quâ colligatur & viget corpus diſputationum.

Ve-

Verùm cuius auctoritatis pondus non conatur eludere, qui ſophiſmatis & cavillis deditì ſunt? Hiſce præcludendis idonea & efficax eſt ratio Theologica, ad ſeveram methodum differendi exacta: eſtque veluti antemurale, quod incurſiones hoſtium prævenit, & militari arte inſidias propulſat, dum aggeres teſtimoniorum inſtruit & diſponit, vt inexpugnabiles ſint. Hoc ipſum in preſenti cernere eſt: vbi argumenta ex Scriptura, Concilijs, & Patribus eruta, & iuxta Dialecticæ ac Theologiæ canones inſtructa, præcludũt evaſiones quaſlibet, ſive effugia Adverſariorum. inſuper & integritatem teſtimoniorum in germano ſenſu ſartam tectam curant, vrgentque, vt extorqueant aſſenſum, atque obſequium mentis in doctrinam revelatam. Nimirum hìc locum habet illud Caſiodori in Præfatione ad Pſalmum 15. *Ratio per ſingulas ſententias decurrit: pulchra nimis, & abſoluta probatio.* Et certè licèt auctoritates legitimæ ſint magni ponderis ad probandum, adhuc non videntur decorem, vitam, aut vigorem habere ad debellandum ſubtilia & intrepida quorundam ingenia, niſi ratio inſtructa argumentis ſub formula ſyllogiſmorum & enthymematum compellat ad ſanum eorum intellectum: nec fulget ſubtilitas mentium vbi ex hoplotheca memoriæ ſolùm decertatur armis mutuatis, & propria ingenij vacant. Huc ſpectat quod Lactantius lib. 2. Div. Inſtit. cap. 7. memorat ex Cicerone lib. 3. de Natura Deorum, vbi quidam interlocutorum ita Balbum affatur: *Habes Balbe, quid Cotta, quid Pontifex ſentiat. Fac nunc ego intelligam quid tu ſentias. A te enim Philoſopho rationem Religionis accipere debeo. Maioribus enim noſtris, etiam nulla ratione reddita, rationis eſt credere.*

Porrò in hoc volumine non eſt diſputatio cum illiterato aliquo cœtu, aut plebeijs mentibus ſed cum Illuſtriſſ. Clero Gallicano, Viris eximiè doctis conſtante. Quare oportuit lucubrationes ipſas firmarum auctoritatum, & ſolidarum imprimis rationum præſidijs muniri. *Quamuis enim* (inquit Auguſtinus lib. 2. de Ordine cap. 9.) *bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur eſſe ſalubrior; ratio verò aptior eruditis.* Vtque omne adverſariorum genus retundatur, opus eſt vtroque inſtrumentorum præſidio vti, & quamlibet rimam intercludere ſophiſticis evaſionibus ad veritatem aſſerendam. Sunt enim aliqui verſipelles ingenio, in id intenti, vt hallucinari faciant ſectatores veritatis (etiam in rebus ſacris, & maximè ad Religionem ſpectantibus) quibus moris eſt, dum argumentis impetuntur, ab auctoritate ad rationem, & à ratione ad auctoritatem provocare, vt alterutrà viâ ludificentur ideoque ſimul vtroque armorum genere vrgendi ſunt, auctoritatis infragabilis, & rationis apodicticæ. Illorum genium verſatilem ſatis perſpectum habebat Claudianus Mamercus lib. 1. de Statu Animæ, dum de ijs inquit: *Si auctoritatem quæras? Subijciunt, iſtiuſmodi cauſarum ſecreta adiri nequaquam poſſe, niſi ſubtiliſſima rerum indagatrice ratione. Si tandem in articulo repoſcas? Adijciunt, auctoritate potiùs oportere cõcedi, neque naufragoſum propter argumentorum latentes quoſdam ſcapulos pelagus diſputationis intrare. Ita auctoritate rationem, & auctoritatum obiectu rationes eludunt; & vtroque eorum ad id vtuntur, vt neutro vtantur.*

Vnde Auctor huius libri, prævisâ hominum eius genij arte Pelaſgâ, indiviſim auctoritates rationibus munit, legitimum illarum ſenſum diſtinguens, ne confuſio aut obſcuritas impedimento ſint. In quo planè exequitur vtile monitum S. Iſidori Peluſiotæ ſcribentis ad Orionem, & docentis qualiter cum fructu & efficacitate vtendum ſit locis ſacris: *Ne dicta quædam,* inquit, *ſacrarum Scripturarum ſimpliciter proferens, vre dilaceres.* ... *Verùm inueſtigatis diligenter argumentis, ſolutiones habebis. Hallucinantur enim interpretationes, argumentis ac materijs deſtitutæ.* Ita ille lib. 3. Epiſt. 136.

Sed & admirationi eſt ars, qua Auctor licentiam Adverſariorum reprimit, paſsim vtens redargutionibus manifeſtis, & ob oculos ponens apertas demonſtrationes aſyſtaſiæ, in quam incurrunt, & abſurditatis, qua lædunt vniformem ac perpetuam harmoniam SS. Galliæ Doctorum, Conciliorum eiuſdẽ Regni, Theologorum Pariſienſium, & ipſius Cleri Gallicani, paucis retro annis teſtati iudicium informabile, & auctoritatem independentem à Synodis, in ſacroſancta Sede Apoſtolica, ex Privilegio Chriſti D.

Singulari dexteritate in differendo vtitur figurâ, quam Græci (apud Iſidorum lib. 2. Originum c. 21.) ἐπιτροπὴν dicunt. quâ, poſt arietata & ſubtilitate ingenij convulſa potiora fundamenta, quibus inniituntur Gallicanæ Theſes, vltro ea concedit Adverſarijs: ac deinde ipſorum armis cogit vt fateantur quod antea negaverant. quin & illata vi per ſinuoſas ambages ineluctabilium ratiocinationũ eos compellit in implexos & irretitos amphidoxiarum & paradoxorum labyrinthos, à quibus ne Ariadnæo quidem filo ſe expedire valeant. Inſuper Libertates Gallicanas, quibus ijdem Sedi Apoſtolicæ litem intentant, & Poſitiones ſuas munire cogitant, demonſtrat Auctor, peculiares & proprias eius Eccleſiæ non eſſe, ſed cæteris toto Orbe Chriſtiano diſperſis communes, ſi veræ & ſolidæ. quòd ſi verò privatas & ſingulares velint aut eſſe, aut vnquam fuiſſe, tot abuſus in ijs detectos, tot abſurda, vt iure poſsint debeantque funditus extirpari ab Apoſtolicâ Sede, à qua ſola vim & robur, ſi quod habuêre vnquam, mutuare potuerunt.

Et hæc quidem dicta ſunto circa medullam huius Operis, quantum de eo iudicare licuit poſt intentam curam, & ſtudioſum examen.

Iam quod attinet ad modum, quo liber ſcriptus eſt, ſtylo potiùs Dialectico, & Scholaſtico vtitur, vt vrgeat Adverſarios, & in ſuam ſententiam vel invitos trahat, quàm Oratorio, qui effluat in figuras & tropos: Sed tamen elegans eſt, & preſſus, puris vocibus, proprijs, dilucidis, & rerum tractatarum ſignificationi aptiſsimis conſtans, iiſque notis, quæ à politioris litteraturæ magiſtris diſerto ſermoni præſcribi ſolent. Nec ſanè tam eleganter diſſereret Auctor, aut materiam, quam tractat, innumera rerum varietate veſtiret, aut de-

bico ordine digereret, niſi rem ipſam ad liquidum examinatam, & animo comprehenſam haberet. Nimirum vera eſt illa Horatij ſententia in Arte Poetica:

> ——— *cui lecta potenter erit res,*
> *Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo;*
> *Verbaque prouiſam rem non inuita ſequentur.*

Sed meliùs Philo libro, *Quòd deterius potiori inſidiatur*, dum inquit: *Quando enim probè cognitum tenemus, de quo diſſerimus, lætus gaudenſque ſermo abundat dilucidis & proprijs vocabulis, quibus copiosè, expeditè, inoffensè, atque etiam diſertè ac efficaciter repræſentat quidquid docere vult.*

Sanè cùm controverſiæ in hoc volumine agitatæ tanta partium contentione tractentur; laudanda eſt moderatio Auctoris in ijs conſcribendis. Etenim non lædit oculos, ſed illuminat; atque inſtar prudentis medici, abſque doloris irritamento vulneribus opem fert. Ideo alienis paſsim teſtimonijs innititur, & ex ijs argumenta profert: quę docilibus ingenijs, & veritatis amantibus, offenſioni eſſe non poſſunt; præſertim vbi in ijs leges diſſerendi inviolatæ ſervantur. Nulla hic aſperitas invectivarum, ſed potiùs pacificæ exhortationes, comprehenſæ limitibus Chriſtianę charitatis, quæ locum præſtat oppoſitioni ingeniorum. Regē Chriſtianiſsimum ea Maieſtatis veneratione vbique memorat, & Illuſtriſsimum Clerum Gallicanum tali cultu, vt nemo iure in Auctorem expoſtulare poſsit.

Cumque idem Chriſtianiſsimus Monarcha ſit adeò magnificus, zelatorque amantiſsimus Coronæ ſuæ, cuius vnioni & dilatationi invigilat; nequeunt generoſis ipſius conatibus ingrata eſſe monita hæc, vtpotè in quibus ſublimī eius comprehenſioni ac Politicæ proponitur, nihil exitialius eſſe poſſe vnioni & dilatationī prædictæ, quàm diviſionem ab Apoſtolica Sede. Nimirum, iuxta frequentem curſum rerum à Providentia divina ſtatutum, quò magis coniuncta ſunt Regna ſupremo Capiti Eccleſiæ, eò maior in illa vnio & felicitas in pace & bello derivatur. Propterea fortaſsis milites Cæſaris (licet myſterium neſcientes) non divisēre, ſed ſortiti ſunt inconſutilem tunicam Chriſti. *Deſuper contexta per totum* erat à ſummo ad infimum, ea arte, vt ſi vel filum quis abſcinderet, tota eius contextura diſſolveretur. Sic etiam Regna & exercitus, quibus cordi fuerit vnio cum Capite Eccleſię, felicem in ſeipſis vnionem, & proſperitatem experientur, nulli diſcrimini expoſitam. Plura circa hoc ad Henricum III. Imperatorem, antequam coronaretur, dixit olim ſublimi zelo & ſpiritu S. Petrus Damianus lib. 7. Epiſtola 3. quæ tota huc advocari poſſet. Placet tamen ex ea ſolùm libare verba hæc: *Inconſutilem veſtem IESV miles Gentilis metuit ſcindere, & Chriſtiani non verētur Eccleſiam ſeparare? Cùm ergo veſtis Chriſti ſancta dicatur Eccleſia, ſciſſio veſtis, dimiſsionem minatur Regiæ poteſtatis. Hinc eſt fortè quòd vrbes, oppida, ſiue provincias huius Regni ab exteris quotidie cernimus nationibus vſurpari.*

Quiſnam verò de Chriſtianiſsimo Principe, eiuſque prudentia ſumma, non credat, poſtquam audivit Illuſtriſs. Clerum Gallicanum in controverſijs tanti momenti ad pietatem & Religionem Chriſtianam altiùs ſtabiliendam, admiſſurum grato animo librum hunc, in quo palam indicantur graviſsimæ difficultates, & immania abſurda, quæ in eiuſdem Cleri Declaratione involvuntur? Nimirum Monarchæ in quibuslibet controverſijs ad bonum commune ſpectantibus debent vtramque partem audire, & vniuſcuiuſque earum fundamenta expendere, invicemque conferre, vt recto & maturo iudicio deliberent quid agendum ſit. Quod vel Ethnicis exploratum fuiſſe, conſtat ex prudenti ſuaſione Artabani ad magnum illum Monarcham Xerxem, hiſce verbis apud Herodotum lib. 7. *Rex, niſi diverſæ inter ſe ſententiæ dicantur, non poteſt eligere meliorem, ſed neceſſe habet ea, quæ dicta eſt, vti. At cùm plures dictæ ſunt, licet aurum purum deligere: quod per ſe diſcerni cùm nequeat, comparatum cum altero diſcerni poteſt.*

Minùs etiam in animum induci poteſt, Illuſtriſs. Clerum Gallicanum ægrè id laturum. Nam qua doctrina & prudentia pollet, exploratum habet, in Diſputationibus tanti ponderis, & adeò controverſis, licere vnicuique refellere Theſes, quas falſas exiſtimat, dummodo ſervetur decor, & honor debitus parti adverſæ; nec contrarietas mentium degeneret in ſchiſma voluntatum, modeſtiâ vbique præſcribente leges ardori diſceptationis.

Amici erant Cicero & Q. Fuſius, Lentulus & Cato. Contradicebat alter alteri palam & publicè in ſententijs: ſed tamen amicitia illibata manſit, quoniam diſceptatio intra limites decori coercebatur. Nec Iulius quidem Cæſar, quamvis valde tenax proprij iudicij, vnquam ſignificavit diſplicere ſibi Principem Oratorū contraria ſentientem: vti hic ipſe teſtatur Philippica 10. & 11. ac lib. 3. Tuſcul. QQ. & in Orat. de Provin. Conſul. Lege plura in hunc ſcopum apud Solorzanum Emblemate 48. Cardinalem Paleotum de ſacris Conſiſtorijs p. 5. q. 1. ad 3. & præſertim apud S. Petrum Damianum in Epiſtola ſuperiùs laudata, vbi inter alia, quæ ſolitá energiá profert, inquit: *Cùm per Iſaiam Dominus dicat, VENITE ET ARGVITE ME; cur homo ab homine deſpiciat argui, quem conſtat eadem mortalitatis lege conſtringi?*

Denique quoad totum contextum huius Operis (vt ingenuè proferam quod ſentio) ſolùm dicere poſſum quod olim Plinius ſcribens ad Maximum Epiſt. 20. *Accipe nunc quid de vniuerſis generaliter iudicem: Eſt opus pulchrum, validum, ac ſublime, varium, elegans, ſpatioſum etiam, & cum magna laude diffuſum.* Cumque Viri doctiſsimi, & purpurâ digni ob eminentiam ſapientiæ, has controverſias antea exagitaverint, ſi illorum lucubrationes legas, & cum hiſce conferas, apparebit præſtantia, quâ Auctor in eodem argumento verſatur. Prudens paræmia fuit illa vetus; *PVRPVRA IVXTA PVRPVRAM*

DIIVDICANDA. Nimirum vnius purpuræ fundum ac pretium non ſatis dignoſci, niſi conferatur cum altera. qualiter Romæ factum, vbi purpuræ Iovis Capitolini applicabantur cæteræ matronarum Romanarum, & ipſius Aureliani Imperatoris. Hæ namque colorem & decus amittebant ſtatim, illa verò longè ſplendidiùs eminebat in oculis omnium. Palmam inter cæteras tulit purpura Iovis donu miſſa à Rege Perſidis ad Imperatorem Romanum, cum hac epigrapha: *SVME PVRPVRAM, QVALIS APVD NOS EST.* Quare cum ingenti Hiſpaniæ gloria poſſemus & nos mittere ad Nationem Gallicanam, aientes. Hæc eſt purpura auctoritatis ſupremæ Romani Pontificis, qualis æſtimatione & iudicio Hiſpaniæ cenſetur. Videſis Eraſmum in Adagijs Chiliadis ſecundæ Centuria 1. n. 74.

Sanè, quantum capio, vt liber hic approbatione dignus eſſet, ſufficeret quòd Auctor ſibi diffidens (hęc nimirum affectio germana prudentium hominum in fœtibus ingeniorum ſuorum eſt. *Neſcio quo pacto magis in ſtudijs homines timor, quàm fiducia, decet,* aiebat Plinius lib. 5. Epiſt. 16. ad Spurinam, & antea lib. 4. Epiſt. 7. ad Lepidum: *Recta ingenia debilitat verecundia, perverſa confirmat audacia*) antequam exemplaria integra diſtraherentur, quaterniones recèns è prælo erutos commiſſerit examini Summorum Hiſpaniæ Virorum, ac primi ſubſellij in dignitate & ſapientia. Nempe in hoc imitatus fuit prudentiã Plinij Secundi metuentis ſibi, ac providentis directioni, & bono nomini lucubrationum edendarum. Etenim, vt refert Ioannes Maria Cataneus in eius vita: *Nullum emendandi genus omittebat: ac primũ quæ ſcripſerat, ipſe ſecum pertractabat: deinde duobus aut tribus legebat: mox alijs tradebat adnotanda, notaſque eorum, ſi dubitabat, cum vno rurſus aut altero penſitabat: noviſsimè pluribus recitabat.* Porrò omnes ij vnanimi conſenſu & laude ad hyperbolẽ vſque (vidi autographa ipſorum) Opus hoc probárunt. nec ego capere poſſum, quomodo non fuerit rectum ipſorum iudicium: ſiquidem, iuxta Tertullianum de Hæreſibus cap. 28. *Quod apud multos invenitur vnum, non eſt erratum, ſed ratum.*

Sed quid immoror obſcurandis luminibus horum ſcriptorum prolixâ cenſuræ limâ? Satius erit dicere cum eodem Plinio Epiſt. 11. ad Tranquillum: *Opus abſolutum eſt: nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur.* Eaque propter, & quòd mea opinione nihil in eo ſit adverſum noſtræ ſanctæ & Catholicæ Fidei, vel ſupremæ auctoritati Sedis Romanæ (in cuius obſequium ſe ex aſſe impendit) vel bonis moribus, vel iuri Regiæ Maieſtatis, poterit Celſitudo Veſtra, ſi ita placet, licentiam Auctori concedere ad evulgandum Opus. Sic cenſui in Collegio S. THOMÆ Matritenſi die nona Novembris, anno 1683.

Fr. Hyacinthus de Parra, Magiſter.

REGIVS Supremuſque Caſtellæ Senatus poteſtatem fecit R. P. M. Fr. Ioſépho Saenz de Aguirre, ad edendum Tomum hunc inſcriptum, DEFENSIO CATHEDRÆ S. PETRI, &c. (iam antè probatum à Superioribus Eccleſiaſticis) præmiſſa cenſura, & approbatione R. P. M. Fr. Michaelis de Fuentes, in Salmant. Academia Primarij Theologiæ Anteceſſoris: vt conſtat ex litteris authenticis apud Michaelem de Moxica, à Secretis eiuſdem Regij Senatus, datis die 12. Decembris 1682. Cenſura autem ipſa ſuprà ſuo loco habetur.

Idem Regius Senatus, poſt editum Tomum ipſum, antequam publicè diſtraheretur, ob ſummam gravitatem rerum, quæ in eo tractantur, iterum examinandum commiſsit R. P. M. Fr. Hyacintho de Parra, Ordinis Prædicatorum Magiſtro in Provincia Hiſpaniæ, Supremę Inquiſitionis Cenſori, & à Secretioribus Conſilijs. Is verò integrè perlectum probavit, & Relationem ampliſsimam, ſummeque honorificam fecit, nuper exſcriptam: qua audita in eodem pleno Senatu, Privilegium editionis, evulgationiſque libri, Auctori conceſſum eſt ad decennium die tertiadecima Novembris 1683. ſub formula ordinaria, & poena Hiſpaniæ Typographis iniuncta, nequis iniuſſu ipſius illum tecudat.

APPENDIX AD RATIONEM OPERIS SVPRA EDITAM:
ſiue occurſus ad obiectiones quorundam Eruditorum Virorum.

CVM Tomus hic iam pręlo editus eſſet, die 27. Novembris huius anni 1683. accepimus Epiſtolam humaniſsimam cuiuſdam Hierarchę Eminentiſsimi, & in ea obiectiones quaſdam, ſeu argumenta Virorum quorundam eruditorum; qui toto conaiu, & accuratiſsimo examine, vſque ad apices ferè inquiſierunt in hoc Opus. Et quamvis plurimum honoris laudiſque in illud conferant, nonnulla ſibi in eo ingrata eſſe, aut difficilia ſignificant.

2 Imprimis, aut maximè omnium, opponunt, Theſim præcipuã ab Illuſtriſsimo Clero Gallicano editam non eſſe quòd auctoritas Sedis Apoſtolicæ in definiendis controverſijs fidei egrat Concilio Oecumenico ad ferendum iudicium irreformabile: ſed ſolùm non eſſe illam infallibilem prorſus, *niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*: qui ſanè accedere poteſt, ſive intra, ſive extra Concilium. Itaque vellent Cenſores ij, ampliùs, & accuratiùs à nobis diſputatum fuiſſe adverſus Theſim illam ſub poſteriori & germano Præſulum Gallicanorum ſenſu, quàm ſub illo priore.

3 Huic tamen ſcrupulo, iam ab alijs obiecto, feci ſatis Diſp.II. præſertim ſect. 3. & 4. per totas (quas accuratè legi exopto) & initio Prologi ad Lectorem, ac ſæpiſsimè toto ferè decurſu Tractatûs I. in quo doctus quiſque paſsim inveniet argumenta innumera, & pleraque ex ijs apodictica, quibus comprobatur auctoritas infallibilis Sedis Apoſtolicæ, ſive Romani Pontificis definientis ex cathedrâ, per ſe ac ſeorſim ſpectatâ: ac per conſequens independenter à conſenſu Eccleſiæ accedente, ſive intra, ſive extra Oecumenicum Concilium. Nec ſanè aliter oportuit eam controverſiam à nobis tractari. Etenim à principio, tum in ipſa Operis epigrapha, tum tota Diſp. I. & II. teſtati ſuimus, noſtrarum partium eſſe aſſerere auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiendis controverſijs fidei ac morum, ſeorſim ac per ſe ſpectatam: ac proinde non quę dependeat à conſenſu Eccleſiæ accedente, ſed quæ illum iure exigat, tanquam debitum ex officio ab omnibus Chriſtianis, ſtatim ac Pontifex ex cathedra locutus dignoſcitur. Vnde comprobata illa priori veritate, in qua aſſerenda verſamur toto Tractatu I. actum eſt de opinione quorumlibet Adverſariorum: ſive qui olim hodieque exigere videntur Cõcilium Oecumenicum ad plenam firmitatem earundem definitionum; ſive qui dicunt, opus eſſe conſenſu Eccleſiæ accedente. Vtrumque autem dicendi modum perinde eſſe, atque in idem recidere, oſtendimus palam vtrâque ea ſectione, nec opus fuit pręterea inculcare paſsim. Præſertim, quia ſi ſenſus Gallicanæ illius poſitionis ſit, neceſſarium eſſe conſenſum accedentem Epiſcoporum, ſaltem extra Concilium; erit ſummo diſcrimini expoſita Eccleſia quoties aliquis error recèns ortus, & exitialis populo Chriſtiano, damnatus fuerit à Romano Pontifice. Excitabuntur enim plurimæ quæſtiones, non niſi multorum annorum ſpatio, immo tandem non niſi intra Synodum Oecumenicam dirimendæ, ad earundem Definitionum firmitatem. *Primò* enim dubitabitur, & examinandum ac definiendum erit, à quot, & quibuſnam Epiſcopis expectandus ſit conſenſus: an ab omnibus, an à maiori parte, an à minori, ſed ſanioris conſilij. *Secundò*, an ſufficiat conſenſus plerorumque, aut ferè omnium Epiſcoporum, ſi tamen diſſentiant Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, aut vice verſa. *Tertiò*, an ſufficiat conſenſus negativus an potiùs requiratur poſitivus: an tacitus, an expreſſus: & hic rurſus, an voce, an ſcripto faciente fidem. Dum autem eæ infinitæ quęſtiones, & aliæ his affines examinantur; dum expectatur conſenſus Epiſcoporum longiſsimè ab Vrbe commorantium, præſertim in America & Aſia, graſſabitur longè & latè error damnatus à Romano Pontifice: nec ab eo controverſia terminari poterit novâ aliquâ definitione. nam de hac ipſa excitabuntur rurſus eædem quæſtiones circa conſenſum Eccleſiæ requiſitum vt illa ſit irreformabilis. Quare tandem opus erit Concilio Oecumenico, vt res definiatur. Hæc collectio videtur per ſe manifeſta. Quid, quòd in eâdem Theſi Declarationis Gallicanæ videtur latere aliquod virus contra auctoritatem Conciliorum Vniverſalium, vt nec eorum definitiones ſint irreformabiles, niſi pręterea accedat conſenſus reliquę Eccleſiæ, etiam prout conſtat ex cœtu fidelium Epiſcopis inferiorum, aut ſaltem niſi Gallicanæ Eccleſiæ conſenſus accedat? Quæ conſideratio fusè à nobis vrgetur Diſp. XXXIX. integrâ, & omnino videndâ in eundem ſcopum. Denique ſive ij Præſules exigant conſenſum Eccleſiæ intra, ſive extra Synodum Oecumenicam, reijciuntur à Nicolao I. Papa ſanctiſsimo, ac doctiſsimo, Epiſt. VII ad Epiſcopos Orientales aiente: *In Vniuerſalibus Synodis quid ratum, quid prorſus acceptum, NISI QVOD SEDES B. PETRI PROBAVIT, vt ipſi ſcitis, habetur? Sicut & contrario; QVOD IPSA SOLA REPROBAVIT, hoc ſolummodo conſiſtit hactenus reprobatum.* Faceſſant itaque quotcumque exigunt conſenſum Eccleſiæ acce

den-

dentem, ſive intra, ſive extra Synodum Oecumenicam; vt probetur quod Sedes B. Petri probavit; aut improbetur quod SOLA ILLA REPROBAVIT.

4 At enim, ſubdunt ij Cenſores, arguendi non erant aliqui è Lovanienſibus, quaſi negent auctoritatem R. Pontificis in definiendo extra Concilium Oecumenicum. Neque enim inveniuntur illam negare quotquot Ianſeniani audiunt. Quin potiùs profitentur, ſe nullatenus tueri Theſes Ianſenij, eo ſenſu quo damnatę fuerunt ab Apoſtolica Sede.

5 Sed mirum eſt ita objicere quiſquis legerit attentè Diſputationem I. præſertim ſect. 2. & Diſp. XIX. XX. ac XXI. Sanè, præter Theſes quorundam ex ijs exſcriptas ibidem, quæ videntur rem extra controverſiam ſtatuere, Patritius Duffius teſtis nuperus eorum, quæ Lovanij geruntur, in Theologia Baio Ianſeniana, Parte I. Claſsi II. pag. 9. poſt enumeratos tres modos, quibus aliqui nimiùm affecti erga doctrinam Baij & Ianſenij eludere conantur definitiones Pontificias contra illam, ſubdit: *Quartus denique modus eſt, ipſam infallibilitatem Romani Pontificis in definiendo, aut abſolutè negare, aut in dubium vocare: vt hinc conficiant, nulla contra ſe infallibili auctoritate concluſum: VNDE PRO CONCILII GENERALIS IVDICIO NON RARO SVBMVSSITANT.* Idipſum de ijs, alijſve ſimilibus, teſtatum reliquit Raynaudus Tomo XX. in Opuſculo inſcripto Αὐτότεφα, pag. 377. col. 2. fine: & in toto eo Tractatu aſſumit probandum contra illos, Pontificias definitiones ex cathedra prolatas in quęſtionibus fidei eſſe prorſus irreformabiles, independenter à Concilio; & nullatenus licere provocationes ad illud, ſed eſſe ac fuiſſe ſemper ſchiſmaticorum & hęreticorum proprias. Cætera vide locis indicatis in hoc noſtro Opere. Et in eo ſanè nos neminem in ſingulari Ianſenianum aut Baianum appellamus. Theſes, & teſtimonia quorundam exſcribimus κατὰ πόδας. Si fortè Baij, aut Ianſenij fermento imbutæ palam apparuerint, ipſi earum Auctores ſe produnt.

6 Objiciunt præterea, nos nimiùm fidere auctoritati Epiſtolarum Decretalium, quæ circumferuntur in editionibus Conciliorum nomine Pontificum Innocentio I. antiquiorum. Nimirum, eas improbari frequenter ab eruditis, & nominatim à Philippo Labbè, quem ſępiſsimè laudamus in hoc Opere, tanquam ſuppoſititias & nothas.

7 Sed certè nos ipſi huic criminationi occurrimus, tum Diſp. XXXVI. num. 17. tum prętere in Prologo ad Lectorem §. vltimo. Nunc addo, Hincmarum Rhemenſem, qui initio earum acerrimus impugnator extitit, poſtea eam opinionem exoticam correxiſſe, teſte Flodoardo lib. 3. Hiſtorię cap. 19. cuius verba exſcribimus infra Diſp. III. num. 59. Quin & deinde Epiſtolarum Decretalium egregium defenſorem ſe præſtitit lib. de Synodis cap. 3. cuius verba ad longum exſcribit Cardinalis Turrecremata, & nos cum ipſo infrà Diſp. XXX. num. 27. Neque obeſt quòd in illis inveniantur plures parachroniſmi, & errata: cùm facilè potuerint irrepere vitio aut incuria exſcriptorum in tam longo ſæculorum curſu: quemadmodum alijs veteribus, & probatis monumentis antiquorum accidit. Eſtque aptum exemplum (vt omittam plurima alia eruditis nota) in Donatione Conſtantini; falſatâ quidem aut corruptâ à multis iam ſęculis, impiâ manu cuiuſpiam Græculi invidentis Romanę Eccleſiæ; verâ tamen prout initio concepta, & edita fuit. Quod noviter ex divite Antiquitatis Eccleſiaſticæ penu tradit, & tuetur adverſus Heterodoxos, immo & plures Catholicos, veluti Marcam, Morinum, &c. Franciſcus Macedo in Aſſertore Romano pag. 401. & ſeqq. latiſsimè. Pręterea incredibile eſt tot Epiſtolas Decretales quatuor priorum ſęculorum præſeferentes ſacram doctrinam, diſciplinam Eccleſiaſticam, antiquos Eccleſiæ ritus, & venerandam ſtyli gravitatem, repentè ſub initium ſæculi noni à quopiam obſcuro Scriptore fingi potuiſſe: incredibilius autem, ſic confictas tantum auctoritatis pondus habuiſſe in tota Eccleſia ab eo tempore, decurſu ſeptem ſæculorum vſque ad finem decimi ſexti proximè pręcedentis: In quo primùm opinio illa Hincmari, quamvis poſtea ab ipſo revocata, placere cœpit quibuſdam plus nimio deditis divinationi circa res antiquas. Quæcumque enim difficultas ijs occurrat circa ſcripta, aut facta Veterum, quamvis communi ſæculorum traditione recepta, mox ea reijciunt veluti commentitia. Quod ſæpè in ipſis politioribus Gallię Scriptoribus notat, ac reprehendit Raynaudus, & nominatim in Hercule Commodiano adverſus Ioannem Launoium. Præſtaret ſanè ijs exerere vires ingenij in aſſerendis Veterum ſcriptis, & factis, quotquot ſunt è re Catholicæ Eccleſiæ, eiuſque felici ſtatui opportuna, quàm cedere cuilibet difficultati occurrenti, & ſuccumbere phantaſijs ſuis contra ſenſum totius Antiquitatis.

8 Denique, quod caput eſt, nihil ferè mutuavimus ex Epiſtolis illis Romanorum Præſulum Innocentio I. antiquiorum (in quas ſolas ij Recentiores inquirunt) quod non habeatur in alijs indubitatis eiuſdem Innocentij. & Pontificum poſteriorũ: pręſertim verò S. Cœleſtini I. S. Leonis Magni. S. Gelaſij I. S. Gregorij Magni, S. Agathonis, S. Leonis II. Nicolai I. Adriani II. S. Gregorij VII. aliorumque plurimorũ, inſigniũ ſanctitate, & doctrinâ: quorũ ſeptẽ priores floruere longè ante initium noni ſæculi, in quo, aut circiter, eæ Epiſtolæ ab Iſidoro fabricatę dicuntur.

Quod

Quod argumentum, eſt planè apodicticum, & ἀναντίῤῥητον. Teſtimonia illorum præcipua, præter plurima alia, quæ allegari poſſent, dedimus infrà Diſp. VIII. n. 50. 51. 55. 56. 57. 64. & Diſp. IX. n. 5. 6. 11. 14. 16. 36. 37. & Diſp. 10. ſect. 3. & 5. in quibus omnibus eadem dogmata habentur, & nonnunquam eadem verba circa auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in definiendo, ac in illis Epiſtolis antiquorum Pontificum, quas ij Recentiores ſuppoſititias arbitrantur. Nihil etiam ex ijs protulimus, quod palam non habeatur in Concilijs Generalibus Nicæno I. Epheſino, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano Tertio ſub Agathone, Quarto ſub Adriano I. & Quinto ſub Adriano II. vt palam oſtendimus Diſp. VIII. num 52. & ſeqq. vſque ad 58. Diſp. IX. num. 12. & ſeqq. vſque ad 22. & poſteà latiùs à num. 33. tota ſect. 5. & tandem Diſput. XXIV. per totam. Nihil denique ex ijs Epiſtolis antiquioribus libavimus, quod non conſonet ſacris litteris iuxta ſenſum litteræ cohærentem, perpetuæ traditioni totius Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum, & doctrinæ aſſiduæ SS. Patrum per ſingula ſæcula: vti ex profeſſo evicimus toto Tractatu I. præſertim Diſp. XXII. & XXIII. per totas. Videant itaque ij Recentiores qualiter ab his argumentis ſe expediant, aut quid reponant adverſus Epiſtolas illas.

9 Opponunt deinde nobis plura alia, quæ breviter indicare placet. *Primum*, Stephanum Baluzium immeritò à nobis allegari Diſput. VI. num. 28. pag. 48. pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ in definitionibus: cùm palam hodie ſequatur opinionem contrariam Gallicanorum Antiſtitum. *Secundum*, Non meliori iure citari in eundem ſcopum Diſp. VIII. num. 57. fine, pag. 77. S. Gregorium lib. 5. Epiſt. 14. quaſi ſcripſerit Acta Concilij Chalcedonenſis falſata fuiſſe à Græcis in puncto auctoritatis infallibilis Summi Pontificis, quam nos in ea Synodo, & loco allegato à D. Thom. definitã volumus, ac proinde certam ſecundùm fidem. In oppoſitũ enim eſt, quòd locus ille à D. Th. citatus, videtur multiplici ex capite ſuppoſitus; non quidẽ ab illo S. Doctore, ſed ab alio quopiam Deinde nec locus ille videtur ſatis expreſſus, vt definitionem fidei continere dicatur: præſertim cùm verba illic relata fuerint dicta occaſione appellationum Epiſcoporum accuſatorum: in quibus ſumma Romani Pontificis auctoritas non neceſſariò coniuncta ex cum infallibilitate eius iudicij circa fidei quæſtiones. Denique, non affirmat S. Gregorius Acta Concilij Chalcedonenſis falſata fuiſſe in eo puncto; ſed tantùm indeterminatè ait, falſitatem aliquam in ijs interpoſitam. *Tertium*. Diſp. IX. n. 21. pag. 99. diximus, Acta Septimæ Synodi Oecumenicæ circa cultum ſacrarum Imaginum confirmata & approbata fuiſſe in Concilio Francofordienſi; cùm è contra ibidem Canone ſecundo palam reiecta fuerint. *Quartum*. Diſput. eâdem IX. n. 14. pag. 96. non videbatur alleganda fuiſſe Epiſtola S. Leonis II. Papæ ad Conſtantinum Pogonatum; cùm nullibi clariùs, quàm in ea, prout nunc extat, legatur, Honorium I. contra fidem erraſſe.

10 Hæc tamen non ſunt tanti, vt nos dimoveant à doctrina ijs locis tradita. Ad I. Quidquid ſit de hodierno Stephani Baluzlj ſenſu circa auctoritatem Romani Pontificis in definiendo, heſternus ille videtur fuiſſe, quem indicavimus eo loco. Etenim in Notis ad Epiſt. 84. Servati Lupi, pag. 428. editionis Pariſienſis anni 1664. qua vtor, inquit: *Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi; ſed ita tamen, vt Epiſcopus Romanus, qui Petri & Pauli Sedem occupat, primam & maximam habeat pro veritate ſententiam, vt ait Facundus Hermianenſis.* Non eſſet autem Romani Pontificis prima & maxima pro veritate ſententia, ſi adhuc retractari, ſeu reformari poſſet ab Eccleſia, ſive intra, ſive extra Synodum. Quare idem Auctor ſtatim laudat Auguſtinum ſcribentem contra duas Epiſtolas Pelagianorum lib. 4. cap. 14. & ijs exprobranrem, quòd dicerent, & ſuperbè iactarent, ad legitimam ipſorum damnationem opus eſſe Synodo coacta ex Epiſcopis Orientis, & Occidentis. Hæc inibi Baluzius: quæ certè ſatis fuerunt, vt crederetur eo tempore à nobis fuiſſe, quamvis poſtea opinionem fortè mutaverit, vt morem gereret nuperis Galliarum Præſulibus.

11 Ad II. Potuit iure citari à nobis S. Gregorius eo loco. nam ſi ipſo teſte Acta Concilij Chalcedonenſis falſata fuerunt à Græcis, par eſt credere, vitiata fuiſſe in ea parte, quã commendatur auctoritas ſuprema Sedis Romanæ ijs exoſa, ſive in definiendo, ſive in iudicando. Vtrumque enim complectuntur verba illa: *ET OMNIA AB EO DEFINITA TENEANTVR, TANQVAM A VICARIO APOSTOLICI THRONI.* Nec eſt cur τὸ *omnia* limitetur ad finiendas cauſas Epiſcoporum: immo ſic reſtrictum nihil ferè conferret ad ſcopum eo loco ſpectatum à D. Thoma contra Græcos. Porrò id teſtimonium allegatum à S. Doctore eſſe ſuppoſititium, aſſeritur à Cenſore, non probatur. Vnde enim ſuaderi poteſt, exemplar illud, quo vſus fuit S. Doctor, vitiatum in ea parte fuiſſe? Præſertim cùm ex ijs, quæ proferimus loco ipſo indicato in obiectione Diſp. VIII. num. 56. & 57. conſtet, Patres eius Synodi vno ore definitiones Sedis Apoſtolicæ, prolatas calamo S. Leonis Magni Papæ, excepiſſe tanquã firmam regulam fidei. Præterea in eo Concilio Decretum Fidei editum nullam aliam regulam habuit, quàm Epiſtolam Decretalem eiuſdem Leonis Papæ ad Flavianum. Ideoque Actione V. in poſte-

poſteriori Decreto Epiſtola ipſa omnium chirographo probata fuit? vt proptereà aliquot ſæculis poſtea verè & ſapienter dixerit Nicolaus I. Papa Epiſtola IX. ad Michaelem Auguſtum: *Epiſtola S. Leonis Papæ apud omnes Orientales Epiſcopos adeò extitit venerabilis, vt hanc COLVMNAM ORTHODOXIÆ VOCARENT, & omnes in ea, Præſule Conſtantinopolitano Anatolio præcedente, ſubſcriberent: ITA VT CHALCEDONENSIS MAGNA SYNODVS NIHIL DEFINIISSE, NIHIL RESPVISSE, NIHIL SVSCEPISSE, NISI QVOD VEL ILLA, VEL VICES APOSTOLICÆ SEDIS IBI RESERVANTES DEFINIERVNT, PROIECERVNT, VEL ADMISSERVNT, PENITVS AGNOSCATVR.* Quid ergo mirum ſi in eadem Synodo editum fuerit Decretum illud à D. Thoma allegatum, in venerationem Romani Præſulis, vt *OMNIA AB EO DEFINITA TENEANTVR, TANQVAM A VICARIO APOSTOLICI THRONI?* Verùm ſinamus ex eo teſtimonio ſeorſim accepto non colligi vniversè & ἀναμφισβητήτως auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiendis fidei quæſtionibus. Satis eſt quòd ex illo loco, & alijs pluribus Conciliorum Generalium, quos proferimus in progreſſu Operis, præſertim Diſp. XXIV. per totam, ſimul conſideratis apertiſsimè demonſtretur.

12 AD III. Reſpondeant Galli ipſi quorum maximè intereſt, ne in Concilio Francofordienſi reiecta fuerit doctrina Catholica Septimæ Synodi Oecumenicæ pro cultu ſacrarum Imaginum. Certè opinio id negans, quam obiter ſolùm ſuppoſuimus aut indicavimus Diſp. IX. n. 21. pag. 99. traditur ab Alano, Sandero, Surio, Suarez, & Vazquez: eamque laudat & confirmat Binius in Notis ad id Concilium Tomo VI. pag. mihi 185. col. 2. §. *Nicænam II. Synodum.* Quare non grave piaculum eſt, nos eo loco idem cum ijs ſenſiſſe. Verùm poſtea Diſp. XXXIX. præſertim ſect. 2. per totam, re maturiùs inſpecta, aſſeruimus ſententiam affirmantem Baronij & Bellarmini, reiectis interpretationibus Archipręſulis Marcæ, & aliorum Recentiorum ad Acta eiuſdem Concilij, erratici in ea parte. Itaque ſi olim Præſules Gallicani in Concilio Francofordienſi auſi ſunt contradicere palam Septimæ Synodo Oecumenicæ circa cultum ſacrarum Imaginum, digni profectò fuerunt diris & execratione totius Eccleſiæ ob eam cauſam. Caveant autem moderni Pręſules, ne dum Sedi Apoſtolicæ ſeorſim ſpectatæ negant iudicium infallibile in quæſtionibus fidei, negent quoque illud Concilijs Oecumenicis, etiam ritè coactis & confirmatis ab ipſa Apoſtolica Sede. Quod argumentum vrgemus contra illos Diſput. citata XXXIX. per totam.

13 AD IV. Epiſtola illa Ioannis II. Papæ citari iure potuit, quatenus in ea traditur doctrina aliàs certa in ipſa Synodo VI. Generali: vti probamus eâdem Diſputat. IX. num. 12. & ſeqq. & in alijs Concilijs Generalibus definita: vt patet ex Diſp. XXIV. per totam. Neque obeſt quòd in ea Epiſtola, prout nunc extat, denigretur fama Honorij Papæ, à nobis defenſi Diſp. XXX. ſect. 1. Etenim, vt rectè obſervat Bellarminus in defenſione Honorij, *ſolutione ad 6. argum.* falſata fuit Epiſtola quoad eam partem impiâ quorundam manu.

Et hæc quidem ſunt ferè, quæ paucis horis poſt acceptam Epiſtolam cenſoriam reſpondere licuit. Si quæ piam alia Viris eruditione pręſtantibus occurrerint in oppoſitum, ſtudebimus facere ſatis, aut fateri lapſum noſtrum, in qualibet Operis parte.

INDEX SVMMARIVS TRACTATVVM ET DISPVTATIONVM, QVAE IN HAC DEFENSIONE CATHEDRAE SANCTI PETRI CONTINENTVR.

TRACTATVS PRIMVS,

DE AVCTORITATE INFALLIBILI ROMANI PONTIficis ad definiendas quæſtiones fidei & morum, extra & ſupra Concilium.

DISPVTATIO I.

Quàm neceſſaria ſit hoc tempore tractatio & defenſio Auctoritatis infallibilis Romanorum Pontificum extra Concilium ad dirimendas quæſtiones fidei. Fol. 2.

Sectio 1. Occaſio ſcribendi Tractatum hunc, nuper à quibuſdam Lovanienſium data: ſeu ratio huius Operis ad Lectorem Catholicum, & Pontificiarum Definitionum tenacem. 2.

CLERI Gallicani Declaratio de Eccleſiaſtica Poteſtate die 19. Martij 1682. 5.

Sectio 2. Recens alia ſcribendi occaſio ex propoſitionibus editis à Facultate Theologica Pariſienſi anno 1662. & à Clero Gallicano hoc ipſo anno 1682. 4.

DISPVTATIO II.

An hæc nupera Declaratio Cleri Gallicani nomine edita, ſit contraria ſenſui communi Epiſcoporum Galliæ, paucis retrò annis expreſſo in litteris ad INNOCENTIVM X. 6.

Sectio 1. Declarationem nuperam Cleri Gallicani nomine editam, contradicere palam ſenſui & doctrinæ communi Epiſcoporum Galliæ, expreſſæ in litteris ad Innocentium X. anno 1653. 7.

LITTERÆ Gallicanorum Epiſcoporum ad Pontificem Innocentium X. 7.

Sectio 2. Aſſerti eiuſdem confirmatio ex alia Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad eundem Innocentium X. ipſo anno 1653. quę [illegible] exhibetur. 8.

Sectio 3. Evaſio quędam pro Clero Gallicano occurrens, multipliciter pręcluſa. 9.

Sectio 4. Appendix ſectionis præcedentis, & multiplex confutatio ſenſus, in quo aliquis forſan velit vindicare Illuſtriſsimum Clerum Gallicanum ab inconſequentiæ nęvo. 13.

DISPVTATIO III.

An Illuſtriſsimus Conventus Cleri Gallicani nuper Pariſijs congregatus, in eadem Theſi priſcis Patribus Eccleſiarum Galliæ contrarius ſit. 17.

Sectio 1. Conventum Galliæ prædictum, in quæſtione propoſitâ videri prorſus receſſiſſe à doctrinâ communi Veterum Patrum eiuſdem præclaræ Nationis. 17.

Sectio 2. Proferuntur alia illuſtrium Antiſtitum, & Scriptorum veterum Galliæ loca, quibus Clerus hodiernus in eâdem controverſiâ palam adverſatur. 20.

DISPVTATIO IV.

An eadem pars Illuſtriſsimi Cleri Gallicani in propoſita quæſtione recedat à Communi ſenſu, & doctrina Synodorum Galliæ, tum veterum, tum recentiorum. 22.

Sectio 1. Oſtenditur, Synodos veteres Eccleſiæ Gallicanæ ſummam, ſive ſupremam au-

ctoritatem agnoviſſe in Romano Pontifice quo ad quæſtiones fidei dirimendas,& longè maiorem, quam ipſi nunc tribuat Clerus Galliarum. 23.

Sectio 2. Oſtenditur id ipſum de Synodis Galliarum coactis ſæculo octavo, & nono, præſertim regnantibus Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo. 25.

Sectio 3. De Concilijs Galliarum poſterioribus, præſertim celebratis ſæculo proximè præcedēti, in quibus ſummè delatum fuit auctoritati Pontificum Romanorum. 29.

DISPVTATIO V.

An ex reſcriptis, decretiſque Romanorum Pontificum ad Clerum Galliarum, colligatur eadem veneratio ſumma definitionum Sedis Apoſtolicæ circa fidem, & mores independenter a Concilio Oecumenico. 31.

Sectio 1. Excurritur per tria priora ſæcula Eræ Chriſtianæ: & demonſtratur ex conſultationibus Eccleſiæ Gallicanę ad Romanos Pontifices, horumque reſcriptis ad illam, infallibilitas ſumma Sedis Apoſtolicæ in dirimendis quæſtinnibus fidei, ac morum. 31.

Sectio 2. Illuſtria teſtimonia ſancti Cœleſtini I. Zoſimi, & ſancti Leonis Magni pariter reſcribentium ad Epiſcopos Galliarum, proferuntur, & expenduntur in eundem ſcopum. 34.

Sectio 3. Reſcripta Hilarij, Symmachi, ſancti Gregorij Magni, Zachariæ, Adriani I. & aliorum Pontificum Romanorum generatim, ad conſultationes Gallicanæ Eccleſiæ, ſive quæſtiones fidei, morum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſumma veneratione excepta fuiſſe. 37.

DISPVTATIO VI.

An Schola Theologorum Pariſienſium neget, an potius aſſerat Romano Pontifici auctoritatem infallibilem in dirimendis quæſtionibus fidei, & morum. 40.

Sectio 1. Decreta, ſeu Reſponſa Scholæ Pariſienſis ab antiquis temporibus ſtetiſſe pro auctoritate infallibili Romani Pontificis in decidendis fidei controverſijs. Excurritur per varia Acta eius Illuſtriſſimæ Academiæ ab ipſis Galliarum Scriptoribus memorata. 40.

Sectio 2. Eandem infallibilitatē Sedis Apoſtolicæ traditam fuiſſe à Doctoribus Pariſienſis Scholæ ab ipſo tempore Magiſtri Sententiarum ad hæc vſque tempora, & primùm quidem à SS. Thoma, & Bonaventura. 43.

Sectio 3. Allegantur pro eadem ſententia nōnulli alij Recentiores Pariſienſis Academiæ Doctores, & Scriptores Galli. 46.

DISPVTATIO VII.

Quàm pauci ex Theologis Pariſienſibus negaverint Rom. Pontif. auctoritatem infallibilem, & quid de eorum opinione reliqui ferè omnes ſentiant. 49.

Sectio 1. Primum è Theologis Gerſonem negantem opinionem tradidiſſe, occaſione ſchiſmatis; deinde paucos aliquot è Pariſienſibus cauſa diſſidiorum inter Romanos Pontifices, & Reges Galliarum. 49.

Sectio 2. Communis ſententia reliquorum Theologorum aſſerit Romano Pontifici auctoritatem infallibilem in definitionibus, veluti fide divina certam, cum multiplici cenſura opinionis contrariæ. 52.

Sectio 3. Allegatur communis conſenſus Doctorum Iuris Canonici pro infallibilitate definitionum Pontificiarum in controverſijs ſpectantibus ad fidem, & mores. 55.

DISPVTATIO VIII.

An Illuſtriſſimi Galliarum Epiſcopi in litteris ad Innocentium X. datis anno 1653. verè, & ſapienter teſtati fuerint, ex ſenſu Veteris Eccleſiæ Catholicæ, definitiones Romani Pontificis eſſe infallibiles. 57.

Sectio 1. Verum fuiſſe iudicium, ac teſtimonium illud Clariſsimorum Galliæ Antiſtitum ad Innocentium Decimum. Probatio petita, tum ex inſigni loco ſancti Auguſtini id ipſum teſtantis: tum ex hæreſibus ſæculo primo damnatis: tum ex ſacris Scriptoribus eius temporis. 58.

Sectio 2. Probatio petita ex damnatione Pōtificia hæreſeon ſecundi ſæculi, & ex ſacris Scriptoribus, qui in eo floruerunt. 60.

Sectio 3. Probatio petita ex definitionibus Romanorum Pontificum, & teſtimonijs Patrum tertij ſæculi contra hæreſes tunc exor-

troſas, nullo ad eas damnandas Concilio Generali coacto. 63.

Sectio 4. Probatio vlterior ex damnatione præcipuarum hæreſeon quarti ſæculi à Romanis Pontificibus prolata, aut ſine Oecumenico Concilio, aut priuſquam illud cõgregaretur. 66.

Sectio 5. Confirmatur eadem doctrina illuſtribus teſtimonijs Pontificum, & Scriptorum eiuſdem quarti ſæculi, atque ex hæreſibus tunc extra Synodum Oecumenicam proſcriptis 69.

Sectio 6. De hæreſibus quinti ſæculi proſcriptis à Sede Apoſtolica extra Synodos Oecumenicas Epheſinam, & Chalcedonenſem, & ab vtraque ſolemniter damnatis iuxta prævium iudicium Pontificum Romanorum. 73.

Sectio 7. Confirmatur eadem doctrina illuſtribus teſtimonijs ſacrorum Doctorum, & Pontificum eiuſdem quinti ſæculi. 78.

Sectio 8. Digreſsio incidens: An intra idem ſæculum quintum verè extiterit hæreſis Prædeſtinatiana, eaque damnata fuerit à Sede Apoſtolica extra omne Generale Cõcilium. Vbi plura de Fauſto Rhegienſi, & Gennadio Maſsilienſi. 81.

Subiectio 1. Prædeſtinatianæ hæreſeos initium à primis ferè ſæculis Eræ Chriſtianæ, eiuſque multiplex vſurpatio. Illamve rè extitiſſe ſæculo quinto, quinam contendant, & quibus fundamentis innitantur. 81.

Subiectio 2. Aliorum ſententia arbitrantium, eam hæreſim fuiſſe merum Semipelagianorum inventum, præſertim Gennadij Maſsilienſis, & Fauſti Rhegienſis, vt inuidiam conflarent doctrinæ Auguſtini, iam tunc celebri apud omnes Catholicos. 84.

Subiectio 3. Fertur iudicium de vtraque opinione: & oſtenditur, non extitiſſe eo ſæculo prædictam hæreſim, tanquam popularem, aut communem, vel ab Auguſtino aut eius diſcipulis generatim traditam; prout Semipelagiani comminiſcebantur: extitiſſe tamẽ apud quoſdã illorũ ex imperitia, & ſiniſtra interpretatione doctrinæ ſancti Auguſtini. Porrò eam damnatã fuiſſe à Sede Apoſtolica extra omne Generale Concilium. 86.

DISPVTATIO IX.

An eadem infallibilitas Romani Pontificis tradita fuerit in Catholica Eccleſia poſterioribus quinque ſæculis chiliadis primæ Chriſtianæ: ſicuti in quinque prioribus credita fuit iuxta teſtimonium Illuſtriſsimi Cleri Gallicani. 92.

Sectio 1. Suadetur ſententia communis affirmans, tum ex hæreſibus ſæculo ſexto damnatis, tum ex teſtimonijs Pontificum, & Scriptorum eius temporis. 92.

Sectio 2. De hæreſibus damnatis ſæculo ſeptimo extra Concilium Oecumenicum Sextum. Huius teſtimonia pro auctoritate infallibili Romani Pontificis,& quædam alia ſelecta loca. 95.

Sectio 3. Oſtenditur id ipſum quoad hæreſes damnatas ſæculo octavo. Vbi plura obſervata circa Synodos tunc coactas, præſertim quoad Septimam Generalem. Teſtimonia aliquot Patrum eiuſdem temporis. 97.

Sectio 4. Hæreſes quædam ſæculo nono extra Generalem Synodum damnatæ proſeruntur. Vbi obiter de Claudio Taurinenſi, Gotheſcalco, Ioanne Scoto, & Prædeſtinatianis. 100.

Sectio 5. Diſſeritur, an auctoritas infallibilis Romani Pontificis eodem ſæculo nono definita fuerit In Octava Synodo Generali, præeunte ſancto Nicolao Primo Papa. 106.

Sectio 6. Digreſsio adverſus Παπισσομανῦντας, qui eodem ſæculo nono Ioannam quandam Sedi Apoſtolicæ præfuiſſe garriunt, vt eius auctoritatem enervent. 109.

Sectio 8. Digreſsio altera circa ſæculum decimum, quod obſcurum, & ferreum à pleriſque dicitur. Vindicatur quodammodo ab ea nota, memoratis Scriptoribus quibuſdam, ac præſertim Leone VI. Imperatore, & Luitprando. Porrò nullam hæreſim illo ævo ortam fuiſſe, quam Sedes Apoſtolica intra, aut extra Concilium dãnaret. 115.

DISPVTATIO X.

An ſæculo vndecimo, id eſt, primo poſterioris chiliadis Chriſtianæ annorum, Romanus Pontifex ex ſenſu Eccleſiæ habuerit infallibilitatem in controverſijs circa fidem dirimendis. 118.

Sectio 1. Hæreſis Berengarij, Sacramentariorum Prodromi contra Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ, ſæculo vndecimo orta, & à varijs Pontificibus Romanis ſine vllo Cõcilio Oecumenico proſcripta. Vbi de alijs hæreſibus eiuſdem temporis. 118.

Sectio 2. Illuſtre teſtimonium ſancti Leonis Papę Noni Eccleſiam gubernantis eodem ſeculo vndecimo, pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicę in definienda & tradenda doctrina fidei. Porrò ſanctum eundem Pontificem fortaſſe primum omnium definiſſe ex cathedra, proceſsionem Spiritus S. ex filio, antequam vlla Synodus Oecumenica id declaraſſet. 120.

Sectio 3. Duo Canones editi eodem ſeculo à ſancto Gregorio VII. Papa pro eadem doctrina illuſtrantur, ſelectis SS. Patrum locis. 123.

Sectio 4. Certitudo definitionum Pontificiarum eodem ſeculo tradita à Patribus Græcis, & Latinis, cum nota hæreſeos contra illos, qui diſcordant ab Eccleſia Romana. 126.

Sectio 5. Exponitur, & illuſtratur ſelectis Patrum teſtimonijs Canon 22. eiuſdem ſancti Gregorij VII. in Dictato: *QVOD ROMANA ECCLESIA NVNQVAM ERRAVIT; NEC IN PERPETVVM, SCRIPTVRA TESTANTE, ERRABIT.* Vbi obiter adverſus nuperos Ianſenij ſectatores. 128.

DISPVTATIO XI.

An eodem ſeculo vndecimo S. Gregorius VII. aut alij Pontifices Romani, definierint, inveſtituram laicam Epiſcoporum eſſe hæreſim; & in hoc erraverint. 131.

Vbi diſſeritur de libertate Eccleſiarum aſſerta à SS. D. N. Innocentio XI. adverſus prætenſa iura Regis Chriſtianiſsimi, & Epiſcoporum Galliæ.

Sectio 1. Præmiſſa hypotheſi hiſtorica proferuntur plura teſtimonia Patrum eius ſeculi aſſerentium, laicam inveſtituram fuiſſe damnatam tanquam hæreſim à Sede Apoſtolica, præſertim à Gregorio VII. Papa, quamvis extra Concilium Oecumenicum. 132.

Sectio 2. Difficultates contra illam definitionem Gregorij VII. damnantis inveſtituram laicam vt hæreſim, ob quas ille videatur erraſſe; aut Paſchalis II. hæreticus fuiſſe. 136.

Sectio 3. Deciſio controverſiæ quoad factum Oſtenditur ſigillatim, nec Gregorium VII. nec Victorem III. nec Vrbanum II. nec tandem Paſchalem II. definiſſe ex cathedra laicam inveſtituram eſſe hæreſim; ideoque obiectionem contra auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ procedere ex falſa hypotheſi. Vindicatur Paſchalis II. à nota hæreſeos. 138.

Sectio 4. Dirimitur quæſtio quoad ius. Multiplex inveſtituræ vſus, & ſenſus: quidam anathemate iniuſtus, quidam etiam ſub nota hæreſeos. Vtrumque id meritò factum, & citra errorem vllum, ab Apoſtolica Sede, conſentientibus Præſulibus eiuſdem tẽporis, etiam S. Ivone, qui antea in oppoſitum ſcripſerat. 141.

Sectio 5. An Illuſtriſsimi Pręſules Lutetiæ congregati hoc anno 1682. ſequantur veſtigia laudatorum Antiſtitum Eccleſię Gallicanæ in reijciendis inveſtituris, & tuenda Eccleſiarum libertate. Exſcribitur quędam illorum Epiſtola ad SS. D.N. INNOCENTIVM XI. 147.

Sectio 6. Obſervationes nonnullę in eandem Epiſtolam, vt appareat, Clariſsimos Præſules Galliarum eius Auctores non inſiſtere viam Prædeceſſorum ſuorum in tuenda libertate Eccleſiarum. 158.

Sectio 7 Exceptio quædam obvia refellitur: & vberiùs oſtenditur, Illuſtriſs. Galliarum Præſules potuiſſe, ac debuiſſe longè magis patrocinium ferre Eccleſiaſticæ libertatis, quàm Regij iuris. Expenduntur rationes ob quas SS. D. N. Innocentius XI. adeò conſtanter tueatur libertatem quorumdam Eccleſiarum Gallicarum. 160.

Sectio 8. Defenſio conſtantiæ SS. D. N. Innocentij pro libertate earum Eccleſiarum in epilogum redacta. Eius Reſcriptum ad Epiſtolam ſupra exhibitam Illuſtriſsimorum Galliæ Antiſtitum. 164.

Sectio 9. Notæ, ſeu obſervationes quędam in idem Reſcriptum SS. D. N. Innocentij ad Pręſules Gallicanos: quorum Epiſtola in ſuperioribus exſcripta, iterũ multipliciter improbatur. 169.

Sectio 10. Proferuntur tres Epiſtolę Pontificię eiuſdem SS. Domini Noſtri Innocentij Vndecimi ad Chriſtianiſsimum Regem Ludovicum Decimum Quartum, vt deſiſtat à prętenſo iure in bona quarundam Eccleſiarum vacantium, hactenus liberarũ: digniſsimę quidem legi, veluti Apoſtolico zelo ſcriptę. 173.

Sectio 11. Expenditur doctrina, & zelus Apoſtolicus Innocentij in his litteris ad Chriſtianiſsimum Regem. Huius æternæ ſaluti, & felicitati Galliarum, profuturam plurimùm Eccleſiarum libertatem; ſervitutem verò, præſertim nuper inductam ab Antiſtitibus Gallicanis, nocituram, veluti Regis, & Regni perniciem;

tiem; idque, teſtibus etiam Regibus, & Scriptoribus eiuſdem præclaræ Nationis. Porrò doctrinam Magiſtratuum Galliæ in ea parte, videri periculoſam in fide. 183.

Sectio 12. Epiſtolæ variæ SS. D. N. Innocentij Papæ ad Illuſtriſsimum D. Franciſcum, Epiſcopum Appamienſem, libertatis Eccleſiaſticæ egregium defenſorem: & Notæ quædam, ſeu obſervationes in illas, inſtituto noſtro opportunæ. 188.

Sectio 13. Epiſtolæ aliæ Summi Pontificis ad Capitulum Eccleſiæ eiuſdem Appamienſis, Sede vacante, poſt obitum Franciſci Epiſcopi, & ad Archiepiſcopum Toloſſanum circa eandem controverſiam. Notæ aliquot breves in illas. 192.

Sectio 14. Aliud Diploma Pontificium, ad Vicarios Generales, & Capitulum Eccleſiæ Appamienſis, Sede vacante. Notæ quædam in illud. 197.

Sectio 15. Exſcribuntur aliæ Epiſtolæ Pontificiæ, ex quibus ampliùs innoteſcit abuſus Regaliæ Gallicanæ, etiam in Monaſteria Virginum Deo ſacrarum. Vbi de Arreſtis quibuſdam Parlamenti Pariſienſis. 201.

Sectio 16. Epilogus totius huius Diſputationis quoad ſumma capita. Gregorium VII. alioſque Pontifices, & Epiſcopos, iure damnaſſe Inveſtituras laicas, etiam ſub nota hæreſeos, & longè aliter ſe geſſiſſe in tuenda libertate Eccleſiæ, quàm Præſules modernos Galliarum. Porrò Innocentium XI. in ijs controverſijs recentibus iuſtè, & prudenter ſe geſsiſſe, imò & conſuluiſſe bono Regis Chriſtianiſsimi, ac felicitati Galliarum. 208.

DISPVTATIO XII.

An eadem auctoritas infallibilis Romanorum Pontificum credita, & tradita fuerit in Eccleſia ſæculo duodecimo. 213.

Sectio 1. De hæreſibus quibuſdam initio ferè duodecimi ſæculi ortis, aut ſuſcitatis, & de earum damnatione extra omne Concilium Oecumenicum. 214.

Sectio 2. De hæreſibus Petri Abailardi, & Arnoldi de Brixia, impugnatis eodem ſæculo à ſancto Bernardo Abbate Claræ-vallenſi, & damnatis ab Innocentio Secundo Papa extra omne Concilium Oecumenicum. 215.

Sectio 3. De hæreſibus à Gilberto Porretano traditis, & ab Eugenio Tertio damnatis extra omne Concilium Generale, auctore ipſo acquieſcente, & diſcipulis refragantibus: vt propterea ij hæreticorum notam ſubierint, quam Magiſter declinavit. 218.

Sectio 4. Exeuntur per varias aliorum hæreſes, eodem ſæculo ortas, aut ſuſcitatas, quæ in nullo ex tribus Concilijs Generalibus intra illud coactis examinatæ, aut ſingillatim proſcriptæ inveniuntur, ſed extra illa, præſertim à Pontificibus Romanis, aut ipſorum Legatis. 220.

Sectio 5. Illuſtria quædam teſtimonia Patrum, præſertim Gallicanorum, eiuſdem ſæculi pro auctoritate infallibili Romani Pontificis ad dirimendas fidei controverſias, nulla penitùs facta mentione Concilij, præſertim Oecumenici. 223.

DISPVTATIO XIII.

Qualis fuerit ſenſus Eccleſiæ ſæculo tertio decimo circa eandem præcipuam controverſiam. 226.

Sectio 1. De varijs erroribus Albigenſium paulo accuratiùs. Porrò præcipuos eorum fuiſſe quidem damnatos in Synodo XII. Generali, cuius primum caput exſcribitur: alios verò plures prætermiſſos, quoniam Patribus congregatis non eſt viſum neceſſarium, vt ij ſingillatim in Generali Concilio proſcriberentur. 226.

Sectio 2. De errore Abbatis Ioachimi, & hæreſibus Almarici, Davidis Dinanti, Guillelmi de ſancto Amore, & Deſiderij Longobardi: quarum plures damnatæ fuerunt à Sede Apoſtolica extra Concilium. 228.

Sectio 3. De erroribus Raymundo Lullio adſcriptis, & ipſius diſcipulis, quos Gregorius Vndecimus Papa extra Concilium Generale damnaſſe fertur, alijs contrà ſentientibus, & pro illius honore pugnantibus. 231.

Sectio 4. De Sectis Fratricellorum, Pſeudo-Apoſtolorum, & Flagellantium, earumque erroribus, damnatis à ſancta Sede Apoſtolica extra omne Generale Concilium. 233.

Sectio 5. Proferuntur illuſtria quædam teſtimonia Patrum aliquorum eiuſdem ſæculi, præſertim SS. Thomæ, & Bonaventuræ, pro auctoritate infallibili Romani Pontificis. 235.

DISPVTATIO XIV.

An ſæculo quarto decimo credita & tradita fuerit in Eccleſia auctoritas infallibilis Romanorum Pontificum. 238.

Sectio 1. Hæreſes Petri Ioannis, Beguardorum, & Beguinarum, damnatas quidē fuiſſe à Concilio Generali Viennenſi; teſtante tamen palam, id iudicium ad ſolam Sedem Apoſtolicam pertinere. 238.

Sectio 2. Alias Sectas, hæreſeſque fuiſſe eodem ſæculo damnatas à Sede Apoſtolica ſub tempus Concilij Viennenſis. Vbi de Templarijs an ab eadem Synodo, an potiùs à Clemente Quinto abrogati fuerint. 241.

Sectio 3. Excurritur per varias hæreſes poſteriores Concilio Generali Viennenſi, dānatas à Romanis Pontificibus extra Synodum, tota Eccleſia illorum definitiones excipiente, veluti certas ſecundùm fidem. Quædam obiter obſervata circa Clerum Gallicanum illius temporis, & noſtri. 243.

Sectio 4. Exſcribuntur teſtimonia præcipuorum Patrum, & Theologorum eiuſdem ſæculi quarti decimi, vnanimiter agnoſcentium in Sede Apoſtolica auctoritatem ſupremam iudicandi, & finiendi controverſias fidei. 247.

DISPVTATIO XV.

An fuerit idem ſenſus, & praxis Eccleſiæ ſæculo XV. ac in præcedentibus, circa auctoritatem Papæ nulli errori obnoxiam. 250.

Vbi de poteſtate Papæ ſupra Concilium, contra Declarationem Cleri Gallicani.

Sectio 1. Hæreſes Vvicleffi, & Ioannis de Huſſ fuiſſe proſcriptas à Sede Apoſtolica priuſquam damnarentur in Concilio Generali Conſtantienſi: huius verò iudicium contra illas non fuiſſe prorſus irreformabile, donec à Martino V. Papa confirmatum fuit. 250.

Sectio 2. Celebre argumentum Adverſariorum ex auctoritate quadam eiuſdem Concilij deſumptum, quàm enerve ſit, & nullius momenti, contra infallibilitatem definitionum Papæ, eiuſque poteſtatem ſupra Concilium. 253.

Sectio 3. An eadem auctoritas Romani Pontificis in definiendo, & poteſtas ſupra Concilium, fuerit ritè reiecta in Concilio Generali Baſileenſi eodem ſęculo. Obijcitur aliud argumentum Adverſariorum inde petitum, & refutatur multipliciter. 256.

Sectio 4. Mirum eſſe quòd Illuſtriſsimus Clerus Gallicanus tueatur doctrinam illam, à Concilijs Generalibus indubitatis poſteà reiectā: id eſt, Florentino, Lateranenſi, & Tridentino. 259.

Sectio 5. Hæreſes ortæ eodem ſæculo XV. poſt Concilium Conſtantienſe, & damnatæ extra Generalem Synodum, præſertim à Pontificibus Romanis, aut ex delegatione ipſorum. 263.

DISPVTATIO XVI.

An Patres & Scriptores graves eiuſdem ſæculi XV. eandem auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiendo, & poteſtatem ſupra Concilia agnoverint, & tradiderint, contra decreta Synodi Baſileenſis. 266.

Sectio 1. Illuſtre teſtimonium Pij II. Papæ, olim Æneæ Sylvij, pro auctoritate ſumma, & poteſtate ſuprema Romani Pontificis, etiam ſupra Generalia Concilia: in quo retractat quæcumque olim pro Synodo Baſileenſi ſcripſerat. Vbi plurima obſervatu digna circa hiſtoriam eius Concilij. 267.

Sectio 2. Notæ quædam in eandem Bullam, inſtituto noſtro opportunæ, ad oſtendendum vberiùs nullam eſſe auctoritatem Synodi Baſileenſis, etiam teſtimonio Regis Galliarum Ludovici XI. & Scriptorum gravium eiuſdem præclaræ Nationis. 273.

Sectio 3. Selecta loca aliorum Patrum eiuſdem ſæculi, ſcribentium poſt tempus vtriuſque Concilij Conſtantienſis, & Baſileenſis, pro auctoritate Papæ in definiendis rebus fidei, & ſuprema poteſtate in totam Eccleſiam, proindeque ſupra Concilia. 278.

Sectio 4. Quid circa eandem controverſiam ſenſerint, & docuerint duo eiuſdem ſæculi XV. lumina, Nicolaus Tudeſchus, vulgo Abbas Panormitanus; & Alphonſus Toſtatus Hiſpaniarum Salomon. 280.

DISPVTATIO XVII.

An ab initio ſeculi XVI. ad hæc vſque tempora credita fuerit in Eccleſia Ca-

Catholica eadem auctoritas infallibilis Romani Pontificis. 283.

Sectio 1. Bulla Leonis X. Pontificis Maximi extra omne Concilium edita adverſus impia dogmata, errores, hæreſeſque Martini Lutheri cùm primùm emerſerunt. Veſtigatur an nupera Declaratio Cleri Gallicani nomine edita habeat quidquam affinitatis cum quibuſdam articulis damnatis Lutheri. 283.

Sectio 2. Adrianum VI. qui olim cenſuerat Papam in iudicio de rebus fidei extra Cõcilium errare poſſe, poſtea in Pontificatu oppoſitum docuiſſe, & damnationem errorum Lutheri extra omnem Synodum confirmaſſe. Exſcribitur eius Bulla ad Fredericum Saxoniæ Ducem contra illum Hæreſiarcham, lectu, & veneratione digniſſima. 287.

Sectio 3. Oſtenditur denique eundem fuiſſe ſenſum Eccleſiæ à tempore Adriani VI. vſque ad Innocentium XI. nunc regnantem. Vbi plura ex Concilijs Senonenſi, ac Tridentino: nonnulla etiam circa definitiones à Pontificibus toto eo tempore editas extra Generale Concilium. Clauſula harum trium poſtremarum Diſputationum contra Declarationem nuperam Cleri Gallicani. 294.

DISPVTATIO XVIII.

An Michael Baius, & Ianſenius, negaverint Romano Pontifici auctoritatem infallibilem ad dirimendum quæſtiones fidei extra Concilium Oecumenicum 297.

Sectio 1. Michaelem Baium humiliter ceſſiſſe Pontificum definitionibus extra Concilium, neque vnquam illarum infallibilitatem in dubium vocaſſe. 297.

Sectio 2. De propoſitionibus præcipuis Ianſenij ab Innocentio X. damnatis. Porrò ipſum, dum viveret, non ſemel teſtatum, ſe & totam doctrinam ſuam, iudicio Sedis Apoſtolicæ ſubmittere, nulla facta mentione Concilij. 298.

DISPVTATIO XIX.

Quid circa controverſiam hanc, & quæſtionem iuris tradiderint DD. clariſſimæ Scholæ Lovanienſis poſt damnatam doctrinam Bay: quid etiam poſt tempus Ianſenij. 303.

Sectio 1. Academiam Lovanienſem generatim, eiuſque Doctores ſpeciatim à tempore Baij vſque ad poſtremum tempus vitæ Ianſenij, nimirum vſque ad annum 1640. ſtetiſſe pro auctoritate infallibili Romani Pontificis in definiendo. 304.

Sectio 2. Quinam in Belgio, ac præſertim Lovanij, contra ſtatuta Academiæ iuramento confirmata, videatur nolle acquieſcere Pontificijs definitionibus, & appellare Generale Concilium, à tempore damnatæ doctrinæ Ianſenij. 306.

Sectio 3. Deſperatam eſſe cauſam ſequacium Baij, & Ianſenij, & longè deteriorē, quàm vtriuſque, dum reluctantur iudicio Sedis Apoſtolicæ, & indicant appellationem ad Generale Concilium. Effugium ipſorum multipliciter præcluſum. 308.

DISPVTATIO XX.

Qualiter alij ex ſequacibus Baij, & Ianſenij, eludere conentur iudicium Romani Pontificis quoad quæſtionem facti. 311.

Sectio 1. Refertur, & refellitur ſolemnis cavillus eorum, qui contendunt, propoſitiones Baij non fuiſſe damnatas in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento. Vbi de commate, aut interpunctione quadam eius Bullæ. 311.

Sectio 2. Quomodo alij effutiant, propoſitiones à Pontificibus damnatas, aut nõ extare in Ianſenio, aut non fuiſſe traditas ab ipſo in ſenſu quo damnatæ ſunt, tanquam Pontifex ea in re errare potuerit, & reipſa erraverit. 313.

Sectio 3. Reijciuntur omnes ij cavillatores ex ſevero Diplomate Alexandri VII. eos damnantis veluti filios iniquitatis: & plura exinde colliguntur. Porrò Clerum Gallicanum conſtanter ſtetiſſe pro cathedra S. Petri, etiam tunc. 315.

DISPVTATIO XXI.

An Innocentius X. erraverit tribuens Ianſenio propoſitiones, quæ in eius ſcriptis non extent. Vbi de illarum inſtauratoribus in Belgio. 317.

Sectio 1. Oſtenditur Innocentium X. iure meritò tribuiſſe Ianſenio primam ex quinque propoſitionibus damnatis; ac præterea exhibentur loca, in quibus multi Auctores illam poſtea ſuſcitaſſe videntur in Belgio. 318.

Sectio 2. Id ipſum demõſtratur quoad ſecundam propoſitionem Ianſenij, pariter inſtau-

inſtauratam à pleriſque Lovanienſiū. 319.

Sectio 3. De tertia propoſitione æquè tradita à Ianſenio, & pariter, quantum apparet, innovata à Lovanienſibus. 321.

Sectio 4. Vindicatur cenſura quartæ propoſitionis Ianſenij, pariter etiamnum traditæ, quantum apparet, ab eiſdem Nov-Auguſtinianis. 322.

Sectio 5. Quintam denique ex propoſitionibus damnatis traditam fuiſſe à Ianſenio in eodem ſenſu, quo inuritur ab Innocentio X. Illam porrò paſsim fere à Nov-Auguſtinianis videri traditam. 324.

Sectio 6. Qualiter in hac re Nov Auguſtiniani conveniant cum Heterodoxis, vel ab iis differant, & quomodo adverſus illos diſſerere oporteat. 326.

DISPVTATIO XXII.

Quibus tandem decretorijs armis extorquenda ſit ab Adverſarijs auctoritas infallibilis Romani Pontificis in definiendo, eaque tanquam certa omnino ſecundùm Catholicam fidem. 327.

Sectio 1. Romanorum Pontificum auctoritatem infallibilem in definitionibus ex cathedra prolatis eſſe certam ſecundùm fidem, non modò iuxta pleroſque Theologos, aut ferè omnes; ſed etiam iuxta Doctores Eccleſiæ, Concilia, & Patres celebriores Galliæ, Profeſſoreſque clariſsimarum Academiarum, Pariſienſis, & Lovanienſis. 328.

Sectio 2. Oſtenditur eadem doctrina expreſsè tradita in verbis Chriſti ad Petrum Lucæ 22. v. 32. iuxta communem interpretationem SS. Patrum, præſertim Romanæ Eccleſiæ Pontificum, quorum illuſtria teſtimonia proferuntur. Difficultates in oppoſitum expeditæ. 331.

Sectio 3. Id ipſum oſtenditur ex verbis Chriſti ad Petrum Mathæi 16. v. 18. & 19. adiuncto vnanimi conſenſu Patrum, quorum quædam teſtimonia exſcribuntur, quædam indicantur iam in ſuperioribus exſcripta. Evaſio quædam Adverſariorum multipliciter refutata. 335.

Sectio 4. Demonſtratur eadem veritas ex verbis Chriſti Ioannis 21. ad Petrum, PASCE OVES MEAS, iuxta ſenſum communem Patrum acceptis. Multiplex occurſus Adverſariorum ſive Pariſienſium, ſive Lovanienſium, diverſimodè præoccupatus. 338.

Sectio 5. Expenditur illuſtris locus Deuteronomij 17. vt conſtet Summum Sacerdotem Eccleſiæ, longè vrgentiori titulo, quàm olim Pontificem Synagogæ, præditum eſſe auctoritate infallibili ad finiendum quæſtiones ambiguas de fide, & moribus. Exceptiones Adverſariorum multipliciter refutatæ. 341.

DISPVTATIO XXIII.

An auctoritas infallibilis Romani Pontificis ſit certa ſecundùm traditionem Apoſtolicam. 346.

Sectio 1. Auctoritatem infallibilem Romani Pontificis conſtare palam ex traditione Apoſtolica, ideóque eſſe divina fide certam non minùs quàm cæteras veritates in ſacra Scriptura expreſſas. Illuſtre quoddam teſtimonium S. Anacleti Papæ, & Martyris ea de re. 346.

Sectio 2. Selecta alia teſtimonia SS. Pontificum, & Martyrum Primitivæ Eccleſiæ pro eadem traditione Apoſtolica cathedræ S. Petri in finiendis cauſis maioribus, quales præſertim ſunt ſpectantes ad fidem, & mores. Duo quoque alia SS. Pontificum, & Confeſſorum Marci, ac Iulij I. 349.

Sectio 3. Veteres quoque Patres Eccleſiæ ſuffragium ferre eidem auctoritati Pontificiæ, veluti habitæ ex traditione Apoſtolorum. 352.

DISPVTATIO XXIV.

An auctoritas infallibilis Sedis Apoſtolicæ pronuntiantis de fide & moribus ſit definita in Concilijs Oecumenicis. 355.

Sectio 1. Auctoritatem Romani Pontificis ex cathedra definientis, palam fuiſſe traditam in Concilijs Oecumenicis: ac primùm quidem in Magna Nicæna Synodo, cuius decreta quædam expenduntur contra nuperam Declarationem Cleri Gallicani. 355.

Sectio 2. Eandem doctrinam fuiſſe apertè confirmatam in plurimis alijs Concilijs Generalibus, quorum teſtimonia exſcribuntur, aut iam in ſuperioribus exſcripta indicantur. Clauſula huius Tractatus. 357.

TRACTATVS SECVNDVS,

CATHEDRA SANCTI PETRI vindicata. Pontifices Romani erroribus immunes.

PROOEMIVM. 361.

DIS-

DISPVTATIO XXV.

Quonam ſenſu à nobis aſſeratur auctoritas infallibilis Cathedræ S. Petri, & qualiter generatim ab impugnationibus vindicanda ſit. 362.

Sectio 1. Controverſiam eſſe ſolùm de Pontifice Romano vt tali; & non circa quæſtiones ſolius facti, ſed iuris; nec qualiſcúque, aut humani, pendentis ab ipſorum arbitrio, ſed diuini, aut naturalis; & hoc tãtùm vbi ex cathedra definiunt. 362.

Sectio 2. Definitiones Pontificis Romani ex cathedra pronuntiantis de fide, aut moribus, tãquàm Iure naturali, aut diuino præceptis, vel prohibitis, eſſe prorſus infallibiles, nec vllam ſupplicationem Synodalem, aut Regiam admittere. Illuſtratur doctrinà Concilij XV. Toletani, in ſpeciem contraria. 365.

DISPVTATIO XXVI.

An ex priuilegijs à Deo conceſsis B. Petro, & Eccleſiæ Romanæ præ alijs Patriarchalibus, colligatur ſatis, quoſdam Summos illius Pontifices immeritò accuſari errorũ in ſuis definitionibus. 369.

Sectio 1. Auctoritas infallibilis Romani Pontificis ſtabilita ex Priuilegio S. Petri præ alijs Apoſtolis electi in Eccleſię Pontificẽ, & Paſtorem Vniverſalem. 369.

Sectio 2. Eadem auctoritas oſtenſa ex ſingularibus prærogativis Petro conceſsis, tam ante, quàm poſt Chriſti Reſurrectionem, tranſmiſsis quodammodo in illius ſucceſſores. 370.

Sectio 3. Eadem prærogativa S. Petri, Eccleſiæ Romanæ communicata in perpetuum, expeditur per comparationem ad reliquas Eccleſias Patriarchales Orientis, quæ ſæpiſsimè cum Hierarchis ſuis naufragium circa fidem feciſſe inueniuntur. 373.

DISPVTATIO XXVII.

An primis tribus ſæculis Æræ chriſtianæ aliquis Romanorum Pontificum inveniatur ex cathedra definiſſe aliquid fidei Catholicæ, aut morum honeſtati cõtrarium. 375.

Sectio 1. Multos ex iis qui negant auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ, nec Diuis quidem parcere, ac D. Petrum erroris in fide incuſare auſos. Vindicatur Apoſtolorum Princeps ab ea calumnia, orta ex antiquis Hæreſiarchis. 375.

Sectio 2. Vindicatur S. Linus Papa, & Martyr ab irriſione Centuriatorum Magdeburgenſium, quod ſtatuerit fœminas velato capite in Templum introire. oſtenditur, id meritò decretum fuiſſe, iuxta ſacras, & profanas litteras. 379.

Sectio 3. Pontifices ſecundi ſæculi, & Martyres, Anacletus, Teleſphorus, & Victor, vindicatur à calumnijs, ſeu impoſturis hæreticorum. Vbi de cultu veteri erga reliquias SS. Martyrum, & abſtinentia Sacerdotum, adverſus Lutheranos. 381.

Sectio 4. Aſſeritur honor debitus Pontificibus tertij ſæculi, SS. Zephyrino, & Vrbano. Vbi de erroribus Montani, & de Confirmationis Sacramento. 383.

Sectio 5. Calumniæ hæreticorum adverſus SS. Pontifices, & Martyres eiuſdem tertij ſæculi, Pontianum, & Cornelium, repellũtur. Vbi de ſacrificio Miſſæ à Magdeburgenſibus, alijſque Lutheranis negato. 385.

DISPVTATIO XXVIII.

An quiſquam ex Romanis Pontificibus quarti ſæculi inveniatur decreviſſe, aut perpetraſſe aliquid contrariũ fidei? 387.

Sectio 1. An S. Marcellinus Papa aliquando negaverit fidem Chriſti, exteriùs ſaltem. Propoſitis duabus opinionibus eligitur, & confirmatur negans, tanquam valdè probabilis. Argumenta ſententiæ contrariæ ſolvuntur. 387.

Sectio 2. Diſſeritur an Liberius Papa fuerit aliquando reus violatæ Catholicæ fidei, ſeu definiendo aliquid contra illam, ſeu ſubſcribendo Confeſsionibus Arianorum, & ſententiæ latæ contra S. Athanaſium. Vbi an S. Gregorius VII. Papa decreverit Liberio cultum in Eccleſia, & in hoc erraverit. 392.

Sectio 3. De Felice II. Papa, quem aliqui inurunt tetra Arianiſmi nota. Vindicatur ab eo nævo, eiuſque Pontificatus, & ſanctitas aſſeritur, ex collatione hiſtoriæ ipſius, & Liberij Prædeceſſoris, cuius honor denuò ſtabilitur. Vbi obiter de Siricio Papa, quẽ erroris in fide arguit Calvinus. 397.

DISPVTAVIO XXIX.

Quinam Pontifices quinti & ſexti ſæculi arguantur erroris in fide, & quomodo eo vitio immunes probentur. 400.

Sectio 1. De aliquibus Pontificibus quinti ſæcu-

ſæculi ſanctitate excellentibus; nimirum Innocentio I. Cæleſtino I. Leone Magno, & Gelaſio I. quos Sectarij allatrant, quaſi in Decretis ſuis, aut Epiſtolis ſæpè erraverint. Vbi de Anaſtaſio II. 400.

Sectio 2. Examinatur, an Vigilius Papa ſæculo ſexto tradiderit, aut ſenſerit aliquid fidei Catholicæ contrarium. Vbi de Iuſtiniano Imperatore, qui durè ſe geſsit cum illo, & nimiùm ſibi arrogavit circa Dogmata, & res Eccleſiaſticas. 403.

Sectio 3. Vindicatur S. Gregorius I. cognomento Magnus à nota erroris in permittendo Presbyteris Sardiniæ adminiſtratione Sacramenti Confirmationis abſente Epiſcopo. 406.

DISPVTATIO XXX.

An aliqui ex Pontificibus ſeptimi, octavi, noni, & decimi ſæculi, inciderint in hæreſim, aut definierint aliquid fidei contrarium. 408.

Vbi de auctoritate Epiſtolarum Decretalium.

Sectio 1. Pontifices ſæculi ſeptimi Bonifacius V. Honorius I. & S. Martinus I. Papa ac Martyr; ab hæreſis notâ, & erroris nævo liberi. 408.

Sectio 2. Objectio difficilis ex Reſcripto quodam Gregorij III. ſæculo octavo Eccleſiam regentis, in quo videtur contineri error circa ſolutionem matrimonij. Solvitur difficultas, & explanatis varijs Decretis Pontificum, diſcernitur, quandonam in ijs ſit locus errori, necne. 410.

Sectio 3. Auctoritas Epiſtolarum Decretalium, ſeu Decretorũ Romani P. etiamſi fortè in corpore Iuris Canonici non haberētur, quanta, & quàm firma ſit. Exſcribitur ad longum doctrina Cardinalis Turrecrematæ in hac parte, deſumpta poriſsimùm ex Hincmaro Remenſi. 413.

Sectio 4. An Nicolaus I. Papa ſæculo octavo erraverit, præſcribens formam Baptiſmi reiectam à Prædeceſſoribus ſuis Pelagio & Zacharia in quibuſdam Decretis 416.

Sectio 5. Examinantur penitiùs interpretationes quorundam inſignium Theologorum ad illa decreta Pontificum Pelagij, Zachariæ, & Nicolai. Canus & Sotus ac ſubinde Bellarminus defenſi ab impugnationibus Patris Vazquez. 417.

Sectio 6. Aliqui ex Pontificibus ſæculi X. oſtenduntur liberi à notâ erroris & hæreſis, quæ inuſti fuere ab hæreticis, & ſchiſmaticis. Vbi de Sylveſtro II. ſpeciatim. 422.

DISPVTATIO XXXI.

Quot criminationibus impetatur honor S. Gregorij Papæ florentis ſæculo XI. præſertim a Sectarijs; & quàm iniuſtæ eæ ſint. 424.

Sectio 1. Calumniæ præcipuæ Bennonis pſeudo-cardinalis, & aliorum ex Henricianis ſchiſmaticis, & hæreticis, à Cardinali Bellarmino diſsipatæ, & falſitatis convictæ, ex teſtimonijs graviſsimorum Scriptorũ, præſertim eiuſdem ſæculi vndecimi. 425.

Sectio 2. Proferuntur plura alia à Bellarmino omiſſa ex teſtimonijs, & Scriptoribus eiuſdem ætatis, quibus fides incorrupta, innocentia, ſanctitas, doctrina, & perpetua morum honeſtas à pueritia aſſeritur Gregorio VII. 429.

Sectio 3. Denſenſio alia Gregorij VII. ex chronologia doctiſsimi Genebrardi Archiepiſcopi Aquenſis κατὰ λέξιν exſcripta, & lectu maximè digna. 433.

DISPVTATIO XXXII.

Quænam obijciantur reliquis Pontificibus, quaſi erraverint in Decretis ſuis, aut in hæreſim inciderint, & qualiter ea ſint refutanda. 435.

Sectio 1. Pontifices ſæculi XII. Alexandrum III. Cæleſtinũ III. & Innocentium III. nihil erroneum ex cathedra definiſſe. 435.

Sectio 2. Nicolaum IV. Papam ſæculo XIV. nihil ad fidem ſpectans definiſſe, cuius contrariũ poſtea decreverit Ioannes XXII. Bonifacius quoque VIII. obiter vindicatus ab impoſtura hæreſeos. 436.

Sectio 3. Pontifices ſæculi XIV. Ioannes XXII. & Vrbanus V. oſtenduntur ab eodem nævo liberi. Poſterioris ex ijs laudes aliquot. Vbi an Pontifex poſsit diſſolvere Matrimonium. 438.

Sectio 4. Ex Pontificibus ſæculi XV. vindicantur à nota hæreſis Ioannes XXIII. Eugenius IV. & Innocentius VIII. 440.

DISPVTATIO XXXIII.

Quibus præterea argumentis frequenter impetatur auctoritas Romani Põtificis, quaſi errori obnoxia: & qualiter ijs occurrendum ſit. 442.

Sectio 1. Duo priora argumenta ex hæreſi poſsibili in Romano Pontifice, & ex facto S. Cypriani, aliorumque Patrum, contra De-

Decretum quoddam S. Stephani Papæ, obiecta, & ſoluta. 442.

Sectio 2. Duo alia argumenta obijciuntur, & enodantur. Vbi de vtilitate, & neceſsitate conuocandi aliquando Synodum Oecumenicam. 444.

Sectio 3. Quædam alia recentiora Vigorij argumenta conuelluntur. Porrò in ijs fidelitatem deſiderari, & pietatem in Eccleſiam Romanam. Vbi de priuilegio commentitio Adriani I. in gratiam Caroli Magni. 446.

TRACTATVS TERTIVS,

ANIMADVERSIONES IN Declarationem Illuſtriſsimi Cleri Gallicani. 449.

DISPVTATIO XXXIV.

An Eccleſia Gallicana præ alijs Nationalibus Orbis Chriſtiani habeat libertates aliquas, ob quas ſit vllatenus excepta ab obedientia, aut ſubiectione omnimoda in Sedem Apoſtolicam, ſeu Romanum Pontificem. 450.

In Præfationem Declarationis recentis Illuſtriſsimi Cleri Gallicani.

Sectio 1. Examinatur quænam ſint, ſiue in quo conſiſtant libertates Gallicanæ Eccleſiæ. Porrò aut illas non eſſe peculiares, quales eſſe ſignificant Illuſtriſsimi eius Præſules In nupera Declaratione; aut ſchiſmaticas apparere. Opinio Pragmaticorum eius Regni, ac præterea Ioannis Launonij, refutata. 450.

Sectio 2. Exſcribitur opinio Illuſtriſsimi D. Petri de Marca circa libertates Eccleſiæ Gallicanæ, in quonam poſitæ ſint. 453.

Sectio 3. Inquiritur in eandem opinionem quoad præcipuam partem, in qua docet, libertates Gallicanæ Eccleſiæ, Regniue, in eo ſitas eſſe, vt non ligetur decretis, conſtitutionibus, aut reſcriptis nouis, receptos mores infringentibus, niſi publicus cõſenſus accedat. 455.

Sectio 4. Examinatur eadem opinio quoad receptos Canones, præſertim vniuerſales, an in Gallia poſsint infringi à Romano Pontifice. Plura circa hoc in alium locum remiſſa. 458.

DISPVTAVIO XXXV.

An Pontifex Romanus habeat poteſtatem ſupremam in Imperatores, Reges, & Principes, etiam quoad temporalia: ac proinde poſsit eos aliquando deponere, aut eorum ſubditos eximere ab obedientia, aut præſtito ijs fidelitatis Sacramento. 460.

Contra Primum Caput Declarationis Gallicanæ.

Sectio 1. Præmittitur ad litteram articulus ſecundus S. Thomæ a. 2. q. 12. vbi controuerſiam hanc ex profeſſo exagitat, & tradit ſententiam affirmantem, contrariamque prorſus Declarationi Gallicanæ. 460.

Sectio 2. Commentarius præiacti articuli S. Thomæ. Eius doctrina quo ſenſu accipienda. Porrò illam communem fuiſſe apud omnes Doctores verè orthodoxos, etiam Gallos, vſque ad finem ſæculi XVI. proximè præcedentis, & à ſolis Heterodoxis impetitam. 461.

Sectio 3. Præmittitur auctoritas Romani Põtificis ſupra omnes Chriſtianos, etiam Imperatores, & Reges; eaque veluti certa ſecundùm fidem, ſaltem quoad ſpiritualia. Eorumdem Imperatorum, Regumque, præſertim Galliæ, illuſtria teſtimonia ea de re. Nonnihil de Regibus Hiſpaniæ. 464.

Sectio 4 Regum Angliæ ſubiectio antiqua, & obedientia erga Romanum Pontificem, vſque ad apoſtaſiam Henrici VIII. Id ipſum obſeruatur de Imperatoribus Orientis, & Occidentis, Regibuſque generatim. 469.

Sectio 5. Stabilitur denuò ſubiectio Imperatorum, Regumque Chriſtianorum ad Romanum Pontificem, non modò quoad perſonas, ſed etiam quoad vſum poteſtatis temporalis, quatenus confert ad bonum ſpirituale, vel vtilitatem Eccleſiæ. Quædam circa dependentiam Imperij à Sede Apoſtolica ſpecialem, obſeruata. 472.

Sectio 6. Poteſtas ſuprema coercendi & puniendi per cenſuras Eccleſiaſticas quoslibet Reges Chriſtianos, Imperatoreſque, ſtatuitur in Pontifice Romano tanquàm certa ſecundùm fidem: comprobaturque hiſtorica excurſione per ſingula ferè ſæcula, In quibus aliqui eorum Principum à Præſulibus Romanis, imò & ab Epiſcopis excommunicati fuerunt. 477.

Sectio 7. Romanum Pontificem poſſe exauctorare, ſeu priuare quoslibet Principes ſæculares apoſtatas, ſiue hæreticos, dominio temporali, eorumque ſubditos eximere ab obedientia, & fidelitate in illos. Probatio multiplex ex ſacris litteris, adiunctis Patrum teſtimonijs: itemque ex Concilio Lateranenſi Oecumenico ſub Innocen-

tentio III. Alia fundamenta obiter indicata. 482.

Sectio 8. Eadem poteſtas Romanorum Pontificum ad abrogandos Imperatores, Reges, & Principes, hæreticos, & ſchiſmaticos, comprobatur diuturna praxi Eccleſiæ per plura ſæcula. Vbi ſæpe obiter plura ad Illuſtriſs. Præſules Gallicanos: vt more Deceſſorum ſuorum, & Romanorum Præſulum, eandem doctrinam ſequantur. 486.

Sectio 9. Prima obiectio Cleri Gallicani ex verbis illis Chriſti, *Regnum meum nō eſt de hoc mundo*: ac præterea, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, &c. vrgetur & ſoluitur, ſiue iuxta ſententiam, quæ tribuit, ſiue iuxta illam, quæ negat Chriſto, vt homini, & ſubinde eius Vicario, temporalem, ac directam Regnorum poteſtatem. 491.

Sectio 10. Obiectio altera DD. Præſulum Galliæ, ex verbis Apoſtoli Roman. 13. præmiſsis aliquot in eam animadverſionibus, oſtenditur extranea præſenti ſcopo, & regeritur in ipſorum opinionem. Clauſula totius Diſputationis. 494.

DISPVTATIO XXXVI.

Quàm immeritò, & fruſtrà nunc fuerit excitata opinio millies conuulſa, ſeu immane paradoxon, de poteſtate Concilij Oecumenici ſupra Papam. 498.

Contra ſecundum caput Declarationis Gallicanæ.

Sectio 1. Remiſſo Lectore ad ea, quæ ſuprà Diſputationibus XV. & XVI. præmiſsimus, impugnatur denuò ea pars Declarationis, veluti ſecum pugnans, & apertè cōtraria definitionibus Conciliorum Generalium Florentini, ac Lateranenſis ſub Leone X. Exceptiones præſertim deſumptę ex Conſtantienſi Synodo, reiectæ. 498.

Sectio 2. Vberiùs reijcitur eadem pars Declarationis, quòd ex præpoſtera interpretatione verborum Concilij Conſtantienſis, & deiectione Papæ indubitati infra omnem Synodum Oecumenicam, aperiat viam ad horrendum ſchiſma, & provocationes à ſententijs Romani Pontificis, proprias hæreticorum, ac ſchiſmaticorum hominum. 502.

Sectio 3 Eadem explanatio verborum Concilij Conſtantienſis oſtenditur repugnans ſenſui Eccleſiæ in Concilijs Generalibus expreſſo, à Pontificibus Romanis explanato, perpetuo ſæculorum vſu confirmato in Eccleſijs Orientis, & Occidentis. Vbi plura de Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam. 505.

DISPVTATIO XXXVII.

An vſus poteſtatis Apoſtolicæ, ſeu Pontificiæ, moderandus ſit iuxta Canones Cōciliorum, & regulas, mores, atque inſtituta recepta a Regno, & Eccleſia Gallicana. 509.

Contra tertium caput Declarationis Cleri Gallicani.

Sectio 1. Iuſtum quidem, & debitum eſſe, vt Canones Vniverſales Conciliorum, & peculiares Eccleſiæ Gallicanæ, olim probati à Sede Apoſtolica, non infringantur à Pontifice Romano, ſed ſerventur illæſi. Exornatur ea doctrina multiplici obſervatione. 509.

Sectio 2. Quoſdam ex hæreticis Eutychianis, & Acacianis ex ea doctrina pravè intellecta Sedem Apoſtolicam, & Eccleſiam exagitaſſe: deinde verò Photium ſchiſmaticum in Græcia, & Hincmarum Rhemenſem in Gallia, ipſorum in ea parte veſtigia ſecutos. Vbi plura de vtroque eorum. 512.

Sectio 3. Pontificem Romanum non ita adſtringi ad obſervantiam Canonum, etiam Synodalium, aut receptorum in Gallia, vt iuſta occurrente cauſa, ſeu rationabili, nequeat illos moderari, interpretari, abrogare, aut in his diſpenſare, & novos Canones, ac decreta condere, prout vtilius iudicaverit ad bonum Eccleſiæ. Illuſtria teſtimonia in eum ſcopum expenſa. 516.

Sectio 4. Mirum eſſe quòd recẽtes Galliarum Epiſcopi in eâdem Declarationis parte potiùs videantur ſequi veſtigia Hincmari & Photij, quàm tot exempla Summorum Pontificum, & praxim Apoſtolicæ Sedis, immò & doctrinam Patrum Eccleſię Gallicanæ, qui poſt tempus Hincmari omnia Pontificum decreta, & ſummam, atque abſolutam poteſtatem condendi leges, exceperunt humiliter, & palàm teſtati ſunt. Obiectiones ſolutæ. Vbi de Libertatibus Gallicanis. 520.

DISPVTATIO XXXVIII.

Quo ſenſu accipiendum ſit, valere regulas, mores, & inſtituta in Regno, & Eccleſia Gallicana recepta. 524.

Circa poſteriorem partem eiuſdem capitis 3. Declarationis Gallicanorū Antiſtitum.

Se-

Sectio 1. Præmittitur varietas regularum, cōſuetudinumque in alijs & alijs Regnis, & provincijs: quarum quędam ab Eccleſia vltrò præmiſſæ, aut etiam probatæ: quædam proſcriptæ veluti contrariæ iuri naturali, divino, aut Eccleſiaſtico. Varij textus Iuris Canonici explanantur. 524.

Sectio 2. Quàm periculoſum, & quanti oneris ſit Illuſtriſs. Galliarum Præſulibus, probaſſe generatim regulas, mores, & inſtituta in eo Regno, & Eccleſia recepta. Quanto eum delectu, & examine id fieri debuiſſet. Exceptiones refutatæ. 527.

DISPVTATIO XXXIX.

An in opinione negante iudicium irreformabile Pontifici Romano in quæſtionibus fidei, lateat aliquid veneni contra auctoritatem, & definitiones Conciliorum Vniverſalium. 529.

Cōtra caput quartū Declarationis Gallicanæ.

Sectio 1. Pronuntiatum id Illuſtriſs. Cleri Gallicani, primò traditū ab Ochamo ſchiſmatico, deinde à Gerſone, videri contradictionibus plenum, & pariter aut vrgentiori titulo contrarium auctoritati infallibili Conciliorum Generalium, ac Romani Pōtificis. 529.

Sectio 2. Velitationes quædam, & coniecturæ, ob quas appareat, quoſdam ſaltem Præſulum, & Doctorum Galliæ, in ea opinione eſſe, vt neque definitiones Conciliorum Vniverſalium vim irrefragabilem habeant, niſi Eccleſiæ Gallicanæ conſenſus accedat. 532.

Sectio 3. Paradoxon cuiuſdam Recentioris Theologi Pariſienſis, palam aſſerentis, nec Romani Pontificis, nec Conciliorum Generalium definitiones, habere auctoritatem irrefragabilem, niſi accedat conſenſus reliquæ Eccleſiæ, etiam prout laicos comprehendit. 535.

Sectio 4. Reijcitur obiter, & multipliciter ea opinio, veluti contraria teſtimonijs Scripturæ alibi expenſis, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ inimica, quæque Sectariorum cauſam agit. 537.

DISPVTATIO XL.

An Illuſtriſsimi Galliarum Præſules verè acceperint à Patribus doctrinam Declarationis dictæ, aut iure potuerint illam præſcribere ab omnibus in Gallia ſequendam. 539.

Contra Clauſulam eius Declarationis.

Sectio 1. Oſtenditur, nec doctrinam, nec formulam eius Declarationis, fuiſſe acceptam à Patribus Eccleſiæ Gallicanæ: ſed potiùs nunc contra eorum ſenſum & ſtylum attētatam fuiſſe. 540.

Sectio 2. Declarationem nuperam videri primò hauſtam ab Ochamo, deinde à Baſileēſibus, tandemque ab Hypercriticis quibuſdam Galliæ: quorum theſes monſtruoſę totidem alijs nuper ab Archipræſule Marca refutatæ exſcribuntur. Vbi de praxi Magiſtratuum Galliæ ab eodem Archiepiſcopo damnata. 541.

Sectio 3. Præſules Gallicanos non potuiſſe proferre eam Declarationem ſine graviſsimo reatu; temerique illam abolere palam: vtpote damnatam à reliquis Catholicis, & nuper ab Inquiſitione Hiſpana. 543.

TRACTATVS APPENDIX,

S. ANSELMVS DEFENSOR CATHEDRAE S. PETRI contra Rebelles, præſertim Græcos.

EPISTOLA Nuncupatoria ad SS. D. N. INNOCENTIVM XI. 1.

Prooemium ad Lectorem. 2.

DISPVTATIO XLI.

Quinam ex Græcis negaverint auctoritatem infallibilem Romano Pontifici ad finiendum controverſias fidei: & qualiter illam ex oppoſito aſſeruerit S. ANSELMVS. 2.

Sectio 1. De Græcis, qui longè ante tempus S. Anſelmi negarunt auctoritatem infallibilem Romano Pontifici ad finiendum ritè controverſias fidei: ac primū de ſanctis Firmiliano Cęſareenſi, Dionyſio Alexādrino, ac Cypriano Carthaginēſi, qualiter in hoc ſe geſſerint cum S. Stephano Papa. 3.

Sectio 2. de alijs Græcis, qui à tēpore Octavæ Synodi Generalis fuerunt in eadē opinione, præſertim de Photio ſchiſmatico. 4.

Sectio 3. Progreſsio eiuſdem opinionis Græcorum negantium auctoritatem infallibilem Romani Pontificis vſque ad tempus S. Anſelmi. Vbi de Michaele Cerulario Patriarcha CP. ſchiſmatico. 7.

Sectio 4. Anſelmum palam ſtetiſſe pro auctoritate ſuprema, & infallibili Sedis Apoſtolicæ, atque obedientia Romanorum Pontifi-

tificum, adverſus omnes ſui temporis hæreticos, & ſchiſmaticos tum Latinos, tum Græcos. Illuſtria eius teſtimonia exſcribuntur. 9.

Sectio 5. Anſelmum in dubijs, & controverſijs ad fidem, vel mores ſpectantibus ſolitũ conſulere Sedem Apoſtolicam, veluti regulam credendi infallibilẽ. Exhibetur quoddam Reſcriptum Paſchalis II. Papæ, ad varias illius conſultationes. 11.

DISPVTATIO XLII.

An proceſsio Spiritus S. ex Filio fuerit ab Eccleſia definita in aliquo Concilio Generali, aut prouinciali, antequã Anſelmus illam tueretur cõtra Græcos. 14.

Sectio 1. Propoſitis rationibus dubitandi, excurritur per octo priora Concilia Generalia antiquiora ſeculo vndecimo, in quo Anſelmus floruit: & oſtenditur, in nullo eorũ fuiſſe definitã proceſsionem Spiritus S. ex Filio. Variæ aliorum opiniones reiectæ, & plura obſervata ad hiſtoriã, & chronologiã eorundem Conciliorum ſpectantia. 14.

Sectio 2. Nonnullæ difficultates in oppoſitum obiectæ, & ſolutæ. 18.

Sectio 3. In quonam ex Concilijs Provincialibus, ſeu Nationalibus, primùm definita fuerit proceſsio Spiritus S. ex Filio, ante tẽpus S. Anſel. Vbi plura obſervatu digna. 20.

Sectio 4. Opinionem illam Græcorum fuiſſe diſcuſſam in Concilio Barenſi, & erroris convictam ab Anſelmo. Eius victoria, & triumphus inſignis coram Romano Pontifice, & reliquis Patribus congregatis. 22.

DISPVTATIO XLIII.

Id eſt, Vnica Diſſertatio S. Anſelmi contra Græcos de proceſsione Spiritus S. ex Patre & Filio, nondum eouſque definita in aliquo Generali Concilo; nunc Cõmentarijs illuſtrata. 23.

PROLOGVS ANSELMI.

Scholia in Prologum. Quinam ex Græcis negaverint proceſsionem Spiritus S. ex Filio? Porrò omnes ferè Patres Græcos illã tradidiſſe, ſimiliter & Latinos. Excurritur per varia illorum loca, præſertim Damaſceni. Quiſnam fuerit primus auctor contrarij erroris, eiuſq; progreſſus vſq; ad tẽpus S. Anſelmi. Eius diſputatio in Concilio Barenſi, & victoria ex Græcis reportata: Sũmus quoque ipſius apud Põt. & Romanos honor. 24.

CAPVT I. S. ANSELMI.

Præmittuntur ea, in quibus Græci cum Latinis conveniunt circa myſteriũ SS. Trinitatis, & proceſsionem Spiritus S. 31.

Scholia. Deum vnum in eſſentia, & Trinum in Perſonis eſſe: ex quibus tertia, id eſt, Spiritus S. dicatur, & ſit Spiritus Patris, & Filij, etiam iuxta Græcos. Porrò Perſonarum divinarum diſtinctionem non aliunde provenire, quàm ex proprietatibus relativis, iuxta quas vna oritur ab alia, & viciſsim ad eam refertur. 33.

CAPVT II.

Præmittitur vlterius, & explanatur qualiter cum vnitate in eſſentia cohæreat diſtinctio Perſonarum, orta ex relatiua oppoſitione. Porrò neceſſum eſſe alterutrum, vt vel Filius procedat ex Spiritu ſancto, vel hic ex illo. 36.

Scholia. Deum rationem abſolutam eſſe cõmunem tribus Perſonis, & omnia vnum vbi non obviat relationum oppoſitio. Porrò id Theologorum effatũ tradi ab Anſelmo hoc loci, quidquid alij negent. Mutua Perſonarum activitas reijcitur. Error Sabellij refutatur: item & Arij. Qualiter vnitas, & pluralitas relationum ſuam conſequẽtiam ſervent. 38.

CAPVT III.

Aſſertio præcipua S. Anſelmi, Spiritum S. ex Filio procedere. Prima probatio ex vnitate Dei, iuxta quam neceſſum ſit Spiritum S. ex Filio procedere, ſiquidem hic ex eo non oritur. 46.

Scholia. Inſtaurantur breviter præmiſſa apud Græcos, & Latinos certa: expenditurque ratio præcipua Anſelmi, probans neceſſum eſſe, vt vel Filius procedat ex Spiritu S. vel è contrà. Porrò prius ex his repugnare, ideoque poſterius eſſe neceſſarium. 46.

CAPVT IV.

Digreſsio aduerſus quendam Græcorum negantem Spiritũ S. eſſe Deum de Deo. 49.

Scholia. Spiritum S. eſſe Deum de Deo, quãvis id non exprimeretur in illo Symbolo, cui Latini addiderunt particulam *Filioque* reclamantibus Græcis. Quodnam ſit illud Symbolum, & in quibus Orbis Chriſtianĩ partibus, & quo tempore additum. Vbi plura ad hiſtoriam, & eruditionem Eccleſiaſticam ſpectantia. 51.

CAPVT V.

Vlterior eiuſdẽ erroris impugnatio deſumpta ex proceſsione & miſsione Spiritus S. qualitercumque illa accipiatur. Porrò ex eo quod Spiritus ſanctus ſit Deus de Deo, planè convinci ipſius proceſsionem ex Patre & Filio. 57.

Scholia. Præcluditur iterum evaſio negantiũ, Spiritum S. eſſe Deum de Deo. Porrò id neceſſariò colligi ex proceſsione, ſeu miſsione Spiritus S. Multiplex eius acceptio ab Anſelmo tradita, & ex Patribus Græcis

ac

& Latinis eruta. Vt cumque illa accipiatur, planè conuinci, Spiritum S. à Patre & Filio miſſum, ex vtroque oriri, idque planè ſequi ex eo quòd ſit Deus de Deo. 59.

CAPVT VI.

Eadem Spiritus ſancti proceſsio ex Patre & Filio probatur ex varijs ſacræ Scripturæ teſtimonijs. 64.

Scholia. Eadem Spiritus ſancti proceſsio ex Patre & Filio teſtimonijs Scripturæ, & rationibus exinde erutis comprobata; præſertim ex natura miſsionis, quæ aut includit, aut ſupponit æternam proceſsionem perſonæ miſſæ à mittente, ex conſenſu cõmuni Patrum. Euaſiones Græcorum præcluſæ. 66.

CAPVT VII.

Vberior eiuſdem doctrinæ confirmatio ex varijs Scripturæ locis. 69.

Scholia. Triplex probatio eiuſdem proceſsionis ex alijs, atque alijs Scripturę teſtimonijs, ſubtiliter ab Anſelmo expenſis. Effugia Aduerſariorum præcluſa. Interpretationes eorum locorum confirmatæ ex doctrina veterum Patrum. Neſtorij error obiter ab Anſelmo reiectus qualis fuerit. 73.

CAPVT VIII.

Obiectio quædam Græcorum aduerſus doctrinam traditam confutatur. 78.

Scholia. Non eſſe intervalla, aut gradationẽ aliquam penes prius, & poſterius inter generationem Verbi, & proceſsionem Patris, quâvis Spiritus ſanctus ab vtroque ſit. Solis exemplum pro Gręcis obiectum in eoſdem regeritur. Quomodo illo vtantur Patres ad explanandum diuinas proceſsiones. 79.

CAPVT IX.

An Spiritus ſanctus ſit a Patre per Filium. Vbi de fonte, riuo, & lacu. 81.

Scholia. Idem eſſe apud Patres Spiritum S. procedere ex Patre per Filium, ac procedere pariter ex Filio. Oſtẽditur id illuſtribus teſtimonijs iuxta mentem Anſelmi. Multiplex conſideratio fontis, rivi, & lacus, ad exponendum proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, non minùs veram & propriam, quàm Filij ex Patre. 84.

CAPVT X.

Vberior confirmatio præcedentis doctrinæ ex conſideratione aquæ in fonte, riuo, & lacu. 89.

Scholia. Conſideratio aquæ in fonte, rivo, & lacu, qua vtitur Anſelmus, eruitur ex ſacris litteris, & Patrum teſtimonijs ad probandã Spiritus S. proceſsionem ex Patre, & Filio, non tanquã ex duplici principio, ſed vno. An ratio principij & cauſæ admitti poſsit inter divinas Perſonas prout admittitur ab Anſelmo: & quidnam ea de re alij Patres docuerint. 91.

CAPVT XI.

Obiectio quædam Græcorum, extricata. 97.

Scholia. Proceſsionem Spiritus S. à Filio nõ excludi verbis illis Scripturæ, aut Patrum, in quibus ſolùm fit mentio proceſsionis à Patre. Illuſtria ex ſacris litteris loca in id confirmandum, ab Anſelmo expenſa aliorũ DD. expoſitionibus redduntur clariora. 98.

CAPVT XIII.

Inſtantia quædam aduerſus doctrinam capitis præcedentis, ſoluta. 100.

Scholia. Proceſsionem Spiritus S. ex Filio intelligi debere, etiam in ijs Scripturæ locis, in quibus tacetur. Alia teſtimonia in id probandum expenduntur, præſertim illud Ioannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt:* ex quo Anſelmus, & alij Patres περιχώρησιν divinarum Perſonarum probant, id eſt, circuminſeſsionem. Illuſtratur latè ſententia Anſelmi. 102.

CAPVT XIII.

Probatio alia ex eo quòd Spiritus ſanctus ſit Spiritus Patris & Filij etiam iuxta Græcos. 106.

Scholia. Non poſſe cohærere, quòd Spiritus S. ſit Spiritus Filij ſicut & Patris, quin à Filio procedat, quemadmodum & à Patre. Græci dicentes Filium dari quidem à Filio, non tamen procedere ſicut à Patre, refelluntur multipliciter. 107.

CAPVT XIV.

Refutatur quædam criminatio Græcorum aduerſus Latinos. 109.

Scholia. An expoſtulatio Græcorum adverſus Latinos, quod ijs inconſultis addidiſſent Symbolo particulam *Filioque*, fuerit iuſta? Vrgetur illa multipliciter: & obſervatis pluribus ex hiſtoria Eccleſiaſtica, refutatur, atq; exploditur iuxta mentẽ S. Anſelmi. 110.

CAPVT XV.

Anacæphaleoſis doctrinæ ſuperioribus traditæ. Vbi an Spiritus ſanctus ſit principaliter à Patre? 115.

Scholia. Spiritum S. non priùs, aut magis procedere de Patre, quàm de Filio. An dicendus ſit de Patre procedere principaliter, & quo ſenſu? An etiam propriè de Patre exiſtat, & qualiter intelligendi Patres ita loquentes? 116.

CAPVT XVI.

Explanatur vberiùs doctrina capitis præcedentis. 120.

Scholia. Iterum confirmatur proceſsio Spiritus S. æqualiter ex Filio, ac ex Patre. Porrò huic æqualitati non obſtare, quòd Filius à Patre procedat, & habeat vim ſpirãdi

di, ſicut non obſtat vt Filius ſit æqualis Patri. Quomodo Eccleſiæ Patres id intellexerint: & quàm certa ſit Spiritus ſancti proceſsio ex Filio. 122.

CAPVT XVII.

Corollaria quædam doctrinæ præced. 124.

Scholia. Inferuntur quædam ex dictis toto Opuſculo, & aſsignãtur ſex differentiæ inter divinas Perſonas invicem collatas. Naturam eſſe omnino vnam, & eandem numero in Perſonis divinis: ſecus verò in humanis. Quid circa hoc ſecundum docuerint Patres, præſertim Græci. Exponuntur piè, & iuxta ſenſum Anſelmi, communemque Philoſophorum. 126.

CAPVT XVIII.

Explanat ampliùs, qualiter inter diuinas Perſonas ſit vnitas, & pluralitas. 131.

Scholia. Ediſſeritur qualiter vnitas in divinis ſervetur abſque diſpendio pluralitatis: quomodo item aliqua tribuantur vni Perſonæ, quæ ſunt reliquis communia. 132.

CAPVT XIX.

Concluſio Opuſculi. 134.

Scholia. Modeſtia, & humilitas mira Anſelmi, poſt abſolutam contra Græcos tractationẽ de Spiritus ſancti proceſsione. Quibus in Concilijs ea definita fuerit, & qualiter poſt tempus Anſelmi confirmata, præſertim in Synodo Florentina. Imperij Græcorum excidium, propter contrariam, & inveteratam hæreſim. 134.

DISPVTATIO XLIV.

An longè ante Concilium Barenſe, cui interfuit S. ANSELMVS, Eccleſia addidiſſet Symbolo particulam illam, FILIOQVE: & quo primũ tempore. 136.

Sect. 1. Varia quorundam placita circa tempus in quo primùm addita fuit Symbolo particula FILIOQVE, referuntur, & improbantur. 136.

Sect. 2. Particulam FILIOQVE, videri primũ additam fuiſſe Symbolo C P. in Concilio III. Toletano. Difficultates quædã in oppoſitum obiectæ & ſolutæ, præſertim ex doctrina S. Anſelmi in Diſputatione contra Græcos. Plura etiã obſervata ad hiſtoriam, & Chronologiam Conciliorum ea de re ſpectantia. 139.

Sect. 3. Appendix ad Diſputationem eandem, & defenſio, tam Concilij Toletani Tertij, quàm Eccleſiæ Latinæ generatim, in additione eius particulæ ad Symbolum, contra criminationes Græcorum. Quædam obiter obſervata de Formoſo Papa, & ſtabilitate Sedis Apoſtolicæ in fide. 145.

DISPVTATIO XLV.

Quibus tandem officijs Anſelmus Sedem Apoſtolicam, ſiue Cathedram S. PETRI ſibi devinxerit, quà verbo, quà opere; & quot labores propterea paſſus fuerit. Vbi obiter expenduntur nonnulla eorum, quæ in nupera Declaratione Cleri Galliarum habentur, & geruntur in eodem Regno. 150.

Sect. 1. Anſelmum in obſequium Sedis Apoſtolicæ, iuri Inveſtiturarum vſurpato à Regibus Angliæ, primum omnium reſtitiſſe, ſimiliterque invaſioni bonorum Eccleſiæ; proptereaque perſecutiones plurimas paſſum, Romã ingenti cum labore adijſſe. 150.

Sect. 2. Exſcribitur Epiſtola S. Anſelmi ad Vrbanum II. Papam, deplorantis miſerum ſtatum Angliæ, cuius Rex omnia perturbabat Eccleſiæ iura, & bona invadebat, nemine Epiſcoporum, niſi ipſo, contradicere audente. Vbi obiter de ijs, quæ modò in Gallia geruntur. 152.

Sect. 3. Horrenda mors Vvilhelmi Ruffi Angliæ Regis, invaſoris bonorum Eccleſiæ, & perſecutoris S. Anſelmi. Huius reditus in Angliam, & diſsidium cum novo Rege Henrico I. ob Inveſtituras. Epiſtola gravis, & ſevera Paſchalis II. Papæ ad illum ob eam cauſam, digna legi à Principibus. 155.

Sect. 4. Henricus I. adhuc inhiat Inveſtituris, nolens cedere Romano Pontifici. Epiſcopi, & Proceres adulantur Regi. Solus Anſelmus reſiſtit, & iterum Romam adire cogitur: donec tandem poſt multos illius labores Rex flectitur, & Eccleſiæ libertas reſtituitur. Elogium S. Anſelmi. 158.

DEFENSIO
CATHEDRÆ S. PETRI
EIVSQVE SVCCESSORVM ROMAN. PONTIFICVM, ADVERSVS THESES QVORVNDAM NVPER EDITAS IN GALLIA ET BELGIO:

SVBIICIENDA SACRIS PEDIBVS

SS. D. N. INNOCENTII XI. P. M.

PER MANVS EMINENTISSIMORVM PRINCIPVM, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIVM,
D. D. LVDOVICI FERNANDEZ MANVEL PORTOCARRERO,
ARCHIEP. TOLETANI, PRIMATIS HISPANIARVM, &c.
ET D. D. SAVI MILLINI, NVNTII APOSTOLICI
IN EISDEM REGNIS, AC LEGATI A LATERE, ARCHIEPISCOPI CÆSAREENSIS, &c.

TRACTATVS PRIMVS,

DE AVTHORITATE INFALLIBILI ROMANI PONTIF. AD DIRIMENDAS CONTROVESIAS FIDEI AC MORVM, ABSQVE DEPENDENTIA A CONCILIO, PRÆSERTIM OECVMENICO, VEL CONSENSV ECCLESIÆ ACCEDENTE.

PROOEMIVM.

NON Eſt animus ſcribendi hoc loco de AVTHORITATE Romani Pontificis in vniverſum, quæ iam à plurimis Scriptoribus Catholicis latè & ex inſtituto ſtabilita fuit adverſus Sectarios quoslibet Apoſtolicæ Sedis iuratos hoſtes: ſed ſolùm de illa ſeorſim ac per ſe ſpectata, in ordine ad dirimendas quæſtiones fidei & morum. Hoc ſenſu diſſerendum nobis eſt de Auctoritate infallibili Cathedræ S. Petri extra & ſupra Concilia quælibet, atque independenter à conſenſu Eccleſiæ accedente. Cuius materiæ, licèt etiam à plurimis diſcuſſæ, recentem tractationem exigere videtur præſens rerum ſtatus intra ipſum Eccleſiæ Catholicæ ſinum: vt mox oſtendam.

DISPVTATIO I.

QVAM NECESSARIA SIT HOC TEMpore tractatio & defenſio Auctoritatis infallibilis Romanorum Pontificum, per ſe ac ſeorſim ſpectata, extra & ſupra Concilia quælibet, ad dirimendas quæſtiones fidei.

NE Videar prorſus abrupiſſe filum Commentariorum in Monologion S. ANSELMI, quos duplici Tomo præcedenti intexere curavi, oportet vt ſtatim reddam rationem huius Tractationis, ſiue Digreſsionis. Prius verò, quàm id faciam, præmitto ad SS. D. N. INNOCENTIVM XI. verba ipſa, quibus ANSELMVS ſcripturus in alia fidei cõtroverſia alloquitur VRBANVM II. tunc temporis Romanum Pontificem, initio libri de Fide Trinitatis, ſiue de Incarnatione Verbi: Quoniam, *inquit*, divina providentia Veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret; *AD NVLLVM ALIVM RECTIVS REFERTVR, SI QVID CONTRA CATHOLICAM FIDEM ORITVR IN ECCLESIA, VT EIVS AVCTORITATE CORRIGATVR*: nec vlli alij tutiùs, ſiquid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentia examinetur. *Quibus verbis, & pluribus alijs ſuo loco exſcribendis, ſummam & infallibilem auctoritatem Apoſtolicæ Sedis profitetur in determinandis controverſijs fidei ac morum præ quacũque alia regula. Quod ipſum ego profiteor initio, eiuſdem S. Doctoris imitatione. Vide ipſum lib. Epiſt. 3. epiſt. 37. 40. 47. 48. 74. 152. & lib. 4. epiſt. 2. 47. 49.* iuxta noviſsimam editionem Gerberonis.

SECTIO PRIMA.

Occaſio ſcribendi Tractatum hunc, nuper à quibuſdam Lovanienſium data: ſeu Ratio huius Operis ad Lectorem Catholicum, & Pontificiarum Definitionum tenacem.

1 IAM Ferè ſub prælo erat Tomus noſter Tertius Commentariorum in Monologion S. ANSELMI, continuatà ſerie capitum ipſius, & Diſputationum iuxta ordinẽ litteræ; cùm nos ab eius editione retardavit rumor per totã ferè Europam ſparſus de opinione nov antiqua aliquorum ex Catholicis, negãtium Romanis Pontificibus auctoritatẽ prorſus infallibilem in dirimendis quæſtionibus fidei, & morum, extra Concilium Generale, atque etiam ſupra illud. Etenim teſte Raynaudo Tom. XX. in Opuſc. adverſus Ianſenianos, inſcripto Αὐτὸς ἔφα, col. 2. p. 377. & Patritio Duffio in Theologia Baio-Ianſeniana, Claſsi 2, §. *Quartus* pag. mihi 9. quidam Recentiores in Belgio auctoritatẽ R. Pontificis in definiendo extra Conciliũ negant infallibilẽ eſſe, aut de eâ dubitant: *Vt hinc conficiãt*, inquit, *nulla contra ſe infallibili auctoritate cõcluſum. VNDE PRO CONCILII GENERALIS IVDICIO NON RARO SVBMVSSITANT.* Porrò inter eos Auctor Theſium publicatarum Lovanij 16. Auguſti 1670. Theſi 3. dixit: *Cùm id, quod Catholicum eſt, conſtet à nullo particulari (qualiſcumque ille fuerit) vt tali petendum eſſe; ad eradicandos errores medium efficaciſsimum eſt Synodus Oecumenica.* Hæc ille, abſdubio vt elevaret, aut luxaret vim decretorum Pij V. Gregorij XIII. & Innocentij X. adverſus dogmata Michaelis Baij, & Cornelij Ianſenij, quoniam extra Concilium edita fuerunt. Paulò poſt Petrus van Buſcum S. Theol. Licent. Lovan. alumnus, &c. in Inſt. ad Tyrocinium Theologiæ an. 1672. varijs locis editâ, & recusâ, ac iã celebri inter Lovaniẽſes, ita loquitur propoſitione 8. pag. 24. *Certus non eſt, ſed dubius modus infallibilitatis Eccleſiæ, quando ſolus Pontifex abſque cõſenſu, & approbatione aliorum Antiſtitum, aliquid definit.* Id verò confirmare nititur: *Quia illum modum non admittunt graviſsimi Pontifices & Doctores & contrarium ſenſerunt Patres Concilij Baſileenſis; prætereundus eſt, nec annumerandus modis infallibilitatis Eccleſiæ.*

3 Cùm verò ea doctrina, inter plura alia, diſplicuiſſet plurimis benè affectis erga Apoſtolicam Sedem, prodijt vindex Anonymus eiuſdem Inſtitutionis mox allegatæ: qui circa propoſitionem 8. pag. 3. auſus fuit dicere: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.* Mitto plures alios recentiùs adhuc ita loquen-

quentes, tum nomine Facultatis Theologicæ Pariſienſis, tum Eccleſiæ Gallicanæ, de quibus infrà ſect. 2.

4 Et certè pluribus retro annis mecum ipſe reputaveram, omnes eos qui poſt decreta Pontificia adverſus Baium, & Ianſenium horum quædam dogmata, varijs coloribus velata, & in ſpeciem ſolùm alia, ſed eadem reipſa tueri audent, præſertim Lovanij, in eâ opinione fuiſſe, & eſſe: quamvis plerique non audeant illam publicè tueri, ne traducantur, aut declarentur innodati cenſuris in Hæreticos latis à Sede Apoſtolica adverſus earum propoſitionum defenſores. Hanc meam exiſtimationem nuper confirmavi, cùm apud eruditiſſimum Virum Petrum Gaſſendum tom. 6. pagina 465. legerem hæc verba Illuſtriſsimi Caramuelis, tunc Doctoris, & Profeſſoris Lovanienſis, in Epiſtola quadam ad ipſum dicentis: *Hanc Opinionem videntur ſupponere Lovanienſes Doctores, cum Ianſenij in Baio olim à duobus Pontificibus condemnatas opiniones defendunt: hanc cum Vrbano VIII. Ianſenianam doctrinam condemnanti, hoc vel illo fundamento quæſito, non acquieſcunt.* Hæc ille tunc oculatus teſtis eorum, quæ Lovanij gerebantur. Quis autem crederet ſic opinaturos Doctores eius Academiæ, quæ olim, vt occurreret contagio hæreſium iam ſerpenti, inter varios Articulos hunc numero vigeſimum quintum edidit: *CERTÂ FIDE TENENDA SVNT, QVAE DEFINITA SVNT SVPER FIDEI, AVT MORVM NEGOTIIS PER CATHEDRAM PETRI.* Sanè qui hæc, & illa legunt, ac invicem conferunt, mirum non erit ſi cum Propheta lamententur dicentes: *Obſcuratum eſt aurum: mutatus eſt color optimus.* Quis putaret in ea Academia futuros Doctores, qui poſt tot definitiones ſequentes Summorum Pontificum, non editas niſi implorata Spiritus S. ope, publicis, ac privatis precibus, & diligentiſsima conſultatione Theologorum præmiſſa, audiriſque S. R. E. Cardinalium ſuffragijs, adhuc reſiſtant, nolintque aſſentiri Apoſtolicæ Sedis iudicio?

5 Quis etiam nobis ediſſerat, an plerique ex eiſdem Profeſſoribus tangantur religione iuramenti editi in ea Academia, quoties Gradum quemlibet litterarium accipiunt? Nimirum, illa cùm primum Pij V. & Gregorij XIII. Diploma adverſus propoſitiones Michaelis Baij, Cancellarij olim ſui, ſolemni ritu excepit, lege publica ſancivit, ad perpetuam rei memoriam, vt omnes ibidem vacantes litteris prædictos articulos in Graduum ſuſceptione abiurare, & Magiſtri, Profeſſoreſque omnes ab iis docendis, defendendis, aſſerendiſque abſtinere, & diverſam, atque oppoſitam doctrinam tradere iubeantur. Omneſque Doctores, nullo dempto, eidem Conſtitutioni ſubſcripſere. At verò poſt eam ſanctionem editam, ſcimus, quid Ianſonius Baij diſcipulus, quid Ianſenius poſtea, quid deniſque plurimi alij ex eadem Schola docuerint, quà voce, quà ſcripto.

6 Sed & mirabilius eſt, quomodo tot nuperi Doctores Lovanienſes poſt Definitionem ſolemniſsimam *INNOCENTII X.* adverſus quinque præcipuos errores Cornelij Ianſenij, qua nullam diutiùs meditata eſt Sedes Apoſtolica, videantur illos tueri varijs coloribus indutos, quaſi non in ſenſu ipſius Ianſenij, ſed in alio confictos, aut imaginario proſcripti fuerint. quo certè evaſionis genere pariter iis hæreſes Lutheri, Calvini, aliorumque Hæreſiarcharum tueri aliquomodo liceret, tanquam non iuxta ſenſum ipſorum, ſed alio neſcio quo fulguritæ fuiſſent. Verùm augetur adhuc admirationis occaſio poſtquam *ALEXANDER VII.* anno 1660. declaravit quinque illas Ianſenij propoſitiones ritè damnatas fuiſſe *IVXTA SENSVM AB IPSO INTENTVM*; & oppoſitum effutientes appellavit *FILIOS INIQVITATIS*. Tunc enim Facultas Theologica Lovanienſis Diplomate ipſo Alexandri reverenter excepto, ſcripſit ad eundem, ſe ſtatuiſſe, neminem de reliquo admittere ad Gradus Academicos, niſi promiſſa, & iuramento confirmata obſervatione religioſa eius decreti, & alterius antea editi ab *INNOCENTIO*, iuxta vtriuſque tenorem. Quæ humilis ſubiectio Academiæ in cauſa fuit, vt *ALEXANDER* ipſe litteras amoris plenas reſcripſerit Doctoribus Lovanienſibus eodem anno die 7. Auguſti. Sed tamen adhuc poſt eum annum vſque in diem hodiernum plurimi Profeſſores Lovanienſes fuerint, & ſunt, qui videantur multas ex propoſitionibus Baij, & Ianſenij totidem ferè verbis docere, & negare damnatas fuiſſe, aut damnari potuiſſe in ſenſu Auctorum; vt teſtatur vberrimè Patritius Duffius, Catholicæ Maieſtatis Theologus, ad *SS. D. N. INNOCENTIVM XI.* miſſus, in Theologia Baio-Ianſeniana. Hoc certè eſt quod maximè miramur in iis Doctoribus, qui ſe palàm Catholicos, & Pontificios, omniumque hæreticorum oſores profitentur: quomodo pareant decretis, & aſſentiantur definitionibus Sedis Apoſtolicæ: quomodo etiam ſtent promiſsioni iuramento confirmatæ in ipſa ſuſceptione Graduū eius Academiæ. Quod ipſum mirantur nobiſcum plurimi alij, & nuperrimè Cornelius Zegens in

Scrupulis Novis, & Antiquis §. 33. adverſus P. Ægidium Gabrielis, dicens: *Spes mea multum minuitur, dum cogito tam multos hodie Lovanij promoveri ad Gradus Academicos: qui an & quomodo iurent obſervantiam prædictarum Conſtitutionum, nemo facilè poſsit aſſequi; ITA VT IVRAMENTVM ILLVD DICATVR NEGOTIVM ESSE AMBVLANS IN TENEBRIS. IPSI ACADEMICI DICVNTVR IGNORARE QVID IVRENT.*

7 Hæc igitur cauſa fuit, vt Diſputationibus noſtris *DE NATVRA ET GRATIA*, in Tertio Tomo contentis iuxta mentem *S. ANSELMI*, præmittendum omnino cenſeremus Tractatum Proœmialem *DE AVCTORITATE ROMANI PONTIFICIS EXTRA CONCILIVM* ad definiendum quaslibet controverſias in rebus fidei, & morum. Dum enim illa non aſſeritur, & ſtabilitur tanquam prorſus infallibilis, & nulli omnino errori obnoxia; nequeunt manifeſtæ hæreſeos redargui quotcumque ex Orco revocant pernicioſa illa Ianſenij dogmata. Quare licèt in ijs refellendis ampliſsimam laudem meruerint Dionyſius Petavius, Martinonus, Ripalda, Annatus, & Dechamps, ac recentiùs Gonet, Carmelitæ Salmanticenſes, & Bruno Neuſſer alijque plures; adhuc tamen in ijs deſideratur quod primo loco ſtabiliri oportuiſſet, & ex profeſſo tradi, Romanum Pontificem ex cathedra definientem in quæſtionibus fidei, ſicuti & morum, etiam extra Concilium, nullatenus errare potuiſſe, aut vnquam poſſe.

8 Nec tamen ideo prædictos Scriptores carpo, tanquam id omiſſerint ex negligentia aliqua. Potuerunt enim iure merito eam infallibilitatem Romanæ Sedis, iam antè ſtabilitam ab innumeris ferè Scriptoribus, ſupponere, velut exploratam, & indubiam, quidquid pauci aliquot negaverint abſque vllo ſolido fundamento. Verùm cùm hodie illa apertè impetatur à partiarijs Baij, & Ianſenij potiſsimùm, oportuit eam ἀναμφισβητήτως confirmare, & munire ijs argumentis, quæ ἀναντίῤῥητα omnino ſint: vt ea ſemel ſtatuta, & præmiſsis definitionibus Summorum Pontificum, præſertim Pij V. Innocentij X. & Alexandri VII. Diſputationes de Natura & Gratia ex ordine aggrediamur, præcluſo eo inani effugio.

***
**

SECTIO SECVNDA.

Recens alia ſcribendi occaſio ex propoſitionibus editis a Facultate Theologica Pariſienſi anno 1662. & à Clero Gallicano hoc ipſo anno 1682.

9 ALTERAM Tractationis huius occaſionem ſubiungo. Cùm ſententia docens, Romanum Pontificem in dirimendis quæſtionibus fidei habere auctoritatem prorſus infallibilem, fuerit ac ſit communis inter Theologos, & Pontificij Iuris Doctores, paucis quibuſdā exceptis, eaque à pleriſque habita vt omnino certa ac Catholica, etiam in ipſa Pariſienſi Academia, vt ſuo loco oſtendemus; ſubita rerum mutatio accidit anno 1662. Etenim occaſione cuiuſdam gravis diſſenſionis inter Oratorem Regis Chriſtianiſsimi, & D. Marium Chiſium Romanæ Vrbis Præfectum, ac ſubinde inter huius fratrem Alexandrum VII. Papam, & Regem ipſum Ludovicum XIV. Theologica Facultas Pariſienſis ſequentes propoſitiones edidit, quas eius Decanus ſuo ac Sociorum nomine Parlamento tradidit.

Sex aſſerta Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis circa poteſtatem Papæ.

PRIMO, Non eſſe doctrinam Facultatis, Summum Pontificem aliquam in temporalia Regis Chriſtianiſsimi auctoritatem habere; immo obſtitiſſe Faculratem etiam ijs, qui indirectam tātummodo voluerunt eſſe illam auctoritatem.

SECVNDO, Eſſe doctrinam Facultatis, quòd Rex Chriſtianiſsimus nullum omnino agnoſcit, nec habet in temporalibus ſuperiorem, præter Deum: eamque eſſe antiquam doctrinam a chronologia Pontificum, a qua nūquam receſſura eſt.

TERTIO, Doctrinam Facultatis eſſe, quòd ſubditi fidem & obedientiam Regi Chtiſtianiſsimo ita debent, vt ab ijs nullo prætextu diſpenſari poſsint.

QVARTO, Eandem Facultatem non probare, neque probaſſe vnquam propoſitiones vllas Chriſtianiſsimi Regis auctoritati, aut germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: v. g. quòd Summus Pontifex deponere poſsit Epiſcopos adverſus eoſdem Canones.

QVINTO, Doctrinam Facultatis non eſſe quòd Summus Pontifex ſit ſupra Concilium Occi menicum.

SEX-

SEXTO, Non eſſe doctrinam, nec dogma Facultatis quòd Summus Pontifex nullo accedente Eccleſiæ conſenſu ſit infallibilis.

10 Prædictarum Propoſitionum doctrina (inquit Carriere in Chronologia Pontificum recuſa Lugduni anno 1663. pagina 444.) *per totum Regnum evulgata & recepta eſt cum iteratis prohibitionibus ei quoquomodo contradicendi verbo aut ſcripto priuato, aut publico, ſub pœnis graviſſimis, & exemplaribus in Arreſtis die 22. Ianuarij, & 14. Aprilis anno 1662. à Parlamento Pariſienſi iniunctis.*

12. Sed pauló pòſt rebus compoſitis inter Summũ Pontificem, & Regem Chriſtianiſsimum, videntur ſilentio ſuppreſſæ fuiſſe quinque illæ propoſitiones; veluti non à conſilio, aut matura conſultatione Academiæ Pariſienſis prolatæ; ſed ſubita quadam animi commotione, ob iniuriam Oratori Regio irrogatam Romæ à germano fratre Alexandri VII. quaſi auctoritas Sedis Apoſtolicæ punienda eſſet ob crimen imputatum Mario Chiſio. Ceſſante itaque diſsidio illo inter Alexandrum VII. & Ludovicum XIV. ceſſavit promulgatio, & approbatio earum propoſitionum in Gallijs.

12 Verum hoc ipſo anno fluente M, DC. LXXXII. Clerus Galliarum Pariſijs congregatis die 19. Martij, eaſdem ferè propoſitiones inſtauravit, occaſione alterius gravis diſsidij inter *SS. D. N. INNOCENTIVM XI.* & eundem Chriſtianiſsimum Regem Ludovicum XIV. Nec modò inſtauravit, ſed etiam luculentiùs confirmare perrexit: immo & quintam ac ſextam earum, quarum neutra à Facultate Pariſienſi anno 1662. tradita fuerat poſitivè, ſed veluti ſub dubio relicta, nunc Clerus ipſe ex inſtituto tuendam ſuſcipit. Nimirum, dixerant Pariſienſes anno 1662. *Non eſſe doctrinam Facultatis quòd Summus Pontifex ſit ſupra Concilium Oecumenicum*: ac prætereà, *Non eſſe doctrinam, nec dogma Facultatis quòd Summus Pontifex nullo accedente Eccleſiæ cõſenſu ſit infallibilis.* Quæ verba poſſent accipi ſenſu præciſivo, ſeu negativè ſolùm, vt in Scholis loquimur: quaſi ſolùm ſignificent, Facultatem Pariſienſem non tueri, ſive non ſuſcipere defendendam ſententiam quæ docet, Papam eſſe ſupra Concilium Oecumenicum, aut ſine eo poſſe dirimere infallibiliter controverſias fidei: verùm nec tueri ſententiam contrariam, ſed abſtrahere ab alterutrius veritate. Clerus autem ampliùs progreditur; & diſertè negat Papam eſſe ſupra Conciliũ Oecumenicum, illiuſque iudicium in fidei quæſtionibus arbitratur non eſſe irreformabile. Subiungo tranſumptum earum omnium propoſitionum, prout à Clero Gallicano editæ ſunt.

CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE Declaratio, die 19 Martij 1682.

14 ECCLESIAE Gallicanæ decreta, & libertates à majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta ſacris Canonibus, & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec deſunt qui earum obtentu primatum Beati Petri eiuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſque Apoſtolicæ, in qua fides prædicatur, & vnitas ſervatur Eccleſiæ, reverendam omnibus gentibus maieſtatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt, quò eam poteſtatem, qua pax Eccleſiæ continetur, invidioſam, & gravem Regibus & populis oſtentent; iiſque fraudibus ſimplices animas de Eccleſia Matris Chriſtique adeò communione diſſocient. Quæ vt incommoda propulſemus, Nos Archiepiſcopi, & Epiſcopi Pariſijs mandato Regio Congregati, Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, vnà cum cæteris Eccleſiaſticis viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc ſancienda, & declaranda eſſe duximus.

15 Primum, Beatò Petro eiuſque ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs, ipſique Eccleſiæ, rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium, à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; & iterum, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: ac proinde ſtare Apoſtolicum illud; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubijci, neque auctoritate clavium Eccleſiæ di-

recte, vel indirecte deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide, atque obedientia, ac præſtito fidelitatis Sacramento ſolvi poſſe;eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minùs Eccleſiæ, quàm imperio vtilem,vt verbo Dei,Patrum traditioni,& Sanctorum exemplis conſonam,omnino retinendam.

16 Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi,ac Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, vt ſimul valeant, atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis a Sede Apoſtolica comprobata, ipſorumque Romanorum Pontificum,ac totius Eccleſię vſu confirmata,atque ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita decreta de authoritate Conciliorum Generalium,quæ Seſsione quarta,& quinta cōtinentur;nec probari a Gallicana Eccleſia,qui eorum decretorum,quaſi dubiæ ſint authoritatis, ac minùs approbata, robur infringant,aut ad ſolum Schiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant.

17 Hinc Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos,& totius mundi reverentia conſecratos: Valere etiam regulas, mores, & inſtituta a Regno, & Eccleſia Gallicana recepta,Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, vt ſtatuta, & conſuetudine tantæ Sedis,& Eccleſiarum conſenſione firmata, propriam ſtabilitatem obtineant.

18 In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes,eiuſque decreta ad omnes,& ſingulas Eccleſias pertinere;nec tamen irreformabile eſſe iudicium,niſi conſenſus Eccleſiæ acceſſerit.

19 Quæ accepta a Patribus,ad omnes Eccleſias Gallicanas, atque Epiſcopos ijs Spiritu Sancto authore præſidentes, mittenda decrevimus; vt idipſum dicamus omnes,ſimuſque in eodem ſenſu,& in eadem ſententia.

20 Subſcribunt Archiepiſcopi & Epiſcopi numero triginta quatuor, & præterea alij triginta octo è Clero Gallicano. Eius declarationi adiuncta eſt ſanctio Pragmatica Regis Chriſtianiſsimi,vt ex propoſitiones in vniverſa ditione & Provincijs atque Academijs Regnorum ſuorum defendantur; neque quiſquam, Gradum aliquem litterarium in Theologia aut Iure Canonico accipiat, niſi iuratà prius earum defenſione,&c.

21 Cùm verò ex ijs propoſitionibus dumtaxat ſpectet ad ſcopum huius Tractatus illa,quæ negat iudicium Summi Pontificis eſſe irreformabile in quæſtionibus fidei,niſi accedat Eccleſiæ conſenſus;circa eam ſolam immorabimur,cæteris nunc omiſsis. Id autem partitò ac diſtinctè præſtabimus varijs Diſputationibus,ordine ſuo proferendis.

DISPVTATIO II.

AN HAEC NVPERA DECLARATIO CLERI Gallicani nomine edita, ſit contraria ſenſui communi Epiſcoporum Galliæ, paucis retro annis expreſſo in litteris ad Innocentium X.

VIDIMVS Nuper quomodo Clerus Gallicanus, (ſeu potiùs quædam pars,eaque non maior, graviſsimæ,& à priſcis ſeculis longè ac latè venerabilis Galliarum Eccleſiæ) hoc ipſo anno 1682. negaverit Summo Pontifici judicium irreformabile in quæſtionibus fidei dirimendis, niſi accedat conſenſus Eccleſiæ. Nunc videndum imprimis, an hæc fuerit vſque modò eiuſdem Cleri ſententia,an potiùs oppoſita: vt proinde non tàm ratione duce,& maturà deliberatione præeunte, quàm impetu quodam Gentis,quam facilis ad arma genius accendit,ea declaratio nupera fuerit expreſſa,contra ſenſum legitimum Cleri Gallicani à perturbationibus liberi. Idem ipſum de Facultate Pariſienſi Theologorum inquiremus ſeorſim ſuo loco.

SECTIO PRIMA.

Declarationem nuperam Cleri Gallicani nomine editam, contradicere palam ſenſui & doctrinæ communi Epiſcoporum Galliæ, expreſſæ in litteris ad Innocentium X. anno 1653.

2 ET Quidem initio dubitare licet, an Clerus Gallicanus id ſentiat hodie, quod præſefert Declaratio ipſius nomine edita die 19. Martij huius anni 1682. Nam licèt ſubſcribant triginta quatuor Præſules, partim Archiepiſcopi partim Epiſcopi; inter eos non legitur nomẽ Illuſtriſſ. Archiepiſcopi Lugdunenſis, ad quem, veluti Primatem Galliarum, videbatur ſpectare potiſsimũ legitima Cleri Congregatio, & primus in ea locus non verò ad Illuſtriſſ. Archiep. Pariſiẽſem. Deinde cũ non exploratum ſit, multò plures Epiſcopos Galliarum abfuiſſe ab ea Congregatione, quàm interfuiſſe, Declaratio ipſa non potuit verè proferri nomine Cleri Gallicani hodierni: vtpote edita ſolùm à parte minori Epiſcoporum Nec facilè credam nõ ſupereſſe plurimos ex maiori parte, qui contra ſentiant, & ſummam indubitati Papæ auctoritatem, ac prorſus infallibilem, tueantur, etiam vſque ad ſanguinem; licèt fortaſſe nonnulli exemplo aliorum abducti, aut perculſi metu aliquo, prædictæ Declarationi ſubſcribant. Verùm quidquid ſit de hoc, & permiſſo quòd tandem maior pars Cleri Gallicani conſentiat, ac relictis nunc plurimis adverſus ſingulas partes eius Declarationis, quæ infrà toto Tractatu III. proferemus,

3 Aſſertio ſit, Clerum Gallicanum (ſi tribuenda ſit ipſi Declaratio memorata huius anni 1682.) modò negare auctoritatem infallibilem Romani Pontificis ad dirimendum quæſtiones fidei; quam paucis retro annis Epiſcopi Galliarum conſtanter aſſeruerunt, & comprobarunt ex ſenſu ſuo, atque ipſius Eccleſiæ Catholicæ à primis ſæculis.

4 Antequam verò id ordine ſuo oſtẽdam teſtimonijs veterum Galliæ Antiſtitum, oportet ad decretoria arma devenire, ducta ex Cleri Gallicani Epiſtolis pene recentibus (& quæ omnium ferè Theologorum manibus teruntur) ad Innocentium X. vt iudicium ferret circa dogmata præcipua Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprẽnſis.

5 Prima ſit, quam Archiepiſcopi & Epiſcopi Galliarum, non triginta quatuor vt nunc, ſed octoginta quinque, ſcripſerunt anno M DC. LIII. ſequenti verborum formula.

LITTERAE GALLICANORVM EPISCOPORVM AD PONtificem Maximum Innocentium X.

BEATISSIME PATER.

6 MAIORES Cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro iure ſuo poſtulat. Aequiſsimæ huic legi obſequẽtes, de graviſsimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cẽſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſsimis turbis Gallia magno noſtro mœrore cõmovetur, ob librum poſthumum, & doctrinam Rever. Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat, tum Concilij Tridentini auctoritate tum Bullæ illius, qua Vrbanus VIII. felicis memoriæ adverſus Ianſenij dogmata pronũciavit & decreta Pij V. ac Gregorij XIII in Baium edita confirmavit. Atque huius quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicaſti: ſed quia nulli ſigillatim propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiam num aliquis quorũdam cavillis, & effugio relictus eſt. Intercludendum autẽ penitus ſperamus, ſi, vt precamur, Sanctitas Tua, quid hac in re ſentiendũ ſit, clare, diſtincteque definiat. Obteſtãmur ergo, vt has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, Sãctitas tua expendat, ac perſpicuam & certam de vnaquaque ſententiam ferat.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſsibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſsibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

III. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſsitate; ſed ſufficit libertas a coactione.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Experta eſt nuper Beatitudo Tua quantum Apoſtolicæ Sedis in gemino Eccleſiæ Capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium, venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatiſsime Pater, vt clara firmaque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſententia, cui Reverend. ipſe Ianſenius morti proximus opus ſuum ſubiecit, caliginē omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſsidia prohibeas, Eccleſiæ trāquillitatem ſplendoremque reſtituas. Dum hæc ſpes mentibus noſtris affulget, Sanctitati Tuæ multos, & proſperos annos, ſæculoque beatiſsimam æternitatem Rex ſæculorum immortalis adijciat, optamus, ac vovemus. *Subſcripſere Archiepiſcopi & Epiſcopi numero octoginta quinque.*

7 SANE In ea Epiſtola Clerus Gallicanus agnoſcit auctoritatem infallibilem Romani Pontificis ad definiendum quæſtiones illas fidei, nulla facta mentione, vel Concilij, vel conſensûs Eccleſiæ accedentis. Quin & teſtatur initio, ſolemnem Eccleſiæ morē eſſe, *QVEM FIDES PETRI NVNQVAM DEFICIENS PERPETVO RETINERI PRO IVRE SVO POSTVLAT*, vt maiores cauſæ (quales certè ſunt circa quæſtiones fidei) ad Sedem Apoſtolicam referantur. Sanè id quod fides Petri nunquā deficiēs, & conſuetudo Eccleſiæ in ea fundata exigit, ad fidem ipſam pertinet. Ergo quod Sedes Apoſtolica declarat circa controverſias fidei, pertinet planè ad ipſam fidem: ac proinde, inſtar ipſius, firmum & irreformabile eſt.

8 Deinde Clerus Gallicanus eo conſilio poſtulat à Pontifice cenſuram illarū quinque propoſitionum Ianſenij diſtinctam, & ſeorſim eademtem in vnamquamque illarum, *vt intercludatur penitus effugium quorūdam cavillis*. Si autem iudicium Sedis Apoſtolicæ, ſtatim ac profertur, non eſt prorſus irreformabile, adhuc poſt Bullam Innocentij fuiſſet effugium ſequacibus Ianſenij. Dicerent enim facilè, non fuiſſe infallibile iudiciū Romani Pontificis ſtatim ac prolatum fuit: quoniam adhuc pendebat à conſenſu Eccleſiæ accedente, quem certè diu exſpectare & cōpertum habere oporteret ſpatio pluriū annorū.

9 Denique Clerus ipſe agnoſcit vocem & imperium Chriſti loquentis in alio Diplomate eiuſdem Innocentij paulo antea edito pariter extra Concilium, contra geminum Eccleſię Caput à quibuſdam confictum. Propterea enim ait Clerus circa finem Epiſtolæ: *Experta eſt nuper Beatitudo Veſtra quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Capitis errore profligādo valuerit AVCTORITAS. Continuo ſedata eſt tempeſtas, atque AD CHRISTI VOCEM ET IMPERIVM venti & mare obedierunt.* Cū ergo idipſum exoptet Clerus circa propoſitiones turbulentas Ianſenij; agnoſcit planè auctoritatem ſummam eiuſdem Pontificis Romani in definiendo, & ab ea expectat pariter *CHRISTI VOCEM ET IMPERIVM*: Chriſti autem vox irreformabilis eſt, eiuſque imperium à nullo corrigi poteſt, nec pendet veritas illius à ſubditorum conſenſu.

SECTIO SECVNDA.

Aſſerti eiuſdem confirmatio ex alia Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad eundem Innocentium ipſo anno 1653.

11 SED Quamvis Epiſtola præiacta luculenter teſtetur ſententiam Cleri Gallicani firmam de auctoritate Romani Pontificis prorſus infallibili in quæſtionibus fidei definiendis per ſe ac ſeorſim; fortaſſe idipſum illuſtriùs patebit ex alia Epiſtola ſubſequente eiuſdem Cleri ad eundem Innocentium, poſtquam damnavit prædictas Ianſenij propoſitiones, ipſo anno 1653.

LITTERAE EPISCOPORVM GALLIAE AD SS. D. Innocentium X.

BEATISSIME PATER.

12 OPTATA Pervenit ad nos tandem Conſtitutio illa, qua *VESTRÆ SANCTITATIS* auctoritate quid ſentiendum ſit de cōtroverſis quinque propoſitionibus, quæ ſunt excerptæ è Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi libris

bris,perſpicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones; flagrabant etiam in Gallijs,& latiſsimum incendium per vniverſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſſanti, & certiſsimam perniciem allaturæ, obſtitiſſet BEATITVDINIS VESTRAE indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas; quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat. Agebatur de re magni momenti; de aditu ſcilicet ad ſalutem per neceſſaria Chriſtianæ gratiæ præſidia,& humanæ voluntatis adiumentis illis excitatæ, ac fotæ conatus liberos, atque de divina Chriſti pietate, ac beneficentia in vniverſum genus humanum. Huius doctrinæ lucem recentioris illius Auctoris diſputationibus obſcuratam,priſtino nitori reſtituit, iuxta veterem fidei regulam, ex Scripturis, & antiqua Patrum traditione, in Concilijs olim, & nuper auctoribus Summis Pontificibus conſtitutam,prolatum à SANCTITATE VESTRA, poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis, Decretum. Quo in negotio illud obſervatione dignum accidit, vt quemadmodũ ad Epiſcoporum Africæ relationẽ,Innocentius I. Pelagianã hęreſim damnavit olim; ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationẽ,hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam, Innocentius X. auctoritate ſua proſcripſerit. Enim verò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica ſola Cathedræ Petri communione,& auctoritate fulta,quæ in Decretali Epiſtola Innocẽtij ad Africanos data elucebat,quamq; dein Zozimi altera ad vniverſos orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt,Pelagianæ hęreſis damnationi abſq; cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat,non ſolùm ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta,ſed etiã ex Actis priorum Pontificum,& ex Anathematiſmis adverſus Apollinarium, & Macedonium, nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paulò anteà iactis,Iudicia pro ſancienda Regula Fidei à Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant,ſive omittant,prout illis collibuerit) divina æquè, ac ſumma per vniverſam Eccleſiam authoritate niti,cui Chriſtiani omnes ex officio,ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia, ac fide imbuti,Romanæ Eccleſiæ pręſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debita obſervantia colentes, Conſtitutionem divini numinis inſtinctu à BEATITVDINE VESTRA conditã,nobiſque traditam ab Illuſtriſsimo Athenarum Archiepiſcopo,Nuntio Apoſtolico, & promulgandam curabimus in Eccleſijs,ac Diœceſibus noſtris,atque illius executionem apud fideles populos vrgebimus. Neque verò pœnæ deerunt adverſus temerarios illius violatores, quæ à iure hęreticis infliguntur, quibus iuxta Conſtitutionis tenorem, & Breve SANCTITATIS VESTRAE nobis directum,contumaces omnes, nullo conditionum, vel ſtatuum diſcrimine facto, perſtringemus: præſertim cùm in Gallijs ad Epiſcopos in ſolidum iſthæc cura pertineat, vbi nullos hęreticæ pravitatis Inquiſitores conſtitui patitur mos antiquus ex iure communi profectus. Sanè ſpondere poſſumus BEATITVDINI VESTRAE nihil fore quod decreto Apoſtolico, noſtræque in eo exequendo ſollicitudini moram afferre poſsit: præcipuè cum Pijſsimus, ac Chriſtianiſsimus Rex noſter,cui Breve Apoſtolicum vnà cum exemplo Conſtitutionis Illuſtriſsimus Nuntius tradidit, interpellato quoque Regiæ Maieſtatis pręſidio;nos ad illius Decreti executionem, Edicto ſuo ad nos dato, pro ea quam debet Eccleſiæ conſtitutis tuitione, conſtanter hortetur: Et Magiſtratibus vniverſis,atque cæteris ſibi ſubditis,tum ad vim arcendam,tum ad amputandas quæ fortè poſſent ab hæreſeos reis excitari de foro competenti cavillationes, præcipiat, quatenus illam omni ſtudio, & opera iuvent, atque tueantur. Quarè cùm Rex cœleſtis hac in cauſa fœderatum habeat Regem terrarum (ſi fas ita loqui cum Sixto III.) SANCTITAS VESTRA per Petræ ſoliditatem, iam contuſis veritatis hoſtium animis, ſecuros ab omni externa perturbatione de nova hæreſi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X. cuius ore Petrus locutus eſt,vt Leoni I. acclamabat Quarta Synodus, hanc divinam lauream gratulati,ſacros inter Eccleſiæ faſtos,quod olim de Synodis Oecumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubentes ex animo reponemus: cui optatiſsimam in longæva vita fœlicitatẽ adprecantur, qui ſunt cum ea, qua par eſt, veneratione. *Subſcribunt Epiſcopi Galliarum, quotquot Pariſijs aderant, numero triginta, præeunte Iulio Cardinali Mazarino, die 19. Iulij, anno 1653. & ſubſcripſiſſent pariter octoginta quinque, qui eodem anno ad ipſum Innocentium ſcripſerant aliam Epiſtolam ſect. 1. exſcriptam, ſi tunc Lutetiæ adeſſent.*

12 In qua ſanè Epiſtola quotquot ſubſcribunt Epiſcopi, agnoſcunt vocem Chriſti loquentis per os Innocentij X. extra Concilium. Imprimis enim profitentur, Decretum illud ab Innocentio prolatum fuiſſe, *IVXTA VETEREM FIDEI REGVLAM*: quam poſtea ex inſtituto probant, eſſe ſitam in Summo Pontifice, loquente ex cathedra. Propterea enim aiunt, quemadmodum olim Innocentius I. ad Epiſcoporum Africæ relationem damnavit hęreſim Pelagianam, ſic Innocentium X. ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem, hęreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam, *AVCTORITATE SVA* (nimirum, ſula, & ſine interventu alicuius Concilij) proſcripſiſſe. Queadmodum ergo Clerus Galliæ, immo & tota Eccleſia cenſuit ſemper iudicium illud Innocentij I. adverſus hæreſim Pelagianam eſſe prorſus irreformabile, & certam fidei Catholicæ regulam, quamvis latum fuerit extra Concilium: ita & Epiſcopi Galliarum in præiacta epiſtola agnoſcunt iudicium Innocentij X. adverſus hæreſim Ianſenianam eſſe prorſus irreformabile, quamvis pariter extra Concilium fuerit prolatum.

13 Pergunt Epiſcopi idipſum luculentiùs confirmare dum aiunt: *Enim vero vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, SOLA CATHEDRÆ PETRI COMMVNIONE ET AVCTORITATE FVLTA, quæ in Decretali Epiſtola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque deinde Zozimi altera ad vniverſos Orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit.* Itaque teſtantur, Eccleſiam Catholicam tempore Innocentij I. *ſola Cathedræ S. Petri auctoritate fultam*, ſubſcripſiſſe ſtatim damnationibus hæreſeos Pelagianæ, prolatis ab Innocentio ipſo. Ergo definitiones ex ſola auctoritate cathedræ S. Petri exegère olim, & exigunt ſtatim Eccleſiæ conſenſum.

14 Cur autem Eccleſia Catholica tantum deferret Decretis eorum Pontificum, quamvis extra Concilium latis, exponunt ſtatim Epiſcopi Galliarum dicentes de illa: *Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex pollicitatione Chriſti Petro facta* (nimirum, ex verbis illis: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*: quo teſtimonio Patres & Theologi vtuntur communiter ad aſſerendã infallibilem auctoritatẽ Romani Pontificis, vt ſuo loco videbimus) *ſed etiã ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematiſmis adverſus Apollinarium & Macedoniũ, NONDVM AB VLLA SYNODO OECVMENICA DAMNATOS, à Damaſo paulo antea iactis, IVDICIA PRO SANCIENDA REGVLA FIDEI A SVMMIS PONTIFICIBVS LATA ſuper Epiſcoporum conſultatione* (*ſiue ſuã in Actis relationis ſententiam ponant, ſiue omittant, prout illis collibuerit*) *DIVINA ÆQVÈ AC SVMMA PER VNIVERSAM ECCLESIAM AVCTORITATE NITI: cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.* Quid illuſtrius, vt appareat ex ſenſu Epiſcoporum Galliæ anno 1653. decreta Pontificũ in quęſtionibus fidei, etiã nulla Synodo coacta, immo nulla pręeunte Epiſcoporum ſententia, ſive iudicio circa controverſias dirimendas, habuiſſe à priſcis temporibus ſummam & infallibilem auctoritatem in Eccleſia, & extorquere ſtatim aſſenſum mentis, tanquam ſibi debitum?

15 Addunt ſtatim ijdem Epiſcopi Galliarum: *EA NOS QVOQVE SENTENTIA AC FIDE IMBVTI, Romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debita obſervantia colentes, Conſtitutionem DIVINI NVMINIS INSTINCTV A BEATITVDINE VESTRA CONDITAM, nobiſque traditam ab Illuſtriſs. Athenarum Archiep. Nuncio Apoſtolico, promulgandam curabimus in Eccleſiis ac Diœceſibus noſtris.* Vides quomodo Epiſcopi Galliarum palam profiteantur, *ſe eadem ſententia ac fide* imbutos eſſe, ac veterem Eccleſiam Catholicam: ac proinde quemadmodum illa agnovit divinam & ſummam auctoritatem in Innocentio I. cui damnanti hęreſim Pelagianam *Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequiũ* debitum præſtiterint: ita & ſe agnoſcere eandem divinam & ſummam auctoritatem in Innocentio X. damnante hæreſim Ianſenij: ac proinde voci eiuſdem Pontificis omnes Chriſtianos ipſius quoque mentis officium pręſtare debere.

16 Præterea: In eiſdem verbis Epiſcopi Galliarum profitentur & excipiunt *CONSTITVTIONEM DIVINI NVMINIS INSTINCTV CONDITAM* ab Innocentio X. contra Ianſenium: cùm tamen illa ex ſolius cathedræ authoritate concepta & edita fuerit. Palã itaque eſt Epiſcopos Galliæ in ea ſententia & fide fuiſſe anno 1653. vt crederent firmiter, iudiciũ Romani Pontificis in quęſtionibus fidei, ex vi ſolius cathedræ D. Petri, non ferri ſine *DIVINI NVMINIS INSTINCTV*: ac proinde eſſe regulam fidei irreformabilem omnino, cui omnes Chriſtiani *ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.*

Sed

17 Sed ecce mihi ſcribenti hæc caſu occurrit illuſtris locus Card nalis Sfortiæ Pallavicini in Hiſtoria Concilij Tridentini lib. 12. cap. 9. pag, 995. editionis Romanæ, vbi allegans verba quædam Sancti Proſperi in Chronico ad annum 420. aſſerentis, decreta Concilij Carthaginenſis, ſtatim vt probata ſunt à Zozimo Pontifice Romano, damnante hæreſim Pelagianam, recepta fuiſſe per totum Chriſtianum Orbem, ſubdit de eiſdem S. Proſperi verbis: *Le quali ben furono ponderate da vna do.iſsima Aſſemblea di Veſcovi Franceſi celebrata l' anno 1653. innanzi al Cardinal Giulio Mazzarino primo miniſtro del Criſtianiſmo Rè Luigi XIV. per occaſione della Bulla publicata dal Pontefice Innocenzo Dezimo contra le cinque opinioni di Cornelio Ianſenio Veſcovo d' Ipri, come appare dagli Atti di quella Aſſemblea: I quali Prelati perciò con lettere piene di gravità, di zelo, è di ſommeſsione ſcritte al Pontefice; ricevettero le ſue deffinitioni SI COME VOCI DELLO SPIRITV SANTO.* Itaque meridiana luce clariùs eſt, Epiſcopos octoginta quinque Galliarum in priori Epiſtola anni 1653. exſpectaſſe vocem Innocentij X. extra Concilium loquentis; in poſteriori verò eiuſdem anni die 19. Iulij illam excepiſſe *SICVT VOCEM SPIRITV SANCTI.* Vox autem Spiritus ſancti omnino irreformabilis & irretractabilis eſt.

17 Denique: Epiſcopi Galliarum circa finem eius Epiſtolæ pollicentur ſe animadverſuros in violatores Pontificię Conſtitutionis, tanquam in hæreticos. Supponunt ergo, quidquid aſſeritur ex cathedra à Pontifice Romano in quæſtionibus fidei, eſſe fide divina certum, vtpote cui contradici nequeat ſine hæreſi. Ideoque demum profitentur: *Innocentij X. ore Petrum locutum eſſe, vt Leoni I. acclamabat Quarta Synodus.* Abſit verò vt credatur, ore S. Petri loquentis in ſucceſſoribus ſuis proferri aliquid falſum in quæſtionibus fidei aut morum; quod proinde reformari aut retractari vllo modo poſsit. Fatentur itaque Epiſcopi illi Galliarum anno 1653. congregati, definitionem Summi Pontificis latam extra Concilium, in quæſtionibus fidei, prorſus irreformabilem & irretractabilem eſſe.

18 Quomodo ergo, aut qua doctrinæ, vel etiam fidei acoluthia prædicti Illuſtriſsimi triginta quatuor Epiſcopi Galliarum alia omnia profitentur hoc ipſo anno 1682. Nunquid alia eſt in quæſtionibus ad fidem ſpectantibus doctrina Cleri Gallicani hodie, ac heri, & nudius tertius? Sed abſit vt in animum inducam, Clerum graviſsimum & eruditiſsimum Eccleſiæ Gallicanæ, nulli inter Nationales ſecundæ, in re adeò gravi, immo in ſumma rerum, tam ſubitò mutaſſe ſententiam, & occaſione alicuius diſsidij inter Regem Chriſtianiſsimum, ac modernum Pontificem Romanum, præpropero impetu retractaſſe, atque indicta prorſus voluiſſe, quæ paucis retro annis poſt diutinam conſultationem, maturo iudicio, & à perturbationibus libero, tam aſſeveranter docuerat. Abſit, inquam, vt ita cogitem, aut vſurpari patiar in Clerum Gallicanum, quod ſæculo præcedenti de volubili Vvitembergenſium doctrina & fide, non abſque ſale, dictum fuit: *Quid hoc anno Vuitemvergiſes credant, ſcimus: quid anno ſequenti credituri ſint, & ipſi neſciunt.* Itaque putandum abſdubiò eſt, Declarationem illam hoc anno editam nomine Clerici Gallicani, verè non eſſe Cleri Gallicani doctrinam, ſed cuiuſdam minoris eius partis; quæ ſine legitima auctoritate, ſine diligenti conſultatione, aut matura deliberatione, ediderit propoſitiones plures, & nominatim hanc, in qua verſamur, contra mentem & ſenſum communem veri Cleri Gallicani.

SECTIO TERTIA.

Euaſio quædam pro Clero Gallicano occurrens, multipliciter præcluſa.

19 OCCVRRET. Fortè quiſpiam pro Clero Gallicano, quaſi nullatenus ſibi contradixerit, nam in Declaratione huius anni 1682. ſolùm ait, iudicium Romani Pontificis in quæſtionibus fidei non eſſe irreformabile, niſi Eccleſiæ conſenſus accedat. Hic autem iam intervenit anno 1653. vbi Innocentius X. iudiciũ protulit de quinque illis Ianſenij propoſitionibus. Nam octoginta quinque Epiſcopi Galliarum poſtularunt à Romano Pontifice diſtinctam & manifeſtam cenſuram: & latam deinde amplexi ſunt. Quare nihil contrarium apparet inter nuperrimam Cleri Declarationem, & Epiſtolas illas duas, quarum neutra excludit dependentiam à conſenſu Eccleſiæ, vt Pontificiæ definitiones ſint prorſus irreformabiles.

20 Sed enim hæc eſt mera evaſio, quæ multipliciter præcluditur ex dictis. Imprimis enim in priori Epiſtola octoginta quinque Epiſcopi ſcribentes ad Innocentium X. nullatenus proponunt ſenſum ſuum circa quinque propoſitiones Ianſenij; ſed ſolùm poſtquam in genere damnatæ fuerant ab Vrbano VIII. extra Concilium, rogant Innocentium X. vt iudicium diſtinctè ac ſeorſim de ſingulis ferat, iuxta morem ſolemnem Eccleſiæ,

QVEM

QVEM FIDES PETRI NVNQVAM DEFICIENS PERPETVO RETINERI PRO IVRE SVO POSTVLAT. Exoptant igitur vt inexſpectata ipſorum ſententia circa eas quæſtiones, Pontifex iudiciũ ſuum ferat, iuxta fidem Petri nunquam deficientem, quæ ſanè reformari nequit.

21 Deinde. Epiſcopi iidem, nullatenus profitentes proprium iudicium circa eas propoſitiones, ſeu quæſtiones fidei, exigunt à Pontifice tale iudicium, *vt intercludatur penitus effugium quorundam cavillis*, nimirum, agentium quodammodo partes Ianſenij, adhuc poſt cenſuram indefinitam paulo antè editam ab Vrbano VIII. Si autem præter iudicium Innocentij X. neceſſarius eſſet conſenſus Eccleſiæ, vt nunc aſſerit Clerus Gallicanus; non intercluderetur penitus illud effugium. Dicerent enim facilè Ianſeniani, adhuc deſiderari conſenſum Eccleſiæ in damnationem illarum quinque propoſitionum ſub nota hæreſis. Ipſi enim, qui plurimi erant, præſertim in Belgio, & non pauci Epiſcopali dignitate decorati, pugnabant adhuc pro Ianſenio, nullatenus conſentientes tam apertæ damnationi doctrinæ ipſius, quam veluti è cœlo lapſam venerabantur.

22 Præterea: In eadem priori Epiſtola iidem octoginta quinque Epiſcopi venerantur vocem paulò ante prolatam ab Innocentio X. contra opinionem de gemino Eccleſiæ capite: quoniam per illam *continuò ſedata eſt tempeſtas*, paucis retro annis excitata. *Continuò*, inquam, id eſt, ſtatim, abſque mora aliqua, vel expectatione conſenſus Eccleſiæ. Quin & adijciunt: *ATQVE AD CHRISTI VOCEM ET IMPERIVM VENTI ET MARE OBEDIERVNT.* Ergo vocem Romani Pontificis in quæſtionibus fidei venerabantur, tanquam *VOCEM ET IMPERIVM CHRISTI*, quæ continuò ſedat tẽpeſtates, & ſtatim obedire facit ventos & mare, independenter à vario & volubili ſenſu aut diſſenſu populorum.

23 Iam verò ſi redeamus ad expendenda verba poſterioris Epiſtolæ Epiſcoporum Galliæ die 19. Iulij eiuſdem anni 1653. ſcriptæ, tam apertè præcluditur evaſio præiacta, vt ſupervacaneum appareat quidquam addere vltra quæ diximus à numero 12. expendentes illius verba; præſertim in quibus teſtantur, priſco tempore Eccleſiam Catholicam habuiſſe pro fidei regula Epiſtolas Decretales Romanorum Pontificum in quæſtionibus fidei adverſus hæreticos, quamvis nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos. Idque confirmant generatim ex Actis priorum Pontificum (de quibus ſuo loco differemus) & ſpeciatim exemplo Anathematiſmorum Damaſi Papæ contra Apollinarem & Macedonium; & ex Epiſtolis Innocentij I. ac Zozimi, contra Pelagium: quibus Eccleſia Catholica *ABSQVE CVNCTATIONE SVBSCRIPSIT*, id eſt, ſtatim, & nullo alio expectato: quoniã, vt ipſi aiunt, ex pollicitatione Chriſti Petro facta, de nõ defutura fide ipſius, & ex praxi Pontificũ, perſpectũ habebat, *iudicia pro ſanciẽda regula fidei à Summis Põtificibus lata ſuper cõſultatione Epiſcoporũ (ſiue ſuam in Actis relationis ſententiã ponant, ſiue omittant, prout illis collibuerit)* *DIVINA ÆQVE AC SVMMA PER VNIVERSAM ECCLESIAM AVCTORITATE NITI; CVI CHRISTIANI OMNES EX OFFICIO IPSIVS QVOQVE MENTIS OBSEQVIVM PRAESTARE TENEANTVR.* Vides quàm apertè Galliarum Epiſcopi anno 1653. ex ſenſu totius Eccleſiæ & ſuo non expectabant conſenſum vlteriorem fidelium, veluti conditionem requiſitam, vt definitiones Pontificum in quæſtionibus fidei eſſent firma & infallibilis regula credendi: ſed potiùs illum ſtatim exigebant ab omnibus Chriſtianis, tanquam debitum mentis obſequium. Dum ergo Clerus Gallicanus, ſeu potiùs quædam illius pars, hoc anno 1682. vult definitiones Pontificum pendere à cõnſenſu Eccleſiæ, vt infallibilis regula fidei ſint; diſſentit à ſenſu communi Epiſcoporum Galliæ prædictorum, immò & à ſenſu veteris Eccleſiæ Catholicæ, quæ ipſorum iudicio, oppoſitum ſemper credidit & docuit.

24 Vlteriùs. Ipſi Galliarum Epiſcopi circa finem eiuſdem poſterioris Epiſtolæ, profitentes ſe imbutos eadem *ſententia ac fide* veteris Eccleſię Catholicæ, receperunt ſtatim, & abſque cunctatione aliqua, Conſtitutionem Innocentij X. tanquam *DIVINI NVMINIS INSTINCTV CONDITAM.* Patet verò, definitiones divini Numinis inſtinctu conditas, eſſe per ſe infallibiles, certamq; fidei regulam: ac proinde ipſarum infallibilitatem non pendere à conſenſu vlteriori Eccleſiæ; ſed ſtatim illum extorquere, tanquam obſequium debitum, poſt ſui promulgationem. Dum igitur Clerus Gallicanus hoc anno 1682. negat auctoritatem infallibilem definitionibus Romanorum Pontificum independenter à conſenſu Eccleſiæ; negat planè quod nuper Galliarum Epiſcopi tam firmiter aſſeruerunt ex ſuo, immo & veteris Eccleſiæ Catholicæ iudicio. Mitto cętera ſuperiùs indicata, & plura alia, quæ opportuniorem locum habebunt in progreſſu, huc pariter ſpectantia.

25 Id autem hoc loco indicare præterea

Ieſea oportet, nuperrimam Declarationem Cleri Gallicani verbis illis, *NISI ECCLESIAE CONSENSVS ACCESSERIT*, apertè indicere neceſsitatem Concilij Oecumenici repræſentantis totam Eccleſiam, vt definitiones in quæſtionibus fidei ſint certa & irreformabilis credendi regula. Nimirū Clerus ita loquens, in mente habebat opinionem quorundam ita ſentientium, contra cæteros omnes Catholicos: quemadmodum & manifeſtè amplexatus eſt ſecundo loco ſententiam Gerſonis ſummitentis Pontificem Romanum Oecumenico Concilio. Videant autem quotcumque oculos habent, quàm contraria ſit illa opinio ſententiæ prędictorum Galliæ Epiſcoporum in vtraque Epiſtola relata anni 1653. & quàm apertè ij ex ſuo & veteris Eccleſiæ Catholicæ iudicio negaverint neceſsitatem Concilij Oecumenici, vt Romanorum Pontificum definitiones ſint infallibilis fidei regula, *cui omnes Christiani ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare tenentur.* Itaque videtur meridiana luce clarius, Illuſtriſsimum Clerum Gallicanum (ſi tamen ipſi tribuenda ſit nupera illa Declaratio) in materia adeò gravi, immò in ſumma rerum, non conſtare ſibi: ac nunc publicè & palam negare quod viginti novem retro annis aſſerebat veluti certum ex ſuo & veteris Eccleſiæ Catholicæ ſenſu.

26 Quapropter Theophilus Raynaudus in Opuſculo inſcripto, *Αὐτὸς ἔφα*, poſt editum Diploma Innocentij X. adverſus dogmata Ianſenij, ſic gratulatur *puncto* 11. Galliæ, ſeu Epiſcopis Galliarum, qui Pontificem ipſum interpellarunt ad eius controverſiæ definitionem: *Quis vetet gratulari Gallias Antiſtitibus, ac Rectoribus populorum, & loco digniſsimis abundantiſsimæ, quòd Epiſcopos habeat, qui renaſcentem, imò admodum adultum, & graſſantem ſub Epiſcopi Belgæ perſona Caluinum ſuccisſum cupientes, remedium expetierunt, non à Concilio Generali, ſed à Summo Pontifice, poſcentes, vt pro concredito ſibi munere paſcendi oves Chriſti, ſano, ac probato doctrinæ pabulo, dignaretur definire, quid ex fide credendum eſſet circa quinque principalia puncta è libro Ianſenij decerpta? Numerus flagitantium eam fidei determinationem à Pontifice ſuperavit octogenam. Et exauditi ſunt pro ſua reverentia. Nam Pontifex, in diplomate de eo negotio ad vniverſos Chriſti fideles dato, disertè memorat eam multorum Galliæ Epiſcoporum interpellationem, cui dignum fuerit deferre.*

27 Similiter Ioſephus Gibalinus lib. 5. de iure Canonico cap. 3. §. 14. pag. 88. cùm latè oſtendiſſet, Clerum Gallicanum ſemper à priſcis ſæculis conſuluiſſe Pontifices Romanos circa controverſias fidei, & morum, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, eorumque Reſponſis & Canonibus, ſeu definitionibus exploratam fidem, veluti Oraculis divinis, adhibuiſſe, ſubdit opportunè in rem noſtram: *Hæ porro conſultationes & relationes dubiorum in fide, & diſciplinâ, atque poſteriori deinde ætate poſt Concilium Sardicenſe, appellationes à Iudicijs Epiſcoporum ad Romanū Pontificem, factas fuiſſe paſsim in Gallijs, illorumque reſponſa, & decreta tanquam Canones Synodales accepta fuiſſe; hactenus evicimus, ni fallor, & Gallicanæ Eccleſiæ ſenſum erga Romanam Sedem demonſtravimus. Sed illuſtriſsimum harum conſtitutionum, & relationum exemplum recentiſsimum habemus, cùm Clerus Gallicanus ex vniverſo Cleri conſenſu nuper exorta hæreſi Ianſeniana ad Pontificem retulit, eiuſque iudicium expetijt, & tanquam divini ſpiritus oraculum ſuſcepit, exceptis quibuſdam, iſſque paucis Ianſenij partiarijs; qui damnatas quidem à Pontifice propoſitiones hæreticas fatentur, ſed nolunt eas eſſe Ianſenij, ipſique ſoli oculos habent, quibus hominis libros legant, toto reliquo orbe cæcutiente.* Vide quomodo ij duo Recentiores, in ipſa luce Galliarum ſcribentes, teſtentur de ſenſu vnanimi Cleri Gallicani in ijs Epiſtolis circa auctoritatem Innocētij X. ad definiendas controverſias fidei, & qualiter eius iudicium expetierit ac ſuſceperit, *TANQVAM DIVINI SPIRITVS ORACVLVM.* Quomodo ergo nuperrima Declaratio, nomine Cleri Gallicani edita, negat Sedi Apoſtolicæ iudicium irreformabile in ijs controverſijs?

SECTIO QVARTA.

Appendix ſectionis præcedentis, & multiplex confutatio ſenſus, in quo aliquis forſan velit vindicare Illuſtriſsimum Clerum Pariſijs nuper congregatum ab inconſequentiæ nævo.

28 CVM Diſputatio hæc iam ſcripta eſſet, ac numeris videretur abſoluta ſuis, vt cum alijs ſequentibus prælo committeretur, incidit mihi fortè ſermo ante paucos dies circa huiuſmodi controverſias in vrbe Iuliobriga (vulgò Logroño) nobiliſsima Cantabrorum colonia, & præcipuo totius Rivogiæ emporio (cui genus, & vſuram lucis, & ſalutares Baptiſmi vndas, & plu-

plurimum honoris ac gratiæ mihi & meis collatum debeo & profiteor)cum Reverendiſſimo iuxta ac Sapientiſſimo P. Fr. Ioſeph Ximenez Samaniego, nuper Generali celeberrimo totius Ordinis S. Franciſci, Catholicæ Maieſtatis Theologo, & iam nunc electo Epiſcopo Placentino, totius Hiſpaniæ plauſu. Qui iuxta eam, qua pollet, eruditionem, & notitiam rerum quæ in Gallijs geruntur, ac nominatim circa Declarationem nomine Illuſtriſsimi Cleri editam hoc ipſo anno, dixit, mentem Præſulum Pariſijs congregatorũ fortaſis non eſſe; quòd Pontificis definitiones in rebus ad fidem ſpectantibus latæ extra Concilium Generale ſint retractabiles, aut pendeant ab eius approbatione, vt ſint infallibilis regula fidei: ſed ſolùm, non eſſe irreformabiles, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Itaque aliud eſſe quòd infallibilitas definitionũ Pontificiarum pendeat ab approbatione Concilij Generalis; aliud quòd pendeat ab Eccleſiæ conſenſu accedente: ac prius quidem ex his duobus traditum fuiſſe à Gerſone, Almayno, alijſque quibuſdam: poſterius verò eſſe forte dumtaxat quod nuper nomine Cleri Gallicani evulgatum eſt. Quare ita intelligi poſſe, vt ad plenam infallibilitatem definitionum Pontificiarum non exigat conſenſum Generalis Concilij, ſed ſolùm Eccleſiæ, ſive cogatur Synodus Oecumenica, ſive non. Si autem hic ſit ſenſus germanus Declarationis prædictæ, poterunt ij Præſules dicere, ſe nullatenus recedere à ſenſu totius Cleri Gallicani expreſſo anno 1653. in Epiſtolis ad Innocentium X. Tunc enim ſolùm negarunt ex ſuo & veteris Eccleſiæ Catholicæ iudicio, Pontifices Romanos egere Concilio Generali ad definiendum infallibiliter controverſias fidei: non autem inficiati ſunt, eam infallibilitatem pendere à conſenſu Eccleſiæ accedente, ſaltem extra Concilium. Si igitur Præſules nuper Pariſijs congregati hoc ipſum docent; in nullo diſsident à ſenſu Cleri Gallicani triginta retro annis expreſſo in litteris ad Innocentium X.

29 Hæc evaſio, quam Eximius ille Vir, non ex ſuo, ſed aliorum ſenſu proponit, velitando ſolùm; iam multipliciter præoccupata fuit vtraque ſectione præcedenti, vt conſideranti palam erit; nec oportet inculcare quæ ibidem latè contra illam diximus. Quare nunc ſolùm placet quædam alia in oppoſitum ſubiungere. Imprimis enim ſi Pontificijs definitionibus ex cathedra prolatis non debetur ſtatim explorata & immobilis fides donec Eccleſiæ conſenſus accedat; poterunt abſdubiò quilibet Catholici ſuſpendere, ſeu nolle adhibere conſenſum eiuſmodi, immo diſſentire, vtpote circa doctrinam nondum obligantem ad aſſenſum ſui, & pendentem à voluntaria eius ſuſceptione, vt vim obligandi habeat. Ergo licebit quoque eiſdem Catholicis expectare regulam aliam firmiorem, & habentem vim extorquendi conſenſum ſtatim. qualis profectò ſolùm eſſe aut cogitari poteſt auctoritas Generalis Concilij. Patet igitur perinde eſſe, aut in idem prorſus recidere, quòd infallibilitas definitionum Pontificiarum pendeat à conſenſu Eccleſiæ accedente, ac quòd pendeat ab auctoritate Generalis Concilij. Quare ſi Declaratio nupera nomine Cleri Gallicani edita vult illud prius, & hoc poſterius velit neceſſe eſt.

30 Deinde. Galliarum omnes aut pene omnes Epiſcopi in litteris prioribus Lutetiæ datis anno 1653. quas ſuperiùs exſcripſimus ad Innocentium X. eam Definitionem ab eo poſtularunt circa dogmata Ianſenij, vt nullus eſſet locus effugij, aut cavillationis, vel dilationis; ſed omnes ſtatim diſcerent ab Apoſtolica Sede quid diſtinctè ac dilucidè circa ſingula eorum credendum aut reſpuendum eſſet. Id autem deſiderium tot illuſtrium & ſapientum Epiſcoporum eſſet fruſtraneum, ſi adhuc poſt editam Definitionem Pontificiã expectandus eſſet ſuperveniens conſenſus Eccleſiæ. Deberent enim conſuli omnes Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ, quàm longè ac latè patent, aut ſaltem illarum Patriarchæ, Primates, & Præſules, an conſentirent prædictæ Definitioni. quod conſtat non fuiſſe factum, nec fieri potuiſſe, niſi intra plures annos. Quare interim, immo & vſque modò, liceret, ac licuiſſet effugijs aut cavillis eludere Definitionem illam, & moras trahere in ea amplectenda. Dum igitur ij Præſules hunc ſcopulum declinare voluerunt, planè arbitrati ſunt, Pontificiam ex cathedra Definitionem circa fidei controverſias, ſtatim habere vim obligandi fideles omnes ad obſequium mentis, nec expectare vlteriorem Eccleſiæ conſenſum, vt habeat vim obligandi. Quod ipſi poſtea ampliſsimè teſtati ſunt in ſequentibus litteris ad eundem Innocentium datis die 19. Iulij eiuſdẽ anni 1653. pariter ſuprà exſcriptis. Si ergo Declaratio nuperrimè edita nomine Gallicani Cleri exigit prætereà conſenſum Eccleſiæ accedentẽ, vt definitiones Pontificiæ ſint irreformabiles, ſeu habeant vim omnino firmam ad extorquendum mentis obſequium; recedunt planè à iudicio illorum octoginta quinque Galliæ Præſulum.

31 Præterea. Si Pontifex Romanus ſeorſim à Concilio Oecumenico habet auctoritatem infallibilem ad dirimendum controverſias fidei; certè illam habet immediatè ex iu-

iure divido, ſive (vt loquar cum Clero Gallicano in poſterioribus ijs litteris ad Innocentium X.) ex pollicitatione Chriſti Petro facta, & ſubinde Succeſſoribus ipſius, dum dixit: *EGO ROGAVI PRO TE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA: ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS.* Quod ipſum ex eiſdem Chriſti verbis colligunt, & apertè docent Patres Eccleſiæ, præſertim Gallicanę, in progreſſu alligandi manibus plenis. Pontifex autem Romanus in ijs, quæ immediatè à Deo habet, ſive ipſi competunt ex iure divino, nullatenus pendet à conſenſu, vel acceptatione populi, aut ſubditorum: vt omnes docent, ac fide divina certum habent. Si ergo Pontifici ineſt auctoritas infallibilis ſeorſim à Concilio Oecumenico ad dirimendum controverſias fidei; definitiones eius nullo modo pendent à conſenſu, vel acceptatione ſubditorum; ſed ſtatim habent vim obligandi & extorquendi obſequiũ mentis. Quare non obligant, quia recipiuntur à reliquo fidelium cœtu; ſed potiùs ab eo recipiuntur, quia obligant, & ex ipſo divino iure vim obligandi habent ſtatim, ac proferuntur ex cathedra à Romano Pontifice. Vide infrà Diſp. xxxjx.

32 Quod licèt per ſe patere videatur, gratiùs fortaſſe audient Illuſtriſsimi illi Galliarum Præſules à Scriptore Gallo, quàm ab Hiſpano homine. Is verò eſt (vt alios interim omittam in media luce eiuſdem florentiſſimę Nationis ſcribentes, allegandos in progreſſu) Ioſephus Gibalinus lib. quinto de Iure Canonico cap. tertio, §. duodecimo, cui epigrapha: *De obligatione aſſentiendi definitioni Pontificiæ in rebus fidei*, pagina mihi ſexageſima quinta, vbi ita loquitur. „ Hinc vides
„ quàm falsò velint aliqui demum, rem defi-
„ nitam à Pontifice eſſe de fide, quando eiuſ-
„ modi definitio acceptata eſt ab Eccleſia, quę
„ tota errare nequit, cùm ſit columna verita-
„ tis, adverſus quam portæ Inferi prævalere
„ non poſſunt ex Chriſti promiſsione. Ne-
„ que enim definitiones fidei indigẽt accep-
„ tatiõne fidelium, ſed ad eam obligantur;
„ neque ſunt de fide, quia acceptantur, ſed
„ antecedenter ad acceptationem; ad quam
„ ideò fideles obligantur, quia ſunt de fide.
„ Alioquin idem diceremus de definitioni-
„ bus Conciliaribus, eas eſſe de fide, quia ab
„ vniverſa Eccleſia acceptantur, tum in ipſo
„ Concilio, tum extra illud. Ratio præterea
„ evidens eſt. Nam poteſtas definiendi quid-
„ piam eſſe de fide, & obligandi ad illud cre-
„ dendum, neque dependet, neque con-
„ fertur à populo. Nihil igitur definitioni
„ per eiuſmodi poteſtatem latæ conferet,
„ aut adimet, cùm ea definitio ſit vſus illius
„ poteſtatis; quæ ſicut non confertur à popu-
„ lo, ita ab illo, neque limitari, neque am-
„ pliari poteſt in ſua actione, aut vſu. Quare
„ ſi vel eiuſmodi poteſtatis à ſe independen-
„ tis vſum, & actionem impediat, peccabit in
„ illam poteſtatem. quod etiam videmus in
„ poteſtate politica, quæ licèt fortaſis initio
„ tradita fuerit à populo, vbi tamen illam in
„ Principem tranſtulit, non poteſt illam, qua
„ ſe abdicavit, iterum reſumere, & Principi,
„ eoque invito illam coarctare, aut eius vſum
„ aliqua ratione limitare, vel impedire; ſed
„ tenetur omninò legibus iuſtis, & mandatis
„ obtemperare, vt iterum libro ſequenti vi-
„ debimus. Cùm igitur poteſtas definiendi
„ cauſas fidei à ſolo Chriſto, non à populo
„ collata Pontifici fuerit; non poteſt eius vſus
„ pendere ab acceptatione fidelium, neque
„ eius definitiones legitimæ, & validæ fient
„ per acceptationem fidelium, qui eas accep-
„ tare tenentur, quoties fiunt à legitima po-
„ teſtate, quam in Pontifice agnoſcimus.

33 Deinde (proſequitur immediatè
„ idem Auctor) vel definitiones illæ accep-
„ tantur tanquam fide divina credendæ, vel
„ non acceptantur tãquam certæ fide divina,
„ ſed tales fiunt per acceptationem. Si pri-
„ mum dicatur, ſunt antecedenter ad accep-
„ tationem iam fide divina certæ, atque vt
„ tales ſupponuntur, & cognoſcuntur. Secũ-
„ dum verò dici nequit: ſic enim pertinerent
„ ad fidem, & certæ fierent fide divina per
„ acceptationem, quod perabſurdum foret.
„ Nam populus faceret, quidpiam eſſe de fi-
„ de, quod revera tale non eſſet; & Chriſtus
„ non dediſſet poteſtatem definiẽdi quæſtio-
„ nes de fide Petro, eiuſque Succeſſoribus,
„ ſed fidelibus, quibus obedire teneretur Pon-
„ tifex, Caput, & Paſtor vniverſalis; non oves
„ Paſtori, & membra Capiti. Sola igitur ac-
„ ceptatio fidelium nunquam faciet rem de
„ fide, quæ antea non erat. Vnde autem id
„ habent Adverſarij, cùm fides niti debeat
„ revelatione divina mediata, vel immedia-
„ ta? Hactenus ille nobilis Scriptor, ſapienter & opportunè admodum.

34 Rurſus. Si definitiones Pontificiæ in controverſijs fidei pendent ab Eccleſię conſenſu accedente, citra Generale Conciliũ; reſtat exponendum, qualis debeat eſſe, & à quibus, & quot, obtinendus ſit eiuſmodi conſenſus. An à ſolis Patriarchis, an à Primatibus, Archiepiſcopis, vel etiam Epiſcopis omnibus. An ſolùm ab Eccleſiaſticis ſęcularibus, regularibuſve; an etiam à laicis. An à doctis ſolùm, vel etiam ab imperitis. An ſcripto præſtandus ſit, eoque publico, & fidem facien-

ciente, an ſolùm voce. An ſufficiat conſenſus tacitus, an requiratur expreſſus: an negativus, an poſitivus. Hæc omnia planè excitabunt innumeras quæſtiones in Eccleſia: quibus dirimendis non ſufficiat auctoritas Pontificis ſine Generali Concilio, ſi à principio non ſufficit ad dirimendam quamlibet controverſiá circa res fidei. Nam ſi quo iure, vt illa extorqueat ab omnibus fidelibus obſequium mentis, eget conſenſu Eccleſiæ ſupervenientes pariter eodem egebit, vt illum extorqueat circa modum, aut qualitatem eiuſdem conſenſus. Quare demum opus erit recurrendi ad Generale Concilium, in quo ea omnia decernantur diſtinctè ac perſpicuè. Quicumque igitur vltra definitionem Pontificiá in controverſijs fidei deſiderant conſenſum Eccleſiæ accedentem; pariter deſiderent neceſſe eſt conſenſum aut definitionem Generalis Concilij. Vide infrà Diſput. XXXIX. vbi latè proſequimur hoc argumentū, & quod ſtatim ſubiungimus.

35 Denique. Si definitiones Summorum Pontificum ex cathedra prolatæ in rebus fidei, ad immobilem ſui firmitatem, & obligationem inducendam, exoptant accedentem Eccleſiæ conſenſum; cur non & definitiones Generalium Conciliorum? Hæc enim non aliunde, non ex alio firmiori principio ſuam auctoritatem & infallibilitatem habere poſſunt, quàm Romanus Pontifex ex cathedra S. Petri definiens. nimirum, ex iure divino, ſeu pollicitatione Chriſti. quæ certè, vt hoc interim dicam, immediatiùs Petro, eiuſque Succeſſoribus, quàm Concilio, facta eſt: vt patet ex ipſius verbis, *Ego pro te rogavi, &c.* ſuprà expenſis à Clero Galliarum anno 1653. Immo nullum Concilium, etiam Generale, vllam firmitatem vel auctoritatem habere, niſi coactum, celebratum, & confirmatum à Romano Pontifice, conſtans Eccleſiæ regula eſt, in ipſis etiam Concilijs Oecumenicis expreſſa, quorum multa in eum ſcopum allegantur in Lateranenſi vltimo ſub Leone X. Seſsione vndecima. Si ergo definitiones Pontificum non aliter infallibiles ſunt, vel vim obligandi ad ſui aſſenſum inducunt, quàm accedente Eccleſiæ conſenſu idem erit dicendum de definitionibus Generalium Conciliorum. Hinc autem graviſsima abſurda ſequêtur. Imprimis enim liceblt colligere, definitionem τῦ ὁμοουσίου, ſeu conſubſtantialitatis Filij cum Patre, in Magna Synodo I. Nicæna traditam à trecentis illis decem & octo Patribus, nec fuiſſe ſtatim infallibilem, nec habuiſſe illico vim obligandi, ſed ſolùm vbi & quando Eccleſiæ reliquæ conſenſus accederet. At hunc non acceſsiſſe ſtatim, immo nec toto eo ſæculo quarto, aut ſequenti, manifeſtum eſt. Non enim modò innumeræ Eccleſiæ Orientales cū ſuis Epiſcopis & Imperatoribus pleriſque, ſed Occidentales cum Regibus & integris populis reſtiterunt: & aliquando, vt inquit Maximus Doctor Hieronymus, in Concilio Ariminenſi, nimirum, ſeu potiùs Conciliabulo, Valentis potiſsimùm & Vrſacij fraudibus, *damnatio Nicænæ fidei conclamata fuit, & ingemiſcens orbis terrarum ſe Arianum eſſe miratus eſt.* Quid ergo? An propterea ij omnes à labe hæreſeos, vel ab anathematis fulmine, quo Nicæna Synodus animadvertit in omnes cum Ario ſentientes, immunes extiterunt? Quid de poſterioribus Synodis Oecumenicis dicam? Et, vt ad proximiores noſtro ſæculo veniam, quis non ducat religioni eximere à nota hæreſis Græcos populos negantes proceſsionem Spiritus S. à Filio poſt definitionē Concilij Florentini ſub Eugenio IV. huius nominis? Et tamen cùm primùm illa prodijt, vno Marco Epheſio contradicente intra Cōcilium, plerique Græcorum populi eam aſpernati ſunt, & vſque modò aſpernantur cū alijs innumeris Orientalibus. Iam denique ſi convertamus oculos ad Synodum Tridentinam, res notior eſt: cùm magna pars, & fortè maior totius Europæ, adverſus illius definitiones à principio palam ſtylum & vocem exacuerit, eaſque exibilaverit. An Lutherani, Calviniſtæ, Reformati, & alij innumeri, qui ſe maiorem Eccleſiæ veræ partem eſſe gloriantur, innoxij erunt, & immeritò arguentur violatæ fidei? Quiſnam Catholicus id in animum inducat? Sicuti ergo definitiones Conciliorum Generalium ritè prolatæ ſunt omnino infallibiles, nec expectant conſenſum Eccleſiæ vt obligent ad ſui aſſenſum, ſed ſtatim exigunt obſequium mentis ab omni homine Chriſtiano: ita etiam de definitionibus Romanorum Pontificum ex cathedra prolatis circa controverſias fidei, ſentiendum ac loquendum eſt. Quo demum conficitur, inanem prorſus & abſurdis plenam eſſe evaſionem à principio ſectionis propoſitam nomine nuperi Cleri Galliarum.

36 Itaque in toto reliquo Tractatu nobis curæ erit ſtabilire ex profeſſo auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſeorſim ac per ſe dirimentis quæſtiones fidei & morum: ac proinde independenter à Concilio, vel conſenſu Eccleſiæ accedente. Vtrumque enim id perinde eſſe, & in idem recidere, ſatis iam demonſtratum eſt. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat, ne ſit opus repetendi tertio quoque verbo.

DISPVTATIO III.

AN ILLVSTRISSIMVS CONVENTVS CLERI Gallicani nuper Pariſijs congregatus, in eadem Theſi priſcis Patribus Eccleſiarum Galliæ contrarius ſit.

VIDIMVS *Diſputatione præcedenti quàm apertè recens ille Præſulum Conventus apud Lutetiam Pariſiorum contradicat Declarationi celeberrimæ octoginta quinque Epiſcoporum Galliæ, ſcribentium anno 1653. ad Innocentium X. Nunc diſquirere oportet, an pariter diſcedat à ſenſu & doctrina Veterum Patrum eiuſdem florentiſſimæ Nationis. Neque omnium eorum teſtimonia in medium proferam hoc loco, ſed pleraque differam ad ſequentes Diſputationes; alia verò prætermittam, ne Opus hoc prolixum evadat.*

SECTIO PRIMA.

Conventum Galliæ prædictum, in quæſtione propoſita videri prorſus receſſiſſe à doctrina communi Veterum Patrum eiuſdem præclaræ Nationis.

2 ITA Colligere licet ex teſtimonijs priſcorum Antiſtitum Eccleſiæ Gallicanæ; quibus nihil antiquius fuit, quàm Eccleſiam Romanam profiteri omnium aliarum ducem & magiſtram: vt proinde ab ipſa, ſive (quod idem eſt) à Pontifice Romano acciperent & diſcerent quidquid credendum eſſet circa fidem & mores. Ducat agmen cæterorũ S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, & Martyr, quem meritò Philippus Labbè in Diſſert. Hiſtor. de Scriptoribus Eccl. appellat *Virum Apoſtolicorum temporum* cùm fuerit auditor S. Polycarpi Smyrnæorum Antiſtitis, ac diſcipuli S. Ioannis Evangeliſtæ. Ille igitur lib. 3. contra hæreſes cap. 3. ait: *Ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnẽ convenire Eccleſiam: hoc eſt, eos qui ſunt vndique Fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, cõſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.* Et poſtquam adiunxit ſucceſsionẽ Pontificum Romanorum à D. Petro, ſubdit: *Poſt eum* (nempe Linum) *tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis adhuc inſonantem eorum prædicationem Apoſtolorum, & traditionem ante oculos haberet. Non ſolus enim: adhuc multi ſupererant tunc ab Apoſtolis docti. Sub hoc igitur Clemente, diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres, factã, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corinthijs ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem.* Itaque teſtimonio Irenæi, ab initio antiquitatis Chriſtianæ ad Romanam Eccleſiam, eiuſque Pontifices S. Petri Succeſſores, conveniebant reliquæ Eccleſiæ, vt erudirentur in fide habita ex traditionibus Apoſtolorum, quarum cuſtos fidelis fuit Linus, & Clemens (ſubindeque reliqui Romanorum Pontificum) qui & Eccleſiæ Corinthiorum fidem reparavit. Vide in eum, & ſimiles Irenæi locos, doctiſsimas notas Fevardentij, fortiſsimi abſdubio Eccleſiæ Vindicis: quem tamen Rivetus impudentiſsimus Cacodoxus, more ſuo allatrare audet, veluti Irenæi corruptorem.

3 Idem Magiſterium Romani Pontificis in omnes Eccleſias diffundentis doctrinam veluti cœleſtem rorem, denotant planè verſus antiquiſsimi exarati in Arelatenſi Galliarum Eccleſia litteris Viſigothicis, auctore, vt volunt, Vigilio Arelatenſi, in hæc verba:

Terrarũ Roma, gemina de luce Magiſtra,
Ros miſſus ſemper aderit: velut incola Ioſeph
Olim contrito Letheo contulit orco.

Vide vberem commentarium Franciſci Rebatu Conſiliarij Regij in Arelatenſi Curia circa ea carmina, & alium breviorem Theophili Raynaudi Tomo X. in Corona Aurea Romani Pontificis littera M. pag. 69. vbi per geminam lucem magiſtram, quæ ſemper rorem in Orbem Chriſtianum mittet, intelligit Apoſtolicam Sedem, quæ vbique, & conſtanter tradet doctrinam SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, reverà vnam, & nunquam ab ea deflectet. Vnde ſubdit Raynaudus (allegato prius S. Irænco lib. 3. cap. 1. & 3.) *Quamvis autem Magiſterium, vi cuius Romanus Pontifex ſpargit infallibilem doctrinam, eandem cum ea, quam Chriſtus tradidit, ſit Magiſterium ſolius Petri, qui ſolus eſt caput Ec-*

cleſiæ, & cui ſoli in eo munere ſuccedit Romanus Pontifex ; tamen doctrina, QVÆ TRADITVR A PONTIFICE VI POTESTATIS DOCENDI INFALLIBILITER, IN QVA SVCCEDIT D. PETRO, eſt illa ipſa doctrina, quam Romanis tradidit S. Paulus, cùm apud eos prædicaret, & lucem doctrinæ diffunderet. Quam doctrinam perpetuò retinuit Romana Eccleſia, & puram ſemper, ac ſynceram in ſuo capite conſervabit, & ad omnes fideles pro occaſione tranſmittet. Hæc ille erudiſs. Scriptor valdè oportuna.

4 Huc etiam ſpectat, quòd Synodus Sueſſionenſis in Gallia ſcribens ad Nicolaum I. Papam agnoſcit in ipſo CVLMEN MAGISTERIALE, tanquam omnium fidelium Summus Doctor ſit: & Caſſianus pluribus retro ſæculis ſcribens intra Galliam ipſam lib. 3. de Incarnatione, cap. 12. Petrum Apoſtolum (& ſubinde legitimum eius Succeſſorem) appelat *SVMMVM INTER MAGISTROS MAGISTRVM ; qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, SICVT FIDEI habuit, ita & Sacerdotij principatum.* Conſonat S. Alcimus Avitus Viennẽſis in Gallia Antiſtes, qui Epiſt. 31. Romanum Pontificem appellat *Magiſtrum, & gubernatorem navis Eccleſiæ.* Indignum autem eſſet, ac planè ἀδύνατον apparet, attenta Providentia Dei erga ſuam dilectiſſimam Sponſam Eccleſiam, vt *Culmẽ Magiſteriale* illius, vt *Summus inter Magiſtros Magiſter, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum, ſicut & fidei habet*, vt denique *Magiſter & Gubernator navis Eccleſiæ*, traderet è cathedra doctrinam falſam, vel à fide deviam. Idem abſdubio colligitur ex S. Hilario Pictavienſi apud Galliam Epiſcopo in cap. 16. Mathęi, & ex S. Eucherio Lugdunenſi Sermone in Vigilia S. Petri, vbi inquit: *Dicit Dominus Petro: Paſce oves meas. Priùs agnos, deinde oves commiſit ei: quia non ſolùm Paſtorem, ſed Paſtorem populorum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & filios, paſcit & matres, regit & ſubditos & Prælatos. OMNIVM IGITVR PASTOR EST: quia præter agnos & oves in Eccleſia n hil eſt.* Idem autem patet eſſe de quovis S. Petri Succeſſore.

5 Sed clariora adhuc ſunt in hanc rem teſtimonia plurima Hincmari Archiepiſcopi Remenſis, quorum aliqua ſolùm delibabo. In litteris ad Nicolaum Papam I. ita loquitur: *De omnibus dubijs vel obſcuris, QVÆ AD RECTÆ FIDEI TENOREM, VEL PIETATIS DOGMATA PERTINENT, Sancta Romana Eccleſia, vt omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, nutrix ac doctrix, eſt conſulenda, & eius ſalutaria monita ſunt tenenda, maximè ab iſs, qui in iſs Regionibus habitant, in quibus divina gratia per eius prædicationẽ omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æternã. Vnde quoniã, ſicut B. Innocentius ad Decentiũ Eugubinũ ſcribit Epiſcopũ, manifeſtũ eſt, in omnẽ Italiã, Gallias, Hiſpanias, Africã, atque Siciliam, inſulaſque interiacentes, nullã inſtituiſſe Eccleſiã, niſi eos, quos venerabilis Petrus, aut eius Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes; OPORTET HOC SEQVI, QVOD ROMANA ECCLESIA CVSTODIT, à qua eos principium ſumpſiſſe non dubiũ eſt: ne dum peregrinis inſtitutionibus ſtudeant, caput inſtitutionum videantur amittere.* Deinde in Opere ad Laudunenſem Epiſcopũ nepotẽ ſuum c. 20. criminatur & reijcit ſecundam Synodum Nicænam, id eſt, Septimã Generalẽ, quaſi coacta fuiſſet *ſine auctoritate Romanæ Sedis.* Vide verba ipſius apud Cabaſſutium in Notitia Eccleſ. pag. 314. Et licèt in eo fallatur Hincmarus, aliunde profitetur, nullũ Concilium ritè congregari ſine auctoritate Romani Pontificis. Deinde, vt teſtatur Flodoardus in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis lib. 3. c. 19. *Hincmarus ſcripſit Apologiam pro ſe contra eos, qui calumniati ſunt illum apud Ioannem Papam, qui Synodum Trecis habuit, aſſerens, ſe decretales Epiſtolas Romanorũ Pontificum venerabiliter ſuſcipere atque tenere, cùm calumniarentur inimici, has eum nolle ad auctoritatem recipere.* Similiter lib. de Prædeſtinatione contra Goteſcalcum cap. 4. ait: *Sequimur autem quæ Catholica & Apoſtolica nos docet Sancta Romana Eccleſia, quæ nos in fide genuit.* Mitto innumera alia ex Opuſculo LV. Capitulorum, vbĩ in id probandum addenſat multa Patrum loca: inter quæ illud inſigne ex Alexandro Epiſcopo: *Veritatis Miniſter, Petri ſequax, & ſanctæ Eccleſiæ Prædicator, ſcio quia illa loqui potuiſti, quæ de Sede Petri Apoſtoli per os Doctoris ſonare debuerunt.* Hæc autem & alia ſimilia non poſſent iure proferrĩ de Romana Eccleſia, eiuſque Pontificibus, ſi poſſent ex cathedra docere aliquid rectæ fidei contrarium.

6 Idem S. Avitus Viennenſis Antiſtes paulo antè laudatus, eiuſdẽ veritatis vberrimus teſtis eſt, prę̨ſertim Epiſt. 87. ad Hormiſdam Pontificẽ Romanũ: vbi quærens ab ipſo quid factũ fuerit de Neſtorio & Eutychete atque alijs Schiſmaticis, inquit: *Securus, nõ dicã de Viennẽſi, SED DE TOTIVS GAL-*

LIÆ

LIÆ DEVOTIONE POLLICEOR, OMNES SVPER STATV FIDEI VESTRAM CAPTARE SENTENTIAM. Vides qualiter aperto S.Aviti teſtimonio tota Gallia in quæſtionibus fidei ab ore Pontificis Romani pendebat. Præmiſſerat verò Epiſt.36.ad Conarium Patriciū: *Scitis Synodaliū legū eſſe, vt in rebus quæ ad Eccleſiæ ſtatū pertinent, ſiquid fuerit dubitationis exordiū, ad Romanæ Eccleſiæ Maximum Sacerdotē, quaſi ad caput noſtrum, membra ſequentia recurratis.* Patet verò, ad Romanæ Eccleſiæ ſtatum maximè pertinere definitiones controverſiarum fidei.

7 Similiter Ieſſe Ambianenſis Epiſcopus loquitur in Epiſt. Encyclica ad ſuos, hiſce verbis: *Nemo Catholicus cōtra Eccleſiæ auctoritatē, nemo ſobrius contra rationalē conſuetudinē, nemo fidelis contra pietatis intelligentiā certare audet, ne ſchiſmaticus inveniatur, & non Catholicus. SEQVIMVR S.ROMANÆ ECCLESIÆ AVCTORITATEM: VT VNDE CATHOLICÆ FIDEI INITIA ACCEPIMVS, INDE EXEMPLARIA SALVTIS NOSTRÆ SEMPER ACCIPERE DEBEAMVS, ne membra à corpore ſeparentur ſuo, ne Claviger regni cœleſtis abijciat quos à ſuis diverſos intelliget eſſe doctrinis.* Itaque Romanæ Eccleſiæ, ac proinde Romani Pontificis auctoritatē omnes Chriſtiani ex officio ſequi tenemur, ne labamur in ſchiſma, ne à fide Catholica diſcedamus, ne à Petro Regni cœleſtis Clavigero proijciamur, veluti alieni ab eius doctrina.

8 Eiuſdem Ambianenſis in Gallia Eccleſiæ Antiſtes Gothofredus ita alloquitur Paſchalem II. Romanū Pontificē: *O Paſtor Orthodoxæ Matris Eccleſiæ. Chriſtus voluit te ſuo loco illi præeſſe, VT LVCEM A TENEBRIS, VERVM A FALSO DISCERNERES. Vt enim à capite membra reguntur, & ad illius nutū membrorū vitia corriguntur: ſic etiā à te Chriſtianorum omniū non facta dumtaxat, ſed etiā malæ voluntates comprimendæ ſunt.* Quid autem indignius cogitatu de Paſtore Orthodoxæ Matris Eccleſiæ, quàm vt eam paſcat doctrina contraria fidei? aut quid alienius ab eo, quem Chriſtus voluit loco ſui præeſſe Eccleſiæ, vt lucem à tenebris, verū à falſo diſcernat, quàm vt pro luce tenebras mittat, & falſum pro vero doceat? Quare Servatus Lupus Epiſt. CIII. ad Domnum Apoſtolicū (id eſt, Benedictū Tertium Pontificem Romanum, vt optimè poſt Maſſonum obſervat ibidē in Notis eruditiſs. Stephanus Baluzius) ſic illū alloquitur in gratiam quorundā fratrum Romā miſſorum ad ipſum conſulendū: *Vt per eos ad nos, & ad cæteros quoſque talia piè quærentes, inſtitutio Romana perveniat. Siquidem IN QVIBVSCVMQVE AD RELIGIONEM VEL HONESTATEM PERTINENTIBVS ambiguitatem creat varietas; vt optima quæq; eniteāt, ILLIC SOLLICITA INVESTIGATIONE CREDIMVS RECVRRENDVM, VNDE FIDEI VBIQVE MANAVIT EXORDIVM.* Vide præterea Epiſt. CXXX. eiuſdem Servati Lupi primùm à Clariſ. Viro Dacherio inventam.

9 S.IVO, ſeu potiùs YVO, vt Philippus Labbè cum alijs nominandū vult, Serm.2. de Cathedra S.Petri, Pontificem Romanū appellat Paſtorem Generalem ovium, & deputatum excubijs Eccleſiarū. Inſuper Epiſt.48.& 88. atque in ſuo Decreto plura colligit ex varijs & antiquis Canonibus, ac teſtimonijs Patrum, in quibus aſſeritur, omnes Chriſtianos iudicio Summi Pontificis ſtare & prorſus acquieſcere debere. quod præcipuè locū habet in iudicio de quæſtionibus fidei & morū. Et Epiſt. 247. ad Hunibaldū Archiep. ait, cauſam ipſius iam fuiſſe Apoſtolica Romani Pōtificis ſalce præciſam, eiuſque iudicium eſſe irretractabile.

10 S.Bernardus, longè clariſsimum Galliarū & totius Eccleſiæ lumen, *Vir omni laude maior*, vt iure loquitur Petavius, eandem ſummam & infallibilē auctoritatem Romani Pontificis in dirimendis fidei controverſijs teſtatā habet pluribus locis, quorū aliqua ſolū delibabo. Epiſt. 190. (quam noſter Mavillon in noviſſima & politiſſima editione tom. 1. inter cæteras noluit inſerere, quoniā longiſſima eſt; ſed tom.4. inter varios Tractatus collocandā curavit) ita alloquitur Innocentium II. Papam: *Oportet ad veſtrū referri Apoſtolatū pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei; EA PRÆSERTIM, QVÆ DE FIDE CONTINGVNT. Dignum nanque arbitror ibi potiſſimū reſarciri damna fidei, VBI NON POSSIT FIDES SENTIRE DEFECTVM. HÆC QVIPPE HVIVS PRÆROGATIVA SEDIS. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: EGO PRO TE ROGAVI, PETRE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA? Ergo quod ſequitur, a Petri Succeſſoribus exigitur: ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS. Id quidem modo neceſſariū tempus eſt, vt veſtrū agnoſcatis, Pater amantiſſime, Principatū, probetis zelum, miniſteriū honoretis. IN EO PLANE PETRI IMPLETIS, CVIVS TENETIS ET SEDEM, SI VESTRA ADMONI-*

NITIONE CORDA IN FIDE FLVCTVANTIA CONFIRMATIS, SI VESTRA AVCTORITATE CONTERITIS FIDEI CORRVPTOREM. Quid illuſtrius? Non tradit modò, ſed comprobat Bernardus ex ipſis verbis Chriſti ad Petrum, & ſubinde ad illius ſucceſſores, magiſteriũ erga omnes Chriſtianos in rebus fidei, & tale magiſterium, in quo *non poſsit fides ſentire defectũ* qualẽ certè ſentire poſſet, ſi poſsibile eſſet vt Romanus Pontifex ex cathedra traderet aliquid à fide devium. Et hæc quidẽ S. Doctor ſcribens contra dogmata quædam Abailardi, & ſubinde Arnoldi de Brixia: quorum ſpeciem, habitum, & ingenium depingit poſtea Epiſt. 194. 195. & 196. ijs coloribus, vt videatur delineare quoſdam è Ianſenianis, de quibus ſuo loco. Vide præterea eundẽ S. Doctorem lib. 2. de Conſiderat. ad Eugeniũ Papá cap. 8. vbi loquitur etiam appoſitè & maximè in rem noſtram: ideóque Gualterus in Chronologia ſæculo primo Veritate 11. §. 4. fine ipſius verba allegat.

SECTIO SECVNDA.

Proferuntur alia illuſtrium Antiſtitum & Scriptorũ veterum Galliæ loca, quibus Clerus hodiernus in eadem controverſia palam adverſatur.

11 POSTQVAM Bernardi Magni Clarevallenſis teſtimonia indicavimus, oportet ſubiungere quædam verba συγχρόνου, & amiciſsimi ipſius Petri Abbatis Cluniacenſis, cognomento Venerabilis, in Aquitania nati, qui lib. 4. Epiſt. 43. ita alloquitur Innocentiũ II. *Spiritus conſilij, qui vbi vult ſpirat, qui per vos ECCLESIÆ SVÆ PER TOTVM ORBEM DIFFVSÆ ASSIDVE CONSVLIT, &c.* Nequit autẽ Spiritus S. vnquam toti Eccleſiæ conſulere per Rom. Pontificẽ aliquid falsũ, vt patet. Huc ſpectat quòd eodẽ lib. 4. Epiſt. 25. appellarat illũ *Rectorẽ ſummũ Eccleſiæ Dei* Indecens autẽ videtur, & Chriſti promiſsionibus Eccleſiæ factis contrarium, vt Rector Eccleſiæ Dei ſummus imbuat illá doctrina aliqua fidei divinæ adverſa. Huc etiam pertinent plura alia quæ tradit lib. 6. Epiſt 27. 28. & 43.

12 Similiter Abbo Floriacẽſis in Epiſtola ad Gregorium Papam, quæ extat in eius Vita c. 12. compellat ipſum, *Doctorẽ ECCLESIÆ, FIDEI PETRAM, REGNI CLAVEM HABENTEM* Eiuſmodi verò honorificis muneribus & titulis palá repugnat, vt Romanus Pontifex è cathedra definiat aliquid fidei contrariũ. Idipſum colliges ex Arnolpho Lexouenſi in Neuſtria Epiſcopo, qui Epiſt. 19. illũ appellat *Paſtorẽ, & Epiſcopũ omniũ, qui Chriſtiano nomine cenſentur.*

13 Illuſtre eſt in eandem veritatem confirmandã teſtimonium Petri Cellenſis natione Galli, & Monaſterij S. Remigij in ſuburbio Rhemenſis Vrbis Abbatis, Epiſt. 3. Romanũ Pontificẽ appellantis *PETRVM RADICATVM ET FVNDATVM IN MONTIBVS SANCTARVM AVCTORITATVM, & in medio vbi mater Eccleſia nidificat in foraminibus Petræ, & in cavernis maceriæ.* Hinc verò colligit, iudicium illius eſſe firmũ, & nunquã à veritate deviũ, in quo ſequendo ſit ſumma ſecuritas. Proptereaq; ſubiungit: *Ad vocẽ rotarũ, quæ in ſe habent ſpiritũ vitæ, ſtant, ac moventur tanquã volubile cũ animalibus ſenas alas habentibus, & oculos antè & retrò, SECVRVS SEQVOR: quia facies Leonis præcedit, ne aliquid noceat: facies Hominis, ne aliquid decipiat: facies Vituli, ne vanitatis aliquid interveniat: facies Aquilæ, ne aliquid dubietatis remaneat, vel tarditatis præpediat. REGVLA VERITATIS TORNAVIT ROTAS ISTAS IN CIRCVITV ET ORBE VERITATIS ÆTERNÆ: quæ de mente divina procedens, tãtæ apud Deũ Maieſtatis eſt, vt in ſummo vertice lucis inhabitabilis reſideat: tãtæ auctoritatis, vt nullius ditioni ſubiaceat* (vide obiter, quomodo neget Papã eſſe inferiorẽ vlli, ac proin de Concilio Oecumenico) *tantæ maturitatis, vt nũquã vultũ deificũ deponat: TANTÆ CERTITVDINIS, VT NVLLA MVTATIO, AVT VICISSITVDINIS OBVMBRATIO IN EAM INCVRRAT.* Si autem Pontifex Romanus, ſive Sedes Apoſtolica poſſet vnquam definire aliquid falſum in quæſtionibus fidei aut morum; omnia alia dicere oporteret.

14 Petrus Bleſſenſis, ſic cognominatus à natali Galliæ ad Ligerim oppido, & Canonicus Bituricẽſis, varijs locis idipsũ confirmat. Nã Epiſt. 68. inquit: *Sicut eminẽtiã Apoſtolicæ Sedis MAGISTRAM OMNIVM ECCLESIARVM PROFITEMVR: ſic ab ipſa cõſilia in ambiguis, in anguſtijs ſolatia, reſpõſa in iudicijs expectamus.* Deinde Epiſt. 145. Põtificẽ Romanũ appellat *HÆREDEM S. PETRI*, veluti potientẽ eadẽ auctoritate. Pręmiſſerat verò Epiſt. 27. invocationẽ hãc ad Deũ cõtra oppreſſores Eccleſię: *Reſpiciat Dñs in faciẽ Teſtamenti ſui, & nõ det in conculcationẽ vineam, quã plantavit dextera eius, Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Suſcitet ſpiritũ Moyſi, & erigat cornu illius vnicornis, Epiſcopi illius Summi & ſingulariter Generalis, quatenus accipiat iudiciũ manus: vt cornu*

ſuo

ſuo acriter contra Syriã ſurgat, inſonet cõtra Edoum, fulminet contra vitulos Bethel, contra idola Ægypti, contra pingues vaccas Samariæ, contra Paſtores paſcẽtes ſeipſos, contra iudices qui condunt iniquas leges, contra canes mutos non volentes latrare, contra amphorã Zachariæ, contra vaſa Paſtoris ſtulti, contra ambitionẽ Simonis Magi, contra tyrannidẽ ſæculi, & ambitionem clauſtri, contra prævaricãtes, contra arrogantes, contra oppreſſores pauperũ, contra turbatores pacis, ET FIDEI SVBVERSORES: QVIA NIMIRVM PONTIFICIS EST HÆC OMNIA CORRIGERE. Similia legere eſt apud Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum, quem aliqui Cancellariũ Regis Chriſtianiſsimi fuiſſe volunt, Epiſt. 22. ad Pontificem Romanum.

15 B. Lanfrancus Abbas Beccenſis in Normãdia, Galliarũ Provincia, & poſteà Archiep. Cantuarienſis in Anglia, Epiſt. 1. Alexandrum Romanum Pontificem appellat *TOTIVS CHISTIANÆ RELIGIONIS SVMMVM SPECVLATOREM.* Et libro contra Berengarium c. 2. illum hæreſeos notat, Eiuſque cenſuræ rationẽ reddit hiſce verbis: *Incurris in illud, quod Beati Doctores, ſi non eiſdem verbis, eiſdem tamen ſententijs multis in locis concorditer adſtruxerunt, hæreticũ eſſe omnẽ hominẽ, qui à Romana & vniverſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat.* Vbi & Eccleſiã Romanã appellat Vniverſalẽ, ſicuti & Papa à Patribus dicitur Vniverſalis Doctor & Paſtor & Magiſter: quoniã eius doctrina ad vniverſos fideles porrigitur.

16 S. Anſelmus, eiuſdem B. Lanfranci diſcipulus, & ſucceſſor in Abbatia Beccenſi apud Normannos, qui & diu Lugduni exulavit, atque ibidem multa ſcripſit, apertiſsimè tradit eandem doctrinã lib. de Fide Trinitatis, aliàs de Incarn. Verbi, initio, vbi ita alloquitur Vrbanum II. Papã: *Quoniã divina providentia Veſtrã elegit Sanctitatẽ, cui vitã & fidem Chriſtianã cuſtodiẽdã, & Eccleſiã ſuã regẽdã cõmitteret; AD NVLLVM ALIVM RECTIVS REFERTVR SI QVID CONTRA CATHOLICAM FIDEM ORITVR IN ECCLESIA, VT EIVS AVCTORITATE CORRIGATVR: nec vlli alij tutiùs, ſi quid contra errorem reſpõdetur, conſulitur, vt eius prudentia examinetur.* Qui locus adeò illuſtris eſt, vt fruſtra ſit accumulare nunc plures alios, ſuo tẽpore proferẽdos. Interim lege apud ipſum lib. 3. Epiſt. epiſt. 37. 40. 47. 48. 74. 152. & lib. 4. Epiſt. 2. 47. 49. iuxta noviſsimam editionem Noſtri Gerberonis.

17 Alcuinus Caroli Magni Galliarũ Regis Magiſter qui magnam ſcriptorũ ſuorũ partẽ in Galliã elucubravit, ac multorum in ea Monaſteriorum Abbas fuit, & tandẽ Turonibus obijt die Pentecoſtes 19. Maij anno 804. (vide Noſtrum Mavillonẽ fusè de eo differentem in Sæculis Benedictinis, & V. Clariſs. Stephanum Baluzium in Notis ad Epiſt. XI. Servati Lupi) Adrianũ I. Papam appellat *Paſtorẽ piiſsimum, in cuius beatiſsima lingua eſt æternæ medicina ſalutis, per quã cœli aperiuntur credentibus.* Hoc autẽ quomodo verũ eſſet, ſi Romanus Pontifex definire poſſet dogmata contraria fidei? Præterea Epiſt. 72. ſic Leonẽ III. Papã alloquitur: *Ecce tu, Sanctiſſime Pater, Pontifex à Deo electus, Vicarius Apoſtolorũ, hæres Patrum, Princeps Eccleſiæ, vnius immaculatæ columbæ nutritor. IN TE FIDES RESPLENDET, devotio fulget, charitas abundat. Congrega nos filios ſanctæ Dei Eccleſiæ, paternæ miſerationis affectu, tuis ſanctiſsimis orationibus, & dulciſsimis ſacrarũ litterarũ exhortationibus, intra firmiſsimũ Eccleſiaſticæ ſoliditatis ovile, ne aliquis ex nobis errabundus lupina rapacitate foris inveniatur devorandus. nã ſplendẽtia cœleſtis militiæ agmina, Nativitatis D. N. IESV-CHRISTI gaudia primo Paſtoribus nũtiare venerunt, qui ſupra ſuos vigilarunt greges. Ecce tuis ſanctiſsimis vigilijs, ad Paſtoralẽ ſollicitudinẽ, probatiſsime Archimandrita, Angelicas è ſupernis ſedibus adſtare viſiones non dubitamus, &c.* Quis autẽ dicat, Põtifici à Deo electo, Vicario Apoſtolorũ, hæredi Patrũ, Principi totius Eccleſiæ, in quo FIDES RESPLENDET, vt errabũdas oves reducat ad ovilẽ Chriſti intra firmiſsimũ Eccleſiaſticæ ſoliditatis ovile; cui vigilãti ad Paſtoralẽ erga totũ populũ Chriſti ſollicitudinem adſtant è ſupernis ſedibus viſiones Angelorũ; contingere poſſe vt tradat doctrinam falſam, aut abhorrentem à fide divina?

18 De nonnullis Patrũ iam laudatorũ, & de quibuſdã alijs, immo de tota Gallia vniversè, profero illuſtre teſtimoniũ Chriſtiani Lupi tom. 2. in Scholijs ad Canones Concilij Octavi Generalis, pag. 1271. vbi cùm retuliſſet lites & diſcordias Hincmari Archiep. Remenſis cũ alijs Præſulibus, & Apologiam quam ille ſcripſit in defenſionẽ ſuæ obedientiæ ac ſubiectionis in Romanos Põtifices eorumq; Decretales Epiſtolas, ſubdit: *Exinde quibuſvis Romanæ Eccleſiæ Decretis ac mandatis lõgè obediẽtiſsimã fuiſſe Gallicanã Eccleſiã, docent ſcripta S. Fulconis proximi poſt Hincmarũ Remẽſis Archiepiſcopi, S. Iuonis Carnotẽſis, Goffredi Abbatis Vindocinẽſis, S. Bernardi, Sugerij Abbatis ad S. Dionyſium, &*

Stephani Epiſcopi Tornacẽſis. Deinde apud Ioannẽ Bromptonum Abbatẽ Iornalen. aiebat Guilielmus Archiepiſcopus Senonenſis: *Vitiũ Paganitatis incurrit, quiſquis mandatis Apoſtolicis obedire contemnit.* Nimirũ eo tempore, ſcilicet ſæculo vndecimo, addit Lupus, *per omnem Galliã vigebat hæc Gregorij Septimi Regula: QVI ROMANÆ ECCLESIÆ NON CONCORDAT, CATHOLICVS NON HABEATVR.* Similiter & illa, quæ habetur in Dictato eiuſdẽ Pontificis can. 22. *Romana Eccleſia nunquã erravit, nec in perpetuũ, Scriptura teſtante, errabit.*

19 Denique, omiſsis alijs, inſtar multorum eſt Protho Prumienſis Monachus in Diœceſi Trevitenſi ſpectante ad antiquã Eccleſiam Gallicanam (non verò Epiſcopus, qualiter habet Index Bibliothecæ Pariſienſis anni 1647.) qui libro 3. de Statu Domus Dei, ita loquitur: *Eccleſiaſticæ autẽ diſciplinæ inſtrumentum eſt Canonicæ auctoritatis Privilegiũ QVOD IN APOSTOLICA SEDE FVNDATVR, vbi divinæ voluntatis inſtitutio omnibus principaliter Eccleſiæ Prælatis, eorumq; ſubditis traditur, vbi firmamentũ diſpẽſationis Eccleſiaſticæ ſpecialiter collocatur. Hoc nanque Privilegiũ B. Petro Apoſtolorũ Principi, cœleſti decreto principaliter traditũ atque firmatũ, Sãcti Patres cũ magna veneratione ſuſcipiẽtes, atque Sanctã Romanã Eccleſiã obſervantes, TAM IN GENERALIBVS CONCILIIS, quàm & in cæteris ſcripturis & geſtis ſuis, VNIVERSALEM MATREM appellaverunt: ET SICVT EIVS DOCVMENTA IN CONFIRMATIONE FIDEI, ET ERVDITIONE SACRÆ RELIGIONIS, ITA ETIAM IVDICIA SVSCEPERVNT; in hoc cõſentientes, & QVASI VNO SPIRITV ET VNA VOCE CONCORDANTES, omnes maiores res, & præcipua negotia, necnon omnium Eccleſiarũ iudicia, ad eam QVASI MATREM ET CAPVT referri debere: ab ea nuſquã appellari, IVDICIA EIVS A NEMINE RETRACTARI, AVT REFELLI DEBERE, VEL POSSE.*

20 Hactenus ille: cuius teſtimonio nihil illuſtrius eſſe poteſt adverſus pleraſque propoſitiones Cleri Gallicani, vt conſideranti palã erit, & nominatim contra illam in qua verſamur: idque tantò magis, quantò clariùs idem Protho non ex ſuo ſolùm ſenſu, ſed communi Sanctorum Patrum, Conciliorumque Generalium loquitur. vt proinde ipſius iudicio tam Patres Gallicanæ Eccleſiæ, qui Concilijs Generalibus ſubſcripſerunt, quã reliqui alij eiuſdem Nationis Scriptores ſacri, QVASI VNO SPIRITV ET VNA VOCE CONCORDANTES, eandem doctrinã tradiderint. Vide plura alia Veterum Galliæ Patrum teſtimonia pro doctrina hactenus tradita de infallibilitate Romani Pontificis, apud Chriſtianum Lupum tom. 4. in Scholijs ad Dictatũ S. Gregorij VII. Papæ ad Can. 22. pag. 757. & ſeqq. vbi demonſtrat, hunc fuiſſe communem ſenſum Veteris Eccleſiæ Gallicanæ. Adde & illuſtrem locum Vincentij Lerinenſis in Commonitorio contra profanas novitates hæreticorum, vbi hortatur, *vt omnes luce clariùs videant, Beatorum Apoſtolorum beata ſucceſsio, quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quãta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel Religionis integritatem.* Et adhibito exemplo in S. Stephano I. Papa, qui ſine vllo prorſus Concilio Oecumenico damnavit errorem rebaptizantium, ſubdit: *O rerum mira converſio! Auctores eiuſdem opinionis* (nimirum, ſententiæ damnatæ à Stephano Papa) *Catholici, conſectatores hæretici iudicantur.* Vide tandem quidquid ferè dicemus ſtatim tota Diſp. ſequenti.

DISPVTATIO IV.

AN EADEM PARS ILLVSTRISSIMI CLERI Gallicani in propoſita quæſtione recedat à communi ſenſu & doctrina Synodorũ Galliæ, tum veterũ, tum recentiorum.

CVM Oſtenderimus iam, Clerum nuperum Galliæ negantem Romano Pontifici auctoritatem infallibilem ad dirimendum quæſtiones fidei; contradicere Patribus priſcis Eccleſiæ Gallicanæ; nunc veſtigandum eſt, an in eo pariter contradicat Synodis coactis in Gallia à primis Eccleſiæ ſæculis ad hæc vſque poſtrema tempora, prout habentur in editionibus Severini Binij, Iacobi Sirmondi, & aliorum, ac potiſsimùm Philippi Labbè, qui omnium pleniſsimam adornandam curavit.

SE-

SECTIO PRIMA.

Oſtenditur, Synodos veteres Eccleſiæ Gallicanæ ſummam ſiue ſupremam auctoritatem agnouiſſe in Romano Pontifice quoad quæſtiones fidei dirimendas, & longè maiorem, quam ipſi nunc tribuat Clerus Galliarum.

1 PRIMA Synodus Gallicana quam detegere potui, eaque inſtituto noſtro opportuna, eſt quam ex Euſebio Cæſar. lib. 5. Hiſtoriæ c. 3. & 4. colligunt Boſquet tom. 1. Hiſtoriar. Eccl. Gallic. lib. 2. & Bail tomo 2. Summæ Concil. Nimirum in eo cap. 3. Euſebius, memorata Epiſtola Chriſtianorum Galliæ, in qua Acta SS. Martyrum Lugdunenſium referebantur, ſubiungit: *Cùm Montanus, & Alcibiades & Theodotus in Phrygia, iam tum prophetandi opinionem apud complures adepti fuiſſent* ..... *cumque de iis hominibus controverſia orta eſſet; fratres, qui in Gallia habitabant,* ἰδίαν κρίσιν εὐλαβῆ καὶ ὀρθοδοξοτάτην (id eſt priuatum iudicium) idque prudens & rectum cū primis) *de eiſdem, epiſtolæ, quam diximus, ſubiunxerunt.* Nec tamen Aſiaticos ijs hæreticis communicantes à ſua communione abſciderunt: ſed potiùs conſulendum arbitrati ſunt Pontificem Romanum Eleutherum, ad quem direxere S. Irenæum, tunc Lugdunenſis Eccleſiæ Præsbyterum: qui de perniciosis dogmatibus Montani, turbataque eius præſtigijs Eccleſia, certiorem faceret. Itaque Synodus illa Gallicana videtur agnouiſſe palam, in ijs controverſijs fidei dirimendis ſupremū iudicem eſſe Pontificem Romanū, cuius oracula conſulenda ſint à cæteris fidelium congregationibus. Quod ſpectaſſe videtur idem Euſebius, dum ait, fratres qui in Gallia erant, tuliſſe ἰδίαν κρίσιν, id eſt, *priuatum iudiciū*, non publicū aut ſolemne, de hæreſibus Montani: quoniam hoc ad ſolum Pontificem Romanum ſpectat. Videtur autem ea Synodus diverſa à Lugdunenſi memorata à Philippo Labbè in Synopſi Hiſtorica Conciliorum ad annum Chriſti 197. nam in hac iam S. Irenæus erat Epiſcopus; in illa ſolum Præsbyter: hæc coacta fuit adverſus Quarta-decimanos, illa adverſus Hæreſiarchas prædictos.

3 Secunda Synodus Gallicana (ab eodem Philippo Labbè prætermiſſa) fuit coacta à Fauſtino Epiſcopo Lugdunenſi, in qua Martianum Epiſcopum Arelatenſem, lapſum in hæreſim Novatiani, damnaverunt Patres congregati: ita tamen, vt omnes ſcriberent ad Stephanum I. Pontificem Romanum (anno circiter 256.) veluti iudicem illius cauſæ ſpectantis ad fidem: ſimiliterque Papam ipſum monendum curarunt per S. Cyprianum, vt patet ex huius Epiſt 67. *Stephanus vero* (inquit Gibalinus lib. 5. de Iure Canon. cap. 3. num. 27.) *& Acta Concilij Lugdunenſis probavit, & Martianum exauctoravit.* Similiter ſæculo ſequenti anno Chriſti 314. habita eſt in Gallijs Synodus Arelatenſis ducentorum Epiſcoporum, auctoritate Pontificia S. Sylveſtri I. Papæ, cuius Legati præſides in ea fuerunt: eiuſque Canones ad eundem Pontificem miſsi ſunt examinandi, & probati ac publicati ab ipſo fuerunt, vt latiùs videbimus Diſp. ſequenti num. 8. & 9. Sanè tunc Eccleſia Gallicana nullatenus dubitabat de auctoritate infallibili Romani Pontificis in definiendis ſeu condendis quibuslibet decretis ad fidem vel mores ſpectantibus: vt ibidem luculenter oſtendemus.

4 Tertiò ſuadetur ex Synodo alia in Gallijs memorata ab Hincmaro Archiep. Remenſi lib. 1. de Prædeſt. cap. 1. quæ celebrata fuit tempore Cœleſtini I. Papæ, anno 1432. vt vult Bail. In ea fuit damnata Prædeſtinatianorum hæreſis, & qui in ea inſorduere, pœnis affecti: neutrum verò factum eſt à Patribus illis, niſi interveniente auctoritate Pontificis Romani. Quare inquit Hincmarus: *Prædicti Galliarum Epiſcopi Synodū habuerunt, & huiuſmodi pravè ſentientes, aut reſipiſcentes, pietate Eccleſiaſtica receperunt; aut in ſua vecordia aut pravis ſenſibus perſiſtentes, Epiſcopali, atque Catholica, ET APOSTOLICA auctoritate à conſortio fidelium ſegregaverunt.* Nimirum, idem Cœleſtinus Papa per Epiſtolam, quæ extat inter alias ipſius, eos hortatus fuerat ad ipſam Synodum cogendam circa eam controverſiam, de qua plura infrà Diſp. IX.

5 Quarto ex Synodo Arelatenſi congregata iuſſu S. Leonis I. Papæ, cognomento Magni, Epiſt. 110. id eſt, vltima omnium, ad Ravennium Arelatenſem Archiepiſcopum: in qua hortatur vt Epiſtola illa celebris & dogmatica eiuſdem Leonis ad Flavianum Patriarcham CP. *vniuerſis fratribus innoteſcat.* Porro Synodus ad S. Pontificem reſcripſit Epiſtolam illam, quæ ſine die & Cōſule data habetur inter Epiſtolas ipſas S. Leonis, & eſt numero (iuxta editionem Lugdunenſem anni 1623. qua vtimur) quinquageſima prima, atque incipit: *Perlata ad nos, &c.* Oportet verò quoddam eius fragmentum longiuſculum hoc loci exſcribere, vt innoteſcat, quanta cùm ſummiſsione omnes Gallicani Præſules in ea cōgregati exceperint definitiones S. Leonis Papæ in materia fidei adverſus Eutychetem. *Exultavimus itaque*, inquiūt, *Chriſto*

Chriſto propitio, lectis Beatitudinis Veſtræ litteris, & omni inſtructione patefacta, OMNES INTRA GALLIAS CONSTITVTOS exultare mox fecimus, dolentes maximè pro iis vobiſcum, qui Catholicæ fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt. QVAE APOSTOLATVS VESTRI SCRIPTA, ITA VT SYMBOLVM FIDEI, QVISQVIS REDEMPTIONIS SACRAMENTA NON NEGLIGIT, TABVLIS CORDIS ADSCRIPSIT, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errrores paratior ſit, memoriæ commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognoverunt fidei ſuæ ſenſum; & ita ſe ſemper ex traditione paterna tenuiſſe. VT VESTER APOSTOLATVS EXPOSVIT, iure lætantur. Nonnulli ſollicitiores facti, Beatitudinis Veſtræ admonitione percepta modis omnibus ſe gratulantur inſtructos, datamque ſibi occaſionem gaudẽt, qua liberè & fiducialiter, SVFFRAGANTE ETIAM APOSTOLICAE SEDIS AVCTORITATE, eloquantur, & aſſerat vnuſquiſque quod credit. Quis autem Apoſtolatui veſtro pro hoc tanto munere, QVOD NON SOLVM GALLIAS, ſed totum mundum velut quibuſdam pretioſiſsimis gemmis ornavit, dignas æſtimet gratias poſſe perſolui? Doctrinæ poſt Deum veſtræ debet quiſque fidelis, vt conſtanter teneat quod credebat: debet etiã quiſque infidelis, vt a perſidia ſua, agnita veritate, diſcedat, & APOSTOLICAE VERITATIS LVCE PERFVSVS, erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur, ET CREDAT QVOD PER OS VESTRVM DOMINVS NOSTER IESVS-CHRISTVS DE SACRAMENTO INCARNATIONIS SVAE DOCET, quàm id teneat, quod diabolus humanæ ſalutis & veritatis inimicus inſtillat. Hactenus ibi.

5 Sic cogitabat, ſic loquebatur olim Gallicanus Clerus; recipiens Decretalem Epiſtolam S Leonis *ſicut Symbolum fidei, illãque tabulis cordis adſcribens.* Sic in eius doctrina venerabatur Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, & Pontificis Romani definitiones excipiebat, veluti Oracula Chriſti *per os illius loquentis*; quæ planè cœlo firmiora, & prorſus irretractabilia ſunt.

6 Quinto ex Synodo Arauſicana II. coacta anno Chriſti 529. ſub Felice IV. Papa, regnantibus in Gallia filijs Clodovei, Præſide Cæſario Arelatenſi Archiepiſcopo: in qua Præſules congregati, antequam de gratia & libero arbitrio tractarent, ſic præloquuti ſunt: *Vnde id nobis ſecundum admonitionẽ, ET AVCTORITATEM SEDIS APOSTOLICAE, iuſtum ac rationabile viſum eſt, vt pauca Capitula, AB APOSTOLICA SEDE NOBIS TRANSMISSA, quæ ab antiquis Patribus de ſanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendum eos, qui aliter quam oportet ſentiunt, ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus lectis, qui hucuſque non ſicut oportebat de gratia, & libero arbitrio crediait, ad ea quæ fidei Catholicæ ſunt, animum inclinare non deſinat.* Nec contenti fuere ij Patres omnia in eo Concilio circa gratiam & liberum arbitrium definire *ſecundum admonitionem & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ*, cuius doctrinam venerantur inter ea, *quæ fidei Catholicæ ſunt*: verùm etiam poſtea approbationem Actorum in ea Synodo petierunt à Bonifacio II. Papa: vt patet ex huius Epiſtola ad prædictum Cæſarium Arelatenſem, quam edidit Iacobus Sirmondus ex Codice Foſſatenſi. Eidem Epiſtolæ præponitur hæc Adnotatio in ipſo Codice Foſſatenſi: *In hoc loco continetur Synodus Arauſicana, quam per auctoritatem Sanctus Bonifacius Papa confirmavit. Et ideo quicumque aliter de gratia & libero arbitrio crediderit, quàm vel iſta auctoritas continet, vel in illa Synodo conſtitutum eſt, contrarium ſe Sedi Apoſtolicæ, & vniverſæ per totum mundum Eccleſiæ ſe eſſe cognoſcat.* Quod certè doceri tam aſſeveranter non poſſet, ſi iudicium Romani Pontificis in quæſtionibus fidei non eſſet irreformabile, ſed expectaret adhuc conſenſum vniverſalis Eccleſiæ, vt Clerus hodiernus Galliarum loquitur.

7 Sexto ex Synodis Aurelianenſibus Quarta & Quinta. Prior earum coacta fuit tempore Vigilij Papæ, anno 541. ante Septembrem, Indictione quarta, Baſilio viro Clariſſimo Conſule, Leontio Burdegalenſi Præſide, Childeberto in Gallijs regnante: in qua Canone 1. ſic ſtatuitur circa celebritatem Paſchæ: *De qua ſolemnitate quoties aliquid dubitatur, INQVISITA VEL AGNITA PER METROPOLITANOS A SEDE APOSTOLICA SACRA CONSTITVTIO TENEATVR.* Sic Eccleſia Gallicana venerabatur iudicium Sedis Apoſtolicæ circa eum ritum, magni abſdubiò momenti, & circa quem tot Concilia ſunt habita. Poſterior autem prædictarum Synodorũ celebrata fuit anno 549. die 28. Octobris, Indictione 13. poſt mortem Regis Theodeberti, Chil-

Childeberti & Clotarij fratrum regnantium anno 38. præſide Lugdunenſi Metropolitano Sacerdote, inquit Labbè. Porrò ibidem Canone primo damnantur hæreſes Eutychis & Neſtorij, non tamen, niſi præeunte iudicio Sedis Apoſtolicæ, & iuxta illud. Verba præcipua ſunt: *Quas etiam ſectas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat ſimiliter, & cum ſuis auctoribus & ſectatoribus execrantes, præſentis Conſtitutionis vigore anathematizamus, atque damnamus*: *RECTVM ATQVE APOSTOLICVM IN CHRISTI NOMINE FIDEI ORDINEM PRÆDICANTES.* Itaque Patres in ea Synodo non aliam fidei ſuæ rationem reddunt, nec aliter damnãt hæreſes illas, quàm iuxta prævium iudicium Sedis Apoſtolicæ factum Chriſti nomine. quod ſanè irreformabile eſt. Denique huc ſpectat Concilium Turonenſe Secundum celebratum anno 567. in Baſilica S. Martini, tempore Ioannis Papæ III. vbi cap. 21. allegatur Decretum quoddam Innocentij Romani Pontificis, & ſubditur; *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ a Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat?* Deinde teſtantur Patres congregati, *Sedis Apoſtolicæ ſemper fuiſſe aut intromittere Auctores, quorum valere poſſit prædicatio, aut apocbryphos facere.* Et ſtatim addunt. *ET PATRES NOSTRI HOC SEMPER CVSTODIERVNT, QVOD EORVM PRAECEPIT AVCTORITAS. Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Paulus Apoſtolus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in canonibus noſtris inſerentes, &c.* Vide præterea Concilium Trecenſe omnium Epiſcoporum Galliæ, celebratum anno 700. in quo excommunicationem latam à Romano Pontifice in quoſdam Principes ratam habent his verbis: *Domine ſanctiſſime ac Reverendiſſime, Pater Patrum Ioãnes, Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ (ſanctæ videlicet Romanæ primæ Sedis) Papa: Nos filij, famuli, ac diſcipuli veſtræ auctoritatis, Galliarum & Belgicarum Epiſcopi, his quæ ſuper vulnera dolorum veſtrorum, maligni homines ac miniſtri diaboli addentes, in ſanctam Matrem noſtram, AC MAGISTRAM OMNIVM ECCLESIARVM, commiſſerunt, compatimur, & dolori veſtro conſentes, condolemus: atque iudicium veſtræ auctoritatis (quod privilegio D. Petri, & Sedis Apoſtolicæ in eos, & complices eorum iuxta ſacros canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, ac ſecundùm eiuſdem Sanctæ Romanæ Sedis Pontificum, prædeceſſorum veſtrorum decreta protuliſtis) voto, voce, & vnanimitate noſtra, atque auctoritate S. Spiritus (cuius gratia in Epiſcopali ordine ſumus conſecrati) gladio Spiritus ſancti, quod eſt verbum Dei, eos interimẽtes perſequimur: ſcilicet quos ſicut prædiximus, excommunicaſtis, excommunicatos tenemus: quos ab Eccleſia abieciſtis, abiecimus: quos anathematizaſtis, anathematizatos eſſe iudicamus: & quos regulariter ſatisfacientes, veſtra auctoritas, & Apoſtolica Sedes receperit, recipiemus.* Non potuere Galliarum Præſules teſtari luculentiùs ſummam auctoritatem definitionum, & Canonum quorumlibet Apoſtolicæ Sedis.

SECTIO SECVNDA.

Oſtenditur idipſum de Synodis Galliarum coactis ſæculo octavo, & nono, præſertim regnantibus Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo.

8 SEPTIMO Probatur ex Synodis Gallicanis octavi ſæculi: ac primùm ex Compendienſi coacta anno 757. Pauli I. Pontificis primo, Pipini Regis ſexto: vbi octodecim Canones habentur: & in nono eorum definiuntur quędam obſervanda circa adminiſtrationem Baptiſmi; quoniam *ſic Sergius Papa dixit*: ac præterea, opus eſſe manuum impoſitione ad Sacramẽtum Confirmationis miniſtrandum, quia *Georgius Epiſcopus Romanus, & Ioannes Sacellarius, ſic ſenſerunt.* Sirmondus legendum cenſet: *Quia Georgius Epiſcopus & Ioannes Sacellarius ſic ſenſerunt.* Erant enim ambo ij Legati Pontificis Romani Stephani II. ad Pipinum Regem: vt conſtat ex Epiſt. 8. eiuſdem Stephani, quæ extat in Codice Carolino edito à Grethſero. Itaque Concilium iam memoratum in dirimendis quæſtionibus adeò implicatis circa adminiſtrationem Sacramentorum vſque adeò detulit Romano Pontifici, vt vel ſoli Legatorum ipſius auctoritati credendum exiſtimaverit. Vide etiam Reſponſa 19. eiuſdem Stephani II. quæ, cùm in Gallia eſſet, dedit ad varia Conſulta Monaſterij Brittaniaci. Illorum meminit, inter alios, Philippus Labbè in Hiſtorica Synopſi Concil. pagi. 94. Itaque eo tempore Gallia vnicè pendere videbatur in quæſtionibus graviſſimis definiẽdis à Romano Pontifice, immo & à Legatis ipſius.

9 Octavo ſuadetur ex Concilio Ratiſponenſi celebrato anno Chriſti 792. Adriani I. Papæ 21. Caroli Magni regnantis in

Gal,

Galliæ 24. ipſo Rege præſente cum Epiſcopis ditionis ſuę. In eo damnata fuit hęreſis Felicis Vrgellitani Epiſcopi, qua Chriſtum cenſebat filium Dei adoptivum, pręſente ipſo Carolo: cauſa verò & controverſia illa ad fidem ſpectans, tandem definita & concluſa fuit ab Adriano Papa, ad quem adductus Felix ipſe hæreſim ſuam damnavit. Accipe verba Alcuini, oculati teſtis eorum quæ gerebantur eo tempore lib. 1. adverſus Elipandum Toletanum: *Antequam ego, eodem ſapientiſſimo Rege Carolo iubente, veniſſem in Franciã, hæc eadem veſtri erroris ſecta, eodem glorioſo Principe præſidente, præſente Felice, quem multum laudare ſoleo, veſtræ partis tunc temporis defenſore, ventilata eſt in celeberrimo loco, qui dicitur Raginisburg, & Synodali auctoritate Sacerdotum Chriſti, qui ex diuerſis Chriſtiani Imperij partibus convenerant, æterno anathemate dãnata, immo & à beatæ memoriæ Hadriano Papa, qui tunc temporis Romanæ Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate rexerat ſedem, FVNDITVS EXTERMINATA.* Non fuiſſet autem *funditus exterminata* illa hæreſis, ſi pręter auctoritatem Romani Pontificis opus eſſet conſenſu vniverſalis Eccleſię in Concilio Oecumenico congregatæ, prout Clerus nuperus Galliarum videtur indicare, vt definitiones Pontificum in quæſtionibus fidei irreformabiles ſint.

10 Verùm Felix, poſt abiuratam hęreſim illam coram Adriano Papa, redux in patriam inſtauravit eandem Inſaniam, ideoque ad eam iterum eliminandam coacta fuit Synodus Francofordienſis anno 794. ex Epiſcopis vniverſi Regni Francorum Galliæ, Italię, & Germanię, pręſente Carolo Magno Rege, & Legatis Adriani Papę Theophylacto ac Stephano Epiſcopis. Cumque iterum in ea fuiſſet damnatus Felix, itidemque Elipandus Archiep. Toletanus, eiuſdem erroris aſſertor, ambo ij litteras ſcripſerunt ad Carolum Magnum in defenſionem ſuę impię opinionis. Carolus verò convocari juſſit Epiſcopos omnes Francici Imperij, & ſępe Oratores miſsit ad conſulendum Summum Pontificem, vt ille teſtatur verbis his ſuę Epiſtolę: *Immo ad Beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione noſtræ devotionis ter quaterque direximus miſſos, ſcire cupientes QVID SANCTA ROMANA ECCLESIA EDOCTA TRADITIONIBVS DE HAC RESPONDERE VOLVISSET INQVISITIONE.* Quin & circa doctrinam in ea quęſtione tenendã profiteri, ſe nulli alij mortalium, quàm Romano Pontifici crediturũ: ideoque ſubdit: *APOSTOLICAE SEDI, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ & Catholicis traditionibus, TOTA MENTIS INTENTIONE, TOTA CORDIS ALACRITATE CONIVNGOR.* O Rex Francorum, & Imperator glorioſiſſime! Quàm meritò cognomen MAGNI adeptus es, tum ob hanc inſignem obedientiam & venerationem, erga Apoſtolicam Sedem; tum ob præclara facinora, nulla temporum oblivione delenda!

11 Notandum prætereà eſt, quamvis eidem Synodo interfuiſſent tot graviſſimi Patres Eccleſiæ Occidentalis, pręſertim ex toto Imperio Caroli Magni Galliarum Regis, & Legati Sedis Apoſtolicæ, vt paulo ante monuimus; adhuc nihil definitum fuiſſe, niſi cum ſubordinatione ad Pontificem Romanum. Quare in libro Sacroſyllabo, qui habetur in eodem Concilio, & à Patribus ibidem congregatis ſcriptus fuit, aut ſaltem vnanimiter probatus, licèt Paulino Aquileienſi Epiſcopo tribuatur, ſic demum concluditur: *Servato per omnia iuris privilegio Summi Pontificis Domini, & Patris noſtri Adriani, primæ Sedis Beatiſſimi Papæ.* Agnoverunt itaque in Romano Pontifice ſummam auctoritatem ad poſtremò dirimendam illam graviſſimam controverſiam fidei. Deinde in Epiſtola Synodica eiuſdem Concilij ad Epiſcopos Hiſpaniæ damnant Patres ijdem hæreſim Felicis & Elipandi, vt ipſi aiunt, *Deo favente, APOSTOLICA AVCTORITATE, atque piiſſimi Domini Caroli Regis iuſſione commoti.* Vide qualiter nec Synodum cõgregaverint, niſi præeunte auctoritate Romani Pontificis; nec definierint controverſiam illam, niſi ſub venia aut correctione ipſius, vt mox dicebamus. Plura quæ ſpectant ad idem Concilium Francofordienſe, & ad hæreſim in eo damnatam, eiuſque Auctores, videri poſſunt apud Baronium, Binium, Sirmondum, & Labbeum in Notis ad eam Synodum, & recentiùs apud Gibalinum lib. 5. de Iure Canonic. cap. 3. ac Caballutium in Notitia Eccleſ. ad annũ 794. vbi de ea differit pag. 314. & ſeqq. Id verò omittere non debemus, anno 799. celebratum fuiſſe Aquiſgrani in Gallia Concilium, in quo prædictus Felix Vrgellitanus Epiſcopus, iterum convictus hęreſeos, in quam fuerat relapſus, Catholicam fidem ex animi ſententia, & omni ſimulatione poſita, profeſſus fuit. Ita teſtatur Auctor Vitæ Alcuini, quã legere potes noviſſimè & eruditiſſimè tractatam à noſtro Ioanne Mavillone in Sęculis Benedictinis tomo quinto: & præterea conſtat ex Profeſſione Fidei ab ipſo Felice ſcripta poſtmodum ad ſuos Vrgellitanos, quam laudat Labbeus ad annum eundem 799.

12 Poſtea exeunte ſæculo octavò, id eſt ſub finem anni 800. Carolus Magnus quartò Romam rediẽs, fuit in Baſilica S. Petri cum Leone III. quem Romani iniquè vexaverant, è Sede ſua expulerant, plurimiſque cruciatibus reſerant, erutis oculis, & abſciſſâ lingua: quæ tamen ingenti miraculo recuperavit. Cumque Leo ipſe voluiſſet coram vniverſo cætu ſe purgare de obiectis criminibus, omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, qui aderant, vna voce clamarunt: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, iudicare non audemus: nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo iudicamur: ipſe autem a nemine iudicatur, ſicut antiquus mos fuit: ſed ſicut ipſe Summus Pontifex cenſuerit, Canonicè obediemus.* Vide quantùm deferret Eccleſia auctoritati Pontificis, præſente & probante id Carolo Magno cum plurimis & nobiliſsimis Galliarum proceribus. Pōtifex verò profeſſus ſe velle ſequi prædeceſſorum veſtigia, in eadem Baſilica S. Petri ferens ſacrum Evangelium, ambonem conſcendit, & prolato iuramento, quo innocentiá ſuam teſtabatur, ab obiectis criminibus ſe purgavit. Ita innumeri Scriptores referunt, poſt Anaſtaſium Bibliothecarium in Vita ipſius Leonis, & Ademarũ in Vita Caroli Magni, qui tunc recèns coronatus fuit Imperator, tùm antea diceretur Francorum Rex.

13 Idem Carolus, ſive adhuc Rex, ſive iam Imperator, in Selectis Capitulis, hoc ipſo ſæculo vulgatis à Iacobo Sirmondo, tomo 2. Conciliorum Galliæ, tractans controverſiam illam tunc celebrem *de purgatione Canonica*, quæ nondum definita fuerat, & ſane ad mores ſpectabat, eius deciſionem quæſivit à Romano Pontifice. Ideoque inquit cap. 1. *Vnde ad conſulendum Patrem noſtrum Leonem Papam Sacerdotes noſtros mittimus: & quidquid ab eo, vel a ſuis perceperimus, vobis vna cum illis quos mittimus, renuntiare non tardabimus.* Deinde Carolus ipſe cap. 2. ait: *Sed qualiter conſultu Domini & Patris noſtri Leonis Apoſtolici, cæterorumque Romanorum Epiſcoporum, &c. definitum eſt, vobis omnibus vtriuſque ordinis miniſtris ſcire volumus.* Præterea cap. 3. *Presbyteros criminoſos Canonicè ad Synodum venientes iubemus, iuxta decreta Papæ Innocentij cap. 33. in medio collocari.* Rurſus capit. 4. *Omnibus vobis, tam præſentibus, quam futuris, ſcire cupimus, quia ideo conſultu Sedis Apoſtolicæ, & omnium Epiſcoporum noſtrorum, de purgatione criminatorum Sacerdotum tanta tractavimus, eamque cum teſtibus, ſicut in anteriori capitulo noſtro continetur, fieri decrevimus; QVIA NESCIEBAMVS EANDEM CAVSAM A BEATO GREGORIO PAPA ESSE DEFINITAM.* Si autem Iudicium Romani Pontificis in ijs controverſijs morum, ſicut & fidei, poſſet eſſe falſum, aut retractari; nec Carolus Magnus cum tanta mentis ſubiectione conſuleret Leonem Papam; nec ſe excuſaret ob ignorationem eius controverſiæ iam antè definitæ ab alio Pontifice Romano. Itaque Carolus antea neſcius eius definitionis Pontificiæ fuit. Præterea ſubdit: *Quod iurgium tùm enucleatiùs diſcutere voluiſſemus, placuit nobis ex hoc Apoſtolicam Sedem conſulere, iubente Canonica auctoritate, atque dicente: SI MAIORES CAVSAE IN MEDIO FVERINT DEVOLVTAE, AD SEDEM APOSTOLICAM, VT SANCTA SYNODVS STATVIT, ET BEATA CONSVETVDO EXIGIT, INCVNCTANTER REFERANTVR.* Iaque propterea ait, ſe miſiſſe Arnonem Epiſcopum ad Leonem Papam, *vt quidquid ſuper his definiendum eſſet, APOSTOLICA AVCTORITATE à noſtris Epiſcopis regulariter ſopiretur.* Vſque adeò venerabatur Carolus Magnus cum omnibus Epiſcopis Regnorum ſuorum definitiones Pontificum Romanorũ. Videant nunc multi Epiſcoporum Galliæ, quomodo religioni non ducãt, Chriſtianiſsimum Regem ſuum Ludovicum XIV. alia omnino doctrina imbuere ab ea, quam prædeceſſor eius Carolus, cognomento Magnus, tam ſæpe, tam dilucidè profeſſus fuit in obſequium Sedis Apoſtolicæ, & omnibus Epiſcopis Regnorum ſuorum ſequendam atque amplectendam propoſuit. Vide etiam plura alia circa eundem Carolum Magnum Diſput. ſeq. n. 26.

14 Eodem Carolo imperante anno Chriſti 809. habitum eſt Concilium Aquiſgrani in Gallia menſe Decembri, quod Ado Viennenſis in Chronico appellat *magnam Synodum.* Cùm enim Ioannes quidam Monachus Hieroſolymitanus (longè alius à Damaſceno, quidquid in oppoſitum conijciat Pithœus, vt oſtendimus Tomo II. Diſput. XCII. num. 30.) quæſtionem moviſſet in Gallijs de proceſsione Spiritus ſancti à ſolo Patre, Carolus Magnus eam Synodum cogi curavit. Teſtatur verò Regino Abbas, ſcriptor eorum temporum, delectos in ea fuiſſe Legatos Bernarium Epiſcopum Vvormatienſem, & Adelardum Corbeiæ Abbatem, quibus Sirmondus addit Ieſſem Epiſcopum Ambianenſem, qui Summum Pontificem Leonem Tertium circa eam quæſtionem conſulerent. Porrò ij Papam ipſum cōvenere in Secretario S. Petri Apoſto-

li

li Indictione ſecunda, vti Labbeus obſervat, & Collatio illa ex Smaragdo Abbate à laudato Sirmondo edita fuit. Pontifex veró, quamvis in ea ſententia eſſet, vt Spiritus S. indiviſim à Patre & Filio procedere credatur, noluit tamen adſtringere vt Ecclesia Gallicana in Symbolo adderet particulam *Filioque*, ob reverentiam antiquarum Synodorum, in quibus ea additio non legebatur facta. Circa quod plura obſervavimus Tomo II. citato, Diſp. XCI. & XCII. per totas, quæ repetere non vacat. Hæc autem pauca in eam gratiam dicta ſunto, vt appareat, qualiter illa Synodus, quam MAGNAM appellarunt Veteres, ſimul cum clariſsimo Imperatore Carolo, in Gallijs regnante, ad dirimendam eam fidei cōtroverſiam Legatos miſſerit ad Pontificem Romanum, & eius reſponſum expectaverit, veluti divinum Oraculum. quod non faceret, niſi certa eſſet de infallibilitate Romani Pontificis in dirimendis quæſtionibus fidei, etiam extra Concilium.

15 Concilium Moguntiacum quatriennio pòſt celebratum fuit, id eſt, anno 813 Indictione ſexta, die nono Iunij, imperante eodem Carolo, & Romæ ſedente ipſo Leone Tertio. Continet quinquaginta quinque Canones: & in quarto eorum iubet, *Vt obſervetur ordo Baptiſmatis, SICVT IN DECRETIS LEONIS PAPAE SVB DVOBVS CONTINETVR CAPITVLIS.* nimirum, in vndecimo & duodecimo, quæ ibidem allegantur. Quin & ſequendam proponunt definitionem Siricij Papæ in Epiſtola ad Himeriū aientis: *Si in qualibet neceſsitate opus fuerit Vnda Baptiſmatis, omni Volumus celeritate ſuccurri.* Neutrum autem eorum decretorum fuit latum ab ipſis Pontificibus in Concilio aliquo Oecumenico: & tamen Epiſcopi Franco-Gallici vtrique eorum exploratam fidem habent, obedientiāque mentis exhibent. Et hæc quidem ſufficiāt circa Synodos coactas tempore Leonis Tertij & Caroli Magni.

16 Veniamus ad tempora Ludovici Pij Galliarum Regis. Anno Chriſti 822. (non 802. vt malè habetur in depravatiſsima editione Gibalini toties laudati, & ſanè fideliore typographo digni) celebratum fuit Cōcilium Attiniacenſe, quod Hincmarus Remēſis appellat *Vniuerſalem Synodum totius Imperij Francorum.* In ea præſens fuit Ludovicus ipſe, ac reconciliatis fratribus ſuis, de ijs quæ in Bernardum nepotem ſuum commiſſerat, & de alijs quæ malè geſſerat, publicam, inſtar Theodoſij Magni, exomologeſim edidit humiliter, & ſolemnem pœnitentiam ſponte ſua accepit. Nihil veró geſtum fuiſſe aut definitum ibidem ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, conſtat: cùm idem Hincmarus in libro de Divortio Lotharij & Terbergæ, atque in Reſponſione ad Interrogationem quintam, teſtetur adfuiſſe Legatos Summi Pontificis, qui tunc erat Paſchalis huius nominis Primus.

16 Biennió pòſt, id eſt anno 824. habitus fuit Conventus Pariſijs circa cultum ſacrarum Imaginum. Cùm enim Patres Eccleſiæ Orientalis plurimùm circa illum diſsiderent, etiam poſt definitam eam controverſiam in VII. Synodo Generali, id eſt, Nicæna II. Michael & Theophilus Imperatores Græci Legatos miſſerunt ad Ludovicum Pium, qui inde etiam Romam proficiſcerentur ad Summum Pontificem Eugenium Secundum, qui eo ipſo anno die 15. Maij ritè electus fuerat. Porró Ludovicus ab eodem Eugenio petijt vt ſineret Pariſijs in Palatio congregari Epiſcopos, alioſque viros doctos, qui obſervarent & colligerent Sanctorum Patrum ea de re ſententias, vt adiumento eſſent ad controverſiam dirimendam. Collectis veró ijs in Conventu Pariſienſi, Ludovicus Collectanea ipſa miſsit ad Eugenium Papam per Legatos ſuos Hieremiam Senonenſem, & Ionam Aurelianenſem Epiſcopos: qui dúo reſponſum à Romano Pōtifice acceperunt. Quamvis veró initio cultus ſacrarum Imaginum receptus non fuerit in Gallijs, ſive quia in ijs Regnis nondum explorata erat auctoritas Synodi Septimæ Generalis, in qua definitus fuerat, ſive ob alias cauſas (quod latè diſcutiunt ex Recentioribus, poſt Baronium, Bellarminumque, Gibalinus, noſter Ioannes Mavillonus, Cabaſſutius, & alij) id tamen evincitur, Conventum Epiſcoporum Pariſijs nihil de hac re definire voluiſſe, niſi ex auctoritate Pontificis Romani, etiam poſtquā ij collegerant & obſervaverant ſententias Veterum Patrum circa eam controverſiam. Adhuc enim vltimam illius definitionem ſpectare crediderunt ad Eugenium Pontificem Romanum.

17 Concilium Vvormatienſe (quod Generale appellat Hincmarus Remenſis, quoniam coactum fuit ex toto Imperio Franco-Gallico) celebratum fuit anno Chriſti 829. imperante eodem Ludovico Pio, & præſente Legato Apoſtolicæ Sedis, quam tunc regebat Gregorius Quartus, biennio antè electus. In eo ſancita ſunt Capitula Regia de ijs, quæ Epiſcopi in quatuor Concilijs paulo ante celebratis decreverāt, eaque à Legato Pontificis confirmata fuerunt. In quo palam liquet quanta fuerit Ludovico & Epiſcopis Imperij Franco-Gallici veneratio erga Sedem Apoſtolicam.

Idipſum

18 Idipſum licet facilè colligere ex alijs Synodis coactis eodem ſæculo nono, imperante Carolo Calvo: ac primùm quidem ex Vernenſi coacta anno 844. in qua Canone quinto Patres congregati venerantur cenſuram quandam Sedis Apoſtolicæ ab Innocentio Papa olim latam: deinde ex Conventu Pariſijs habito anno 846. præſentibus Legatis Romani Pontificis, vt conſtat ex Flodoardo lib. 3. Hiſtor. quem allegant Sirmondus, Labbè, & Gibalinus. Denique huc ſpectat Concilium Turonenſe Quartum anno 849. imperante eodem Carolo, & Romæ ſedente Leone Quarto celebratum Lutetiæ (Chronicon Fontanellenſe à Labbeo citatum vocat Synodum Generalem Pariſijs habitá) à Metropolitis atque Epiſcopis quatuor provinciarum, Turonenſis, Senonenſis, Remenſis, ac Rotomagenſis. In eius Epiſtola Synodica ad Nomenoium Britannicæ Gentis Ducem, ſeu Priorem (quæ eſt octogeſima quarta inter epiſtolas Lupi Abbatis Ferrarienſis) ſic Patres reprehendunt Nomenoium prædictum: *Ad cumulum malorum auxiſti temeritatem, & omnem læſiſti Chriſtianitatem, dum Vicarium B. Petri Apoſtolicum, CVI DEDIT DEVS PRIMATVM IN OMNI ORBE TERRARVM, ſprevíſti. Et in eo igitur læſiſti Apoſtolos, quorum Princeps eſt Petrus: læſiſti Epiſcopos, qui iam cum Deo regnant in cœlis, & miraculis coruſcant in terris: læſiſti & nos, qui etſi non habemus eorum meritum, idem tamen diuina gratia poſsidemus officium.* Et quibuſdam interiectis, ita comminantur: *Niſi deponas pervaſiones alienorum, oppreſsiones omnium, ſocietates perditorum, ET RECIPIAS ADMONITIONEM APOSTOLICAM, noſtræque vnanimitatis; non tibi prodeſſet fides, nec quæcumque pietas, aut bona opera.* Vſque adeò venerationi erat ijs Patribus auctoritas Romani Pontificis, vt eius iniuriam cenſerent graviſsimum ſcelus inter omnia, quæ perpetraverat Nomenoius; veluti quo offendiſſet totam Eccleſiam, tum triumphantem in cœlo, tum in terra militantem. Huc ſpectat quod Epiſcopi Galliarum in Concilio Pontigonenſi coacto anno Chriſti 876. decernunt Canone 1. *Vt honor Domno & ſpirituali Patri noſtro Ioanni Summo Pontifici* (nimirum Octavo eius nominis) *& Vniverſali Papæ ab omnibus conſervetur: ET QVAE SECVNDVM SACRVM SVVM MINISTERIVM APOSTOLICA AVCTORITATE DECREVERIT, CVM SVMMA VENERATIONE AB OMNIBVS SVSCIPIANTVR, ET DEBITA ILLI OBEDIENTIA IN OMNIBVS CONSERVETVR.* Quid illuſtrius? Vide plura alia pro eodem ſenſu Eccleſiæ Gallicanæ apud Chriſtianum Lupum tomo 4. in Scholijs ad Dictatum S. Gregorij VII. Canone 22. pagin. 757. & ſeqq. Adde tamen Epiſtolam Epiſcoporum Galliæ, Henrici Senonenſis, Gaufridi Carnotenſis, Heliæ Aurelianenſis, Hugonis Antiſsiodorenſis, Haitonis Trecenſis, & Manaſsis Meldenſis ad Innocentium Papam, quæ eſt 370. apud S. Bernardum, iuxta noviſsimam editionem Noſtri Ioannis Mavillonis tomo 1. pag. 583. contra errores Petri Abailardi; in qua ij Præſules ita Pontificem ipſum alloquuntur: *Nulli dubium eſt quod ea, quæ Apoſtolica firmantur auctoritate, rata ſemper exiſtunt, nec alicuius poſſunt deinceps mutilari cavillatione. Ea propter ad veſtram Apoſtolicam Sedem, Beatiſsime Pater, referre dignum cenſuimus quædam quæ nuper in noſtra cōtigit tractari præſentia, &c.* Vbi non ſolùm profitentur auctoritatem Papæ infallibilem in dirimendis quæſtionibus fidei; ſed etiá id nulli dubium eſſe teſtantur.

SECTIO TERTIA.

De Concilijs Galliarum poſterioribus, præſertim celebratis ſæculo proximè præcedenti, in quibus ſummè delatum fuit auctoritati Pontificum Romanorum.

19 MITTO Alias Synodos Eccleſiæ Gallicanæ, aliquot pòſt ſæculis celebratas, in quibus ſumma veneratio exhibita fuit Sedi Apoſtolicæ, ſive Pontifici Romano; & nominatim illam, quæ coacta fuit ad Matronam fluvium in pago Meldenſi ſub medium Aprilem ab Epiſcopis tredecim provinciarum Rhemenſis & Senonenſis; nihil definire auſis in cauſa Hugonis, niſi conſulto priùs Romano Pontifice, qui tunc erat Ioannes XII. quamvis octodecim ſolùm annos natus ad tantum dignitatem evectus fuiſſet. Mitto etiam Remenſe Concilium celebratum anno 975. præſidente Stephano Diacono Benedicti VII. Papæ, tunc Eccleſiam gubernantis, Legato: vt conſtat ex Epiſtola Adalberonis Archiepiſcopi Remenſis, quæ adhuc extat; & cuius tandem meminit vir eximiè eruditus, & antiquitatis Eccleſiaſticæ ſcientiſsimus Iacobus Sirmondus, qui non vltra id Concilium proceſsit in tribus tomis Conciliorum Galliæ. Mitto rurſus Meſſonenſem Synodum iuſſu Pontificis Ioannis XV. coactam anno 995. adſtante ipſius Legato Leone Abbate S. Bonifacij; qui & poſtea Ka-

len-

lendis Iulijs eiuſdem anni ſimul cum Siguino Archiepiſcopo Senonenſi,pariter Legato Pontificio,interfuit alteri Synodo Remis coactæ: & tandem alteri apud S. Dionyſium celebratæ,cuius meminit Aimonius in Vita Abbatis ſui S.Abbonis, hoc ipſo ſæculo in lucem miſſa à noſtro Ioanne Boſco in Bibliotheca Floriacenſi.Hæc,inquam, & plurima alia Concilia poſteriorum ſæculorum mitto, ſicuti & Remenſe celebratum anno 1049. à S. Leone IX. Papa: in quo, *annuente & ſuffragante Vniuerſali Concilio*, inquit Codex Remenſis veteris ſcriptoris à Baronio publicatus, *lectis ſententijs ſuper hac re olim promulgatis ab Orthodoxis Patribus,declaratum eſt quòd ſolus Romanæ Sedis Pontifex Vniverſalis Eccleſiæ primus eſſet, & Apoſtolicus*: idque indicto anathemate Epiſcopo Gallicienſi,qui nomen *Apoſtolici* ſibi arrogare præſumpſerat. Venio itaque ad Synodos longè recentiores Galliarum: in quibus Patres congregati nihil ſibi antiquius profitentur,quàm venerationem ſummam in Sedem Apoſtolicam,ſive Pontificem Romanum, cui proinde omnia ſua decreta ſubijciunt.

20 Concilium Senonenſe (ſic vocant Binius & alij frequenter) ſive Pariſienſe, vt Labbeus mavult,inchoatum Lutetiæ die 3. Februarij anni 1527. more Gallico vſque ad diem 9.Octobris anni 1528.Præſide Antonio à Prato Præsbytero Cardinale,Senonenſe Archiepiſcopo,& Galliarum Cancellario,coactũ fuit adverſus hæreſes Lutheri paulò antè obortas,& quorundam aliorum, præſertim impugnantium auctoritatem Summi Pontificis. Inter plura verò lectu ac memoratu digniſſima,quæ ibi tradita ſunt,& ſexdecim decreta fidei edita, hoc ſpeciatim habetur circa auctoritatem Sedis Apoſtolicæ,ſive,quod perinde eſt,Eccleſiæ Romanæ: *Vniuerſos qui aliter,quam Romana credit & prædicat Eccleſia,credere & pertinaciter aſſerere attentant,eiuſdem Concilij auctoritate, VELVTI HAERETICOS ET PERTINACES, à communione fidelium declaramus ſeparatos.* Si autem decreta Eccleſiæ Romanæ, ſive Romani Pontificis in quæſtionibus fidei non eſſent prorſus infallibilia, ſed adhuc retractari poſſent; immeritò declararentur hæretici & pertinaces qui aliter crederent & prædicarent: cùm adhuc ijs eſſet recurſus ad Generale Concilium, in quo poſſet oppoſitum definiri.

21 Concilium Rothomagenſe Provinciale celebratum fuit anno 1581. Præſide Carolo Borbonio, civitatis Avenionenſis & S.Sedis Apoſtolicæ Legato à Latere, Archiepiſcopo Rothomagenſi: in quo plurima dubia propoſita ſunt Summo Pontifici Gregorio XIII.eiuſque reſponſa, veluti cœleſtia Oracula,fuerunt admiſſa:vt videre eſt apud Bail in Additione ad tomum ſecundum Summę Conciliorum,vbi ea omnia recenſet.Extat quoque Gallicè verſum à doctiſsimo Claudio Sancteſio Epiſcopo Ebroicenſi.

22 Concilium Remenſe Provinciale congregatum fuit anno 1583. à Ludovico Cardinali à Guiſia nuncupato, Archiepiſcopo Duce Rhemenſi, primo Franciæ Pari,& Apoſtolicæ Sedis Legato nato: qui & præterea Actorum confirmationem petijt, impetravitque à Summo Pontifice Gregorio XIII.cuius Diploma extat apud Bail tomo 2. Summæ Concil.nuper allegato.

23 Concilium Burdegalenſe eodem anno 1583.Præſide Antonio Prævotio Sanſaco Metropolitano Aquitaniæ ſecundæ, edidit decreta varia, quæ omnia miſsit ad eundem Gregorium XIII. *cum humilitate & obedientia, S.Romanæ Eccleſiæ iudicio emendanda & corrigenda.* Gregorius verò probavit conſilium Archiepiſcopi, eidemque amanter reſcripſit.

24 Concilium Turonenſe Provinciale eodem anno coactum, Præſide Simone de Maille Archiep.Turonenſi, partim Turonibus menſe Maio, partim Andegavi menſe Septembri, vt eſt apud Labbeum, omnia ſua decreta ſubiecit iudicio & cenſuræ Gregorij XIII.Papæ,qui poſtea illa remiſsit eidem Archiepiſcopo emendata & probata.

25 Concilium Bituricenſe Provinciale anno ſequenti 1584. Præſide Reginaldo Belnenſi *miſeratione diuina,& auctoritate Apoſtolica*, vt legitur apud Labbeum, Archiepiſcopo, Patriarcha Bituricenſi, Aquitaniæ Primate, celebratum quidem fuit vivente Gregorio XIII. ſed tamen paulo pòſt confirmatum Diplomate Sixti V.in quo teſtatur,decreta eius Synodi fuiſſe emendata, & prohibet ne aliter edantur.

26 Concilium Aquenſe Provinciale anno 1585. Præſide Alexandro Corrigiano Archiepiſcopo Aquiſextienſi, celebratum circa res fidei, ceremonias Eccleſiæ, & morum reformationem, ſua omnia decreta ſubiecit iudicio Sixti V. Papæ his verbis: *Quæ in ea decreta confecimus, qua maiori poſſumus reverentia atque humilitate,mittimus ad ſanctitatem Veſtram, EIVSQVE CENSVRAE ET IVDICIO SVBIICIMVS: rogamuſque vt ea ſapientia ſua meliora facere, ATQVE APOSTOLICA AVCTORITATE CONFIRMARE, & munire ad ſpiritualem huius Eccleſiæ & Provinciæ ædificatio-*

tionem promovendam velit. Sixtus verò reſcripſit, & decreta ipſa emendata remiſit.

17 Ex his aliiſque Concilijs, & Conſtitutionibus Synodalibus Galliarū, quæ videri poſſunt in editione noviſsima Conciliorum adornata & plurimis locis addita ab eximio & politiſsimo ſcriptore Philippo Labbè, vſque ad annum 1658. in quo ille periodum eius magni Operis clauſit, conſtat planè, Clerum Gallicanum eouſque profeſſum ſummam obedientiam & venerationem erga Apoſtolicam Sedem: vt quidquid in Franco-Gallicis Concilijs tractandum eſſet, aut coram Legatis Romani Pontificis tractaretur; aut ſaltem ad ipſum Papam mitteretur corrigendum vel probandū. Quoties autem correctum fuit Romæ, cenſura Pontificis plena animi ſummiſsione fuit in Gallijs excepta, & nemine contradicente, niſi qui fortè notam hæretici aut ſchiſmatici ſubiret. Tanta verò & tam diuturna ſubiectio Cleri Gallicani erga Sedem Apoſtolicam, à primis Eccleſiæ ſæculis vſque modò, argumento eſt invicto, illum in ea ſemper fuiſſe ſententia, vt definitiones ſeu decreta Romani Pontificis in quæſtionibus fidei & morum (quæ ad ipſum dirimendæ referebantur) ſint prorſus infallibiles, ſeu irreformabiles, contra quàm Clerus Gallicanus hodiernus, ſive potiùs quædam minor ipſius pars, hoc ipſo anno 1682. Pariſijs aſſeruit. Vide præterea quæ diximus de Conventu Pariſienſi octoginta quinque Epiſcoporum Galliæ, Pariſijs habito anno 1653. eiuſque litteris ad Innocentium X. antè & poſtquam damnavit quinque propoſitiones præcipuas Ianſenij, ſuprà exſcriptis Diſp. II. Miraberis profectò intra paucos annos Clerum Gallicanum ſententiam tot ſæculis retentam exuiſſe: immo non intra paucos annos, ſed ſubita quadam mutatione, veluti ephimera ardoris Gallici, releciſſe quæ olim, quæ tandiu, quæ ſemper hactenus docuerat ex antegreſſa deliberatione, & maturo iudicio. Vnde ſperare licet, doctiſsimum Clerum Galliæ, ſeu potiùs minorem eius partem, meliori conſilio habito, aut retractaſſe iam nuperam illam Declarationem, aut brevi retractaturum. Sic illa evaneſcet, inſtar hortorum Adonidis, qui ſubitò & vna die nati, breviſsimè etiam interibant, vt olim Plato ſapienter dixit.

DISPVTATIO V.

AN EX RESCRIPTIS DECRETISQVE Romanorum Pontificum ad Clerum Galliarum, colligatur eadem veneratio ſumma definitionum Sedis Apoſtolicæ circa fidem & mores, independenter à Concilio Oecumenico.

QVAMVIS Veneratio ſumma Regni & Cleri Galliarum erga definitiones Summorum Pontificum à primis ſæculis receptæ fidei vſque ad præſentem annum 1682. videatur abundè ſtabilita in ſuperioribus; adhuc placet illam vberiùs demonſtrare ex reſcriptis & decretis Romanorum Pontificum loquentium cum ipſis Eccleſijs Galliarum. Sic verum comprobabimus quod eruditiſsimus D. Petrus de Marcâ Archiep. Pariſienſis nuper ſcripſit lib. de Concondia Sacerdotij & Imperij varijs locis, Supremam in rebus Eccleſiaſticis auctoritatem exercuiſſe Romanum Pontificem, iudicijs ad conſultationes, relationes, & appellationes redditis, ab eo tempore quo fides Chriſtiana in Gallijs fuit.

SECTIO PRIMA.

Excurritur per tria priora ſæcula Aeræ Chriſtianæ: & demonſtratur ex conſultationibus Eccleſiæ Gallicanæ ad Romanos Pontifices, horumque reſcriptis ad illam, infallibilitas ſumma Sedis Apoſtolicæ in dirimendis quæſtionibus fidei ac morum.

1 PRIMI Romanorum Pontificum nobis occurrentes circa rem propoſitam in epigrapha Diſputationis huius, ſunt S. Pius I. Papa, qui anno Chriſti 156. electus fuit, & S. Eleutherus, qui anno 177. Nimirum prior eorum inter quatuor Epiſtolas Decretales quartam ſcripſit ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem in Gallia; poſterior alteram *ad vniverſas Eccleſias per Galliæ provincias Domino militantes.* In illa Pius Viennenſem Epiſcopum inſtruit circa cultum in corpora SS. Martyrum, & quædam alia ad fidem ſpectantia. In poſteriore Eleutherus inſtruit Galli-

liarum Eccleſias,ne, ſicut antea,errent in fuga aliquorum ciborum,quibus veſci licet. Ideoque ait: *Neceſſarium iudicavimus vos inſtruere, vt eſcas, quas vitaſſe vos audinimus irrationabiliter, non reſpuatis.* Deinde poſtquam id exponit teſtimonijs Scripturæ ſacræ, tradit decreta quædam ad bonum regimen Eccleſiæ,& ad iuſtitiam in iudicijs ſervandam: atque in ijs prępertim ad rem noſtrā ait: *De accuſationibus ergo Clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus* (vide qualiter Eccleſiæ Galliarum Pontificem Romanum circa hæc conſuluiſſent) *quia omnes accuſationes eorum difficile eſt ad Sedem Apoſtolicam deferre, finitiua Epiſcoporum iudicia huc deferentur, VT HVIVS SANCTAE SEDIS AVCTORITATE FINIANTVR, ſicut ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, multorum conſenſu Epiſcoporū, iam definitum eſt.* Vide quomodo Eccleſiæ Gallicanæ à principio conſulerent Romanos Pontifices de rebus ad fidem, mores, & regimen Eccleſiaſticum ſpectantibus; atque etiam qualiter ab ijs inſtruerentur.

3 Obiter nota, quid ſentiendum ſit de illa quarta propoſitione Facultatis Theologicę Pariſienſis nomine edita anno 1662. & ſupra iam exſcripta Diſput. I. num. 9. *Eandem facultatem non probare, neque probaſſe vnquam propoſitiones vllas Chriſtianiſſimi Regis auctoritati, aut germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: v. g. QVOD SVMMVS PONTIFEX DEPONERE POSSIT EPISCOPOS, ADVERSVS EOSDEM CANONES.* Itane? Longè aliud olim S. Eleutherus Papa ſcribens *ad vniuerſas Eccleſias per Galliæ provincias Domino militantes,* prævia ipſarum conſultatione, vt paulo antè vidimus. Nimirum, teſtatur ex doctrina Apoſtolorum, & Succeſſorum eorundem, ac ſua, *finitiua Epiſcoporum iudicia Sanctæ Romanæ Sedis auctoritate terminari debere*: atque adeò ſpectare ad Romanum Pontificem depoſitionem Epiſcoporum totius Orbis Chriſtiani, & ſubinde Galliæ. Hic eſt Canon legitimus Catholicę Eccleſię, ſicuti & Gallicanę; quæ illius quidem inſignis pars, ſed tamen pars eſt. Vnde vereor ne de ijs Doctoribus Pariſienſibus, qui propoſitionem illam, & alias ipſi affines protulerunt dicto anno 1662. vſurpet aliquis verba cuiuſdam recentis & nobilis Scriptoris Galli, aiētis: *Dum liberam volunt Eccleſiam Gallicanam, Schiſmaticam faciunt, & nobiliſsimum Eccleſiæ membrum a ſuo capite divelluntur non tamen Gallicana Eccleſia in Romana ſemper PETRI CATHEDRA ECCLESIAM; VNDE SACERDOTALIS VNITAS EXORTA EST;* agnoverit cum Cypriano Epiſt. 15. & Optato lib. 1. aduerſus Parmenianum. ἀλλὰ ταῦτα ὡς ἐν παρέργῳ; vt ſtatim ad inſtitutū controverſiæ noſtræ redeamus.

4 Secundo idipſum conſtat ex Epiſtola ſecunda S. Callixti I. Papę, quæ eſt, *AD OMNES GALLIARVM EPISCOPOS.* Porrò ij Pontificem ipſum circa pluſrima conſuluerant; vt patet ex fine eiuſdem Epiſtolę, verbis illis: *Conſultis veſtris breviter reſpondimus, quia oppreſſos nimis & præoccupatos alijs iudicijs litteræ nos invenere veſtræ.* Cumque alioqui Epiſtola ipſa ſatis longa ſit, dubium non eſt quin pluſrimæ eſſent interrogationes Epiſcoporum Galliæ, quibus Pontifex ſe breviter reſpondere teſtatur. Inter alia verò, quæ ijs Callixtus initio reſcribit; hæc ſunt: *Plurimorum relatione comperimus, dilectionem veſtram, fervore Spiritus ſancti, ita Eccleſiæ gubernacula firmiter contra impetus tenere & regere, vt naufragia, aut naufragiorum detrimenta, Deo auctore, non ſentiat. Talibus igitur gloriantes iudicijs, rogamus NE IN ILLIS PARTIBVS CONTRA APOSTOLICA STATVTA FIERI SINATIS: SED NOSTRA FVLTI AVCTORITATE, nociua compeſcite, illicita prohibete.* Deinde pluribus decretis editis circa gubernationem Eccleſiæ, damnat coniunctiones ſeu nuptias conſanguineorum columna tertia, inquiens: *Si quæ auſu temerario tentatæ ſint, AVCTORITATE APOSTOLICA reſcindendæ veniunt.* Vides quomodo Epiſcopi Galliarū conſuluerint Callixtum Papam, veluti communem Eccleſię totius Magiſtrum, cuius doctrina firma prorſus ac certa ſit; & quomodo ille auctoritate Apoſtolica dubijs eorum reſponderit, & decreta ſtatuerit ab ijs obſervanda. Tempus verò, quo eam Epiſtolam ſcripſit Cornelius, fuit ab anno 219. quo electus fuit, ad annum 224. in quo martyrium ſubijt.

5 Tertio ex alia Epiſtola Decretali S. Lucij Papæ electi die 9. Aprilis, anno 255 *ad Galliæ atque Hiſpaniæ Epiſcopos,* qui eundem Pontificem Romanum per litteras conſuluerant: vt patet ex primis Lucij verbis: *Litteras dilectionis veſtræ, QVAS AD BEATI PETRI APOSTOLI SEDEM pro veſtri cauſa negotij miſiſtis, libenter ſuſcepimus.* Conſuluerant autem circa plurima, de quibus reſpondet Pontifex. Verùm notanda maximè ſunt verba ipſius columna poſtrema, in quibus non ſolùm tradit auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicę in traden-

da doctrina fidei, ſed etiam illam confirmat ex verbis Chriſti in Evangelio ad Petrum, ex quibus alij Patres, & communiter Theologi eam colligere ſolent: *Hæc ſancta, inquit, & Apoſtolica, mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, QVAE PER DEI OMNIPOTENTIS GRATIAM A TRAMITE APOSTOLICAE TRADITIONIS NVNQVAM ERRASSE PROBATVR, nec hæreticis novitatibus depravanda ſuccubuit: ſed, vt in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit ab auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti principibus, ILLIBATA FINE TENVS MANET, ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum Principi in ſuis fatus eſt Euangelijs, PETRE,* inquiens, *ECCE SATANAS EXPETIVIT, VT CRIBRARET VOS, SICVT QVI CRIBRAT TRITICVM: EGO AVTEM PRO TE ROGAVI, VT NON DEFICIAT FIDES TVA: ET TV ALIQVANDO CONVERSVS, CONFIRMA FRATRES TVOS.* Et paucis interiectis ſubdit de eodem Salvatore: *Fidem Beati Petri non defecturam promiſsit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit: QVOD APOSTOLICOS PONTIFICES, MEAE EXIGVITATIS PRAEDECESSORES, CONFIDENTER FECISSE SEMPER, CVNCTIS EST COGNITVM. Quorum & puſillitas mea, licèt impar & minima, PRO SVSCEPTO TAMEN DIVINA DIGNATIONE MINISTERIO, PEDISSEQVA CVPIT EXISTERE.* Quid illuſtrius, aut aptius, vt nemo Epiſcoporum Galliæ dubitet de definitionibus Romanorum Pontificum in quæſtionibus fidei, niſi exuere velit aut impugnare doctrinam Chriſti oraculo confirmatam, ab Apoſtolis, & Petri Succeſſoribus *confidenter* traditam, ac tandem à S. Lucio Papa & Martyre Eccleſijs Galliarum ſcripto commiſſam?

6 Quarto ex Epiſtola ſecunda Sancti Felicis I. Papæ & Martyris electi die vltimo anni 270. quæ eſt ſimiliter *ad vniuerſos Epiſcopos per Galliæ provincias conſtitutos*, qui pariter ipſum de multis conſuluerant, vt patet ex ipſius Epiſtolæ contextu. Inter plura verò quæ S. Pontifex in ea tradit, columna tertia inquit: *Habetote interim iſta ad ſuffragium veſtrum APOSTOLICA AVCTORITATE DECRETA.* Ac poſtea paulo ante finem: *De his plura & perà neceſſaria, quæ in decretis Sedis Apoſtolicæ, & ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, noſtris videlicet Prædeceſſoribus, ſtatuta inveniuntur, dicere & conſcribere potuiſſemus.* Vides quomodo Gallicani Epiſcopi à S. Felice Papa & Martyre doceantur, decreta ſive definitiones Romanorum Pontificum, eſſe decreta Sedis Apoſtolicæ, & Apoſtolorum: quę ſanè nihil aliud tradere poſſunt, quàm doctrinam Apoſtolicam & proinde nulli falſitati aut errori obnoxiam.

7 Quinto ex Epiſtola prima S. Euſebij Papæ electi anno Chriſti 309. quæ etiam inſcripta eſt *ad omnes Galliæ Epiſcopo*. Conſuluerant hi Pontificem ipſum de pluribus ad fidem & mores ſpectantibus: & reſpondet S. Euſebius, præcipuè dum ſub initium ait: *Quod ſignificaſtis enim, quid de converſis hæreticis fieri debuiſſet, ſcitote, nos eos, qui in S. Trinitatis fide baptizati ſunt, per impoſitionem manus ſuſcipere.* Ac poſt plura documenta ſalutaria ijs tradita, quæ omnia ad fidem vel mores ſpectant, concludit: *Et ſi amplius de talibus, aut de ijs ſimilibus aliquid fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur, VT PERTRACTATA QVALITATE HORVM, NOSTRA, QVID OBSERVARI DEBEAT, SOLICITVDO CONSTITVAT.* Sic ille ſanctus Præſul in quæſtionibus fidei & morum inſtruebat Galliarum Epiſcopos omnes ipſum conſulentes.

8 Sexto ex Epiſtola ſeu Proœmio Concilij Arelatenſis in Gallia Narbonenſi celebrati anno Chriſti 314. vt vult Labbeus, ſive circa 316. iuxta Binium, tempore S. Sylveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris adhuc catechumeni. Nimirum in eo Conventu Epiſcoporum ducentorum, quem Auctor Synodici appellat τοπικὴν σύνοδον, S. Auguſtinus verò non dubitavit appellare plenarium & Vniverſale Concilium, adfuere nomine Sanct. Sylveſtri Papæ legationis munere fungentes Eugenius & Cyriacus Diaconi, qui & præſederunt, adſtante ipſo Imperatore Conſtantino. Neque contenti Patres Concilij hac ſubiectione in Romanum Pontificem, Acta omnia, ſeu decreta remiſſerunt ad ipſum examinanda & probanda. Quod ſatis indicant in Proœmio eorundem Actorum, dum aiunt: *Domino & ſanctiſsimo fratri Sylueſtro Epiſcopo, Marinus, vel cœtus Epiſcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatenſi. Quæ decrevimus communi Concilio, charitati tuæ ſignificamus, vt omnes ſciant quid in futurum obſervare debeant.* Quare Binius in

Notis ad ipſum Procemium ait: *His verbis continetur inſcriptio & procemium illius Synodalis Epiſtolæ, quam Epiſcopi vnà cum Canonibus à ſe ſtatutis ad Syluestrum miſſerunt, VT EA QVAE STATVISSENT, IPSE AVCTORITATE PONTIFICIA CONFIRMARET.* Integram porrò Epiſtolam ſubiungit Binius ex Bibliotheca Petri Pithœi depromptam. Sylveſter verò probavit & auctoritate ſua promulgavit eos Canones: de quo videſis Baronium ad prædictum annum 314.

9 Inde autem, ſicuti ex præcedentibus, colligitur planè, Eccleſiam Gallicanam in ea ſemper doctrina fuiſſe, vt nullum Concilium ritè celebraretur, niſi ex auctoritate Romani Pontificis; nulla quoque decreta aut Canones vim haberent, niſi ab ipſo confirmarentur; quorumlibet item dubiorum ſeu quæſtionum ad fidem vel mores ſpectantium determinatio ac definitio, ab eo petenda eſſet, veluti à certa quadam & infallibili regula credendi. Neque vnquam à definitionibus ſeu decretis eorum Pontificum (immo nec ſubſequentium vſque ad hæc noſtra tempora, vt vidimus Diſput. proximè præcedenti) Eccleſia Gallicana receſsit, vel ea retractari voluit, aut corrigi; nec Concilium Oecumenicum appellavit: quoniam, nimirum, ipſi, & omnibus verè fidelibus, ac filijs germanis Eccleſiæ Catholicæ, ſemper altè infixum fuit ex pollicitatione Chriſti Petro facta, & ſubinde eius Succeſſoribus (vt ſuprà numer. 5. vidimus) auctoritatem Romani Pontificis ex cathedra definientis controverſias fidei ac morum, eſſe ſummam, & nulli errori expoſitam; ac propterea eius iudicium eſſe irreformabile, *cui omnes Chriſtiani ex officio ipſius quoque mentis obedientiam exhibere teneantur*: vt loquar verbis Cleri Gallicani in Epiſtola ad Innocentium X. ſcripta die 19. Iulij, anno 1653.

10 Et ſanè ſi definitiones Romanorum Pontificum in quæſtionibus fidei ac morum non inducerent certitudinem fidei independenter à Concilio Oecumenico, vti minor pars Cleri Gallicani hoc anno 1682. indicavit in Declaratione Pariſijs edita; quid dicemus de tota Eccleſia Catholica, quæ tribus integris ſæculis & ampliùs nullum Concilium Oecumenicum habuit vſque ad tempus Sancti Sylveſtri Papæ, in quo nunc verſabamur? Innumerabiles hæreſes ijs ſæculis fuerunt, quas Romani Pontifices, ſive in Concilijs Provincialibus, ſive extra omne Concilium, damnarunt & proſcripſerunt. Statim verò illæ omnes à tota Eccleſia Catholica *ſolius Apoſtolicæ Sedis auctoritate fulta*, vt loquebantur laudati Antiſtites Galliarum in Epiſtola illa anni 1653. damnatę & anathematizatæ fuerunt, veluti fidei contrariæ, nemine contradicente, niſi palam refractario & hæretico. Certum ergo fuit ijs tribus primis Eccleſiæ ſæculis (proindeque & hodie eſt certum, cùm vna ſemper ſit fides & Eccleſia) definitiones Pontificum in quæſtionibus fidei ac morum, etiam extra omne Concilium latas, omnimodam firmitatem habere, & ſpectare ad Catholicam fidem. Sed de hoc vberiùs in progreſſu.

SECTIO SECVNDA.

Illuſtria teſtimonia S. Cæleſtini I. Zoſimi, & S. Leonis Magni, pariter reſcribentium ad Epiſcopos Galliarum, proferuntur, & expenduntur in eundem ſcopum.

11 SEPTIMO Idipſum confirmare licet ex Epiſtolis S. Innocentij Papæ, qui rexit Eccleſiam ab anno Chriſti 402. vſque ad 416. ac primùm quidem ex ſecunda illarum, iuxta editiones Binij, & Labbei, quæ eſt ad Victricium Epiſcoporum Rothomagenſem. Hic eximius Præſul, ac lumen Gallicanæ Eccleſiæ (vtpotè qui, teſte Paulino Epiſtol. 26. tempore Iuliani militans, ideo quòd pro Chriſto cingulum militiæ abieciſſet, multis tormentis affectus, & capitis pœna damnatus, carnifice, qui ad eum cædendum miſſus fuerat, cæcitate percuſſo, ipſe vinculis ſolutus liber evaſit, & poſtea Rothomagenſis Epiſcopus factus, Mornorum & Nervorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem perduxit, & demum Confeſſor in pace quievit) hic, inquam, talis & tantus Vir, normam Eccleſiaſticæ diſciplinæ ab Innocentio Romano Pontifice petijt, vt patet ex prioribus dictæ Epiſtolæ verbis: *QVIA ROMANAE ECCLESIAE NORMAM ATQVE AVCTORITATEM MAGNOPERE POSTVLASTI.* Statim verò reſcribit Innocentius: *Voluntati tuæ morem admodum gerens, digeſtas vitæ & morum probabilium diſciplinas, annexas litteris meis miſi, per quas aduertant Eccleſiarum regionis veſtræ populi, quibus rebus & regulis Chriſtianorum vita, in ſua cuiuſque profeſſione, debeat contineri, qualiſque ſervetur in Vrbis Romæ Eccleſijs diſciplina. Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, & con-*

& conſacerdotes noſtros, qui in illis regionibus proprijs Eccleſijs præſident, regularum hunc librum, QVASI DIDASCALICVM ATQVE ADMONITOREM, ſedulo inſinuare, vt & noſtros cognoſcere, ET AD FIDEM CONFLVENTIVM MORES, valeant docendi ſedulitate firmare. Incipiamus ergo, adiuvante Deo, & ſancto Dei Apoſtolo Petro, PER QVEM ET APOSTOLATVS ET EPISCOPATVS IN CHRISTO COEPIT EXORDIVM,&c. Vides qualiter Victricij Rothomagenſis Epiſcopi conſultatione præmiſſa, reſcribat Innocentius Pontifex; & tum ipſi, tum cæteris Galliarum Epiſcopis, atque ipſorum populis, præſcribat formam vivendi iuxta morem Eccleſiæ Romanæ,& fidem Chriſti.

12 Deinde profert Innocentius tredecim Capitula, ſive Canones, ad quos Epiſcopi Galliarum exigant ſuos & ſubditorum ſuorum mores, ac iudicia Eccleſiaſtica: & in tertio ait: *Si quæ autem cauſæ, vel contentiones inter Clericos, tam ſuperioris Ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, ſecundùm Synodum Nicænam, congregatis eiuſdem provinciæ Epiſcopis iurgium terminetur, nec alicui liceat (ROMANAE ECCLESIAE, CVIVS IN OMNIBVS CAVSIS DEBET REVERENTIA CVSTODIRI) relictis ijs Sacerdotibus, qui in eadem provincia Eccleſiam divino nutu gubernant, ad alias convolare provincias. Si autem maiores cauſæ in medium fuerint devolutæ; AD SEDEM APOSTOLICAM, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt iudicium Epiſcopale referantur.* Non potuit illuſtriùs docere Galliarum Epiſcopos ſummam reverentiam & ſubiectionem erga Eccleſiam Romanam in cauſis omnibus, & ſpecialem in gravioribus: quales profectò ſunt, quæ verſantur in doctrina morum & fidei.

13 Altera Innocentij Epiſtola eaque ordine tertia, ad Exuperium Epiſcopum Toloſſanum, pariter ſcripta fuit ad huius preces & conſultationem: vt patet ex verbis Pontificis ad ipſum: *Et quidem dilectio tua, inſtitutum ſequuta prudentum; AD SEDEM APOSTOLICAM REFERRE MALVIT; quid de rebus dubijs cuſtodire deberet, potius quam vſurpatione præſumpta, quæ ſibi viderentur de ſingulis obtinere.* Deinde reſpondet ad dubia ipſius, quæ partim ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, partim ad mores, & ad fidem ipſam: cùm in ſeptimo & extremo capite deſignet libros, *qui accipiendi ſunt in canones ſanctarum Scripturarum*, quorum indicem ibi texit, quinam etiam ſint reſpuendi.

14 Octavo ex Epiſtola quinta Zoſimi Papæ electi anno Chriſti 416. quæ eſt ordine quinta, *de privilegijs Eccleſiæ Arelatenſis*, ad Epiſcopos per Galliam & ſeptem provincias conſtitutos. Porrò in ea incipit Pontifex, *PLACVIT APOSTOLICAE SEDI*, vt quidquid ibidem decernitur, ſummam auctoritatem obtineat: & deinde ad medium Epiſtolæ inquit: *Quiſquis vero poſthac contra Apoſtolicæ Sedis ſtatuta & præcepta maiorum, omiſſo Metropolitano Epiſcopo, in provincijs ſupradictis quemquam ordinare præſumpſerit; vel is qui ordinari ſe illicitè ſciuerit, vterque Sacerdotio ſe carere cognoſcat. Quomodo enim poteſt auctoritatem Summi Pontificis obtinere, qui quæ erant Pontificis ſervare contempſit?*

15 Idem Zoſimus Epiſtol. ſeptima, quæ eſt ad Viennenſes & Narbonenſes Epiſcopos, poſt plura alia inquit: *Apud nos inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Quibus denotat, quanta veneratio exhibenda ſit antiquis decretis Patrum, præſertim Apoſtolicæ Sedis. Deinde Epiſtola octava ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum, ſic illum reprehendit: *Licèt ſola, quæ in Sede Apoſtolica habita ſunt, potuiſſent geſta ſufficere; tamen etiam hac te auctoritate confringimus.* Et poſt nonnulla alia concludit: *Si quid contra hæc, QVAE A NOBIS SVNT SVB DEI IVDICIO STATVTA, tentaveris; non ſolùm quos faciendos credideris; Epiſcopatum obtinere non poſſe, ſed etiam ipſe Catholica communione diſcretus, ſerò de illicitis præſumptionibus ingemiſces.* Similiter Epiſtola nona, quæ eſt ad Patroclum Epiſcopum Arelatenſem, Proclum Maſſilienſem Epiſcopum damnat Apoſtolicę Sedis auctoritate; ob ordinationes illicitè præſumptas. His verò alijſque iudicijs Apoſtolicæ Sedis, quæ partim circa ius, partim circa factum verſantur, nemo Epiſcoporum Galliæ reſiſtere auſus fuit, nemo Concilium appellavit: quia omnes auctoritatem Sedis Apoſtolicæ agnoverunt, eiuſque ſententiam à nullo retractari poſſe.

16 Nono ex celeberrima Epiſtola Sanct. Cæleſtini Papæ, electi die tertia Novembris, anno Chriſti 423. ſcripta ad Epiſcopos *Galliæ*: circa quam plurima obſervavimus Tomo I. Diſputat. 2. ſect. ſexta, &

ſeptima. Porrò cùm aliqui in Gallijs nolentes ſatis agnoſcere neceſsitatem gratiæ divinæ, ab Auguſtino & alijs Patribus traditam in Concilijs Africanis, & à nonnullis Pontificibus Romanis confirmatam, quæſtiones aliquæ circa id delatæ fuerunt ad Sanct. Cæleſtinum Papam, ſive vllo ordine ad Oecumenicum Concilium: quoniam omnibus Catholicis perſuaſum erat, Romanum Pontificem ſine eo adminiculo poſſe ritè & ἀναμφισβητήτως eiuſmodi controverſias dirimere: & prædicti ipſius Anteceſſores ſine vlla Synodo Generali eas Provincialium, ſive Nationalium Conciliorum definitiones probaverant. Cæleſtinus verò auctoritate Apoſtolica definit quædam Capitula ſive Canones, allegato loco à nobis exſcriptos; & ſubiungit, ſe nolle præterea adſtruere definitionem aliquam circa profundiores alias quæſtiones, ſed ſolùm circa ea, quæ in dictis Capitulis continentur: *Quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quidquid ſecundùm prædictas regulas APOSTOLICAE SEDIS SCRIPTA DOCVERVNT: VT PRORSVS NON OPINEMVR CATHOLICVM, QVOD APPARVERIT PRAEFIXIS SENTENTIIS ESSE CONTRARIVM.* Vide verba admodum opportuna Epiſcoporum Galliæ in poſteriore Epiſtola ad Innocentium X. à nobis exſcripta ſupra Diſputat. II. dum loquuntur de hoc Sancti Cæleſtini decreto: & miraberis quòd quidam Epiſcopi in Gallia nunc circa controverſiam noſtram aliter ſentiant, quàm teſtimonio illorum Præſulum clariſsimorum eiuſdem nationis docuit & credidit tota antiquitas Chriſtiana.

17 Decimo ex Epiſtola S. Leonis I. Papæ, cognomento Magni, ad Epiſcopos omnes Galliarum, quæ eſt numero quinquageſima ſecunda, in reſponſionem alterius ab ijs acceptæ, & habetur inter Epiſtolas ipſius Pontificis poſt 51. Porrò ij gratulati fuerant S. Leoni ob admirandam illam & verè divinam Epiſtolam ad Flavianum contra errores Neſtorij & Eutychis, præſertim verbis illis: *Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta, ITA VT SYMBOLVM FIDEI, quiſquis redemptionis ſacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendavit.* Reſcribit verò ijs peramanter S. Leo, & inter alia inquit: *Quod ergo ſicut cauſa poſcebat, fiduciam noſtram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxiſtis, multa exultatione gaudemus.* Vide quanta cum veneratione exceperint Galliarum Præſules Epiſtolam S. Leonis Papæ, Apoſtolica auctoritate ſcriptam, circa eas controverſias fidei graviſsimas: & qualiter S. Pontifex ijs gratiam rependat.

18 Similiter in alia Epiſtola, quæ eſt numero octogeſima nona, *ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ* in Gallia, eandem ſummam auctoritatem Romani Pontificis ad tradendam fidei doctrinam ſplendidiſsimè confirmat. Sufficiat priora verba ipſius Leonis exſcribere. *Divinæ cultum religionis, quam in omnes gentes, omneſque nationes, Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter IESVS CHRISTVS humani generis Salvator inſtituit, vt veritas, quæ antea legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem vniverſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt Pſalmo 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſsimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret: vt ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua, velut in omne corpus diffunderet, VT EXORTEM SE INTELLIGERET MYSTERII DIVINI, QVI AVSVS FVISSET A PETRI SOLIDITATE RECEDERE. Hunc enim in conſortium individuæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM: vt æterni Templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri ſoliditate conſiſteret: hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verùm hanc Petræ iſtius ſacratiſsimam firmitatem* (notent hæc, & timeant ſibi, quicumque auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, ſive, quod perinde eſt, Romanorum Pontificum Petri Succeſſorum, ſubvertere, imminuere, aut quovis modo extenuare contendunt, quolibet colore quæſito) *Deo ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, QVISQVIS EIVS POTESTATEM TENTAT INFRINGERE, FAVENDO CV-*

CVPIDITATIBVS SVIS, ET ID QVOD ACCEPIT A VETERIBVS, NON SEQVENDO: cùm nulli ſe ſubditum legi, nullis inſtitutionis Dominicæ credit legibus contineri, à veſtro noſtroque, per novæ vſurpationis ambitum, more deſciſcens, præſumendo illicita, & quæ cuſtodire debet, negligendo. Verum hæc nos, DEO (VT CREDIMVS) ASPIRANTE, ſervata circa vos noſtræ charitatis gratia, quam ſanctitati veſtræ Apoſtolica ſemper Sedes, vt meminiſtis, impendit, NITIMVR CONSILIO MATVRIORE CORRIGERE, ET VESTRARVM ECCLESIARVM STATVM, COMMVNICATO VOBISCVM LABORE, COMPONERE, NON NOVA INSTITVENTES, SED VETERA RENOVANTES, vt in ſtatus conſuetudine, quæ à Patribus eſt tradita, perduremus, & Deo noſtro per boni operis miniſteriam; remotis perturbationum ſcandalis, placeamus. Videat, quæſo, & intentè evolvat hæc Catholicus Lector, ab omni præiudicio liber: atque ediſſerat nobis, an non poſſit iure merito vſurpare verba eadem SS. D. N. Innocentius XI. hoc ipſo anno ad Epiſcopos illos Galliarum, qui die 19. Martij Declarationem illam in ſuperioribus exſcriptam, & vbique iam evulgatam, ediderunt.

19 Proſequitur Leo ſtatim: *Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem, pro ſui reverentia, a veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam; & pro diuerſarum (quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat) appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe iudicia: adeo vt ſervata vnitate ſpiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde litteris, quod ſanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quam ſolicitudo noſtra, non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, dignitatem diuinitus datam, nec Eccleſijs, nec Eccleſiarum Sacerdotibus abrogat.* Quid opportunius vt conſtet, Sedem Apoſtolicam, ſeu Pontificem Romanum, à priſcis ſæculis, & initio ferè naſcentis apud Galliam Eccleſiæ, innumeris Epiſcoporum conſultationibus reſpondere ſolitum; & modò retractare; modò probare ipſorum iudicia, ſervata ſemper vnitate ſpiritus in vinculo pacis; atque adeò nemine ex ijs reſiſtente, aut detrectante ſententiam Sedis Apoſtolicæ?

20 Deinde invehitur adverſus Hilarium Epiſcopum, *qui novis præſumptionibus exceſſit hunc tramitem ſemper inter maiores noſtros, & bene tantum* (lege, tentum) *& ſalubriter conſtitutum.* Ac tandem, poſt plurima alia quæ in eadem Epiſtola legi poſſunt, & opportuna admodum ſunt, inquit circa finem illius: *Noſtræ enim gratulationi hoc ſolùm creſcere profitemur, SI APOSTOLICAE SEDIS DILIGENTIA APVD VOS INVIOLATA SERVETVR: & per Sacerdotalis diſciplinæ cuſtodiam, HONORI VESTRO PERIRE, QVOD SVVM EST, PRO NOVIS VSVRPATIONIBVS NON SINAMVS.* Similia certè reſcripſit hoc anno 1682. SS. D. N. Innocentius XI. die vndecima Aprilis ad Epiſcopos Galliarum in Conventu Pariſienſi congregatos, qui in Epiſtola ad ipſum ſcriptâ die tertia Februarij teſtabantur inter plura alia, ſe in gratiam Regis Chriſtianiſſimi ceſſiſſe iure ſuo ad conferendum Beneficia Eccleſiaſtica. Reſcripſit, inquam, Innocentius ſimilia, & eo pondere ac gravitate verborum & ſententiarum contra eam deliberationem inſolitam, vt ſicut eandem cum Leone Magno cathedram Apoſtolicam regit & tuetur, ſic etiam eodem ſpiritu, ſtylo, & ſimili magnitudine animi, ſcripſiſſe videatur. Verùm hæc, quæ fuſiùs tractanda eſſent, obiter nunc indicaſſe ſufficiat. Vide vlteriùs Epiſtolam nonageſimam eiuſdem S. Leonis, quæ eſt ad Ravenium Arelatenſem in Gallia Archiepiſcopum, quem maximè laudat, veluti tenacem Apoſtolicarum auctoritatum, & Canonicarum ſanctionum.

SECTIO TERTIA.

Reſcripta Hilarij, Symmachi, S. Gregorij Magni, Zachariæ, Adriani I. & aliorum Pontificum Romanorum generatim, ad conſultationes Gallicanæ Eccleſiæ, ſiue quæſtiones fidei, morum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ; ſumma veneratione excepta fuiſſe.

21 VNDECIMO Confirmatur doctrina hactenus tradita ex pluribus alijs conſultationibus Epiſcoporum Galliæ ad Romanos Pontifices, in quæſtionibus ſpectantibus ad regimen Eccleſiaſticum, ad iudicia, aut doctrinam in rebus fidei vel morum; & ex Reſcriptis, ſeu Epiſtolis Decretalibus eorundem Pontificum. Nec tamen reli-

reliqua omnia proferemus, ſed aliqua ſolùm ex innumeris,idque breviter, ne controverſia hæc plus nimio prolixa & ferè intermina ſit.

22 Hilarius Pontifex Romanus, qui rexit Eccleſiam ab anno Chriſti 461. vſque ad 467. plures Epiſtolas Decretales ſcripſit ad Epiſcopos Galliarum. nimirum, quintam,ſextam,& ſeptimam ad Leontium Epiſcopum Arelatenſem, ex quibus palam conſtat, quantæ venerationis fuerint decreta quælibet Sedis Apoſtolicæ in Gallijs: & in vna earum, data ſexto Idus Octobris, iubens id decretum omnibus intimari, addit: *VT QVOD SANCTO SPIRITV DICTANTE EST FACIENDVM, AD COMPRIMENDOS CONATVS ILLICITOS INTIMEMVS.* Vide præterea Epiſtolam octavam ipſius, quæ eſt ad Epiſcopos diverſarum Provinciarum Galliæ.

23 Symmachus Papa electus anno Chriſti 498. accepit à Cæſario Epiſcopo Arelatenſi,proponente Sedi Apoſtolicæ varia dubia & quæſtiones dirimendas, libellum ſupplicem,cuius initium eſt: *Sicut à perſona B.Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium:ita NECESSE EST, VT DISCIPLINIS COMPETENTIBVS SANCTITAS VESTRA SINGVLIS ECCLESIIS QVID OBSERVARE DEBEANT, EVIDENTER OSTENDAT.* Reſcripſit verò ad eum Symmachus Epiſtolam, quæ eſt quinta huius Pontificis, & dubia propoſita determinat: quoniam quæcumque decreta aut definitiones ijs ſæculis à Romano Pontifice emanarent,communis Catholicorum omnium vox erat,quę & Auguſtini Sermone 2.de Verbis Apoſtoli: *A SEDE APOSTOLICA RESCRIPTA VENERVNT. CAVSA FINITA EST.* Similiter Ægidius Abbas obtulit eidem Symmacho libellum alium,à Iacobo Sirmondo ſuperioribus annis in lucem editum, in quo Pontificem ipſum circa quædam dubia conſulebat;cuius initium eſt: *Quantum omnibus Eccleſiarum Pontificibus, qui in toto orbe diffuſi, APOSTOLICA SEDES SIBIMET VENDICAT PRINCIPATVM, ET SYNODALIBVS DECRETIS FIRMIOR EIVS PRAECELLIT AVCTORITAS: tantum poteſtatis ſuæ proviſione dudum à ſeſe conceſſa debes inconcuſſa ſervare, quatenus Arelatenſis Eccleſia firmetur Privilegijs ſuis.* Vide qualiter agnoſcat in Sedis Apoſtolicæ decretis firmiorem auctoritatem, quàm in decretis quorumlibet Pontificum aliarum Eccleſiarum,immo & Synodorum.

24 S. Gregorius I. cognomento & reipſa Magnus,qui ab anno 590. vſque ad 604 rexit & maximè illuſtravit Eccleſiam, ſæpe ab Epiſcopis Galliarum conſultus circa quæſtiones fidei,morum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ,ſæpe etiam ijs reſponſa dedit, quorum aliqua ſolùm hoc loco indicabimus. Epiſtola Decretali, quæ eſt prima apud Sirmondum tomo 3. Virgilium Arelatenſem, & Theodonem Maſſilienſem,in Gallia Epiſcopos, docet ac monet,ne Iudæos vi & neceſsitate compellant ad ſuſcipiendum Baptiſmum: ſed ſolùm ſuavi exhortatione & prædicatione alliciant.Epiſtola tertia eidem Virgilio Pallium mittit, ipſiſque vices Apoſtolicas mandat, & docet quomodo ritè vtroque eo munere fungatur: labemque Simoniacam,& ſubitam promotionem laicorum ad Epiſcopatum ſeverè prohibet.Epiſt.4.& 5. plurima docet præcipitque longa narratu. Epiſt.23.quæ eſt ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum,vetat infringi ſacras Imagines. Epiſtol. 24. Syagrium & alios Epiſcopos inſtruit circa Simoniacos, Neophytos, & inconceſſa mulierum ac Clericorum contubernia. Vide etiam Epiſtolas 25. 26. 29. 33. 34. 42. 57. 58. 59. 60.& 61. Porrò definitiones omnes & decreta ſua edidit S. Gregorius ſine vllo Oecumenico Concilio. neque enim aliquod fuit coactum ipſius tempore. Et tamen omnes Epiſcopi Galliarum cum ſuis Eccleſijs ipſius doctrinæ ac præceptis fideliter parendum ex officio cenſuerunt.

25 Zacharias Pontifex Romanus electus anno 732. Epiſt.1.& 2. confirmat geſta Bonifacij, quem duo ipſius Prædeceſſores Gregorius II. & III. miſſerant ad prædicandum Gentibus Evangelium, eiuſque varijs quæſtionibus & conſultationibus reſponſa dat, quæ pro decretis habentur: atque Epiſtola 3.quæ eſt ad Francos & Gallos, hortatur eos,vt eiuſdem Bonifacij (poſtea Germaniæ Apoſtoli cognominati) monitis obtemperet. Epiſt.5. ipſi per totam Galliam ſuas vices delegat.Epiſt.6. Epiſcopos Galliæ & Germaniæ certiores eius delegationis facit, vt Sedis Apoſtolicę Legato pareant. Epiſt. 7. Bonifacium docet, non eſſe iterandum Baptiſmum, quem imperitus Sacerdos infractis verbis miniſtrat. Epiſt.9. conſultus à Pipino Maiore domus Regum Galliæ,& ab Epiſcopis, Abbatibus,ac Proceribus Francorum circa varias quæſtiones,eas dirimit:& prædicto Bonifacio mandat,vt ea Reſponſa,& Capitula in Synodo promulgentur.Denique Epiſtol. 10. & 11. varijs Bonifacij & aliorum Epiſcoporum interrogationibus & conſultationibus reſpondet.

Adria-

26 Adrianus I. P. R. electus anno 772. plures ad Gallos Epiſtolas Decretales ſcripſit, & præſertim ad Carolum Magnum Francorum Regem, qui Pontificem ipſum viventem obſequijs & officijs innumeris coluit, ac vita functum inſigni epitaphio decoravit. Inter alia verò Adriani Reſcripta extant ipſius varia Capitula, quæ Romæ tradidit Ingilramno Mediomatricæ vrbis Epiſcopo in Gallias deferenda: quæ poſtea Regum Francorum Capitularibus inſerta fuerunt, & alibi commodiùs referentur. Nunc ſufficiat dicere, in ijs ſæpe agnoſci & ſtabiliri auctoritatem ſummam Romanorum Pontificum, tam intra, quàm extra Synodos. Etenim cap. 3. dicitur: *Nullus Epiſcopus, niſi Canonicè vocatus in legitima Synodo, ſuo tempore* *AVCTORITATE APOSTOLICA CONVOCATA, CVI IVSSIONE DOMINI, ET MERITIS B. PETRI APOSTOLI, SINGVLARIS CONGREGANDORVM CONCILIORVM AVCTORITAS, ET SANCTORVM CANONVM, AC VENERANDORVM PATRVM DECRETIS MVLTIPLICITER PROBATA, TRADITA EST POTESTAS, &c.* Et cap. 3. quod refertur libr. 6. Capitular. cap. 28. *SALVO ROMANAE ECCLESIAE IN OMNIBVS PRIMATV, manifeſtum eſt quòd illa quæ ſunt per vnamquamque provinciam, ipſius provinciæ Synodus diſpenſat.* Cap. 39. quod refertur lib. 7. Capitular. cap. 3. clariùs adhuc: *Conſtitutiones contra Canones & decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius eſſe momenti.* Porrò Adrianus eo amore & honore officia Caroli Magni in ſeipſum & Apoſtolicam Sedem rependit, vt inter alias litteras benevolentiæ plenas ipſi ſcripſerit Epiſtolam, primis ſingulorum verſuum litteris hunc titulum referentem: *DOMINO EXCELSO, FILIO REGI CAROLO; HADRIANVS PAPA.* Illam ex vetuſtiſsimo codice noſtri Monaſterij S. Germani, ſcripto temporibus ipſis Caroli Magni, luci publicę dedit, ſicuti & innumera alia antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta, Iacobus Sirmondus tomo 2. Conciliorum Galliæ. Vide plura alia ex Carolo Magno Diſp. IV. num. 11. & ſeqq.

27 Mitto plurima alia Reſcripta Romanorum Pręſulum, & in ijs Gregorij II. dirigentis S. Bonifacium ad Francos, vt videre eſt apud Chriſtianum Lupum tomo 5. in Scholijs ad Concilium I. Romanum pagin. 52. ac præterea Gregorij IV. Sergij II. Nicolai I. Adriani II. Ioannis VIII. ac X. quorum meminit Gibalinus lib. 5. de Iure Canon. cap. 3. quę palam oſtendunt, inviolatam fuiſſe auctoritatem Pontificum Romanorum, omniaque eorum decreta, & definitiones quaslibet, cum ſumma veneratione exceptas ab Eccleſijs Galliarum. Vnde laudatus Auctor num. 49. inquit: *Nullibi clariora illuſtrioraque Pontificiæ poteſtatis argumeta reperias, quàm in Eccleſia Gallicana, quæ ſemper Pontificum decreta, & Canones ab eo miſſos tanta reverentia ſuſcepit, vt in Concilio Turonenſi II. Canone 20. vbi de Virginibus iuxta Pauli & Innocentij ſententiam decrevit, hæc addat: QVIS SACERDOTVM CONTRA DECRETA TALIA, QVAE A SEDE APOSTOLICA PROCESSERVNT, AGERE PRAESVMAT?* Et ex Pontificibus paulo antè nominatis Nicolaus I. in Romana Synodo, quæ extat apud Annales Fuldenſes & Bertinianos ita decrevit: *Siquis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, pro interdictione imminentium aut futurorum malorum, à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata contempſerit; anathema ſit.* Denique Epiſcopi Galliarum in Concilio Pontigonenſi coacto anno 876. inchoato die 22. Iunij Indictione nona (vt pluribus docet ex Annalibus Bertinianis Anonymus Continuator Aimoini Floriacenſis) decernunt Canone primo, *Vt honor Domno & ſpirituali Patri noſtro Ioanni Summo Pontifici* (nimirum, Octavo eius nominis) *& Vniverſali Papæ ab omnibus conſervetur: ET QVAE SECVNDVM SACRVM SVVM MINISTERIVM APOSTOLICA AVCTORITATE DECREVERIT, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia in omnibus obſerventur.* Quid illuſtrius? Faceſſant igitur, ſiqui hodie aliter in Gallijs ſentiunt, aut loquuntur.

DISPVTATIO VI.

AN SCHOLA THEOLOGORVM PARIſienſium neget, an potiùs aſſerat Romano Pontifici auctoritatem infallibilem in dirimendis quæſtionibus fidei & morum.

NON Pauci ex Theologis aſſerentibus infallibilem auctoritatem Romano Pontifici circa dirimendas controverſias fidei, dum referunt opinionem id negantem, ſolent illam tribuere indefinitè Doctoribus Pariſienſibus, quaſi ſit communis in ea celeberrima Schola. Sed & ipſa Facultas Theologica anno 1662. inter illas ſex propoſitiones, quas edidit circa poteſtatem Papæ, hanc vltimo loco protulit: Non eſſe doctrinam, nec dogma Facultatis, quòd Summus Pontifex, nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, ſit infallibilis. *Illas omnes, & occaſionem ob quam editæ fuerunt, vide ſupra Diſp. 1. ſect. 2. Nunc examinare oportet, an reverâ ita ſit: ſiue, quod idem eſt, An ex communi ſenſu Scholæ Pariſienſis Romanus Pontifex careat ea auctoritate infallibili, an potiùs illam habeat. Quæſtio hæc, ſicuti & præcedentes, non eſt iuris, ſed facti: cuius examen pendet ex ſtatutis ſiue theſibus eiuſdem Academiæ nomine editis, & præterea ex ſententia Theologorum ipſius, à tempore Magiſtri Sententiarum præſertim.*

SECTIO PRIMA.

Decreta ſeu Reſponſa Scholæ Pariſienſis ab antiquis temporibus ſtetiſſe pro auctoritate infallibili Romani Pontificis in decidendis fidei controverſijs. Excurritur per varia Acta eius Illuſtriſſimæ Academiæ, ab ipſis Galliarum Scriptoribus memorata.

2 HÆC Aſſertio non aliunde probari poteſt, quam ex tabulis & Actis publicis eiuſdem Academiæ, quæ allegant ipſi Scriptores Galli, & nominatim Bail in Summa Conciliorum, Tract. de triplici verbo Dei, vbi veſtigat, *An extra Concilia Generalia nulla ſit certa definitio in rebus fidei*, Mauclerus in ſuo Opere de Monarchia 4. part. lib. 8. cap. 6. Andræas Duvallius Tract. de Romano Pontif. part. 2. tit. de Infallibilitate, Iſambertus Tract. de Iudice Cõtroverſ. omnes ij Doctores Pariſienſes, qui Regeſta & monumenta eiuſdem Scholæ inſpicere potuerunt. Eiſdem adiungemus duos alios recentes & eruditiſſimos Scriptores ac teſtes eiuſdem Nationis: nimirum, Theophilum Raynaudũ in Opuſculo inſcripto Αὐτὸς ἔφα, & Ioſephum Gibalinum libr. 5. de Iure Canonico cap. 3. §. 15. niſi quòd illius editio Lugdunenſis anni 1670. extremè depravata eſt vitio typographorum, vt & in ſententijs integris & verbis, & numeris paſſim error committatur. Itaque fides decretorum Academiæ, ſeu Reſponſionum ipſius, aut Cenſurarum, penes laudatos Scriptores eſto.

3 Imprimis ſeſe offert Cenſura Facultatis Theologicæ Pariſienſis adverſus Philippum Brachetum, qui in ſuo Henotico dixerat, nefas eſſe conſulere aut interpellare Sedē Apoſtolicam, niſi vbi eius iudicium certum & irrefragabile haberemus, *ſecundùm verum & ſolum ſtatum, in quo omnes eius in fide definitiones ſunt infallibiles: qui ſtatus eſt in Concilio Vniverſali*. Academiæ verò cenſura contra hanc doctrinam, apud Bail allegatum, fuit huiuſmodi: *Hæ propoſitiones, in quantum infallibilitatem Eccleſiæ Vniverſali in nullo alio ſtatu, quàm in ſolo Concilio Oecumenico congregatæ, tribuunt, & ipſum aliquo tempore legitimi vſus Pœnitentiæ cognitione caruiſſe ſupponunt, temerariæ ſunt, ipſi Eccleſiæ iniurioſæ, ET HÆRETICÆ.* Itaque Academia Pariſienſis cenſuit hæreticum dicere, definitiones Sedis Apoſtolicæ circa fidem ſolùm eſſe infallibiles ſi ferantur intra Concilium Oecumenicum: atque adeò iudicavit certum iuxta fidem, quòd etiam extra Concilium Oecumenicum latæ ſint infallibiles. Nõ enim eſt hæreticum niſi id, cuius oppoſitum eſt fide divina certum.

4 Secundò ſuadetur ex cenſuris Scholæ Pariſienſis contra aliquos negantes Romanis Pontificibus ſupremum & Monarchicum culmen ac regimen ſupra totam Chriſti Eccleſiam. Inde enim conſequens eſt, vt ſententia quælibet aut definitio Summi Pontificis, præſertim circa quæſtiones fidei & morum, quæ maximè ſpectant ad regimen ſpirituale Eccle-

Eccleſiæ, à nullo alio retractari aut reformari poſsit. Alioqui non eſſet regimen ſpirituale Monarchicum, quod natura ſua debet eſſe eius conditionis, vt ad ipſum ſpectet iudiciũ vltimum & ſupremum omnium. De quo præ alijs Mauclerus legendus cap. 6. ſuprà citato, cuius epigrapha eſt: *Quæ fuerit Catholicæ Facultatis Pariſienſis de Supremo Monarchicoque Romani Pontificis ſuper omnem Chriſti Eccleſiam Principatu Confeſsio, eiuſque in ipſum Monarcham Vniuerſalis Eccleſiæ, Patrem omnium fidelium ſanctiſsimum, pietas, obedientia, & honor.* Vbi ex ipſis eius graviſsimæ Academiæ definitionibus & cenſuris varijs oſtendit, Monarchomachos, Romanæ Eccleſiæ hoſtes, non, niſi per ſummam iniuriã, pro ſuo errore allegare ſolitos ſententiam eiuſdem Scholæ, reverà ijs adverſantem, & directè contrariam. In quod probandum allegat cenſuras latas anno Chriſti 1330. contra errores Marcilij de Padua, & Ioannis de Landuno: quos damnavit Schola ipſa, veluti Catholicæ fidei contrarios. Deinde anno 442. adverſus theſes Nicolai Quadrigari declaravit dignitatem Hierarchicam Romani Pontificis à Chriſto immediatè inſtitutam; ab illa verò cæteras omnes Prælatorum, Paſtorumque Eccleſiæ, quotquot ſub cœlo ſunt, poteſtates dignitateſque ſub Chriſto Domino, eoque ſic ordinante, ratione iuriſdictionis, limitationis, diſpenſationiſque miniſterialis, derivari & emanare. Poſtea anno 1484. damnavit errores Ioannis Lailler Præsbyteri, & in Theologia Licentiati, ſcriptos contra auctoritatem & dignitatem ſupremam Sedis Apoſtolicæ: quorum meminit Innocentius Papa VIII. anno 1486. reſcribens ad eandem Academiam. Eadem quoque anno 1523. ſcripſit ad Supremũ Senatum adverſus impietatem Ludovici de Berquin, ſecta Lutherani, qui plura effutierat contra auctoritatem Summi Pontificis. Deinde anno 1534. contra dogmata Ioannis Morand. Doctoris Theologi, adverſus eadem Sedis Apoſtolicæ auctoritatem edita, protulit cenſuram; eaque veluti ſchiſmatica & hæretica damnavit.

5 Anno proximè ſequenti, id eſt 1535. Lutherani Germani quoſdam articulos Confeſsionis ſuæ miſſerunt ad Franciſcum Galliarum Regem per Legatum ipſius Dominũ Delangei du Belai. Rex iuſsit illos tradi Doctori Balue deputato à Facultate Pariſienſi, vt diligenter ab ea examinarentur. Quod ipſa fecit, & damnavit eos articulos, illorumque cenſuram ad Regem miſsit. in qua monita ſeu decreta quædam obſervare oportet. *Primo*, inquit Schola Pariſienſis, *ab illis petatur, an velint militantem Eccleſiam in iure diuino fundatam confiteri, in fide & moribus errare non poſſe, atque huius caput viſibile ſub Chriſto Domino conſtitutum fuiſſe diuinitus.* Deinde, *An Petrum dum viueret, & poſt eius obitum IN PARI DIGNITATIS SVPREMÆ GRADV ROMANOS PONTIFICES ILLI SVCCESSISSE, ingenuè profiteri velint.* Ac præterea: *Vtrum velint FIDEM SVMMORVM PONTIFICVM CANONIBVS SEV DECRETIS ADHIBERE, eiſque, vt fideles omnes decet, obedire; QVIBVS VNIVERSALIS ECCLESIA TOTO ORBE DIFFVSA PARET ET OBTEMPERAT.* Vides qualiter Facultas Theologorum Pariſienſium exegerit à Lutheranis, vt profiteantur, Eccleſiam errare non poſſe in fide & moribus, eiuſque Caput viſibile ſub Chriſto Domino divinitus conſtitutum eſſe Pontificem Romanum, qui in pari dignitatis ſupremæ gradu ſit ſucceſſor S. Petri; & cuius Canonibus ſeu Decretis fidem adhibeant, atque obediant; *Vt fideles omnes decet*, & qualiter *Vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa paret & obtemperat.* Cenſuit itaque Academia Pariſienſis omnia hæc prorſus certa, tum ex ſuo, tum ex Vniverſalis Eccleſiæ ſenſu. Deinde ſingulis Germanorum articulis propriam notam inurit, & in Cenſura ipſa palam profitetur & confirmat ſupremam & Monarchicam auctoritatem Romani Pontificis ex iure divino ſupra fideles omnes, & Epiſcopos ac Parochos.

6 Anno 1542. eadem Schola profeſſa eſt, veluti doctrinam omnino certam: *Vnum eſſe iure diuino Summum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur, qui quidem poteſtatem habet conferendi indulgentias.* Deinde anno 1561. inter articulos Regi Carolo IX. oblatos, hunc protulit: *Eccleſia viſibilis Vniuerſalis, quæ errare non poteſt, habet in CHRISTO IESV vnum Caput viſibile, quod eſt Sanctiſsimus noſter Pater Romanus Pontifex, cui omnes Chriſtiani, ſi ſalui eſſe velint, obedire tenentur.* Ergo quoties ille definit aliquid ex cathedra, & præcipit vt credatur, at vetat ne aliquid in oppoſitum vllo modo doceatur; omnes Chriſtiani, ſi ſalvi eſſe velint, ex ſenſu Academiæ Pariſienſis, obedire tenentur: & quidem (vti Epiſcopi Galliarum expreſſerunt in litteris ad Innocentium X. datis die 19. Iulij anno 1653.) ita, *vt omnes Chriſtiani ex officio, ipſius quoque mentis obedientiam præſtare teneantur.*

7 Idipſum colligitur ex profeſsione eiuſ-

eiuſdem Academiæ die prima Decembris In Æde Collegij Sorbonici anno 1554. dum Regij Senatus decreto examinarentur Diplomata Pauli III. anno 1543. & Iulij III. anno 1550. expedita in favorem Societatis IESV. Sic enim Doctores præfati ſunt omnes, & ſinguli palam & apertè: *Nihil ſe aduerſus Summorum Pontificum auctoritatem, aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Immo verò omnes & ſinguli, vt obedientiæ filij, ipſum Romanum Pontificem, vt Summum & Vniuerſalē CHRISTI-IESV Vicarium, & Vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data ſit, cui omnes vtriuſque ſexus obedire, CVIVS DECRETA VENERARI, ET PRO SE QVISQVE TVERI, ET OBSERVARE TENEANTVR, VT SEMPER AGNOVERVNT, ET CONFESSI SVNT; ITA NVNC QVOQVE SYNCERE, FIDELITER, ET LIBENTER AGNOSCVNT ET CONFITENTVR.* Quibus verbis in medium prolatis, iure exclamat Mauclerus, & invehitur contra illos, qui nobiliſsimam illam Scholam carpunt, veluti rebellantē aut ſchiſmaticam in Romanos Pontifices, per ſummum ſcelus & iniuriam; cùm è contra fides eius, veneratio, & obedientia, innumeris eiuſmodi teſtimonijs ampliſsimè teſtata habeatur.

8 Vbi obſervandum, Scholam ipſam ijs verbis, ea epitheta tribuere Romano Pontifici, atque eo ſtylo profiteri venerationem & obedientiam omnimodam decretis ipſius, vt nullatenus cum ijs cohærere poſsit opinio ab aliquibus tributa eidem Academiæ de fallibilitate decretorum Sedis Apoſtolicæ in quæſtionibus fidei ac morum. Si enim profitetur, Romanum Pontificem eſſe *Summum & vniuerſalem CHRISTI-IESV Vicarium*: ergo vices eius gerit in omnibus, ac proinde in definiendo eiuſmodi controverſias. Si prædicat *Vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui poteſtatis plenitudo à Chriſto data ſit*: ergo talem, qui nequeat vniverſam Eccleſiam paſcere doctrina aliqua falſa; & cui poteſtas à Chriſto data fuerit ad definiendum quæ ad fidem Catholicam ſpectant: alioqui non haberet poteſtatis plenitudinem, ſed partem ſolùm. Si denique Doctores Sorbonici teſtantur, ſe Pontificum Romanorum *decreta venerari, & pro ſe quemque tueri, & obſervare, VT SEMPER AGNOVERVNT ET CONFESSI SVNT*: ergo ipſorum teſtimonio, Academia Pariſienſis anno 1554. in eo ſenſu erat, *& ſemper fuerat*, vt decretis Romanorum Pontificum veneratio, defenſio, & obſervantia deberetur; præſertim vbi proferuntur circa rem omniū graviſsimam, qualis eſt quælibet ad fidem vel mores ſpectans. Quomodo ergo multi ex Doctoribus Pariſienſibus nomine eiuſdem Scholæ non dubitarunt dicere anno 1662. *Non eſſe doctrinam, nec dogma Facultatis, quòd Summus Pontifex, nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, ſit infallibilis.* Si enim ita eſſet ex ſenſu Academiæ, decreta Summorum Pontificum in rebus fidei & morum, non ſtatim ac edita & ſufficienter promulgata ſunt, exigerent venerationem, defenſionem, & obſervantiam; ſed adhuc expectari deberet conſenſus Eccleſiæ, vt eam vim haberent, etiamſi contrà vrgeret ac niteretur Pontifex Romanus. Egregiam porrò venerationem, defenſionem, & obedientiam decretorum Summi & Vniverſalis Chriſti Vicarij, Vniverſalis Eccleſiæ Paſtoris, & habentis à Chriſto datam poteſtatis plenitudinem! Longè maiorem auctoritatem in Romano Pontifice auctoritatem profeſſa fuit anno 1554. & ſemper agnoverat Schola Pariſienſis, quàm ij nuperi Doctores profiteantur.

9 Verum & luculentius adhuc teſtimonium eiuſdem Scholæ profero, editum ab ipſa in Comitijs Generalibus adverſus errores Ioannis de Monteſono, teſte Duvallio Doctore Pariſienſi Tractatu ſuprà citato de Romano Pontif. parte 2. titulo de Infallibilitate, pag. 766. Sic enim definivit Schola, ſive hunc articulum edidit: *AD SANCTAM APOSTOLICAM SEDEM PERTINET AVCTORITATE IVDICIALI SVPREMA, CIRCA EA QVÆ SVNT FIDEI IVDICIALITER DEFINIRE.* Vnde Duvallius ipſe refellit Vigorium Iuriſconſultum, qui ipſum accuſaverat veluti deſciſcentem à doctrina Scholæ Pariſienſis: cùm ex præiacto articulo palam conſtet, ipſam agnoſcere in Pontifice Romano auctoritatem iudicialem ſupremam ad definiendum controverſias fidei. Quare Raynaudus in allegato Opuſculo, cui nomen indidit, Αὐτὸς ἔφα, puncto 11. obſervat, falsò iactari, Doctores Facultatis Theologicæ Pariſienſis iuramento confirmare ſe negaturos auctoritatem infallibilem Pontificis, aut ſtaturos pro Concilio ſupra Papam: quod eſt totum fundamentum provocationum à Papa ad Conciliū. In quod confirmandum allegat laudatum Duvallium vbi ſuprà 4. p. q. 8. in fine: qui & quæſt. 7. indicavit quot mala ſemina in ea opinione lateant.

10 Denique huc ſpectant cenſuræ eiuſdem Facultatis adverſus impia dogmata Marci Antonij de Dominis, nequiſsimi Apoſtatæ,

de-

debacchantis in Sedem Apoſtolicam: cuius iam defuncti oſſa è tumulo proinde eruta, & vltricibus flammis tradita fuerunt. Porrò inter plurima alia, quæ ille effutivit contra Sedem Apoſtolicam, & munite auſus fuit auctoritate Scholæ Pariſienſis, veluti eadem docentis (quæ videri poſſunt apud Gibalinum lib. 3. de Iure Canon. cap. 3. num. 80. & ſeqq.) vnum fuit, Romanum Pontificem non habere poteſtatem Monarchicam in totam Eccleſiam: ſed eam reſidere in vniverſa Eccleſia, hoc eſt in omnibus & ſingulis Epiſcopis in ſolidum, etiam ex ſententia Pariſienſium. Hanc verò propoſitionem vt calumnioſam ſibi propulſavit Schola ipſa. Deinde, cùm ſycophanta ille dixiſſet: *Schola itaque Pariſienſis & noſtra eſt, & reipſa poteſtati ſtudet Ariſtocraticæ, non Monarchicæ: quare ex eius quoque doctrina Papatus nullo poteſt ſolido fundamento ſubſiſtere*: Cùm, inquam, ille impoſtor ſic locutus fuiſſet, Schola repoſuit: *Mera eſt contra Facultate Pariſienſem impoſtura.* Scio equidem, Monarchicam poteſtatem Romani Pontificis aſſeri ab iis ipſis Auctoribus qui negant ipſi auctoritatem infallibilem ad definiendas controverſias fidei extra Concilium. At longè magis cohærens eſt vt illam tueantur. nam poteſtati Monarchicæ in quolibet genere annexa eſt auctoritas ſuprema ad ferendum vltimum iudicium, & irreformabile à quolibet alio: vt iam ſuprà num. 4. monui. Dum ergo omnes Pariſienſes Theologi agnoſcunt in Romano Pontifice poteſtatem Monarchicam ſpiritualem, & quidem eum plenitudine ex iure divino; nemo illorum, vt conſequenter loquatur, poteſt ipſi negare auctoritatem ſupremam ad terminandum, ſive ferendum vltimum iudicium circa controverſias fidei.

SECTIO SECVNDA.

Eandem infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ traditam fuiſſe à Doctoribus Pariſienſis Scholæ, ab ipſo tempore Magiſtri Sententiarum ad hæc vſque tempora, & primùm quidem à SS. Thoma & Bonaventura.

11 QVOD Sectione præcedenti oſtenſum fuit, ex ſenſu Facultatis Pariſienſis, Romanum Pontificem eſſe ſupremum iudicem in definiendis fidei controverſiis, cuius proinde iudicium vltimũ ſit, & irreformabile; illuſtriùs apparebit nunc, prolatis in medium ſelectis teſtimoniis quorundam illuſtrium DD. Pariſienſium, præter ipſorum Anteſignanum Magiſtrum ſententiarum, eiuſque præcipuos & antiquiores Interpretes: ſcil. Albertum Magnum, Alexandrum Alenſem, Henricum Gandavenſem, & Ioannem de Celaia, (ambos hos Societatis Sorbonieæ Socios) Thomam de Argentina, Petrum Paludanum, Petrum de Alliaco Cardinalem & Epiſcopum Cameracenſem, omnes eos Doctores Pariſienſes, & plures alios, quorum loca congerunt laudati Mauclerus, Bail, Raynaudus, & Gibalinus locis allegatis. Itaque ne actum agere videar, ſolùm allegabo alios quoſdam ex eadem Schola, qui inſtar plurimorum ſint, & de reliquis generatim aliquid dicam.

12 S. Thomas Pariſienſis Academiæ mirum lumen, & clariſsimus Eccleſiæ Doctor, plurimis locis tradit auctoritatem ſummam & infallibilem, ac Monarchicam Romani Pontificis, tum in definiendis fidei controverſiis, tum in conſtituenda diſciplina Eccleſię. Septuaginta ipſius loca totidem quæſtionibus tradita collegit ex Recentioribus Bail, inſignis Doctor eiuſdem Academiæ Pariſ. in Summa Concil. Tract. de tripliei verbo Dei: ex quibus aliqua ſolùm exſcribam, & quædam alia adiungam, aut indicabo. Imprimis Opuſculo contra errores Græcorũ planè docet ac confirmat ex profeſſo, determinationem articulorum fidei pertinere ad Pontificem Romanum. In quod probandum allegat S. Cyrillum in Theſauro monentem, vt tanquam membra maneamus in Capite noſtro, Throno Apoſtolico, Romano Pontifice, à quo debemus quærere, quid credendum, quid tenendum ſit. Deinde citat S. Maximum Epiſt. ad Orientales aientem, omnes fratres orbis, qui Dominum ſyncerè ſuſceperunt, & vbique terrarum ac Catholicè veram fidem confitentes; in Eccleſiam Romanam, tanquam in Solem reſpicere, & ex ipſo Sole lumen Catholicæ & Apoſtolicæ fidei recipere.

13 Deinde Quodlibeto X. art. 16. inquit: *Magis ſtandum eſt ſententiæ Papæ (AD QVEM PERTINET DETERMINARE DE FIDE, QVAM IN IVDICIO PROFERT) quam quorumlibet Sapientum in Scripturis opinioni.* Verùm longè vrgentiùs & luculentiùs in rem noſtram id tradit 2. 2. quæſt. 1. art. 10. cui epigrapha: *Vtrùm ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare.* Cui interrogationi reſpondet in corpore hiſce verbis: *RESPONDEO dicendum quod, ſicut ſuprà dictum eſt, nova editio Symboli neceſſaria eſt ad vitandum inſurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, AD CVIVS AVCTORITATEM PERTINET FINALITER*

TER DETERMINARE EA QVÆ SVNT FIDEI, VT AB OMNIBVS INCONCVSSA FIDE TENEANTVR: HOC AVTEM PERTINET AD AVTORITATEM SVMMI PONTIFICIS, ad quem maiores & difficiltores Eccleſiæ quæſtiones referuntur: vt dicitur in Decr. diſt. 17. cap. Multis. Vnde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem conſtituit: Ego pro te rogavi, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. *Et huius ratio eſt: quia vna debet eſſe fides totius Eccleſiæ ſecundùm illud 1. Corinth.* 1. Ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. *quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt: VT SIC EIVS SENTENTIA A TOTA ECCLESIA FIRMITER TENEATVR. Et ideo AD SOLAM AVCTORITATEM SVMMI PONTIFICIS PERTINET NOVA EDITIO SYMBOLI, SICVT ET OMNIA ALIA QVÆ PERTINENT AD TOTAM ECCLESIAM, vt congregare Synodum Generalem, & alia huiuſmodi.* Hactenus D. Thom. cuius verbis nihil illuſtrius, aut pro doctrina hactenus tradita evidentius eſſe poteſt.

14 Verum præterea placet adiungere locum alium ipſius eadem 2:2. q. 11. art. 2. ad 3. vbi poſtquam excuſavit ab hæreſi errantes in ijs, quæ pertinent ad fidem, nondum tamen fuerant per Eccleſiam determinata, ſubdit: *Poſtquam autem eſſent auctorisate vniverſalis Eccleſiæ determinata, ſiquis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur. QVÆ QVIDEM AVCTORITAS PRINCIPALITER RESIDET IN SVMMO PONTIFICE. Dicitur enim 24. q. 1. Quoties fideì ratio ventilatur, arbitror omnes fratres noſtros & coepiſcopos, non niſi ad Petrum, id eſt, ad ſui nominis auctoritatem, referri debere. Contra cuius auctoritatem, nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit. Vnde dicit Hieronymus ad Damaſum Papam: Hæc eſt fides, Papa Beatiſsime, quam in Catholica diſcimus Eccleſia, in qua ſi minùs peritè, aut parum cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Si autem hæc noſtra confeſsio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicam, non me hæreticum comprobabit.*

15 S. Bonaventura pariter in Schola Pariſienſi Magiſter, & clariſsimus Eccleſiæ Doctor, idipſum tradit in Breviloquio 6. part. cap. 13. & initio expoſitionis Regulæ S. Frãciſci: vbi inter plura alia, quæ rem maximè illuſtrant, tandem concludit: *Si partibus diſcordantibus non eſſet, qui manum poſſet mittere in ambabus, fuiſſet Synagoga felicior, quam Eccleſia: quia illa habebat vnum Summum Pontificem, qui omnes diſcordias poterat terminare: vt patet ex Deuteronomio cap.* 17 Quibus verbis non modò tradit, ad Romanum Pontificem ſpectare vltimam determinationem quarumlibet controverſiarum, proindeque & earum quæ ad fidem & mores ſpectant: ſed etiam id confirmat argumento ἀνιτιῤῥητῳ ex præſtantia Eccleſiæ Chriſti ſupra Synagogam. quod alio loco vrgebimus opportuniùs.

16 Poſtquam vtrumque Eccleſiæ Doctorem allegavimus, generatim dicere poſſumus, ex innumeris Interpretibus Magiſtri Petri Lombardi in quatuor libros Sententiarum præſertim in 4. diſt. 24. quos Academia Pariſienſis protulit ab ipſius tempore ad hanc vſque ætatem, quique non in chiliades modò, ſed in plurimas myriades excurrunt (vt Recentiores Galliarum Scriptores monent) vix vnum aliquem inveniri, qui negaverit Romano Pontifici auctoritatem infallibilem in decidendis quæſtionibus fidei & morum. Cuius veritatis infrà Diſputat. ſequenti probationem luculentam exhibebimus, allegatis ijs Theologis Pariſienſibus, qui in contrariũ opinati ſunt, & pauciſsimi extiterunt; ijque non ex maturo aliquo & tranquillo iudicio, ſed ingruente aliqua occaſione externa, vt Schiſmatis, vel diſcordiæ Regum Francorum cum Pontificibus Romanis. nam alioqui, & ſedato animo, ac libero à perturbationibus, omnes Pariſienſes Interpretes Magiſtri Sententiarum, aut pene omnes, infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ in ijs definitionibus profeſsi ſunt voce & ſcripto in ſingulari; quemadmodum & Facultatem Pariſienſem Theologorum id profeſſam ſemper fuiſſe in communi, oſtenſum fuit multipliciter ſectione præcedenti.

17 Supereſt vt veniamus ad quoſdam Illuſtres Viros ex Recentioribus eiuſdem Academiæ Doctoribus, & quidem magni in ea nominis. Inter eos locum habet Illuſtriſs. Epiſcopus Vaurenſis, Dom. de Raconis, Doctor Sorbonicus lib. Gallico de Suprema Petri Poteſtate ſect. 1. cap. 5. art. 2, §. 5. pag. 249. vbi oſtendit, Eccleſiam Romanam nominari CATHOLICAM ET VNIVERSALEM: quia ratione ſui Capitis, quod eſt vnum in per-

perſona & vniverſali potentia, & auctoritate; influit & communicat vnionem omnibus Eccleſijs particularibus, quæ alioquin ſeparatæ, avulſæ, & ſchiſmaticæ forent, non ſolùm ſi non amplecterentur fidem Eccleſiæ Romanæ, illamve reijcerent: ſed etiam niſi immobiliter coniunctæ manerent cum eius Capite Succeſſore Petri, cui tota & Vniverſalis Eccleſia commiſſa fuit. Deinde pag. 251. ſubdit, quidquid luminis & doctrinæ in Doctoribus, quidquid auctoritatis in Prælatis & Paſtoribus, roboris & immobilitatis in lapidibus Domus Dei, quæ eſt Eccleſia, reperitur, totum id dependere à Pontifice Romano, connexumque eſſe cum ipſo; quem Chriſtus in Eccleſia conſtituit, tanquam Caput, Solem, & fontem, ad motum totius corporis, quod eſt Eccleſia. Hæc & plura alia doctiſsimus ille Præſul.

18 Similiter Clariſsimus Maſſilienſium Epiſcopus Nicolaus Coeffetellus, Doctor Pariſienſis, in Opere de Sacra Monarchia contra impium Apoſtatam Marcum Antonium de Dominis eandem auctoritatem ſupremam & Monarchicam cum tota plenitudine reſidentem in S. Petro, & quibuslibet Succeſſoribus ipſius, Pontificibus Romanis, ſplendidiſsimè tuetur & confirmat omni argumentorum genere, ac teſtimonijs Scripturæ Patrumque: & quoniam impoſtor ille pro ſuo & contrario errore allegabat Pariſienſem Academiam, illum refellit lib. 2. cap. 5. & inquit: *Hoc loco tantùm monuerim, Scholam Pariſienſem, qua doctiorem aut ſapientiorem Sol nullam vidit vnquam, ſuſcepiſſe ſibi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis Pontificis, ac ſemper ſuum adverſus illam ſtudium & affectum declaraſſe, atque pro virili elaboraſſe, vt omnes intelligerent quanti Vicarium Chriſti, Petri Succeſſorem, Chriſtianæ plebis Parentem, ac Eccleſiæ Summum Rectorem faceret.* Vide etiam ipſum lib. 4. cap. 7. vbi Pariſienſem Academiam oſtendit immunem ab ea illius ſycophantæ nota. Poteſtati autem Monarchicæ cum tota plenitudine reſidenti in Romano Pontifice annexam eſſe auctoritatem determinandi omnes controverſias vltimo iudicio, & irreformabili à quocumque alio, tam apertum videtur, vt probatione non egeat.

19 Michael Mauclerus Doctor Sorbonicus in Opere toties laudato de Monarchia duobus tomis diſtincto ſæpe eandem doctrinam tradit: præſertim part. 4. lib. 8. cap. 6 illamque teſtimonijs ipſius Scholæ Pariſienſis confirmat.

20 Ludov. Bail Doctor Pariſienſis, & Propœnitentiarius, in Apparatu ad Summam Conciliorum, inquirens, *An extra Concilia Generalia nulla ſit certa definitio in rebus fidei*; oſtendit ex profeſſo, Romanum Pontificem loquentem ex cathedra in rebus fidei, nec falli, nec fallere poſſe, ne alioqui, ſedeat in cathedra peſtilentiæ, & oves ſibi à Chriſto creditas pabulis venenatis paſcat, qualia certè eſſent dogmata à fide aut veritate devia. Quin & difficultates quaſdam à Ianſenianis obiectas contra hanc doctrinam, egregiè refellit: eandemque confirmat vberiùs varijs locis eiuſdem Operis, præcipuè in Notis ad Concilium Florentinum & Tridentinum.

21 Edmundus Richerius Doctor Theologus, & Collegij Cardinalitij in Academia Pariſienſi Archididaſcalus, qui in libro ſuo de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate multa ſcripſerat derogantia auctoritati Pontificis Romani; poſtea, id eſt, vno ante obitum anno, religione tactus, omnes eas propoſitiones, quæ doctis & pijs hominibus offenſioni fuerant, examinandas ſubiecit iudicio Catholicæ Romanæ & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, eamque Matrem & Magiſtram omnium Eccleſiarum, & *INFALLIBILEM VERITATIS IVDICEM* agnovit. Ipſum Richerij teſtimonium & ſingrapham exhibet Duvallius initio ſui Operis de Suprema Summi Pontificis Poteſtate. Ipſe

22 Andræas Duvallius Doctor Sorbonicus, & Regius in Academia Pariſienſi Profeſſor, in Opere nuper indicato parte 2. titulo de Infallibilitate Romani Pontificis, eandem ſententiam tradit. Et deinde tertia parte inquirit, An Summus Pontifex, quem antea Supremum Monarcham eſſe demonſtraverat, poſsit Canones condere, & leges ſtabilire ſine Concilio, ſaltem Ariſtocratico, hoc eſt, Generali, vel particulari: & aſſerit poſſe abſdubiò, quia conſtans eſt, Romanos Pontifices ſeorſim à Concilio, ſive abſque illo plurima de fide ſtatuiſſe, hæreſes emergentes damnaſſe, & condidiſſe Canones. quod ſe in ſuo Elencho oſtendiſſe teſtatur, & facillimum demonſtratu eſt: cùm exploratum ſit tribus primis Eccleſiæ ſæculis damnatas fuiſſe innumeras hæreſes recèns exortas à Pontificibus Romanis, nullo Concilio Generali coacto, immò & ſæpiùs nec Provinciali, aut Nationali, ſed tantùm per Decretales Epiſtolas, quarum aliquas ad Epiſcopos Galliarum ſcriptas indicavimus Diſput. IV. & multò plures ſuo loco proferemus. Addit Duvallius, quamvis ſæpe Romani Pontifices coegerint Synodos Oecumenicas, vel Concilia Epiſcoporum Romanæ Provinciæ, aut Cardinales, ad decernendas quæſtiones fidei, vt S. Cornelius

Pa-

Papa ad damnandum errorem Novati, & S. Stephanus I. adverſus Donatiſtas; non propterea illos teneri ad eum ritum aut ſolemnitatem præſtandam: *Quin immo*, ait ipſe, *abſque vlla Synodo, vel conſultatione Cardinalium, viros doctos in Concilium adhibendo poteſt Pontifex PRO SVÆ POTESTATIS MONARCHICÆ PLENITVDINE, ET ERROREM DAMNARE, & leges ferre, quæ in conſcientia fideles obligent, ſimulque ardua quælibet Eccleſiæ negotia tractare, eodem prorſus modo, quo Reges: qui propter ſuam Monarchicam poteſtatem, abſque Senatu, vel Comitijs, vel Officiarijs, verè & propriè edicunt.* Vnde & concluſ. 2. colligit, leges Summorum Pontificum, quamvis latas extra Synodum, obligare & conſtringere fideles quoslibet in foro conſcientiæ.

23 Hæc ille. Qua verò τῆ ἀκολουθίας ſpecie, aut cohærentia, doceat alio loco, non eſſe erroneam, immo nec temerariam opinionem eorum, qui negant infallibilitatem omnimodam definitionibus Romanorum Pontificum ſine Concilio in quæſtionibus fidei; difficile admodum eſt. Etenim ipſe fatetur, Romanos Pontifices ad eas dirimendas non teneri cogere Synodum vllam, nequidem ex Epiſcopis Romanæ Provinciæ, aut Cardinalibus, quos ferè ad manum habent: immò & ſine omni Concilio ſolitos definire controverſias fidei, & damnare hæreſes emergentes. Ergo definitiones illæ ſtatim prolatæ à Romano Pontifice erant & ſunt certæ ſecundùm fidem: ac proinde quiſquis earum certitudinem aut infallibilitatem negat, vel in dubium pertinaciter vocat, non modò temerarius eſt, ſed hæreticus ſive contrarius fidei. Alioqui tribus primis Eccleſiæ ſæculis, in quibus conſtat nullum fuiſſe Generale Concilium, quiſquis pertinaciter tueretur innumeras propoſitiones & opiniones damnatas à Pontificibus Primitivæ Eccleſiæ, non propterea eſſet hæreticus habendus, immo nec temerarius: quia poſſet tunc opinari, definitiones Pontificum latas extra Concilium in quæſtionibus fidei non eſſe omnino infallibiles, nec ſpectare ad Catholicam fidem; quæ opinio, iuxta Duvallium, nequidem temeraria eſt. Deinde, Pelagius (idem eſt de Iuliano Capuæ Epiſcopo, ipſius defenſore) adhuc poſtquam damnatus fuit à Sede Apoſtolica extra omne Concilium Oecumenicum (neque enim vllum eiuſmodi coactum fuit temporibus Innocentij I. Zoſimi, & Cœleſtini I. qui ipſius doctrinam damnarunt) potuiſſet, iuxta eum dicendi modum, non ſolùm ſine hæreſi, ſed etiam abſque temeritate, opinari, definitiones illas Pontificias non eſſe omnino infallibiles; ac proinde perſiſtere in doctrina contraria divinæ gratiæ, quam eouſque tradiderat, quin propterea hæreticus, immo nec temerarius haberetur. Hoc autem eſt contra mentem & ſenſum totius Eccleſiæ, quæ ab eo tempore Pelagium nigro theta notavit, veluti vnum è præcipuis Hæreſiarchis, ſimiliterque Iulianū. Dum ergo Duvallius cenſet Romanum Pontificem non egere Concilio ad definiendas controverſias fidei, & teſtatur id ſæpe fuiſſe à Pontificibus factum; debet conſequenter aſſerere, omnes eiuſmodi definitiones ita eſſe infallibiles, vt quiſquis illarum certitudinem negat, aut dubitat de illa, non modò temeritatis notam incurrat, ſed etiam tradat aliquid erroneum omnino & contrarium fidei. Sed de hoc iterum redibit ſermo. Nunc ſolùm in eum finem dictum eſto, vt appareat, prædictū Doctorem aſſeruiſſe Pontifici Romano auctoritatem definiendi controverſias fidei, independenter à Concilio.

SECTIO TERTIA.

Allegantur pro eadem ſententia nonnulli alij Recentiores Pariſienſis Academiæ Doctores, & Scriptores Galli.

24 DOCTORIBVS Pariſienſibus ſectione præcedenti laudatis, meritò, quamvis generatim ſolùm, adiungere poſſumus multos ex ijs octoginta quinque Epiſcopis Galliarum, qui anno 1653. communi conſenſu ſcripſerunt ad Innocentium X. vt ſingulis ex quinque præcipuis Theſibus Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis propriam notam inureret: ſimiliterque aliquos ex ijs Epiſcopis, qui eodem anno die 15. Iulij, poſt exceptum Diploma ipſum Innocentij, reſcripſerunt ad eundem, definitiones illas venerati tanquam vocem Chriſti loquentis per os S. Petri, *cui omnes Chriſtiani ex officio ipſius quoque mentis obſequium exhibere teneantur*: vt ſuprà vidimus Diſput. II. Etenim certum videtur, inter tot Galliarum Epiſcopos litteris & eruditione præſtantes, multos fuiſſe alumnos inſignis Scholæ Pariſienſis, eiuſque Doctores: cùm illa ſemper fuerit alvearium feraciſsimum illuſtriorū Galliæ Præſulum. Verùm qui Salmanticæ ſcribimus, vbi Acta aut Regeſta illius Magnæ Academiæ, in quibus nomina ſingulorum Doctorum ſcribi ſolent, & veluti Faſtis adijci, neſciuntur; haud quaquam poſſumus dicere, quinam ex ijs Epiſcopis in ea Doctoratus Lauream adepti fuiſſent, cùm

cùm Epiſtolas illas ad Innocentium X. ſcripſerunt.

25 Ioannes D'Artis ſacrorum Canonum in Academia Pariſienſi Regius Profeſſor, Tractatu de Beneficijs cap. 3. ex profeſſo tuetur Pontificis Romani Primatum, & auctoritatem in definiendis fidei controverſijs, ac condendis legibus Eccleſiaſticis: illamque confirmat teſtimonijs Conciliorum, & Patrum, atque in his, Sanctorum Hilarij Pictavienſis, & Eucherij Lugdunenſis, Gallicanorum Præſulum.

26 Illuſtriſs. D. Petrus de Marcâ, Archiep. Pariſienſis, Vir planè erudiriſſimus, in ſuo Opere de Concordia Sacerdotij & Imperij, auctoritatem eandem Romani Pontificis paſſim profitetur, & ſplendidè confirmat. Nam imprimis demonſtrat, Romanum Pontificem ſupremam auctoritatem per Galliam exercuiſſe, iudicijs ad conſultationes, relationes, & appellationes redditis, ab eo tempore quo fides Chriſtiana in Gallijs, ad ſuum vſque tempus. *Deinde*, Papam iure divino eſſe Vniverſalis Eccleſiæ Caput, atque adeò Gallicanæ, quæ eſt illius membrum. *Præterea*, generalia decreta à Romanis Pontificibus in Gallias, æquè ac in alias provincias miſſa, quæ magno applauſu ab Imperatoribus Romanis, deinde à Francorum Regibus poſt conſtitutum Regnum, ad hanc vſque ætatem recepta fuerunt. *Vlterius*, nullum eſſe crimen, propter quod Papa deponi poſſit, niſi hæreſim, quam publicè profiteretur: idque etiam ex ſenſu Eccleſiæ Gallicanæ. *Rurſus*, Pontificem Romanum poſſe diſpenſare validè & licitè in Canonibus Conciliorum Generalium, etiam ſine cauſa, dum tamen ea diſpenſatio non tendat ad labefactandum Eccleſiæ ſtatum. *Deinde*, Papam ita eſſe Primatem totius Eccleſiæ Catholicæ, & ipſi præeſſe, vt ſit etiam ſpeciatim Occidentis totius Patriarcha. *Præterea*, Regibus ſic à Deo commiſſam eſſe rationem Eccleſiæ, vt edictis ſuis Canonum & Decretorum à Pontificibus editorum executionem curent, & ad eorum obſervantiam vrgeant; non autem vt arbitratu ſuo leges condant in ijs, quæ ad fidem & Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant. Hæc & plura alia tradit Marcâ ex ſuo & Gallicanæ Eccleſiæ ſenſu In Opere allegato, præſertim lib. 1. cap. 10. 11. 14. 15. & lib. 3. c. 2. 6. 7. 10. 11. 12. cum ea veneratione auctoritatis Pontificum Romanorum, circa decreta omnia & canones, quibus pronuntiant aliquid circa fidem, aut diſciplinam Eccleſiaſticam, vt Gibalinus ſæpe à nobis allegatus num. 106. dicat: *Non potuit illuſtrius ſuum & Galliæ ſenſum circa auctoritatem Pontificiam explicare, & circa controverſiam illam* (in qua verſamur) *Sapientiſsimus Archipræſul, quam iſtis pronuntiatis: neque vllum ſupereſſe dubium de auctoritate Summi Pontificis IN DEFINIENDIS FIDEI CONTROVERSIIS, & diſciplina Eccleſiaſtica conſtituenda apparet.* Quin & (vt hoc obiter dixerim) idem Marcâ adverſus Ioannem Launoium, & quoſdam alios deprimentes Pontificem Romanum, vt Gallicanam libertatem extollant, inquit: *Solet à pleriſque Pragmaticis hoc ferè præcipuũ conſtitui libertatis Gallicanæ Theorema, Concilium Oecumenicum ſuperius eſſe Summo Pontifice.* Deinde id placitum refutat eruditè varijs impugnationibus, quarum ſummam ſic colligit Stephanus Baluzius: *Confutatur opinio, quæ docet præcipuam libertatum regulam hanc eſſe, vt Concilium Oecumenicum ſuperius Romano Pontifice dicatur.* Viderint hæc, rogo, qui in Declaratione facta nomine Cleri, & Pragmatica ſanctione Regis Chriſtianiſsimi hoc ipſo anno 1682. editis, oppoſitum indicaverunt. Sed de hoc alibi.

27 Henricus Spondanus, Apamearum in Gallia Narbonenſi Epiſcopus in Epitome Baronij ad annum Chriſti 33. num. 5. luculenter eandem doctrinam confirmat, dum exponit interrogationem illam Chriſti ad Apoſtolos Mathæi 16. *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* & reſponſionem ſolius Petri: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Sic enim loquitur Spondanus: *Petrus dignitate primus talem fert ſententiam, vt cauſam ipſe definiat, ET QVID AB OMNIBVS SENTIENDVM ESSET DECERNAT, AC FIDEI CANONEM PERPETVO PERMANSVRVM CONSTITVAT. Idcirco etiam ſatis fuit Chriſti, Petrum eſſe locutum, nec aliorum Apoſtolorum opus fuit rogare ſententias: quin & laudavit ſententiam, eamque non habendam vt vulgarem, aut ex ſenſibus humanis depromptam; ſed divinitus à Deo Patre illi per Spiritum Sanctum infuſam, cæteris audientibus patefecit. Sed & quoniam illa divina Sapientia prævidebat fore vt in Eccleſia ſæpiùs eiuſmodi de fide orirentur controverſiæ; iure conſuluit, vt à quo quid quolibet tempore decernendum foret, in comperto eſſet. Et quod lege divina apud Hebræos, & iure naturali apud gentes ferme omnes ſanctè, pieque mutua velut quadam conſenſione obſervari reperiſſet; IESVS qui non legem ſcriptam veniſſet abrogare, iuſve naturale à Deo menti cuiuſque inſitum labefactare, ſed numeri*a

ris omnibus omnia abſolutiſſima reddere, inſtituto iam in Eccleſia collegio Apoſtolorum, ex illis vnum omnium maximum, ac principem, qui cæteris præeſſet, elegit. Vides qualiter ex mente huius diſertiſsimi Scriptoris, ſolus Petrus inter Apoſtolos canonem illum fidei præcipuum ediderit ab omnibus de cætero accipiendum: quaſi in auſpicium auctoritatis ſuæ & Succeſſorum in Sede Apoſtolica ad controverſias fidei definiendas ex afflatu Spiritus ſancti.

28 Mitto Theologos pene omnes illuſtres Galliarum, qui ab initio ferè huius ſæculi ſcripſerunt contra propoſitiones Michaelis Baij, præſertim contra inſtauratas à Ianſenio; & in ijs Ioannem Martinonum, Dionyſium Petavium, Franciſcum Annatum, Stephanum Dechamps, Ioannem Baptiſtam Gonetum. Omnes enim ij in comperto habent ſummam & infallibilem auctoritatem Romani Pontificis in ſuis diffinitionibus. Mitto etiam eruditiſsimum Virum Stephanum Baluzium in Notis ad Epiſtolam LXXXII. Servati Lupi pagina mihi 428. vbi diſertè eandem ſententiam tuetur, & confirmat teſtimonio S. Auguſtini.

29 Denique hanc eſſe tum Eccleſiæ Gallicanæ, tum Pariſienſis Academiæ ſententiam, latè & ex profeſſo teſtantur, præter hactenus allegatos, eruditiſsimi aliquot & recentes Galliarum Scriptores: atque imprimis Theophilus Raynaudus multis locis, præſertim verò in Opuſculo inſcripto, *Αὐτὸς ἔφα*, puncto 11. vbi allegatis nominatim plurimis Theologis, etiam ex Schola Pariſienſi, atque alijs Galliarum Scriptoribus, concludit: *Fruſtra plures Theologos conquirerem, cũ poſſent omnes educi, QVOTQVOT ANTE CONCILIVM CONSTANTIENSE FLORVERVNT.* (Floruerant autem eouſque innumeri Theologi in Gallia, & in ipſa Academia Pariſienſi, trium ſæculorum decurſu à tempore Magiſtri Sententiarum.) *NAM NON NISI A TEMPORE CONCILII CONSTANTIENSIS ET BASILEENSIS REVOCATA EST IN CONTROVERSIAM HÆC VERITAS APVD CATHOLICOS: SED OMNES ANTERIORES VNANIMITER DOCVERVNT, DEFINITIONES PONTIFICIAS, ETIAM ABSQVE GENERALI CONCILIO EDITAS, FACERE REM DE FIDE; ET OMNE IVDICIVM DE FIDE FINALITER PERTINERE AD SEDEM APOSTOLICAM.*

30 Similiter Ioſeph Gibalinus toties laudatus à nubis lib. 5. de Iure Canonico cap. 3. §. 15. ex profeſſo tuetur & latè demonſtrat, hanc eſſe ac fuiſſe ſemper doctrinam Scholæ Theologicæ Pariſienſis, tàm in definitionibus ſeu Cenſuris editis ab ipſa in vnum congregata, quàm in ſcriptis ſingulorum Doctorum ipſius. quorum omnium & plurima & apertiſsima teſtimonia in medium profert. Neque obſtat quòd circa finem eius §. 15. num. 107. pag. 102. dicat, ſe abſtinere ab examine duarum illarum controverſiarum de infallibilitate Pontificis Romani, & eius auctoritate ſupra Concilium Oecumenicum, quòd invidioſæ ſint: *Duas alias quæſtiones*, inquit, *de Pontificis auctoritate, & ad Concilium Generale ſubiectione, modò non expendo.* Similiter nec obeſt quòd ibidem tandem concludat, ſe cenſere cum Duvallio, neutram opinionem affirmantium vel negantium in ijs duabus controverſijs eſſe erroneam aut temerariam. Non, inquam, id obſtat: quoniam ea verba non protulit Gibalinus, nec potuit: cùm ex profeſſo docuiſſet ac latiſsimè confirmaſſet toto ferè capite tertio, definitiones Romanorum Pontificum in quæſtionibus fidei, etiam extra Concilium editas, & independenter à conſenſu Eccleſiæ, eſſe prorſus infallibiles, & certas ſecundùm fidem Catholicam: quibus proinde omnes Chriſtiani aſſenſum ſtatim præſtare teneatur. Vide præſertim apud ipſum totum §. XI. & XII. XIII. XIV. & XV. Quare indubium apparet, verba nuper allegata eſſe centonem aſſutum capiti prædicto, ſive aliena manu, ſive propria ipſius Auctoris perculſi timore aliquo propter diſsidium ortum anno 1662. inter Alexandrum VII. Papam, & Ludovicum XIV. Regem Chriſtianiſſimum. Fortè enim timuit ſibi, aut Operi ſuo, in ea perturbatione animorum Gentis Gallicæ, & Facultatis Pariſienſis, memorata in ſuperioribus Diſp. I. num. 9. ideoque ſubitò & paucis lineis retractavit aut indicta voluit, quæ fuſiſsimè & eruditiſsimè ex animi ſententia docuerat. Verùm fortaſſe verius eſt, id ab alio factum fuiſſe iniuſſu eiuſdem Auctoris.

31 Hinc colliges quid exiſtimari debeat de Cenſura nomine ſacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis edita anno 1665. adverſus librum Gallicum Iacobi Vernantij, inſcriptum: *La defenſe de l' auctorité de N. S. P. le Pape.* In qua ij Doctores, inter plura alia, quæ diſcutere non vacat, oſtendere conantur, falſum eſſe quòd Auctor ille impugnatus aſſeruit, Eccleſiam paſsivè ſaltem infallibilem eſſe, ac Papam eſſe infallibilem. Verùm vbi cenſura prædicta in lucem emiſſa fuit, illico prodijt contra illam liber alius etiam Gallicè inſcriptus: *La doctrine an-*

ancienne des Theologi ens de la Faculte de Paris: in quo oſtenditur, prædictam Cenſuram recentem anni 1665. eſſe contrariam doctrinæ & Cenſuræ antiquę eiuſdem Facultatis Pariſienſis: quæ ſemper contrque oppoſitum docuerat, & præcipuè auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in dirimendis quæſtionibus fidei. Quod & nos in tota hac Diſputatione, ſequuti plures eximios Galliarum Scriptores, demonſtravimus multipliciter: vt propterea mirum ſit quòd Auctores Ephemeridum Gallicarum eodem anno 1665. die Lunæ 16. Februarij dicere auſi fuerint contra impugnatorem recentis Cenſuræ Pariſienſis: *Verum ſi Auctor ille parum adhuc expectaſſet, labori in componendo libro ſuſcepto, & dedecori, vix bonum auſui ipſius ſucceſſum minitanti, parcere potuiſſet. Auctoritates enim ad confirmandam Facultatis Cenſuram adductæ, tam evidenter conformitatem cum Scriptura ſacra, cum Concilijs, cum Pontificum Decretis, cum Patribus, cumque prioribus probant Cenſuris, vt qui in hoc occupati fuere, præſentis libri errores præſenſiſſe videantur, quia iam antè refutarunt eos.* Certè in hac eorum Hypercriticorum cenſura adverſus Anticenſuram pro Vernantio ſcriptam, plurima ſunt quæ miremur, & præſertim confidentia nimia. Cùm enim in hac Diſputatione palam oſtenſum fuerit, auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in decernendis quæſtionibus fidei, fuiſſe ſemper traditam à Facultate Theologica Pariſienſi, & ab omnibus ferè Doctoribus celebrioribus ipſius; ac prætereà in ſuperioribus, aſſertam fuiſſe à Clero Gallicano anno 1653. à Patribus, & Concilijs Eccleſiæ Gallicanæ, ac Pontificum Reſcriptis ad ipſam; quis non miretur, prædictos Hypercriticos oppoſitum quoad omnia tam confidenter aſſerere, idque non abſque convicijs in ſententiam contrariam? Verùm admirationis occaſio vberior erit, cùm oſtenderimus ſententiam ipſam eſſe prorſus certam & Catholicam: vtpotè ſacris litteris, Conciliorum decretis, & communi ſenſui Patrum ac Theologorum cohærentem adeò firmiter, vt nullatenus in dubium vocari poſſit. Quod ſeorſim & ex inſtituto demonſtrabitur in progreſſu.

DISPVTATIO VII.

QVAM PAVCI EX THEOLOGIS PARISIENSIBVS negaverint Rom. Pontif. auctoritatem infallibilem; & quid de eorum opinione reliqui ferè omnes ſentiant.

OSTENSVM Fuit præcedenti Diſputatione ineluctabilibus teſtimonijs; tum Scholam Pariſienſem in communi, tum Doctores eius Theologos in ſingulari, non ſolum à tempore Magiſtri Sententiarum, ſed etiam tribus poſt ſæculis, nimirum à tempore Concilij Conſtantienſis, in quo primùm excitata fuit hæc controverſia, aſſeruiſſe Romano Pontifici auctoritatem infallibilem ad dirimendum quæſtiones fidei extra Concilium. Videamus nunc quinam ex Pariſienſibus Theologis illam negaverint, & qua occaſione: ac quid de illorum opinione cæteri, tum Theologi, tum Iuris Canonici Doctores ſentiant.

SECTIO PRIMA.

Primùm è Theologis Gerſonem negantem opinionem tradidiſſe, occaſione ſchiſmatis; deinde paucos aliquot è Pariſienſibus cauſa diſſidiorum inter Romanos Pontifices, & Reges Galliarum.

1 ANTEQVAM Vero eorum nomina indicem, oportet præ oculis habere, non vnicam, ſed duas celebres, & veluti capitales Diſputationes ſpectare ad Tract. de Auctorit. Pontificis. Altera, & prior eſt, An Summus Pontifex extra Concilium habeat auctoritatem prorſus infallibilem in definiendis quæſtionibus fidei, & morum. Altera, & poſterior, An Pontifex Romanus ritè electus, & indubitatus, ſit ſupra Concilium Oecumenicũ, ſeu potiùs è contrà. Licèt enim ex deciſione alterius ex ijs controverſijs, non parum pendeat reſolutio alterius quoad quædam capita, abſolutè tamen diverſæ ſunt: poſſetque aliquis ita tueri infallibilitatẽ Summi Pontificis in definiendo controverſias fidei & morum, vt tamen aſſereret ſubditum eſſe Concilio Oecumenico in alijs rebus,

vel licere aliquando appellationē à ſententia ipſius in caſu ſingulari ad illud ſi iam ſit reipſa congregatum, tamquam ad ſuperius. Poſſet, inquam, aliquis ita opinari abſque vllo τὸ ἀναπολογήτως, ſive inconſequentiæ nævo, quamvis longè à veritate.

3 Quare non referam hoc loco eos Auctores, qui à tempore Concilij Conſtantienſis arbitrati ſunt, Concilium Oecumenicum eſſe ſupra Papam (id enim vt dixi ad aliā controverſiam ſpectat) ſed illos tantùm, qui Romano Pontifici abiudicant auctoritatem omnino infallibilem in definiendo ex cathedra quæſtiones fidei & morum ſine interventu Concilij.

4 Primus itaque ex Catholicis Ioannes Gerſo, Cancellarius Academ æ Pariſienſis, Vir ſpectatæ alioqui doctrinæ, & probitatis, cenſuit licere provocationē à iudicio Summi Pontificis ad Generale Concilium, etiam in cauſis fidei. Quod pluribus locis teſtatum habet, præſertim verò Tomo I. in eo Opuſculo, cui titulus: *Quomodo, & an liceat IN CAVSIS FIDEI appellare a Summo Pontifice, ſeu eius iudicium declinare.* Nimirum ex ea opinione palam ſequitur, iudicium Romani Pontificis in cauſis fidei non eſſe prorſus infallibile, ſeu irretractabile. Quare Gerſo eo loco tradit, Papam non eſſe vltimum ac ſupremum iudicem in Eccleſia: ac proinde nec infallibilem regulam fidei: id enim ſoli Eccleſiæ tribui debere, ſive Concilio Generali illam repræſentanti. Vnde & colligit, Papam non poſſe obligare fideles ad credendum propoſitionem aliquam tanquam fide divina certam, quamvis poſſit adſtringere omnes ſubditos ſub pœna excommunicationis ne dogmatizent oppoſitum tali definitioni, donec accedat determinatio Concilij Generalis; ad quod poteſt deinde dari provocatio poſt determinationem Papæ, etiam in cauſa fidei: quoniam cùm Papa habeat in terris ſuperiorem, iudicium illius nullatenus eſt ſupremum, & irretractabile; ideoque ab eius ſuperiore, nimirum Concilio Generali, infirmari, aut confirmari poteſt.

5 Verùm obſervare oportet, opinionem adeò exoticam à ſenſu communi reliquorum fidelium duxiſſe initium in Gerſone ex ſtatu aſperrimorum eorum temporum: in quibus nullus erat Papa indubitatus, & exploratus; ſed tres incerti, quorū ſinguli innumeros partiarios habebant. Itaque in eo diuturno, & pernicioſo Schiſmate, cui extirpando nullum aliud remedium occurrebat, exiſtimavit Gerſo, & alij quidam ad Concilium Conſtantienſe tunc concurrentes, ius eſſe Eccleſiæ in Synodo Oecumenicæ congregatæ ad præficiendum fidelibus certum atque indubitatum Caput, exauctoratis ijs tribus, qui incerto iure eam ſibi dignitatem aſſerere conabantur. Et hoc ſenſu Concilium ipſum Conſtantienſe anno 1415. definivit, cuivis Synodo Generali poteſtatem à Chriſto immediatè habenti, omnes teneri obedire, & ipſum Papam in rebus pertinentibus ad fidem, & communem Eccleſiæ Reformationem. Verba ſunt eius Concilij Seſs. 4. *Generale hoc ipſum Concilium, legitimè in Spiritu Sancto congregatum, PRO EXTIRPATIONE PRÆSENTIS SCHISMATIS poteſtatem a Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſteret, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis.*

6 Circa quæ verba imprimis notandum (quod vberiùs explanabimus in progreſſu) Concilium Conſtantienſe, quo tempore eam definitionem edidit, nondum fuiſſe Generale, quidquid Patres in ea Seſsione quarta congregati, è contra affirment: cùm exploratum ſit, tunc ſolam interfuiſſe vnam ex tribus obedientijs (ſic enim appellabantur factiones ſingulorum Pontificum prætenſorum) nimirum Ioannis XXIII. reliquis duabus Concilio repugnantibus. Quare dato, aut permiſſo gratis, eam definitionem accipi debere etiam de legitimo, & indubitato Papa, adhuc illa non eſt edita ab aliquo Generali Concilio, ſed à minori illius parte. Vnde Martinus V. ritè electus poſtea à tribus partibus eiuſdē Concilij definitionem illam Seſsionis quartæ confirmare noluit: quin potiùs è contra definivit, nulli fas eſſe iudicium Romani Pontificis in cauſa fidei declinare, aut ab eo appellare. Deinde pariter permiſſo, definitionem illam fuiſſe latam à Concilio Generali (quod tamen apertè falſum eſt) intelligi debet, iuxta verba illa ſolùm, *pro extirpando præſenti ſchiſmate.* nimirū dumtaxat vbi nullus eſt Papa certus, & indubitatus, qualiter tunc contingebat medio ſchiſmate. Hoc enim ſenſu vera eſt illa definitio, vt optimè, & eruditè probat Cardinalis Turrecremata in ſua Summa de Eccleſia lib. 2. c. 99. & plures alij, atque ex ipſis verbis exſcriptis illius Seſs. 4. colligit nuperrimè ſcribens in media Galliarum luce Cabaſſutius, in Notitia Eccleſiaſt. edita anno 1680. in Synopſi hiſtoriæ ſæculi quinti decimi num. 11. pagina 508 paulo antequam hæc recentiſſima diſsidia inter Innocentium XI. Papam, & Ludovic. XIV. Regem Galliarum excitarentur.

Q:10-

7. Quoniam verò, vt nuper indicavimus, Martinus V. cùm primùm fuit ritè electus Pontifex, definivit, nulli fas eſſe iudiciū Pontificis Romani in cauſa fidei declinare, aut ab eo appellare; Gerſo ipſe, ne videretur contradicere recenti decreto Sedis Apoſtolicæ, ſic illud interpretatus fuit, vt *non ſit fas appellare à Papa, vel eius iudicium declinare; non quidem pro omni caſu, ſed quando facit quod in ſe eſt, & quando non apparet devius à fide, & ambulat rectè ad veritatem Euangelij ſine perſonarum acceptione.* Quod certè debere facere Pontifices, & à ſe ſervatum fuiſſe, teſtatus fuerat ipſe Martinus V. in ea definitione.

8 Gerſonis auctoritate abducti nonnulli eandem opinionem amplexi ſunt ea contentione, vt paulò pòſt auſi fuerint plures à iudicio Summorum Pontificum appellare futurum Concilium: ideoque Pius II. anno 1459. eam licentiam frænavit, edita Conſtitutione, cui initium, *Execrabilis*: in cuius initio teſtatur, eiuſmodi appellationem tunc primùm inoleviſſe, nec auditam fuiſſe priſtinis temporibus, quoniam nimirum ſi quando antea tentata fuit, plerumque, aut ſemper, non niſi ab hæreticis, & ſchiſmaticis. Similiter Iulius II. poſtea anno 1509. in eandem audaciam animadvertit, contra Venetos, & Bentivolos Bononiæ oppreſſores, qui à Pontificis ſententia Concilium Generale appellaverant.

9 Veniamus ad recenſendos Theologos, qui relatæ Gerſonis opinioni adhæſerunt. Quamvis verò pro ea citari ſoleant Thomas Vvaldenſis, & Cardinalis Turrecremata; immeritò tamen, nam prior ex ijs oppoſitum tuetur lib. de Sacramentalibus doctr. 10. poſterior autem lib. 2. c. 109. & 110. quibus locis negant, Sedem Apoſtolicam errare poſſe, cùm de fidei quæſtione iudicat. Quare vix invenire licet Theologum alicuius nominis Gerſoni ſubſcribentem, ſaltem ex Pariſienſibus, ante Iacobum Almainum lib. de Poteſtate Papæ, quem edidit tempore Iulij II. circa initium ferè ſæculi decimi ſexti proximè præcedentis. Vnde Melchior Canus lib. 6. de Locis cap. 1. prope finem referens opinionem negantium Pontifici infallibilem auctoritatem in dirimendis fidei quæſtionibus, inquit; *Inter Pariſienſes Gerſon, & Almain huius ſententiæ præcipui auctores habentur.* Neque tamen id fecit Almainus tempore pacifico, aut apto ad ferendum de rebus ſerenū iudicium: ſed potiùs perturbato ob diſsidia inter Ludovicum XII. Galliarum Regem, & Iulium II. Pontificem Romanum: vt conſtat ex Hiſtoricis illius temporis, & obſervat Raynaudus in Opuſculo inſcripto, Αὐτὸς ἔφα, puncto 2. fine, his verbis: *In Gallia ſub eodem Iulio II. OCCASIONE DISSIDIORVM INTER IPSVM ET LVDOVICVM XII. cum magno Eccleſiæ ſcandalo revixit Gerſonis ſpiritus in quibuſdā Catholicis Theologis, nominatim in Iacobo Almaino.* Addendus tamen ijs eſt Ioannes Maior Doctor Pariſienſis (non quidem Socius Sorbonicus atque etiam Socius Navarræus, vt loquitur Dempſterus lib. 12. Hiſtor. Eccleſiaſticæ Scotorum: hæc enim duo ἀσύγκλωστα ſunt) non tamen natione Gallus, ſed Scotus, in Diſputationibus editis ad calcem Primæ Partis Operum ipſius. Addunt aliqui Petrum de Alliaco Cardinalem Cameracenſem diſcipulum Gerſonis. Neque quemquam alium è Theologis Pariſienſibus alicuius nominis allegatum invenio pro eadem opinione, ſaltem ex ijs qui ſcripſerunt vſque ad initium huius ſæculi. quin & Theophilus ipſe loco citato, puncto 11. initio, teſtatur, *demptis ijs paucis*, nimirum, Gerſone, Petro Alliacenſi, & Iacobo Almaino, cæteros pene omnes docere, definitiones Pontificum in ijs quæſtionibus eſſe fide divina certas. Quod ibidem fusè & in ſingulari demonſtrat, & nos ſect. ſequenti oſtendemus.

10. Quapropter exiſtimare pariter licet, Declarationes nuper in Gallijs editas, alteram nomine Facultatis Theologicæ Pariſienſis anno 1662. alteram nomine Cleri Gallicani hoc ipſo anno 1682. contra infallibilitatem Romani Pontificis in dirimendis quæſtionibus fidei, *niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*, non fuiſſe ortas ex ſereno & pacifico iudicio; ſed occaſione accepta ex diſsidijs Chriſtianiſsimi Galliarum Regis, olim cum Alexandro VII. nunc autem cum SS. D. N. Innocentio XI. nam ſi nullæ eiuſmodi diſſenſiones præceſsiſſent, ſi nullum ſchiſma in Eccleſia Dei contigiſſet tempore Conſtantienſis Concilij, nec Gerſo, nec Almainus, nec Facultas Pariſienſis, nec denique Gallicanus Clerus litem intentaſſet auctoritati infallibili Romanorum Pontificum: quam perpetuò in Gallijs couſque traditam & creditam fuiſſe, Diſputationibus præcedentibus abundè confirmatum eſt: quam etiam in reliqua Eccleſia certam & exploratam fuiſſe atque eſſe hactenus, demonſtrabitur in progreſſu.

11 Nec diffiteor, aliquos è Theologis Recentioribus Pariſienſibus ſubſcripſiſſe ex parte Gerſoni. Nam præterquamquod Andræas Duvallius eximit illius opinionem à nota erroris, immo & temeritatis (vt vi-

vidimus Diſp. VI. num. 23. Iſambertus & Gammachæus mediam viam inire videntur inter vtramque ſententiam extremè contrariam. Etenim prior ex ijs Tract. de Iudice Controverſiam diſp. vltim. docet, eum iudicem eſſe Eccleſiam, prout congregatam, & includentem ſuum ſupremum Caput. Subditque: *Nam diſputare, an Eccleſia condiſtincta à Summo Pontifice ſit ſupra illum, an è contra, nihil facit ad præſentem controverſiam.* Nimirum eæ ſunt duæ quęſtiones diverſæ, vt antea monui. Poſterior quoque 2. 2. q. 1. cap. 12. ait: *Veram, ac propriè dictam fidei regulā in ordine ad nos eſſe Eccleſiam Vniverſalem, ſiue Conciliū Generale, PROVT EX CAPITE VISIBILI, SVMMO PONTIFICE ROMANO, ALIISQVE SIMVL MEMBRIS CONSTAT.* Atque inferiùs ſubiungit, infallibilem fidei regulam, non in ſolo Summo Pontifice ſine Eccleſia, nec in ſola Eccleſia abſque Pontifice reponendam. Itaque neuter ex ijs Auctoribus tribuit ſoli Concilio Generali, independenter à Summo Pontifice auctoritatem infallibilem dirimendi controverſias fidei: in quo ambo differunt à Gerſone, & Almaino, ſuprà relatis: nec præterea tribuunt eam infallibilitatem Pontifici Romano ſeorſim à Generali Concilio: in quo recedunt à ſententia communi Theologorum poſtea ſtatuenda.

12 Denique Pontificem Romanum definientem aliquid, etiam in ijs controverſijs, non facere aut reddere doctrinam fide divina certam ſine Generali Concilio, docuerunt nonnulli alij Theologi, præter Gallos prædictos: Adrianus in 4. Sentent. de Confirmat. quæſt. vltima, & ex Hiſpanis Alphonſus à Caſtro lib. 1. contra Hæreſes cap. 2. vbi tamen non propterea vult, Papam eſſe inferiorem Concilio, quod Gerſo & Almainus voluere: ideoque ſubdit: *Siue Papa ſit ſuperior reliquo Chriſtianorum Concilio, ſiue inferior, hoc alijs, & in alium locum diſputandum relinquimus. Hoc vnum conſtanter aſſeuero, eas fidei definitiones, quæ à pleno & integro Concilio, & rectè vt decet congregato, datæ ſunt; hoc eſt, quibus Papa, & reliqui in Concilio congregati ſubſcripſere, maioris eſſe roboris, & momenti, quàm illa, quas ſolus Pontifex definiuit. Nam hoc tale Concilium, quod Papæ auctoritate, & conſenſu rectè congregatū eſt, non poſſe in fide errare, ab omnibus veris Chriſtianis firmiſsimè hucuſque creditum eſt: at Papam ſolum abſque congregatione Concilij, poſſe in ijs, quæ ad fidem ſpectant, errare, multi non contemnendæ authoritatis Theologi aſſeruerunt; imò aliquos Pontifices Summos, in fide erraſſe, compertum eſt.* Hæc ille, cuius verba exſcribere volui, quanquam intolerabilia, vt cenſet Raynaudus; ne videar quodammodo imminuere auctoritatem relatæ opinionis, quantula eacumque eſſe poteſt contra ſententiam communem omnium aliorum mox referendam. Quod autem Caſtro aſſerit, aliquos Summorum Pontificum in fide erraſſe, non credo ab ipſo proferri de errore illorum ex cathedra definientium, ſed extra illam. quod nihil ad noſtram controverſiam refert.

SECTIO SECVNDA.

Communis ſententia reliquorum Theologorum aſſerit Romano Pontifici auctoritatem infallibilem in definitionibus, veluti fide diuina certam, cum multiplici cenſura opinionis contrariæ.

13 IMPRIMIS Illam amplexi ſunt, non ſolùm octoginta quinque Epiſcopi Eccleſiæ Gallicanæ ſcribentes anno 1653. ad Innocentium X. nec ſolùm Patres Veteres eiuſdem Nationis, nec ſolùm Synodi omnes in Gallijs coactæ, nec tantùm Academia Pariſienſis, & omnes ferè illius Doctores Theologi cum D. Thoma, & S. Bonaventura, vt abundè oſtenſum fuit quattuor integris Diſputationibus proximè præcedentibus: ſed etiam omnes omnino Theologi quotcumque ſcripſerunt ante Concilium Conſtantienſe inchoatum anno Chriſti 1415. Nullus enim euſque, niſi fortè Heterodoxus aut Schiſmaticus, invenitur, qui auctoritatem infallibilem negaverit Romano Pontifici, quoties ex cathedra Sedis Apoſtolicæ definit aliquid, tanquam credendum ab omnibus fidelibus circa fidem aut mores, vt diſertè oſtendit Ruardus Tapper Orat. 3. Theologica columna 8. pag. mihi 339. vbi teſtatur opinionem contrariam fuiſſe noviter introductam à quibuſdam Pariſienſium, contra doctrinam Veterum omnium ſcriptorum, qui Romani Pontificis iudicium in quæſtionibus fidei eſſe prorſus infallibile *concorditer ex Scripturis tradunt.* Itaque allegatione prædictorum, ſive Patrum Gallię, ſive Conciliorū, ſive Theologorū Pariſienſium, & quorumlibet aliorum antiquiorum Concilio Conſtantienſi ſuperſedeo, ne actum agam.

14 Venio itaque ad Theologos poſteriores, quorum dux fuiſſe videtur à tempore ferè eiuſdem Concilij Conſtantienſis doctiſſimus Thomas Valdenſis, Martino V. tunc electo Pontifici admodum charus. Etenim lib. 2.

Do-

Doctr. art. 3. cap. 46. & ſeqq. differens contra impium Vvicleffum, qui, inter plura alia, negabat Romanum Pontificem poſſe aliquid decernere veluti fide divina certum, aut è contra hæreſeos notare; illum latè & ex inſtituto refellit: atque ex communi ſenſu Sanctorum Patrum, quorum plurima teſtimonia profert, auctoritatem protſus infallibilem Romani Pontificis tuetur & confirmat: vrgetque Hæreſiarcham ipſum, vt more ſolito ad cavillos & ſophiſmata trita ſe convertat: nihil enim proderit ad labefactandam hanc Summi Pontificis auctoritatem. Itaque præſtantiſsimus ille Theologus è re Catholicæ fidei adverſus Vvicleffum cenſuit hanc ſententiam tueri, veluti dogma commune Sanctorum Patrum. Nec audiendi ſunt qui pro contraria opinione laudatum Valdenſem citant: vt planè oſtendit Hieronymus Rubeus in calce tomi tertij ipſius, & Raynaudus vbi ſuprà puncto 11. Similiter eodem tempore Cardinalis Ioannes Turrecremata, veritatis Catholicæ aſſertor eximius in Concilijs Baſileenſi & Florentino, coactis paulo poſt Conſtantienſe, ex profeſſo tuetur lib. 2. Summæ de Eccleſia cap. 109. 110. 111. & 112. definitiones Pontificum, quamvis extra Concilium latas, eſſe fide divina certas. Quod ibidem auctoritatibus & rationibus fusè demonſtrat; ac prætere lib. 3. cap. 47. & ſeqq.

15 Sæculo ſequenti, id eſt ab anno M. D. occaſione eiuſdem controverſiæ, & contrariæ opinionis ab Almaino ſuſcitatæ, plurimi & graviſsimi Theologi illam ex profeſſo reiecerunt: atque latiùs cæteris Cardinalis Thomas Caietanus integro Opuſculo contra Almainum ipſum. Similiter cùm Lutherus eiuſque gregales eandem, veluti ſuis erroribus propitiam initio amplecterentur; Ioannes Echius Luthero-maſtyx celeberrimus illam inſectatus fuit lib. 1. de Primatu D. Petri cap. 18. ac præterea Ioannes Driedo 4. lib. de Dogmat. Eccleſ. cap. 3. p. 3. Ioannes à Lovanio lib. de Cathedræ Petri firmitate cap. 11. Stanislaus Hoſius lib. 2. contra Brentium, Ruardus Tapper Oratione 3. Theologica, Thomas Stapletonius lib. 8. de Principijs cap. 15. & toto ferè lib. 6. Cæſar Petri Michaelis Delphinus lib. de proportione Papæ ad Concilium, explicatione 11. Gabriel Biel in Defenſorio Obedientiæ Apoſtolicæ, doctiſsimus & eloquentiſsimus Theologus Michael Medina lib. 7. de Recta in Deum fide cap. 26. vbi inter alia, inquit: *Communem itaque Euangelicæ legis cathedram, quæ ſemper annexa eſt Sacerdotio, & Sacerdotij legitimæ ſucceſsioni, quaſi verum magiſteriū audire præcipimur, ad eamque Chriſtus, quaſi ad veræ doctrinæ fontem, Chriſtianos hortatur. Nam quod ea quæ cum legitima Sacerdotū, & paſtorum, præſertim vero Romanorum Pontificū ſucceſsione, annexa eſt doctrina, fideique, ſemper veteres Eccleſiæ de religione controverſiæ quaſi vera, ac Eccleſiaſtica ſententia, & decreto terminatæ fuerint ab eiuſdē Eccleſiæ primordijs, Eccleſiaſticorū Patrū ſcripta tam apertè teſtantur, vt neque hoc noſtri temporis hæretici negare potuerint.*

16 Ex Theologis Salmanticenſibus eiuſdē ſæculi præcedentis illuſtrarunt admodum nonnulli eandē communē & veram ſententiā: ac primùm quidē Franciſcus Victoria Ordinis Prædicatorum, Relect. 4. concl. 20. vbi non modò improbat appellationes à Papa ad Cōcilium, etiam in cauſis graviſsimis (adhuc dato, & nullatenus conceſſo quòd Conciliū Oecumenicum ſit ſupra Papam) ſed etiam obſervat ab experimento præcedentium ſæculorum, peſsimum fuiſſe talium appellationū exitum. *Omnes enim*, inquit, *appellationes hactenus factæ ad Concilium, malè ceſſerunt, & tandem devenerunt in ſchiſma aliquod, vel etiā in hæreſim.* Quibus directè refellit opinionem contrariam Gerſonis tuentis appellationes à Papa ad Conciliū, etiam in cauſis fidei; quoniam arbitrabatur, definitiones Pontificis non reddere doctriuam fide divina certam aut irreformabilem à Concilio. Verùm copioſiùs longè & eruditiùs more ſuo eandem ſententiam confirmavit paucis pòſt annis, eximius Victoriæ diſcipulus, & ſucceſſor in Primaria Theologiæ cathedra Salmanticenſi, Melchior Canus (quem nunquam ſine delectatione; nunquam ſine admiratione lego) toto libro ſexto de Locis: vbi initio capitis ſecundi ſic refellit ſententiam contrariam, & ſuæ confirmationem pollicetur: *Horum ego opinationem ex Academijs Theologicis exploſurus ſum: efficiamque, vt ſpero, vi argumentorum meorum, ſi integris animis expendantur, ſemotis contentione, & odio, quibus omne indicium exoculari ſolet. Vt autem evidentiùs intelligatur, quàm ſit magnus huius opinionis error, fingamus animo vnum eſſe Lutherum, in quem ſtylus hic noſter acuatur. Nam errantium multitudo, non parit errori patrocinium. Sit ergo primus, idemque ſolus, qui audeat affirmare, Summum Pontificem, Eccleſiamque Romanam in fidei controverſijs decernendis poſſe contra Euangelium errare. Niſi ego probavero certioribus argumentis id eſſe erroneum, quàm probent Catholici, aut*

Purgatorium eſſe, aut Indulgentias Pontificias diuina auctoritate conſtare, auctoritas hæc mea, quantula cacunque eſt, apud Lectores periclitabitur. Vides in quo certitudinis gradu collocet ſapientiſsimus ille Vir ſententiam communem, & qualiter eam adverſus Lutherum, vel ſolum, vel maximè tuendam accipere velit. Deinde Dominicus Sotus, eiuſdem cathedræ Salmantic. Profeſſor, & vtriuſque nuper laudati ſynchronos, in 4. diſt. 22. q.2.art.2.columna 3. pag. 957. idipſum tradit, dicens: *Quamvis nonnulli Doctores noſtri temporis contendant, Papam nullatenus poſſe eſſe hæreticum; nihilominus communis ſententia a parte contraria ſtat. QVAMVIS ENIM IN QVANTVM PAPA ERRARE NON POSSIT, HOC EST, STATVERE ERROREM NEQVE AT TANQVAM ARTICVLVM FIDEI, QVIA SPIRITVS SANCTVS ID NON PERMITTET; tamen vt ſingularis perſona errare in fide poteſt, ſicut alia peccata committere: quia non eſt impeccabilis.* Similiter Petrus Sotus in Apologia ſua parte 1. cap 83. 84. & 85. Bañez, quatuor prædictorum ſucceſſor in Primaria Theologiæ cathedra Salmant. 2. 2. q. 1. art. 10. vbi & reliqui omnes Thomiſtæ; ac noviſsimè Carmelitæ Salmant. & Philippus à SS. Trinit. eiuſdem Ordinis diſp.3.dub.4. Mitto innumeros alios ex Salmanticenſibus, tum veteres, tum recentes Profeſſores & Scriptores, præſertim tractatu de Fide: qui omnes, nullo, quem ſciamus, excepto, eandem ſententiam, veluti certam & Catholicam, ſemper docuerunt, aut ſuppoſuerunt: vt propterea nullum operæ prætium ſit allegare ſingulos. Et id generatim indicaſſe ſufficiat circa celeberrimam hanc Academiam, inter quatuor præcipuas totius Orbis Chriſtiani memoratam, præſertim à tẽpore Concilij Generalis Viennenſis ſub Clemente V. quam non modò Reges & Principes omnes impensè venerantur, ſed & Romani Pontifices à pluribus iam ſæculis ſummis laudibus efferunt, & ex ijs Clemens VII. anno 1535. in Bulla *Cùm inter alia*, aiebat: *Inter alia vniuerſalia ſcientiarum Gymnaſia Salmantinum Studium non ſecus, ac munitiſsima illa turris David, inexpugnabilis cum propugnaculis, ex qua mille clypei doctorum virorum pendent, qui Eccleſiam Dei Sanctam contra virulentos hæreticorum impulſus ſtrenuè tuentur & protegunt, plurimùm vigere conſpicitur, &c. Dignum, quin potiùs debitum reputamus, vt TAM CELEBRE ET INSIGNE LITTERARVM EMPORIVM, quibus ampliùs floreat & augeatur, dignis Apoſtolicæ Sedis muneribus proſequamur.*

17 Similiter Patres Societatis, tam qui ſæculo præcedenti floruere, quàm qui noſtro, ſententiam eandem tuentur, veluti omnino certam: præſertim Salmeron tomo 4. tract. parte 3. tract. 4. & tom.9.tract.46. Petrus Caniſius in Notis ad Evangelium Feſti SS.Apoſt. Petri & Pauli, Pererius in cap. 13. Ioannis diſp.57.& 58. Barradas in Concord. tom.2. lib.3. c.51. Lorinus Actorum 15. ad verſ.7. Benedictus Iuſtinianus diſp. de Apoſtolatu, præmiſſa Commentarijs in Paulum cap.9. & 10. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap.3. Suarez diſp.5.de Fide ſect.8. n. 4. inquiens: *Veritas Catholica eſt, Pontificem definientem ex cathedra eſſe regulam fidei, quæ errare non poteſt, quando aliquid authenticè proponit toti Eccleſiæ credendum. Ita docent hoc tempore omnes Catholici Doctores: ET CENSEO ESSE REM DE FIDE CERTAM.* Similiter Valentia 2.2.diſp.1.q.1.puncto 7.§.40. id eſt, q.6.initio, vbi pro Aſſertione ſtatuit: *Quotieſcumque Romanus Pontifex in fidei quæſtionibus definiendis, illa qua eſt præditus auctoritate vtitur; ab omnibus fidelibus tanquam doctrina fidei recipi diuino præcepto debet ea ſententia, quam ille decernit eſſe ſententiam fidei. Toties autem eum vti ipſa auctoritate credendum eſt, quoties in controverſia fidei ſic alterutram ſententiam determinat, vt ad eam recipiẽdam obligare velit vniuerſam Eccleſiam.* Quod ibidem latè & ἀποδεικτικῶς confirmat. Subſcribunt Luiſius Turrianus 2. 2. quæſt.1. art.10. diſput. 16. dub. 1. Tannerus in eundem locum D. Thom. Gillius lib. 1. tract.7. cap.9. n.3. Henriquez lib.1. cap. 16. n.5.littera I. in notis. Ioannes Bagotius lib. 4. Inſtitut.Theolog. diſput.3. cap.2. Iacobus Gaulterus in Chronico Veritate vndecima cuiuslibet ſæculi, Azor tom.2. lib. 5. cap.4. quæſt. 3. (vbi & obſervat, paucos illos qui oppoſitum tradiderunt, non ſatis ſibi conſtitiſſe, ac pugnantia docuiſſe) Velazquez tract. de Conception. Virginis lib. 5. diſſert.vltima, Amicus tom.4. diſput.7. ſect.1. Arriaga tom.5. diſput. 9. ſect. 7. Becanus in Apologia de Iudice Controtroverſ. Cornelius à Lapide in cap. 22. Lucæ verſ.32. Cardinalis Lugo diſput.1. de Fide ſect.13. §.5. num. 329. Oviedo controverſ. 4. de Fide puncto 9. & denique plurimi alij in eodem tractatu de Fide: quorum ſententiam, tanquam fide divina certam, latiſsimè illu-

illuſtrat Theophilus Raynaudus toto Opuſculo inſcripto Αὐτοσέρα (qui & in Corona Aurea graviter reprehendit Alphonſum de Caſtro ſuprà allegatum num. 12. quaſi intolerabiliter erraverit circa hanc controverſiam) & Ioſephus Gibalinus fusè admodum lib. 5. de Iure Canon cap. 3. ferè per totum: vt omittam Dionyſium Petavium, Ioannem Martinonum, Franciſcum Annatum, Ioannem Martinez de Ripalda, Stephanum Dechamps, & reliquos Ieſuitas Ianſenio-maſtygas, qui in omnibus diſputationibus contra illum, eiuſque partiarios, non tam probant, quàm præmittunt, veluti fide divina certum, definitiones Summorum Pontificum Pij V. Gregorij XIII. & Innocentij X. contra Michaelem Baium, & Cornelium Ianſenium, eſſe prorſus infallibiles, & ſpectare ad fidem, iuxta modum aut gradum certitudinis, quo latæ ſunt à Sede Apoſtolica, licèt extra Concilium.

18 Ex Ordine S. Franciſci tuentur & illuſtrant eandem ſententiam, veluti omnino certam & Catholicam, Michael Medina loco allegato ſuprà num. 15. Dermitius Thadæi in Nitela Franciſc. tract. de Fratricellis q. 17. ad 3. obiect. Zacharias Boverius Tom. 2. lib. 1. demonſtat. 4. generali articul. 10. Ludovicus Caſpenſis tract. de Fide diſp. 2. ſect. 6. alijque plures in eodem tractatu: & recentiùs adhuc Bruno Neuſſer in Prodromo Velitari contra Henricum de Noris, toto ferè Opere ſupponens; veluti rem omnino certam apud Catholicos, doctrinam definitam ab Innocentio X. contra Ianſenium. Mitto ex eodem Ordine ampliſsimo & graviſsimo Bernardinum Vetuveis in Speculo Veræ Eccleſiæ lib. 5. cap. 4. vbi idem tradit, quamvis breviter.

19 Denique idipſum tuentur Nicolaus Sanderus lib. 6. & 7. de viſibili Monarchia, Thomas Bozius lib. 18. de Signis Eccleſiæ, Ioannes Malderus Epiſcopus Antwerpienſis 2. 2. q. 1. art. 1. & diſput 5. de Pontifice, Ioannes Puteanus 2. 2. q. 1. art. 6. dub. 3. conc. 1. & 2. Leonardus Cocquæus in Antimornæo pag. 83. ac noviſsimè Chriſtianus Lupus in Scholijs Conciliorum tomo 1. pag. 138. 866. 896. 913. & tom. 2. pag. 1492. & 1493. vbi hanc ſententiam vult palam definitā fuiſſe in Synodo VIII. Generali, cuius verba affert: & in auctores opinionis contrariæ demum inquit: *Quocirca qui hodie vetuſtum quorundam Græcorum errorem in Latinam Eccleſiam moliuntur intrudere, Iulianiſtas agunt* (id eſt, imitantur Iulianum hæreticum Pelagianum, qui erroribus ſuis à ſola Eccleſia Romana damnatis effugium quærebat negando ipſius infallibilitatem, vt colligitur ex S. Auguſt. lib. 1. cap. 4. contra Iulianum) *caveantque vt non prævaricentur Synodum Octavam.* Similiter tomo quinto pluribus locis conſtans in eodem ſenſu eſt: ibidemque in Scholijs ad Concilium Quintilinoburgenſe pag. 728. ait in Canonem primum: *Demonſtrat, ſententiam, quæ Romani Pontificis perſonam ac iudicia cenſet a nulla Synodo poſſe iudicari, fuiſſe tunc in omni Germanica Eccleſia adeò certam, vt meruerit Synodaliter confirmari. OPPOSITVS ERROR EST NOVELLVM COMMENTVM IOANNIS GERSONIS, IPSAM OB CAVSAM PESSIME MERITI.* Quæ cenſura Lupi in opinionem adverſam conſonat verbis Raynaudi ſuprà n. 9. exſcriptis. Vide eundē Lupum tom. 4. in Scholijs ad Dictatum S. Gregorij VII. Papæ Canon. 12. pag. 751. & ſeqq.

SECTIO TERTIA.

Allegatur communis conſenſus Doctorum Iuris Canonici pro infallibilitate definitionum Pontificiarum in controverſijs ſpectantibus ad fidem & mores.

20 QVAMVIS Sufficeret abundè ad conciliandam ſententiæ affirmāti exploratam fidem auctoritatemque communis Theologorum conſenſus, quos paulo antè laudavimus; placet etiam adiungere ſuffragia peritiſsimorum virorum in Iure Pontificio, qui eandem palam tradidiſſe inveniuntur. Primus, quem ſciam, iſque anterior centum circiter annis Concilio Conſtantienſi (in quo opinio contraria ſubitò exorta fuit) eſt Alvarus Pelagius Hiſpanus, Ioannis Papæ XXII. Pœnitentiarius, & Canonum conſultiſsimus: qui in libro 1. de Planctu Eccleſiæ art. 15. quaslibet provocationes à Pontifice ad Concilium omnino improbat, eo quòd ille nullum habeat in terris ſuperiorem. Et hoc quidem in cauſis, ſive quæſtionibus iuris. nam in ijs, quæ ſoliùs facti ſunt, vltro fatetur Papam poſſe decipi, proindeque licere appellationem, non quidem ad Concilium, ſed ad Pontificem ipſum meliùs informatum. Deinde art. 45. §. 30. docet, definitiones fidei ad Romanum Pontificem ſpectare, ijſque inhærendum prorſus eſſe, cùm ita ſtatuatur cap. *Maiores* de Baptiſmo, cap. *Ad abolendā* de Hæreticis, & pluribus alijs locis ab ipſo allegatis. Eidem ſententiæ ſuffragatum fuiſſe paulo poſt Conciliū Conſtantienſe

Cardinalem Turrecrematam, & non minùs verſatum in iure Pontificio, quàm in ſacra Theologia, iam ſuprà monuimus num. 14. dum Theologorum indicem texeremus.

21 Sæculo ſequenti, id eſt proximè præcedentis initio, Eccleſiam Romanam regente Leone X. Ioannes Iacobatius Cardinalis ab ipſo creatus, edidit inſigne Opus de Concilijs, in quo fuſiſsimè auctoritatem Papæ Concilio ſuperiorem, & prorſus infallibilem eſſe in dirimendis controverſijs fidei probavit, allegato denſo Conciliorum & Patrum numero in id confirmandum: vt propterea non ſit neceſſum appellare ſingularem aliquem ipſius locum.

22 Hieronymus Albanus toto Opere de impugnata Pontificis poteſtate, præſertim parte prima, immenſus ferè eſt in eadem doctrina ſtabilienda. Etenim ex Scripturis, Concilijs, Patribus, & Pontificum ipſorum decretis, palam demonſtrat, Conſtitutiones Pontificias, præſertim circa quæſtiones fidei, etiam abſque interventu Concilij, eſſe validas, & irretractabiles. Deinde parte ſecunda, quæ eſt de poteſtate Papæ ac Concilij, fusè oſtendit, Pontificem Romanum poſſe abſque Concilio de fide pronuntiare: in quod vberiùs confirmandum allegat ſeipſum in Opere de Cardinalatu quæſt. 39. & contrariam opinionem multipliciter ac nervosè refellit.

23 Antonius Auguſtinus Archiepiſc. Tarraconenſis, Græcè & Latinè eruditiſsimus, quem vel ipſi Heterodoxi venerantur, & ex ijs Ioſephus Scaliger Virum Magnum fatetur; latè tradit eandem ſententiam toto ferè libro 1. Epitomes Iuris Canonici Veteris, præſertim tit. 1. 3. & 10. Eſt autem ille ſolus inſtar multorum, quoniam monumenta ferè omnia Antiquitatis Chriſtianæ, nec ſolùm Gentilicæ, & præſertim ea quæ ad Canones Conciliorum, & Decreta Pontificum ſpectant, in numerato habere videbatur.

24 Petrus Rebuffus, inter Doctores Iuris Pontificij clariſsimus ſuo ævo, latè tradit eandem ſententiam Tractatu de Appellationibus, præſertim art. 1. gloſſa 1. vbi vniversè inquit: *A Papa non appellatur, cùm non habeat in mundo ſuperiorem*, cap. Cuncta per mundum 9. q. 3. *Nec à ſtatutis in Concilio Generali, quia ſolum Deum habet ſuperiorem: quamvis quidam voluerint dicere quòd ad Papam. Sed contra illos eſt textus in cap.* Sicut diſt. 15. *Quia ſub Concilio Generali comprehenditur Papa.* Deinde Tractatu de Exceptionibus docet, non poſſe declinari iudicium Papæ, cùm ſit omnium iudex, iuxta caput iam allegatum, *Cuncta per mundum* 9. q. 3. ideoque appellationẽ quamlibet à iudicio ipſius eſſe veluti propriã notam hæreticorum aut ſchiſmaticorum hominum. Hæc ille: in quibus planè iugulat contrariam opinionem Gerſonis admittentis provocationem à iudicio Papæ, etiam in cauſis fidei: quoniam arbitratus eſt, Papam eſſe inferiorem Concilio, proptereaque ab hoc retractari & infirmari poſſe, tanquam à ſuperiore, quidquid ille decreverit, etiam in cauſis fidei.

25 Huc etiam advocandi ſunt plurimi Iuriſtarum, quos more ſuo congerit & ſequitur Auguſtinus Barboſa in Collectaneis ad caput iam allegat. *cuncta per mundum* 9. q. 3. docens cum ijs, hæreticum dictu & aſſertu eſſe, quòd poſsit appellari à iudicio Pontificis Romani ad alium quemlibet: quia cùm ille ſit Supremus Iudex à Chriſto conſtitutus quoad res fidei & morum, quiſquis detrectat ipſius iudicium, videtur diffiteri auctoritatem Papæ à Chriſto collatam. quod ſine hæreſi fieri nequit. Nec mirum ita ſentiant Iuriſconſulti. nam S. Gelaſius I. Papa in eo capite inquit: *Cuncta per mundum novit Eccleſia: quoniam quorumlibet ſententijs ligata Pontificum, Sedes S. Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi; vtpote quæ de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, NEQVE CVIQVAM DE EIVS LICEAT IVDICARE IVDICIO: SIQVIDEM AD ILLAM DE QVALIBET MVNDI PARTE CANONES APPELLARI VOLVERVNT; AB EA AVTEM NEMO SIT APPELLARE PERMISSVS.* Vide pro eodem placito innumeros alios Iuris Doctores apud Interpretes Bullæ Cœnæ art. 2. qui eſt, contra appellantes à Pontifice ad Concilium: quorum denſum agmen citat Scortia Theoremate 106. cum Bonacina lib. 5. de Cenſuris diſp. 3. Duardo, & Suarez diſput. 21. de Cenſuris ſect. 2. vbi allegat Sylveſtrum ac Navarrum. Plures alias Conſultorum allegationes invenies apud Clariſsimum Doctorem D. Andræam Garcia Samaniego, in noſtra Academia Iuris Pontificij Veſpertinum Anteceſſorem iam diu celebrem, qui hoc ipſo anno 1682. è ſuggeſto auditoribus ſuis dictat inſignem Tractatum de Auctoritate Romani Pontificis ſupra Concilium Oecumenicum. Quicumque enim docent, Papam eſſe ſuperiorẽ Concilio Generali, conſequenter aiunt, iudicia illius ex cathedra Sedis Apoſtolicæ eſſe prorſus irretractabilia à Concilio, ac proinde inducere certitudinem fidei abſolutam, cui non poſsit ſubeſſe falſum. Qui verò

è con-

à contra Pontificem tradunt inferiorem Concilio Oecumenico, adhuc poſſent tueri infallibilitatem abſolutam illius in ſuis definitionibus circa fidem & mores: quoniam licèt Synodus Oecumenica non poſsit illas reijcere, aut in dubium vocare, ſed tantùm ſolemniùs confirmare aut declarare; adhuc, iuxta illos, poteſt circa alia rationem exigere, & litem intentare Pontifici, atque in ius vocare ob certa crimina, ipſumque plenè conuictum in iudicio deponere, & illius ſententiam appellatione interpoſita reijcere, ſiue irritam declarare. Hæc ij Auctores tradere & coniungere poſſent abſque inconſequentiæ nævo, vt in ſuperioribus monui; quamvis longiſsimè à vero ſint quatenus Romanum Pontificem verum & exploratum ſubijciunt Concilio Generali, vel licere aiunt appellationem ad illud, vt ſuo loco abundè oſtendemus, & nuper vidimus ex S. Gelaſio Papa. Cuius verbis adiungo obiter quædam alia Martini V. in Concilio Conſtantienſi 16. Idus Martij, Pontificatus ſui anno primo, ſic definientis: *TAM IVRE DIVINO, QVAM ETIAM HVMANO. QVIBVS SACRORVM CANONVM AVCTORITAS INNITITVR, NVLLI FAS EST A SVPREMO IVDICE, VIDELICET APOSTOLICA SEDE, SEV ROMANO PONTIFICE, IESV-CHRISTI VICARIO IN TERRIS, APPELLARE, AVT EIVS IVDICIVM IN CAVSIS FIDEI, QVAE TANQVAM MAIORES AD IPSVM, ET SEDEM APOSTOLICAM REFERENDAE SVNT, DECLINARE.*

26 Denique Gerſo ipſe, quem omnes ij veluti Prodromum ſequuntur, diſertè docuit, Pontificem definientem circa fidem, poſſe ſtatim omnes Chriſtianos compellere ſub præcepto & cenſuris ne oppoſitum doceant, ſaltem donec congregetur Generale Concilium, in quo res maturè examinetur. Hinc autem apertè colligitur, nullam excuſationem obtendere poſſe, adhuc iuxta Gerſonis opinionem, omnes illos qui damnatas Baij & Ianſenij opiniones ſub quolibet prætextu aut larva docere audent, contra præcepta & cenſuras Pontificum Pij V. Gregorij XIII. Innocentij X. & Alexandri VII. Sed de hoc vberiùs ſuo loco.

DISPVTATIO VIII.

AN ILLVSTRISSIMI GALLIARVM EPISCOPI in litteris ad Innocentium X. datis anno 1653. verè & ſapienter teſtati fuerint, ex ſenſu Veteris Eccleſiæ Catholicæ, definitiones Romani Pontificis eſſe infallibiles.

HAEC Controverſia eſt præcipua omnium, quæ ſpectant ad hunc Tractatum: & non modo procedit circa factum, ſed circa ius ipſum: cùm id quod Vetus Eccleſia Catholica credidit & docuit in materia qualibet ad fidem vel mores ſpectante, ſit omnino certum & irreformabile. Porro ſupra Diſp. II. num. 11. vidimus qualiter Illuſtriſsimi Galliarum Epiſcopi in litteris Lutetiæ datis 19. Iulij anno 1653. ad Innocẽtium X. gratulati ipſi fuerint ob damnationem quinque præcipuorum Ianſenij dogmatum extra Concilium prolatam; & quomodo teſtati fuerint, veterem Eccleſiam Catholicam ſolis Pontificum definitionibus innixam, damnare & execrari ſolitam quaſcumque hæreſes, idque ex officio, ſiue ex debito mentis obſequio ad Sedem Apoſtolicam D. Petri, per quam Spiritus ſanctus loquitur. Verba præcipua illorum iterum exſcribemus infrà numero 50. Nunc perſcrutandum eſt, ſeu potius oſtendendum, quam verè & ſapienter id teſtati fuerint, quidquid in oppoſitum videatur indicare pro contraria opinione Clerus Gallicanus in Declaratione hoc ipſo anno 1682. illius nomine edita.

SECTIO PRIMA.

Verum fuiſſe iudicium ac teſtimonium illud Clariſsimorum Galliæ Antiſtitum ad Innocentium X. Probatio petita, tum ex inſigni loco S. Auguſtini idipſum teſtantis: tum ex hæreſibus primo ſæculo damnatis: tum ex ſacris Scriptoribus eius temporis.

POSSEMVS In id confirmandum vti teſtimonijs quam plurimis Patrū, & Conciliorum Galliæ, ac Romanorum Pontificum reſcribentium ad Conſultationes Eccleſiarum eiuſdem florentiſsimæ Nationis. Verùm cùm ea iam fuerint exſcripta aut indicata in Diſputationibus antecedētibus, præſertim III. IV. & V. nolumus eadem hoc loci inculcare. Aliundè itaque ſuadenda eſt Aſſertio. Antequam verò illam partitò ac ſeorſim confirmemus excurſione quadam per ſingula ex quinque primis ſæculis; ſuaderi poteſt generatim illuſtri teſtimonio Magni Auguſtini lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 12. vbi hæreticos illos nolentes acquieſcere Romanorum Pontificum definitionibus pro neceſsitate gratiæ divinæ, & infirmitate naturæ lapſæ ad ſalutem, contra eorum impia dogmata prolatis, & appellantes Concilium Generale ad retractandam controverſiam, refellit potiſsimùm ex eo quòd Eccleſia Catholica nunquam, aut ferè nunquam opus habuerit congregatione Synodi ad damnandas hæreſes quovis tempore exortas; ſed ſatis eſſe cenſuerit vt à Pontifice Romano poſt debitum examen maturo iudicio damnarentur. Verba præcipua ſunt: *An vero congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit, cùm potiùs rariſsimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſsitas talis extiterit; multoque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit adverſus Deum, vt non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos, Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cùm potiùs vigilantia, & diligentia Paſtorali poſt factum illis competens, ſufficienſque iudicium, vbicumque iſti lupi apparuerint conterendi ſint; ſive vt ſanentur, atque mutentur; ſive vt ab aliorum ſalute, atque integritate vitentur, adiuvante Paſtore Paſtorum.*

4 Vt autem conſtet quàm verè olim Auguſtinus, & nuper Galliarum Antiſtites anno 1653. id teſtati fuerint de quinque primis Eccleſiæ ſæculis, placet excurrere per ſingula: vt appareat in vnoquoque eorum plures ac varias hæreſes exortas fuiſſe, quæ à Romanis Pontificibus damnatæ fuerunt abſque vllo Concilio Oecumenico; omnibus fidelibus ſtatim exhibentibus plenam & indubiam fidem, ac mentis obſequium, definitionibus Pontificijs.

5 Primo ſæculo extitit Simon Magus, *diaboli poſt fundatam Eccleſiam Catholicam primogenitus*, vt inquit S. Ignatius Martyr in Epiſt. ad Trallianos. Ille baptizatus à Philippo Diacono in Samaria evangelizante, & inſtructus ab Apoſtolis Petro ac Ioanne in myſterijs Chriſtianę Religionis, incidit poſtea in plurimas hæreſes, tam per ſe ipſum, quàm per gregales & ſequaces ſuos, qui Simoniaci aut Simoniani dicti ſunt: vt videre eſt apud Damaſcenum lib. de Hæreſibus, Nicephorum lib. 2. Hiſtor. cap. 6. & Prateolum lib. 17. alioſque poſt Epiphanium & Hieronymum, qui illius errores & inſanias referunt. Deinde Romæ plures earum docuit, ac multis perſuaſit. Omnes tamen illæ, tum primò in Samaria, vbi ortæ ſunt; tum poſtea Romæ ab Apoſtolo Petro, quatenus Chriſti in terris Vicario, damnatæ fuerunt: & veluti apertæ hæreſes ab omnibus fidelibus reiectæ ſunt, ob auctoritatem Sedis Apoſtolicę, cui Petrus prę-erat. Neque enim vllum ab eo Concilium in eum finem legitur coactum Romæ, vbi cum Simone ipſo diſputavit, & volantem per aera præcipitem egit, vt Hieronymus teſtatur. lib. de Scriptoribus Eccleſ. & in Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 1.

6 His accedit quòd cùm S. Marcus, qui nunquam Chriſtum Dominum vidiſſe putatur, Evangelium ſcripſiſſet, S. Petrus *& probavit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit*, vt inquit S. Hieronymus lib. alleg. de Scriptoribus, & Eccleſia Catholica recitat in ſolemni Officio ad diem 25. Aprilis. Itaque approbatio eius Evangelij fuit veluti quædam vniverſalis definitio omnium eorum, quæ ſcribuntur à S. Marco Evangeliſta: eaque prolata à S. Petro, iam tum Romæ exiſtente, & Chriſti Vicario, fuit certiſsima fidei regula omnibus Chriſtianis: vt proinde nemo exinde aut negaverit, aut in dubium vocaverit ea, quæ à Marco narrantur, quin hæreticus à tota Eccleſia habitus ſit. Nec tamen Petrus ad id Evangelium probandum legitur Romæ aut

alibi

alibi Synodum vllam coegiſſe, multò autem minùs Oecumenicam. E contrà verò, nec Petrus, nec illius Succeſſores probarũt alia quorundam Evangelia: quale fuit Nazaræorum à D. Hieronymo cõmemoratum: itemque aliud Baſilidis Hæreſiarchæ, prout ex Origene & S. Ambroſio obſervat Baronius ad annum Chriſti 120. num. 19. ideoque Eccleſia Catholica non recepit eiuſmodi pſeudo-evangelia.

7 Quis autem eodem ſæculo damnavit errores illorum, quos Hegeſippus, vetuſtiſsimus Scriptor, apud Nicephorum lib. 4. cap. 7. appellat *Hæreticos plebeios*? nimirum Thebutum, vnde poſtea Cleobiani emerſerũt; Doſitheum, vnde Doſitheani; Grotheum, vnde Grotheani; Maſſabotheum, vnde Maſſabotheani; & duos alios, quorum alter fuit Simõ, paulo antè notatus; alterius nomen neſcimus. neque enim apud Hegeſippum ipſum, aut Nicephorum, aliumve, facilè invenietur. Quis etiam Menandri diſcipuli eiuſdem Simonis Magi, impietates damnaſſe legitur? aut inſanias Cerinthi, qui teſte Epiphanio Hæreſi 28. fuit vnus ex illis, qui reſtiterunt S. Petro, vt habetur Actorum 11. Sanè ipſe Apoſtolorum Princeps, & Chriſti Vicarius fuiſſe intelligendus eſt. Nam licèt poſtea illum etiam damnaverit Apoſtolus Ioannes, ſcripto Evangelio propter errores illius confutandos, vt teſtatur S. Hieronymus; priùs tamen D. Petrus eundem hæreticum refutavit, ſicuti & alios paulo antè nominatos. Nec tamen ideo nego, reliquos Apoſtolos tunc diſperſos per totum terrarum orbem damnaſſe inſurgentes hæreſes & errores quorundam: quales fuere Alexandri Ærarij, Hymenæi, & Phileti, quos Paulus Apoſtolus Satanæ tradidit, vt frænaret. Vide Epiſtolam primam ad Timoth. cap. 1. & 2. ac ſecundam cap. 4. & Actorum 19. ac ſacros Interpretes ibidem At verò Paulus, ſicut & reliqui Apoſtoli, eam auctoritatem habuerunt à Deo delegatam, iuxta illud ipſius teſtimoniũ: *Pro Chriſto legatione fungimur*, eamque dependenter à Petro, vt Vicario Chriſti. Solus autem Petrus, tanquam Caput totius Eccleſiæ, & Apoſtolorum omnium Princeps, & ſingularis Chriſti Vicarius, omnes hæreſes, quas ſuo tempore ortas intellexit, auctoritate ordinaria Sedis ſuæ damnavit, nullo ad id congregato Concilio Oecumenico.

8 Mitto Nicolaitas, de quibus S. Irenæus lib. 1. c. 27. Hilarius in c. 25. Mathæi, Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatũ, & alij; atque ex iis ortos Ebrictas, iuxta Auguſtinum lib. de Hæreſibus cap. 17 Etenim eorum, & aliorum ex hæreticis illius primi ſeculi damnatio prolata fuit abſque Concilio Generali, tum à D. Petro, tum ab ipſius Succeſſoribus in eadem Sede Apoſtolica, Sanctis Lino, Cleto, & Clemente, qui martyrio ſuo periodum eius ſeculi clauſit anno Chriſti 100. die 23. Novembris, imperante Traiano: quique Epiſtol. 1. de ipſo Apoſtolorum Principe, ac primo prædicationis Evangelicæ miniſtro, inquit: *Simon Petrus, qui verè fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt, qua de cauſa etiam Domini ore diuino cognominatus eſt Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apoſtolorum primus, cui & primo Deus Pater Filium revelavit, cui & Chriſtus competenter beatitudinem contulit, qui & vocatus eſt, & electus, & conviua Domini, & comes effectus, tanquam bonus, & probatiſsimus Diſcipulus, qui obſcuriorem mundi plagam Occidentis (velut omnium potentior) illuminare præceptus eſt, quique & integrè potuit implere præceptum.* Quibus verbis & primatũ S. Petri in reliquos omnes Apoſtolos, & in ipſo fundamentum totius Eccleſiæ, & pleniſsimum Magiſterium ad eam integrè illuminandam ac docendam expreſsit; proindeque ad dirimendas & explicandas quaslibet controverſias fidei.

9 Eodem ſenſu S. Dionyſius Areopagita, Apoſtolorum ſynchronos, c. 3. de Divinis nomin. Petrum ipſum appellat *τὴν κορυφαίαν καὶ πρεσβυτάτην τῶν θεολόγων ἀκρότητα.* id eſt, *ſupremum & antiquiſsimum Theologorum faſtigium.* Quoniam, nimirũ, cùm ſolus eſſet Caput totius Eccleſiæ, & regeret cathedram Sedis Apoſtolicę, ad ipſum iure ſpeciali & proprio ſpectabat docere omnes Chriſtianos de rebus fidei, etiam Theologos ipſos, quorum culmen erat. Quæ ratio pariter militat in omnibus Succeſſoribus eiuſdem Sedis & cathedræ. Similiter S. Ignatius Martyr ipſius ęqualis, & pariter Apoſtolorum diſcipulus, in Epiſtola ad Romanos illorum Eccleſiam aliarum omnium magiſtram ac reliquis præcellentem appellat, etiam in ipſa epigrapha Epiſtolæ, verbis illis: *Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος*, &c. *Ignatius, qui & Theophorus, miſericordiam conſecutæ in magnificentia altiſsimi Dei Patris, & IESV-CHRISTI Vnigeniti eius Filij, Eccleſiæ ſanctificatæ ET ILLVMINATÆ per voluntatem Dei operati omnia ad fidem & charitatem IESV-CHRISTI Dei & Saluatoris noſtri pertinentia, QVAE PRAESIDET IN LOCO REGIONIS ROMANORVM, Deo digna, decore digna, merito beatiſsima, digna laude, digna qua quis potiatur, caſtiſsima, & præcellens dilectione, Chriſti ac Patris nomen ferens, Spiritu plena, &c.* Non præſidet autem

tem Eccleſia Romana ſibi: cùm præſidere ſeu præſidere ſit πρός τι, ſeu πρὸς ἕτερον, quod relativum appellamus. Nec certè alijs præſideret, ſpeciatim cùm ijs excellentijs, quas Ignatius ipſi tribuit, niſi haberet plenam & infallibilem auctoritatem docendi reliquas omnes Eccleſias circa τὰ πάντα, ἅ ἐστι κατὰ πίστιν καὶ ἀγάπην Ἰησοῦ, καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν, vt idem Ignatius ait Præterea idem Ignatius circa medium eiuſdem Epiſtolæ loquens de Cleto & Clemente ſucceſſoribus S. Petri in Romano Pontificatu, inquit: *Qui igitur his non obedit, atheus prorſus & impius eſt, & Chriſtum contemnit, & conſtitutionem eius imminuit.* Patet verò inobedientiam committi vbi quis mente reſiſtit, & acquieſcere non vult traditis à Pontifice Romano. Non ergo dubitare licet quin iudicio Eccleſiæ Catholicæ primo illo ac feliciſsimo ſæculo S. Petrus, quatenus Caput Eccleſiæ, eiuſque Succeſſores, haberent auctoritatem infallibilem dirimendi è cathedra Sedis Apoſtolicæ controverſias omnes fidei, extra Synodum Oecumenicam.

SECTIO SECVNDA.

Probatio petita ex damnatione Pontificia hæreſeon ſecundi ſæculi, & ex ſacris Scriptoribus, qui in eo floruerunt.

10 SECVNDO Sæculo variæ hæreſes ortæ ſunt, quas pariter Romani Pontifices pro credita ſibi auctoritate in eadem S. Petri cathedra proſcripſerunt abſque vllo Concilio Oecumenico, tota Eccleſia ſtatim ijs aſſentiente. Imprimis enim circa annum Chriſti 105. duo fratres pſeudo prophetæ, Elxai & Iexæus, præter errores Oſſenorum & Ebionitarum, quibus adhæſere, novas ſparſerunt hæreſes, quarum ſequaces dicti ſunt Elceſæi, qui duas mulieres ex vtriuſque Hæreſiarchæ genere ortas, alteram Mathus, alteram Maſtanam nomine, veluti Deas colebant. De quo legendus D. Epiphanius lib. 1. Hæreſi 29. & 30. atque ibidem Petavius poſt Baronium loco allegato à num. 11. Paulo pòſt circa annum 118. Saturninus & Baſilides, duo genimina viperarum Simonis Magi & Menandri, addiderunt varias hæreſes, quas ille Alexandriæ, & in ipſa regione Ægypti, hic verò Antiochiæ & per totam Syriam vulgavit. De quibus plura idem Epiphanius Hæreſi 25. & Euſebius Cæſarienſis lib. 4. Hiſtor. c. 6. Irenęus lib. 1. cap. 22. ac Baronius ad annum 120. num. 22. Circa quem eundem annum prodierunt Carpocratiani, Barbelitæ, & Gnoſtici, ex Nicolaitis orti: ac vicennio pòſt Valentinus Hæreſiarcha Ægyptius, Philoſophus Platonicus, è cuius Secta initium duxerunt nō modò Valentiniani, ſed & Criani, & Sethiani, & Ptolemaitæ, & Secundiani, & Marcitæ, & Caliorbarionitæ, & Heracleonitæ: de quibus omnibus legēdi S. Irenęus lib. 1. c. 24. & lib. 2. c. 4. Tertullianus de Præſcriptionibus cap. 48. & lib. adverſus Valentinum c. 2. 3. ac 27. alijque apud Baronium ad annos Chriſti 120. 145. 147. 149. & 176. Sed & Cerdon virulentiſsimus Hæreſiarcha circa annum 146. in Schola Heracleonis educatus, atque illius errores edoctus, poſtea in ſe reverſus, hæreſes abiuravit coram Hygino Pontifice Romano, qui ab anno 152. rexit Eccleſiam. Verùm poſtea ad vomitum regreſſus novos addidit errores; in quibus Marcion Ponticus (primogenitus diaboli cognominatus à S. Polycarpo) magnos progreſſus fecit, & infami Marcioniſtarum ſectæ nomen dedit. Mitto Apellem, Lucianum, Hermogenem, Montanum, Severum, Prodicum, Blaſſum, Florentinum, Theodotum, alioſque, & ſectas variorum hæreticorū ab ijs denominatas, aut quoquo modo pullulantes: quarum, poſt Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Clementem Alexandrinum, Euſebium, Hieronymum, & Auguſtinum, meminère Prateolus, Caſtro, Baronius, Gaulterius, ac Petavius varijs locis.

11 Porrò nulla prædictarum hæreſeō proſcripta fuit toto eo ſæculo ab aliquo Generali Concilio: ſed omnes aut ferè omnes damnatæ fuerunt à SS. Pontific. Romanis eiuſdem ſæculi. nimirum, Anacleto, Evariſto, Alexandro I. Sixto I. Teleſphoro, Hyginio (in cuius pręſentia nuper diximus Cerdonem hæreſes ſuas initio abiuraſſe) Pio I. Aniceto, Eleutherio, & Victore I. qui ab anno 192. vſque ad 201. Pontificatum geſsit. Nimirum, quidquid ij Santiſsimi Præſules definiebant in Epiſtolis Decretalibus (quarum multæ nūc extant in varijs editionibus Cōciliorum, præſertim verò in Labbeana, omnium vberrima; aliæ verò iniuriâ temporum periſſe creduntur) contra hæreſes ſuo tempore exortas; totum id ab vniverſis fidelibus pro regula infallibili habebatur, quin vllus deſideraret maiorem iudicij authoritatem, vel provocaret ad Concilium, niſi fortè quiſpiam manifeſtus hęreticus, aut ſchiſmaticus: vt in progreſſu pleniùs apparebit.

12 Ex Epiſtolis autem ijs Romanorū Pontificum eiuſdem ſecundi ſæculi quæ extant, placet nonnulla loca ſeligere, in quibus ſanctiſsimi hi Præſules & Martyres Chriſti ſupremam auctoritatē Sedis Apoſtolicæ & magiſterium in reliquas omnes Eccleſias teſtatum habent.

S.

13 S. Anacletus Pontifex ab anno Chriſti 101. Epiſt. 1. eandem doctrinam adſcribit divinæ & Apoſtolicæ traditioni, dicēs: *Si quæ cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius Sanctæ Sedis apicem eas, quaſi ad Caput referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio: quia ſic Dominum velle, ab eoque conſtitutum eſſe, in antedictis teſtimoniis declaratur. Hæc verò Apoſtolica Sedes, cardo & Caput, vt præiactum eſt, omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio, eſt conſtituta: & ſicut cardine oſtium regitur, ſic huius ſanctæ Sedis auctoritate omnes Eccleſiæ, Domino diſponente, regentur.* Similiter Epiſt. 3. ferè initio ſic habet: *De Primatibus, chariſsimi, SVPER QVIBVS ME QVIDAM VESTRVM CONSVLVERVNT, ET APOSTOLICAE AVCTORITATIS, (qua, licèt indigni, Domino diſpenſante, fungimur) DECRETVM POSTVLAVERVNT, aut ſi eſſe deberent, aut non: quantum hactenus de his à B. Petro Apoſtolo, & a reliquis Apoſtolis, ac à Beato Clemente, noſtro ſancto Prædeceſſore & Martyre novimus ſtatutū, denegare vobis minimè poſſumus.* Vides qualiter fideles cōſulerent Romanum Pontificem, veluti cœleſte quoddam Oraculum, circa difficultates vel cōtroverſias in Eccleſia ortas. qui mos perpetuus in Orbe Chriſtiano fuit, vt ſupra Diſp. IV. & V. oſtēdimus, & in progreſſu fuſiùs apparebit. Deinde adiungens plura circa Præsbyteros, Epiſcopos, Patriarchas, & Primates, penes quę gradu & ordine diſſident, demum id diſcriminis obſervat inter alias Eccleſias & Romanam, quòd illæ ſuos Primatus habent ab Apoſtolis, vel à Clemente, vel ab ipſo Anacleto; Romana verò immediatè à IESV-CHRISTO ſupra reliquas omnes, & totum Chriſtiani populi gregem. *Hæc verò*, inquit, *ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro, Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniverſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit: TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM.* Vix autem, aut ne vix quidem eſſe, aut intelligi poteſt primatus Eccleſiæ Romanæ, & eminentia poteſtatis ſupra vniverſas Eccleſias, à Chriſto D. immediatè conceſſa, ſine auctoritate plenisſima & infallibili docendi omnes illas circa fidem, ac mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam.

14 Similiter docent Pontifices alij eiuſdem ſæculi & Martyres. S. Evariſtus electus anno 110. Epiſtola ad omnes Africę Epiſcopos: *Conſulentibus vobis*, inquit, *fratres chariſsimi, quid ſuper iis quæ in veſtris continebantur ſcriptis, viſum nobis eſſet, vel quid docilis ratio perſuaderet, aut cui ſloditum remaneret, optantes (vt retuliſtis) noſtris inſtrui documentis: Hæc verò reſcribimus: ſiquidem dilectio veſtra normam ſecuta prudentiæ, AD SEDEM APOSTOLICAM REFERRE MALVIT, QVASI AD CAPVT, QVID DEBERET DE REBVS DVBIIS CVSTODIRE, POTIVS QVAM VSVRPATIONE PRAESVMERE.* Vides qualiter omnes Africæ Epiſcopi in dubiis conſulerent Romanum Pontificem. Legendus quoque S. Sixtus I. Epiſtol. 1. & 2. Decretali, S. Pius I. Epiſtol. 1. ad Vniverſos, vbi de Chriſto Domino inquit: *HANC SANCTAM SEDEM APOSTOLICAM OMNIVM ECCLESIARVM CAPVT ESSE PRAECEPIT.* S. Eleuterius, & S. Victor, eius immediatus in eadem cathedra ſucceſſor, inter alia, pariter docuerūnt, iudicia de Epiſcopis definitivâ eſſe reſervata Apoſtolicæ Sedi, idque ex voluntate Chriſti. Idem Victor controverſiam in Eccleſia ortam circa diem, quo Paſcha celebrandum eſſet, definivit adverſus Quartadecimanos, & decrevit vt die Dominico ageretur. quòd & factum eſt, quidquid antea Aſiani Epiſcopi deliberaſſent, quorum Synodum Epheſi habitam ea de re damnavit, illoſque propterea veluti hæreticos à corpore Vniverſalis Eccleſiæ abſcidit: eiuſque ſententia longo pòſt tempore in Concilio I. Generali Nicæno probata fuit. Idē quoque plures damnavit hæreſes duabus Synodis Romæ coactis: circa quas conſule Labbeum ad annum Chriſti 197. aut circiter. Atque inter alios plures hæreticos anathemate iuſſit Theodotum Biſantinum Coriarium, qui innovata hæreſi Cerinthi & Ebionis, poſt plures alias inſanias, Chriſti humanitatem negavit: ſimiliterque alterum Theodotum, qui ex argentario ſeu trapezita ſubitò Doctor & Hæreſiarcha evaſit, ac Chriſtum hominem inferiorem Melchiſedecho effutivit: de quibus vide Theodoretum lib. 2. Hæretic. fabul. & Euſebium lib. 5. Hiſtor. cap. 17.

14 Suffragantur quoque ex ſacris Scriptoribus ſæculi eiuſdem nonnulli: atque imprimis S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. vbi ad refellendum Gnoſticos, iis opponit Traditionem, ſucceſſionemque Apoſtolicam, & auctoritatem Romanæ Sedis, ad quam conſulendam, tanquam omnium primam, &

ſęc.

reliquarum Caput, debeant omnes aliæ Eccleſiæ, id eſt, omnes fideles totius Orbis, convenire: veluti in qua conſervatæ fuerint Apoſtolicæ Traditiones. Verba præcipua ſunt: *Sed quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſsiones, maximæ, & antiquiſsimæ, & omnibus cognitæ a glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſsiones Epiſcoporum pervenientem vſque ad nos, indicãtes confundimus omnes eos, qui quoque modo; vel per ſui placentiam malam; vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam; hoc eſt, eos qui ſunt vndique Fideles; in qua ſemper ab ijs qui ſunt vndique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Traditio. Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in ijs quæ ſunt ad Thimotheum Epiſtolis meminit. Succedit autem ei Anacletus* (id eſt Cletus) *poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis, cum adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum, & Traditionem ante oculos haberet. Non ſolus enim: adhuc multi ſupererãt tunc ab Apoſtolis docti. Sub hoc igitur Clemente, diſſenſione non modica inter eos qui Corinthi eſſent fratres facta; ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia, potentiſsimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntiãs quam in recenti ab Apoſtolis receperant Traditionem.* Ea verò conſultatio Eccleſiæ Romanæ, ſeu Pontificum ipſius, veluti omnium primæ, ac ſupremæ, & ſeruantis incorruptam fidem, atque Apoſtolicas Traditiones per ſeriẽ continuatam Succeſſorum S. Petri, fruſtranea eſſet, niſi Sedes ipſa Apoſtolica, ſive Romanus Pontifex, haberet auctoritatem magiſterij infallibilis, ſeu clavem ſcientiæ ad docendum Chriſtianos omnes quæcumque ſpectant ad fidem & mores. Vide prætereà eundem Irenæum lib. 4. cap. 43. & quoddam ipſius fragmentum Græcum apud Euſebium Cæſarienſem lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 19. verbis illis: *ταῦτα τὰ δόγματα Φλωρῖνε*, &c.

16 Tertullianus quoque, qui ad finem eiuſdem ſecundi ſæculi iam florebat, ſatis indicat magiſterium S. Petri, & ſubinde Succeſſorum eius, in totam Eccleſiam, libr. de Præſcriptionibus cap. 15. 19. 20. 21. 32. & 36. vbi de Romana inquit: *Si Italiæ adiaces, habeo Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Statu felix Eccleſia, CVI TOTAM DOCTRINAM APOSTOLI CVM SVO SANGVINE PROFVDERVNT, vbi Petrus paſsioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneũ demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. VIDEAMVS, QVID DIXERIT, QVID DOCVERIT.* Itaque vt doctrinam fidei ſuæ veram & incorruptam probet, illam examinat ad Lydium lapidem Romanæ Eccleſiæ, in quam Petrus & Paulus Apoſtoli vnà cum ſanguine totam doctrinam à Chriſto hauſtam profuderunt. Quo planè agnoſcit in Romanis Pontificibus, Petri Succeſſoribus, eandem doctrinam & fidem, ad cuius normã exigi debeat quidquid intra Chriſtianam Religionem traditur. Deinde libro de Pudicitia cap. 1. loquens de Zephyrino Pontifice Romano ait: *Audio Romæ Edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicet Maximus, qui eſt Epiſcoporum, edicit: EGO ET MOECHIAE ET FORNICATIONIS DELICTA POENITENTIA FVNCTIS DIMITTO.* Lege eundem lib. de Corona militis cap. 3. Et hæc quidem ille, dum Catholicus eſſet.

17 Deniquè circa finem eiuſdem ſeculi ſecundi celebratum fuit Concilium Cæſarienſe in Palæſtina, quod *primum poſt Apoſtolorum tempora* appellat noſter Genebrardus in Chronico ad finem ſæculi ſecūdi pagina 388. editionis Lugdunenſis anni 1599. iuxta editionem verò Labbeanam Conciliorum dicitur Palæſtinum, & collocatur anno Chriſti 197. Porrò in eo præfuerunt, auctoritate accepta à S. Victore Papa & Martyre, tunc cathedram S. Petri regente, Theophilus Cæſareæ, & Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus, vt obſervat Baronius ad annum 198. ex Beda in Commentario de Æquinoctio Vernali. Similiter ex conſenſu eiuſdem S. Victoris Papæ celebrata fuerunt adverſus Quartadecimanos Concilia alia, tum Romæ, tum in Ponto à Palma Epiſcopo, tum à S. Irenæo in Gallia, tum in Græcia à Braſillo Corinthio, tum denique alijs locis, vt legere eſt apud Euſebium lib. 5. Hiſtor. cap. 22. & 23. & Baronium allegatum. quaſi Patres in ijs Synodis congregati teſtarentur, nullum Concilium ritè congregari poſſe, nullam definitionem firmam edi circa doctrinam fidei, ſine aucto-

auctoritate Pontificis Romani, qui ſolus eiuſmodi controverſias finire poteſt. quod poſtea in plurimis alijs Concilijs palam declaratum fuit, vt ſuo loco dicemus.

SECTIO TERTIA.

Probatio tertia ex definitionibus Romanorum Pontificum, & teſtimonijs Patrum tertij ſæculi, contra hæreſes tunc exortas, nullo ad eas damnandas Concilio Generali coacto.

18 SÆCVLVM Tertium præcipuè infelix reddidere lapſus miſeri duorum Virorum in Eccleſia illuſtrium, Tertulliani & Origenis. quorum inſperata mutatio à Fide Catholica in hæreſim, ab inſigni doctrina in apertos & pene adipales errores, à pietate eximia in impietatem, vix ſine lacrymis legi, vix ſine metu in memoriam redigi poteſt: vt hic præcipuè locum habeat illud Apoſtoli: *Qui ſtat, videat ne cadat.* quódque in Soliloquijs S. Auguſtino adſcriptis cap. 29. legitur: *Vidimus enim multos, Domine, & audiuimus a Patribus noſtris (quod vtique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor) aſcendiſſe primitus quodammodo vſque ad cœlos, & inter ſydera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodum autem cecidiſſe vſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe, ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos qui iacebant in puluere terræ à facie ſubleuantis manus tuæ, Domine, mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte ſurgentes: & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe. Vidimus lucem obtenebraſſe, & de tenebris lucem proceſsiſſe: quia publicani, & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum; filij autem regni eijciuntur in tenebras exteriores. Quare autem iſta omnia, niſi quia in montem illum aſcenderunt, in quem primus aſcendit Angelus, & deſcendit diabolus?* Neque enim aliunde videtur oriri potuiſſe adeò miſerabilis caſus tantorum Virorum. Tertullianus itaque in provecta iam ætate, initio ferè tertij ſæculi Montano Hæreſiarchæ adhæſit, quem libro de Præſcriptionibus refutaverat: & plurimos errores docuit, in eius libris reliquis extantes: quos ex varijs locis compilarunt poſt Veteres Prateolus v. *Tertullianiſtæ*, Baronius ad annum 197. à num. 19. Caſtro v. *Anima*, & Salelles Regula 228 Porrò hæreſim Montani damnavit Pontifex Romanus S. Victor I. de quo conqueritur idem Tertullianus, iam hęreticus factus & Montani ſequax, lib. adverſus Praxeam cap. 1. & libro de fuga in perſecutione, vbi audet appellare Victorem Papam in pace leonem, in prælio cervum. Vide Pamelium ibidem, & Baronium ad annum 201. Similiter S. Zephyrinus Papa Victoris Succeſſor, omnes Pſeudo-prophetæ Montani defenſores, & ipſum Tertullianum, anathemate inuſsit: vt teſtatur Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 14. cui ſententiæ varia poſtea Concilia ſubſcripſerunt. Itaque cõtroverſia illa circa fidem mota inter Montanum Tertullianumque ex vna parte, & orthodoxos ex alia, iudicio Sedis Apoſtolicæ terminata fuit: cui cùm non acquieſceret Tertullianus, ab eo tempore hæreticus haberi cœpit. Poſtea verò ipſam Montani ſectam repudiavit, & novam aliam invexit de nullitate cuiuslibet Baptiſmi extra veram Eccleſiam collati.

19 Ex hoc errore Tertulliani anſam deſumpſit Agrippinus Carthaginenſis ad rebaptizandum illos, qui ab hæreticis baptizati fuerant. quem errorem quicumque amplexi ſunt, novę Rebaptizantium ſectæ nomen dederunt: & pro eo ſtabiliendo coacta fuit Synodus Africana ab eodem Agrippino, memorata à S. Cypriano Epiſtola 71. qui aliquandiu in eo errore fuit bona fide, & ſine pertinacia. Sed poſtea abiecit eam opinionẽ, vt teſtatur S. Auguſtinus Epiſt. 48. quæ eſt ad Vincentium. Verùm Synodus ipſa Africana à S. Zephyrino Romano Pontifice damnata fuit & ab ipſius Succeſſoribus poſtea, præſertim à S. Stephano Papa, qui opinionem illam veluti hæreticam proſcripſit, toto Orbe Chriſtiano applaudente, & ſubſcribentibus quampluri-mis Epiſcoporum Africanorum, qui olim illam docuerant. De quo illuſtre teſtimonium, præter plura alia, extat apud Vicentium Lirinenſem in Commonitorio contra profanas novitates hæreticorum. Nimirum ad vocem illam Pontificiam S. Stephani Papæ, *NIHIL INNOVANDVM, NISI QVOD TRADITVM EST*, ſtatim depoſuit opinionem contrariam S. Cyprianus, & S. Dionyſius Alexandrinus, alijque pietate & doctrina inſignes Epiſcopi eius ſęculi: quoniam perſpectum habebant, vocem Papæ in ijs controverſijs eſſe vocem ipſius Chriſti. Idem Zephyrinus Epiſt. prima Decretali docet ac probat ex ſacris litteris, atque ex traditione Apoſtolica & Eccleſiaſtica, tum iudicia Epiſcoporum, tum maiores quaſcumque cauſas (quales profectò ſunt, quæ verſantur in doctrina fidei & morum) ad Sedem Apoſtoli-cam

eam ſpectare, & ab ea terminari debere. *Finis vero eius cauſæ*, inquit, *ad Sedem Apoſtolicam deferatur, VT IBIDEM TERMINETVR. Nec antè finiatur, ſicut ab Apoſtolis vel Succeſſoribus eorum ſtatutum eſt, quàm eius auctoritate fulciatur.* Ac pauld pòſt ſubdit: *Iudicia enim Epiſcoporum, maioreſque Eccleſiæ cauſæ a Sede Apoſtolica, & non ab alia, ſicut Apoſtoli, & ſancti Succeſſores eorum ſtatuerunt cũ alijs Epiſcopis, ſunt terminandæ: quia licet in alios transferantur Epiſcopos, beato tamen Apoſtolo Petro dictum eſt: Quæcũque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, & reliqua privilegia quæ ſoli huic ſanctæ Sedi conceſſa ſunt, & in conſtitutis Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum, alijſque compluribus cum eis concinentibus, habentur inſerta.* Itaque inter plura alia privilegia ſoli Sedi Apoſtolicæ conceſſa à Chriſto à Domino, vnum eſt, vt per eam finiantur omnes maiores cauſæ. Ideoque Zephyrinus ipſe, & eius Succeſſores Pontifices Romani, opinionem rebaptizantium maturè examinatam damnarunt & reiecerunt veluti hæreticam, quamvis nullo ad id Concilio Oecumenico convocato. Noverant enim, omnium Eccleſiarum Magiſtram eſſe Romanam Eccleſiam, quam reliquæ ſequi debeant, tanquam membra caput, abſque deviatione vlla ab eius doctrina. Vnde S. Callixtus Papa, qui immediatè Zephyrino ſucceſsit anno 219. in Epiſtol. Decretali ad Benedictum Epiſcopum inquit: *Non decet enim à capite membra diſsidere; ſed, iuxta Scripturæ ſacræ teſtimonium, omnia membra caput ſequantur. NVLLI VERO DVBIVM EST QVOD APOSTOLICA ECCLESIA MATER SIT OMNIVM ECCLESIARVM, A CVIVS VOS REGVLIS NVLLATENVS CONVENIT DEVIARE. Et ſicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris: ſic & vos veſtræ voluntatem impleatis Matris, quæ eſt Eccleſia: cuius caput (vt prædictum eſt) Romana exiſtit Eccleſia. Quidquid ergo ſine diſcretione iuſtitiæ contra huius diſciplinam actum fuerit, ratum haberi nulla ratio permittit.* Vide aliam Epiſtolam eiuſdem S. Callixti Papæ ad Galliarum Epiſcopos, ſuprà memoratam Diſp. V. n. 4.

20 Deinde eodem ſæculo mos Eccleſiæ fuit, vt Hæreſiarchæ pœnitentes ſe ſiſterent coram Romano Pontifice, tanquam Eccleſiæ Capite, & Supremo cauſarum fidei Iudice, abſolutionem accepturi: ideoque Natalius, olim Confeſſor, ſed deinde pecunia corruptus, & factus Theodotianorum Epiſcopus; tandem reſipiſcens, cilicio & ſacco indutus, ac cinere coopertus, ad laudati Zephyrini Papæ pedes proſtratus, ſceleris ſui veniam petijt, teſte Euſebio lib. 5. Hiſt. cap. 27.

21 Origenes ſimiliter poſt tot illuſtria fidei ac doctrinæ ſuæ teſtimonia edita, poſt tot Martyres exhortationibus ſuis in cœlum præmiſſos, poſt tam ardens deſiderium fundendi ſanguinem pro Chriſto, cum planctu totius Eccleſiæ cecidiſſe creditur in varias ac probroſas hæreſes, quidquid aliqui ipſum olim hodieque ab ijs eximere aut purgare voluerint: quos ex profeſſo impugnavit S. Hieronymus in Apolog. lib. 2. ac Vincentius Lirinenſis lib. contra hæreſes cap. 23. atque ex Recentioribus Baronius ad annum 232. Petavius, & alij plures. Sanè tempore S. Vrbani Papæ (qui electus fuit anno Chriſti 226. iuxta Binium, iuxta Labbeum autem 224.) Demetrius Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus iure merito conqueſtus fuit, Originem ſpontaneum Eunuchum ab Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo ordinatum fuiſſe contra Canones Apoſtolorum id prohibentes: illumque decrevit gradu Presbyterij deijciendum; ac tandem poſtea excommunicavit, quòd in eius ſcriptis aliquot hęreſes extarent, quas tamen ille ſibi ab alijs ſuppoſitas reſpondebat. Hæreſes autem in eius ſcriptis contentæ, à Pontificibus Romanis damnatæ fuerunt, quãvis nulla Synodo Oecumenica ad id coacta; præſertim ab Anaſtaſio Papa: vt teſtatur Hieronymus Epiſt. 71. ad Theophilum, & Epiſt. 78. ad Pammachium, & Apolog. 1. ac 2. ad Ruffinum. Ideoque ipſe Romam venit imperante Philippo (quod teſtatur Porphyrius in vita Plotini, cũ quo & congreſſum fuiſſe Originem ait) quoniam S. Fabianus Papa illum vocavit ad cauſam dicendam: ſive, quod alijs placet, cùm non admiſiſſet profeſsionem fidei ſcripto datam ab Origene, ipſe ſponte ſua Romam ſe contulit vt purgaret notam hæreſis: quoniam omnibus, tum Græcis, tum Latinis, perſuaſum erat, vltimum iudicium cauſarum maiorum, præſertim doctrinæ circa fidẽ & mores, eſſe proprium Sedis Apoſtolicæ, ſeu Pontificis Romani, ſive cogeret Synodum, ſive non.

22 Idem S. Fabianus Papa initiò ferè ſui Pontificatus damnavit hæreſim Helciſatarum, Valeſiorum, aliorumque, qui animę immmortalitatem negabant. Quod verò in eius Epiſt. 1. Decretali legitur de damnatione Novati, qui erroribus ſuis Novatianum & quoſdam alios Chriſti Confeſſores ſeparaverit ab Eccleſia, additum fuit ab aliquo ſciolo:

vt

vt obſervat Binius ibidem poſt Baronium ad annum 238. Qui enim hæreſim Novati & Novatianorum damnavit, fuit S. Cornelius Papa & Martyr, anno 252. aut 253. idque non in aliquo Generali Concilio, ſed Romano: in quo Novatianus eiuſque fautores lapſis pœnitentiam & reconciliationem denegantes, tanquam hæretici, anathemate perculſi fuerunt.

23 Mitto plures alios Hæreſiarchas & hæreticos eiuſdem tertij ſeculi à Sede Apoſtolica, ſive à Romanis Pontificibus damnatos: quales fuere Arabici, Agrippianiſtæ, Sampſæi, Metangiſmonitæ, Cathari, Hydroparaſtitæ, ſive Aquarij, Noetiani, Sabelliani, Paulianiſtæ, Millenarij, & Manichæi, alijque plures: quorum meminere laudati Scriptores ſacri. Omnium enim illorum errores proſcripti fuerunt à Sede Apoſtolica abſque vllo Concilio Oecumenico, & ſæpe abſque Provinciali, aut Nationali. Vide Acta Pontificum Romanorum S. Cornelij, S. Lucij I. S. Stephani I. S. Sixti Secundi, S. Dionyſij, S. Felicis Primi, S. Eutychiani, S. Caij, & S. Marcellini, quo Eccleſiam regente finitum fuit ſæculum tertium. Nequeo tamẽ non indicare obiter, tempore laudati S. Dionyſij Papę coactam fuiſſe duplicem Synodum Antiochenam, atque in priore earum, cui inter alios Patres adfuere Sanct. Gregorius Thaumaturgus, & Athenodorus eius frater, damnata fuiſſe impia dogmata Pauli Samoſateni Antiochiæ Præſulis: cuius damnationis ijdem Patres ſtatim certiorem reddiderunt Dionyſium Pontificem Romanum; qui ipſorum ſententiam confirmavit in Concilio Romæ celebrato. Cùm verò ille à Synodo dãnatus domo Epiſcopali exire nollet, interpellatus fuit Aurelianus Imperator, qui, Ethnicus licèt, benignum ſe gerebat erga Chriſtianos. Is verò reſpondit & ſanxit, vt fieret quod Romanus Põtifex cum Italiæ Sacerdotibus faciendum exiſtimaret: quoniam notum habebat, in rebus Chriſtianæ fidei definiendis ſummam eſſe auctoritatem Romani Pontificis, & longè maiorem, quàm toti Synodo Antiochenæ, in qua primùm damnati fuerant errores Pauli.

24 Eodem ſæculo Epiſcopos & fideles vbique terrarum exiſtentes conſuluiſſe frequenter Põtifices Romanos in dubijs, præſertim circa fidem, mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam, atque ipſorum definitionibus & decretis acquieviſſe, conſtat ex ipſorum Pontificum Reſcriptis: præſertim S. Antheri in Epiſtola ad Epiſcopos provinciarum Bæticæ & Toletanę, S. Fabiani Epiſtol. 2. ad omnes Orientis Epiſcopos, S. Lucij ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ, & S. Sixti II. Epiſt. 1. ad Gratum, vbi de Apoſtolica Romanorum Pontificum Sede inquit: *Cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſa & Epiſcoporum iudicia, antiqua Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, atque canonum authoritas reſervavit; quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam eiuſdem Sedis Papæ fieri placuerit.* Similiter S. Dionyſius Papa Epiſtol. 2. ad Severum, & S. Felix I. initio Epiſtol. ad Benignum: vbi docet, Romanorum Pontificum non ſolùm eſſe; vt magnis negotijs Eccleſiæ terminum imponant, ſed etiam vt occurrentes circa fidem quæſtiones dirimant. Ait enim: *Suſcipientes fraternitatis tuæ epiſtolas, quibus me requiſiſti ſuper fidei documentis, quæ ab alijs habebantur aliter, quam rectæ fidei contineant ſacramenta, prout Dominus dedit; pro fraternitatis amore reſpondere non reſultavimus. Semper enim dubia, & maiora negotia terminum ab hac ſancta Sede, à tempore Apoſtolorum, qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, accipere conſueverunt. Et ideo tu rectè feciſti, qui huius ſanctæ Sedis conſultis te, cæteroſque firmari & inſtrui voluiſti.* Porrò dubia & majora negotia non acciperent terminum à Sede Apoſtolica, Pontificis Romani, ſi huius definitiones & ſententiæ, non eſſent prorſus irreformabiles, præſertim in doctrina fidei & morum, quæ dubiorum & negotiorum maioris momenti nomine comprehenduntur.

25 Idipſum ſæpe ſignificat S. Cyprianus, eiuſdem ſæculi ſcriptor & clariſsimum lumen, varijs locis, præſertim verò Epiſtol. 55. ad Cornelium Papam: vbi & agnoſcit viſibilem Eccleſiæ Monarchiam, & Romanum Pontificem Chriſti Vicarium, & Eccleſiam Romanam nominat *Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt.* Indéque criminatur Schiſmaticos, quòd pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, auderent litteras ferre ad Romanos, *ad quos perfidia habere non poteſt acceſſum.* Quibus planè docet, Romanam Eccleſiam, ſive Cathedram S. Petri, cui præeſt Chriſti Vicarius, nullatenus in fide errare poſſe: ideoque fruſtra ſchiſmaticos & hæreticos ab ea quærere præſidium. Huc etiam ſpectat quòd Epiſtol. 45. ad eundem Cornelium Romanam ipſam Eccleſiam dixerat, *ECCLESIAE CATHOLICAE MATRICEM ET RADICEM.* Si autem Eccleſiæ Catholicæ Matrix & Radix errare in ſuis definitionibus poſſet, idem quoque poſſet contingere Catholicæ Eccleſiæ ex ipſa profluenti. quod dictu impium eſt. Inſuper Epiſtol. 67. ad Ste-

phanum Papam, ad ipſius tribunal compellat Marcianum Epiſcopum Arelatenſem, quòd Novatiani hæreſim imbibiſſet, vt à dignitate Epiſcopali deponatur. Id autem non faceret Cyprianus, niſi perſpectum haberet, vltimum ac ſupremum iudicium in cauſis quibuslibet fidei ſpectare ad Romanum Pontificem.

26 Eandem Romanæ Eccleſiæ firmitatem & infallibilitatem in doctrina fidei colligunt alij Patres eiuſdem ſæculi ex promiſsionibus Chriſti Petro factis, & ſubinde ipſius Succeſſoribus: præſertim Euſebius Alexandrinus Homilia de Reſurrectione apud Coccium libr. de Summo Pontifice art. 4. & S. Zeno Veronenſis Serm. de Circuncisione poſt medium.

SECTIO QVARTA.

Probatio vlterior ex damnatione præcipuarum hæreſeon quarti ſæculi à Romanis Pontificibus prolata, aut ſine Oecumenico Concilio, aut priuſquam illud congregaretur.

27 SÆCVLO Quarto variæ & pernicioſiſsimæ hæreſes extiterunt, præſertim Arianorum & Pneumatomachorum: quorum illi Filio Dei, iſti Spiritui ſancto ſolidam divinitatem eripiebant, & de vnoquoque eorum negabant eſſe homouſion Patri. Circa vtrorumque errorem plurima obſervavimus Tomo II. præſertim Diſp. LV. & LVI. nec repetere opus eſt: præſertim cùm eæ hæreſes damnatæ fuerint eodem ſeculo in duobus prioribus Concilijs Generalibus, ſive Oecumenicis: prior quidem in Nicæno anno Chriſti 325. poſterior verò in Conſtantinopolitano I. anno 381. Nunc autem non diſſerimus de hęreſibus damnatis in Concilio aliquo Oecumenico, ſed de ijs tantùm, quas Pōtifices Romani extra illud proſcripſerunt, tota Eccleſia acquieſcente definitionibus ipſorū, veluti fidei regulis prorſus infallibilibus.

28 Imprimis initio ferè eiuſdem ſeculi quarti damnati fuerunt Donatiſtæ primū in Synodo Romana à S. Melchiade Papa: vti poſt Auguſtinum in Brevic. Collat. cap. 18. obſervant Sanderus lib. 7. de viſibili Monarch. hęreſ. 55. & Baronius ad annum Chriſti 313. Ab eo autem tempore in Eccleſia acquieverūt omnes Catholici Pontificię damnationi, licèt Donatiſtę ab ea appellaverint Imperatorē Romanū, omnino pręter ius & fas, vt ijdē Scriptores obſervāt. Mos quippe & nota propria hęreticorū aut ſchiſmaticorum dumtaxat fuit à Pontificijs definitionibus & ſententijs cōpellare ad futurū Generale Concilium, & nonnū-quā ad Imperatores: vt alibi latiùs oſtēdemus.

29 Porrò plurimæ & variæ fuerunt Donatiſtarū hæreſes, & eorum qui ex ijs orti novas ſectas cuderunt: quales fuere Aſſuritani, Circumcelliones, Rogatiſtę, Parmenianiſtę, & alia id genus monſtra: de quorum omniū erroribus legendus Auguſtinus latè cōtra eos diſſerens, & Hęreſi 69. & Epiſt. 48. ad Vincentiū, Prateolus & Caſtro verbo *Donatiſtæ*, Baronius ad annos 303. & 306. & 309. & 313. & 331. & 394. Quamvis uero eæ hęreſes Donatiſtarum tot & tam immanes fuerint, in neutro ex duobus ijs Oecumenicis Cōcilijs eiuſdem quarti ſæculi damnatæ inveniuntur: ſed à Romanis Pontificibus, qui tunc Eccleſiam regebant, proſcriptę fuerunt; acquieſcente ipſorum definitionibus toto Orthodoxo cœtu, & fruſtra reluctantibus ijſdem Donatiſtis, tam eius quarti ſæculi, quàm quinti ſequētis, in quo etiam plurimùm tumultuarunt, nec parum negotij faceſsivere S. Auguſtino, qui tandem de ijs triumphum ampliſsimum reportavit. Firmum itaque erat ijs ſeculis apud Orthodoxos, definitiones Romanorum Pontificum in cauſis maioribus, præſertim ad fidem ſpectātibus, eſſe irreformabiles, ſive vltimò terminari à Sede Apoſtolica, etiam extra Oecumenicum Concilium. Quod diſertè docuerant Romani Pontifices trium ſæculorum præcedentium in ſuperioribus allegati, & in hoc quarto ipſe S. Melchiades Papa, qui Donatiſtas damnavit. Etenim in vnica Epiſtola eius Decretali, quæ extat ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, à quibus conſultus fuerat circa doctrinam Sacramentorum (quæ profectò ad fidem ſpectat) inter alia, hæc habet: *Epiſcopos nolite iudicare, nolite condemnare abſque Sedis huius authoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim priuilegium huic ſanctæ Sedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſervare, quod illæſum manet vſque in hodiernū diem. Epiſcopos ergo, quos ſibi Dominus tanquā oculos elegit, & columnas Eccleſiæ eſſe voluit, quibus etiam ligandi, & ſoluendi dedit poteſtatē, ſuo iudicio reſervavit, hocque privilegium beato clavigero Petro ſua vice ſolummodo commiſsit. Quod eius iuſtè prærogatiuum ſuccreſcit Sedi, futuris hæreditandum, atque tenendum temporibus, quoniam & inter beatos Apoſtolos fuit quædā diſcretio poteſtatis. Et licèt cunctorum par electio foret, beato tamen Petro conceſſum eſt, vt alijs præemineret, eorumque, quæ ad querelam venirent, cauſas & interrogationes prudenter diſponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum eſſe credimus, ne omnes poſterorum cuncta ſibi vindicarent,*

ſed

ſed ſemper MAIORES CAVSÆ, ſicut ſunt Epiſcoporum & POTIORVM CVRÆ NEGOTIORVM ad vnã beati principis Apoſtolorum Petri Sedem confluerent:, vt inde ſuſcipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium inſtitutionum, ne quandoque à ſuo diſcreparent capite. Hactenus ille: in quibus teſtatur, ſoli Petro inter Apoſtolos, & ſolis Succeſſoribus eius in Apoſtolica Sede, commiſſam fuiſſe à Chriſto auctoritatem ad terminandas, ſive tandem finiẽdas maiores cauſas, & potiorum curas negotiorum, quales profectò ſunt quæ impenduntur in dirimẽdas quæſtiones fidei, & Epiſcopos iudicandos.

30 Deinde cùm Donatiſtæ appellaſſent ad Imperatorem Conſtantinum, iſque execratus appellationem eiuſmodi, cenſuiſſet cauſam dirimi debere à Romano Pontifice Melchiade, additis quibuſdam Epiſcopis Catholicis ad illam maturiùs expendendam; Melchiades cõtra Donatum & ſequaces ſententiam dixit in eo Concilio Romæ habito, cuius ſuprà meminimus. Nec verò ij propterea cauſa excidendã exiſtimarunt, ſed iterum Romani Pontificis ſententiam recuſantes compellarunt ad tribunal Conſtantini. Hic verò id indignè ferens, ſcripſit Epiſtolam ad Epiſcopos, quæ extat in Appendice ad Optatum Millevitanum editionis Pariſienſis, & apud Binium in Actis ſub Melchiade Papa: in qua Imperator ipſe, præter plura alia obſervatu digna, ſic invehitur contra appellantes à ſententia Melchiadis & reliquorum Epiſcoporũ Synodi Romanæ: *Quoties à me iã ipſo improbiſsimis additionibus ſuis ſunt condigna reſponſione oppreſsi? Qui vtique ſi hoc ante oculos habere voluiſſent, minimè hoc ipſum interpoſuiſſent. Meum iudicium poſtulant, qui ipſe iudiciũ Chriſti expecto. Dico enim (vt ſe veritas habet) Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicet: Nihil enim licet his aliud ſẽtire, vel aliud iudicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti.* Vides qualiter Imperator ille, quamvis nondum Baptiſmo initiatus, nec ſatis in fide Chriſtiana inſtructus, indignaretur adverſus detrectantes iudicium Romani Pontificis, quamvis ſolùm in Synodo peculiari latum; & certum haberet, vocem illam Sacerdotum eſſe quaſi vocem Chriſti.

31 Eodem ſæculo, anno 314. id eſt, Imperij Conſtantini nono, & Pontificatus S. Silveſtri primo (vt probat Binius, poſt Baroniũ) celebratum fuit Concilium Arelatenſe, eiuſdẽ Pontificis conſenſu, & hortatu ipſius Conſtãtini, adverſus prædictos Donatiſtas, adhuc tumultuantes, & ſchiſmaticos. Interfuere Legati Sedis Apoſtolicæ Claudianus & Avitus Præſbyteri, Eugenius & Quiriacus Diaconi. Patres verò congregati, id eſt, Epiſcopi ex vniverſa Gallia, Hiſpania, Britannia, Hibernia, Italia, Sicilia, & Africa: non quidem numero ſexcenti, vt ſcripſit Ado in Chronico, ſed ducenti dumtaxat, omnia Acta eiuſdem Synodi examinanda & probanda miſſerunt ad Sylveſtrũ Papam. Quod abundè teſtatur Epiſtola ipſa Synodalis inſcripta *Dilectiſsimo Papæ Sylveſtro*, quã ex Bibliotheca Petri Pithœi deſumptam integrè edidit Binius in Notis ad eãdem Synodum pag. 270. editionis Pariſienſis Morellianæ anni 1636. qua vtimur. Nimirum, certum & exploratum erat ijs Patribus, nullius Concilij Acta, canones, vel definitiones, auctoritatem ſolidam aut firmitatem habere, niſi probentur à Romano Põtifice, eiuſque auctoritate ſuprema confirmentur. Meminit eiuſdem Concilij S. Auguſtinus lib. 1. contra Epiſtol. Parmeniani, cap. 6.

32 Præterea. Annò eiuſdem ſæculi 319. Sylveſtri Papæ ſexto, & Conſtantini Imperatoris quarto decimo, celebratum fuit Alexandriæ in Ægypto Concilium, quod S. Athanaſius Apologia ſecunda appellat Generale: quoniã licèt ſolùm interfuerint Epiſcopi ad Primatum Alexandrinum ſpectantes, adfuit Oſius Cordubenſis Epiſcopus, tanquam Legatus Romani Pontificis, & in eo præſedit. Porrò licèt illius Acta temporum iniuria perierint, ſatis conſtat ex laudato Athanaſio, & Socrate lib. 3. cap. 5. in ea Synodo exagitatam & iudicatam fuiſſe cauſam atque impiam doctrinam Sabellij & Arij circa myſterium Trinitatis, necnõ & ſchiſma Meletianorum ac Colluthianorum; præſertim verò Sabellianam hæreſim ab Alexandrina Eccleſia fuiſſe exploſam. Lege Baronium ad eundem annum 319. num. 22. & ſeqq. Indidem verò conſtat etiam apud Ægypti Epiſcopos indubitatã fuiſſe ſupremam Pontificis auctoritatem ad dirimendum controverſias fidei: ſiquidem ad eas examinandas & decidendas in Concilio Alexandrino nullatenus acceſſerunt, niſi præeunte Legato Pontificis Romani.

33 Anno 324. (non verò 325. vt incertus Epilogi auctor cenſuit) coacta fuit Synodus ab eodem S. Silveſtro Papa cum ducentis octoginta quatuor Epiſcopis; non quidem Oecumenica, ſed Romana: in qua Pontifex, toto cœtu approbante, damnavit iterum hæreſes Valentini & Sabellij, ac præterea quoſdam ex Clero, qui ſe eiſdem erroribus conſpurcaverant. Quod verò ibidem nihil definiatur circa hæreſim Arij iam antè ortam, id in cauſa eſſe poteſt, quòd anno 325. immediatè ſequenti congregandum eſſet ab eodem Pontifice, & im-

Imperatore Conſtantino, adverſus illam Concilium Oecumenicum Primum apud Nicæam Bithyniæ vrbem: de quo ſtatim.

34 Itaque anno 325. coacta fuit Prima Synodus Vniverſalis, ſive Oecumenica, Nicæę in Bithynia, præſente Imperatore Conſtantino: cui interfuere trecenti decem & octo Patres, & in ijs tres Patriarchæ, nimirum, Alexander Patriarcha Alexandrinus, Euſtathius Antiochenus, & Macarius Hieroſolymitanus. Præterea in ijs erant plurimi ſanctiſsimi Præſules, poſtea Beatorum Faſtis adſcripti: vt Nicolaus Myræ in Lycia Epiſcopus, innumeris miraculis iam tum celeberrimus; Iacobus Niſibis in Meſopotamia, qui mortuos in vitā revocaverat; Potamon Heracleæ Ægypti, Spiridion Trimithuntis Cypri, quibus ob confeſſionem fidei in perſecutione Maximini alter oculus fuerat effoſus; Paulus Neocæſareæ Euphrateſiæ, olim ſub Licinio in odium fidei cādentibus laminis aduſtus; Alexander Conſtātinopolitanus, Catholicę religionis tenaciſsimus, ad cuius preces Arius longè poſtea ſubitò correptus graveolentem efflavit animā, & alij cum S. Athanaſio, tunc ſolùm Diacono. Omnibus autem ijs, etiam Patriarchis tribus initio nominatis, præſederunt Legati Pontificis Romani: nimirum, Oſius Cordubæ Epiſcopus, & Victor ac Vincentius Præsbyteri: qui proinde totidem prima ſubſellia occuparunt, & primi ſubſcripſere poſtea Actis eiuſdē Concilij. Quod ſimiliter ſervatum fuit (vt hoc obiter dixerimus) in Concilijs ſequentibus. Nam in Sardicenſi, quod fuit veluti appendix Nicæni, præſedit Oſius idem Cordubenſis nomine Sylveſtri Papæ, ſimul cū Vincentio Capuano, & Calepodio Neapolitano Epiſcopo: poſt quos tres Legatos ſubſcripſit S. Athanaſius, quamvis eſſet Patriarcha Alexandrinus. In Secunda Synodo Generali, id eſt, Conſtantinopolitana I. anno 381 non interfuere Legati S. Damaſi Papæ, quoniam ipſe eodem tēpore celebrabat aliud Concilium Epiſcoporū Occidentis circa eandem materiam quæ à Patribus Orientis Conſtantinopoli tractabatur: & pręterea hi erant animis ac fide coniuncti cū S. Damaſo Papa: vt conſtat ex mutuis Epiſtolis Damaſi ad Concilium C P. & Concilij ad Damaſum, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. & 10. Idipſum apparebit ex Concilijs ſequentium ſæculorum: vt poſtea docebimus. Exinde verò patet, auctoritatem Romani Pontificis in dirimēdis fidei controverſijs toto eo quarto ſæculo, ſicuti & in alijs tribus præcedentibus, ſupremā ſemper & infallibilem habitam fuiſſe in Eccleſia: quoniam definitionibus Sedis Apoſtolicæ extra Concilium latis fides explorata ab omnibus habebatur; & nullum Concilium, ne generale quidem, ad eas definiendas accedebat, niſi ex conſenſu Romani Pontificis, aut etiam præſentibus & toti Synodo præſidentibus ipſius Legatis.

35 Hæreſis Pneumatomachorum, ſeu negantium ſolidam Diuinitatem Spiritus ſancti, decurſu eiuſdem ſæculi excitata ab Apollinari, Macedonio, & alijs, damnata primùm fuit extra omne Oecumenicū Concilium à S. Damaſo Papa anno 373. in Concilio III. Romano: ſicuti & ab eodem Pontifice damnati fuerant anno 368. Vrſacius ac Valens Ariani; anno 369. Auxentius Mediolanenſis Epiſcopus, atque Vrſicinus, ille ob hęreſim Arianam, hic propter ſchiſma. Deinde apud Labbeanā editionem extat profeſsio Fidei, & Anathematiſmi contra hæreſes Apollinaris, Macedonij, Arij, Sabellij, Eunomij, & Photini, ex Epiſtola S. Damaſi ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum: in qua plures definitiones adverſus prædictos Pneumatomachos editæ, quamvis extra Oecumenicam Synodum, ab omnibus Catholicis pro certa & explorata fidei regula habitæ ſunt. quod ipſum paucis retro annis agnovit & profeſſus fuit palam Clerus Gallicanus in Epiſtola gratulatoria ad Innocentium X. referens eam S. Damaſi damnationem ſtatim à tota Eccleſia receptam. Vide infrà n. 50.

36 Dices: adhuc poſt damnatam hæreſim Pneumatomachorum à Damaſo, tum in Concilio III. Romano, tum in Profeſsione Fidei nuper laudata, congregatum fuit Concilium Secundum Generale Conſtantinopoli anno 381. in quo eadem cauſa tractata fuit, & ipſamet hæreſis denuo damnata. Ergo Patres congregati in eo Concilio Generali cenſuerunt, cauſam iam definitam à Pontifice Romano, iterum tractari poſſe in Synodo Oecumenica, ac proinde retractari ab ea, tanquam certiore fidei regula & ſuperiore.

37 Sed contrà. Quamvis enim Pontifex Romanus in definitionibus latis circa quæſtiones fidei, qualis erat illa de Divinitate Spiritus ſancti, ſit prorſus infallibilis; poteſt permittere, immò & conſulere, ac iubere, vt eadem controverſia tractetur iterum maiori cum ſolemnitate in Cōcilio aliquo Generali, quale erat illud Conſtantinopoli congregatū: vt ſic evidentiùs omni Eccleſiæ pateat, quàm vera & iuſta fuerit Apoſtolicæ Sedis ea de re ſententia. Quod ſæpè factum fuit à Romanis Pōtificibus, & nominatim à S. Melchiade Papa in cauſa Donatiſtarum, quam à ſe iam iudicatam permiſsit iterum tractari in Synodo Arelatenſi: ſimiliterque à S. Iulio I. qui cauſam Euſebianorum à ſe finitam indulſit retractari in Synodo Sardicenſi, vt obſervat Lupus in Scholijs ad Canonē tertium eius Synodi pag. 138.

38. Nihil itaque mirum ſi idem præſtitum fuerit à S. Damaſo, qui planè aſſenſum præſtitit, vt ea Synodus Conſtantinopoli cogeretur, in qua Patres Orientis id ipſum profiterētur, quod idem Damaſus Romę cum Patribus Occidentis definivit. Itaque exinde ne in ſpeciē quidem colligitur, aut Pontificem Romanum eſſe fallibilem in ſuis definitionibus, aut inferiorem Generali Concilio. Quod optimè & opportunè obſervavit Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis Epiſt. 1. ad ſuos in Græcia amicos, dicēs: *Non eo quod ſit maioris auctoritatis, & magis poſsit Generale Concilium, quàm Apoſtolica Sedes, Generalia congregantur Cōcilia: ſed quia incidentes quæſtiones difficiliores ſint, & maiori indigeant diſcuſſione.* Præterea cùm Damaſus ſolùm intra ſinum Eccleſiæ Latinæ aſſeruiſſet Divinitatem Spiritus ſancti, idque Latinis verbis, oportuit, vt ex conſenſu ipſius pariter exprimeretur apud Græcos in Oriente, atque in ipſa vrbe Regia Conſtantinopoli, totius Orientis præcipua.

38 Inſtabis: Quid ſi aliter ſtatuiſſent Patres apud Conſtantinopolim congregati? Reſpondeo, in ea hypotheſi abſdubio erraturos: quoniā Concilia Generalia, etiam ritè coacta, & ex conſenſu Romani Pontificis, dependent adhuc ab ipſius confirmatione, vt probabilior ſententia Theologorū docet, de qua ſuo loco. Quare ſi Conciliū eiuſmodi definiret aliquid contrarium decretis Romanorum Pontificū, præſertim in quæſtionibus fidei, & morū, palam erroris convinceretur. Nimirum ad Synodos ritè coactas, etiam Generales, non ſpectat examinare an veræ & certæ fuerint definitiones Sedis Apoſtolicæ in eiuſmodi controverſijs: ſed tantùm illuſtrare, & confirmare quæ iam ab ea tradita ſunt, ad maiorē iudicij eius infallibilis ſolemnitatem. Quare moris fuit in ſequentibus Concilijs Generalibus, vt Patres congregati acclamarent cōmuni voce & plauſu Romanis Pontificibus, quorum definitiones iam præceſſerant circa eaſdem controverſias. Sic Epheſina Synodus acclamavit Sancto Cæleſtino I. ſic Calchedonenſis S. Leoni Magno, ſic Sexta Synodus S. Agathoni Papæ. Quòd ſi verò res nondum definita fuit à Romanis Pōtificibus, tractatur quidem in Synodis eorum iuſſu coactis, & definitur; ſub venia tamen, & dependenter à conſenſu ipſorum, vt ad nutum Sedis Apoſtolicę ſtent aut cadant quæcumque ibidem decreta fuerint. Cæterum ſi iuxta aliorum opinionē loquamur, negantium Concilium Generale ritè coactum auctoritate Romani Pontificis errare poſſe, & aſſerentiū illi auctoritatem infallibilem independenter à confirmatione Pontificia vlteriore; neganda eſt hypotheſis clauſa in obiectione, aut interrogatione, veluti impoſsibilis: quemadmodum & neganda eſſet ſi interrogaremur, quid ſentiendum eſſet, ſi tota Eccleſia in rebus fidei, aut morū definiret oppoſitum eius quod antea definierat. Id enim præſefert contradictionē, veluti manifeſtè ἀσύστατον: quale itidem apparet ſi rogemur, quid credēdum eſſet ſi Deus oppoſita & pugnantia revelaret.

39 Denique cùm plurimæ hæreſes eodem quarto ſæculo excitatæ aut inſtauratæ fuerint, vix aliqua earum legitur damnata in duobus Cōcilijs Generalibus intra illud coactis, præter Arianam, Sabellianam, & Macedonianam, id eſt, ipſam ferè Apollinaris iam notati. quæ ad myſterium Trinitatis ſpectant, & iam antea à Pontificibus Romanis damnatæ fuerant. Reliquę autem ſola illorum definitione proſcriptæ fuerunt ab Eccleſia: vt patebit excurrenti per ſingulas, & conſtat teſtimonio S. Hieronymi Epiſt. 65. cap. 1. vbi fatetur in Synodo Nicæna nullam fieri expreſſam mentionem Origenis, Valentini, Marcionis, Cataphrygarum, aut Manichæi, *quos certè ante Synodum fuiſſe non dubium eſt.* Immò exinde vrgenter confirmatur noſtra ſententia Niſi enim Patres Nicæni definitiones Pontificum Romanorum exiſtimarent eſſe certam & infallibilē fidei regulam, debuiſſent planè damnare in ea Synodo I. Generali omnes præcedentes hæreſes, vtpotè ſolùm proſcriptas à Pontificibus Romanis ſine vllo Generali Cōcilio. Cùm ergo illas prætermiſſerint, certum ipſis fuit, nullam aliam damnationem eſſe neceſſariam. Cenſuit ergo Catholica Eccleſia ſæculo quarto, ſicuti & tribus præcedentibus, Pontificum Romanorum definitiones in controverſijs fidei eſſe regulam omnino certam & infallibilem, *cui omnes Chriſtiani ex officio, ipſius quoque mentis obſequium exhibere teneantur,* vt teſtabatur Clerus Gallicanus de illa veteri Catholica Eccleſia loquens in litteris Lutetiæ datis ad Innocentiū X. die 19. Iulij anno 1653.

SECTIO QVINTA.

Confirmatur eadem doctrina illuſtribus teſtimonijs Pontificum, & Scriptorum eiuſdem quarti ſæculi, atque ex hæreſibus tunc extra Synodum Oecumenicam proſcriptis.

40 IMPRIMIS Opportuna eſt in id confirmandum Epiſtola prima S. Marcelli Papæ & Martyris, qui anno 304. electus Pontifex Romanus, ſic loquitur de B. Petro Apoſtolo, ac ſubinde de ipſius Succeſſoribus,

ribus, ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ: *Ipſe enim caput eſt totius Eccleſiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Eius enim Sedes primitùs apud vos fuit, quæ poſtea (iubente Domino) Romam tranſlata eſt, cui (adminiculãte gratia diuina) hodierna præſidemus die. Nec ab eius diſpoſitione vos deviare oportet, ad quã cuncta maiora Eccleſiaſtica negotia (diuina diſponente gratia) iuſſa ſunt referri, vt ab ea regulariter diſponantur, a qua ſumpſere principia. Si veſtra vero Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ ceſsit Sedi, nulla eſt quæ eius non ſubiecta ſit ditioni, ad quã omnes, quaſi ad caput, iuxta Apoſtolorum, eorumq́ue Succeſſorũ ſanctiones, Epiſcopi qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, ſuffugere, eamq́ue appellare debent; vt inde accipiãt tuitionem & liberationẽ, vnde acceperunt informationem, atque conſecrationem.* Quid illuſtrius pro auctoritate ſuprema Sedis Apoſtolicæ ad dirimendas vltimo & finali iudicio omnes maiores cauſas, & negotia graviora totius Eccleſiæ; proindeq́ue & controverſias morum ac fidei?

41 Pergit S. Marcellus, & ſubdit de Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus: *Simulque ijdem (inſpirante Domino) conſtituerunt vt nulla Synodus fieret præter eiuſdem Sedis authoritatem, nec vllus Epiſcopus niſi in legitima Synodo ſuo tempore Apoſtolica authoritate convocata ſuper quibuslibet criminibus pulſatus audiatur, vel iudicetur: quia (vt paulo ſuperiùs prælibatũ eſt) Epiſcoporum iudicia, & ſummarum cauſarum negotia, ſiue cuncta dubia, Apoſtolicæ Sedis authoritate ſunt agenda, & finienda.* Quid clarius pro ſuprema auctoritate Romani Pontificis ad Synodos celebrandas & dirimendas omnes controverſias maioris momẽti, dubiaq́ue cuncta finienda ac ſolvenda; inter quæ locum præcipuè habere quæſtiones fidei, exploratum eſt?

42 Huc ſpectat quod inter Capitula Cõcilij Nicæni habetur, iuxta verſionem ex Codice Arabico factam apud Coccium libr. 7. de Hierarch. Eccleſ. art. 4. quæ etiam affertur ab Alphonſo Piſano, & Severino Binio libr. 3. Actorum Concilij eiuſdem Nicæni, & reſpondet Chaldaico eius textui, cuius copiã ad Luſitanos Ieſuitas miſsit D. Frãciſcus Roz Epiſcopus Angomalæ in ipſis S. Thomæ montibus anno 1605. Nimirum Capitulo 39. hæc habentur Latinè ex Arabico expreſſa: *Qui tenet Sedem Romæ, caput eſt, & Princeps omnium Patriarcharũ: quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus: cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorũ; vt qui ſit Vicarius Chriſti, Domini noſtri, ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicũque contradixerit, à Synodo excommunicetur.* Sive, vt concluditur ad verbum ex tranſlatione illius Codicis Chaldaici: *Huic ſanctioni ſiquis repugnaverit, & obſiſtere auſus fuerit, totius Synodi decreto anathemati ſubijciatur.* Vides amplitudinem poteſtatis conceſſam Pontifici Romano, ſicut Petro, tanquam Vicario Chriſti, in omnes Principes, & populos, omnemq́ue Eccleſiam Chriſti, iuxta Concilium Nicænum. Tanta autem auctoritas & poteſtas vix aut ne vix quidem eſſe poteſt, niſi extendatur ad docendum & definiendum nomine ipſius Chriſti, quid Principes, quid populi, quid tandem Eccleſię omnes circa fidẽ & mores credere & exequi debeant.

43 Sed & in idem confirmandum illuſtris eſt Epiſtola Stephani Archiepiſcopi, & trium Conciliorum Africæ ad S. Damaſum Papam de Privilegio Romanæ Sedis: in qua ſic habetur: *Beatiſsimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato, Sancto Patri Patrũ Damaſo Papæ, & Summo omnium Præſulum Pontifici, Stephanus Archiepiſcopus Concilij Mauritaniæ, & Vniuerſi Epiſcopi de tribus Cõcilijs Africanæ provinciæ. Notum Veſtræ facimus Beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis poſiti quoſdã fratres noſtros, venerabiles videlicet Epiſcopos, vobis inconſultis, à proprio deijciũt gradu, vel deijcere moliuntur, cùm veſtræ Sedi Epiſcoporum iudicia, & ſummorũ finem Eccleſiaſticorum negotiorum in honore beatiſsimi Petri, Patrum decreta omniũ, cunctam reſervavere ſententiam, inquirẽdi reverentia de Dei rebus, quas omni cura, & ſolicitudine obſervare debemus. Maximè verò iuſtè debent ab ipſo præſulum examinari vertice Apoſtolico, cuius vetuſta ſolicitudo eſt, tam mala damnare, quàm revelare laudanda. Antiquis enim regulis cenſitum eſt, vt quidquid horũ, quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis, ageretur provincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, vt eius authoritate, iuxta quod fuiſſet pronunciatum, firmaretur.* Quid luculentius ad oſtẽdendum, ex ſenſu communi Præſulum Africanorũ, immo & omnium antiquiorum Patrum, & veterum regularum, quas ipſi allegant, ad ſolam Sedem Apoſtolicam ſpectare iudicia Epiſcoporum, & finem graviorum Eccleſiæ negotiorum; ſicuti & approbationem eorũ, quæ recta ſunt; & eorum damnationem, quę à ratione & honeſtate

de-

deviant? Conſtat verò, in iis comprehendi doctrinam circa fidem & mores : vt proinde ſolius Romani Pontificis ſit ea finire, ſeu vltimò determinare. Quare & circa finem Epiſtolæ aiunt: *Deus ergo Creator omnium conſervet longævum Apoſtolatum veſtrum ad ſtabilitatem Eccleſiarũ ſanctarum, & orthodoxæ fidei.* Quoniam, nimirum, ſtabilitas Eccleſiarũ, & orthodoxæ fidei, innititur Sedi Apoſtolicæ S. Petri, ſupra quam Chriſtus Eccleſiã ſuam ædificavit; & cuius dignitatem ii in Damaſo permanentem agnoſcunt, & diuturnam exoptant. Nec mirum ita venerentur & laudẽt ſanctiſsimum illum Pontificem : cùm tribus poſtea ſæculis Sexta Synodus Generalis in Proſphoneleo ad Conſtantinum de illo dixerit: Δάμασος ὁ ἀδάμας τῆς πίστεως ὁ ταῖς ἑτεροδόξοις προβολαῖς τε καὶ προσαρράξεσι τὴν ἀντίτυπον γνώμην ἀντιστρεφόμενος. id eſt, Damaſus adamas fidei, cuius ſolida mens aggreſsionibus atque conflictu alienę à fide opinionis ſauciari nullatenus poteſt.

44 Videamus nunc, quid ea de re S. Damaſus reſeribat ad eundem Archiepiſcopum Stephanum, & ad tria Concilia Africæ, ſive vt epigrapha habet, ad vniverſos Epiſcopos Africanæ Provincię. Sic ergo ad eos loquitur Epiſtola quarta, paulo poſt initium: *Scitis, fratres chariſsimi, firmamẽtum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidiſsimum ſuorum Sacerdotum, id eſt, omnium Epiſcoporum, Apoſtolicam Sedem eſſe conſtitutã, & verticem Eccleſiarum. Tu es enim, ſicut diuinum pronuntiat Verbum veraciter, Petrus: & ſuper firmamentum tuum Eccleſiæ columnæ, qui ſunt Epiſcopi, cõfirmatæ ſunt: & tibi claves cœlorum commiſsi, atque ligare & ſoluere poteſtatẽ quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris promulgavi. Tu profanorũ hominum, & membrorum meorum, maximeque diſcipulorum meorũ exiſtis vt Princeps, & DOCTOR ORTHODOXAE ET IMMACVLATAE FIDEI, CVIVS VICE HODIE, GRATIA DEI, LEGATIONE PRO CHRISTO FVNGIMVR, ET OMNES HVIVS SANCTAE SEDIS PRAESVLES EIVS VICEM GESSERVNT, GERVNT, ET GERENT.* Quæ verba illuſtria ſunt multiplici ex capite: pręſertim verò, & in rem noſtram, vt innoteſcat ex verbis Chriſti Domini, & promiſsione Petro facta, tam ipſum, quàm Succeſſorem eius quemlibet in Apoſtolica Sede, eſſe *DOCTOREM ORTHODOXAE ET IMMACVLATAE FIDEI*, ac Chriſti Vicarium & Legatum: qui proinde nequeat ex cathedra docere aliquid à fide & veritate devium. Ac nonnullis interiectis circa auctoritatẽ ſolius Sedis Apoſtolicæ ad definiendas ac terminandas omnes maiores cauſas, ſubdit de ipſa: *Nam, vt noſtis, Synodum ſine eius auctoritate fieri, non eſt Catholicum* (quaſi diceret, alienum eſt à Catholica doctrina) *nec Epiſcopum, niſi in legitima Synodo, & ſuo tẽpore Apoſtolica vocatione cõgregata, definitè damnari poteſt: NEQVE VLLA VNQVAM CONCILIA RATA LEGVNTVR, QVAE NON SVNT FVLTA APOSTOLICA AVCTORITATE.* Quibus non ſolùm firmat ſupremã auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, ſine qua nulla Conciliorum definitio rata eſſe poteſt; ſed etiam obiter evertit opinionem illam, quæ Concilium Oecumenicum præfert Pontifici Romano. Si enim ita eſſet, definitiones Conciliorũ nullatenus ab eo dependerent; ſed potiùs, ipſo etiam reluctante, ratæ, & firmæ conſiſterent, contra quàm S. Damaſus docet. Idipſum proſequitur variis locis eiuſdem Epiſtolæ columna tertia: & columna quarta pro eodem accipit iudicium Romani Pontificis, ac iudicium ipſius S. Petri, vobis illis: *Donec iudicium de eo noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis, hoc eſt, Principis Apoſtolorum S. Petri, cognoſcatur, &c.* Patet verò, iudicium S. Petri infallibile eſſe, ſicut & iudicium Catholicæ Eccleſiæ ſupra ipſum fundatæ. Mitto Epiſtolam ſextam ipſius S. Damaſi & Epiſcoporum, qui ad Concilium Romanũ coram eo cõvenerant: in cuius medio ferè reprehenduntur quicũque Præſules in Synodo Ariminenſi deviaverunt à iudicio Romani Epiſcopi, *cuius ante omnia decebat eos expectare decretum*: quoniam, nimirum, Pontifex Romanus eſt Petrus ſui temporis, quem audire & ſequi debeant in doctrina fidei ac morum, veluti loquẽtem nomine ipſius Chriſti, qui nec fallere nec falli vnquam poteſt.

45 Audire etiam oportet S. Athanaſium in Epiſtola, quam tum ſuo, tum omnium Epiſcoporum Ægypti, Thebaidis, & Lybiæ nomine, ſcripſit ad S. Felicem II. Pontificem Romanum, prout extat in huius Actis tomo 1. Concil. vbi, inter plura alia, quæ obſervatu digna ſunt in rem noſtram, ita loquitur: *Ideo, Pater Beatiſsime, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra Apoſtolica ſancta Sede auxilium hauſimus, & noſtri vos curam habere agnovimus, præfatam Apoſtolicam, & ſummam expetimus iuxta Canonum decreta Sedem, vt inde auxilium capiamus; VNDE PRAEDECESSORES NOSTRI ORDINATIONES, ET DOGMATA, ATQVE SVBLEVATIONES CEPERVNT.* Vides qualiter Athanaſius ex ſuo

& reliquorum Africæ Epiſcoporum, tam extantium, quàm prædeceſſorum ſenſu, teſtetur ſummam venerationem ordinationum ac dogmatum Sedis Apoſtolicæ. quod certè nullum haberet locum, niſi omnes ij certum exploratumque haberent, illam in docendo ac definiendo infallibilem eſſe. Subdit verò ſtatim: *Ad eam quaſi Matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur, quoniam non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum. Sic & vos nolite obliuiſci nos vobis commiſſos, quoniam non levibus nos inimici noſtri implicaverunt afflictionibus, & quotidie facere moliuntur, & apprehendere, aut ferris nos conſtringi minantur, niſi eorum conſentiamus erroribus: quod nequaquam vobis inconſultis agere præſumimus, Canonibus quippe iubentibus, abſque Romano, nos de maioribus cauſis, nihil debere decernere, Pontifice. Ideoque ad propoſitum recurrentes, & ad bravium properantes, veſtræ Apoſtolicæ Sedis imploramus auxilium: quia (vt credimus) non deſpexit Deus preces cum lachrymis ſibi oblatas ſervorum ſuorum, ſed ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules in Summitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum eis curam habere præcepit, vt nobis ſuccurratis, noſque tuentes, cui omne Epiſcoporum iudicium eſt commiſſum, liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis. Nam ſcimus in Nicæna magna Synodo trecentorum octodecim Epiſcoporum, ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari.*

46 Et quibuſdam ſubiunctis, addit Athanaſius cum eiſdem Epiſcopis de ipſa Sede Apoſtolica ſive Romana: *Ipſa enim firmamentum a Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipſam formam vniuerſorum titulorum lucidiſſimam, Dominus Ieſus Chriſtus veſtram Apoſtolicam conſtituit Sedem. Ipſa enim eſt ſacer vertex, in quo omnes Eccleſiæ vertuntur, ſuſtentantur, relevantur, &c. Fuit ſemper veſtræ ſanctæ & Apoſtolicæ Sedi licentia, iniuſtè damnatos, vel excommunicatos poteſtatiuè ſua authoritate reſtituere, & ſua eis omnia reddere; & illos, qui eos condemnaverunt, aut excommunicaverunt, Apoſtolico punire priuilegio, ſicut etiam noſtris, & anterioribus cognovimus actum tẽporibus, &c. O ſanctiſſime Pater Patrum, abſcinde blaſphemias, & iactantiam vaniloquorum, & inſidiantium infeſtationes, nos & fratres noſtros opprimentium, atque perdere volentium, qui ad vos quaſi ad Caput confugimus, vt veſtro ſuffulti auxilio liberemur &c. Certum eſt enim, eidem ſanctæ Sedi veſtræ in honorem beatiſſimi Petri, Patrũ Decreta peculiarem decreviſſe reverẽtiam: Dei pro rebus inquirendis, atque determinandis, quas ſolicitè decet, iuſteque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico, cuius ſolicitudo ſemper fuit, & eſt, tã mala damnare, quam probare laudanda.* Hæ autem tot & tantæ laudes & prærrogativæ Sedis Apoſtolicæ nullum haberent locum, niſi ipſa habente auctoritatem firmam & infallibilem ad definiendum & determinandum quaslibet conſultationes & dubia in rebus fidei ac morum in tota Eccleſia. Vide præterea varia loca Euſebij Cæſarienſis lib. 2. Hiſtor. capit. 15. editionis Latinæ, cui in Græco reſpondet cap. 14. ac præterea cap. 28. Latin. quod in Græco eſt 30. prope finem.

47 Idipſum colligitur facilè ex S. Gregorio Nazianzeno Orat. 7. quæ eſt Apologia ad Gregorium patrem ſuum, circa medium, & paulò poſt: Epiphanio in Anthorato inter principium & medium: Ambroſio Sermone vndecimo, qui eſt de Mirabilibus, ac præterea Serm. 47. qui eſt de fide Petri, ante medium. Deinde lib. 3. de Sacramentis cap. 1. ait: *Non ignoramus quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur & formam.* Et circa medium capitis: *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam.* Atque Epiſt. 78. quæ eſt ad Theophilum Alexandrinum circa finem, ait, in occurrentibus difficultatibus cõſulendum eſſe Romanum Pontificem & præterea indicat quantum ſibi placerent ac facerent ſatis reſponſiones Pontificis Romani, dum ſubdit: *Vt nos quoque accepta noſtrorum ſerie Statutorum, cùm id geſtum eſſe cognoverimus, quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobaverit; læti fructum huiuſmodi examinis adipiſcamur.* Denique Epiſtol. 81. quæ eſt ad Siricium Papam, eodem ſenſu inquit: *Recognovimus litteris Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui fideliter commiſſam tibi ianuam ſerves, & pia ſolicitudine Chriſti ovile cuſtodias, DIGNVS QVEM OVES CHRISTI AVDIANT ET SEQVANTVR. Et ideo quia noſti oviculas Chriſti, lupos facilè deprehendes; & occurres quaſi providus Paſtor, ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ, feralique vlulatu Dominicum ovile diſpergant.* Non eſſet autem tanta ſummiſſio mentis in S. Ambroſio ad ſequendam in omnibus Eccleſiam Romanam, nec adeò confidenter hortaretur omnes Chriſti oves ad Paſtorem

ſtorem ſeu Pontificem ipſius audiendum & ſequendum, niſi certus eſſet de auctoritate illius infallibili ad reſpondendum dubijs, & docendum in materia fidei ac morum. Huc etiam ſpectat teſtimonium S. Optati Milevitani lib. 2. contra Parmenianum non longè ab initio, quod, quia aliquanto longius eſt, prætermitto legendum apud ipſum. Huc etiam attinet quod S. Baſilius Magnus Epiſt. *69.* ſuo & Coepiſcoporum nomine ad Pontificem Romanum ſcribit per Sabinianum Diaconũ, vt ab eo diſcat quid tenendum ſit. *Reverà,* inquit, *dignũ eſt illa excellentiſſima voce, quæ te Beatum prædicant, quod pietati tuæ donatum à Domino eſt; ſcilicet, vt quod adulterinum eſt, à legitimo ac puro diſcernas, ac fidem Patrum ſine vlla ſubtractione prædices.* Ita enim ex Græco vertit Turrianus lib. 2. contra Magdeburg. cap. 4.

48 Denique eodem quarto ſæculo ſolùm duo Concilia Oecumenica habita ſunt, nimirum, Nicænum I. anno 325. & Conſtantinopolitanum I. anno 381. in quibus præcipuè damnatæ fuerunt capitales hæreſes Arij, & Pneumatomachorũ, quorum illi Filio Dei, iſti Spiritui ſancto, ſolidam Deitatem, & conſubſtantialitatem cum Patre negabant. vt omittam Sabellianos, qui negarunt realem perſonarum in divinis diſtinctionem, & obiter in eadem Synodo Nicæna damnati ſunt. Innumeri autem hæretici extiterunt eodem ſæculo, quorum errores aut vix indicati, aut omnino prætermiſsi fuerunt in vtroque eo Concilio Generali, vt ſupra num. 39. monuimus. Tales fuere Colluthiani apud Baronium anno 315. & 319. Circumcelliones, qui & Scotopitæ, & Circelliones, ac Circuitores, apud Philaſtrium in Catalogo, Auguſtinum Hæreſi 69. Baronium anno 331. Marcelliani apud eundem anno 347. Euſtathiani apud Socratem lib. 2. cap. 33. Aeriani apud Epiphanium Hæreſi 75. Eunomiani, ſive Anomæi apud Baronium anno 360. & Troglodite apud Philaſtrium in Catalogo, & Meſſaliani ſive Pſalliani apud Auguſtinum Hæreſi 57. & Luciferiani apud Hieronymum in Opere adverſus illos, & Hypſiſtarij apud Nazianzenum Oratione de funere Patris, & Agnoitæ apud Nicephorum lib. 12. cap. 30. & Paterniani ſive Venuſtiani apud Auguſtinum Hæreſi 85. & Dimoeritæ apud Epiphanium Hæreſi 77. & Timotheani apud Prateolum verbo Timotheus, & Collyridiani apud Epiphanium Hæreſi 78. & 79. & Hermiani apud Philaſtrium in Catalogo, & Priſcillianiſtæ apud Auguſtinum Hæreſi 70. atque plurimi alij variarum ſectarum architecti, ab eiſdẽ Scriptoribus memorati. Itaque eorũ hæreſes quarto ſæculo damnatæ fuerunt à Pontificibus Romanis, extra Concilium Oecumenicum, tota Eccleſia ſubſcribente & credente, definitiones Sedis Apoſtolicæ in ijs rebus eſſe firmam & infallibilem fidei regulam.

SECTIO SEXTA.

De Hæreſibus quinti ſæculi proſcriptis à Sede Apoſtolica extra Synodos Oecumenicas Epheſinam & Calcedonenſem, & ab vtraque ſolemniter damnatis iuxta prævium iudicium Pontificum Romanorum.

49 QVINTO Sæculo exortæ fuerunt ſimiliter variæ hæreſes, quas Romani Pontifices, vel ſine vllo Oecumenico Concilio, vel etiam antequam illud congregaretur, damnaverunt, tota Eccleſia ſtatim exhibente obſequium mentis ipſorum definitionibus, veluti irreformabilibus credendi regulis. Imprimis enim ex Orco erupit hæreſis Secundini inſtaurantis deliramenta Manetis, vt conſtat ex Auguſtino, qui contra illum ſcripſit librum extantem tomo ſexto Operum ipſius: deinde hæreſis Vigilantij, quem Hieronymus impugnavit, & potiùs Dormitantium appellandum cenſuit: ac ſubinde anno 405. peſtilentiſsima hæreſis Pelagij, & præterea Cœleſtij, Iuliani, aliorumque ſequacium, adverſus quos omnes Magnus Auguſtinus pro neceſsitate divinæ gratiæ certans, admirandi ingenij ſui vires exeruit varijs ac multiplicibus libris. Mitto Fortunatũ & Felicem, ac Fauſtum, ſecta Manichæos, Avitum Origeniſtam, & Petilianum Donaſtiſtam, qui omnes eidem S. Doctori materiam ſplendidiſsimi triumphi miniſtrarunt. Nec tamen ad eorum hæreſes damnandas viſum fuit neceſſarium aliquod Concilium Oecumenicum: ſed omnes illæ proſcriptæ fuerunt à Romanis Pontificibus, ſive in Concilijs Provincialibus aut Nationalibus ipſorum auctoritate coactis, & poſtea ritè confirmatis; ſive extra omne Concilium. Conſtat id ex Synodis celebratis tempore Anaſtaſij I. S. Innocentij I. Zoſimi, Bonifacij I. & S. Cœleſtini I. Pontificum, qui Eccleſiam rexerunt ab initio quinti ſæculi vſque ad annum trigeſimum ſecundum illius, & ex Epiſtolis Decretalibus ipſorum, quas vel indigitare prolixum eſſet.

50 Præſertim verò hæreſis Pelagiana, eo ſæculo exorta, poſtquam in Africanis Concilijs ſemel ac ſæpiùs confixa fuit, præſente S. Auguſtino; demum damnata ſolemniter eſt à Romanis Pontificibus, præſertim verò à SS. Innocentio I. & Cœleſtino I. vt ex Epiſtolis

lis eorum Decretalibus conſtat: ſtatimque tota Eccleſia ipſorum definitionibus acquievit, quamvis extra omne Concilium Oecumenicum prolatæ fuiſſent. Quod optimè agnovit Clerus Gallicanus anno 1653. dum in litteris Lutetiæ datis die 19. Iulij ad Innocentium X. qui paulo antè damnaverat quinque præcipua Ianſenij dogmata, dixit de Eccleſia Catholica veteri ſub Pontificatu laudatorum Innocentij I. & Zoſimi: *Enim verò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera ad vniuerſos Orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematiſmis aduerſus Apollinarium, & Macedonium, nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paulò anteà iactis, Iudicia pro ſancienda Regula Fidei à Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporũ conſultatione (ſiue ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſiue omittant, prout illis collibuerit) diuina æquè ac ſumma per vniuerſam Eccleſiam auctoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia, ac fide imbuti, Romanæ Eccleſiæ præſen em, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debita obſervantia colentes, Conſtitutionem diuini numinis inſtinctu à BEATITVDINE VESTRA conditam, nobiſque traditam ab Illuſtriſſimo Athenarum Archiepiſcopo Nuntio Apoſtolico, & promulgandã curabimus in Eccleſijs ac Diœceſibus noſtris, atque illius executionem apud fideles populos vrgebimus.* Quid illuſtrius? Vtinam ſic loquuti eſſent hoc ipſo anno 1682. Illuſtriſsimi Galliarum Præſules in ſua Declaratione die 19. Martij edita, nec vnquam intuliſſent acerbiſsimum animi dolorem alteri INNOCENTIO ſanctè, piè, & innoxiè Eccleſiam regenti hodie, digniſsimoque quem totus Orbis Chriſtianus ſuſpiciat & amet, non modò ob ſummam dignitatem, ſed etiam propter heroicas virtutes, veluti alterum noſtri temporis Leonem, aut Gregorium. Vide præterea Epiſtolam S. Innocentij I. Papæ (quæ inter Auguſtinianas eſt 91.) reſcribentis ad Carthaginenſis Concilij Patres, & eos laudantis, quòd in omnibus quæ tractaverant & decreverant, præſertim contra dogmata Pelagij, ſuum iudicium ſubieciſſent Sedi Apoſtolicæ, ad quam ſolam ſpectat iudicium definitivum eiuſmodi controverſiarum. Deinde Epiſt. ad PP. Concilij Millevitani (quæ eſt 93. apud Auguſt.) eos laudat ob eandem cauſam, veluti *ſcientes quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, PRÆSERTIM QVOTIES FIDEI RATIO VENTILATVR, &c.* Quare ex quo Innocentius ipſe, & Zoſimus eius Succeſſor, doctrinam Pelagij vt hæreticam damnarunt, omnes Catholici eos pro hæreticis habuerunt, vt teſtatur S. Auguſt. lib. 2. Retract. cap. 50.

51 Sed & S. Cœleſtinus Papa doctrinam præcipuam adverſus Pelagianos definivit paulo luculentiùs ac diſtinctiùs in celebri illa Epiſtola, quæ eſt prima ipſius, ad Epiſcopos Galliæ. Nimirum in ea tradit quaſdam propoſitiones à Prædeceſſoribus ſuis iam definitas (quamvis extra omne Oecumenicum Concilium) contrarias totidem erroribus Pelagij ac Cœleſtij: atque illas veluti prorſus certas, & fide divina credendas commendat tandem hiſce verbis: *Ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quidquid ſecundũ prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt: VT PRORSVS NON OPINEMVR CATHOLICVM, QVOD APPARVERIT PRÆFIXIS SENTENTIIS ESSE CONTRARIVM.* Cenſuit ergo S. Ille Pontifex, cenſuit quoque Eccleſia Catholica illius ſæculi, ad fidem prorſus ſpectare quidquid Romani Pontifices ſine vlla Oecumenica Synodo definiunt, veluti omnino credendum. Immo in Concilio Africano ſub Innocentio I. in quo plurium aliorum in Africa coactorum decreta innovantur, auctoritate Apoſtolica congregato, §. *Glorioſiſsimis Imperatoribus*, apud Binium tom. 1. pag. 910. ſtatuitur, ne Concilia vniverſalia, id eſt, Nationalia fiant, niſi vrgente neceſsitate: quanto minùs Oecumenica, quæ vt minimum afferunt deſolationem omnium Eccleſiarum, deſertarum à Paſtoribus ſuis? Deinde ad finem eiuſdem tomi, idem Concilium Græcè ſimul ac Latinè exhibetur: & à Canone 108. vſque ad 116. proferuntur eadem Capitula de neceſsitate divinæ gratiæ, quæ à S. Cœleſtino probata & definita ſunt: ac poſtea cap. 127. §. 2. hæc epigrapha habetur: ϖάλιν ἐν ταύτῃ τῇ Συνόδῳ ϖαρῆν τῆς Ῥωμαϊκῆς Ἐκκλησίας ἡ τοποτηρησία. id eſt, huic etiam Synodo interfuiſſe Romanæ Eccleſiæ legationem. nam, vt ſtatim additur, ibidem adfuit Fauſtinus Epiſcopus Eccleſiæ

Po-

Potentini in Provincia Italiæ Piceni, Legatus Romanæ Eccleſiæ: quoniam iniuſſu illius, aut ſine eius conſenſu & approbatione, veteres illi Patres, quamvis multi numero, & ſanctitate ac doctrina conſpicui, nihil ritè aut firmiter definiri poſſe circa fidem, mores, aut Eccleſiaſticam diſciplinam, arbitrabantur. Itaque doctrina Pelagiana ab omnibus Catholicis habita fuit hæretica, cùm primùm à Romanis Pontificibus hæreſeos notata eſt, extra omnem Oecumenicam Synodum: idemque eſt de doctrina Semipelagiana, quæ pariter ſolùm à Sede Apoſtolica fuit proſcripta ſub nota hæreſeos. Quamvis enim Concilia plura Provincialia contra illam celebrata fuiſſent in Africa, & in Gallia, ea non ſufficerent ad certam fidei regulam, niſi definitiones Pontificum Romanorum acceſsiſſent.

52 Idem S. Cœleſtinus Papa anno 430. Romæ Synodum coegit, in qua damnavit hæreſim Neſtorij nolentis Virginem MARIAM appellare Θεοτόκον, id eſt, Deiparam, ſed Χριστοτόκον, id eſt, Chriſtiparam: quoniam in Chriſto comminiſcebatur duplicem perſonam, divinam vnam, & humanam alteram. Vnde patet, præcipuum errorem Neſtorij fuiſſe damnatum à S. Cœleſtino Papa paulo ante Concilium Oecumenicũ Epheſinum, in quo eadem Neſtorij hæreſis ſolemniùs ab Epiſcopis pluſquam ducentis damnata fuit, Romano Pontifice annuente, vt quod ab ipſo definitum fuerat adverſus illum Hæreſiarchã, à plenißima Synodo iterum tractaretur: vt ſuprà num. 37. in ſimili obſervatum fuit. Porrò ipſam Synodum Epheſinam fuiſſe coactum conſentiente eodem S. Cœleſtino, teſtatur S. Gelaſius I. Papa in prima ſua Synodo Romana: idque etiam indicat particula *ſecundùm Canones*, adhiberi ſolita in varijs Relationibus eiuſdem Concilij Epheſini ad varios, vbi Patres congregati teſtantur ſe conveniſſe *ſecundum Canones*; nimirum Apoſtolicæ Sedis, prohibentis omnem Synodum Generalẽ ſine conſenſu Romani Pontificis. Quare litteræ Divales Theodoſij Iunioris tunc imperantis, ſolùm fuere executrices mandati Apoſtolici, vt optimè obſervat Lupus tomo 1. in Scholijs ad eam Synodum cap. 2. Deinde conſtat ex Actis eius, Arcadium & Proiectum Epiſcopum, vnà cum Philippo Romanæ Eccleſiæ Presbytero, fuiſſe S. Cœleſtini Legatos Roma miſſos cum litteris Pontificijs octavo Idus Maias datis. qui tres, licèt ſperarent ſe Epheſum vſque perventuros circa feſtum Pentecoſtes, vt inchoarent Synodum; detenti navigatione tarda non ſunt ingreßi Epheſum vſque ad initium Iulij, & ſexto Idus primam Actionem ſibi lectam & explanatam confirmarunt, & principem ibidem locum nominẽ Romani Pontificis habuerunt, ſaltem quouſque lis mota ab Orientalibus contra S. Cyrillum ſedata fuit. Poſtea verò ceſſere loco eidem S. Cyrillo, veluti primo aut præcipuo Legato Apoſtolicæ Sedis.

53 Deinde Legati ipſi ante ſecundam & tertiam Actionem fecerunt ex more legi Papales litteras, mandantes cuncta Apoſtolicæ Sedis decreta euſque lata in Neſtorium perduci in executionem. nam, vt nuper præmißimus, paulo ante Synodum Epheſinam S. Cœleſtinus Romæ eundem errorem Neſtorij damnaverat. Vnde & denuo confirmatur auctoritas infallibilis Romani Pontificis in definiendis fidei controverſijs: vtpote nota Synodo Oecumenicæ Epheſinæ, quæ damnationem Pontificiam in Neſtorium ſtatim ratam habuit, & veluti divinum Oraculum venerata eſt. Quare Philippus iam dictus, tanquam Papæ Legatus, ſic Patres affatus eſt: *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt, ſanctum, beatiſsimumque Petrum, Apoſtolorum Principem, & Caput, fideique columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, à Domino noſtro Ieſu Chriſto Salvatore noſtro, humanique generis redemptore, cæleſtis regni claves accepiſſe, ſolvendique, atque ligandi poteſtate, quam acceperat, vſum fuiſſe; necnon per Succeſſores ſuos hucuſque ſemper viuere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe* Quibus verbis, præſertim poſtremis, teſtatur S. Petrum per ſucceſſores ſuos decreta ſeu definitiones edere: tanquam vox Petri & vox Pontificis Romani è cathedra definientis, vna & eadem ſit.

54 Præterea actione quinta, quæ celebrata fuit decimo ſexto Kalendas Auguſti, eadem Synodus in Relatione ad Papam, pariter probat & amplexatur decreta ſeu definitiones eiuſdem S. Cœleſtini, & aliorum quorundam Romanorum Pontificum eiuſdem ſæculi latas adverſus hæreſim Pelagij, quamvis extra omne Oecumenicum Concilium. Quare Patres ibidem cõgregati ſic alloquuntur Cœleſtinum Papam: *Perlectis in ſancta Synodo commentarijs Actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum, & Cœleſtianorum, Cœleſtij, Pelagij, Iuliani, Perſidij, Flori, Marcellini, Orontij, & eadem cum illis ſentientium, quæ à Pietate tua de ipſis decreta, & conſtituta ſunt, iudicavimus, & nos ſolida, firmaque permanere, & idem omnes tecum ſtatuimus, eos pro depoſitis habentes.*

55 Denique quamvis eadem Epheſina Synodus ritè coacta fuerit, & celebrata

con-

conſenſu Romani Pontificis, poſtea ab eo confirmata fuit, excepto decreto de Meſſalianis, ſive de damnatione Adephij, Sabæ, & quorundam aliorum: quod S. Gregorius Magnus lib. 5. Epiſt. 14. ad Narſen Comitem teſtatur non inveniri in Actis Epheſinæ Synodi extantibus apud monumenta Apoſtolicæ Sedis. Itaque Romana Eccleſia probavit Acta Concilij Epheſini omnia, quæ in duodecim Capitulis, ſeu Anathematiſmis S. Cyrilli adverſus Neſtorium continentur, & Canonem de Symbolo, & damnationem Pelagij; de quibus tantùm Cœleſtinus Papa tractari iuſſerat in eo Concilio. Reliqua verò nuper indicata prætermiſit, ſive in ſuo ſtatu reliquit. Etenim, vt teſtatur S. Leo Magnus Epiſt. 55. cap. 3. agens de confirmatione Synodi Chalcedonenſis, Eccleſia Romana tantùm ea confirmare ſolet, *propter quæ Synodus congregatur*, & circa quæ à Romano Pontifice accipit præviam inſtructionem, ſuffragium, ac mandatū: ideoque in eadem Synodo Actione 10. de Legatis Papæ dicitur: *Miſsi Apoſtolici ſemper in Synodis priùs loqui & confirmare ſoliti ſunt*: id eſt, nomine Pontificis Romani proponere articulos ſibi delegatos, eiuſque iudicium. Quapropter. poſtea Vigilius Papa in ſuo Conſtituto ad Iuſtinianum Auguſtum de tribus Capitulis, inquit de Epiſcopis in V. Synodo Generali congregatis: *Noſtrum debebant definitum de tribus Capitulis ſuſtinere Reſponſum, antiquum & regularem ordinem cuſtodientes, NE ANTE NOSTRÆ, ID EST APOSTOLICÆ SEDIS PROMVLGATIONEM SENTENTIÆ, QVIDQVAM PROFERRE TENTARENT.* Ex quibus omnibus conſtat, ne in Concilijs quidem Oecumenicis, qualia fuere illa, de quibus loquimur, aliquid ritè definitum fuiſſe, niſi prævio conſenſu & iudicio Romani Pontificis circa eaſdem controverſias: ſiquid autem præterea decretum fuit, à Sede Apoſtolica non commiſſum, minimè cōfirmatum eſſe; ſed vel prætermiſſum, vel in ſuo ſtatu relictum. Quod etiam ex parte accidiſſe in Synodo ſecunda Generali, id eſt, Cōſtantinopolitana Prima in ſuperioribus memorata, conſtat ex ſacris Hiſtoricis, & indicavit ſatis S. Gregorius Magnus loco nuper laudato. Vſque adeò venerabantur Concilia illa Oecumenica prævium Romani Pontificis iudicium, vt in controverſijs fidei nihil omnino, niſi iuxta illud, definiendum exiſtimarent.

56 Sed accedamus iam ad ipſam Synodum Quartam Oecumenicam quæ Chalcedone coacta fuit eiuſdem ſæculi anno 451. à ſexcentis triginta Epiſcopis: & palam apparebit ex Actis & Epiſtolis Synodicis ipſius ad S. Leonem Papam, atque huius Reſcriptis ad illam, nihil inibi definitum fuiſſe, niſi iuxta prævium iudicium, & confirmationem eiuſdem Pontificis Romani, ſive per ſeipſum, ſive per Legatos ſuos Paſchaſinum & Lucentium Epiſcopum, ac Bonifaciū Præsbyterum. Quare in Epiſtola Synodali à Patribus ſcripta idē S. Leo Papa dicitur πᾶσι τῆς τοῦ Πέτρου μακαρίου φωνῆς ἑρμηνεὺς καθιστάμενος, id eſt, *Vocis Beati Petri omnibus conſtitutus interpres*. Ergo omnibus ijs Patribus perinde erat audire Leonem Papam, ac S. Petrum Apoſtolum. Notandum verò ſpeciatim eſt ex Actione decima ſexta, quæ eſt poſtrema eius Concilij, Paſchaſinum prædictum publicè recitaſſe Canonem ſextum Concilij Nicæni, in quo dicitur: *ECCLESIA ROMANA SEMPER HABVIT PRIMATVM*. Deinde non multò pòſt de Patribus eiuſdem Concilij Chalcedonenſis ſubditur: *Glorioſiſsimi Iudices dixerunt: Ex his, quæ geſta ſunt, vel ab vnoquoque depoſita, perpendimus, omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum, ſecundùm Canones, Antiquæ Romæ Dei amantiſsimo Archiepiſcopo conſervari*. Deinde tota Synodus ſubiungit Relationem omnium, quæ in ea ſunt geſta & decreta, ad S. Leonem Papam, verbis honore & ſummiſſione plenis: & ipſum alloquens de fide Chriſti, inquit: *Quam, velut auro textam ſeriem, ex veſte Chriſti, & præcepto Legiſlatoris, venientem vſque ad nos ipſe ſervaſti, VOCIS BEATI PETRI OMNIBVS CONSTITVTVS INTERPRES, eius fidei beatificationem ſuper omnes adducens*. Ac quibuſdam interiectis, tandem rogant, vt confirmatione ſua dignētur ratum habere Synodicum iudicium, dicentes: *Hæc ſunt, quæ tecum, qui ſpiritu præſens eras, & complacere tanquam fratribus deliberaſti; & qui penè per tuorum Vicariorum ſapientiam à nobis videbaris; effecimus, &c. Hæc ſicut propria & amica, & ad decorem convenientiſsima, dignare complecti, Sanctiſsime & Beatiſsime Pater, &c. Rogamus igitur, ET TVIS DECRETIS NOSTRVM HONORA IVDICIVM: & ſicut nos Capiti in bonis adiecimus conſonantiam, ſic & Summitas tua filijs, quod decet, adimpleat.* Ex quibus omnibus conſtat quanto in pectio & veneratione fuerit Synodo illi Oecumenicæ, & graviſsimæ, ac numeroſiſsimæ, iudicium Pontificis Romani, cui ſe, & omnia ſua decreta ſubiecit. Id verò immeritò factum

eſſet,

eſſet, niſi iudicium Romani Pontificis, ſaltem in controverſijs fidei & morum definiendis, eſſet irreformabile & infallibile.

57 Quin & Marcianus Imperator, cuius primo anno coacta fuit ea Synodus Chalcedone, plures laudes ab ea audire meruit in Proſphonetico, quòd imperium ſuum à pietate auſpicatus fuiſſet, quòd certamen contra diabolum ſuſcepiſſet, quòd Deum elegiſſet invictum protectorem, quòd denique Romanæ Eccleſiæ Papam hortatus eſſet ad damnandam Monothelitarum hæreſim: ideóque Marcianum ipſum appellat *εὐλαβέστατον καὶ φιλόχριστον βασιλέα.* id eſt, *pijſsimum, & Chriſti amatorem Imperatorem.* Deinde ſubditur, ſcripta Leonis Papæ non continere fidem alienam à regulis Patrum, nihilque ab eo traditum fuiſſe præter fidem, quæ olim à Sanctis Patribus annuntiata eſt. Præterea *Romanam Cathedram* (verba ſunt Chriſtiani Lupi ad Alexandrum VII.) *eſſe incontaminabilem Catholicæ communionis radicem, infallibilemque controverſiarum iudicem, à nullo vnquam inſeſſam aut inſideri poſſibilem errone Epiſcopo, vtpote cuius fidem ex nulla diaboli cribratione defecturã Dominus promiſſerit, & qui deficientes ab illa fratres confirmare debeat, & hodie vſque confirmarit; ex totius Orientalis Concilij* (nimirum Chalcedonenſis) *nomine inſigniter apud S. Leonem Pontificem profitetur Theodoretus Cyri in Eufrateſia provincia Epiſcopus, &c.* Speciatim verò Epiſtolam illam celebrem ac Dogmaticam eiuſdem S. Leonis de myſterio Incarnationis adverſus hæreſim Eutychetis, ſumma veneratione excepit eadem Synodus Chalcedonenſis, veluti vocem S. Petri Apoſtoli: ideóque poſtea S. Gelaſius I. Papa circa finem eiuſdem ſæculi in Concilio I. Romano tam ſpeciali formula eam Epiſtolam probavit, vt dixerit: *CVIVS TEXTVM QVISPIAM SI VSQVE AD VNVM IOTA DISPVTAVERIT, ET NON EAM IN OMNIBVS VENERABILITER RECEPERIT, ANATHEMA SIT.* Et tamen Epiſtola illa S. Leonis ad Flavianum, ſcripta ab eo fuit Romæ, longiſsimè à Chalcedone, vbi celebrabatur Oecumenica Synodus. Ergo definitiones illæ S. Leonis Papæ, ſimileſque aliæ à Romanis Pontificibus prolatæ ex cathedra Sedis Apoſtolicæ, in materia ad fidem ſpectante habuerunt & habent auctoritatem ſummam & omnino infallibilem, quamvis extra Concilium Oecumenicum, aut longiſsimè ab eo dictatæ fuerint. Vide plura alia circa eundem S. Leonem, eiuſque definitiones dogmaticas ſuprà latè Diſp. V. num. 18. & ſeqq. quæ à tota Eccleſia ſtatim receptæ fuerunt, ſicuti & ipſa Synodus Chalcedonenſis ijs inſiſtens; reclamantibus licèt quibuſdam hæreticis, præſertim verò Timotheo Æluro hæretico, invaſore Sedis Alexandrinæ, congregare auſo *συνέδριον ἀθλιώτατον*, in quo Concilium illud ſanctum & venerabile diris & execrationibus criminatus fuit. Denique huc ſpectat aliud inſigne teſtimonium eiuſdem Concilij Chalcedonenſis, quod licèt nunc in vulgatis eius exemplaribus non appareat, olim abſdubio extabat; ideóque à S. Thoma fideliter allegatur in Opuſculo contra errores Græcorum, hiſce verbis: *Veneramur ſecundum Scripturas, & Canonum definitionem, ſanctiſsimum Antiquæ Romæ Epiſcopum, primum & maximum omnium Epiſcoporum.* Atque inferius: *Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad Beatiſsimum Epiſcopum Antiquæ Romæ: quia habemus Petrum Petram refugij, ET IPSI SOLI LIBERA POTESTATE LOCO DEI SIT IVS DISCERNENDI, SECVNDVM CLAVES A DOMINO SIBI DATAS; ET OMNIA AB EO DEFINITA, TENEANTVR, TANQVAM A VICARIO APOSTOLICI THRONI.* Quid illuſtrius, vt conſtet, iudicio Oecumenicæ Synodi Chalcedonenſis, certas omnino & tuendas omnes definitiones Sedis Apoſtolicæ: vt proinde infallibilitas eius in dirimẽdis controverſijs ad fidem vel mores ſpectantibus ſit iam definita ab eo Concilio Generali, ac proinde certa ſecundùm fidem? Nota verò obiter, Acta eius Synodi, teſte S. Gregorio Magno lib. 5. Epiſt. 14. ad Narſetem Comitem fuiſſe à Græcis falſata in eo puncto ad Romanum Pontificem ſpectante: ideóque vera eſt allegatio S. Thomæ, qui abſdubiò nactus fuit aliquem germanũ Codicem Actorum eius Concilij.

58 Mitto Hæreſiarchas alios eiuſdem ſæculi: vt Theopaſchitas, ſic appellatos, quòd Divinitatem ipſam paſsibilem facerent: Iconoclaſtas, ſeu imaginum ſacrarum perſecutores, quorum auctor fuit Xenaias, iuxta Nicephorum lib. 16. Hiſtoriæ cap. 27. Angelitas, de quibus Prateolus poſt eundem Nicephorum: & tandem Prædeſtinatianos, qui ex libris S. Auguſtini perperam intellectis invexere quãdam veluti fatalem omnium actionum noſtrarum neceſsitatem, præcluſa hominibus via & ſpe ad ſuam ſalutem quærendam. circa quorum opinionem, & hiſtoriam, plurimum ab eruditis Scriptoribus noſtri temporis deſudatum

tum eſt, varia ac multiplici de ijs ſententia; adhuc poſtquam Iacobus Sirmondus latè & ex inſtituto rem ipſam ex veteribus monumentis eruendam & illuſtrandam curavit: vt videbimus infrà ſect. 8. per totam. Eæ verò hæreſes intra id ſæculum non fuerunt damnatæ in aliqua Synodo Oecumenica, ſed fortè à Pontificibus Romanis, ſive in Decretalibus Epiſtolis, ſive in Concilijs Provincialibus ipſorum conſenſu celebratis: qualia fuerunt Lugdunenſe & Arelatenſe ſub Simplicio Papa circa annum 475. contra Prædeſtinatianorum errores; Romanum coram ipſo Simplicio ſub idem circiter tempus contra Timotheū Ælurum paulo antè notatum; & aliud Romanum ſub Felice II. Papa anno 483. contra Acacium & Petrum Fullonem Antiochiæ Epiſcopos: vt omittam tertium itidem Romæ celebratum anno proximè ſequenti 484. ab Epiſcopis 77. adverſus eundem Acacium CP. & Petrum Fullonem, aliàs Gnaphæum. Manifeſtum itaque eſt, eo quinto ſæculo, ſicuti & quatuor præcedentibus, Eccleſiam Catholicam cenſuiſſe, ad damnandas ritè hæreſes non eſſe opus Concilio Vniverſali, ſed ſufficere auctoritatem Romani Pontificis, ſive ſeorſim, ſive adiuncta aliqua Synodo Provinciali.

SECTIO SEPTIMA.

Confirmatur eadem doctrina illuſtribus teſtimonijs ſacrorum Doctorum & Pontificum eiuſdem quinti ſæculi.

59 IMPRIMIS Chryſoſtomus, qui initiò ferè ſæculi eiuſdem quinti, id eſt, circa annum Domini 407. (teſte Bellarmino, & alijs) feliciſsimo obitu in exilio ob defenſionem iuſtitiæ ad Superos tranſlatus fuit; ſupremam auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, præſertim ad tradendam Catholicam fidem, varijs locis Operum ſuorum teſtatam habet. Propterea enim Homil. 2. in Pſalmum 50. & Homilia de Petro & Elia, Apoſtolum ipſum Petrum vocat fidei baſim, eamque immobilem; non ſolùm, quoniam iuxta promiſſionem Chriſti fides in illo, & Succeſſoribus eius, permanſura erat, & erit ſemper: verùm etiam, quoniam omnes Eccleſiæ, & Chriſtiani ad Sedem Apoſtolicam Petri referre debent, & ab ea diſcere quidquid ad fidem pertinet. Quapropter in Encomio SS. Petri & Pauli apud eundem S. Doctorem dicitur, Πέτρος ἡ ἀρχὴ τῆς ὀρθοδοξίας, ὁ μέγας τῆς Ἐκκλησίας ἱεροφάντης, ὁ ἀναγκαῖος σύμβουλος τῶν χριστιανῶν, τὸ κειμήλιον τῶν ἄνω δυνάμεων. id eſt, *Petrus orthodoxæ fidei principium, magnus Eccleſiæ Sacerdos, neceſſarius Chriſtianorum conſiliarius, ſupremarum poteſtatum theſaurus.* In quibus verbis, quod dicitur, Petrum eſſe *neceſſarium conſiliarium Chriſtianorum*, intelligi nequit de perſona Petri, quam conſulere non poſſumus Chriſtiani: ſed de dignitate permanente in eius legitimis Succeſſoribus: vt proinde omnes controverſiæ fidei & morum ad eos referantur vltimò definiendæ: tanquam ad regulam firmam & infallibilem. Vide prætereа duas ipſius Epiſtolas ad S. Innocentium Papam, quæ extant tomo quinto Operum eiuſdem Chryſoſtomi.

60 S. Cyrillus Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarcha eodem ſæculo quinto ab anno 415. vſque ad 444. plura teſtimonia protulit eiuſdem Romanorum Pontificum ſummæ & infallibilis auctoritatis in libris Theſauri de ſancta & conſubſtantiali Trinitate. Nam quàvis modò non legantur, nec iuxta editionem anni 1605. qua vſus fuit Bellarminus, nec iuxta recentiorem Græco-Latinam anni 1639. ſex tomis diſtributam, in ijs quatuordecim libris; manifeſtum eſt triginta duos à S. Doctore de eo argumento ſcriptos fuiſſe, qui à priſcis Scriptoribus allegantur: & nominatim à D. Thoma Opuſculo primo, quod eſt contra errores Græcorum cap. 68. & Opuſculo 19. cap. 3. Teſtimonia verò prædicta, quamvis nunc non inveniantur in ipſis Cyrilli Operibus (fortaſsè ob hæreticorum nequitiam, & odium in Eccleſiam Romanam) ea ſunt, in quibus ait: *Sicut Chriſtus accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, dux ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curventur; ſic & Petro, & eius Succeſſoribus commiſit.* Præterea: *Nulli alij, quam Petro, Chriſtus quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Rurſus: *Petro omnes iure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt.* Vlteriùs: *Debemus nos, vt qui membra ſumus, capiti noſtro Pontifici Romano, & Apoſtolicæ fidei adhærere: ad nos pertinet, inde quid credendum, quid opinandum, quid tenendum ſit quærere, quoniam ſolius Pontificis ſit arguere, corrigere, increpare, ratum facere, diſponere, ſoluere, & ligare.* Hæc ille, quibus nihil illuſtrius eſſe poteſt in rem noſtram. Eadem Cyrilli verba poſt D. Thomam allegat Ioannes Turrecremata Cardinalis lib. de Poteſt. Auguſtinus Triumphus, & Gennadius auctor Operis quinquepartiti pro Synodo Florentina, qui omnes, vt meritò obſervavit Alanus Copus Dialogo primo cap. 13. dum differebant

bant adverſus Græcos Schiſmaticos non auderent allegare ea teſtimonia ex libris Theſauri S. Cyrilli, niſi certò noſſent in ijs adhuc extare. Quin & ex Græcis Patribus, qui ad Synodum eandem Florentinam convenerunt, Andræas Epiſcopus Coloſſenſis publicè allegavit Cyrillum in Theſauro mirè celebrantem Romani Pontificis ſupremam auctoritatem, nemine Græcorum diſſentiente, aut dubitante in oppoſitum. Quare audiendus nõ eſt Heterodoxus quidam, auctor Diſputationis de ſuppoſito, ſuperioribus annis Arauſione editæ; negans Cyrillo libros verè inſignes Theſauri, ac propterea erroris convictus à Petavio in Theologicis Dogmatibus, & à Raynaudo in Erotematis, qui & præterea Tomo XVIII. in Tractatu contra Ioannem Launoyum quæſito ſecundo eadem verba allegat. Execranda autem eſt audacia Cacodoxorum Ioannis Rainaldi, & Andreæ Riveti, qui ſanctiſſimo & eruditiſſimo illi Doctori crimen falſi obijciunt, quòd tantum honoris detulerit Apoſtolicæ Sedi, & Romano Pontifici. Fortaſsis verò ſæculo præcedenti ea teſtimonia extabant in aliquo exemplari Operum S. Cyrilli: ſiquidem ea Græcè exſcribunt & allegant Franciſcus Turrianus in Epilogo, ſubnot. 3. fructu 3. Lindanus lib. 2. de Pontif. Auctorit. cap. 4. & Hieronymus Donatus in Apologia pro Romano Pontifice.

61 S. Hieronymus, qui eodem ſæculo floruit, & anno 420. in cœlum abijſſe creditur, multis locis eandem veritatem profitetur, quorum aliqua ſolùm exſcribam. Imprimis enim Epiſt. 11. ſe profert oculatum teſtem Innumerabilium conſultationum circa fidem, directarum ex Oriente atque Occidente ad S. Damaſum Papam, dum ipſi adeſſet. Deinde ab eo terra marique disiunctus, in medijſque Orientalium factionibus neſciens cuinam partium ſubſcriberet, nec auſus ſe committere Paulino, aut Vitali, aut Meletio, ſuppliciter exorat Damaſum ipſum, interpoſito Crucifixi nomine, vt reſcribat & doceat quid credere debeat in graviſsima controverſia, quæ tunc agitabatur ingenti partium ſtudio, de Hypoſtaſibus: ſe paratum conteſtans ad aſſerendum & propugnandum quidquid Pontifex ipſe definiret. Quam Hieronymi confeſsionem & animi ſubmiſsionem in Sedis Apoſtolicæ iudicium allegat & ſuſpicit Carolus Magnus Franco-Gallorũ glorioſus Imperator lib. 1. cap. 6. eius Operis de Imaginibus, quod litteris Longobardicis ſcriptum in Bibliotheca Vaticana extare ſæculo præcedenti teſtabatur Auguſtinus Eugubinus lib. 2. in Vallam pag. 272. Verùm audiamus verba eiuſdem Doctoris Maximi in Expoſitione Symboli circa finem, miſſa ad ipſum S. Damaſum Papam, prout allegantur à D. Thom. 2. 2. q. 11. artic. 2. ad 3. *Hæc eſt fides, Papa Beatiſsime, quam in Catholica didicimus Eccleſia: in qua, ſi minùs peritè, aut parùm cautè, fortè aliquid poſitum eſt, EMENDARI CVPIMVS A TE, QVI PETRI FIDEM ET SEDEM TENES. Si autem hæc noſtra confeſsio APOSTOLATVS TVI IVDICIO comprobatur; quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Hactenus ille. Vide alia eius loca in Confeſsione Hieronymiana Schultingij cap. 9. art. 6.

62 Similiter Auguſtinus, clariſsimum Eccleſiæ & Theologiæ lumen, eandem doctrinam plurimis locis tradit, quorum aliqua decerpam, prætermiſſo etiam illo, quod ſuprà ſectione prima huius Diſputationis num. 3. dedi, & inſtar plurimorum eſſe poteſt. Etenim lib. primo contra Iulianum Pelagianum cap. 2. ante medium ſic illum redarguit, quòd circa controverſias de Gratia noluiſſet fidem præſtare definitionibus Romanorum Pontificum: *Puto tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo Martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. QVID ENIM POTVIT VIR ILLE SANCTVS AFRICANIS RESPONDERE CONCILIIS, NISI QVOD ANTIQVITVS APOSTOLICA SEDES, ET ROMANA CVM CÆTERIS TENET PERSEVERANTER ECCLESIA?* Vbi non ſolùm negat Innocentium Papam erraſſe in ijs definitionibus, ſed etiam errare potuiſſe. Similiter lib. de vtilitate credendi cap. 17. ait: *Non debere nos dubitare, eius Eccleſiæ gremio condere, quæ vſque ad confeſsionem generis humani, ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit. Cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Negare autem, vel in dubium vocare ea, quæ ſemel à Sede Apoſtolica ſunt definita, & compellare ad aliud tribunal, quaſi verius aut certius; perinde ferè eſt, ac nolle ſe committere gremio Eccleſiæ Romanæ, nec primas ipſi da-

date. Præterea Sermone 2. de verbis Apoſtoli obiter perſtringens Pelagianos hortatur auditores, vt ſiquos invenerint eo fermento corruptos, ſtatim eos traducant. *Redarguite*, inquit, *contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite. Iam enim de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam Reſcripta venerunt. CAVSA FINITA EST. Vtinam aliquando finiatur error.* Si autem ad terminandas cõtroverſias fidei opus eſſet Concilio Oecumenico, cùm neutrum eorum, quæ Auguſtinus memoratur, fuiſſet eiuſmodi, ſed Provinciale aut Nationale duntaxat, nondum eſſet cauſa finita, quamvis Sedis Apoſtolicæ Reſcripta acceſsiſſent, vt patet. Cenſuit ergo Auguſtinus, iudicium Sedis Apoſtolicæ, etiam ſine Concilio Oecumenico, eſſe infallibilem fidei regulam, à qua quiſquis deflectit, ſtatim traduci mereatur veluti hæreticus manifeſtus.

63 S. Leo Magnus, qui eodem ſæculo floruit, & Pontificatum Romanum geſſit ab anno 440. vſque ad 461. eandem veritatem multis locis teſtatam habet: ex quibus placet vnum ſeligere, quod habetur Epiſt. 89.
,, ipſius hiſce verbis: * Divinæ cultum religionis, quem in omnes Gentes, omneſque
,, nationes, Dei voluit gratia coruſcare, ita
,, Dominus noſter *IESVS CHRISTVS*
,, humani generis Salvator inſtituit, vt veri-
,, tas quæ anteà legis, & Prophetarum præco-
,, nio continebatur, per Apoſtolicam tubam
,, in ſalutem vniverſitatis exiret ſicut ſcrip-
,, tum eſt Pſalmo 18. In omnem terram exi-
,, vit ſonus eorum, & in fines orbis terræ
,, verba eorum. Sed huius muneris Sacramen-
,, tum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum
,, officium pertinere voluit, vt in beatiſsimo
,, Petro, Apoſtolorum omnium ſummo prin-
,, cipaliter collocaret: vt ab ipſo quaſi quo-
,, dam capite dona ſua, velut in omne corpus
,, diffunderet, *VT EXORTEM SE IN-*
,, *TELLIGERET MYSTERII*
,, *DIVINI, QVI AVSVS FVIS-*
,, *SET A PETRI SOLIDITATE*
,, *RECEDERE.* Hunc enim in conſortium
,, individuæ vnitatis aſſumptum, id quod ip-
,, ſe erat voluit nominari, dicendo: *TV ES*
,, *PETRVS, ET SVPER HANC*
,, *PETRAM ÆDIFICABO ECCLE-*
,, *SIAM MEAM*: vt æterni Templi
,, ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei in
,, Petri ſoliditate conſiſteret: hac Eccleſiam
,, ſuam firmitate corroborans, vt illam nec
,, humana temeritas poſſet appetere, nec por-
,, tæ contra illam inferi prævalerent. Verùm
,, hanc petræ iſtius ſacratiſsimam firmitatem,
,, Deo ædificante conſtructam, nimis impia
,, vult præſumptione violare, *QVISQVIS*
,, *EIVS POTESTATEM TEN-*
,, *TAT INFRINGERE, FA-*
,, *VENDO CVPIDITATIBVS*
,, *SVIS, ET ID QVOD ACCEPIT*
,, *A VETERIBVS, NON SE-*
,, *QVENDO*: cùm nulli ſe ſubditum legi,
,, nullis inſtitutionis Dominicæ credit le-
,, gibus contineri, à veſtro noſtroque per no-
,, væ vſurpationis ambitum more deſciſcens,
,, præſumẽdo illicita, & quæ cuſtodire debet,
,, negligendo. Verùm hæc nos, *DEO VT*
,, *CREDIMVS ASPIRANTE*,
,, ſervata circa vos noſtræ charitatis gratia,
,, quam ſanctitati veſtræ Apoſtolica ſemper
,, Sedes, vt meminiſtis, impendit, *NITI-*
,, *MVR CONSILIO MATV-*
,, *RIORE CORRIGERE, ET VE-*
,, *STRARVM ECCLESIARVM*
,, *STATVM, COMMVNICATO*
,, *VOBISCVM LABORE COM-*
,, *PONERE, NON NOVA INSTI-*
,, *TVENTES, SED VETERA*
,, *RENOVANTES*, vt in ſtatus con-
,, ſuetudine, quæ à Patribus eſt tradita, per-
,, duremus, & Deo noſtro per boni operis
,, miniſterium, remotis perturbationum ſcã-
,, dalis, placeamus. * Videat, quæſo, & intentè evolvat hæc Catholicus Lector, ab omni præiudicio liber: atque ediſſerat nobis, an non poſsit iure merito vſurpare verba eadem SS. D. N. Innocentius XI. hoc ipſo anno ad Epiſcopos illos Galliarum, qui die 19 Martij Declarationem illam in ſuperioribus exſcriptam, & vbique iam evulgatam ediderunt. Pro-
,, ſequitur Leo ſtatim; * Nobiſcum itaque ve-
,, ſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam
,, Sedem pro ſui reverentia, à veſtræ etiam
,, provinciæ Sacerdotibus innumeris rela-
,, tionibus eſſe conſultam; & pro diverſarum
,, (quemadmodum vetus conſuetudo poſce-
,, bat) appellatione cauſarum aut retractata,
,, aut confirmata fuiſſe iudicia: adeò vt ſer-
,, vata vnitate ſpiritus in vinculo pacis, com-
,, meantibus hinc inde litteris, quod ſanctè
,, agebatur, perpetuæ proficeret charitati.
,, Quam ſolicitudo noſtra nõ ſua quærens, ſed
,, quę ſunt Chriſti, &c. Hucuſque Leo loquens de ſumma auctoritate Sedis Apoſtolicæ, à qua reliquum Eccleſiæ corpus debeat doctrinam mutuari, & reſponſionem dubiorum accipere, quotcumque circa fidem occurrunt, ne à Petri ſoliditate recedat. Hoc autem, ſicuti & plura alia à Leone tradita, intelligi nequit, niſi Romanus Pontifex, tanquam Succeſſor eiuſdem Petri, ſit infallibilis in definiendo eiuſmodi controverſias.

S. Ge-

64 S.Gelaſius I. Papa electus circa finem eiuſdem ſæculi, nimirum anno 492. idipſum confirmat in Epiſt. Decretali ad Epiſcopos Dardaniæ, dicens: *Cuncta per mundū novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apoſtoli, ius habeat reſoluendi; vtpote quæ de omni Eccleſia fas habeat iudicandi; neque cuiquā de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte, canones appellari voluerunt; ab ea autē nemo ſit appellare permiſſus.* Quibus certè verbis iudicium Sedis Apoſtolicæ aſſerit irreformabile à quocumque alio, & ei ſoli adſcribit ſummā auctoritatem reſolvendi, ſeu finiēdi quaſlibet controverſias: idque teſtatur notum eſſe quibuslibet Eccleſijs. Deinde ſubdit, Iam olim Sedem Apoſtolicam, multa in rebus graviſsimis ſtatuiſſe nulla Synodo præcedente: multa item per Synodos decreta reſcidiſſe. Idque intelligit etiam de Synodis Oecumenicis, vt patet exemplo Flaviani, quod indicat, damnati à Synodo Epheſina Generali, cuius ſententiam irritam reddidit aut declaravit S. Leo Papa. Mitto plurima alia teſtimonia Patrum & Scriptorum eius ſæculi eodem ſpectātia: præſertim Vincentij Lirinenſis in Commonitorio multò poſt medium, Sozomeni lib. 6.cap.23. prope finem, S.Maximi Taurinenſis Homilia prima de Natali SS.Petri & Pauli, ante medium, S. Victoris Vticenſis lib. 2. de Perſecutione Vvandalica poſt medium, & Theodoreti in Epiſtola ad S.Leonem Papam, quæ extat in fine Operum illius.

65 Hactenus licuerit oſtendiſſe, Veterem Eccleſiam Catholicam quinque primis ſæculis certò & conſtanter tradidiſſe, auctoritatem Romani Pontificis eſſe ſupremam iure divino, eiuſque iudicium in quibuslibet controverſijs fidei & morum prorſus infallibile, atque irreformabile. Vnde conſtat, iure merito Illuſtriſsimum & doctiſsimum Clerum Gallicanum ita teſtatum eſſe in litteris ad Innocentium X. ſcriptis die 19. Iulij anno 1653. quidquid in oppoſitum præſeferat Declaratio eiuſdem Cleri nomine edita hoc anno 1682. Conſtat præterea, eam ſententiā omnino certā eſſe: vtpotè cui aſſenſum indubiè præſtiterit Eccleſia Catholica quinque integris ſæculis, veluti ſatis contentæ & traditæ in ipſis promiſsionibus Chriſti ad S. Petrum, eiuſque Succeſſores. Alioqui illa miſerè erraſſet tanto tempore, idq; in re graviſsima. quod vel exiſtimare, nefas ſit. Quid ſi addamus, nominatim Eccleſiam Gallicanā ſemper in eadem doctrina atq; à principio fuiſſe. prout quinque prioribus Diſputationibus oſtenſum fuit? Sed & ſi quæ difficultates in contrarium obijci poſſunt circa quinque priora ſæcula, aut poſteriora, in progreſſu obijciemus & ſolvemus.

SECTIO OCTAVA.

Digreſsio incidens, an intra idem ſæculum quintum verè extiterit hæreſis Prædeſtinatiana, eaque damnata fuerit à Sede Apoſtolica extra omne Generale Conciliū. Vbi de Fauſto Regienſi, Gennadio, & alijs Maſsilienſibus.

66 LICEAT Hoc loco tantiſper divertere ad controverſiam non prorſus alienam à ſcopo huius Operis, & ſpectantem ad idem ſæculum, in quo verſabamur: Bimembris eſt quæſtio hæc, & præcipuè quoad priorem partem celebris inter eruditos Scriptores huius ſæculi, quotquot antiquitatē Eccleſiaſticam adhuc latentem ex libris Veterū attentiùs perlectis eruere conantur. Quamvis verò apud nonnullos latiſsimè tractata inveniatur, nos breviter illā expediemus, & inſtituto noſtro adaptabimus.

SVBSECTIO PRIMA.

Prædeſtinatianæ hæreſeos initium à primis ferè ſæculis Chriſtianæ Ætatis, eiuſque multiplex acceptio. Illam verè extitiſſe ſæculo quinto, quinam contendant, & quibus fundamentis innitantur.

67 HÆRESIS Prædeſtinatianæ appellatione generatim ſignificari poteſt quælibet doctrina fidei contraria circa prædeſtinationē: ſive ſalutem æternā hominis & electionem annectat naturalibus arbitrij viribus in obſequium Pelagij; ſive illam conſtituat in fatali quadam neceſsitate auferente libertatem ad bene aut malè agendum cū Calvino. Vtrovis ſenſu illa accipiatur, tradita fuit à quibuſdā Hæreſiarchis veteribus præſertim Valentinianis, Baſilidianis, & Manichæis, alijſque aſſerentibus, quoſdā eſſe naturaliter bonos & electos, fideleſque, alios naturaliter malos, infideles, ac reprobos. Nimirum, teſte Clemente Alexandrino initio lib. 5. Stromat. Valentiniani, & Baſilidiani aiebant, quoſdā eſſe φύσει σωζομένους, καὶ πιστοὺς, καὶ ἐκλεκτοὺς; id eſt, natura factos ad ſalutem, & fidem, & electos. in quo ſanè iaciebant ſentina erroris Pelagiani. Deinde, vt referunt S. Irenæus lib. 4. c. 74. & Orig. lib. 1. in Epiſt. ad Rom. c. 1. ac præterea lib. 3. περὶ ἀρχῶν c. 1. dicebât, *nō eſſe in noſtra poteſtate vt ſaluemur, ſed naturas eſſe animarū tales, quæ in omni* ge-

genere vel pereant, vel ſaluentur; nec vllo modo poſsit anima, quæ mala facta eſt, bona fieri; aut quæ bona fierit, mala effici. In quo certè errore non parum prçludebant Calvino. Verùm in hoc ab eo diſsident, & magis Pelagio adhærent, quòd ne verbum quidẽ faciant de gratia Dei in ordine ad ſalutem hominis. Ideoque Eeeleſia Lugduuenſis in libro contra Ioannẽ Scotum (qui primò editus legitur Tomo II. Auctarij Bibliot. VV. Patrum, col. 224. ſcitè dixit: *Antiquiſsimi & impiiſsimi illi hæretici Marcion, & Valentinus, & Manichæus, qui vel duo, vel tria principia introduxerunt, & ideo duas naturas vel Angelorũ, vel hominũ aſſeruerunt, id eſt vnã bonam, & alterã malam; illam ita eſſe bonam, vt aliud eſſe non poſsit; iſtam è contrario ita eſſe malã, vt ſimiliter aliud eſſe non poſsit: nihil omninò de gratia Dei dixerunt, ſed ſolam naturam naturaliter vel bonam eſſe, vel malã ſtultiſsimè defendere conati ſunt.* Vide etiam Baronium ad annum Chriſti 120. vbi de Baſilidis erroribus diſſerit, poſt Auguſtinũ Hæreſi 11. & Alphonſum à Caſtro verbo *Peccatum* Hæreſi 3. vbi de Valentinianis ſermo eſt; ac præterea conſule Auguſtinum ipſum Hæreſi 46. Epiphaniũ Hęreſi 66. vbi plura de Manichæorum delirijs. Eam verò hæreſim Romani Pontifices tunc temporis Sedem Apoſtolicam regentes, abſq; vllo Concilio Oecumenico damnarunt. neque enim vllum eiuſmodi congregatum fuiſſe niſi multò pòſtea, id eſt, anno 325. iam ſæpè in ſuperioribus obſervatum fuit.

Prædicto ſenſu nulli dubium eſſe poteſt, ſæculis ſecundo ac tertio, in quibus ea monſtra ab Orco ipſo eruperunt, fuiſſe aliquam hæreſim Prædeſtinatianam, ſeu verſantẽ circa prædeſtinationẽ aut electionem fatalẽ hominis, tum ad vitam, tum ad mortẽ æternam, quæ non ſineret locum libertati; ſed neceſsitate quadam perduceret ad ſalutem, vel ſempiternũ interitum. Quare ſimiliter hæreſis Pelagij circa hominũ prædeſtinationem innitentem meritis ex viribus ſolius naturæ ortis, & non ex gratia Dei, appellari potuit Prædeſtinatiana. Nondum tamen reipſa ac de facto, eam appellationem ſortita eſt, ſicuti nec hæreſibus nuper commemoratis veterum illorum erronum id cognomentum ab aliquo tributum legitur. Diſsidium itaque præcipuum eſt, An ſæculo quinto extiterit verè aliqua hæreſis circa prædeſtinationem, auferens hominibus liberum arbitrium, & inducens aliquam neceſsitatem fatalem ad bene aut malè agendum: ſi verò extitit, an à Concilio aliquo Generali, au ſolùm à Romano Pontifice damnata fuerit.

68 Extitiſſe reipſa eam hæreſim quinto ſæculo, teſtatur Sigebertus mox allegandus, & poſt ipſum Noſter Genebrardus, Alphonſus de Caſtro, & Cardinalis Baronius ad annũ Chriſti 419. Tomo VI. & 529. Tomo VII. Spondanus verò ad annum 520. n. 4. Ludov. Cellotius, Dionyſius Petavius, Stephanus Dechamps, Philippus Labbè, & vberrimè omniũ Iacobus Sirmondus. Idque imprimis videtur conſtare ex Chronico S. Proſperi nomine edito ac deſinente ad annum Theodoſij Iunioris decimum octavum, qui fuit epochæ Chriſtianæ quadrigenteſimus quadrageſimus quartus: in quo dicitur: *Prædeſtinatianorum hæreſis, quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa eſt.* Nec refert quòd poſtea elapſis ſeptem ſæculis Sigebertus ſcribens ad annom 414. ea verba correxerit, quaſi Proſper dicere voluerit, non *ab Auguſtino*; ſed potiùs *ab Auguſtini libris malè intellectis.* qua correctione adhibita V. Cl. Petrus Pithœus id Chronicõ Proſperi recudendum curavit. Non, inquam, id refert: cùm in omnibus editionibus antecedentibus & exemplaribus manuſcriptis, quotquot inveniri potuerunt, legantur verba illa *ab Auguſtino.* Deinde, vtcumque res ſe habeat, & vtrovis modo loquente Proſpero, videtur exinde conſtare, circa annum 414. verè initium fuiſſe hæreſis Prædeſtinatianæ.

69 Secundo id colligi videtur ex Concilijs Arelatenſi & Lugdunenſi celebratis eodem ſæculo circa annum 475. ad condemnandum errores Prædeſtinatianorum, & quorundam aliorum. quod ex libris Fauſti Reienſis Epiſcopi de Gratia Dei & humanæ mentis arbitrio conſtat, ac præterea ex eius Epiſtola ad Lucidum, & ex huius ſuum errorem retractantis libello, primùm edito ab Henrico Caniſio. Cùm enim Lucidus Præsbyter in eos errores incidiſſet, Fauſtus ex Abbate Lerinenſi factus Epiſcopus Regienſis in Gallia, inſignis apud omnes æſtimationis, ſcripſit epiſtolam quandam cum Anathematiſmis adverſus errores prædictos: quam poſtea Patres Concilij Arelatenſis probarunt vt Catholicam, & ipſe Lucidus abiurata hæreſi ſuſcepit. Non eſt autem ſimile vero in ijs Concilijs memorari & damnari hæreſim, tanquam eo ſæculo ortam, quin illa verè extiterit, aut diſſeminata fuerit.

70 Tertio ex Concilio Arauſicano II. celebrato pariter in Gallijs ſæculo proximè ſequenti, anno epochæ Chriſtianæ DXXIX. ſub Felice IV. Papa, aliàs III. in quo dicitur Canone 25. *Aliquos diuina poteſtate ad malum prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantũ mali credere velint, cum omni deteſtatione anathe-*

thema dicimus. Qui canon cum aliis eiuſdē Concilij confirmatus fuit aut ſeptem aut novemdecim menſibus poſtea à Bonifacio II. Papa, qui anno ſequenti DXXX. renunciatus fuit Pontifex R. Videtur autem certum, iis verbis denotari & damnari hæreſim Prædeſtinatianā, veluti quæ antea extitiſſet, & de quā dubitaretur an adhuc permaneret in mentibus aliquorum, quibus ij Patres dicunt anathema. Alioqui extra rem illa proſcriberetur. Non enim Concilia damnant hæreſes poſsibiles; ſed illas tantum quæ ortæ ſunt; aut proximè oriturae timentur.

70 Confirmatur ex alijs Concilijs in Gallia ſimiliter ac Germania celebratis ſæculo nono adverſus Godeſcalcum ſive Gotheſcalcum, tanquam inſtauratorem hæreſeos Prædeſtinatianæ. Talia fuerunt, Moguntinū ſub Rabano Mauro, anno Chriſti 848. Cariſiacenſe ſub Hincmaro Archiep. Rhemenſi eodē anno aut ſequenti, & Valentinū coactum anno 855. præſentibus tribus Metropolitanis, Lugdunēſi, Viennenſi, & Arelatenſi: in quo Patres cōgregati innitentes Canoni Arauſicano nuper exſcripto, poſt plura alia, concludunt: *Verùm aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe divina poteſtate, VIDELICET, VT QVASI ALIVD ESSE NON POSSENT, non ſolùm non credimus; ſed etiam ſi ſunt qui tantum mali credere velint, cum omni deteſtatione anathema illis dicimus:* Immo & Tridentinum ſeſs. 6. can. 17. videtur eodē reſpexiſſe, vbi allegato ad marginem Can. 25. iam citato Concilij II. Arauſicani, definit: *Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem; ſed gratiam non accipere, VT POTE DIVINA POTESTATE PRÆDESTINATOS AD MALAM, anathema ſit.*

71 Porrò Hincmarus Archiep. Rhemenſis, qui memorato Concilio Cariſiacenſi interfuit, in Epiſtola ſcripta ad Pontificem R. Nicolaum I. (quæ legitur apud Flodoardum lib. 3. Hiſtoriæ Rhemenſis cap. 13. & videri poteſt inter cæteras Hincmari editas cura Sirmondi) accuſat prædictū Godeſcalcum, veluti infectum hæreſi Prædeſtinatiana, & propterea damnatum in eo Concilio: additque, illam ipſam primùm in Africa ortā, poſtea in Gallijs, ſub initium hęreſis Neſtorianæ; damnatā verò fuiſſe auctoritate Cœleſtini Papæ, & Proſperi cura ac ſtudio revictam & eliminatam. Videtur autem fides in hoc deferenda Hincmaro, veluti viro eruditiſsimo eius noni ſæculi: qui id affirmare non fuiſſet auſus, niſi rem compertam habuiſſet. Putandum itaque eſt, verè extitiſſe eam hæreſim ſub initium alterius Neſtorianæ, quam certum eſt eodem quinto ſæculo exortam, ac tempore prædicti Cœleſtini Papæ: Vt etiam obſervat poſt plures alios in Rationario Temporum Dionyſius Petavius, anno ſexto Cœleſtini labente, Chriſti verò 428. Neſtorius Antiochenus in locum Siſinnij Conſtantinopolitanus Præſul ordinatus fuit, qui ſubinde ſuam vulgavit hęreſim ab ipſo cognominatam, ob quam eliminandā triennio poſt coacta fuit Synodus Generalis Epheſina, Chriſti quadrigenteſimo trigeſimo primo.

72 Quartò ex teſtimonio Gennadij Maſsilienſis, qui ſæculo ipſo quinto floruit; & teſtatum reliquit, ſe ſcripſiſſe libros octo adverſus omnes hæreſes; ac præterea ſex contra Neſtorium, & tres adverſus Pelagium, quamvis ij omnes videantur incuria temporū periſſe. Extant tamen adhuc, veluti Appendices ad librum S. Auguſtini de Hæreſibus, ſubiunctæ quatuor hæreſes Prędeſtinatiana, Neſtoriana, Eutychiana, & Timotheana, in varijs codicibus M.SS. præſertim in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis, vt teſtatur Sirmondus lib. de Hiſtoria Prædeſtinatiana cap. 6. inde potiſsimùm Ianſenianam doctrinam refellens, & Gerardus Ioannes Voſsius lib. 1. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 10. ac lib. 2. de Hiſtoricis Latinis. Porrò in ea Appendice, ſive Indiculo, Gennadius notans Prædeſtinatianos, ijs adſcribit eadem dogmata, quæ communiter traduntur fuiſſe propria eius erroris, ſive ſectæ. Videtur autem incredibile, Gennadium ſcribentem adverſus hęreſes pręcipuas ſuo ſæculo ortas, finxiſſe quandam aliam Prędeſtinatianorum, quæ nullatenus extiterit. Quod verò plerique Recentiorum ab appoſita ſententia ſtantes, Gennadium hęreſeos incuſent, eiuſque auctoritatem flocci faciant, nihil obſtat. Nam, vt inquit Gneſnayus in ſuo Caſsiano illuſtrato, videtur fides Gennadio habenda: ſiquidem Adrianus I. Papa Epiſt. 3. ad Carolum Regem Francorum, valde honorificè de eo loquitur, & cum laude illum allegat in pręſidium ſuæ cauſæ, veluti Scriptorem Catholicum, vt probet legitimum eſſe cultum ſacrarum reliquiarum: quin & ipſum titulo Sanctitatis honeſtat: Ait enim: *Sanctiſsimorum Pontificum hæc oblata ſunt teſtimonia: id eſt S. Gennadij Maſsilienſis Epiſcopi, &c.*

(?)

SVBSECTIO SECVNDA.

Aliorum ſententia arbitrantium, eam hæreſim fuiſſe merum Semipelagianorum inventum, præſertim Gennadij Maſsilienſis, & Fauſti Regienſis, vt invidiā conflarent doctrinæ S. Auguſtini, iam tunc celebri apud omnes Catholicos.

73 EX Oppoſito alij docti atque eruditi Recentiores, & noviſsimè Caballutius in Notitia Eccleſ. ſæculi quinti, poſt Præſidē Mauguinū, contēdunt, nullā eiuſmodi hæreſim ſæculo quinto extitiſſe, ſed ſolū fuiſſe fictā à ſectatorib⁹ Pelagij, vel ex toto, vel ex parte, qui, vt invidiā parerēt doctrinæ S. Auguſtini ipſorum debellatoris, & exoſam Eccleſiæ redderent, hæreſim prædictam commenti ſunt, tanquam in eius Sanctiſs. Doctoris lucubrationibus contentā, præſertim in ijs quibus exponit prædeſtinationē divinam ſecundùm propoſitū immuabile Dei, non autem ex operibus, adhuc quoad initiū iuſtificationis. Hinc enim colligebant, tanquā ex ſenſu Auguſtini, omnes illos qui prædeſtinati ſunt, neceſsitate quadā veluti fatali determinatos eſſe ad bene agendū, nec poſſe pro libito deſciſcere ab honeſtate, vt propoſitum Dei impleatur: è contra verò alios, qui prædeſtinati non fuerunt ab æterno, ita eſſe determinatos ad malum agendum, vt non poſsint bonū agere, nec vllo modo contendere in ſalutem: cùm non ſit poſsibile illam obtinere niſi præcedente Dei propoſito circa eam conferendam. Quare colligebant demum, hos poſteriores eſſe prædeſtinatos ad malum poteſtate divina.

74 Suadetur primò hęc ſentētia ex Epiſt. S. Proſperi ad Auguſtin. in qua refert convicia Maſsilienſium (qui Semipelagiani appellati ſunt) adverſus ipſius doctrinā, quam aiebant *lapſis curā reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre, eò quòd vtraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus vlla induſtria poſsit intrare, neque electus vlla negligentia poſsit excidere. quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quā Deus definivit, accidere.* Non ergo erat tunc aliqua hæreſis circa prædeſtinationē fatalem in re, ſed ſolū colligebatur præpoſterè à Semipelagianis ex doctrina Auguſtini, & vulgabatur quaſi in eius libris contenta, ac ſi S. Doctor aſſereret, homines electos adigi neceſſariò ad bonum poteſtate divina; reprobos autē, ſeu non electos, neceſsitate pari eſſe obfirmatos in malo, ſeu prædeſtinatos ad malum culpæ; cùm tamen Auguſtinus, eiuſq; ſectatores nihil huiuſmodi docerent, & conſtanter negarent ea abſurda colligi ex ipſorum ſententia.

75 Vrgetur coniectura eadem: quoniam idem Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. c. 1. reſcribens Proſpero atque Hilario circa ea, quæ à Maſsilienſibus diſsiminabantur contra ipſius doctrinā, de his reſtatur, cognoviſſe quidem peccatum primi hominis ad poſteros traductum, quod negavit Pelagius, adhuc tamen caliginem pati circa prædeſtinationem Sanctorum: *Pervenerunt autem* (inquit) *iſti fratres noſtri vt credant cum Eccleſia, peccato primi hominis obnoxiū naſci genus humanum.* Ac deinde: *Fratres quippe, pro quibus geritis curam adhuc in quæſtione caligant de prædeſtinatione Sāctorū.* Deinde c. 3. fatetur, ſe aliquando in eo errore fuiſſe, quo ij adhuc erant involuti, vt fides qua in Deum credimus, ac proinde initium aliquod iuſtificationis, non ſit donum Dei, ſed opus naturæ, ſive ſolius liberi arbitrij. Quare eam opinionem planè contrariam divinæ prædeſtinationi ſecundùm propoſitum voluntatis divinæ retractat, inquiens: *Non ſic pius, atque humilis Doctor ille ſapiebat (Cyprianum beatiſsimum loquor) qui dixit, in nullo eſſe gloriandū, quando noſtrum nihil eſt. Quod vt oſtenderet, adhibuit Apoſtolum teſtem, dicentē: Quid autē habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Quo præcipuè teſtimonio etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis.* Maſsilienſes itaque in ea opinione adhuc hærentes, notantur erroris & caligare cenſentur ab Auguſtino. Quid ergo mirum ſi pertinaces in ea ſiniſtra opinione aliquid reponerent, & eidem S. Doctori tribuerent errorem alium circa prædeſtinationem fatali neceſsitate inferentem bona opera in electis; mala autèm in reprobis, ſive non prædeſtinatis ad vitam, ſed ad interitum ſempiternum?

76 Secundò ſuadetur ex germano Chronico S. Proſperi ſcribentis illud in Gallia eo ipſo tempore, in quo Auctores prioris opinionis relati ſectione præcedenti aiunt, hæreſim Prædeſtinatianam primùm in Africa, & ſubinde in Gallijs ortam fuiſſe. Nimirū Chronicon germanū S. Proſperi deſinit anno Chriſti 444. hæreſis autem prædicta dicitur incepiſſe ſub initium perfidiæ Neſtorianæ, quæ cœpit circa annum 429. vt paulo antè vidimus; ſive potiùs anno 415. in quo Sigebertus eam collocat. Quid autem eſt, quòd in decurſu eorum annorum, & in toto Proſperi Chronico, nec verbum habetur de Prædeſtinatianorū hæreſi? Neque quiſquam alius eius ſæculi Scriptor, niſi palam fœdatus fuligine Semipelagiana, illius meminiſſe invenitur. Suppoſititia igitur

eſt,

eſt,& à Maſsilienſibus ficta in odium doctrinæ traditæ ab Auguſtino.

77 Ex Germano, inquam, Proſperi Chronico Nam Semipelagiani, ſive in odiũ Catholicæ ſententiæ, ſive vt tanti viri auctoritate fidem ſuæ ſectæ conciliarent, creduntur finxiſſe, ſive ſuppoſuiſſe eidẽ Proſpero aliud Chronicon pariter deſinens anno Chriſti 444. in quo non ſolùm miris laudibus in cœlũ efferebatur Caſsianus eiuſdẽ factionis ſignifer; verum etiã addebantur hæc verba in odiũ S. Auguſtini: *Prædeſtinatianorũ hæreſis, quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initiũ; his tẽporibus ſerpere exorſa eſt.* Quã loquendi ac debacchãdi in Auguſtinũ licentiã quamvis Sigebertus novẽ ſeculis poſt corrigere voluerit; quaſi Chronicon illud Proſperi nomine editũ dicere voluerit, eam hęreſim non ab Auguſtino, ſed ex libris illius perperam intellectis ortam fuiſſe; non potuit ſatis delere: quoniã in omnibus veteribus manuſcriptis, quotquot hactenus inveniri potuerunt eius Chronici, extant verba illa, prout nuper à nobis exſcripta ſunt: idque fatetur Iacobus Sirmondus ab opinione contraria ſtans. Videtur autẽ manifeſtum, id Chronicũ, in quo Caſsianus impensè extollitur, & Auguſtinus deprimitur, alieniſsimum fuiſſe à Proſpero; & inventũ proprium Semipelagianorum. Ergo & hæreſis Prædeſtinatiana in eo commemorata, prorſus commẽtitia eſt, & ab ijs ſuppoſita doctrinæ S. Auguſtini, tanquam ipſius fœtus.

78 Confirmatur idipſum, ſimul & refelluntur teſtimonia Gennadij, Fauſti, aliorumq; ex Maſsilienſibus, quibus innituntur Auctores opinionis contrarię, vt affirment ſęculo quinto extitiſſe prędictam hæreſim. Etenim imprimis Gennadio nulla in ea re fides adhibenda eſt: vtpote diſcipulo Caſsiani Semipelagianorũ ſigniferi, & ipſius hæredi in refellenda neceſsitate gratiæ ab Auguſtino tradita, etiã ad initiũ fidei & ſalutis. Deinde, quidquid ſit an Gennadius ſcripſerit varios libros contra hęreſes ſuo tempore ortas, notũ eſt, duo præcipua illius Opera extare: alterũ, de Dogmatibus Eccleſiaſticis, Pelagiano fermento corruptum, quod ad fraudẽ incautorum hominũ Auguſtino ſuppoſitũ fuit, ſicuti & Proſpero Chronicõ paulò ante memoratum: alterum de Illuſtribus Scriptoribus: in quo iniquiorẽ ſe præbet erga Auguſtinum, Hieronymum, & Proſperũ, Pelagij impugnatores: è contra verò, Rufinũ, Caſsianum, & Fauſtũ Reienſem, Pelagio adhærẽtes quoddam modo, miris elogijs celebrat. Quare ſapientiſsimus Cardinalis Bellarminus in Aureo Opere de Scriptoribus Eccleſ. inquit de illo: *In illo libro, quem de Viris Illuſtribus ſcripſit, ſuſpicionẽ non parvã reliquit ſuæ non rectæ fidei. Laudavit enim Caſsianum, & Fauſtum, qui Semipelagiani fuerunt: & S. Proſperum depreſsit, qui pro gratia Dei contra Pelagiũ fortiſsimè dimicavit.* Quin & Auguſtinum nominatim ſugillat & accuſat multiloquij, exiguæq; ſinceritatis, cùm in alijs diſputationibus, tum in quæſtione de reſurrectione mortuorũ: additq; illum ita erraſſe in diſſerendo, vt tamen nondum fuiſſet hæreſeos nota inuſtus. Hieronymũ deinde appellat Ruffini obtrectatorẽ, & arguit quaſi æmulationis œſtro percitus in illum exacuerit ſtylũ. Denique de Proſpero inquit: *Vidi librũ aduerſus Opuſcula* (nimirũ, Caſsiani, & Vincentij) *quæ Eccleſia Dei probat, ſed ille infamat nociva.* Prętereа lib. de Gratia Dei ſcriptũ à Fauſto Reienſi, eiuſdẽ Caſsiani erroribus imbuto, vocat opus egregiũ, & Fauſtum ipſum eximij Doctoris titulo honeſtat. Atque in calce Indiculi de Hæreſibus, vbi notat Prędeſtinatianos, his adſcribit eadẽ dogmata, quæ reliqui Semipelagiani apud Proſperum in obiectionibus Gallorum, Auguſtino tribuunt, quòd docuiſſet neceſsitatẽ gratię pervenientis ad initiũ fidei, & prędeſtinationem ſecundùm propoſitũ Dei gratuitum; quaſi perinde eſſet, ac libertatẽ humanã de medio tollere, & fatalẽ neceſsitatem inducere, hominesq; adigere in deſperationẽ, veluti divina poteſtate ad malũ culpæ prædeſtinatos. quæ omnia aliena erant à mente Auguſtini. Nullum itaque fundamentũ firmũ peti poteſt ex ſcriptis Gennadij; vtpote in id ſpectantibus, vt Auguſtino conflarent invidiam. Quod ingenuè profitetur eruditiſsimus Vir Dionyſius Petavius Tomo I. Theologic. Dogmat. lib. 9. c. 2. Nam quamvis ibidẽ ſubſcribat opinioni contrariæ, lèniter id pręſtat, ac propemodũ dubius hęret inter vtramq; opinionẽ, dum concludit n. 2. *Igitur Prædeſtinatianos propriũ quendam errorẽ habuiſſe, ex Lucidi Præsbyteri recantatione veriſimile eſt.* Pręmiſſerat verò paulo antè de Gennadio ipſo: *In calce Indiculi de Hæreſibus, qui Hieronymo inſcribitur, ex Gennadio Maſsiliẽſi Præsbytero nonnulla referuntur eorum opinionis capita, quæ maiori ex parte Auguſtini dogma ſapiunt: NISI QVOD AD INVIDIAM ILLI FACIENDAM CALVMNIOSE CONCEPTA SVNT.* Paulo autẽ inferiùs ſubdit de Fauſto Reienſi (cuius teſtimoniũ pro contraria opinione pariter à Sirmondo & alijs appellari ſolet) & Semipelagianas hęreſis apertè tradidiſſe, & doctrinã S. Auguſtini, quantumvis diſsimulare id conetur, quoad omnia impugnaſſe, in ijs libris, quos adverſus hæreſim prædictã ſcripſit. Incaſſum itaq; allegãtur teſtimonia Gennadij & Fauſti ad ſuadendum, eo ſęculo extitiſſe

Prædeſtinatianam hæreſim, quæ ſolùm imaginaria fuit, & ab ijs conficta in odiũ doctrinæ S. Auguſtini. Quamvis ſilentio prætereundum non ſit quod Baronius obſervat ad annũ 490. n. 43. Gennadium Gelaſij Papæ correptione emendatum fuiſſe, & integrè ad Catholicam fidẽ rediſſe, ſcripto ea de re libello ipſi Pontifici oblato. quod de ſe teſtatur idẽ Gennadius in Vita S. Hilarij Arelatenſis cap. vlt. vbi inquit: *Opus de fide mea miſsi ad Beatum Gelaſium Vrbis Romæ Epiſcopũ.* Vide Voſſium lib. 1. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 10. Id tamen non prohibet vt tempore antecedenti, dum ederet lucubrationes ſuas, in prædicto errore fuerit.

SVBSECTIO TERTIA.

Fertur iudicium de vtraque opinione: & oſtenditur, non extitiſſe eo ſæculo prædictã hæreſim tanquam popularem, aut communem, vel ab Auguſtinianis traditam, prout Semipelagiani comminiſcebantur: extitiſſe tamen apud quoſdam illorum, ex imperitia & ſiniſtra interpretatione doctrinæ S. Auguſtini. Porrò eam damnatam fuiſſe à Sede Apoſtolica extra omne Generale Concilium.

79 VIDIMVS Vtraque ſectione præcedenti, quanta partium contentione quidam affirment, alij è contra negent extitiſſe quinto ſæculo vllã Prędeſtinatianorũ hæreſim. Nos autem, re hinc inde diſcuſſa, vtramque opinionẽ quoddammodo verã arbitramur, & quoddammodo à veritate alienam. Aſſertio itaque ſit, Prædeſtinatianã hæreſim non extitiſſe ſæculo illo, nec in immediatè ſequentibus, tanquã errorẽ aliquẽ communem in Natione aliqua, aut Provincia Orbis Chriſtiani, aut in certo quodam hominũ ſtatu, factioneve, inſtar aliarum hæreſeon: extitiſſe tamen in quibuſdã ſequentiũ doctrinã S. Auguſtini ſiniſtrè intellectã, & iuxta ſenſum alieniſsimum à S. Doctore. Aſſertio eſt bimẽbris, & quod vtramque partem ſuadenda.

80 Prior pars probatur ſufficienter fundamentis opinionis negantis, quam propoſuimus ſubſectione præcedenti; & vlteriùs ſuadetur multipliciter. Primò ex hiſtoria & chronologia temporis illius, in quo ea collocatur à Scriptoribus relatis pro priori opinione. Nimirũ Gennadius ipſo ſæculo quinto, Hincmarus nono, & Sigebertus vndecimo, ſcribentes, aiunt eam ſerpere incepiſſe, vel ſub initium perfidiæ Neſtorianæ (vt habetur in pſeudochronico Proſperi. & in Epiſtola Hincmari ad Nicolaum Papam) quæ contigit circa annum Chriſti 429. vel potiùs anno 414. aut 415. vt Sigebertus vult. Atqui eo tempore nullã fuiſſe hæreſim quoquo modo publicã circa prædeſtinationem fatalem, aut contrariam libertati humanæ, videtur manifeſtum. Non enim modò de illa altum vbique ſilentiũ eſt apud omnes Hiſtoricos, & Scriptores eius ſæculi (ſi Semipelagianos excipias) prout obſervãt Auctores poſterioris opinionis allegati ſubſ. 2. ſed etiam apertè convincitur, quia toto eo tempore, immo & ab initio eiuſdẽ ſæculi quinti floruit S. Auguſtinus, ſcripſitque contra omnes hæreſes in eo ortas, & nominatim contra Pelagianam vſque ad annum 430. in quo ad cœlum translatus fuit; & tamen nullibi Prædeſtinatianæ meminit. Nimirum, cùm indictũ fuiſſet Concilium Generale Epheſinũ contra Neſtorium, quod anno Chriſti 431. celebratum fuit, S. Auguſtinus vocatus fuit illuc à S. Cœleſtino Papa: ſed morte glorioſa præventus anno 430. non potuit cum cæteris Patribus convenire ad damnandũ Neſtorium. Alienum autẽ eſt ab omni ſpecie veri, præſtantiſsimum Eccleſiæ Doctorem, qui omnes ſui temporis, immò & aliorũ præcedentium, quà verbo, quà ſcriptis contriverat hæreſes, eam vnam Prædeſtinatianorũ inultam relicturum, aut permiſſurum liberè graſſari, ſi vel in Africa, vel in Gallia, Italiave, aut alibi terrarum publicè vagaretur. Nec præterea vllus ex Pontificibus Romanis eius temporis, ſanctiſsimis certè & vigilantiſsimis, illam damnaſſe invenitur. quod argumento eſt, talem hæreſim non extitiſſe tunc, ſaltem popularem, aut publicam.

81 Deinde ſub mortem Auguſtini, quando iam in Oriente virus Neſtorianæ hæreſeos ſerpere inceperat, Proſper & Hilarius accurrerunt ad S. Cœleſtinũ Papam, vt convelleret reliquias Pelagianorũ, quæ in Gallijs erant, & frænaret quorundã maledicentiã, qua doctrinã Auguſtini circa prædeſtinationẽ purè gratuitam, & neceſsitatẽ gratiæ internæ excitantis ad initiũ fidei, impunè criminabantur, eiuſq; memoriã Orbi Catholico exoſam reddere ſatagebant. Pontifex verò annuit vtriuſq; votis & edidit celeberrimam illam Epiſt. Decretalẽ ad Galliæ Epiſcopos, cui initium, *Apoſtolici verba præcepti ſunt*: & in ea redarguit, ac mutos eſſe vult Præsbyteros illos in Gallijs criminantes Auguſtinũ, quem præterea, paulò antè vita functũ, miris laudibus in cęlũ effert, veluti perpetuò Catholicum Doctorem, quem nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis rumor adſperſerit, &c. Tandemque præcipua illius dogmata, iam antea in Concilijs Africanis edita, nominatim confirmat, nec Catholicum haberi vult, qui docuerit aliquid ijs contrarium. Scio eſſe nonnullos Recentiorum qui negent, illã partem dogmaticam, quæ Epiſtolæ Cœleſtini ad-

ium-

ſuncta eſt, non eſſe ab ipſo Pontifice ſcriptũ, ſed additã poſtea à quodam alio, præſertim à S. Proſpero. Quod ſi verũ ſit, poterunt excuſari ab hæreſi formali Fauſtus; & reliqui ferè Semipelagiani toto eo quinto ſæculo, in quo nulla alia damnatio Pontificia invenitur. Sed de hoc alibi.

82 Hinc autem colligitur, Præsbyteros illos Galliarũ à Cœleſtino reprehenſos, incubuiſſe omnibus modis & arte Pelaſga, vt invidiã parerent doctrinæ S. Auguſtini, præſertim circa neceſsitatẽ gratiæ divinæ prævenientis & adiuvantis ad initiũ fidei, ac circa prędeſtinationẽ ſecundùm propoſitũ voluntatis divinæ. Et quemadmodum auſi ſunt ea Auguſtini dogmata traducere veluti hæretica; ita etiam omnes illius ſectatores in ijs, qui erant innumeri, non dubitarunt inurere nota hæreſeos, quam Prędeſtinatianã voluerunt appellari, veluti ſectam aliquã communẽ errantium circa prædeſtinationẽ Dei, & inducentium fatalem neceſsitatẽ, vt propterea non eſſet locus correptioni errantiũ, aut qualitercumque peccantium. Nimirũ, ea abſurda, nullatenus tradita ab Auguſtino, nec conceſſa ab ipſius ſectatoribus, doctis ſaltẽ & prudentibus, adſcribebantur ipſi tanquã dogmata inducentia necesſitatẽ fatalẽ, & eripientia hominibus liberũ arbitriũ.

83 Ea verò calumnia, ſeu impoſtura adverſus S. Auguſtin. eiuſque diſcipulos omnes, veluti ſecta aliqua communis ipſorũ, cenſetur prodijſſe è Semipelagianis, & potiſsimùm ex Gennadio Maſsilienſi, de quo ſupr. n. 78. & priùs ex Fauſto Regienſi, qui altè ebiberat, & menti infixerat magiſtri ſui Caſsiani errores cõtrarios neceſsitati divinæ gratiæ, & præterea falſam illam doctrinam ab ipſo traditam Collat. 17. c. 17. vbi licere ait mentiri ob bonum finem, immo & nonnunquam neceſſariũ eſſe ad ſalutẽ animæ. Hac fuligine tinctus Fauſtus nihil mirũ ſi in ſcriptis ſuis mendacia congeſiſſe putetur ob finẽ diſſeminandæ eiuſdẽ ſectæ, iudicio ſuo bonum. Imprimis enim vt ſibi auctoritatem conciliaret, profeſſus eſt, ſcopũ ſibi præfixum eſſe in Auguſtini doctrina propugnanda. Quàm verò aliud in mente haberet, ac procul ab eo fuerit vt promiſsis ſtaret, palam conſtat ex libris quos ſcripſit de libero arbitrio: ſiquidem in toto ferè eorum decurſu doctrinam Auguſtini convellere, & omnibus modis ſolo æquare conatur. Eam illius ſimulationẽ & vafriciem detexit, & Orbi litterario notã fecit primùm Ioannes Maxẽtius, ſingillatim oſtendens crebram oppoſitionẽ inter doctrinam Fauſti & Auguſtini: deinde indicavit ſatis S. Fulgentius, fidelis Auguſtini diſcipulus: de quo Ferrandus Diaconus in eius Vita c. 28. inquit: *S. Fulgentius libris Fauſti reſpõdit, ne occultum in illis ſerperet virus* Ac præterea S. Iſidorus lib. de Viris Illuſtribus c. 14. ait: *Legimus de Gratia Dei & Libero Arbitrio Fulgentij libros ſeptem reſponſionũ, Fauſto Galliæ Regienſis Vrbis Epiſcopo Pelagianæ pravitati conſentienti reſpondẽtis. Obnititur eius profundã deſtruere calliditatem* In quibus Iſidorus palam Fauſtum & Pelagianiſmi, & aſtutiæ notat. Quod autem ad Pelagianiſmum attinet, credo accipi debere de erroribus Pelagij κατὰ μέρος, ſive ex parte ſolùm, vti invaluere apud eos omnes, qui propterea Semipelagiani appellati ſunt. Vnde Petavius vbi ſuprà, quamvis Prædeſtinatianam hæreſim extitiſſe arbitretur, ingenuè ſcribit: *Fauſtus libris duobus, quos ſcripſit de Gratia & Libero Arbitrio, intemperantiùs evectus Catholicæ modum profeſſionis exceſsit. Nam & Auguſtini doctrinæ adverſatur IN OMNIBVS, & Semipelagiana decreta propalam aſſeveravit.*

84 Similiter ob eam vafriciem, adverſus Fauſtum exacuere ſtylum eodem ſæculo, Ioannes idem Maxentius Præsbyter Antiochenus, & Alcimus Avitus Viennenſis Præſul. Etenim de vtroque eorum ac de Fauſto ipſo, luculentum fert teſtimonium Addo pariter Epiſcopus Viennenſis in Chronico ad annum Chriſti 492. dicens: *Fauſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterij apud Regium Galliæ factus Epiſcopus, Pelagianũ dogma deſtruere conatus in errorem labitur. Vnde, qui eius ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, vt Gennadius de Illuſtribus Viris ſcribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitriũ tam Auguſtinus, quàm cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, vt illuminatio eius, virtus, & ſalus illi à Chriſto, & per Chriſtum, & in Chriſto ſit; Fauſtus verò iſte ita liberum Chriſtianũ arbitriũ docere conatur, vt illuminatio eius, virtus, & ſalus non à Chriſto, ſed à natura ſit. Contra hunc lucidiſsima fide ſcribit Avitus Viennenſis Epiſcopus eius redarguens errorem. Similiter & Ioannes vir eruditus Antiochenus Præsbyter.* Nimirũ, ille ipſe qui varijs Scripturæ auctoritatibus, & ſelectis ex Auguſtino locis, Fauſtum refutavit: in hoc certè laudandus, quamvis alioqui apud Conſtantinopolim excitans turbas cũ Scytis monachis ſeditioſis, non parũ obſcuraverit nomen ſuum. Præterea Poſſeſſor Epiſcopus Africanus eodem tempore contra Fauſti libros ſcripſit ad Hormiſdam Papam: à quo, ſicuti & à Felice, ac Gelaſio, pariter Pontificibus Romanis, proſcripti ſunt. Vnde Petrus Diaconus in libro de Incarnatione & Gratia Chriſti, quem dicavit Fulgentio ſibi amiciſsimo, ad finẽ ita loquitur:

Omnium Sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematiſamus Pelagium, & Cœleſtium, ſimulque Iulianum, & qui illis ſimilia ſapiunt: PRÆCIPVE LIBROS FAVSTI GALLORVM EPISCOPI, *qui de Monaſterio Lerinenſi profectus eſt:* QVOS CONTRA PRÆDESTINATIONIS SENTENTIAM SCRIPTOS ESSE NON DVBIVM EST. *in quibus non ſolùm contra horum omnium Sanctorum Patrum, verùm etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubiungit gratiæ auxilium.* Quid clarius, aut quæ evidentiora contra ſiniſtram fidem, & malam doctrinam cuiuſpiam antiqui ſcriptoris produci vnquam poſſunt teſtimonia, quàm quæ adverſus Fauſtum exhibuimus?

85 Quapropter ſapientiſsimus iuxtà ac piiſsimus Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis vbi agit de Fauſto, omnia ferè teſtimonia à nobis prolata contra ipſum citat, quamvis ſolùm exſcribat verba Adonis Viennenſis. Ac tandem concludit: *Hæc admonere volui propter aliquos, qui noſtro tempore Fauſtum Catholicum fuiſſe contendunt.* Nimirum, id dixit Bellarminus propter Trithemium & Driedonem tract. 4. de Captivit. cap. 2. part. 4. alioſque nonnullos, pietate quadam, ſeu privata affectione ductos, ad eximendum Fauſtum à nota Semipelagianiſmi, contra tot Veterum Patrum & Scriptorum teſtimonia iam producta. Subſcripſere integrè Bellarmino ex eadem Societate Suarez, Vazquez, Petavius, aliique. Verùm poſtea Iacobus Sirmondus plurimùm laboravit pro Fauſto, præſertim in Hiſtoria Prædeſtinatiana, quam edidit iam nonagenarius, prout colligitur palam ex Alegambe, id eſt anno Chriſti 1648. Pariſijs apud Cramoyſi. Quin & plurimis retro annis, poſt initium ferè huius ſæculi, iam in ea opinione erat: ad quam multiplici coniectura pertrahere conatus fuit Cardinalem Baronium, ſibi amiciſſimum: qui in Annalibus Eccleſiaſticis vſque editis non ſemel diſertè ſcripſerat, Fauſtum in libris ſuis multos miſcuiſſe errores, & præſertim Pelagianæ hæreſis; ac præterea animas rationales tradidiſſe corporeas: vt propterea tribus libris exagitatus fuerit ab eruditiſsimo Claudiano Mamerto, conſcriptis ad Sidonium Apollinarem, qui eam ob cauſam illum impensè laudat in quadam Epiſtola. Sirmondi precibus & coniecturis allectus Baronius (præſertim teſtimonio Martyrologij Gallicani, in quo ferè vſque ad finem ſæculi præcedentis Fauſtus referebatur inter Sanctos, donec Ioannes Molanus illũ expunxit; & conſuetudine longæva aut immemorabili Eccleſiæ Regienſis, quæ ſemper illũ vt Sanctum coluiſſe, & diem eius natalem celebraſſe invenitur die decima ſeptima Ianuarij, Eccleſia Romana interim tacente, & nemine, quod ſciatur, contradicente) tandem opinatus eſt, accidiſſe Fauſto idipſum ferè, quod de multis viris ſanctis aſſeritur, vt aut errorem correxerit, vel ante ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem obierit, cum vera animi præparatione, vt illa omnia ſtarent aut caderent ipſius Eccleſiæ iudicio. Cui opinioni piæ favet, quòd ſemper communicationem habuerit cum orthodoxis Epiſcopis, vt indicant Acta Concillorum Arelatenſis & Lugdunenſis, tempore ipſius celebrata. Videſis Spondanum ad annum Chriſti 520. vbi plura ſparſim à Baronio tradita varijs locis, in vnum colligenda curavit. Itaque fortaſis Fauſtus tandem aliquando aut veteres errores abiuravit, correxitque, aut ita animo compoſitus fuit, ſaltem circa finem vitæ, vt omnia ipſius ſcripta ſubiacerent iudicio Sedis Apoſtolicæ. Quapropter piiſsimus Ioannes Euſebius Nierembergius, in Diſſertationibus Epiſtolicis, Epiſtola 5. ad Abbatem S. Anaſtaſiæ totis viribus contendit ſanctitatẽ Fauſti aſſerere cum Sirmondo. Illumque obijſſe ante factam à Sede Apoſtolica librorum ipſius proſcriptionem, arbitrantur aliqui, quamvis centum circiter annos vixiſſe credatur, vt indicat Sidonius Apollinaris lib. 9. Epiſt. 9. ac Savaro ibidem exponit. Nec tamen id ſatis fuit, vt V. Cl. Sauſſayus in Martyrologio Gallicano Fauſti collocaret; ſed in Supplem. ſolùm. Deinde in Notis ad diem 28. Octobris obſervat, integrum ius ſanctitatis manere Fauſto ex ſententia Baronij. Bollandus autem non dubitavit Tomo II. ad diem 16. Ianuarij illum Divis accenſere.

86 Verumtamen, quidquid ſit de ea opinione Baronij poſt Sirmondum, quam avidè amplectuntur aliqui ex Recentioribus, id certò conſtat ex tot veterum teſtimonijs ſuprà productis, Fauſtum in decurſu vitæ, & dum ſcriberet libros illos de Gratia & Libero Arbitrio contra Prædeſtinatianam hæreſim, tradidiſſe palam decreta Semipelagiana, & vbique impugnaſſe doctrinam S. Auguſtini, præſertim circa neceſsitatem gratiæ excitantis, prævenientis, & adiuvantis ad initium fidei, iuſtificationiſque; & circa prædeſtinationem gratuitam, ſecundùm propoſitum efficax voluntatis divinæ, præveniens ſcientiam meritorum: quaſi exinde certò colligeretur fatalis illa neceſsitas agendi in hominibus; immò quaſi traderetur ab Auguſtino & ſectatoribus omnibus, qui erant innumeri, præſertim

tim in Africa,Italia,& Gallia ipſa: proptereaque ijs Prædeſtinatianorum appellationem indidiſſe,qua internoſceretur eorum ſecta ab alijs hæreticorum. Ob quæ omnia meritò reiecta fuerũt ſcripta Fauſti à Pontificibus Romanis Felice,Hormiſda,ac Gelaſio ; & reprehenſa à Patribus ſuprà memoratis , non ſine execratione in ipſum,veluti devium à veritate,inimicum doctrinæ S.Auguſtini venerandę in tota Eccleſia, & vafricie atque arte Pelaſga vſum in ea impugnanda ac traducenda. Patet itaque, Prædeſtinatianam hæreſim , quatenus popularem aut communem aliquam ſectam, fuiſſe inventum, aut chimæram, ſive à Fauſto, ſive alijs Semipelagianis excogitatam contra Auguſtinum,eiuſque ſectatores , ab ea procul abhorrentes.Quod ipſum de Gennadio Maſsilienſi dictum accipe, iuxta ea,quę de illo præmiſſa fuerunt ſubſectione 2. Nimirum, Gennadius,vti erat pariter Caſsiani erroribus imbutus, ſcripta Fauſti in eodem luto hærentis magnificè prædicavit, & doctrinam S. Auguſtini contrariam appellavit Prædeſtinatianam hæreſim,quaſi S.Doctor eiuſque diſcipuli vltro concederent abſurda, quæ ex ipſorum ſententia colligere tentabant Semipelagiani. Quod perinde eſt,ac ſiquis hodie traduceret plerosque Thomiſtarum aſſerentes Deũ prædeterminare hominem phyſicè ad omnes & ſingulas actiones ; aut è converſo Scriptores Societatis , alioſque permultos id negantes; quaſi priores eripiant homini libertatem, poſteriores autem Deo dominium. Certè infidelis eſſet vtrorumque accuſator: quoniam vtrique parti affingeret errorem & hæreſim manifeſtam, quam ambæ execrantur , & negant colligi ex ſua ipſorum doctrina. Nullam itaque fuiſſe hæreſim Prædeſtinatianam popularem , provincialem, aut communem alicuius ſectæ quinto ſæculo,videtur manifeſtum.Quin potiùs ſiqui ex Semipelagianis colligebant ea abſurda ex ſententia Auguſtini , ab huius diſcipulis,præſertim doctioribus , refellebantur. qualis fuit imprimis Proſper, de quo S.Fulgẽtius lib.1.ad Monimum cap.30. teſtatur , diluiſſe ea, *QVAE B. AVGVSTINI DICTIS, NON EX VERITATE, SED EX LIVORE OBIICIEBANTVR.*

87 Quapropter Florus Diaconus, qui nono ſæculo floruit , ſcribens librum nomine Eccleſiæ Lugdunenſis circà annum 849. contra errores Ioannis Scoti Erigenæ (quem perperam aliqui Benedictinum fuiſſe volunt, & eum alio quodam Ioanne Æthelingienſi confundunt, vt oſtendit eruditiſsimus Mavillon Tomo VI. Sæculorum recèns edito) confidenter dixit capit. 4. *Non poteſt inveniri toto tempore, quod fuit inter Auguſtinum & nos,aliquam talem hæreſim in Eccleſiæ extitiſſe ; niſi quod vel ipſum, vel nos qui eum ſectamur, iſtius erroris accuſant.* Nimirum , eo tempore diſceptabatur cauſa Gotheſcalci de hæreſi Prædeſtinatiana accuſati, & convicti,teſtimonio Rabani Mauri, in Cõcilio Moguntino primùm; deinde in Cariſiacenſi , iuxta Hincmarum Rhemenſem, vt in progreſſu videbimus. Quare Florus teſtatur quidem nomine Eccleſiæ Lugdunenſis & ſuo, quamvis ſequantur doctrinam Auguſtini, non propterea admittere errorem illum ſibi adſcriptum per ſummam iniuriam: quin & illum eſſe proprium veterum hæreticorum,Marcionis,Valentini,& Manichæi,qui nunquam gratiæ Dei meminerunt. Concinit Floro ibidem Prudentius Epiſcopus dicens: *Neſcio quem elogio tuæ tertiæ hæreſis denotare volueris,niſi B. Auguſtini dictorum , quæ præmiſsimus,immo Catholicorum omnium fideliter veraciterque ſequaces.* Rhemigius quoque Epiſc. Lugdunenſis eodem loco ſic Ioannem illum Erigenã refellit : *Quæ eſt iſta ſecunda hæreſis tam incognita,tam inaudita,quæ libero arbitrio negato, ſolius gratiæ ſit prædeſtinatrix? niſi quia, vt nobis videtur,diſputator iſte vel B. Auguſtinum latenter quaſi hæreticum accuſat.* Indidem verò confirmatur eadem pars prior noſtræ ſententiæ. Neque enim Florus tam aſſeveranter negaret vllam à tempore Auguſtini hæreſim eiuſmodi extitiſſe , ſi ea vnquam ijs quatuor ſæculis graſſata eſſet.

88 Poſterior opinionis noſtræ pars, qua diximus ; tempore ipſo S. Auguſtini, & aliquantò poſt, nonnullos, ex imperitioribus ſaltem ipſius ſectatoribus,lapſos fuiſſe in errorem illum de neceſsitate fatali, videtur colligi ex fundamentis prioris opinionis ſubſectione prima adductis. Quibus addo teſtimonium Lucidi Pręsbyteri à Fauſto Regienſi admoniti per epiſtolam,vt ob auctoritatem Concilij Arelatenſis & Lugdunenſis, quorum Patres illam chirographo probaverát,corrigeret errores circa prædeſtinationem ; quorum reus poſtulatus fuerat. Is verò eos abiuravit in libello à ſe edito:vbi anathema dicit cuilibet aſſerẽti, *quod præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortẽ; vel quòd cum Dei pereant voluntate qui pereunt.* Præterea; *qui dicit, humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non eſſe iungendum.* Item , *qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* Hos, inquam,errores eiuravit Lucidus, in quibus tota hæreſis Prædeſtinatianã continetur,prout cõmemoratur à Sigeberto ſuperiùs allegato ad

annum

annum 415. cuius hæc verba ſunt iuxta editionem V. Cl. Petri Pithœi: *De prædeſtinatione, & diuina gratia diſputantes, aſſerebant, quòd nec piè viuentibus proſit bonorum operum labor, ſi à Deo ad mortē prædeſtinati fuerint: nec impijs obſit, quòd improbe viuant, ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ hæreſis ex libris Auguſtini malè intellectis initium ſumpſiſſe dicitur.* Conſonantque ea impia dogmata ijs, quæ Gennadius in Indiculo de Hæreſibus, & Galli ac Maſsilienſes apud Proſperum obijciebant Auguſtino. Idem Lucidus hanc in ſuo illo libello proteſtationem Catholicam adiecit: *Ita autem aſſero gratiam Dei, & annisum hominis, vt conatum gratiæ ſemper adiungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam & infirmatam eſſe pronuntiem; & periclitari eum, qui ſaluus eſt; & eum, qui perijt, potuiſſe ſaluari.* Cui doctrinæ aliam oppoſitam videtur antea tradidiſſe. Plura circa prædictā Epiſtolam Fauſti ad Lucidum, ac circa ſubſcriptiones Gallicanorum Antiſtitum, mitto legenda apud Voſsium libr. 1. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 48. & Ludovicum Cellotium lib. 2. Hiſtoriæ Gotheſcalci cap. 4. Habuit itaque locum ille error, ſeu potiùs errorum congeries, in Lucido, antequam illos eiuraret. Et ſanè mirum foret ſi ex tot ſectatoribus doctrinę S. Auguſtini, vbique terrarum diſperſis, & impetitis multiplici argumento acri à Semipelagianis verſipellibus & acutis, quaſi ex ea colligeretur fatalis illa neceſsitas; nemo eſſet qui non ſuccumberet, ſed omnes id abſurdum conſtanter negarent; præſertim in controverſia adeò difficili, & abſtruſa. Veroſimile itaque eſt, paucos aliquot, ſaltem ex imperitioribus, neſcientes quid reſponderent Semipelagianis arguentibus, ea abſurda devoraſſe, ideoque Prædeſtinatianorum appellatione notatos ab ijs fuiſſe.

89 Accedit, videri ſatis ſimile vero, lapſos ex imperitia fuiſſe in errores eiuſmodi quoſdam ex Monachis Adrumetinis in Provincia Byzacena, poſtquam à Felice pariter Monacho copia ijs facta eſt Epiſtolæ S. Auguſtini ad Sixtum Romanæ Eccleſiæ Præsbyterum, quæ inter cæteras eiuſdem S. Doctoris eſt centeſima quinta. Nimirum, in ea docet, gratiam Chriſti eſſe donum prorſus gratuitū, quod proinde abſque meritis datur, tam exiſtentibus, quàm prævisis: & tamen nullam excuſationem obtendere poſſe infideles omnes, atque infantes quotquot ſine Baptiſmo decedunt. Hac doctrina Auguſtini lecta, quidam ex ijs Monachis in magnam animi perturbationem inciderunt contrarijs invicem placitis: quibus ad concordiam revocandis viſum fuit conveniens Creſconio & Felici (alteri à præcedenti) eiuſdem Monaſterij Aſcetis, proficiſci ad Auguſtinum, ipſumque conſulere circa difficultates ex illa epiſtola ortas. Porrò S. Doctor vt illas expediret, animoſque Monachorum diſsidentes componeret, ſcripſit ad ipſorum Præfectum Valentinianum epiſtolam illam, quæ inter cæteras eſt numero 46. in qua refert ex aliorum narratu, quoſdam Monachos dixiſſe, ſolam gratiam ſine humana libertate conferre ad ſalutem; alios è contrà adſcripſiſſe bonam voluntatem humanæ libertati, ſine qua nemo bene aut malè agit. Atque vt vtrorumque errorem corrigeret, ſcripſit illico librum de Gratia & Libero Arbitrio ad eundē Valentinum & Monachos ipſi ſubditos; in cuius primo capite inquit: *Quoniam ſunt quidam, qui liberum arbitrium hominis ſic prædicant, &c.* Eo autem perlecto omnes ij ad ſanum ſenſum & concordiam redierunt: vt patet ex Epiſtola gratulatoria prędicti Valentini ad ipſum Auguſtinum, quæ inter reliquas eſt 256. Cumque præterea à Floro latore eiuſdem Epiſtolę audiviſſet S. Doctor eſſe etiam aliquem qui diceret ex neceſsitate gratiæ ad omnem bonam voluntatem colligi nullum eſſe locum præceptionibus & correptionibus; ad eliminandam eam collectionem præpoſteram ſcripſit librum alterum de Correptione & Gratia. Vtriuſque Tractatus meminit idem Auguſtinus lib. 2. Retractat. in fine dum ait, ſe priorem ſcripſiſſe tractatum de Gratia & Libero Arbitrio, *propter eos, qui quum defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, vt negent Dei gratiam; aſſerentes eā ſecundùm merita noſtra dari. Scripſi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotavi, cùm mihi renunciatum eſſet, dixiſſe quemdam ibi, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo vt faciat tantummodo orandum.* Ex quibus omnibus veroſimile fit, aliquos eorum Monachorum non ſatis intelligentes doctrinam Auguſtini olim ab ipſo traditam in quęſtionibus obſcuriſsimis, lapſos fuiſſe incautē & citra contumaciam in errores, tum Semipelagianis, tum ex oppoſito extremo Prędeſtinatianis adſcriptos; poſtea verò in meliorem frugem ac ſanum ſenſum revocatos eſſe novis lucubrationibus nuper memoratis eiuſdem S. Doctoris. Alij autem in Gallijs, adhuc poſt ſcriptum librum de Correptione & Gratia, nimirum Semipelagiani, duriores & obſtinatiores erga doctrinam Auguſtini evaſerunt. Vtrumque id teſtantur Proſper & Hilarius in Epiſtola illa celebri ad ipſum S. Doctorem

aien-

aientes : *Recenſito autem hoc Beatitudinis tuæ libro* (nimirum, paulo antè nominato) *ſicut qui ſanctam atque Apoſtolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea ſequebantur, intelligentiores, inſtructioreſque ſunt facti: ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, adverſiores, quam fuerant, receſſerunt.* Videtur itaque, aliquos eo quinto ſæculo, ſaltem ob non bene intellectam doctrinam Auguſtini, quam ſequebãtur, incidiſſe in errores Prædeſtinatianis adſcriptos.

90 Denique adhuc ſæculo ſequenti, id eſt, ſexto fuiſſe aliquos eiſdem erroribus adhærentes, videtur evinci ex S. Fulgentio lib. 2. de Veritate Prędeſtin. & Gratiæ, vbi inquit: *Pleroſque novimus in quæſtione gratiæ Dei & humani arbitrij, non tenere diſcretionem; ſed ita vnum aſſerere, vt alterum nitantur auferre, cùm gratia pietatis neutrum negari ſinat.* Deinde Monimum quendam fuiſſe in errore de prædeſtinatione divina quorundam ad interitum, conſtat ex eodem Fulgẽtio in libro ad ipſum Monimum præſertim cap. 3. Cùm verò Fulgentius eos libros ſcripſerit ante annum Chriſti 529. in quo obijt, atque in ijs teſtetur, ſe aliquos noviſſe prędictis erroribus imburos, nihil mirum quòd ſtatutus fuerit canon ille 25. Concilij Arauſicani II. celebrati anno eodem epochæ Chriſtianæ DXXIX. in quo Patres aiunt: *Aliquos divina poteſtate ad malum prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus; ſed etiam ſi ſunt qui tantum mali credere velint, cum omni deteſtatione anathema dicimus.* Nimirum, fortaſis erant adhuc aliqui ex iis erronibus, quos paulo antè notaverat S. Fulgentius. Nec videtur credibile, id tam ſerium anathema à Patribus dictum fuiſſe adverſus quoſdam hęreticos purè poſsibiles, vel imaginarios; ſed exiſtentes tunc, aut paulo antea: vt ſuprà numer. 70. obſervatum fuit pro priori opinione. Aliqui ergo ſaltem iis temporibus quinti & ſexti ſæculi fuerunt, quibus meritò adſcriberetur, ſive error in fide circa prędeſtinationem, ſive hæreſis Prædeſtinatiana. vt nihil interim dicam de nono ſæculo circa medium, in quo Gotheſcalcus illam, iam diu extinctam, videtur ex Orco revocaſſe, vt videbimus Diſp. ſequenti ſect. 4.

91 Porrò (vt regrediamur ad ſcopum huius Tractatus, à quo tantiſper digreſsi fuimus) hæreſis prædicta à nullo Generali Concilio damnata fuit. Neque enim vllum eiuſmodi fuit celebratum in Eccleſia ab anno Chriſti 415. vſque ad 529. in quo nuper verſabamur, immò vſque ad Tridentinum, in quo ea hæreſis memoretur, aut proſcribatur. Summùm itaque damnata initio fuit in Concilijs Provincialibus ſeu Nationalibus Arelatenſi & Lugdunenſi, celebratis eodem ſęculo quinto. nam licèt aliqui eruditorum contendant, vtrumque fuiſſe ſuppoſititium & confictum à Fauſto Regienſi, vt fidem ſuis pernicioſis libris de Gratia & Libero Arbitrio conciliaret; verius tamen eſt, & gravisſimorum virorum, qui à ducentis annis ſcripſere, iudicio comprobatum, illa coacta fuiſſe, & damnaſſe Prædeſtinatianam hæreſim, vt propterea Lucidus Presbyter illam libello ſuo iam ante memorato eiuraverit. Neque tamen illis Fauſti libris aliqua exinde auctoritas pariter: cùm ea duo Concilia non probaverint libros prædictos (quidquid ipſe forſan per dolum à Sidonio Apollinari detectum ſuadere conatus fuerit.) ſed ſolùm Epiſtolæ contra Lucidum ſanam doctrinam præferenti, quam Patres iſ ſubſcripſerunt. Quemadmodum verò nõ omnino compertum eſt, eam duplicem Synodum fuiſſe coactam: ſic nec exploratum, an à Pontificibus Romanis fuerint confirmatæ, necne, vt propterea earum Canones eſſent firma & irreformabilis regula fidei.

92 Id autem prorſus certum eſt, & noſtro inſtituto ſatis, Canonem 25. Concilij Arauſicani II. paulo antè exſcriptum, & reliquos ad gratiam divinam ſpectantes, fuiſſe palam confirmatos à Sede Apoſtolica extra omne Concilium Oecumenicum. nimirum, à Bonifacio II. Papa, qui anno immediatè ſequenti DXXX. electus fuit, & per Epiſtolam Decretalem ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum confirmavit quæ in ea Synodo definita fuerant. Vnde ea omnia, veluti dogmata fidei, à tota Eccleſia ſuſcepta vſque modò fuerunt. Neque audiendi ſunt quotquot ex Hiſtoricis, aut de Schola Theologis volunt, id Cõcilium fuiſſe celebratum tempore S. Leonis Papæ & S. Proſperi; vel etiam tempore Hilarij Papæ ad annum CDLV. vt meritò obſervat Philippus Labbe in noviſsima editione Conciliorum ad annum prædictum DXXIX. Moneo autem, me poſt integrè ſcriptam Diſſertationem hanc, ſeu Digreſsionem de Hæreſi Prędeſtinatiana, incidiſſe in Opus Henrici de Noris de Hæreſi Pelagiana: vbi libro 2. cap. 15. rem ipſam eruditè admodum tractat, & eandem ferè ſententiam tuetur, quam hactenus tradidimus.

***

DISPV-

DISPVTATIO NONA

AN EADEM INFALLIBILITAS Romani Pontificis tradita fuerit in Catholica Eccleſia poſterioribus quinque ſaculis chiliadis prima Chriſtiana annorum; ſicuti in quinque prioribus credita fuit, iuxta teſtimonium Illuſtriſsimi Cleri Gallicani.

VIDIMVS Diſputatione præcedenti conſtantem Eccleſiæ Catholicæ ſenſum circa auctoritatem Romani Pontificis infallibilem ad definiendas fidei controverſias ſine Concilio, præſertim Oecumenico, quinque prioribus ſæculis à Chriſto nato traditum à Pontificibus, & Patribus qui tunc floruerunt, & ipſa diuturna Eccleſiæ praxi confirmatum. Nunc idipſum aſſerendum & oſtendendum eſt excurſione facta per poſteriora quinque ſæcula eiuſdem primæ chiliadis Chriſtianæ annorum: idque omiſsis ferè omnibus teſtimonijs Conciliorum Galliæ, & Patrum vel Scriptorum eiuſdem Nationis florentiſsimæ, quæ iam in ſuperioribus diſtinctè ac ſeorſim allegata & ſcripta à nobis fuerunt.

SECTIO PRIMA.

Suadetur ſententia communis affirmans; tum ex hæreſibus ſæculo ſexto damnatis; tum ex teſtimonijs Pontificum & Scriptorum eius temporis.

1 SEXTO Sæculo variæ & plurimæ hęreſes ortæ ſunt: quæ nullatenus in Synodo V. Generali, id eſt, Conſtantinopolitana Secunda, coacta anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo tertio, dãnatæ fueruntiſed extra illam. Nimirum in eo Concilio ſolùm leguntur anathemate iniuſta ſcripta Theodori Mopſueſteni, Capitula Theodoreti, Epiſtola Ibæ, errores Neſtorij, Acephalorum, Euthychianorum, Severitarum, Originis, Didymi, & Evagrij: circa quæ omnia, aut etiam ſingula, plures implicatę quęſtiones tractantur ab Interpretibus Conciliorum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quę ad rem noſtram non attinent, hoc vno excepto, quòd illa Synodus malis initijs, prava intentione, & abſque conſenſu Vigilij Papæ coacta fuerit; ideoque nullius auctoritatis exiſtimari debeat quidquid in ea decretum eſt, quoaduſque ab eodem Vigilio poſtea fuit probata, ſive potiùs à S. Gregorio Magno lib. 1. Epiſtol. 24. ac lib. 2. Epiſt. 10. & 36. & tandẽ à S. Nicolao I. Papa Epiſt. ad Michaelem Imperatorem. nam Vigilius non, niſi coactus poſt carcerem durum, famẽ, ac miſeram ſuorum ſtragem à Iuſtiniano Imperatore illatam, ſubſcripſit decreta Synodi: Gregorius autem & Nicolaus liberè illam approbarunt quoad omnia quæ ad fidei doctrinam ſpectabant. De quibus legendus poſt Veteres Baronius, præcipuè ad annum 556. Itaque vel ex ipſę hæreſes, potiùs damnatę fuerunt ab Eccleſia auctoritate Pontificis Romani, quàm Quintæ Synodi Generalis. cùm hæc à principio ad finem vſque proceſſerit in ſuis Actis ſine vllo conſenſu Papæ, & abſque Legaris ipſius: ac proinde nihil ritè definire potuerit. Quare quidquid auctoritatis poſtea habuit, habetque in Eccleſia, ex Romanorũ Põtificum approbatione & ratihabitione habet.

3 Aliæ vero hęreſes eodem ſęculo ortę, aut excitatę fuerunt, quæ extra illam Synodum, & omnem aliam Oecumenicam, damnatæ fuerunt auctoritate ſolius Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romanæ. Atque imprimis variæ Semipelagianorum hæreſes proſcriptæ fuerunt in Concilio II. Arauſicano Provinciali, ſeu Nationali tantùm anno 529. cuius Canones confirmati paulo pòſt à Bonifacio II. Papa, ſtatim in regulam fidei certam & irreformabilem tranſierunt, nemine ex Catholicis refragante. Huc ſpectabat diſquirere de Prædeſtinatianorũ hæreſi, quam plerique in eodem Concilio Arauſicano II. fulguritam volunt. Verùm præſtat de ea fuſiùs agere Diſput. ſeq. Quis etiam damnavit Thalmudiſtarum ſectã, aut Apthardocitarum (qui & Incorruptibiles, & Phantaſiaſtę) aut Agnoitarum, qui & Themiſtiani; aut Tritheitarum cum prodromo ſuo Philoppono, aut Iacobitarum, qui & Armeni, cũ Zanzalo; aut Barſanianorum, qui & Semidalitæ; aut Tetraditarum, Chriſtolytarũ Cononitarum, Contobarditarumve: Nimirum, totidem hæreſes eo ſæculo exortas, quas teſtatas habemus apud Nicephorum, Prateolum,

Caſtrum, Baronium, Gaulterium, & alios Recentiores, non aliqua Synodus Oecumenica, ſed ad ſummum Provincialis, aut Nationalis, conſentiente & probante Romano Pontifice, aut hic per ſe ſolum ex Eccleſia proſcripſit.

4 Quam in rem clariùs comprobandam, vide plurima Concilia Provincialia & Nationalia eo ſæculo celebrata varijs locis totius Orbis Chriſtiani, præſertim iuxta editionem Labbeanam, omnium noviſsimam & vberrimam; inſuperque Epiſtolas Decretales Pontificum Romanorum eiuſdem ſæculi; præſertim Hormiſdæ, qui rexit Eccleſiam ab anno 514. Ioannis Secundi, qui ab anno 532. Vigilij, qui ab anno 537. Pelagij Primi, qui ab anno 555. Pelagij Secundi, qui ab anno 577. & tandem S. Gregorij Primi, cognomento ac reipſa Magni, qui ab anno 590. vſque ad 604. Pontificatum geſsit, & duodecim libros Epiſtolarum Decretalium ſcripſit, aliaſque plures definitiones edidit ad fidem ſpectantes, extra omne Conciliũ Oecumenicum, quæ ſtatim & ἀναμφισβήτηται, ab omnibus Orthodoxis cum ſumma veneratione exceptæ fuerunt.

5 Ex plurimis autem locis ipſius S. Gregorij placet ſolùm exſcribere vnum vel alium maximè opportunum. Lib. 3. Epiſtol. 33. ita alloquitur Reginam Theodelindam: *Cùm itaque integritatem noſtram ex aperta mea traditione ſeu profeſsione cognoſcitis, dignum eſt vt de Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis nullum vlteriùs ſcrupulum dubietatis habeatis: ſed in vera fide perſiſtite, & vitam veſtram in petra Eccleſiæ, hoc eſt, in confeſsione B. Petri Apoſtoli ſolidate.* Vbi pro eodem accipit traditionem ſeu profeſsionem à Romano Pontifice editam, ac ab Eccleſia Beati Petri, vt nullus ſcrupulus dubietatis ſit circa doctrinam ab illo traditam, ſed potiùs vera fides fundata in ipſa Petra Eccleſiæ. Hoc autem nullum haberet locum, ſi Romanus Pontifex poſſet tradere aut definire ex cathedra aliquid falſum, vel fidei Catholicæ contrarium. Deinde libr. 4. Epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum ante mediũ ita loquitur: *Cunctis ergo Euangelium ſciẽtibus liquet, quòd voce Dominica, ſancto, & omnium Apoſtolorum Principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura cõmiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? Paſce oves meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribare vos, ſicut triticum: & Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: ſoluendi tribuitur cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, &c.* Cùm verò Gregorius ipſe alijs locis agnoſcat eundem poteſtatem & auctoritatem S. Petri in Succeſſoribus ipſius; conſequens eſt vt ijs aſſerat eandem curam totius Eccleſiæ, ac magiſterium vniverſale, quo Chriſtianos omnes confirmet in fide. Hoc autem eſſe non poteſt ſine auctoritate infallibili ad definiendam controverſias fidei, vt patet. Vide præterea lib. 11. Epiſt. 44. quæ eſt ad Leontiam Auguſtam circa medium. Mitto quòd idem Gregorius quoddammodo illuſtriùs alijs Pontificibus Romanis probaverit & confirmaverit quatuor priora Concilia Oecumenica, inſtar quatuor Evangeliorum; immò & Concilium Quintum Generale, cuius auctoritas nutavit ferè vſque ad tempus ipſius ob varias dubitandi rationes ſummatim indicatas ſuprà numer. 2. accedente autem confirmatione Gregorij inconcuſſam auctoritatem habet, vt latè & eruditè oſtendit poſt alios Chriſtianus Lupus in Scholijs ad illud tomo 1. pag. 738. & ſeqq. Sufficiat obſervare illud eiuſdem Gregorij lib. 1. Epiſt. 24. vbi poſtquam dixerat, quatuor prima Concilia Generalia eſſe *quatuor Eccleſiæ lapides fundamentales*, ſubdit præterea: *Quintum quoque Concilium pariter veneror. QVISQVIS ALITER SAPIT, ANATHEMA SIT.* Rationemque addit lib. 2. Epiſt. 36. ad Epiſcopos Iberiæ dicens de eodem Concilio: *In Synodo, in qua de tribus Capitulis actum eſt, apertò liquet nihil de fide eſſe convulſum, vel aliquatenus immutatum: ſed de quibuſdam ſolummodo perſonis eſt illic actitatum quarum vna, cuius ſcripta evidenter à rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non iniuſtè damnata eſt.* Poteſtati autem & auctoritati ad confirmandum ipſa Concilia Generalia circa controverſias fidei celebrata, vt nõ aliter rata ſint, nec pondus habeant; patet annexam eſſe auctoritatem infallibilem ad definiendum ea omnia, quæ pertinent ad fidem.

6 Bonifacius II. Papa electus eodem ſæculo anno 530. allegari ſolet Epiſt. prima, quæ eſt ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum, de reconciliatione Carthaginenſis Eccleſiæ: in qua inquit: *Olim & ab initio tantam accepimus à Beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem Vniverſali Eccleſiæ, auxiliante Domino, ſubvenire; & quidquid nocivum eſt, auctoritate Apoſtolica corrigere.* Quid autem eſt, in quo Eccleſia magis indiget auxilio, vel ex quo maius nocumentum accipiat, quàm vbi hæreſes aliquæ noviter inſurgunt? Niſi enim ſtatim præcidantur & eradicentur, cum ingenti damno ſerpunt inſtar canceris, ante-

antequam Concilium Oecumenicum convocari, nedum congregari poſsit. Habet igitur Romanus Pontifex auctoritatem infallibilem ſeorſim ab illo ad quaſcumque hereſes inſurgentes præcidendas & eradicandas. Verùm quoniam eruditis quibuſdam, ac præſertim Philippo Labbè, ſuppoſititia videtur Epiſtola illa, ſufficiat ſecunda eiuſdem Pontificis prorſus indubitata ad Cæſariũ Arelatenſem Epiſcopum, in qua confirmat ea dogmata, quæ in Synodo Arauſicana Secunda fuerant definita anno 529. & quindecim canonibus comprehenſa circa gratiam & liberum arbitrium. Porrò licèt Synodus illa non fuerit Oecumenica, ſtatim vt à Romano Pontifice confirmata fuit, eò auctoritatis aſcendit, vt omnes ij Canones ab omnibus Catholicis admiſsi fuerint, tanquam fide divina certi; & hæreticus Pelagianus aut Semipelagianus ſemper exiſtimatus ſit quiſquis ab aliquo eorum receſsit. Pontifex ergo extra Concilium Oecumenicũ habuit & habet auctoritatem infallibilem ad definiendum controverſias fidei.

7 Caſsiodorus lib. 11. Epiſtol 2. ſic, inter plura alia, alloquitur Ioannem Secũdum Papam, qui ab anno 532. rexit Eccleſiam: *Monete me quæ ſunt gerenda ſolicite. Benè agere, vel correptus exopto; quia difficilius errat ovis, quæ voces deſiderat audire Paſtoris: nec facilè efficitur vitioſus, cui monitor exiſtit aſsiduus. Sum quidem Iudex Palatinus: ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus. Nam tunc iſta rectè gerimus, ſi à veſtris regulis minimè diſcedamus.* Et paucis interiectis: *Sedes illa toto Orbe mirabilis, proprios tegat affectione cultores: quæ licet generalis Mundo ſit præſtita, vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa.* Quibus verbis, cùm Caſsiodorus generatim inſtrui roget à Romano Pontifice quoad omnia, tanquam à Paſtore & Magiſtro totius Mundi; planè in eo cognoſcit auctoritatem ad docendum ſine vllo erroris periculo.

8 Iuſtinianus Imperator, cùm adhuc Catholicus eſſet, ſcribens ad eundem Ioannem Papam, quem *Sanctiſsimum almæ Vrbis Romæ Archiepiſcopum & Patriarcham* appellat, ita loquitur: *Reddens honorẽ Apoſtolicæ Sedi, & Veſtræ Sanctitati, quod ſemper nobis in voto fuit & eſt (vt decet Patrem) honorantes Veſtram Beatitudinẽ, OMNIA, QVAE AD ECCLESIARVM STATVM PERTINENT, FESTINAMVS AD NOTITIAM DEFERRE VESTRAE SANCTITATIS: quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium, vnitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodire: quæ hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacerdotes vniverſi Orientalis tractus & ſubijcere & vnire Sedi Veſtræ Sanctitatis properavimus.* Nequeunt autem hæc omnia conſiſtere, niſi ex mente Iuſtiniani, ad Pontificem Romanum ſpectaret definitio quarumlibet controverſiarum, cui omnes Eccleſiæ Sacerdotes, etiam Orientalis tractus, deberent ſtatim acquieſcere & obedire. Idem Iuſtinianus in Epiſtola quadam ad Hormiſdam Papam, humillimè illum conſulit circa quoddam dubium ad fidem ſpectans, vt *iuxta morem prædeceſſorum Pontificum*, qui conſulti de fide docebant, ediſſerat quid tenendum ſit. Orat itaque, vt in controverſia illa, *An vnus de Trinitate dicendus eſſet crucifixus*, exponat quid ſequi aut vitare deberent Orientales: & ſubdit: *HOC ENIM CREDIMVS ESSE CATHOLICVM, QVOD VESTRO RELIGIOSO RESPONSO NOBIS FVERIT INTIMATVM.* Erant igitur in eo ſenſu, tum Iuſtinianus, tum reliqui Chriſtiani Orientales, vt quidquid circa controverſias fidei definit Romanus Pontifex, credendum ſit tanquam dogma Catholicum. Et tamen nulla fuit Synodus Generalis tempore Hormiſdæ Pontificis: vtpotè qui ſolùm ab anno 514. vſque ad 523. Eccleſiam rexit. Synodus autem Quinta Oecumenica pluribus pòſt annis coacta fuit, eodem Iuſtiniano imperante, & longè aliter affecto erga Vigilium Papam, & Ioannem Tertium, ac fuerat erga Hormiſdam & Ioannem Secundum. Nimirum, poſtquam multis nominibus benemeritus fuerat de Eccleſia Catholica, tandem anno 563. ſe præcipitem dedit in hæreſim, partim quòd nimirùm ſe immiſcuiſſet rebus ſanctis & negotijs Eccleſiæ tractandis, ac fidei controverſijs per edicta definiendis, contra morem ſuum veterem, & prædeceſſorum, qui eas omnes ad Romanos Pontifices referebant; partim quòd hæreticis, præſertim Eutychianis, ſe indulgentiorem ac familiarem præſtitiſſet. Quare anno 565. repentina morte vitam finivit, quamvis nullo Edicto promulgato in teſtimonium hæreſis ſuæ.

SEC-

SECTIO SECVNDA.

De hæreſibus damnatis ſæculo ſeptimo, extra Concilium Oecumenicum Sextum. Huius teſtimonia pro auctoritate infallibili Romani Pontificis, & quædam alia ſelecta loca.

9 SEPTIMO Sæculo nulla Synodus Oecumenica fuit coacta, niſi Conſtantinopolitana Tertia, quæ & Sexta Generalis, ſub S. Agathone Papa, anno 680. & 681. contra hæreſim Moocthelitarum. Longè verò antea quàm illa congregaretur, plurimę hæreſes ortæ ſunt, quæ à Pootificibus Romanis damnatæ fuerunt, ſive per Epiſtolas Decretales, ſive in Concilijs Provincialibus aut Nationalibus, eorum conſenſu celebratis & confirmatione munitis. Talis fuit hæreſis Gnoſimachorum, Eicetarum, & Thnetopſychitarum, apud Damaſcenum lib. de Hæreſibus: talis Theocatognoſtarum, ſeu Patermeneutarum apud Sanderum poſt eundem Damaſcenum: talis Armenorum & Chazinzariorum apud Prateolum lib. 1. num. 67. talis Lampetianorum, Aginenſium, & Maronitarum, apud Gaulterium ſæculo 7. pagin. 535. Immo (quod maximè notandum eſt) neque prædicta hæreſis Monothelitarum, præcipua eius ſæculi, proſcripta fuit primùm in Concilio Sexto Generali; ſed iam antea eodem anno 1680. damnata fuerat à S. Agathooe Papa in Concilio Romano centum viginti quinque Epiſcoporum; & anno proximè præcedenti, id eſt, 579. in Concilio Mediolanenſi, præſide Manſueto; & Anglicano apud Hedefeldiam, præſide Theodoro Archiepiſcopo Britannicæ inſulæ & civitatis Dovernis (iuxta Bedam libr. 4. cap. 17.) ad quem, & alios Anglię Epiſcopos ſcripta extat Epiſtola ſecunda S. Agathonis. Vide Baronium ad eundem annum num. 15. & 9.

10 Sed & longè antea intra idem ſæculum damnatam inveoio eandem Monothelitarum hæreſim à Pontificibus Romanis. nimirum à Theodoro Papa, qui Sedem Apoſtolicam regere incepit anno 642. Nimirum, eius tempore atque auctoritate celebratũ fuit anno 648. Concilium Romanum, in quo damnavit Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Pyrrhum ex Patriarcha relapſum in eandem hæreſim opera Olympij Exarchi: biẽnio poſtquam coactæ fuerant adverſus illam, Synodus Numidica, & inſuper Byzacena quadraginta duorum Epiſcoporum; ac præterea Carthaginenſis ſexaginta octo Præſulum: tres prędictæ anno 646. Quin & S. Martinus I. Papa electus anno 649. Epiſtolam ſcripſit ad omnes fideles contra hæreſim eandem, atque anno eodem celebravit Romæ concilium centum quinque Epiſcoporum, in quo non modò hæreſim ipſam proſcripſit, ſed etiam eius promotores Cyrum, Sergium, Paulum, & Pyrrhũ. Itaque damnatio Monothelitarum longè poſtea ſecuta in Sexta Synodo Generali anno 680. & 681. ſolùm fuit ſolemnior quędam proſcriptio hæreſeos iam antè à Pontificibus Romanis notatæ & fulguritæ extra Synodum Oecumenicam, quin vllus ex Catholicis contradiceret.

11 Deinde anno 692. iuxta communem Hiſtoricorum ſententiam (licèt eruditiſſimus Petavius differat ad annum 707.) coacta eſt Conſtantinopoli Synodus, quam Quiniſextam frequenter dicunt, tempore Sergij I. Papæ, & Iuſtiniani Secundi Imperatoris; in qua conditi ſunt Canones centum & duo, Trullani dicti, quòd eà in Trullo habita ſit. Nullius autem momenti vel auctoritatis habita fuit in Eccleſia Catholica: quoniam ab ipſo Sergio Papa fuit reprobata, vt teſtatur Veoerabilis Beda, qui tuoc vivebat, lib. de Sex ætatibus in Iuſtiniano Iuniore. Qrare nullus eorum Canonum habet quidpiam auctorltatis ab initio, donec aliqui illorum poſtea à Summis Pootificibus, aut legitimis Concilijs probati fuere: vt patet ex Canone octuageſimo ſecundo, qui probatus fuit ab Adriano I. Papa, & in Septima Synodo Generali Actione 2. & 4. Vide Bellarminum libr. 1. de Concil. c. 7. & lib. 2. de Summo Pontif. cap. 18. Baronium ad annum 692. & Franciſcum Turrianum in Apologia pro 6. & 7. Synodo. Patet itaque, iudicio Eccleſiæ Catholicæ nullam auctoritatẽ habuiſſe Canones Quiniſextæ Synodi, quoniam ſine approbatione Romani Pontificis initio editi ſunt; & nullum ex ijs poſtea receptum fuiſſe, niſi præmiſſa Apoſtolicæ Sedis definitione: quoniam eo ſæculo, ſicuti & præcedeotibus, firmiter creditum fuit io Eccleſia, poteſtatem definieodarum fidei controverſiarum vltimo & irreformabili iudicio, penes ſolum Romanum Pontificem eſſe, ſive intra, ſive extra Oecumenicum Concilium.

12 Quod ipſum præterea confirmatur ex illuſtri Epiſtola laudati S. Agathonis Papæ ad Conſtantinum Quartum Imperatorem maiorem, & Heraclium ac Tiberium Auguſtos, quę extat Actione quarta prædictæ Synodi Sextæ Generalis. Sic eoim eos alloquitur S. Pontifex: *Exoro porrigere dignem ni clementiſsimam dexteram Apoſtolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum veſtrorum Beatus Petrus Apoſtolus tradidit, non vt ſub modio condatur, ſed tuba clariùs in toto orbe prædicetur; quia eius ve-*

ra

ra confeſsio à Patre de cœlis eſt revelata; pro qua a Domino omnium beatus eſſe pronuntiatus eſt Petrus: qui & ſpiritales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium terna commendatione paſcendas ſuſcepit: cuius adnitente præſidio (obſervet hæc intentè Chriſtianus Lector) *hæc Apoſtolica eius Eccleſia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: cuius authoritatem vtpotè Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſequutæ ſunt; omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius doctrinam amplexi, per quam & probatiſſima Eccleſiæ Chriſti luminaria claruerũt, & ſancti quidem Doctores Orthodoxi, venerati, atque ſequuti ſunt; hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationũ odijs inſequuti.* Hactenus ille tam clarè & appoſitè tradens quidquid in hoc Tractatu probandum ſuſcepimus, vt omnis præterea auctoritas ſupervacanea videatur.

13 Præterea inter Patres omnes, qui in ea Synodo Generali ſubſcribunt Actione decima ſeptima, legitur primo loco: *Theodorus humilis Præsbyter S. Romanæ Eccleſiæ, locum gerens Agathonis ter beatiſsimi Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, ſubſcripſi.* Similiter habetur in fine Actionis decimæ octavæ. Vnde conſtat, nihil ibi definitum, niſi præeunte Sede Apoſtolica per ſuum Legatum. Sed & poſt medium Sermonis acclamatorij ad Imperatorem Conſtantinum IV. ſic loquũtur Patres de S. Petro Apoſtolo, eiuſque Succeſſore S. Agathone: *Summus autem nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis Succeſſorem habuimus fautorem, & diuini Sacramenti myſterium illuſtrantem per litteras. Confeſsionem tibi a Deo inſcriptam, illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem a veſpertinis partibus extulit. Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Sanè dum Patres eius Concilij profitentur S. Petrũ loqui per os Pontificis Romani definientis fidei controverſias, palam etiam agnoſcunt, huius iudicium, ſicut & S. Petri, firmum & infallibile eſſe.

14 Cùm verò adhuc poſt celebratam eandem Synodum, multi tenaciter adhęrent prædamnatę Monothelitarum hæreſi, Conſtantinus Pogonatus Imperator in ſua Divina Iuſsione ad Synodum Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ directa, inquit: *OMNES CONSONANTER MENTE ET LINGVA CONCREDIMVS, ET SIMILITER CONFESSI SVMVS: ET TANQVAM IPSIVS DIVINI PETRI VOCEM, AGATHONIS RELATIONEM SVPERMIRATI SVMVS.* Quid illuſtrius? Deinde idem Imperator S. Leonem Secundum Papam hortatus fuit Reſcripto quodam ad abſcindendos illos è corpore Eccleſiæ, hiſce verbis: *Sta firmus propugnator pietatis accinctus verbi gladio, cuius eſt omnem hæreticum, atque doctrinam præcidere, ſicut & Petrus olim Iudaici auditus ſenſorium gladio percutiẽs abſtulit, legalis, & ſervilis Synagogæ præſignificans ſurditatem. Extende ſecurim ſpiritus, & omnem arborem ferentem fructum hæreſeos, vel inſtitutionibus tranſplantare erudiendo, vel Canonicis pœnis exſcindere, & igni futuræ gehennæ tranſmittere: vt præciſis ijs omnibus, quæ fidem labefactant, valens ſit, atque integrum Eccleſiæ Corpus, pace ſpiritus connexum, & coagmentatum.* Agnoſcit ergo Imperator in Pontifice Romano auctoritatem firmam ad præcidendum omnem hæreſim ad imitationẽ S. Petri abſcindentis auriculam Malchi; idque independenter à Concilio Oecumenico: neque enim Conſtantinus vllam Synodi eiuſmodi congregandæ in eum finem facit mentionem. Quin & idem S. Leo in Epiſt. ad eundem Imperat. Conſtantinum IV. agnoſcit pariter vocem S. Petri loquentis in Prædeceſſore ſuo Agathone, damnante hæreſim Monothelitarum, dum confirmat Sextam Synodum Generalem, dicens: *Hanc rectæ & Apoſtolicæ traditionis normam prædeceſſor meus Agatho, Apoſtolicæ memoriæ Papa, cum ſua Synodo prædicavit: hanc ſcriptis percurrentibus in ſuæ ſuggeſtionis pagina veſtræ pietati per ſuos Legatos emiſsit, approbans & confirmans teſtimonijs Sanctorum, & probabilium Eccleſiæ Doctorũ: quem ſancta nunc & magna Synodus, Domini & veſtro favore celebrata, ſuſcepit, & in omnibus nobiſcum amplexa eſt: VTPOTE B. PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS SINCERAM DOCTRINAM IN EA AGNOSCENS, &c.* Deinde Synodum ipſam cõfirmat AVCTORITATE S. PETRI, quam in ſeipſo permanentem teſtatur.

15 Huc ſpectat teſtimonium S. Aldhelmi Schireburgenſis Epiſcopi in Epiſt. ad Geruntium, allegata à Coccio, lib. de Hierarch. Eccleſ. art. 4. ita loquentis: *Si Petro claves cœleſtis regni a Chriſto collatæ ſunt, de quo Poeta ait:*

Claviger æthereus, portam qui pandit ad æthram:

quis

quis Eccleſiæ eius (nimirum Romanæ) *ſtatuta princ.palia ſpernens , & doctrinæ mandata contemnens , per cœleſtis Paradiſi portam gratulan.ibus ingreditur? Etſi ipſe poteſtatem ligandi , atque Monarchiã in cœlo & terra, felici ſorte, & peculiari priuilegio accipere promeruit ; quis Paſchalis feſti regulam, & Tonſuræ Romanæ ritum refutans, non potiùs ſe ſtrictis nexibus inextricabiliter obligandum , quam clementer abſoluendum, vllatenus arbitretur? Fundamentum Eccleſiæ, & firmamentum fidei; principaliter in Chriſto, ſequenter in Petro collocatum , neqaaquam ingruentibus tempeſtatum turbinibus nutabundum vacillabit , ita Apoſtolo promulgante. Fundamentum aliud nemo poſt ponere. Petro autem Veritas ita priuilegium Eccleſiæ ſanxit: Tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Vbi, inter alia , obſervare licet , quemadmodum fundamentum Eccleſiæ, & firmamentum fidei, in Chriſto principaliter , & ſubinde in Petro collocatur ; ita etiam conſequenter in eius Succeſſoribus Romanis ſitum eſſe : nequis ab eorum doctrina in definitionibus, & ſtatutis recedat. Propterea enim dicitur nunquam vacillaturum ingruentibus tempeſtatum turbinibus , quòd ſemper in Romanis Pontificibus manſura ſemper ſit auctoritas ipſa S. Petri.

16 Redeo ad alia verba S. Agathonis in laudata Epiſtola ad Conſtantinum IV. Imperatorem, & ad Heraclium ac Tiberium Auguſtos, ante medium , quæ prætermittere re-
,, ligioni ducerem : * Hæc eſt enim vera fi-
,, dei regula , quam & in proſperis , & in ad-
,, verſis vivaciter tenuit, ac defendit hæc ſpi-
,, ritualis mater veſtri tranquilliſsimi Impe-
,, rij Apoſtolica Chriſti Eccleſia : quæ per
,, Dei omnipotentis gratiam à tramite Apo-
,, ſtolicæ Traditionis nunquã erraſſe proba-
,, bitur, nec hæreticis novitatibus depravata
,, ſuccubuit: ſed vt ab exordio fidei Chriſtia-
,, næ percepit ab authoribus ſuis Apoſtolorũ
,, Chriſti Principibus, illibata fine tenùs per-
,, manet, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris
,, divinam pollicitationem, quam ſuorũ Diſ-
,, cipulorum Principi in ſacris Evangelijs fa-
,, tus eſt: Petre, Petre, inquiens , ecce Satan
,, expetivit, vt cribraret vos ſicut qui cribrat
,, triticum : ego autem pro te rogavi, vt non
,, deficiat fides tua. Et tu aliquando conver-
,, ſus, confirma fratres tuos. Conſideret ita-
,, que veſtra tranquilla Clementia, quoniam
,, Dominus, & Salvator omnium, cuius fides
,, eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſ-
,, ſit , confirmare eum fratres ſuos admo-
,, nuit : quod Apoſtolicos Pontifices meæ
,, exiguitatis prædeceſſores confidenter fe-
,, ciſſe ſemper , cunctis eſt cognitum : quo-
,, rum & puſillitas mea , licèt impar & mi-
,, nima , pro ſuſcepto tamen divina digna-
,, tione miniſterio , pediſequa cupit exiſto-
,, re. Væ enim mihi erit, ſi veritatem Domi-
,, ni mei , quam illi ſynceriter prædicarunt,
,, prædicare neglexero. Væ mihi erit ſi ſi-
,, lentio texero veritatem , quam erogare
,, nummularijs iuſſus ſum , id eſt Chriſtia-
,, num populum imbuere , & docere. * Hucuſque Sanctus ille Pontifex : qui ex ipſis oraculis divinis , & pollicitationibus ad S. Petrum, ſubindeque ad Romanos Pontifices, probat ac teſtatur , nunquam defeciſſe aut defuturam illorum fidem , & vim ad confirmandum fratres , ſive Chriſtianos omnes in fide. Hoc autem non eſſet verum , ſi Romani Pontifices vnquam definijſſent aut definirent de reliquo aliquid falſum , ſive devians ab ipſa fide.

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur idipſum quoad hæreſes damnatas ſæculo octavo. Vbi plura obſervata circa Synodos tunc coactas, præſertim quoad Septimam Generalem. Teſtimonia aliquot Patrum eiuſdem temporis.

17 VARIÆ Similiter hæreſes excitatæ ſunt ſæculo octavo, quæ extra Cõcilium Oecumenicum damnatæ fuere à Romanis Pontificibus. Talis fuit inſania Agonyclitarum , & Chriſtianocategororum , apud Damaſcenum lib. de Hæreſibus, Sanderum Hæreſi 129. & Petrum Caniſium in Chronico. Talis error Aldeberti, & Clemẽtis Scoti, apud Baronium ad annum Chriſti 745. Pauli cuiuſdam, & Ioannis eius aſſeclæ, apud Euthymium Hæreſi 132. Talis etiã hæreſis Felicis Vrgellitani Epiſcopi, & Elipandi Archiepiſcopi Toletani: circa quam omnes ferè eruditi rerum Eccleſiaſticarum Scriptores plurima tractant , & Theologi frequenter diſputant. Tales denique Albanenſes: quos S. Antoninus in Summa 4.p.tit.11.c.7. pro eiſdem cum Albigenſibus reputat: ſed tamen alij plurimùm differre oſtendunt: quoniam hi ſæculo tertiodecimo ex Orco prodierunt, tempore Innocentij III. Papæ : illi verò octavo, in quo verſamur.

18 Porrò omnes, aut pene omnes prædicti hæretici ſuos errores eo ſæculo diſſeminarunt antequam vlla Synodus Generalis congregaretur. nam Septima , quæ eo ſæculo coacta fuit , circa eius finem cele-

brata eſt apud Nicæam Bithyniæ vrbem anno 787. Quapropter illarum hæreſeō damnatio facta eſt à Pontificibus Romanis, ſive per decreta, ſive per Concilia Provincialia, aut Nationalia, auctoritate Sedis Apoſtolicæ indicta & confirmata: præſertim verò hæreſis Aldeberti & Clementis proſcripta fuit in Concilio Germaniæ, Præſide & Legato Sedis Apoſtolicæ S. Bonifacio Martyre Germanorum Apoſtolo, anno 745. eodemque anno in Concilio Romano à Zacharia Papa. Similiter hæreſis Felicis & Elipandi, aſſerentium Chriſtum Dominum fuiſſe filium Dei adoptivum, damnata fuit primùm in Concilio Narbonenſi anno 788. iuxta Catellū pag. 654.& 743.Hiſtoriæ Landgothicæ:deinde in Ratiſponenſi anno 792.ac tandem in Francofordienſi ab Epiſcopis vniverſi regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, anno 794. præſentibus Theophylacto & Stephano Epiſcopis, Legatis Adriani I. Papæ: qui & poſtea auctoritate Sedis Apoſtolicæ eam Synodum confirmavit, indeque opinio Felicis apud omnes Catholicos hæretica habita eſt: præſertim poſtquam Adrianus ipſe ſcripſit Epiſtolam Decretalem ad Epiſcopos Hiſpaniæ contra Elipandum pariter cumFelice deſipientem. Vide eruditiſsimū Mavillonem ea de re noviſsimè differentem,poſt plures alios, tomo quinto Sæculorum Benedictinorum, in Præfatione §. 1. cui epigrapha: *De hæreſi Feliciana,ſive Adoptivorum.* Porrò vtrumque didiciſſe aut traxiſſe eundem errorem à Theodiſco,ſucceſſore S.Iſidori in Archiepiſcopatu Hiſpalenſi,homine impio,hæretico,& qui tandem in Mahumetanam ſectam turpiter tranſijt, opinatur Baronius ad annum ipſum 794. Nec propterea nego, poſtea anno 799. eandem hæreſim damnatam fuiſſe à Leone III. Papa in Concilio Romano, hortante Carolo Magno Imperatore. Id enim moris fuit Romanis Pontificibus, vt identidem eaſdem hæreſes proſcriberent, aut proſcriptas iterum declararent, quoties opportuna aliqua & vrgens occaſio id exigebat, qualis certè tunc fuit, quoniam Felix ad hæreſim antea à ſe abiuratam redijt, & epiſtolam quandam ſcripſit adverſus Alcuinum, quæ pariter in ea Synodo proſcribitur. Nec tamen omittendum, vt hoc obiter dixerim, Felicem denique ex animo damnaſſe priorem hæreſim: vt patet ex Actis Concilij Aquiſgranenſis eodem anno 799. celebrati,& ex Auctore Vitæ Alcuini, ac tandem ex Fidei Profeſsione,quam poſtea Felix ad ſuos Vrgellitanos ſcripſit. Nimirū,auctoritate Romanorum Pontificum illa damnatiō, quamvis extra Concilium Oecumenicum,ductus tandem eſt ad ſuum veterem errorem ex animi ſententia proſcribendum.

19 Verum hæreſis famoſior eius ſæculi, fuit Iconomachorum, ſive impugnantium cultum ſacrarum Imaginum: quæ damnata fuit potiſsimùm in Septima Synodo Generali,aliàs Nicæna ſecunda,à trecentis quinquaginta Epiſcopis, anno 787. præſentibus Legatis Adriani I. Papæ (vt patet ex Actione prima) & imperantibus Conſtantino Auguſto eiuſque matre Irene. Ibidem Actione ſecunda lectæ fuerunt litteræ eiuſdem Romani Pontificis ad Imperatorem, & ad Tharaſium Patriarcham CP. Legati verò eiuſdem Papæ interrogaverunt totam Synodum: *Dicat nobis, ſi admittit litteras ſanctiſſimis Patris ſenioris Romæ, an non? Reſponderunt Patres: SEQVIMVR, ET SVSCIPIMVS, ET ADMITTIMVS:* Præterea ſinguli ferè Epiſcopi eaſdem Adriani Papę litteras peculiari elogio honorarunt: atque illum Agapetus Cæſareenſis in Cappadocia Archiepiſcopus, *ORTHODOXIÆ LVMEN* dixit: Ioannes Tauromeniæ in Sicilia Epiſcopus, *TERMINVM ORTHODOXIÆ* palam appellavit. Sic olim in Concilio Chalcedonenſi S. Leo Papa cum ſuis Dogmaticis ad Flavianū litteris dictus fuerat *LVMEN ET COLVMNA ORTHODOXIÆ.* Vt videas quanti æſtimatum fuerit amborum Pontificum iudicium, & doctrina circa fidem, ab vtroque eo Concilio Oecumenico. Porrò Imperator & Tharaſius pariter reſcripſerunt ad Papam, vt patet ex Actionibus ſeptima & octava. Neque tandem quidquam ex definitis in ea Synodo graviſsima fuit, quod non ſubmitteretur iudicio & confirmationi Apoſtolicæ Sedis. Vnde idem Adrianus Epiſtolam ſcripſit ad Carolum Regem Francorum & Longobardorum pro ſacris Imaginibus contra eos, qui Synodum illam impugnaverant. Extat Epiſtola ipſa in recentibus Conciliorum editionibus circa finem Actionis ſeptimæ.

20 Sed & præterea obſervare oportet, præcipuam definitionem eius Oecumenicæ Synodi pro ſacris Imaginibus, iam antea traditam fuiſſe à Sede Apoſtolica, præſertim in varijs Concilijs Provincialibus eiuſdem ſæculi. Etenim anno 726. Gregorius Secundus Papa ſimul cum Epiſcopis Occidentalibus in Concilio Romano damnavit hæreſim Leonis Iſaurici Imperatoris, & aliorum cum ipſo execrantium ſacras Imagines: harumque cultum ſtabilivit. Deinde Gregorius Tertius Papa anno 732. in alio Concilio Romano nonaginta triū Epiſcoporū,idipſum denuo ſanxit, iuxta antiquas Eccleſiæ traditiones.

Re-

Repugnarunt tamen Iconomachi, & præſertim poſtea Conſtantinus Copronymus Imperator ſpurciſsimus, qui anno 754. Conſtantinopoli fecit congregari erraticam Synodum trecentorum triginta octo Epiſcoporum: in qua, vt teſtatur Scriptor Synodicus, *Chriſti omniumq; Sanctorum Imagines IDOLA nominavit, interceſsiones negavit, & à Deo honoratas reliquias igni tradidit.* Quare poſtea Stephanus III. Papa anno 769. Romæ Concilium celebravit contra eoſdem hæreticos: donec tandem anno 787. Adriani I. Papæ iuſſu coacta fuit Synodus Septima Generalis, iam laudata, in qua ſolemniùs multò, annuentibus Conſtantino Quarto Imperatore, eiuſq; matre Irene, & Epiſcopis trecentis quinquaginta ex toto Oriente; probatus fuit cultus ſacrarũ Imaginum, quem iam antea Romani Pontifices laudaverant, & in nullo deviũ à divina lege tradiderant. Nimirum, licèt iam antè Sedes Apoſtolica illum probaſſet, Pontifex Adrianus induſit; vt controverſia eadem in Synodo Oecumenica retractaretur, ad maiorẽ ſolemnitatẽ, & publicam damnationem eorũ, qui contrà ſenſerant in Oriente. quo modo ſæpe aliàs ſe geſsiſſe Romanos Pontifices, obſervavimus Diſput. præcedenti. Nam quamvis eorum definitiones in controverſijs fidei ſint prorſus infallibiles; nonnumquam oportet ad maiorem ſolemnitatem illarum, vt poſteà in Synodis Generalibus ritè coactis ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ atque ex communi conſenſu Patrum congregatorum innoventur, & iterum ſtabiliantur.

21 Quin & adhuc poſtea anno 794. in Concilio Francofordienſi nuper memorato, confirmata fuerunt, id eſt, denuo approbata, & ex ſuperabundanti, Acta eiuſdem Septimæ Synodi Generalis circa cultum Imaginum, quamvis iam haberent auctoritatem infallibilem. Nec tamen Iconoclaſtæ errorem ſuum depoſuerunt, nam in varijs Conciliabulis, præſertim Conſtantinopoli habitis, annis 806. 809. & 814. auſi ſunt reprobare eandem Synodum Oecumenicã, & probare pſeudoſynodum CP. ſub Imperatore Copronymo habitam contra ſacras Imagines. Nimirum, qui iudicium Romanorum Pontificum in ea cauſa nõn admiſerant, nihil mirùm quòd doctrinam Concilij Oecumenici reprobarent: cùm Concilia Generalia nequeant vllã habere firmitatem aut infallibilitatem in definitionibus, niſi à Sede Apoſtolica mutuatam & confirmatam, quod ſæpe in ipſis Concilijs Oecumenicis traditur. Ideòque in ipſa Septima Synodo lecta fuit & cum veneratione excepta Epiſtola ſuperiùs memorata Adriani I. Papæ ad Conſtantinum & Irenem Auguſtos, in qua Eccleſia Romana nõn ſolùm *CATHOLICA ET APOSTOLICA DICITVR*, ſed etiam Caput aliarum omnium Eccleſiarum, & confirmatrix ac moderatrix Synodorum. *Cuius Sedes* (inquit) *IN TOTO ORBE TERRARVM PRIMATVM FVLGENS, CAPVT OMNIVM ECCLESIARVM CONSTITVTA EST. Et quamvis Beatus Petrus Apoſtolus per Domini præceptum rexit Eccleſiã, nihilominus ſubſequens & tenuit ſemper & retinet Principatum, quod Vniverſalis Eccleſiæ nomen nullam magis oportet exæqui Sedem, quàm Primam: QVÆ ET VNAMQVAMQVE SYNODVM, ET SVA AVCTORITATE CONFIRMAT, ET CONTINVATA MODERATIONE CVSTODIT.* Vide & Patres ibidem congregatos Actione ſexta reijcientes pſeudoſynodum quandam Conſtantinopolitanam Iconoclaſtarum, illam venditantium pro Septima Synodo Vniverſali; refellunt multipliciter eam, præcipuè verò quia *nullum habuit cooperarium, vt hæc quæ nunc celebratur* (apud Nicæam, nimirum) *Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per provinciales litteras, QVEMADMODVM FIERI IN SYNODIS DEBET.* Talis verò & tãta neceſſitas confirmationis Pontificiæ, vt definitiones Conciliorum in controverſijs de fide & religione vim habeant, vix aut ne vix quidem intelligi poteſt ſine auctoritate ſuprema & iudicio irreformabili Romani Pontificis in iis definiendis. Quare & in ea Synodo Nicæna Vniverſali primi omnium Patrum Actione ſeptima ſubſcripſere duo Legati Adriani Papæ: ne illa inſtar alterius erraticæ Iconoclaſtarum acephaliæ & nullitatis argueretur.

22 Conſonat eidem doctrinæ Venerabilis Beda varijs locis. Nam imprimis libro 1. Hiſtoriæ Anglorum cap. 1. initio tribuit Sancto Petro, eiuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus Primatum totius Eccleſiæ; ſive vt ipſe loquitur, *Primum in toto Orbe Pontificatum*: deinde lib. 5. cap. 19. Eccleſiam Romanam appellat *CATHOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM*: ac præterea Homilia de nativitate S. P. N. *BENEDICTI* prope medium Romam vocat, *Caput eximium totius Eccleſiæ.* His ergò epithetis, tum Pontificis Romani, tum Romanæ Eccleſiæ, ſtatutis ex ipſo; videamus quid ſentiat, & dicat de

auctoritate S.Petri in rebus fidei ; ac ſubindè Succeſſorum ipſius. Id autem opportunè exponit in Homilia de feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli prope finem, his verbis : *Ideo B. Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſequutus, ſpecialiter claves Regni cœlorum, & Principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt OMNES PER ORBEM CREDENTES INTELLIGANT, quia quicumque ab vnitate fidei vel ſocietatis illius QVOLIBET MODO ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſint Regni cœleſtis ingredi.* Cùm igitur ex ipſo Beda aliunde habeamus, eandem eſſe auctoritatem, eamque ſupremam, in Petro, & ipſius Succeſſoribus, Romanæ Eccleſiæ Pontificibus; conſequens eſt, vt quicumque ſe vltro ſegregant quolibet modo ab vnitate fidei, quam Pontifex Romanus tradit, ſibi ipſis aditum in cœlum præcludant. Tenentur ergo ſtare definitionibus ac doctrinæ Pontificis Romani, ſicut & Petri Apoſtoli, in rebus fidei, niſi velint iacturam æternæ ſalutis ſubire.

23 Damaſcenus quoque, eiuſdem ſæculi Scriptor ſatis idipſum indicat in Oratione de Transfiguratione Domini, vbi confeſſionem B. Petri, Chriſtum Dei vivi filium prædicantis, ſic expendit: ὁ Πέτρος δὲ ἐμπύρῳ τῷ ζήλῳ καιόμενος, καὶ τῷ ἁγίῳ θεοφορούμενος πνεύματι, &c. id eſt: *Petrus vero ardenti quodam zelo inflammatus, ac ſancto Spiritu inſtinctus, Tu,* inquit, *es Chriſtus Filius Dei vivi. O beatum os! O prorsùs beata labra! O Theologam animam! O Deo afflatam mentem, ac dignam, quæ diuinitùs doceretur! O præclara inſtrumenta, per quæ Pater proloquebatur? &c. Hæc eſt firma illa, & immota fides, ſuper quam tanquam petram Eccleſia fundata eſt, cuius tu merito cognomentum geris. Aduerſus hanc inferorum portæ, hæreticorum ora, Dæmonum organa, impetũ quidem facient, ſed non prævalebunt : arma quidem induent ; ſed non expugnabunt. Sagittæ parvulorum, plagæ eorum fuerunt, & erunt. In ſuam enim perniciem mala fabricatur, qui veritati obſiſtit. Hanc ſuo quidem ipſe cruore comparavit : tibi autem vt fidiſſimo famulo in fidem tradit. Hanc precibus tuis ita conſerva, vt ab omni perturbatione, ac fluctibus immunis ſit, &c. Hoc inquam à Chriſto ſupplex contende, ab eo, inquam, qui ipſius immaculatus ſponſus eſt, qui te cœleſtis Regni Clavicularium inſtituit, qui tibi vinciendorum ac ſoluendorum peccatorum poteſtatem conceſſit ; quem tu diuino ore Dei viventis Filium verè prædicaſti.* Hæc ille de B. Petro quidem ἀμέσως : verùm ſubinde & conſequenter de Pontificibus Romanis, nam ſi illorum definitiones in rebus fidei aut morum eſſent fallibiles, & errori obnoxiæ, immò ſi aliquando falſæ extitiſſent, vt aliqui ex Adverſarijs Catholicis, & non ſolùm plerique Heterodoxorum contendunt ; profectò portæ inferorum, hæreticorum ora, & dæmonum organa prævaluiſſent, contra quàm Chriſtus promiſit, & Damaſcenus obſervat. Quis enim ambigat, extremam fore ruinam Eccleſiæ, ſi Paſtor Summus à Deo conſtitutus ad ipſam docendam omnem veritatem, quæ ad ſalutem ſpectat, vice veritatis traderet errorem aliquem toti gregi, ſeu populo Chriſtiano, quo abduceretur à vera fide, & via ſalutis? Non ergo Pontifex Romanus è cathedra poteſt tradere errorem in doctrina eiuſmodi, neque vnquam in ea tradenda erravit.

SECTIO QVARTA.

Hæreſes quædam ſæculo nono extra Generalem Synodum damnatæ proferuntur. Vbi obiter de Claudio Taurinenſi, Gotheſcalco, Photio CP. & Ioanne Scoto.

14 PAVCÆ Hæreſes leguntur inventæ aut ſuſcitatæ ſæculo nono : & eæ quidem extra Concilium Oecumenicum damnatæ fuerunt. Prima illarum tribuitur Claudio Taurinenſi Epiſcopo, quem perperam Prateolus lib.3.n.21. tradit coævũ fuiſſe Ioanni Vvicleffo: cùm hic pluribus poſtea ſæculis ortus fuerit, id eſt, quingentis circiter annis; Claudius verò initio ſæculi noni vixit, & anno 824. obijſſe memoratur. Hiſtorici illum cognomento Clementem appellatum aiunt, & Ordini S. P. N. BENEDICTI adſcribunt : verùm id, tanquam à veritate alienum reijcit Philippus Labbè in Diſſertatione Eccleſiaſtic. tomo 1. pag. 227. Hæreſis ipſi adſcribi ſolita, eſt illa ipſa Iconoclaſtarum, ſivè impugnantium cultum ſacrarum Imaginum : quæ, licèt iam damnata fuiſſet ſæculo antecedenti anno 787. in Synodo Septima Generali; plures poſtea defenſores ſeu inſtauratores habuit, tum Conſtantinopoli, vbi Conciliabulũ fuit coactum anno 814. ab Iconomachis damnantibus eam Synodum Oecumenicam, & ſacras Imagines infeſtantibus: tum in Gallia, vbi idẽ error pluri-

mos ſectatores habuit. Circa quod miſſa factio pleraque ab eruditis Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſcrutatoribus hoc tempore tractari ſolita, ſive in accuſationem, ſive ad excuſationem Gallorum tunc reſiſtentium cultui Imaginum earundem: quarum pleraque videre potes apud Noſtrum Ioannem Mavillonem in Sæculis Benedictinis tomo quinto initio.

25 Porrò Claudius ſcripſit libellum ad Theodoricum Abbatem contra cultum ſacrarum Imaginum, etiam ipſius Crucis Chriſti D. Quin & præterea de ſe ipſo ibidem ait: *Poſtquam coactus ſuſcepi ſarcinam Paſtoralis officij, miſſus à pio Principe Sanctæ Dei Eccleſiæ filio Ludovico, veni in Italiam in ciuitatem Taurini: & inveni omnes Baſilicas contra ordinem veritatis ſordibus anathematum & imaginibus plenas. Et quia quod homines colebant, deſtruere ſolus cœpi; idcirco aperuerunt omnes ora ſua ad blaſphemandum me: & niſi adiuviſſet me Dominus, vivum deglutiſſent me.* Itaque non modò negavit & impedivit cultum ſacratum imaginum (in quo comites habuit Ionam Aurelianenſem Epiſcopum, & Agobardum Lugdunenſem, iuxta Baronium ad annum 825. num. 68. & ſeqq.) verùm etiã eas de medio tollendas & confringendas curavit. Quin & Sanctorum cultum, & peregrinationem ad Eccleſiam Romanam pro venia peccatorum impugnaſſe videtur. Huic errori alium adiunxit, quo aſſerebat Baptiſmum eſſe irritum prorſus, ac nullius momenti, niſi ſignum Crucis adhibeatur fronti eius, qui baptizatur. Has hæreſes refutavit idem Abbas Theodoricus, decertans pro ſacris Imaginibus, Opuſque ea de re ſcriptum Carolo Calvo dicavit. Nec verò opus fuit, Oecumenico aliquo Concilio ad damnandam Claudij doctrinam. Satis enim viſum eſt, eam proſcribi à Paſchali I. Papa, qui Eccleſiam eo tempore regebat, nimirum ab anno 817. vſque ad 824. Paſchalis itaque, licèt nulla Synodo coacta, damnavit errores Claudij, vt teſtatur laudatus Abbas Theodomirus, in allegato Defenſorio pro ſacris Imaginibus ſcripto. Vide plura alia apud Salelles, Regula 261.

26 Eodem ſæculo omnes pene Scriptores commemorant errores Gotheſcalci, damnatos in Synodo Moguntina ſub Rabano Mauro anno 848. & poſtea in Cariſiacenſi ſub Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo, anno 849. ſeu potiùs 848. vt Labbè vult, præſente Carolo Calvo Rege, vbi idem Gotheſcalcus iterum damnatus, virgis cæſus fuit, atque in ergaſtulum Altovillaris Monaſterij recluſus. Deinde anno ſequenti 853. coacta fuit altera Synodus Cariſiaci, in qua conſtituta fuere quatuor capitula contra Prædeſtinatianos, oppoſita totidem theſibus Gotheſcalci, & ſententia in eum dicta fuit à duodecim Epiſcopis. Conſtat verò ex Annalibus Bertinianis, eam Synodum fuiſſe poſteriorem Sueſſionenſi eodem anno 853. celebrata; de qua infrà. Verùm quoniam à paucis annis plures controverſiæ ortæ ſunt circa doctrinam Gotheſcalci, præſertim inter eos qui acriùs de divinarum prædiffinitionum & gratiæ auxiliantis efficacia diſſerunt, placet hoc loco exſcribere verba Baronij ad eundem annum 848. numer. 4. aientis: *Hoc eodem anno ſecunda Synodus Moguntina ſub Rabano Archiepiſcopo celebrata eſt, &c.* Et infrà, *Gotheſcalcus quoque quidam Præsbyter de prædeſtinatione Dei prava ſentiens, rationabiliter, vt pluribus viſum eſt, convictus, & ad proprium Epiſcopum Hincmarum Rhemos tranſmiſſus eſt, priùs tamen iuramento confirmans, quòd in Regnum Ludovici vltrà non rediret.* Hucuſque Annales, & cum eis Baronius. Deinde à num. 6. plura de eodem Gotheſcalco ſubdit ex Epiſtola Hincmari Rhemenſis (relata à Flodoardo libro 3. Hiſtor. Rhemenſ. cap. 13.) ad Nicolaum I. Papam, ſic loquentis: *Guido mihi nuntiavit quòd cùm eo de condemnatione, & captiuitate Godeſchalci verba feciſtis. Et quamvis iam alij de eo vos allocuti fuerint; nihilominus Odoni Epiſcopo quoſdam articulos ad veſtram Sanctitatem deferendos dedi, quos ex Doctoribus Catholicis contra impiam opinionem iſtius hominis peſtilentiſsimi excerpſi, de quibus nihil adhuc mihi reſpondiſtis.* Et paucis interiectis. *Hanc,* inquit, *ob cauſam nunc vobis pauca aperire deſidero, quomodo antequam Epiſcopus ordinatus fuiſſem, iſte Godeſchalcus Monachus Monaſterij Eccleſiæ Metropolitanæ Rhemenſis dicti Orbei, Diœceſis Sueſsionenſis (vt huius Abbas, & Monachi, cum quibus verſabatur, teſtantur) homo animo elatus, quietis impatiens, novorum verborum cupidus, inſatiabili honoris ambitione incenſus, protervus, & tumultuoſus, vt inani animi oſtentatione, & falſa quadam novitate ſui nominis famam adipiſceretur, adeptam latiùs opinionem propagaret, & propagatam ab obliuionis iniuria vindicaret, certos articulos omnium falſarum doctrinarum, quas tunc in ijs partibus huc, & illuc diſperſas eſſe noverat, elegit, & collegit:*

vt iſtis illecebris, & lenotinijs, ſimplicium, devotorumque ſenſus ineſcaret, & ineſcatos perverteret, & Magiſtri nomen vſurpans, diſcipulos ad ſe pelliceret, & pellectos ſeduceret vitæ Religioſæ ſimulatione, & ijs præeſſet doctrina, qui a veritate auditum avertentes, & ad fabulas ſe convertentes, ad ſua deſideria magiſtros coacervant prurientes auribus. Hæc ibi Hincmarus de genio, moribus, & doctrina Gotheſcalci. Præterea Paſchaſius Radbertus Abbas, qui eidem Concilio Cariſiacenſi interfuit cum tredecim Epiſcopis, alijſque Abbatibus, lib. 8. in Mathæum refellit Gotheſcalcum ipſum his verbis: *Quapropter ſcire certo debemus, quotiens aliquis perit, non ex prædeſtinatione Dei, vt quidam malè ſentiunt, neque ex voluntate Patris perire; ſed proprio ſuo peccato, iuſtoque Dei iudicio.*

27 Sed & audiendus eſt Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, ac Præſes Concilij illius Moguntię celebrati anno 848. in quo primùm damnata fuit doctrina Gotheſcalci. Is enim doctiſsimus, & pijſsimus Præſul in Epiſtola Synodali ad Hincmarum Remenſem paulò antè allegatum ita ſcribit: *Notum ſit dilectioni veſtræ, quod quidam gyrovagus Monachus nomine Goteſcalc, qui ſe aſſerit in veſtra Parœcia ordinatum, de Italia venit ad nos Maguntiam, novas ſuperſtitiones, & noxiam doctrinam de prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens quòd prædeſtinatio Dei ſicut in bono ſit, ita & in malo: & tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſsint ab errore, & peccato ſe corrigere, quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Maguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente, atque iubente piiſsimo Rege noſtro Ludovico, decrevimus eum cum pernicioſiſsima doctrina damnatum mittere ad vos; quatenus eum recludatis in veſtra Parrochia, vnde primùm inordinatè receſsit, & non ſinatis eum ampliùs errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum, quia iam multos, vt audiui, ſeductos habet, & minùs devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt: Quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei? quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, nunquam illam evadam: ſi malè autem egero, & prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine vlla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis ſcribimus, intimantes, qualem eius doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore eius quod ſentit pleniùs audire, & quid inde agendum ſit, pleniùs decernere. Dominus omnipotens ſanctitatem veſtram benè valentem, & pro vobis orantem in æternum conſervare dignetur.*

28 Scio plurimos eruditorum huius ſæculi longè, lateque diſſeruiſſe, hodieque diſſerere, contrarijs Invicem ſententijs, circa ſenſum Gotheſcalci, & hæreſim quam appellant Prædeſtinatianorum. Nec me fugit, quid olim Servatus Lupus Abbas Ferrarienſis, tum in libro de tribus quæſtionibus, tum in varijs Epiſtolis, nuper à V. Cl. Stephano Baluzio recuſis, ſenſerit circa eam controverſiam: quid etiam Baronius; quid Sirmondus, quid plures alij, præſertim in Gallia, & Belgio nuperrimè ſcribant; atque in ijs eruditiſsimus Mavillon Tomo VI. Sæculorum in Præfatione §. 9. ac præterea in Hiſpania Roſende Tomo I. de Iuſtitia Originali tractat. vltim. diſput. 3. per totam. Nec ignoro quàm varia ſint eruditorum Iudicia circa Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem, qui præcipuè Gotheſcalcum inſectatus eſt, tum in Opuſculo de prædeſtinatiatione Dei, & libero arbitrio: tum etiam In Diſſertatione adverſus ipſum, & cæteros Prædeſtinatianos. qui duo tractatus primum locum habent in editione Cramoſiana Operum Hincmari omnium noviſsima. Hincmarum enim carpunt multipliciter, & acriter Præſes Mauguinus, Chiffletius, Cabaſſutius, & Chriſtianus Lupus, præſertim Tomo II. in Concilia pag. 1266. è contra verò alij vindicant & celebrant, vt Iacobus Sirmondus, Ludovicus Cellotius, Petrus Roverius, & Alexander Tennentius, vt plures omittam.

29 Mirum autem eſt quòd poſt tot oculatorum teſtium depoſitionem In Concilijs Moguntino & Cariſiacenſi, atque in ijs Rabani Mauri, & Paſchaſij Radberti, graviſsimorum ſanè Virorum, tribuentium Gotheſcalco hæreſes num. 26. & 27. ipſorum verbis explicatas, ſint adhuc nonnulli ex Catholicis propugnantes cauſam ipſius. Inter eos Chriſtianus Lupus Tomo V. in Scholijs ad Concilium I. Romanum S. Gregorij VII. agens de probationibus per ignem, olim fieri ſolitis inquit: *Citra extremam neceſsitatem non ſunt ſimilia agenda. Hinc Godeſcalchum, Monachum miſerabilem*

de

de vanitate, at præſumptione rectè arguit in litteris ad Hincmarum Remenſem Metropolitam Rabanus Moguntinus Archiepiſcopus: Godeſcalchus optat poſt blasphemiam, quam impudenti ore protulit, vt coram vndique collecta populorum multitudine, præſente etiam Regni Principe, ſimul cum Pontificum, & Sacerdotum Monachorumque, & Canonicorum agmine, ad probandam ſuam ſectam liceat ſibi, quatuor dolijs, vno poſt alterum poſitis, atque ſingulatim repletis aqua fervēti, oleo pingui, & pice, & vltimè accenſo igne copioſiſsimo ad probandam traditionem tranſire, vt ſic probetur eius profeſsionis veritas. Quod neminem præter eum ita optaſſe legi. Hucuſque exſcribit Lupus. Vix autem oculis meis credo, cùm ex proprio ſenſu loquentem lego hiſce verbis: *Rectam cauſam agebat, & verum dogma tuebatur miſerabilis Monachus, verùm non ex charitate. Hinc non igne, ſed in carcere veritatem propugnavit.* Itane? Quod Rabanus appellat *blaſphemiam, impudenti ore prolatam,* quod ipſe & omnes Patres congregati in vtroque prædicto Concilio falſitatis, erroris, ſuperſtitionis, & hæreſis notarunt; id Chriſtianus Lupus *rectam cauſam & verum dogma* appellare non dubitat? Sed de hoc alibi fortaſſe. Nollem enim, niſi cogente neceſsitate, conſerere manus in ſimilibus controverſijs cum eo viro doctiſsimo, cuius eruditionem Eccleſiaſticam valde ſuſpicio, & quà verbo, quà ſcripto, commendare ac celebrare ſoleo. Hoc tamen fidenter dico, opiniones Gotheſcalco tributas, prout referuntur ab Hincmaro, Rabano, & Paſchaſio Rathberto, iure notari appellatione HÆRESEOS PRÆDESTINATIANÆ, quam Lucidus Præsbyter ſæculo quarto eiuravit in Concilio Arelatenſi ſæculo quinto, & ſæculo ſexto inſtauravit Monimus à Fulgentio reprehenſus, vt vidimus Diſp. præced. n. 88. & 90. vt propterea illorum error confixus fuerit in Concilio Arauſicano II. anno DXXIX. Can. 25. cuius omnia decreta anno ſequenti confirmata fuerunt à Bonifacio II. Pontifice Romano. Nihil ergo mirum ſi eadem doctrina in Gotheſcalco tribus poſt ſæculis reprobata fuerit: vtpote quæ iam à Sede Apoſtolica fuerat proſcripta, quamvis extra omne Concilium Oecumenicum. Neque enim Bonifacius II. illud congregavit vt probaret, ſive confirmaret Canones Arauſicanorum Patrum: quoniam ex perſuaſione antiqua totius Eccleſiæ didicerat, Pontifices Romanos non egere eo ſubſidio ad definiendum controverſias fidei.

Deinde verò anno Chriſti DCCCLV. celebratum fuit ſimiliter in Gallia Concilium Valentinum, præſentibus tribus Metropolitanis, Lugdunenſi, & Viennenſi: in quo perſtringuntur quatuor Capitula edita in Concilio Cariſiacenſi ſub Hincmaro: & præterea traditur duplex prædeſtinatio; altera ex miſericordia Dei ad vitam, altera ex iuſtitia ad mortem: illa præcedens omne meritum bonum electorum, hæc verò conſequens meritum malum reproborum, nec vllam inducens neceſsitatem ad malum. Quare Patres congregati aiunt: *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem electorum ad mortem; in electione tamen ſaluandorum, miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iuſtum Dei iudicium. Prædeſtinatione autem Deum ſtatuiſſe ea tantùm, quæ ipſe vel gratuita miſericordia, vel iuſto iudicio facturus erat, ſecundum Scripturam dicentem: Qui fecit quæ futura ſunt: in malis verò ipſorum malitiam præſciiſſe, quia ex ipſis eſt; non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. Pœnam ſanè malum meritum eorum ſequentem, vti Deum, quia omnia proſpicit præſciuiſſe, & prædeſtinaſſe, quia iuſtus eſt: apud quem eſt, vt S. Auguſtinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia.* Et poſt pauca ſubiungunt: *Verum aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe diuina poteſtate, videlicèt, vt quaſi aliud eſſe non poſſent, non ſolùm non credimus; ſed etiam ſi ſunt qui tantum mali credere velint, cum omni deteſtatione, ſicut Arauſica Synodus, illis anathema dicimus.* Quod poſtremum dogma tradiderat citata Synodus Arauſicana ſecunda in Gallijs coacta anno 529. Canone 25. totidem verbis. Vide eo loco Cabaſſutium poſt Sirmondum, & præterea Chriſtianum Lupum in Scholijs ad Canonem ſecundum Octavæ Synodi Generalis, vbi teſtatur pag. 1266. S. Nicolaum Papam confirmaſſe Synodum Valentinam paulò antè laudatam; damnaſſe autem Capitula Cariſiaca Hincmari ſupra n. 26. memorata. Non deſignat autem Lupus nomen Pontificis, qui alterius Synodi Capitula damnaverit, alterius Acta probaverit, neque ego hactenus inveni. Id autē ſcio, S. Leonem IX. Papam ſæculo vndecimo ſcribētem ad Petrum Epiſcopū Antiochiæ, & proponentē fidei ac profeſsionis Catholicæ formulā, ſolū admiſiſſe prędeſtinationē in bonis, ſive circa ſalutē electorū; refutaſſe verò ea, quę communiter Prędeſtinatianis tribuuntur. Ait

enim Epiſt. Decret. ad illũ, quæ eſt quinta eius Põtificis, in ipſa fidei formula: *Credo, Deum prædeſtinaſſe ſolummodo bona, præſciuiſſe autem bona malaque: gratiam Dei prævenire & ſubſequi hominem credo, & profiteor; ita tamen, vt liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.* Noſtro itaque inſtituto ſatis eſt, Romanum Pontificem extra omne Concilium Oecumenicum damnaſſe illam impiam doctrinam Gotheſcalco adſcriptam à Rabano, Hincmaro, & alijs, nullo deinceps, niſi hæretico contradicente: ſicuti & illam proſcripſit tandem Tridentina Synodus ſeſs. 6. can. 17. ſic definiens: *Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem; ſed gratiam non accipere, VT POTE DIVINA POTESTATE PRÆDESTINATOS AD MALVM; anathema ſit*: quæ poſtrema verba deſumpta pariter ſunt ex citata Synodo II Arauſicana can. 25. ſicuti & in Valentina nuper memorata fuerunt ex eodem fonte deſumpta. Et hæc obiter dicta nunc ſufficiant circa hæreſim Gotheſcalco à pleriſque adſcriptam: quæ certè à Sede Apoſtolica primùm extra omne Concilium Generale proſcripta fuit. Verum cùm hoc ipſo ſæculo à quibuſdam videretur ex Orco revocata, ex parte ſaltem, Innocentius X. anno 1653. anathema in eam dixit; ratus abſdubio cum Magno Auguſtino lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 12. non fuiſſe opus Concilio, *vt tam aperta pernicies damnaretur.* Plura huc ſpectantia lege ſis apud Mavillonem ſuprà allegatum, Baluzium in Notis id Servatum Lupum, & Ludovicum Cellotium in Hiſtoria Gotheſcalci.

31 Mitto errores varios Photij infenſiſsimi hoſtis Eccleſiæ Romanæ, & impudentis Schiſmatici, eodem ſæculo diſſeminatos, præſertim circa proceſsionem Spiritus ſancti à ſolo Patre. Etenim hæc opinio, non Patrum Eccleſiæ Græcæ, vt ille effutiebat, ſed ſolius Theodoreti, & plurium Græculorum, nondum eo ſæculo damnata erat, vel fuit ab aliquo Concilio Generali: vt latè, & ex inſtituto oſtendimus Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. XCI. & XCII. Quare multo tempore pòſt, primùm ab aliquo ex Pontificibus Romanis extra omne Concilium Oecumenicum proſcripta fuit. Nimirum eo ſæculo nono coacta fuit Synodus octava Generalis, id eſt, Conſtantinopolitana Quarta, anno octingenteſimo ſexageſimo nono ſub Adriano II. Papa, imperante Baſilio Auguſto in Oriente: in qua illum Græcorum errorem non fuiſſe damnatum, ſatis evicimus loco priore ex nuper allegatis num. 15. Aliunde verò, nec proſcriptus legitur in Concilio IX. Generali, aliàs I. Lateranenſi, quod celebratum fuit anno Chriſti milleſimo centeſsimo vigeſimo ſecũdo ſub Calixto II. Papa: imò nec in X. aut XI. Generali, aliàs Lateranenſi II. & III. vt patet ex ipſorum Actis, & Notis Severini Binnij, Labbei, ac Cabaſſutij, in quibus nihil eiuſmodi legitur. Certum autem apparet, eo tempore interiecto ducentorum quinquaginta trium annorum inter Concilium Octavum Generale, ac Nonum definitam fuiſſe ab aliquo ex Pontificibus Romanis, proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre, & Filio, extra omne Oecumenicum Concilium. Nam ſaltem tempore S. Leonis IX. Papæ, qui Eccleſiam regebat circa annum Chriſti MLIV. iam videtur fuiſſe ea veritas definita: ſiquidem ex B. Lanfranco, & Leone Hoſtienſi, Scriptoribus eius temporis, conſtat, iam tunc in Eccleſia Romana additam fuiſſe Symbolo Conſtantinopolitano, in Miſſa cantari ſolito, particulam FILIOQVE, qua exprimitur proceſsio Spiritus ſancti, non à Patre ſolùm, ſed etiam à Filio. quæ additio ſæculis præcedentibus ſolùm facta fuerat in quibuſdam Eccleſijs Occidentalibus, non autẽ in Romana. Præterea ex legatione Humberti Cardinalis miſsi Conſtantinopolim ab eodem S. Leone IX. conſtat ab eo reprehenſum fuiſſe Michaelem Patriarcham illius vrbis, quòd fretus patrocinio ſui Imperatoris eò ſuperbiæ prolapſus fuiſſet, vt *Pontificem Romanum cum ſuis excommunicatum eſſe proclamaret, eo quòd in Symbolo addidiſſent illud, FILIOQVE*, prout refert idem S. Leo in Epiſt. ad Conſtantinum Monomachum. Non eſt autem ſimile vero, iuſſu Romani Pontificis in ipſa Eccleſia aliorum omnium Matre, & Magiſtra factam fuiſſe eam additionem, quin certa ſecundùm fidem Catholicam haberetur proceſsio Spiritus ſancti ex Filio. Cùm igitur eouſque non fuiſſet definita in vllo Concilio Generali, vt latè locis indicatis demonſtravimus; reliquum eſt, vt eo tempore interiecto Concilijs Oecumenicis Octavo, & Nono, definita fuerit, vel ab ipſo S. Leone IX. (quod conijcio ex Epiſtola quinta ipſius, quæ eſt ad Petrum Patriarcham Alexandrinum, col. 2. & habetur Tomo VII. Concil. Binij Parte I. pag. 244.) vel ab aliquo ex prædeceſſoribus illius extra omne Generale Concilium. Vide Chriſtianum Lupum tom. 3. in Concilia, Diſſert. de S. Leonis Noni Actis, Crimine 7. pag. 914. & præterea infrà Diſp. X. ſect. 2. num. 16. Neque obeſt quòd longè poſtea eadem proceſsio Spiritus ſancti ex Filio palam definita legatur in

Con-

Concilio Duodecimo Generali, id eſt Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. Papa, anno milleſimo ducenteſimo octavo, vt teſtatur Abbas Vſpergenſis, vel quintodecimo, vt alij malunt: in quo congregati fuerunt quadringenti duodecim Epiſcopi, tum Latini, tum Græci, & in ijs Patriarchæ Cōſtantinop. ac Hieroſolymitanus: Alexandrinus autem, & Antiochenus per Apocriſarios ſuos, ſicuti & Imperatores Orientis, & Occidentis. Non, inquam, obſtat. nam licèt tunc communi conſilio Latinorum, Græcorumque Patrum ea veritas teſtata, & exceptа ſolemniſsimè fuerit, iam antea extra omne Concilium Generale definita fuerat ab aliquo ex Pontificibus Romanis Innocentij III prædeceſſoribus, vt hactenus evicimus. Novum autem non eſſe, ſed vſitatum quandoque fuiſſe, vt annuentibus, & indulgentibus Romanis Pontificibus tractarentur, & confirmarentur in Concilijs Generalibus veritates ab ijs antea definitæ ex Cathedra, non ad maiorem certitudinem, ſed ad ampliorem doctrinæ ſolemnitatem; iam ſæpè admonuimus, nec inculcare oportet.

32 Hoc loci differendum erat de hæreſi negante præſentiam realem Corporis, & Sanguinis D. N. IESV CHRISTI in Euchariſtia: quem errorem, multi adſcribunt Ioanni Scoto Monacho, Venerabilis Bedæ diſcipulo, tanquam illum diſſeminaverit eodem ſæculo nono: alij verò Bertramo Præsbytero, qui pariter ſcripſit circa annum 886. tribuentes ipſi librum illum de Sacramento Corporis Domini ad Carolum Craſſum, in Concilio Tridentino pluribus poſtea ſæculis proſcriptum, in quo ſubobſcurè traditur, non eſſe Corpus Chriſti in Euchariſtia, quod de Virgine natū eſt. Differendum, inquam, erat, ſi verè prædicta hæreſis eo ſæculo orta fuiſſet: dicendumque, illam extra omne Concilium Generale damnatam fuiſſe ab aliquo ex Pontificibus Romanis. Neque enim tam virulentum errorem in Eccleſia diſſeminari, aut radices mittere paſsi fuiſſent. quod indicare ſatis fuerit ad comprobandam doctrinam, in qua verſamur. At verò, quidquid nonnulli aliter ſenſerint, certum apparet duobus luminibus Eccleſiæ, & antiquitatis Eccleſiaſticæ, Baronio, & Bellarmino, prædictum Ioannem Scotum nullatenus eam hæreſim tradidiſſe, quin potiùs ſanctè, ac piè obijſſe. Quare prior ex ijs ad annum 883. num. 41. tribuit ipſi mortem felicisſimā, nec dubitat Martyrem appellare. Nimirum inter alia inquit: *Moritur hoc anno magni nominis huius temporis Ioannes Scotus, licèt eius ſcripta, vt ſupra dictum eſt, fuerint erroris redarguta: de quo accipe quæ Vuillelmus Malmesburienſis lib. 2. cap. 4. ſcripſit in ſuis Cōmentarijs de rebus geſtis Anglorum. Succedentibus, inquit, annis munificentia Aelfredi Regis uſſectus venit in Angliam, & apud Monaſterium noſtrum à pueris, quos docebat, graphys, vt fertur, perforatus, etiam Martyr æſtimatus eſt. Quod ſub ambiguo ad iniuriam ſanctæ animæ non dixerim, cùm celebrem eius memoriam in ſiniſtro latere Altaris, & epitaphij prodant verſus, ſcabri quidem, & moderni temporis limacarentes, ſed ab antiquo non adeò difformes.*

Clauditur hoc tumulo ſanctus Sophiſta Ioannes,
Qui ditatus erat tum viuens dogmate miro.
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum
Quo meruit ſancti, regnans per ſæcula cuncta.

Hucuſque Malmesburienſis allegatus à Baronio. Similiter Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia certum exiſtimat, Ioannem prædictum nunquam negaſſe præſentiam realem Chriſti in Venerab. Sacramento Altaris, licèt nonnihil quæſtionis circa illam excitaſſe putetur. Quod poſtremum neque ego diffiteor: ſiquidem colligitur ex Epiſtola Nicolai Papæ ad Carolum Galliæ Regem (apud Reger. in Annalibus parte prima ad annum 880.) vbi Pontifex inquit: *Relatum eſt Apoſtolatui noſtro quod Opus Beati Dionyſij Areopagitæ, quod de Diuinis nominibus, vel cœleſtibus Ordinibus, Græco ſcripſit eloquio, quidam vir Ioannes Scotus genere nuper in Latinum tranſtulerit. Quod iuxta morem nobis mitti, & noſtro iudicio debuit approbari: præſertim cùm idem Ioannes, licèt multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſanè ſapere à quibuſdam frequenti rumore dicatur.* Rumor autem eiuſmodi videtur excitatus ob motas ab eo de Euchariſtia quæſtiones: in quibus, licèt nihil fidei adverſum traderet, fortaſſe aliquid ſcripſit, quod in eo impolito ſæculo quibuſdam, præſertim rudibus, offenſioni eſſet. Quare non eſt quod tam aſſeveranter Ioannis Scoti nomen traducatur, prout ab aliquibus fieri ſcio. Verùm poſtquā hucuſque ſcripſeram, *incidi in tomum 6.* Sæculorum Benedictorum: vbi Cl. Vir Ioannes Mavillon eruditione ſolita diſtinguit inter Ioannem Abbatem Æthelingienſem Ealdſaxonem genere; & Ioannem genere Scotum (quod palam probat teſtimonijs Nicolai Papæ, & Hincmari Rhemenſis) aliàs Erigenam, qui nec monachus, nec Præsbyter fuerit, & malè audierit circa doctrinam de Euchariſtia, occiſuſque fuerit, & eo ſenſu martyr; non ve-

rà

rò ſanctùs propterea, quia non conſtat an in odium fidei, vel alterius virtutis occiſus ſit. Putat deinde ex duplici aut triplici Ioanne vnicum fuiſſe compactum: nec ſatis conſtare in quo I. Scotus certò errarit. Quin & Platina in Vita Ioannis Noni Papæ circa finem, pag. CXXXVII. editionis veteris Pariſienſis, qua vtor, inquit de illo: *Ioannes Scotus quædam noſtræ Religionis acutiſsimè diſputata graviſsimè compoſuit.* neque quidquam ſiniſtrum de ipſo ſcribit, ſicuti de alijs ſæpiùs ſolet. Idem ferè iudicium fert doctiſsimus Claudius Sanctesſius de Bertramo in Repetitionibus de Eucharistia, alias Ratramno, quē noviſsimè tuetur laudatus Mavillon in Præfatione eiuſdem tomi 6. §. 6. & 7. latè. Et certè iuxta D. Thomam 3. p. q. 75. art. 1. ac plures alios Scriptores, quos allegat Gaulterius ſæculo nono, nullus vnquam invenitur palam negaſſe præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia, donec circa illam inſanivit Berengarius, qui primus hæreſim contrariam diſſeminavit multò poſtea, id eſt ſæculo vndecimo; quam tamen, nulla Synodo Generali coacta, damnavit Pontifex Romanus, vt videbimus Diſp. ſequenti. Interim conſule Mavillonem tota Præfatione citata.

SECTIO QVINTA.

Diſſeritur, an auctoritas infallibilis Romani Pontificis eodem ſæculo nono definita fuerit in Octava Synodo Generali, præeunte S. Nicolao I. Papa.

33 SVFFRAGANTVR Eidem auctoritati Summorum Pontificum aliquot Patres eiuſdem ſæculi noni: vt Haymo Alberſtatenſis apud Coccium lib. de Hierarch. Eccleſ. art 4. Ionas Aurelienſis lib. 3. de Cultu Imaginum circa medium, Simeon Metaphraſtes in Vita S. Iacobi Apoſtoli fratris Domini poſt medium, quam affert Surius tom. 3. ad diem 1. Maij, & Rabanus Maurus in cap. vltimum Ioannis, atque in cap. 16. Mathæi, prout refert idem Coccius art. 4. citato, & art. 6. & Hincmarus Archiep. Rhemenſis, de quo plura inferiùs. Is enim in Præfatione ad Nicolaum I. Papam ita loquitur: *Neque enim fas eſt, vt abſque Vicario Dei, abſque Clavigero cæli, abſque curru & auriga ſpiritualis Iſraelis, abſque Vniverſitatis Pontifice, abſque ſingulari Paſtore, abſque vnico Papa, abſque ſpeciali Patre, abſque omnium arbitro, aliquid conſummetur aut divulgetur. Tu enim tenes claves David: TV ACCEPISTI CLAVES SCIENTIÆ. IN ARCA, QVIPPE PECTORIS TVI TABVLÆ TESTAMENTI, & manna cæleſtis ſaporis requieſcunt. Tu enim quod ligas, nemo ſolvit: quod ſolvis, nemo ligat: qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit. VICEM NANQVE IN TERRIS POSSIDES DEI.* Hæc verò omnia cohærere nequeunt, niſi Romanus Pontifex prædictus ſit auctoritate infallibili ad docendum è cathedra, ſecundùm CLAVES SCIENTIÆ, quidquid ſpectat ad vtrūque Teſtamentum, cuius Tabulas in Arca pectoris ſui habet: ac proinde quidquid ſpectat ad fidem.

34 Sed longè illuſtrius, & forſan ineluctabile teſtimonium nobis præſtat Octava Synodus Generalis coacta anno 869. ſub Adriano II. Papa, præſentibus ipſius Legatis. Etenim Canone ſecundo palam præcipitur obſervatio definitionum Nicolai & ejuſdem Adriani Romanorum Pontificum. Deinde Canone 21. dicitur: *Sed nec alium quenquam conſcriptiones contra ſanctiſsimum Papam Senioris Romæ, ac verba complicare vel componere liceat, ſub occaſione quaſi diffamatorum quorundam criminū: quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioſcorus. Quiſquis autem tale facinus cōtra Sedem Petri Principis Apoſtolorum auſus fuerit intentare, æqualem & eandem, quam illi, condemnationem recipiat.* Vſque adeò gravi pœnæ ſubijcitur, quiſquis decretis aut honori Romanorum Pontificum contradicit, vel iniuriam irrogat. Nec mirum ſi puniatur inſtar Photij, aut Dioſcori. nam aliquot poſtea ſæculis in Eccleſia celebris fuit hæc S. Gregorij VII. Papæ ſententia: *QVI ROMANÆ ECCLESIÆ NON CONCORDAT, CATHOLICVS NON HABEATVR.* Ideoque Gulielmus Archiepiſcopus Senonenſis in Gallia eodem tempore aiebat: *Vitium Paganitatis incurrit qui mandatis Apoſtolicis obedire contemnit.*

35 Verum præterea obſervanda ſunt verba ſecundi Canonis iam citati eiuſdem Octavæ Synodi Generalis, ita loquentis, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis, ipſi enim pervigilāt pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri; Paulus magnus præcipit. Itaque beatiſsimum Papam Nicolaum tanquam organum Sancti Spiritus habentes, necnon & ſanctiſsimū Adrianum Papam ſucceſſorem eius definimus, atque ſancimus etiam omnia, quæ ab eis ſynodicè per diverſa tempora expoſita ſunt, & promulgata, tam pro defenſio-*

ſione, & ſtatu Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ, & ſummi Sacerdotis eius, Ignatij videlicet ſanctiſſimi Patriarchæ, quã etiam pro Photij Neophyti, & invaſoris expulſione, ac condemnatione, ſervari ſemper, & cuſtodiri cum expoſitis capitulis immutilata pariter, & illæſa: & nullum Epiſcoporum, aut Præsbyterorum, vel Diaconorum, aut quempiam de Catalogo Clericorum evertere, vel reprobare aliquid horum audere. Quiſquis autem poſt hanc definitionem noſtram comprehenſus fuerit ſpernens quidquam capitulorum, & decretorum, quæ ab illis expoſita ſunt, ſiquidem Sacerdos fuerit, aut Clericus, a proprio decidat honore ſimul & ordine; monachus autem, vel laicus cuiuſcumque ſit dignitatis, ſegregetur, donec pœnitens profiteatur ſe conſervaturum prædictorum editionem Si autem Synodus tota Nicolaum Papam profitetur & prædicat, *TANQVAM ORGANVM SPIRITVS SANCTI*, ſimiliterque Adrianum II. eius Succeſſorem, in omnibus ijs quæ ſynodicè expoſuerunt & decreverunt per diverſa tempora; eo ipſo definit & teſtatur vtriuſque infallibilitatem in ſuis definitionibus prolatis ante & extra ipſam Generalem Synodum.

36 Videamus autem quid circa hanc controverſiam definiſſet antea idem S. Nicolaus Papa, cuius decretis tantam fidem adhiberi vult eadem Octava Synodus. Sanè ille in Romana Synodo coacta paulò ante ita decreverat: *Siquis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorũ, a Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata contẽpſerit; anathema ſit.* Cùm ergo Synodus illa Generalis definierit, omnia quæ à Nicolao ipſo, ſicuti & ab Adriano II. eius ſucceſſore, expoſita & decreta ſunt Synodicè, excipi debere tanquam prolata *ab organo Spiritus ſancti*, & hoc ſit prorſus infallibile; conſequens eſt vt iudicio eiuſdem Oecumenicæ Synodi, definitiones, dogmata, & decreta Romanorum Pontificum, præſertim in rebus graviſsimis, quales ſunt fidei & morum, ſint prorſus infallibilia, & nulli prorſus expoſita errori. Itaque infallibilitas Romanæ cathedræ in ijs definitionibus videtur palam tradita, non ſolùm à S. Nicolao Papa, ſed etiam ab Octava Synodo Generali, ac proinde vel ex vtroque eo ſolo capite, certa omnino ſecundùm Catholicam fidem. Quare S. Ivo Epiſcopus Carnotenſis in Gallia tribus poſt ſæculis ſcribens, Epiſt. 60. allegatis ijs verbis S. Nicolai Papæ, inquit: *HÆC MANDATA SIC VOLVMVS OBSERVARE, VT PARATI SIMVS, DEO COOPERANTE, QVÆLIBET ADVERSA PRO EORVM DEFENSIONE TOLERARE.* Videant & perpendant Illuſtriſsimi Galliarum Præſules hoc anno die Martij 19. Lutetiæ congregati, quid diceret S. Ivo, ipſorum prædeceſſor, ſi videret Pontificiarum definitionum infallibilitatem in dubium vocari, immo & negari, ſeorſim à conſenſu Eccleſiæ accedente.

37 Sed & obſervandum eſt, Legatos Adriani II. Papæ in eadem Synodo Octava ſectione prima plurimùm inſtitiſſe, vt legeretur *libellus, quem ſancta Romanorum Sedes expoſuit.* nimirum, in quo Photianum ſchiſma diris devovebatur, & ſupremus atque vniverſalis Primatus Romani Pontificis in tota Eccleſia aſſerebatur. Librum illum S. Nicolaus Papa I. compoſuerat: ideoque ſine ſolemni eius admiſsione & ſubſcriptione Adrianus II. illius Succeſſor nullum Conſtantinopolitanæ diœceſeos Epiſcopum permiſsit ingredi ad ferendum ſuffragium in eadem Generali Synodo. Quapropter *accipiens eum Damianus reverendiſsimus Imperatoris Clericus & interpres, prædictum libellum legit latinè magna voce in audientiam omnium: & poſt lectionem libelli aſcendens Stephanus Deo amabilis Diaconus & devotus Notarius, legit eundem librum græcè.* Nimirùm, quamvis nullus Epiſcopus Latinus eſſet in ea Synodo, præter Legatos Romani Pontificis; ob reverentiam & honorem Sedis Apoſtolicæ lectus fuit priùs liber in lingua Latina, quam paucis retro annis Photius eviratus, invaſor CP. Sedis, & Schiſmaticus iniquiſsimus, in Epiſtola Michaelis Auguſti ad Nicolaum Papam ſpreverat, veuti Barbaram & Scythicam. Itaque totus ille libellus lectus fuit, & à plena Synodo Octava in canonem admiſſus. Porrò in eo non ſolùm, vt diximus, aſſerebatur Romano Pontifici ſupremus & vniverſalis Primatus in tota Eccleſia; ſed etiam infallibilitas ſumma in controverſijs fidei dirimendis. Propterea enim adductis verbis Chriſti, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſtatim ſubdebatur in eo libello: *Hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica eſt immaculata ſemper Catholica reſervata religio, & ſancta celebrata doctrina.* quod certè non ita contigiſſet ſi Romanus Pontifex vnquam ex cathedra definijſſet eouſque aliquid fidei contrarium. Videtur itaque non ſolùm à S. Ni-

colao Papa in teſtimonijs iam exſcriptis, ſed etiam à Synodo Octava Generali, definita infallibilitas Romani Pontificis in dirimendis controverſijs fidei extra Oecumenicum Concilium.

38 Dices, eam infallibilitatem non videri tunc definitam. nam pluribus poſtea ſæculis illam negarunt Græci in Concilio Generali Florentino ſub Eugenio IV Etenim tunc Ioannes Palæologus Imperator Orientis ſenſum ipſorum expreſsit hiſce verbis relatis à Sylveſtro Sguropulo lib. 7. cap. 7. *Definiant Latini inter ſe quidquid velint tas definitio Synodica non valebit, quam ego dumtaxat ſic intelligo, vt ea ſola ſit Synodica definitio, quando vtraque pars* (nimirum Eccleſia Latina & Græca ſimul) *in vnum idemque conſenſerit.* Deinde doctiſsimus Cardinalis Beſſarion Metropolita Nicænus Florentiæ apud ſuos in Oratione de complenda Eccleſiarum pace cap. 2. tractans eandem quæſtionem, illam reliquit indefinitam. quod certè non faceret ſi iam pluribus antea ſæculis dirempta fuiſſet in Synodo Octava Generali Conſtantinopoli celebrata ab omnibus fere Epiſcopis Græcis. nam Latinorum nemo adfuit, præter Legatos Romani Pontificis: vt paulo antea obſervavimus. RESPONDEO, Definitam fuiſſe in ea Synodo, & antea à Nicolao Papa, infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ in dirimendis fidei controverſijs. Neque obſtat quòd Græci poſtea in Concilio Florẽtino de illa dubitaverint, aut etiam apertè eam negaverint. nam vt eſt & fuit volubile eius Gentis ingenium, pariter negarunt proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio definitam ex communi ſenſu Eccleſiæ Latinæ & Græcæ in Concilio Generali Duodecimo, id eſt Lateraneuſi Quarto, ſub Innocencio III. Papa, duobus ſeculis ante ipſum Concilium Florentinum; ſimiliterque confirmatam in Concilio Generali Lugdunenſi, prædictis duobus interiecto, ex Occidentalium & Orientalium Patrum ſenſu. Quin & adhuc poſt definitam eam doctrinam in tribus prædictis Concilijs Oecumenicis, Græci ſtatim ferè poſt celebratum Florentinum, duce Marco Epheſio, & quibuſdam alijs, ad ingenium ſuum rediere, & vſque modò perſeverant non in ſchiſmate ſolùm, ſed in contraria hæreſi. Quid igitur mirum, ſi adhuc poſt definitam à Nicolao I. Papa, & Octava Synodo Generali, auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in definiendis controverſijs fidei, negaverint illam tempore Concilij Florentini aliquot aut plerique Græcorum.

39 Quod certò conſtat ex hiſtoria Florentini Concilij eſt, Latinos omnes ſaltem euſque in ea fuiſſe ſententia, vt Pontificis Romani definitiones circa controverſias fidei eſſent ac fuiſſent prorſus infallibiles. Quod ipſi Græci palam agnoverunt: ideoque ſuo & cæterorum nomine Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, teſte Sylveſtro Sguropulo iam citato, lib. 6. cap. 11. dixit: *Nobis Latini ab initio adſeverarunt, QVIDQVID PER SE SOLVS PAPA DECERNIT, ITA FIRMVM AB OMNIBVS EXCIPI, AC SI AB IPSO DEO PROMVLGATVM HVMANO GENERI PROMANASSET.* Deinde dato quòd omnes Græci in ea parte diſsiderent, aut diſsideant ab Eccleſia Romana, cæterarum omnium, quæ ſub cœlo ſunt, Duce ac Magiſtra, ſicut diſsident planè circa proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, & circa plures alias veritates maximi momenti; quo iure quiſpiam Occidentalium ſub eo colore aut prætextu negare audet auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in dirimendis fidei quæſtionibus? Sanè idipſum facere olim auſus fuit Iulianus Epiſcopus Capuanus, inſtaurator Pelagianæ hæreſeos, à ſola Eccleſia Romana damnatæ: qui, quemadmodum, vt eluderet definitiones contrarias Innocentij I. & Zozimi Pontificum contra doctrinam virulentam Pelagij, appellavit Generale Concilium; ita etiam recuſato iudicio Eccleſiæ Occidentalis, ad quoſdam ex Patribus Græcis ſeu Orientalibus confugit. Videamus autem qualiter hoc effugium præcludat S. Auguſtinus in Opere Perfecto Lib. 1. cap. 4. *Non eſt quòd provoces ad Orientis Antiſtites, quia & ipſi vtique Chriſtiani ſunt, & vtriuſque partis terrarum fides iſta vna eſt, quia & fides iſta Chriſtiana eſt. Et te certè Occidẽtalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Eccleſia.* Idipſum nos reponere poſſumus ijs omnibus, qui in Occidẽtali plaga & Eccleſia geniti ac regenerati, inſtar Iuliani Capuani forſan, vel ab Concilium futurum, vel ad Orientalis Eccleſiæ hodiernum ſenſum, ſibi confugiendum putaverint.

40 Quæcumque diximus de Synodo VIII. Generali tribuente certitudinem infallibilem omnino definitionibus Summorũ Pontificum in controverſijs fidei, roborantur pariter ex doctrina Sextæ Synodi Generalis, duobus ante illam ſæculis coactæ, ſub S. Agathone Papa. Quamvis enim quæ dicemus nunc videantur opportuniùs exhibenda fuiſſe ſuprà ſectione 2. vbi de Concilijs & hæreſibus ſeptimi ſæculi fuit ſermo, adhuc tamen meliùs impræſenti afferentur, vt conſtet, eam veritatem iam tunc à tota Eccleſia in illo

ſex-

Sexto Concilio Generali anno DC. LXXX. traditam fuiſſe. Etenim tota Synodus in Sermone acclamatorio ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem teſtatur, ſe nihil aliud feciſſe, quàm *Agathonis ſanctiſsimi Patris ſui & Summi Papæ dogmaticis litteris conſentire: PER AGATHONEM ENIM PETRVS LOQVEBATVR.* Deinde in Relatione ad eundem Pontificem, ait: *Tibi, VTI PRIMAE SEDIS ANTISTITI VNIVERSALIS ECCLESIAE, quid gerendum ſit relinquimus, STANTI SVPRA FIRMAM FIDEI PETRAM; libenter per lectis veræ confeſsionis litteris à veſtra paterna Beatitudine miſsis; QVAS VT A SVMMO APOSTOLORVM VERTICE DIVINE PERSCRIPTAS AGNOSCIMVS, per quas exortam nuper multiplicis erroris ſectam depulimus.* Hæc integra Synodus illa Generalis, quæ in rem noſtram plurimum momenti habent. Imprimis enim teſtatur, ſe nihil aliud feciſſe, quàm conſentire litteris dogmaticis S. Agathonis Papæ, per cuius os S. Petrus loquebatur. At quidquid loquitur S. Petrus per os Romani Pontificis, irreformabile prorſus eſt, nullique errori obnoxium, vt patet. Profitetur itaque ea Synodus Generalis, id quod Pontifex R. definit in litteris dogmaticis (quales certè ſunt definitiones omnes Romanorum Pontificum in controverſijs fidei) eſſe irreformabile omnino, nullique errori obnoxium. Deinde, eam firmitatem ſeu certitudinem litterarum dogmaticarum non tribuit Agathonis ſanctitati perſonali, quamvis eximia eſſet; ſed dignitati Pontificis Romani, & Succeſſoris S. Petri. Quod palam exprimunt Patres eius Synodi in poſteriori teſtimonio, verbis illis: *Tibi, vti primæ Sedis Antiſtiti vniuerſalis Eccleſiæ, &c.* Ac præterea dum de litteris ipſius Romæ ſcriptis, & miſsis ad Synodum CP. aiunt; *quas, vt à Summo Apoſtolorū vertice perſcriptas agnoſcimus.* Excipiunt ergo litteras Agathonis, non tanquam ab aliquo viro ſancto aut docto ſcriptas, ſed veluti à ſummo Apoſtolorum vertice, id eſt S. Petro, per Succeſſorem ſuum dictatas. Denique profitentur, ſe damnaſſe in ea Synodo hæreſes varias, præſertim Monothelitarum, ductos litteris Pontificijs; immò, nō tam damnaſſe, quàm *depuliſſe.* Aiunt enim: *Per quas* (litteras Agathonis) *exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus.* Iam ergo ex vi Pontificiæ declarationis agnoſcunt hæreticam fuiſſe Monothelitarum opinionem, vt proinde illam non tam hæreſeos primùm notent, quàm notatam & fulguritam agnoſcant. Cenſuit ergo tota illa Synodus, cenſuerunt & omnes Patres in ea congregati, vocem Romani Pontificis in controverſijs fidei, eſſe vocem S. Petri, & opiniones ab illo damnatas tanquam hæreticas, pro hæreticis reputari debere à Synodo Vniverſali: proindeque, definitiones illius, ſicut & S. Petri, nullatenus reformari poſſe, & nulli errori ſubiacere. Quam eorumdem Patrum profeſsionem, & vnanimem conſenſum in doctrinam Romani Pontificis ijs litteris dogmaticis expreſſam, veluti prorſus infallibilem, & divina auctoritate innixā, exponit luculenter idem Imperator Conſtantinus in Epiſtola ad S. Leonem II. Papam, Agathonis Succeſſorem, inquiens: *Nihilum immutata veræ confeſsionis ratio* (in ijs litteris Agathonis) *perſpecta eſt: AC VELVTI IPSVM PRINCIPEM APOSTOLICI CHORI, PRIMAEQVAE CATHEDRAE ANTISTITEM PETRVM contuiti ſumus mentium noſtrarum oculis, TOTIVS DISPENSATIONIS MYSTERIVM DIVINITVS ELOQVENTEM; verbaque hæc per eas litteras facientem: TV ES CHRISTVS FILIVS DEI VIVI. Nam ipſum totum Chriſtum nobis ſacræ eius litteræ diſſerendo exprimebant; quas omnes lubentibus animis, ſyncereque accepimus, ET VELVTI PETRVM IPSVM VLNIS ANIMI SVSCEPIMVS.* Quid illuſtrius pro divina & infallibili auctoritate Romani Pontificis in quæſtionibus fidei dirimendis? Videtur itaque illa firma & rata, non ſolùm certitudine dogmatis communis Theologorum, ſed etiam veritatis Catholicæ, teſtatæ in Generalibus Concilijs. Quod ipſum in progreſſu ſæpiùs vrgebimus, nequa, vel in ſpeciem, evaſio ſuperſit ijs, qui contrà ſentire, aut docere audent.

SECTIO SEXTA.

Digreſsio aduerſus Παπισσοφαντοῦντας, qui eodem ſæculo nono Ioannam quandam Sedi Apoſtolicæ præfuiſſe garriunt, vt eius auctoritatem enervent.

41 NON Erit prorſus abs re, neque omnino præter ſcopum huius Opuſculi, in quo auctoritas ſumma & infallibilis aſſeritur Sedi Apoſtolicæ circa definitiones fidei, vt obiter, & tranſitu quodam, refellamus immane deliramentum eorum, qui iam diu finxere, & nunc etiam perfricta fronte contra manifeſtam veritatem fingere pergunt fœminam quandam, Ioannam nomine,

quæ

quæ ementito ſexu, ac deluſo toto Orbe Chriſtiano ad tempus, cathedram S. Petri occupaverit, & Pontificis Romani perſonam induerit aliquandiu, cum ingenti ludibrio ac dedecore Sedis Apoſtolicæ, intra idem ſæculum nonum. Verùm ne ab inſtituto recedamus, reſtringenda erit, remiſſo Lectore ad Scriptores allegandos: præſertim adverſus quoſdam Heterodoxos Παπισσομανοῦντας, & in his Salmaſium, Mareſium, Cognardum, Hottingerum, ac Cookium, iuratos & recentes Eccleſiæ Romanæ hoſtes. Neque enim in hac ſectione, digreſſioneque, diſputatio mihi eſt, vti hactenus, cum quoquam ex Præſulibus graviſsimi Cleri Gallicani.

42 Fabulam nuper indicatam non aliunde ortam fuiſſe, quàm ex facilitate ac nimia lenitate Ioannis VIII. erga Photium eunuchum, invaſorem Sedis Conſtantinopolitanæ impudentiſsimum, eidem perperam reſtitutum, ſuſpicatur Baronius ad annum Chriſti 879. Cùm enim Legati eiuſdem Pontificis Conſtantinopolim miſsi ſegniter ſe habuiſſent cum illo Schiſmatico, eiuſque fraudibus ac dolis in dedecus Eccleſię Romanę, & octavæ Synodi Generalis, à qua iniuſtus anathemate, & depoſitus fuerat, non reſtitiſsent; vt par erat; Ioannes nihilominus eos redeuntes benignè accepit. Vnde à quibuſdam diſſeminari cœperunt criminationes, & querelæ contra eundem Pontificem, tanquam non vir, ſed fœmina eſſet, qui ſe à Photio evirato & eunucho vinci paſſus eſt. Qua de cauſa fortaſsis Anaſtaſius Bibliothecarius, eiuſdem temporis Scriptor, res ab eo geſtas prætermiſsit: ne cogeretur litteris committere mollitudinem & nimiam facilitatem eius erga Photium, quem duo prædeceſſores in Sede Apoſtolica, Nicolaus I. & Adrianus II. iure merito, veluti immane monſtrum à reliquo Eccleſiæ Catholicæ corpore dividendum curaverant.

43 Verùm licèt tam debile ac propè nullum fundamentum eius fabellæ, aut vulgaris locutionis extiterit, duobus ſæculis poſtea à quibuſdam Hiſtoricis ineptè diſſeminari & ſcripto conſignari cœpit, niſi fortè aliena manu codices ipſorum depravati fuerint, vt in progreſſu indicabitur. Sed par erit id audire ab eodem Baronio ad annum Chriſti 853. ſeu potiùs ab illius fideli breviatore Henrico Spondano, eiuſque verbis & anilis fabulæ originem, & ſolidam eius impugnationem exhibere. * Hoc ipſo anno (inquit

„ Spondanus ex Baronio) à Mariano Scoto
„ falſiſsimè ponitur obitus Leonis Quarti Pa-
„ pæ, & ineptiſsimè aſſeritur ſubrogata mu-
„ lier quædam IOANNA nomine. Quoniam
„ autem nullus penitus ante eum inventus eſt
„ auctor, qui de eiuſmodi portento meminerit,
„ illudque ab eo omnes alij poſtea exceperint:
„ primò ſciendum eſt, ipſum poſt ducentos
„ & ampliùs annos vixiſſe & ſcripſiſſe:
„ qui videlicet natus ſit, vt ipſe teſtatur, anno
„ Chriſti milleſimo vigeſimo octavo; & ſæcu-
„ lum reliquerit milleſimo quinquageſimo
„ tertio, & milleſimo quinquageſimo ſexto ex
„ Scotia in Germaniam veniens, Coloniæ fa-
„ ctus fuerit monachus, & milleſimo quinqua-
„ geſimo nono Fuldæ ſe incluſerit; vbi ad de-
„ cenium demoratus, poſtea Moguntię eodem
„ vitæ genere perſeverans, vſque ad obitum
„ incluſus permanſerit. quem perveniſſe ad
„ annum milleſimum octogeſimum ſextum aſ-
„ firmat Dodechindus Abbas, qui ad eius
„ Chronicon Appendicem addidit. Erant ea
„ ipſa tempora, quibus Henricus Tertius Im-
„ perator (vt ipſe Marianus narrat) ſchiſmate
„ cum ſuis ab Eccleſia Catholica deſciverat;
„ cùm & promulgato à Gregorio Papa Septi-
„ mo adverſus Clericos concubinarios decre-
„ to, complures ex illis (vt ait) delegerunt ex-
„ pelli potiùs ab Eccleſia, quàm concubinas
„ expellere.

„ 44 His adiungimus, quòd eodem
„ tempore, quo ſcribebat Marianus, iam de
„ fœmina ordinata in ſede Conſtantinopoli-
„ tana Patriarcha, fama ferretur, vt apertè con-
„ ſtat ex Epiſtola Leonis Noni Romani Pon-
„ tificis ad Michaelem Patriarcam Conſtan-
„ tinopolitanum, & Leonē Acridanum ſcrip-
„ ta (vt teſtatur) poſt annos mille, & ferè vi-
„ ginti à Paſsione Chriſti, à Nativitate verò
„ milleſimo quinquageſimo tertio. Porrò ea
„ quæ ita erant fama vulgata de Eccleſia Cō-
„ ſtantinopolitana, converſa eſſe in Roma-
„ nam Eccleſiam à ſchiſmaticis eam odio
„ proſequentibus, & calumnijs proſcindenti-
„ bus, atque ita vt accepit ipſe eam fabulam
„ Marianum eodem tempore ſcripſiſſe, quis
„ non intelligat? Sed nec ipſum eam pro cer-
„ to habuiſſe, teſtantur verba, quibus retulit.
„ Licèt enim in Codice impreſſo Heroldi
„ Opera, qui locum hunc mala fide cum alijs
„ multis corrupit, abſolutè legatur, *Leoni*
„ *ſucceſsit Ioāna mulier annis duobus, &c.*
„ tamen in ſcripto codice, ex quo prodijt
„ prima editio, ita legitur, *Ioannes, qui, vt*
„ *aſſeritur, fuit mulier.* Sicut & qui poſt
„ Marianum elapſis triginta fermè annis, Si-
„ gebertus, & ipſe ſchiſmaticus, in ſua Chro-
„ nographia eandem deſcripſit fabulam, nulla
„ aliqua veitur firma teſtificatione, ſed incer-
„ ta tantum fama ferri quod ſcribit, aſſerit.
„ Cæterum poſt hæc factum eſt, vt plures alij
„ eadem ſcripſerint, alijque alia addiderint,
„ vt mendacia vires ſumerent: adeò vt etiam

„ pij viri res maiorum proſecuti, quæ de ijs
„ inuenerint, abſque delectu deſcripſerint.
„ 45 Sed vt rem propiùs agamus:
„ Quomodo Marianus hoc anno ingreſſum
„ ponit fœminæ poſt Leonis obitum, cùm
„ conſtet, ipſum Leonem vitam adhuc ad duos
„ annos propagaſſe; id teſtante Anaſtaſio Bi-
„ bliothecario, qui tunc Romæ præſens erat?
„ Quo item modo Ioanna ſucceſsit; cùm idem
„ Anaſtaſius aſſerat, Leoni ſtatim poſt ſex dies
„ ſubſtitutum fuiſſe Benedictum? & quicum-
„ que hoc tempore, quatumque occaſione de
„ ſucceſsione Romanorum Pontificum ſcrip-
„ ſerunt, Benedictum immediatè Leoni ſuc-
„ ceſsiſſe ponant; puta Lupus Ferrarienſis Ab-
„ bas, Nicolaus Papa, & acta Tullenſis Syno-
„ di paulo pòſt habitæ? Rurſum verò altum
„ vbique ſilentium tanti temporis de re tan-
„ ta, tot emergentibus in tantum nefas decla-
„ mandi occaſionibus, pluſquam mille dixeris
„ iuratos teſtes ad certam fidem faciendam
„ de fabulę falſitate. Certè quidem tam amici
„ faciuus horrendum deteſtando, querendo,
„ dolendo, quàm inimici improperando, de-
„ trahendo, ſubſannando centies proclamaſ-
„ ſent. Sed & quomodo Leo Nonus in Eccle-
„ ſiæ Romanæ hoſtes ea de fœmina erecta in
„ Patriarcham Conſtantinopolitanum obij-
„ cere auſus eſſet, ſi maiori infamia id fuiſſet
„ in Eccleſia Romana perpetratum?
„ 46 Quam autem abſurdæ fabulæ
„ aſſertores inter ſe varia, diuerſaque ſcriben-
„ tes; alter alterum deſtruit? dum alij ipſam
„ confictam fœminam Ioannam nominatam
„ antea *Agnetem* dixere, alij *Gilbertam*,
„ *Iſabellam*, alij, ſeu *Margaritam*, vel etiã
„ *Tuttam*, aut *Dorotheam*: præterquamquod
„ alij natione Germanam, alij dixere Angli-
„ canam. Rurſum quanta diuerſitas in nomi-
„ ne, quod cõfinxerunt, vel leuiter crediderũt
„ Papiſſæ Ioannæ, dum alij eam vocant Ioan-
„ nem Septimum, alij Octauum, alij verò No-
„ num; cùm tamen certiſsimè conſtet, eoſdem
„ legitimos fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Pontifi-
„ ces Ioannem Septimum, Octauum, & No-
„ num? Sed & in tempore valdè ſibi contra-
„ riantur, dum alij hoc anno octingenteſimo
„ quinquageſimo tertio, alij ſequẽti, alij octin-
„ genteſimo quinquageſimo ſeptimo, octauo
„ alij, quidam nongenteſimo quarto; præter
„ eos, qui eam ponſit poſt Martinum Primum
„ anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo
„ tertio, vel poſt Ioannem Quintum anno ſex-
„ centeſimo octogeſimo ſexto. In Sedis verò
„ tempore quanta inter eos repugnantia, dum
„ alij eam ſediſſe tradunt anno vno, & men-
„ ſe vno, & diebus quatuor, alij annis duobus,
„ totidem menſibus, & diebus quatuor; alij
„ duobus annis cum dimidio; duobus tantum
„ annis alij, alij verò tantum quatuor menſi-
„ bus? Denique quanta diuerſitas in eiuſdem
„ fabulæ narratione; dum nec vnus quidem
„ reperitur, qui conſentiat alteri, immò om-
„ nes inter ſe diſſentiant, contradicantque ſi-
„ bi inuicem? Vt nulla penitus hiſtoria ſit de
„ nomine, loco, tempore, & rebus quæ narran-
„ tur adeò mendax, variaque, & omni peni-
„ tus veriſimilitudine carens. Sed qui curio-
„ ſiùs hæc ſcire deſiderat; præter alios, qui hoc
„ inaniſsimum commentum egregiè ante hac
„ refellerunt, legat locupletem illum commẽ-
„ tariũ pietate & doctrina inſignis viri FLO-
„ RIMVNDI RÆMVNDI Aginnenſis Aqui-
„ tani Regij Conſiliarij in Parlamento Bur-
„ degalenſi, cuius eſt inſcriptio *Error popu-
„ laris de Ioanna Papiſſa*: quo ſic confecit
„ monſtrum illud, Scriptorum leuitate forma-
„ tum, & Nouatorum induſtria phaleratum, vt
„ eos pudeat quę ſcripſerint vel ſomniaſſe. *
Hactenus ille.

47 Accedit, non ſolùm Anaſtaſium Bibliothecariũ, Nicolaum I. Papam, & Lupum Abbatem Ferrarienſem, eodem nono ſæculo immo & ętate ſcribentes, à Baronio allegatos; ſed etiam Adonem Viennenſem Epiſcopum, qui eodem tempore floruit, & de quo nulla ſuſpicio eſſe poteſt quòd in gratiam Romanorum Pontificum mentiri voluerit, excludere prorſus quemlibet Ioannem Papam, Leoni Quarto & Benedicto Tertio interiectum. Etenim in Chronico ſuo ad annum DCCC.LV. ait: *Pontifex Romanus Gregorius moritur: illo defuncto, ſuccedit Leo. QVO OBEVNTE, BENEDICTVS IN SEDE APOSTOLICA SVBSTITVITVR.* Eodem modo loquitur Regino Abbas Prumiæ eo ſæculo ſcribens; quique duobus poſtea ſæculis floruerunt, vt Hermanus Contractus, Lambertus Scaffnaburgenſis; ſiue tribus, vt Otho Friſingenſis, & Abbas Vſpergenſis, alijque plurimi antiquiores Martino Polono, huius fabellæ diſſeminatore, vt poſtea videbimus: apud quos omnes altum vbique ſilentium eſt cuiuſlibet Pontificis interiecti Leoni Quarto, & Benedicto Tertio, ſeu fœminę alicuius, quæ Pontificatum Romæ vnquam geſſerit. Præterea Græci Hiſtoriographi, quotquot ante eundem Martinum ſcripſerunt, vt Zonaras, Cedrenus, Ioannes Curopalates, & alij, quos allegat Cl. V. Leo Allatius in Opuſculo de hac re edito, nec verbum habent huius tam prodigioſi euentus. quem tamen non videntur fuiſſe diſsimulaturi, in odium Latinorũ. Quis autem credat, hiſtoriam adeò prodigioſam omnes eius ſæculi & proximè ſequentium Chronographos Scriptoreſque latuiſſe, atque

ſo

ſolùm ijs elapſis detectam eſſe ab Auctore parum accurato & exigui nominis in rebus ad Hiſtoriam ſpectantibus?

48 Vlterius, licèt in Operibus editis Mariani Scoti,& Sigeberti Gemblacenſis, legatur nomen Ioannæ, ſeu Ioannis fœminæ, quæ Pontificatum geſsiſſe dicatur; tamen in antiquiſsimis manuſcriptis vtriuſque auctoris non invenitur. Nimirum in Monaſterio Gemblacenſi, vbi Sigebertus monachus vixit, extat antiquiſsimum exemplar manuſcriptum, quod putatur autographum ipſius Sigeberti, in quo nec verbum habetur Ioannis fœminæ. cuius rei fidem fecit parentum noſtrorum tempore Ioannes Molanus Lovanienſis Doctor,tanquam oculatus teſtis. Similiter in antiquiſsimis exemplaribus Mariani Scoti nullam Ioannis fœminæ mentionem inventam fuiſſe,teſtatus eſt ille qui Coloniæ anno milleſsimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto edidit Metropolim Alberti Krantij. Quapropter fabula prędicta ne quidem teſtimonio eorum duorum ſcriptorũ innititur, cùm neuter verbum de ea vel leviter feciſſe inveniatur. Quare putandum, fuiſſe centonem vtrique aſſutum ab aliquo nebulone in ſequentibus manuſcriptis,quæ ex autographis vtriuſque eius auctoris infideliter, ſaltem quoad eam partem,exſcripta fuerint. Itaque nemo invenitur certò eam fabulam conſignaſſe ſcriptis vſque ad Martinum Polonum, qui res geſtas Pontificum & Imperatorum vſque ad tempus Ioannis XXI. Papæ ex diverſis Chronicis & Auctoribus collegit,& Bononiæ obijt circa annum 1279. ibidemque ſepultus fuit in Cœnobio ſui Ordinis Dominicani. Is ergo, quoniã fortaſſe in aliquod exemplar Mariani aut Sigeberti vitiatum incidit, & facilè illi fidem præſtitit, fortè primus fabulam prædictam ſcripto vulgavit. quam poſtea duobus ſæculis elapſis Inſtauravit Bartholomæus Platina in Vitis Pontificum. nam iuxta editionem Pariſienſem anni milleſimi quingenteſimi quinti,qua vtor,pagina CXXXIV. immediatè poſt res geſtas Leonis Papæ Quarti inſerit Ioannẽ Octavum,ac de eo inquit ſtatim: *Ioãnes Anglicus ex Maguntiaco Oriundus malis artibus, vt aiunt, Pontificatum adeptus eſt. Mentitus enim ſexum, cùm fœmina eſſet, adoleſcens admodum Athenas cum viro docto amatore proficiſcitur: ibique præceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, vt Romam veniens paucos admodum, etiam in ſacris litteris, pares haberet, nedum ſuperiores.* Hæc ille, & plura alia prorſus ἀσύστατα καὶ ἀσύγκλωστα. Verùm ſubdit: *Hæc quæ dixi vulgò feruntur: incertis tamen & obſcuris auctoribus.* Itaque fatetur ipſe, eam narrationem, non ex probatis ſcriptoribus (neque enim vel vnum certò appellare potuit) ſed ex vulgi rumore deſumptam fuiſſe. Quapropter Onuphrius Panuinus in Additione ad eundem Platinam id, veluti deliramentum inane, refellit.

49 Et præterea reijcitur. Nam imprimis quomodo, ne in ſpeciem quidem, verũ eſſe poteſt, Ioannam illam ſæculo nono operam Athenis dediſſe; cùm eo tempore nec Athenis, nec in vlla alia Græciæ parte eſſent Gymnaſia litteraria? Etenim Syneſius Philoſophus Græcus, qui Epiſcopatum patriæ ſuæ Cyrenes, ab anno Chriſti quadringenteſimo decimo regere coactus fuit ſub Theodoſio Iuniore Arcadij filio (de quo, & alijs ad ipſum Syneſium ſpectantibus ſolita eruditione diſſerit Petavius) Epiſtola 136. ad fratrem ſuum teſtatur, iam ſuo ipſius tempore Athenis nihil fuiſſe, niſi nomen Academiæ. Et ſubdit: αἱ δὲ Ἀθῆναι, πάλαι μὲν ἦν ἡ πόλις ἑστία σοφῶν, τὸ δὲ νῦν ἔχον, σεμνύνουσιν αὐτὰς οἱ μελιτουργοί. id eſt, *Athenæ autem olim quidem erant vrbs, domicilium ſapientum: nunc autem celebrant eas Apiarij.* Itaque Athonis ſęculo quinto inchoato nihil ferè aliud erat præter mellis opifices, omnibus diſciplinis veluti exilio pulſis. Deinde ſæculo ſequenti circa annum 510. aliquis fortaſſe cultus litterarum ibidem fuit, cùm inveniamus Severinum Boetium ed ſe contuliſſe ſtudiorum cauſa, ibidemque Græcam linguam didiciſſe: vt propterea varios Ariſtotelis libros latinitate donaverit. At poſtea nullum litterarum aut ſtudiorum veſtigium in ea vrbe apparet vſque ad finem imperij Michaelis, incidentem in tẽpora Nicolai I. Papæ: vt conſtat ex Zonara & Cedreno in vita eiuſdem Michaelis. qui duo teſtantur, eouſque omnia ſtudia ſapientiæ in tota Græcia ita extincta fuiſſe, vt ne veſtigiũ quidem eorum extaret. Atqui tum finis imperij Michaelis, tum Pontificatus Nicolai I. fuit poſterior tempore illo, in quo Auctores contrarij intrudunt Ioannam Papiſſam, non modò ſtudẽtem Athenis, ſed etiam Romæ imperantem.

50 Præterea. In eadem narratione, prout habetur apud nonnullos poſt Martinum Polonum, dicitur, Ioannam illam in publica & ſolemni ſupplicatione peperiſſe. Cui autem prudenti viro perſuadeas, fœminam vterum ferentem iam tot menſibus, & in tam ſublimi dignitate collocatam, tunc auſam in publicum procedere, cùm ingens periculum immineret, vt eius partus cum inſigni infamia omnibus innoteſceret? Huc etiam ſpectat quod aiunt, Magdeburgenſes, Ioannem VIII. peperiſſe in itinere, cùm ex Vaticano viſere vellet Ecle-

cleſiam Lateranenſem. Palam verò eſt, vt Onuphrius demonſtrat libro de Septem Eccleſijs, Romanos Pontifices eouſque nunquam habitaſſe in Vaticano, ſed in Lateranenſi Palatio; immo nec pluribus pòſt ſæculis vſque ad tempus Bonifacij IX. circa annum M. CCC. XC. Si igitur in Laterano habitabat Ioanna Papiſſa, quomodo ex Vaticano volebat inviſere Lateranum? Iam hęc ſcripſeram, cùm legens fortè librum ſecundum Hiſtoriæ Novorum, olim ſcriptæ ab Eadmero, ſocio & convictore S. Anſelmi, nuperrimè Pariſijs editæ curà Gabrielis Gerberonis, pag. 51. column. 1. inveni hæc illius verba: *Manſimus ergo Romæ decem diebus IN PALATIO LATERANENSI CVM PAPA DEGENTES.* Accidit verò id circa annum Epochæ Chriſtianæ M.XCVIII.

51 Deinde apertiſsimè refellitur demonſtratione chronica ineluctabili, contexta è coætaneis eiuſdem noni ſæculi ſcriptoribus, Anaſtaſio Cardinale Rom. E. Bibliothecario, pagin. 175. Editionis Regiæ anni 1649. Adone Vienneſi Archiepiſcopo, pag. 183. editionis Pariſienſis anni 1612. ex qua reliquæ deinceps prodierunt, Guillelmo Cardinale S.R.E. Bibliothecario pagin. 199. citatæ Editionis Regiæ anni memorati 1649. Auctore Annalium Bertinianorum apud tomum tertium Collectionis Ducheſnianæ pagina 208. Reginone Abbate Prumiæ apud Ioannem Piſtorium in volumine Rerum German. pagina 41. Auctore Annalium Fuldenſium ad annum 855. & 856. Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi epiſtol. 26. iuxta editionem Sirmondi tomo 2. pagina 298. Benedicto Tertio Papa in Epiſtola quadam, ſeu Diplomate, apud Chronicō Technicum Philippi Labbè pagina 240. Nicolao I. Papa in Epiſtola 8. Tomi XXII. Collectionis Regiæ pagina 103. & Epiſtola 9. pagina 167. ac 205. & Epiſtola 11. quæ eſt ad Photium pagina 224. Hadriano II. Papa in Epiſtola ad Synodum Trecenſem, apud Sirmondum Tomo tertio Conciliorum Galliæ pagina 364. Styliano Mapa Epiſcopo Neocæſareæ apud Baronium ad annum 886. numero 17. Nimirum, ex teſtimonijs ipſorum *τῶν πάλαι* relatis, & accuratiſsimè expenſis, demonſtrat clariùs meridiana luce idem V. Cl. Philippus Labbè in Cenotaphio Ioannæ Papiſſæ adverſus Heterodoxos initio ſectionis memoratos, Leonem Quartum geſiſſe Romæ Pontificatum annis Æræ Chriſtianæ 853. & 854. integris vſque ad diem 17. Iulij anni 855. Deinde eius ſucceſſorem immediatum fuiſſe Benedictum Tertium, qui die Dominica 29. Septembris eiuſdem anni 855. conſecratus Pontificatum geſſerit vſque ad diem 8. Aprilis anni 858. quo obijt. Huic porrò ſucceſsiſſe *ἀμέσως* Nicolaum I. à die Dominica 24. Aprilis eiuſdem anni, in eaque coronatum fuiſſe, & ſediſſe vſque ad diem 13. Novembris anni 867. in quo deceſsit, & ſucceſſorem habuit Hadrianum II. à die 14. Decembris eiuſdem anni 867. vſque ad Kalendas Novembris anni 872. Vnde manifeſtè colligitur, nullum eſſe locum Ioannæ Papiſſæ, cui Marianus Scotus, & Sigebertus (iuxta vitiatas editiones, ſuprà memoratas) Martinus Polonus, Bartholomæus Platina & recentes Heterodoxi, Pontificatum adſcribunt inter Leonem Quartum & Benedictum Tertium, annis 854. 855. vel 856. vel etiam 859. aut 860. vt Mareſius vult; nec qualemcumque Pontificatum, ſed biennio integro durantem cum aliquot menſibus. Si enim inter eos tres Pontifices non vacavit Pontificatus, niſi ſemel tribus menſibus non integris ab obitu Leonis Quarti vſque ad electionem Benedicti Tertij, & iterum ſexdecim diebus ab huius morte vſque ad coronationem Nicolai Primi; quomodo locus eſſe poteſt aut potuit, vt interijceretur ijs Ioanna Papiſſa biennio integro & ampliùs regens Apoſtolicam Sedem?

52 Quapropter adeò deſperata eſt cauſa *τῶν Παπισσομανίστων*, vt cautiores ex Cacodoxis, etiam ante inventam aut excogitatam demonſtrationem præiactam, Catholicis vltro herbam porrexerint, ac teſtati fuerunt ex animi ſententia, meram fabulam eſſe, futilitatem inanem, & *ἀδυνατώτατα*, quæ de Ioanna Papiſſa hactenus multorum ſcriptis conſignata fuit. Etenim Claudius Saravius in Epiſtola ad Salmaſium pagina 172. allegans manuſcriptum quoddam Anaſtaſij Bibliothecarij, & in altera ad eundem pagina 175. ac David Blondellus in Gallica elucidatione Amſtelodami edita anno 1647. & in *Ἀνακρίσει* poſthuma de hac ipſa quæſtione, ac præterea Chamerius, Petrus Molinæus, & Samuel Bochartus apud Saravium allegatum pagina 224. 225. & ſeqq. alijque ex eiſdem Sectarijs, ſeu veritate manifeſta convicti, ſive vt hinc ſectæ & erroribus ſuis fidem aliquam conciliarent, narrationem illam, vti quoddam deliramentum, reiecerunt. vt muto eſſe liceat Samueli Mareſio, qui pręalijs in hac controverſia inſanivit tertio quoque verbo, & in anachroniſmos innumeros atque *ἄτοπα* & *ἀσύστατα* paſsim ac miſerè lapſus fuit. vt proinde Labbeus ſuprà laudatus, non abſque ſale dixerit ſibi ſpem fuiſſe, vt in nundinis ſequentibus apud Francofurtum proſtaret liber hoc titulo: SAMVEL MARESIVS, *Capite nudo, Pedibus nudis, Stola collo illigata, Accenſa*

in manu tæda; vtroque ſimul genu flexo; A VERITATE, Palam, ante ſacras eius ædes, Catholicis, Acatholicis, Orthodoxis, Heterodoxis ſpectantibus; lacrymis, ſingultu, gemitibus, voce miſerabiliter interciſa; VENIAM PETENS; Quòd Fabulæ omnium Fabuloſiſsimæ, renitente conſcientia, patrocinium ſuſceperit: Atque in paratum à Metanœa rogum ridiculam ſuam de Reſtituta IOANNA PAPISSA Rhapſodiam, Flammis vltricibus devorandam vltro, ſponte; ac libera voluntate proijciens. Groningæ apud Vincentium Philalethem, in vico Iuſtitiæ, ad inſigne, MAGNA EST VERITAS, ET PRAEVALET. Hucuſque Labbeus, & lepidiſsimè quidem.

53 Verum præter Latinos Scriptores eius ſæculi iam allegatos, oportet idipſum breviter demonſtrare ex Græcis eiuſdem temporis, præſertim ijs, qui Eccleſiæ Romanæ iurati hoſtes erant, & nihil omnino prætermiſiſſent ad deturpandam illam, ſiqua ſpecie veri poſſent. Primus illorum eſt Photius eviratus, invaſor C P. Sedis, mortalium eius ſæculi ſceleſtiſsimus & ἀλιτήριος ζωόντων, vt iure loquitur Leo Allatius, cuius Opuſculum de hac re nuper mihi amicè communicavit præclaro Vir ingenio, & eruditione mira, idque in medio iuventutis flore, Doctor D. Ioſephus de la Serna Cantoral, Iuris Cæſarei apud Noſtrates Veſpertinus & celeberrimus Anteceſſor. Nimirum Photius, dum totum Orientem innumeris artibus & dolis commovere ſtuduit adverſus Apoſtolicam Sedem & Pontifices Romanos, nec verbum habuit de fabula prædicta, qua illam denigrare poſſet. Quin potiùs enumerans ſeriem illorum, ſuo ipſius tempore viventium, diſertis verbis poſt Leonem IV. adiungit Benedictum III. & ſubinde Nicolaum, atque Hadrianum, quorum duos priores laudat compulſus rei veritate, Verba ſunt libr. 1. de Spiritus S. proceſsione adverſus Latinos: Χθὲς καὶ πρώην δευτέρα γενεὰ παρῆλθεν, &c. id eſt, *Heri, & nundum ſecunda generatio præterijt, nobilis ille Leo, qui & miraculis editis poteſt gloriari, omnem omnium excidens prætextum hæreticorum.* Atque inferiùs: *Sed & mitis, & manſuetus, & aſceticis certaminibus illuſtris inclytus Benedictus poſt eum* (Leonem) *in Archieratico throno ſucceſſor, hoc idem & amplectēdo & confirmando haud ſecundus eſſe nitebatur, licet tempore ſecundus eſset.* Deinde vtrique ſubiungit Nicolaum Benedicti Succeſſorem, ac tandem Hadrianum & Ioannem. Similiter in Tractatu contra Latinos, vbi impugnat proceſsionem Spiritus S. ex Filiō, eandem ſeriem Romanorum Pontificum conſtituit, dicens: Λέων καὶ Βενέδικτος, οἱ μεγάλοι Ῥώμης ἐς ὕστερον ἀρχιερεῖς. *Leo & Benedictus, magni deinde Romæ Antiſtes.* Nec in omnibus alijs ſcriptis ſuis, quibus dirè Romanos Præſules exagitavit, aut eam ſeriem variaſſe, aut illius fabellæ meminiſſe invenitur. quod certè invicto argumento eſt, illam multò poſtea excogitatam. Similiter Metrophanes Smyrnęus eodem tempore Romanam Sedem impugnans in libro de Divinitate Spiritus S. eiuſque ex ſolò Patre proceſsione, Leoni IV. immediatum Succeſſorem Benedictum adnectit, dicens: Βενέδικτος ὁ μετ' ἐκεῖνον (Λεόντα) τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος. *Benedictus poſt illum* (Leonem) *in Summi Sacerdotij throno ſucceſſor.* Deinde vtrique adiūgit Nicolaum, Hadrianum, & Ioannem, eiuſdem cathedræ ſucceſſores, nec verbum habens de Ioanna Papiſſà, quam certè vociferaret in odium Romanæ Sedis, ſi vel rimulam inveniſſet. Mitto Stylianum Neocæſareiæ Euphrateſinę Provinciæ Epiſcopum, verè Catholicum, tunc ſcribentem adverſus Photij gregales: qui eum pluribus alijs Epiſcopis, Præsbyteris, & Diaconis Eccleſiæ Conſtantinop. omnibuſque Præfectis, Præsbyteris, Monachis, & anachoretis per Orientem & occidentem ſparſis, in Epiſtola quadam ad Stephanum Pontificem Romanum, Leoni, μακαριωτάτῳ Πάπᾳ, Benedictum ſucceſſorem adiungit. Quod ipſum fecit eadem C P. Eccleſia eodem ſæculo, primo anno Formoſi Papæ, in Embolo, ſive porticū magnæ Eccleſię, litteris publicè patentibus, vbi affigebatur breviarium Octavæ Synodi Generalis tunc celebratæ. In ijs enim ordine ſuo collocantur, ὁ Πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος. Quin & poſtea dum texitur ſeries eorum Pontificum Romanorum qui per ſpatium quadraginta quinque annorum euſque Photio ſchiſmatico & hæretico anathematis notam inuſſerant; recenſentur novem ordine ſuo, *Leo, Benedictus, Nicolaus, Hadrianus, Ioannes*, Marinus, Hadrianus alter, Stephanus & Formoſus. Vnde rurſus evincitur clariùs meridiana luce, in totō illo XLV. annorum ſpatio à tempore Leonis vſque ad finem Pontificatus Formoſi, nullum fuiſſe locum imaginariæ illi Ioannæ, quæ Sedem Apoſtolicam mentito ſexu virili rexerit, ne ad horam quidem; quanto minùs biennio integro & aliquot menſibus, vt eius portenti fabricatores commenti ſunt? Verùm relinquamus hæc legenda fuſiùs apud eundem Allatium, adiuncto Bertholdo Nihuſio in Epilogo Triumphali de ea re edito ſimul Coloniæ Agrippinæ apud Kalcovium & Socios anno 1645.

1645. poſt Genebrardum noſtrum in Chronico ad annum 858. (quem iure merito Raynaudus Tomo XI. Erotemate X. pagina 264. Dechamps, & alij celebrant, veluti rarum & lucidiſsimum Galliarum lumen) Bellarminum Tomo I. lib. 3. de Romano Pontific. capit. 24. Aubertum Miræum in Scholijs ad Chronicon Sigeberti, Iacobum Grethſerum in Defenſione Bellarmini Tomo II. libr. 3. capit. 24. Nicolaum Serarium in deſcriptione Moguntiacarum Antiquitatum, Siffridum Petri in Annotationibus ad Chronicon Martini Poloni, & Petrum Maturum in Annotationibus ad Chronicon S. Antonini Florentini, vt alios plures omittam. Hæc itaque obiter, & inſtar παρενθέσεως καὶ παρέργως, interieciſſe licuerit, vt ſæculum nonum, in quo verſabamur, ab ea infami nota Ioannæ Papiſſæ, liberum oſtendamus; & auctoritas Sedis Apoſtolicæ, quæ in hoc Opere potiſsimùm nobis curæ eſt, etiam ex eo capite, integra, atque incaſſum ab Heterodoxis impetita, demonſtretur.

SECTIO SEPTIMA.

Digreſsio altera circa ſæculum decimum, quod obſcurum & ferreum à pleriſque dicitur. Vindicatur quoddammodo ab ea nota, memoratis Scriptoribus quibuſdam, ac præſertim Leone VI. Imperatore, & Luitprando. Porrò nullam hæreſim illo ævo ortam fuiſſe, quam Sedes Apoſtolica intra aut extra Concilium damnaret.

54 SÆCVLVM Decimum, & vltimum primæ chiliadis Chriſtianæ annorum, quemadmodum à pleriſque cenſetur ſterile & Scriptoribus deſtitutum, propterea que ferreum appellari ſolet: ita etiam novarum hæreſeon ferax non invenitur. Scio aliquot Recentiores, quorũ meminere Ephemerides Eruditorum Pariſienſium, pugnaſſe pro eo ſæculo, veluti fœcundo illuſtrium Virorum. Ego verò, licèt non audeam ipſi fœcunditatem adſcribere (quippe id παράδοξον apparet) vindicandum puto ab ea tam exaggerata ſterilitatis nota. Nam imprimis floruit eius initio Leo VI. Imperator Orientis, cognomento Sapiens: qui, inter alia, ſcripſit Epiſtolam inſignem ad Regem Sarracenorum de Veritate Chriſtianæ fidei, & Sarracenorum impietate, quæ extat in pleriſque editionibus Bibliothecæ VV. Patrum; & plurimas Orationes à Baronio commemoratas Tomo X. ad annum 911. quo ille obijt; aliaſque plures, & varia Opuſcula, ac præterea ἑξηκοντάβιβλον, aliàs Opus Baſilicorum in ſexaginta libros diviſum: quæ omnia Latine reddita ſunt, partim à Federico Metio, Iacobo Gretſero, Franciſco Combeſio, Iacobo Pontano, Petro Poſsino, Petro Lambecio; Henrico Agyleo, Carolo Annibale Fabroto, alijſque poſt Iacobum Cuiacium, qui primus omnium, quos ſciam, partem aliquam τοῦ ἑξηκονταβίβλου Latinè edidit. Illud verò tandem integrum ac ſeptem Tomis diſtinctum Græcè & Latinè vulgatum fuit ex M.S. Regiæ Galliarum Bibliothecæ anno 1647. apud Cramoſios Fratres. Sanè vel is vnus Imperator ſatis videtur ad repellendam notam illi ſæculo à pleriſque inuſtam, vel ſi ſolùm ſcripſiſſet Opus Baſilicorum. Quantò magis, cùm plurima Opuſcula, Orationeſque pietate plenas ediderit, ac præterea in Epiſtola ſuperiùs memorata teſtatus fuerit disertè, Spiritum ſanctum à Filio etiam procedere, quod Græculi eouſque negabant, & adhuc diffiteri pergunt?

55 Eodem ſæculo floruit Rhegino Abbas Prumienſis, qui Chronicon ſcripſit duobus libris diſtinctum vſque ad annum 908. & Tractatum inſignem de Diſciplinis Eccleſiaſticis & Religione Chriſtiana, diſtributum in nongenta ferè capita, teſte Trithemio, & alijs. Floruit etiam Rodulphus Flaviacenſis, qui circa annum 910. viginti libros ſcripſit in Leviticum, poſtea editos Coloniæ anno 1556. ac præterea libros 14. in Epiſtolas D. Pauli, & Hiſtoriam ſui temporis libris quinque comprehenſam.

56 Floruit inſuper circa annũ 946. Luitprandus Ticinenſis, aliàs Cremonenſis dictus ab Eccleſia ipſa, cuius primùm Diaconus, deinde Epiſcopus fuit: quique à Berengario II. in Italia imperante miſſus fuit legationis cauſa ad Conſtantinum Porphyrogenitum Oriẽtis Imperatorem, ac viginti duobus annis poſtea, nimirum Chriſti 968. ab Othone ad Nicephorum Phocam. Opera ipſius Antuerpiæ in folio edita fuerunt anno 1640. in quibus legere eſt ſex libros Rerum geſtarum ab Europæ Imperatoribus & Regibus: librum præterea de Pontificum Romanorum geſtis à S. Petro vſque ad Formoſum Papam (quod tamen Opuſculum Labbè poſt Gerardum Ioãnem Voſium adiudicat cuidam Monacho Illuſtriſs. Cœnobij Corbeienſis, ſcriptori eiuſdem ſæculi) & Chronicõ, atque Adverſaria, & varias Epiſtolas, ac Diptychon Toletanũ. Additæ ſunt præterea Notæ Hieronymi de la Higuera, & D. Laurentij Ramirez de Prado, Iacobæi Equitis, Regijque in Hiſpania Cõſiliarij: qui duo nullum non moverunt lapidem, vt Chronicon prædictum, & Adverſaria, & Epiſtolas, & Diptychon eidem Luitprando aſſererent,

57 Sed enim, vt hoc loci proferam obiter quod multis ab hinc annis re maturè expenſa iudicare licuit, prædicta Opuſcula ſuſpectæ fidei ſunt, & quæ apud nullum hominem eruditum ingenuumque fidem aliquam mereantur, quidquid aliter multi, non ſolùm è vulgo, ſed ex ijs qui in Quatuordecim ſedere cenſentur, magnis clamoribus loquãtur. Quod ipſum de Chronicis Dextri, Maximi, Helecæ, Iuliani, Auberti Hiſpalenſis, & Liberati, dictũ eſto. Quippe in ijs omnibus plurimi inſignes viri, apprimè in rebus ad Hiſtoriam & Chronologiam verſati, ac præſtanti & acerrimo iudicio præditi, non in Gallia, Germania, & Italia ſolùm, ſed in noſtra Hiſpania, tot paradoxa, antilogias, ῥαψῳδήματα, περιψήματα, ἐκτρώματα, & χυδαιολογίας detexerunt, vt meritò releganda videantur in Vtopiam Morboniamque inſulam cum libris Amadiſij, Belianiſij, Phœbeij Equitis, & ſimilium, quos iam diu lepidiſsimus Michael Cervantes exulare fecit. Neque in hac cenſura ſtabilienda oportet quidquam temporis inſumere poſtquam idipſum abundè demonſtrarunt Mathæus Raderus in Analectis ad tertiam editionẽ Commẽtariorum Martialis, Cornelius à Lapide in Proœmio ad primam S. Ioannis Epiſtolam, Raynaudus in Indiculo SS. Lugdunenſium, atque in Erotematis, Philippus Labbè in Diſſert. Hiſtorica de Scriptoribus Eccleſ. tom. 2. littera *L.* in Luitprando, Ioannes Bollandus & Godefridus Henſchenius in Præfatione ad Tomum I. Februarij cap. 4. vbi & allegãt ex Hiſpanis duos inſignes viros, Ludovicum Noniũ, ac D. Nicolaum Antonium (nunc iam longè celebriorem ob varias lucubrationes editas, & in ijs Bibliothecam Hiſpanam) quibus adde Excellentiſsimũ Principem Marchionem de Mondexar D. D. Gaſparem de Mendoza Ibañez de Segovia in Diſſertationibus Eccleſiaſticis vt plurimos alios omittam: qui omnes ea Chronica & Adverſaria multiplici nomine refellunt exibilantque, tanquam notha, ſuppoſititia, & infideli manu exarata.

58 Quibus autem tribuendæ ſint eiuſmodi quiſquiliæ, ſeu quo primùm artifice in lucem prodierint; non eſt noſtrum diſſerere; neque placet aut placebit vnquam aliquem eorum nominatim traducere; præſertim cùm nullius in ſingulari mala fides ſatis explorata fuerit. Id autem monemus, ſiquando in libris aut quibuslibet ſcriptis de hac re diſſeritur, curandum maximè eſſe ne modeſtiæ & charitatis Chriſtianæ limites tranſiliantur. Norunt omnes, quot ſatyræ, ſcommata dicteria, & probroſa convicia ab vtriuſque partis ſectatoribus invicem digladiantibus prælo commiſſa fuerint hiſce proximis annis, idque vulgari idiomate. Nemo prudentum, nec modò præſtantium Virorum eſt, qui in ijs non deſideret humanitatem, vrbanitatem, ac modum illum, qui ſervari debet inter Scriptores graves, præſertim ſacro alicui Ordini addictos. Fortaſsis mitiùs invicem egiſſent, ſi in diſciplinis gravioribus ſtrenuam operam navaſſent, vel aliquam illarum profeſsi eſſent, maximè in Academijs, ſeu publicis litterarum Scholis. In his quippe, quantumvis contrarijs opinionibus imbutæ ſint partes, & acri contentione mutuò diſputent; ſervatur vbique decor quà verbo, quà ſcripto. Nam vt ex Naſſone obſervat Petrus Bleſſenſis Epiſtola 67.

—— ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Apage infrunitam illam maledicendi licentiam & conviciandi, quæ, non dicam in hominibus è media plebe, ſed ne in ſannionibus quidem aut ſcurris tolerari poteſt. Luitprandus itaque, vt ad ſcopum noſtrum redeamus, ob varias lucubrationes, quas certò edidit, & quarum aliquot ſuperiùs indicavimus, claritatem aliquam ſæculo decimo attulit, quod plerique obſcurum & ignobile fuiſſe volunt.

59 Similiter ſæculum hoc ſcriptis ſuis nobilitavit Vvitichindus Monachus Benedictinus Corbeienſis ab anno circiter 946. prout Bellarminus obſervat poſt Sigibertum, Adamum Bremenſem, Gobelinum, & Trithemium. Scripſit enim libros tres de Rebus Saxonum, Panegyricum de Geſtis Othonis Magni, Hiſtoriam erectionis Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, tres Decades Diplomatum & Donariorum prædicti Othonis Imperatoris, Chronicon Monaſterij ſui Corbeienſis, & Translationem SS. Martyrum Viti ac Iuſtini. quæ lucubrationes primùm Baſileæ anno 1532. deinde Francofurti ad Mœnum anno 1577. ac poſtea Francofurti apud Abrios in folio anno 1621. cum Notis Henrici Meibomij, editæ fuerunt.

60 Flodoardus Præsbyter, quem Trithemius Benedictinum, Miræus S. Remigij ad Vrbem Remenſem Abbatem fuiſſe refert, plura ſcripta edidit: atque imprimis Chronicon ab anno 917. vſque ad 968. quod circa initium huius ſæculi Cl. V. Petrus Pithœus primò edendum curavit inter XII. Scriptores Coætaneos (vt vel hinc obiter diſcas non fuiſſe tantam Scriptorum eo tempore penuriam) deinde verò Andræas Ducheſnius recudit addita aliquot annorum Appendice. Scripſit & Hiſtoriam Antiſtitum Remenſis Eccleſiæ, quam adhuc manuſcriptam Gallicè vertit Nicolaus Quercetanus hortatu Cardinalis Baronij, deinde verò Latinè, prout à principio ſcripta erat, prælo edidit Iacobus Sir-

Sirmondus, ac tandem eruditis Notis illuſtravit Duaci Georgius Colvenerius anno 1617. Scripſit denique verſu libros quindecim de Triumphis Italicis Martyrum & Confeſſorum: alios tres de Triumphis Chriſti & Sanctorum Palæſtinæ: duos de Triumphis Chriſti, & rebus Antiochiæ geſtis. Omnes illos præcedenti ſæculo extitiſſe Treviris in ſummo Templo teſtatur Bunderius Dominicanus apud Gerardum Ioannem Boſium; & etiam num extare Claromonte in Arvernia apud RR. PP. Carmelitas Diſcalceatos ex aliorum auditu refert Philippus Labbè. Nec ſcio an ab anno 1660. vſque modò editi à quoquam fuerint.

61 Ratherius, primùm Monachus Lobienſis, deinde Epiſcopus Veronenſis (à Bellarmino & Labbeo prætermiſſus) haud exiguum lumen attulit huic ſæculo inſignibus ſcriptis, quorum catalogum texit Baronius Tomo X. ad annum Chriſti 954. De eo Gaulterus hæc habet in Chronologia ſæculi decimi in quo verſamur: *Ex hoc ſæculo nihil in præſentia habeo, quod annotem, niſi continuationem ſchiſmatis quorundam Græcorum, nonnulloſque Anthropomorphitas in Italia repullulantes (quos ſtrenuè, tum verbo, tum ſtylo propulſauit MAGNVM ILLVD ECCLESIAE CATHOLICAE LVMEN, RATHERIVS Veronenſis Epiſcopus) ac ſectam quondam Manichæorum Philippopoli germinantem.*

62 Mitto Marcum Eremitam, Stephanum Eduenſem, ac Moſem Barcepha, de quibus Bellarminus eodem ſæculo. Nec dubito plures alios Scriptores ad illud ſpectantes detectos fuiſſe incredibili ſtudio & cura Recentiorum, præſertim Gallorum, qui nihil intentatum relinquunt, vt è tineis & blattis redimant, atque in meliori luce collocent Veterum Patrum & Scriptorum libros innumeros, quorum plerique recèns editi difficilè ad nos perveniunt. Vnus D. Lucas D'Acherius, qui iam quindecim volumina Spicilegij edidit, eiuſmodi lucubrationibus redivivis plena (vt omittam Ioannem Mavillonem, Gabrielem Gerberonem, Claudium Stephanotium, & alios præclaros Viros eiuſdem Congregationis Gallicæ S. Mauri, intentos eruendis monumentis Antiquitatis Eccleſiaſticæ) teſtis eſt quanto cum deſiderio id magnum Opus, & alia ſimilia quæſierimus, nulli parcentes ſumptui; ſed irrito planè conatu. Ipſeque litteris ad nos Lutetia datis ſuperiore anno reſcribens humaniſsimè, non potuit aliquot ſaltem exemplaria ad nos mittere, ob nimiam diſtantiam eius nobiliſsimæ vrbis ab hac noſtra Academia. Hæc itaque cauſa eſt quòd eidem ſæculo decimo non plures accenſeamus nobiles Scriptores, quamvis fortè ab illo, aliiſve viris eruditis, plures detecti aut editi fuerint. Quæ verò ſpectant ad Gerbertum eodem ſæculo celebrem ob eruditionem doctrinamque variam, vſque ad annum 999. in quo renunciatus fuit Pontifex Romanus, & quænam ſcripſerit; alij proferent, & præſertim R.P. Magiſter Fr. Ioſeph Perez, Abbas huius Inſignis Collegij, in Academia Salmant. Artium & Theologiæ Doctor, Matheſeos primùm, ac nunc Orientalium linguarum Primarius Anteceſſor, Latinè, Græcè, & Hebraicè eruditiſsimus; in volumine propediem edendo Bibliothecæ Benedictinæ. Ibidem enim latè diſſerit de doctrina & ſcriptis Gerberti. Eius Epiſtolas plures è latebris in lucem eduxerunt Papirius Maſſonus, & Andreas Ducheſnius; ac duas alias Philippus Labbè, in Collectione Regia editas.

63 Cum itaque eo ſæculo nulla nova hæreſis fuerit exorta; nihil mirum quòd Romani Pontifices non inveniantur tunc aliquam damnaſſe, neque intra, neque extra Concilium. Sed neque in Concilijs Provincialibus (Generale enim nullum fuit) toto eo tempore celebratis, etiam iuxta Labbeanam editionem omnium vberrimam, aliquid definitum circa fidē aut mores invenio, vt proindè opus eſſet conſenſu aut declaratione Romani Pontificis. Ad ſummum legere eſt Concilium ad Matronam fluvium in pago Meldenſi celebratum anno 962. ab Epiſcopis tredecim Provinciarum Remenſis ac Senonenſis, in quo ij profeſsi ſunt, nihil de Hugone olim Archiepiſcopo Remenſi poſſe decerni, niſi conſulto Romano Pontifice. Quod, præter alia in ſuperioribus obſervata, argumento eſt, etiam in eo turbulento ſæculo Eccleſiam Gallicanam cenſuiſſe cauſas maioris momenti in rebus Eccleſiaſticis, qualia ſunt iudicia Epiſcoporum, ad ſolam Sedem Apoſtolicam ſpectare; prout ſæpe in ſacris Canonibus Romanæ Eccleſiæ declaratum fuerat. Graviores autem longè ſunt quæ pertinent ad fidem: vtpote quæ non ad vnam Diœceſim peculiarem, aut certam perſonam, ſed ad totam Eccleſiam porriguntur. Hæ igitur multò magis ad ſolum Pontificem Romanum ſpectant, & ab eo ſolo definiri poſſunt.

******
***

DISPVTATIO DECIMA

AN SAECVLO VNDECIMO, ID EST, primo poſterioris chiliadis Chriſtianæ annorum, Romanus Pontifex ex ſenſu Eccleſiæ habuerit infallibilitatem in controverſijs circa fidem dirimendis

1 *OSTENSVM Fuit palam hucuſque, Eccleſiam Catholicam primis decem ſæculis in ea perſuaſione fuiſſe, vt definitionibus Summorum Pontificum ex cathedra prolatis circa fidem & mores, etiam nullo Generali Concilio ad id congregato, exhibendum eſſet ſtatim ab omnibus Chriſtianis ingenuum mentis obſequium, veluti cæleſtibus Oraculis, quibus contradicere impium & hæreſeos nota dignum eſſet. Nunc oportet idipſum oſtendere de ſæculo primo huius poſterioris millenarij, id eſt Chriſti vndecimo.*

SECTIO PRIMA.

Hæreſis Berengarij Sacramentariorum Prodromi contra Venerab. Sacramentum Euchariſtiæ, ſæculo vndecimo orta, & à varijs Pontificibus Romanis ſine vllo Concilio Oecumenico proſcripta. Vbi de alijs hæreſibus eiuſdem temporis.

2 HÆRESIS Prima ſæculi vndecimi fuit contra veram & realem præſentiam Corporis & Sanguinis D. N. IESV-CHRISTI in Euchariſtia, ſive Sacramento Altaris. Nam quamvis aliqui, etiam ex eruditis & ſolertibus in veſtiganda antiquitate Eccleſiaſtica, velint, eum errorem fuiſſe inchoatum ſæculo nono (de quo noviſſimè poſt cæteros plura diſſerit è noſtris V. Cl. Ioannes Mavillon Tomo VI. Sæculorum Benedict. Pariſijs edito anno 1680) frequens tamen & recepta ſententia cæterorum eſt, illum vndecimo ſęculo initium habuiſſe à Leutherico Archiepiſcopo Senonenſi, qui propterea à Rege Galliæ Roberto, Chriſtianiſſimo ſanè & piiſſimo acriter reprehēſus fuit. Scripſit etiam contra ipſum Helgaldus, gravis Auctor eiuſdem temporis, in Vita laudati Regis, inquiens: *Præſuli cuidam* (ſcilicet, Leutherico Senonenſi) *de Domino non bene ſentienti, & quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in Corpore D. N. IESV-CHRISTI, &c. Rex amator bonitatis ſcripſit his verbis: Cùm ſit tibi nomen ſciētiæ, & nō luceat in te lumē ſapiētiæ, miror qua ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis imperijs, & pro infeſto odio quod erga ſervos Dei habes, examinationem in Corpore & Sanguine Domini. Et paucis interiectis, ſubdit. Privaberis honore Pontificis, niſi ab his reſipueris, & damnaberis cum ijs, qui dixerunt Domino*: Recede à nobis, *Iob 21. & non communicabis his, quibus dicitur*: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, *Iacobi 4.* Addit præterea Helgaldus, & teſtatur reſipiſcentiam Lautherici, inquiens: *His verbis Præſul bene correctus, à Rege pio & bono ſapienter inſtructus, quieſcit, obmutuit, & ſiluit à dogmate perverſo, quod erat contrarium omni bono, & iam creſcebat in ſæculo.*

3 Sed quamvis tacuerit exinde Leuthericus, nec docuerit deinceps errorē illum (an vera animi reſipiſcentia, an timore Regis & cathedrę Pontificiæ amittendę) is ſemel ab eo diſſeminatus ſerpere cœpit in Gallia, & tandē erupit in manifeſtam hæreſim miſerrimi Berengarij, natione Galli, patria Turonenſis: qui poſthabita doctrina ſanctiſſimi Viri Fulberti Carnotenſis, præceptoris ſui in adoleſcentia, ſpretiſque obiurgationibus ipſius, & Adelmanni Epiſcopi Brixienſis, ſui olim condiſcipuli, aliorumque, *poſuit in cœlum os ſuum, &* in Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, vt cum Baronio loquar, impudenter ſe ingeſſit, evomuitque virus iam altè cordi infixum: vt propterea iure merito inter præcipuos omnium ſæculorum Hæreſiarchas numeretur.

4 Præcipue verò poſtquam laudatus Rex Galliarum Robertus humana poſuit, deſiderio ſui relicto, Berengarius cœpit inſolentiùs effutire errorem ſuum. Id audiens S. Leo IX. qui ob ſummam generis claritatem cum eximia pietate coniunctam electus fuerat omnium conſenſu Romanus Pontific. anno 1049. ſtatim anno ſequenti 1050. congregavit Romæ Concilium, non quidem Generale, ſed Provinciale, adverſus eundem Berenga-

rium

ſium, quòd Ioannem Scotum (nimirum, Erigenam appellatum, de quo nonnihil præmiſsimus Diſputat. IX. ſect. 4. num. 32.) laudaret, Paſchaſium Radbertum in ſectaretur, & communi circa Euchariſtiam fidelium doctrinæ contradiceret. Vnde noſter Lanfrancus, qui eodem tempore contra illum ſcripſit Commentarium de Sacramento Altaris, teſtatur, per ſententiam Synodalem privatum fuiſſe communione ſanctæ Eccleſiæ, quam ipſe privare ſancta communione ſatagebat. Eiuſdem Concilij meminit auctor Chronici Benigniani, vbi agit de Halynardo. Præterea idem S. Leo IX. adfuit alteri Concilio Vercellis coacto eodem anno contra ipſum Berengarium, qui eò vocatus ire noluit, vt narrant idem Lanfrancus, Guitmundus, & alij: ac niſi ſtatim reſipiſceret, cum ſuis ſequacibus Iuſtus fuit perpetuo anathemate. Addit præterea Labbè in noviſsima Conciliorum editione aliud Lutetiæ congregatum eodem anno contra prædictam hæreſim Berengarij: in quo certè, quemadmodum & in alijs innumeris geſtis & ſcriptis pro fide Catholica, ſummam ſemper laudem meruit illa clariſsima vrbs, & quaſi oculus litterarij Orbis.

5 Nec verò propterea Berengarius ceſſavit à væſania ſua: ſed potiùs obſtinatior, & in rabiem actus, plures Galliæ provincias eadem lue infecit. Victor II. Papa, qui Leoni IX. ſucceſſerat, celebravit Concilium Florentiæ anno 1055. adſtante Henrico III. Imperatore: in quo iterum hæreſis Berengarij damnata fuit: prætereaque indixit aliud Turonenſe, cui præfuit Hildebrandus, tanquam eiuſdem Pontificis Legatus: in quo Berengarius, eiurata peſtilentiſsima hæreſi, Catholicam fidem profeſſus fuit, teſtibus Lanfranco & Guitmundo, paulò antè laudatis. Nec tamen ideo promiſsis ſtetit, ſed ſemel & iterum ad vomitum rediit. Quare tempore Nicolai II. Papę anno 1059. habitum eſt Concilium Romæ à 113. Epiſcopis: in quorum cõſpectu Berengarius hæreſim ſuam tertiò iam abiuratam deteſtatus fuit, & fidem Catholicam profeſſus, iuxta formulam ſibi ab Humberto Cardinali Epiſcopo Sylvæ Candidæ præſcriptã, cuius initium: *Ego Berẽgarius indignus S. Mauritij Andegavẽſis Eccleſiæ Diaconus, &c.* prout extat apud Gratianum de Conſecratione diſt. 2. Quin & libros à ſe contra veritatem Euchariſtiæ compoſitos igni tradidit, cuius rei fidem faciunt iidem Lanfrancus, Guitmundus, Algorus, & alij. Deinde multò poſtea, nimirum anno 1076. tertio Gregorij VII. fuit aliud Concilium Pictavis Idibus Ianuarij, Præſide Girando Legato Sedis Apoſtolicæ, de Corpore & Sanguine Domini, contra ipſum Berengariũ: qui, teſte Auctore Chronici Malleacenſis penè ibidem interemptus fuit. Vide id Concilium in noviſsima editione Conciliorum Labbeana. Deníque anno 1079. habitũ eſt Romæ Concilium anno ſexto Pontificatus S. Gregorij VII. in quo idem Berengarius, ſæpe ad pœnitentiam vocatus, ſępe etiam in hęreſim relapſus, vltimò illam abiuravit, fidemque Catholicam profeſſus fuit, interpoſito iuſiurando, cuius formula ibidem habetur. Quin & in alio Concilio Burdigalæ habito eodem anno (& pariter addito editioni Labbeanæ) Præſide Amato Oleronenſi Epiſcopo, S. Sedis Legato, idem Berengarius rationem fidei ſuæ reddidit. Neque vnquam de cætero ad ingeniũ ſuum rediiſſe legitur, quamvis vixerit vſque ad annum 1088. In quo iam ferè nonagenarius, die ipſo Epiphaniæ, inſtante morte, dixiſſe fertur: *Hodie in die Apparitionis ſuæ apparebit mihi Dñus meus IESVS-CHRISTVS propter pœnitentiam, vt ſpero, ad gloriam: vel propter alios, vt timeo, ad pœnã.*

6 Itaque Hæreſis illa Berengarij, quamvis peſtilentiſsima, & tandiu eo ſæculo graſſata, non fuit vllo modo proſcripta tunc in aliquo Generali Concilio; ſed ſolùm in Provincialibus, aut præſente Romano Pontifice, aut ſaltem probante. Nec vlla alia declaratione opus fuiſſe ad vitãdum illum errorẽ, diriſque devovendum, cenſuit Eccleſia illo ſæculo, ſicuti nec in decem præcedentibus exiſtimaverat: vtpote cui ſemper exploratum fuit, definitiones Romani Pontificis ex cathedra prolatas, id eſt animo tradendi doctrinam à tota Eccleſia credendas in materia fidei ac morum, eſſe totidem Oracula Chriſti, per os Vicarij ſui loquentis, quibus diſſentire impium & hæreſeos nota dignum ſit.

7 Nec ſanè Berengarius poſt tot definitiones Pontificias Leonis IX. Victoris II. Nicolai II. & Gregorij VII. ad vomitum rediiſſet, aut Venerabile Sacramentum tam pertinaciter impugnaſſet, niſi actus malo genio, ſive fœdere inito cum Diabolo, cui moris eſt & fuit iam diu, in id Myſterium, Sacramentorum omnium maximum, omnes tartareas vires exerere. Nimirum, vt teſtatur Polydorus Virgilius, & noſter Genebrardus in Chronico ad annum 1041. Berengarius magiæ diabolicæ deditus fuit: vt propterea vna eademque nocte extiterit Romæ, ac Turonibus in Gallia, vbi & lectionem quandam publicè recitavit. Quid itaque mirum, ſi poſthabitis tot definitionibus Romanorum Pontificum, inſtigante dæmone, Euchariſtiam impugnaret? Quam in rem obſervatu digna ſunt verba doctiſsimi Iacobi Gaulterij in Chronico ad ſæculum vndecimum aientis de eodem Beren-

gario: *Neque mirum eſt, ſpecialem Diabolo fuiſſe cum eo neceſsitudinem, qui futurus erat eius emiſſarius, atque interpres ad inſectandum nobiliſsimum, diuiniſsimumque Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramentũ. Cui ſimile quid Luthero contigiſſe, ex ipſo eius ore explicatũ, exploratũque habemus. Fatetur quippe Lutherus initio libri ſui de Miſſa privata, Miſſam ſe inſtigãte, impellenteque Diabolo oppugnaſſe. Sicuti & in colloquio Vuitembergenſi affirmat, Martinum Bucerum Sacramentarium, ſuggerente maligno ſpiritu, negaſſe corpus, & ſanguinem Ieſu Chriſti eſſe verè, & realiter in Euchariſtia. Quod Zuinglius item Sacramentarius de ſe ipſo, ſaltem fluctuando, fateri non erubuit in libro de ſubſidio Euchariſtiæ, cùm ſcribit ſibi in ſomnio apparuiſſe monitorem, de quo aternè fuerit, an albus, dubitat, ſeque ab eo didiciſſe, quo pacto in verbis Chriſti, HOC EST CORPVS MEVM, adſtruere poſſet verbum EST, accipiendũ eſſe pro SIGNIFICAT. Atque huius neceſsitudinis participem ſe prodit Calvinus, non modò quoties fratrem ſe Luthero, Bucero, ac Zuinglo præbere nititur, verùm etiam cùm in quadam ſua ad Bucerum epiſtola, monenti Bucero, vt à linguæ petulantia, & maledictis ſeſe abſtineret, reſpondit, non ſui eſſe ingenij morbum, ſed ſui Genij.* Fatetur itaque Calvinus, ſe agi à ſuo Genio in ſcriptis & verbis maledicentia plenis. At quomodo non ageretur ab aliquo Cacodæmone privato, qui contra definitiones Pontificum, nigro theta notantium anteambulonem ipſius Berengarium, huius veſtigia preſsit in impugnando Admirabili Sacramẽto?

8 Mitto plures alias hæreſes eodem ſæculo non tam primùm ortas, quàm ab Orco revocatas: quibus tamen extirpandis non fuit opus vllo Generali Concilio, ſed Provincialibus dumtaxat, accedente Summorum Pontificum approbatione. Nimirum, præter væſaniam Berengarij, erupere tunc quidam novi Manichæi in Gallia, ducibus Heriberto & Biſoio; plurimi etiam Simoniaci cum prodromo ſuo Guiberto Antipapa: præterea Reordinantes, & novi quidam Nicolaitæ, & inceſtuoſi, & Vvecilini. Quorum omnium errores anathemate confixi fuerunt in plurimis eius ſæculi Concilijs Provincialibus: præſertim Aurelianenſi anno 1017. contra novos Manichæos. Romanis anno 1047. & 1049. & 1072. &c. contra Simoniacos; itidemque Romano contra inceſtuoſos anno 1065. præterea in alio duplici Romano, altero contra Henricum tyrannum, de fidei forma, & Chriſtianæ Religionis converſatione, anno 1083. altero contra Guibertum Antipapam & Hæreſiarcham, anno 1084. vtroque coram Gregorio VII. Papa: qui & plures alias Synodos eiuſmodi coegit. Huc ſpectat etiam Quintilineburgenſe Concilium contra Henricianam & Vvecilianam hæreſim congregatum anno 1085. & nonnulla alia, quæ poſtea ſub Vrbano II. Papa celebrata ſunt circa res fidei & morum, tota Eccleſia aſſentiente illorum definitionibus, cùm primùm à Pontificibus Romanis probatæ fuerunt.

9 Nonnulla alia quæ ſpectant ad hæreſim Roſcelini eo ſæculo exortam; atque impugnatam ab Anſelmo; & ad errorem Græcorum circa proceſsionem Spiritus ſancti à ſolo Patre, refutatum ab eodem S. Doctore anno 1098. in Concilio Barenſi coram Vrbano II. Papa, commodiorem ſedem habebunt Tractatu alio huius Operis. Aliquid tamen interim præmittere oportet ſect. ſequenti.

SECTIO SECVNDA.

Illuſtre teſtimonium S. Leonis Papæ IX. Eccleſiam gubernantis eodem ſæculo vndecimo, pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ in definienda & tradenda doctrina fidei. Porrò S. eundem Pontificem fortaſſe primum omnium definyſſe ex cathedra proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, antequam vlla Synodus Oecumenica id declaraſſet.

10 MAGNVM Auctoritatis pondus adiungo doctrinæ hactenus traditæ. S. Leo. IX. Papa ſuprà laudatus in Epiſtola ad Petrum Patriarcham Antiochenum, quæ eſt quinta inter alias eiuſdem S. Pontificis, ita illum alloquitur paulo poſt initium: *Ipſe ex ſpecula ſanctæ illius Eccleſiæ (nimirum Antiochenæ) cui videris deſignatus diuinitus ſpeculator; prudenti oculo conſiderans promotionem tuam ad Epiſcopale faſtigium, electione Cleri, & populi, ſicut aſſeris, factam, atque fidem tuã ſecundùm antiquæ conſuetudinis religioſum, & valdè neceſſarium ſtudium, Apoſtolicæ, & primæ Sedi, cui Deo auctore, quamvis indigni, præſidemus, annunciare, & exponere curaſti. In quo facto noveris tua dilectio, nos plurimùm recreatos, & gaviſos in Domino: quia quod maximè oportebat tibi, & Eccleſiæ, cui temporaliter præſides, non diſtuliſti efficere. Siquidem ab Apoſtolica tua Sede noſtram Apoſtolicam Sedem conſulendo, perpendimus*

tuam

tuam dilectionem nolle deviare à Dominico, & omnium ſanctorum Patrum concordi decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto Orbe terrarum Eccleſijs, ſancta Romana, & Apoſtolica Sedes caput præponitur, AD QVAM MAIORES ET DIFFICILIORES CAVSÆ OMNIVM ECCLESIARVM DEFINIENDÆ REFERANTVR. Sic omnia veneranda Concilia, ſic leges humanæ promulgant, ſic ipſe Sanctus Sanctorũ, Rex Regum, & Dominus dominantium confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis, & totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, vbi ipſe vertex, atque cardo Apoſtolorum Petrus carnis ſuæ beatam reſurrectionem in noviſſimo die expectat. Nimirum ſolus eſt ille, pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus, & Saluator aſſerit ſe rogaſſe, dicẽs: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vſque in ſæculum ſæculi: ſed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, ſicut vſque nunc confirmare non ceſſavit. Videant nunc, quæſo, & expendant verba hæc S. Leonis IX. quicumque noviter in Gallia & Belgio longè aliter ſentiunt de auctoritate Pontificis Romani: cuius infallibilitatem ille tam firmiter aſſerit ex iure divino, ex communi Sanctorũ Patrum decreto, ex definitionibus omnium venerabilium Conciliorum, ex pollicitatione Chriſti Petro facta, eiuſque Succeſſoribus, & ex aſsiduo experimento fidei nunquam deficientis euſque in Pontificibus Romanis, neque vnquam defectura, ad confirmandos in ea reliquos fideles.

11 Memoratu autem, immo & aureis litteris digna eſt formula profeſsionis fidei Catholicæ, quam ipſe S. Leo præſcribit cum Petro Patriarcha Alexandrino, vtens ſuprema illa & infallibili auctoritate ad definiendum controverſias fidei, & ad dogmata illius declamanda, vt poſtea videbimus. Formula autem eſt hæc: *FIRMITER CREDO SANCTAM TRINITATEM, PATREM FILIVM, ET SPIRITVM* „ *SANCTVM*, vnum Deum omnipo„tentem eſſe, totamque in Trinitate Dei„tatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, „ coæternam, & omnipotentẽ, vniuſque vo„luntatis, poteſtatis, & maieſtatis: Creatorẽ „ omnium creaturarum; ex quo omnia, per „ quẽ omnia, in quo omnia quæ ſunt in cœlo, „ & in terra, viſibilia, & inviſibilia.

12 Credo etiam ſingulas quaſque in ſan„cta Trinitate Perſonas, vnum verum Deum, „ plenum, & perfectum. Credo quoque ipſum „ Dei Patris Filium, Verbum Dei æternaliter „ natum ante omnia tempora de Patre, con„ſubſtantialem, omnipotentem, & coæqua„lem Petri per omnia in divinitate; tempo„raliter natum de Spiritu ſancto ex Maria „ ſemper Virgine cum anima rationali: duas „ habentem nativitates, vnam ex Patre æter„nam, alteram ex Matre temporalem: duas „ voluntates, & operationes habentem: Deũ „ verum, & hominem verum: proprium in „ vtraque natura, atque perfectum: non com„mixtionem, atque diviſionem paſſum, non „ adoptivum, neque phantaſticum: vnicum, „ & vnum Deum, Filium Dei in duabus na„turis, ſed in vnius Perſonæ ſingularitate: „ impaſsibilem, & immortalem divinitate, „ ſed in humanitate pro nobis, & pro noſtra „ ſalute paſſum, vera carnis paſsione, & ſe„pultum, ac reſurrexiſſe à mortuis die tertia, „ vera carnis reſurrectione: propter quam „ confirmandam, cum diſcipulis nulla indi„gentia cibi, ſed ſola voluntate, & poteſtate „ comediſſe, die quadrageſimo poſt reſurre„ctionem cũ carne, qua ſurrexit, & anima aſ„cendiſſe in cœlum, & ſedere in dextera Pa„tris: inde decimo die miſsiſſe Spiritũ ſan„ctum, & inde ſicut aſcendit venturum iudi„care vivos, & mortuos, & redditurum „ vnicuique ſecundùm opera ſua. Credo „ etiam Spiritum ſanctum plenum, & perfe„ctum, vtrumque Deum *A PATRE ET FILIO PROCEDENTEM*, coæqualem, „ & coeſſentialem, & omnipotentem, & „ coæternum per omnia Patri, & Filio, per „ Prophetas locutum.

13 Hanc Sanctam, & inviduam Tri„nitatẽ, non tres deos, ſed in tribus Perſonis, „ & in vna natura, ſive eſſentia, vnum Deum „ omnipotentem, ęternũ, inviſibilẽ, & incom„mutabilẽ ita credo, & confiteor, vt Patrẽ in„genitum, Filium vnigenitum, Spiritum ſan„ctum nec genitum, ne ingenitum, ſed *A* „ *PATRE ET FILIO* procedentem ve„raciter prædicem. Credo ſanctam Catho„licam, & Apoſtolicam, vnam eſſe veram „ Eccleſiam, in qua vnus datur Baptiſmus, & „ vera omnium remiſsio peccatorum. Credo „ etiam vera reſurrectionem eiuſdem carnis, „ quam nunc geſto, & vitam æternam. Credo „ etiam Novi, & Veteris Teſtamenti, Legis „ & Prophetarum, & Apoſtolorum vnum eſſe „ auctorem Deum & Dominum omnipoten-

tem:

,, tem : Deum prædeſtinaſſe ſolummodò bo-
,, na, præſciviſſe autem bona,malaque: gratiâ
,, Dei prævenire , & ſubſequi hominem cre-
,, do, & profiteor, ita tamen, vt liberum ar-
,, bitrium rationali creaturæ non denegem.
,, Animam non eſſe partem Dei, ſed ex nihi-
,, lo creatam , & abſque baptiſmate,originali
,, peccato obnoxiam credo & prædicabo.

14 Porrò anathematizo hæreſim
,, extollentem ſe adverſus ſanctam Eccleſiam
,, Catholicam , pariterque eum quicumque
,, aliquas ſcripturas, præter eas, quas Catho-
,, lica Eccleſia recipit, in auctoritate haben-
,, das eſſe crediderit , vel veneratus fuerit.
(Notent obiter hæc quicumque ex nuperis
Theologis contendunt, fidem prorſus explo-
ratam deberi ſcriptis alicuius ex SS.Doctori-
bus Eccleſiæ , & nominatim S. Auguſtino, in
omnibus libris quos ſcripſit de Gratia , Præ-
deſtinatione,& Libero Arbitrio; quaſi omnia
ab ipſo tradita ſint fide divina certa : & vi-
deant ne fortè inurantur hoc anathemate S.
Leonis Papæ IX. Propterea fortaſſe Alphon-
ſus deCaſtro lib. 1.contr.Hæreſes c.7.tractans
ferè eandẽ controverſiam, meritò dixit:*Velle
humanas ſcripturas in diuinarum ordinem
connumerare, hoc verius ego dixerim hæ-
,, reſim.*) Quatuor Concilia omnimodè reci-
,, pio , & velut quatuor Evangelia veneror:
,, quia per quatuor partes mundi, Vniverſalis
,, Eccleſia in ijs , tanquam in quadro lapi-
,, de fundata conſiſtit. Primum , Nicænum
,, CCCXVIII. Patrum ſub Beato Sylveſtro
,, Papa Romano ; & Conſtantino Auguſto
,, Magno; cui præfuerunt Victor,& Vincen-
,, tius Romani Præsbyteri. Secundum, Con-
,, ſtantinopolitanum Primum CL.Patrum ſub
,, Damaſo Papa, & Theodoſio Maiore. Ter-
,, tium, Epheſinum primum CC. Patrum ſub
,, Cœleſtino Papa , & Iuniore Theodoſio.
,, Quartum Chalcedonenſe DCXXX. Pa-
,, trum ſub Beato Leone Papa , & Martiano
,, Auguſto.

15 Pari modo recipio , & veneror
,, reliqua tria Concilia ; id eſt Secundum
,, Conſtantinopolitanum , ſub Vigilio Papa,
,, & Iuſtiniano Auguſto. Deinde Tertium
,, Conſtantinopolitanum contra Monotheli-
,, tas ſub Agathone Papa; & Conſtantino ne-
,, pote Heraclij. Vltimum , ſecundum Nicæ-
,, num ſub Hadriano Papa , & Conſtantino
,, Irenes filio , pro Reverendis Domini IE-
,, SV-CHRISTI , & Sanctorum imaginibus.
,, Quidquid ſupradicta ſeptem ſancta, & Vni-
,, verſalia Concilia ſenſerunt ; & collaudave-
,, runt, ſentio , & collaudo : & quoſcumque
,, anathematizaverunt, anathematizo.Hanc
,, fidem ſancta Romana, & Apoſtolica Sedes
,, corde credit ad iuſtitiam, & ore confitetur
,, ad ſalutem. Secundum hanc vivere, Domi-
,, no donante, ſtudet , & pro eius defenſione
,, ſi oportuerit, mori parata eſt. Hactenus S.
Leo IX. cum Petro Antiocheno.

16 Porrò in ea pulcherrima fidei
profeſsione , primum definitam ex cathedra
Sedis Apoſtolicæ conijcio proceſsionem Spi-
ritus S. à Filio. Licet enim hæc ab omnibus
Patribus Latinis, & ferè ab omnibus Græcis,
eouſque tradita eſſet (quamvis pleriſque Græ-
culorum reluctantibus) non tamen in vllo ex
ijs ſeptem Generalibus Concilijs laudatis à
S. Leone IX. Papa, neque in Octava Synodo
Generali,quã prætermittit, definita fuerat; vt
latè oſtendimus Tomo II. Theologiæ S.An-
ſelmi Diſp.XCI. & XCII. & vlterius confir-
mabimus in decurſu huius Tomi. Sed neque
etiam invenio, illam fuiſſe ex cathedra defi-
nitam à quoquam ex Anteceſſoribus Leonis
IX. quantum hactenus deprehendere potui,&
ibidem fortaſſe plenius apparebit. Cui conie-
cturæ adiungo aliam exinde petitam , quod
idem S.Leo anno M.LIV. Conſtantinopolim
miſerit Humbertum Cardinalem adverſus
Michaelem Patriarcham negantem Spiritus
S. ex Filio proceſsionem : qui & præterea eò
audaciæ ac ſuperbiæ progreſſus fuerat , *Vt
Pontificem Romanum cum ſuis excommu-
nicatum eſſe proclamaret, eò quòd in Sym-
bolo addidiſſent illud , FILIOQVE.* Sic
enim teſtatur idem S. Leo in Epiſtola ad
Conſtantinum Monomachum Imperatorem,
quæ eſt ſeptima inter alias eiuſdem Pontifi-
cis. Talis autem & tam immanis auſus Mi-
chaelis eo tempore, denotat tunc primum de-
finitam fuiſſe ex cathedra Sedis Apoſtolicæ
proceſsionem Spiritus S. ex Filio,& additam
particulam *FILIOQVE* in Symbolo ſolem-
niter cantari ſolito in Eccleſia Romana.Nam
in Gallicana & Hiſpana id antea factum fuiſ-
ſe, quibuſdam ſaltem locis, extra controver-
ſiam eſt. Videtur itaque S.Leo IX. id dogma
Catholicum definiſſe,idque extra omne Con-
cilium Oecumenicum : neque enim vllum
eiuſmodi toto eo ſæculo habitum fuit , nec
in præcedenti millenario annorum fuerat,
in quo ea veritas definita extet. Verùm dato
quòd aliquis ex prædeceſſoribus ipſius illam
antea definijſſet , perinde ferè eſt : cùm eam
veritatem nondum ab aliquo Concilio Oecu-
menico definitam,ſed à Sede Apoſtolica tan-
tùm, Leo IX. in ipſa fidei profeſsione publi-
ca , & Symbolo cantari ſolito in Eccleſia
Romana, cæterarum omnium Duce , & Ma-
giſtra,receperit tanquam dogma Catholicum,
& fide divina certum. Porrò ex eo tempore
quicumque negarunt proceſsionem Spiritus S.

ex Filio; peſſimè audierunt in Eccleſia, veluti ab orthodoxa fide degeneres: ideoque Græci circa finem eiuſdem ſæculi, nimirum anno M.XCVIII. illam impugnantes in Concilio Barenſi coram Vrbano II. Papa, ab ipſo Pontifice reputati ſunt hoſtes Catholicæ Eccleſiæ, indictumque eſt S. Anſelmo onus refellendi eos. quod ille ſtrenuè præſtitit, vt videbimus ſuo loco. Itaque dubitare non licèt, veritatem illam à Sede Apoſtolica definitam extra Generale Concilium, ſtatim habuiſſe vim dogmatis Catholici, cui nemo illæſa fide potuerit contradicere, & Græculi plerique reſiſtentes, non modò ſchiſmatici, ſed hæretici quoque habiti fuerint.

SECTIO TERTIA.

Duo Canones editi eodem ſæculo à S. Gregorio VII. Papa pro eadem doctrina, illuſtrantur ſelectis SS. Patrum locis.

17 ACCEDANT Et teſtimonia S. Gregorij VII. Papæ, eodem ſæculo vndecimo Eccleſiam gubernantis, inſigni vitæ integritate, Apoſtolico zelo, & præcellenti doctrina (quidquid tota ferè Cacodoxorum colluvies in ipſum effutiat) ab anno 1073. in quo renuntiatus fuit Pontifex, omnium Cardinalium ſubſcriptione, totiuſque Cleri & populi acclamatione, vſque ad annum 1085. die 25. Maij; in quo propter heroicam animi fortitudinem in tuenda Eccleſia, & hæreticis, ſchiſmaticis, ſimoniacis, ac concubinarijs exterminandis, plurima & aſperrima perpeſſus, maximè ab Henrico IV. Germaniæ Imperatore impijſſimo, & tot peſtium fautore, ſanctè ac piè obijt Salerni, ijs verbis prolatis: *Dilexi iuſtitiam, & odiui iniquitatem: propterea morior in exilio.* Ideoque meruit in Martyrologio Romano elogium illud ad diem 24. Maij, quo prædicatur & laudatur, tanquam fortiſſimus defenſor Eccleſiaſticæ immunitatis.

18 Is ergo talis ac tantus Pontifex, plura decrevit ac definivit circa fidem & mores contra hæreſes & vitia, quotquot ipſius tempore Eccleſiam infeſtabant. Propterea que Romæ decem Concilia celebravit, & plurima alia per legatos ſuos, quæ in Labbeana potiſſimum editione videri poſſunt; quamvis nullũ eorum fuerit Generale, aut Oecumenicum. Nimirum, exploratum habebat ex ſenſu & vſu perpetuo Eccleſiæ, ac doctrina totius Antiquitatis Chriſtianæ, ad Sedem Apoſtolicam ſpectare definitionem, ſive vltimum iudicium omnium cauſarum graviorum, quales ſunt profectò circa doctrinam fidei morumque: ideoque nullo ad id opus eſſe Concilio, præſertim Oecumenico. Nec contentus fuit ita ſentire, & exequi quoties occaſio fuit: ſed etiam in Dictato ſuo, ſeu Dictatu, Canone 18. definit, aut declarat, QVOD SENTENTIA PAPÆ A NVLLO DEBEAT RETRACTARI, ET IPSE OMNIVM SOLVS RETRACTARE POSSIT. Quod decretum eodem ſæculo exceptum fuit reverenter in Concilio Quintilineburgenſi celebrato anno 1085. præſente Legato Sedis Apoſtolicæ contra Henricianam & Vvicilianam hæreſim. Laudatque illud S. Ivo Carnotenſis Epiſcopus, eodẽ ferè tempore Galliam illuſtrans, & confirmat teſtimonijs S. Gelaſij I. Papæ, ac Gregorij IV. qui idipſum antea definierant. Quare & Epiſt. 241. graviter reprehendit Humbaldum Epiſcopum Antiſiodorenſem, qui cauſam ſuam à Romano Pontifice definitam volebat in Gallia retractari. Similiter Epiſt. 159. Monachis Foſſatenſibus, qui ſententiam ab Vrbano II. latam declinare volebant per recurſum ad Regem, quaſi dura nimiùm & onerosa eſſet, vehementer opponitur, & ſuadet ne deſcendant in Ægyptum; ſed potiùs ab ipſa Sede Apoſtolica confugiant ad ipſam; vtpote cuius iudicium à nullo alio retractari poſſit. Idque etiam ſæculo nono definierat Nicolaus I. Papa in litteris ad Michaelem Imperatorem, nimirum, Epiſt. 8. dicens: *Nulla regula, nulla conſuetudo demonſtrat, Sedis Apoſtolicæ ſemel prolatam ſententiam, ipſa non annuente, poſſe mutari.*

19 Ex Canone prædicto (cuius vberior confirmatio ſpectat ad Tractatum aliũ huius Operis, duo colliguntur. Alterum eſt, nullum omnino iudicium Sedis Apoſtolicæ, ſive in quæſtionibus iuris (quales ſunt quæ ſpectant ad fidem & mores) ſive ſolius facti, poſſe retractari à quolibet alio: ac proinde nulli fas eſſe, ne Concilio quidem Oecumenico, examinare iudicialiter ſententiam, ſive definitionem Pontificiam; multò autem minùs eam revocare. Quod directè evertit opinionem exoticam Ioannis Gerſonis, immeritò ab aliquibus tanto cum ſtrepitu & ſcandalo inſtauratam. Indidem verò conſtat, ſententiã Pontificiam circa fidem & mores, irreformabilem eſſe, tum à iudicio reliquæ Eccleſiæ, tum à Concilio Oecumenico. nam ſi nulli licet retractare, id eſt inquirere in ſententiam Sedis Apoſtolicæ, vel vocare eam ad examen; quanto minùs licebit revocare? Et hoc ſenſu planè loquitur S. Bonifacius Pontifex in Epiſtolis octava & decima, quas integras nuper

V.Cl.

V. Cl. Lucas Holſtenius è veteribus monumentis, in quibus latuerant, eruit, ac luce donavit. Nimirum, in priore earum inquit: *De noſtro non eſt iudicio retractandum. Nunquam enim licuit de eo, quod ſemel ſtatutum eſt ab Apoſtolica Sede, rurſus tractari.* In poſteriore verò inquit: *Nemo vnquam Apoſtolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias audacter intulit; nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit iudicari.* Alterum eſt, quoties ſententia Romani Pontificis verſatur in quæſtione ſolius facti, ſeu perſonæ; poſſe ipſum pleniori examine habito illam retractare: vtpote cùm potuerit errare Pontifex circa factum, & interdum erraſſe inveniatur, præſertim ex ſiniſtra depoſitione teſtium. Adhuc verò tunc, declarat Gregorius VII. ſicuti & Nicolaus I. eius Anteceſſor nuper laudatus, ſolius Pontificis Romani eſſe vt ſententiam à ſe prolatam retractet, vel retractari ſinat. Verùm hæc obiter ſolùm dicta ſunt.

20 Opportunior eſt inſtituto huic Canon 26. eiuſdem Dictatus, in quo decernit Gregorius VII. *CATHOLICVS NON HABEATVR, QVI NON CONCORDAT ROMANÆ ECCLESIÆ.* Quiſquis autẽ definitionibus Sedis Apoſt. reſiſtit, ſive latis intra Concilium Oecumenicum, ſive extra; is planè non concordat Romanæ Eccleſiæ. Non itaque habendus erit Catholicus, ſed refractarius, & à fide Catholica alienus. Canonem prædictum non temerè, non pro libito, ſed ex ſenſu totius Antiquitatis Chriſtianæ, protulit Gregorius Papa VII. ideoque illum operoſiùs confirmare oportet. Nimirum, eandem illius doctrinam multò antea eiſdem ferè verbis, non pauci ex SS. Patribus tradiderant. Imprimis S. Optatus Epiſcopus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum ſic illum alloquebatur, & redarguebat: *Negare non poteś, ſcire te in vrbe Roma Petro primo CATHEDRAM EPISCOPALEM eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: IN QVA VNA CATHEDRA VNITAS AB OMNIBVS SERVARETVR, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, VT IAM SCHISMATICVS ET PECCATOR ESSET, QVI CONTRA SINGVLAREM CATHEDRAM, ALTERAM COLLOCARET.* Quem Gregorius VII. pro non Catholico haberi vult, eundem Optatus ſchiſmaticum, & peccatorem cenſet. Deinde lib. 3. Donatiſtas eadem nota perſtringit, quòd cum cathedra S. Petri, quæ eſt Apoſtolica Sedes, vnitatem habere nollent. Similiter Maximus Doctor Epiſt. 57. ad Damaſum Papam, hæreſeos notat, quotcumque à Cathedra Romani Pontificis recedunt. *Ego nullum primum,* inquit: *niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, CATHEDRÆ PETRI, communione conſocior. Supra illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicũque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.* Similiter S. Cyprianus Epiſt. 52. ſcribens ad Antonianum Epiſcopum circa S. Cornelium Papam, ait: *Sciat, te ſecum, id eſt cum Catholica Eccleſia communicare.* Quoniam, nimirum, perinde eſt communionem habere cum Sede Apoſtolica, ac Catholicum exiſtere. Præmiſſerat verò Epiſt. 45. ad eundem Romanum Pontificem Corneliũ: *Hortati ſumus* (omnes Coepiſcopos noſtros) *vt Catholicæ radicem & matricem,* nimirum Cathedram Sedis Apoſtolicæ, eiuſque doctrinam, *agnoſcerent ac tenerent.* Atque inferiùs pro eodem accipit communionem cum Romano Pontifice, ac vnitatem Catholicam habere: *Vt communicationem tuam,* inquit, *id eſt, Catholicam Eccleſiæ vnitatem probarent firmiter ac tenerent.* Meritò itaque, & cohærenter ad doctrinam ac ſtylum Veterum Eccleſiæ Patrum, Gregorius VII. vult non haberi Catholicum, quicumque non concordat Romanæ Eccleſiæ; qualis profectò eſt quiſquis à doctrina Cathedræ Pontificiæ diſsidet. Neque eſt quòd quiſpiam timeat in ea naufragium fidei. nam, vt inquit Gregorius in eodem Dictato, *ROMANA ECCLESIA NVNQVAM ERRAVIT, NEC IN PERPETVVM, SCRIPTVRA ATTESTANTE ERRABIT.* Quod ipſum de ſeptem primis Eccleſiæ ſæculis (idemque eſt de poſterioribus) teſtatus olim fuit Imperator Conſtantinus Pogonatus in Epiſtola ad Leonem II. Papam, dicens, Apoſtolicam Sedem eſſe *eam Petram, ſuper quam Dominus fundavit Eccleſiam, & prædixit, nunquam fore, vt portæ inferi, hoc eſt, hæreticæ inſidiæ aduerſus eam prævalerent.* Et S. Hieronymus longè antea dixerat lib 3. adverſus Rufinum cap. 4. *Scito, Romanam fidem, Apoſtolica voce laudatam, eiuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annuntiet, quam ſemel prædicatum eſt; Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari.* Vide plura alia infrà ſect. 4.

21 Illuſtria ſunt in eandem rem confirmandam aliorum ex SS. Patribus teſtimonia. S. Ambroſius in Funebri Encomio fratris ſui Satyri, qui olim apud Sardos Baptiſmum ſuſcipere cogitaverat, inquit; *Advo-*

vocavit ad ſe Epiſcopum, nec vllam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam, percunctatuſque ex eo eſt, vtrùm nam cum Catholicis Epiſcopis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia conveniret. Et fortè ad id locorum in Schiſmate regionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis communione diuiſerat. Et quamquam pro fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putavit tamen fidem eſſe in Schiſmate. Itaque Satyrus in eo laudatur ab Ambroſio, quòd Catholicos Epiſcopos exiſtimaverit eos ſolùm, qui cum Eccleſia Romana communionem habebant, nec Catholicis annumerandos cenſuerit quoslibet ab ea recedentes. Præterea in litteris ad Imperatores Gratianum, Valentinianum Secundum, & Magnum Theodoſium ait: *Totius Orbis Romani caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſacroſanctam Apoſtolicam fidem, ne turbari ſinat, obſecranda eſt veſtra Clementia. Inde enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant.* Quare iudicio Ambroſij, quiſquis recedit à Romana Eccleſia, nullum ius communionis cum Catholicis habere poteſt.

22 Similiter Auguſtinus perpetuus eſt in tradenda eadem doctrina, præſertim quoties adverſus Donatiſtas, & alios hæreticos, ac ſchiſmaticos diſſerit. Etenim propriã ipſorum notam eſſe ait, quatenus à Catholicis dividuntur, quòd Sedis Apoſtolicæ, ſeu Eccleſiæ Romanæ communionem averſentur. Nimirum, hoc ſenſu ſcribit ad omnes Donatiſtas lib. 2. de Baptiſmo c. 6. *Quare non communicatis Eccleſijs, cum quibus Epiſtolas Apoſtolicas tenetis & legitis, & ſecundùm ipſas vos viuere, dicitis.* Epiſtolæ autem Apoſtolicæ, non ſolùm ſunt & dicuntur, iuxta phraſim SS. Patrum, & ipſius Auguſtini, quæ ab Apoſtolis ſcriptæ; ſed etiam quæ à Pontificibus Romanis Apoſtoli Petri ſucceſſoribus. Et lib. 2. contra Petilianum cap. 16. ipſi exprobrat crimen ſchiſmatis, quòd Apoſtolicæ Eccleſiæ non communicaret. Ac præterea cap. 51. eiuſdem libri ait: *CATHEDRA tibi quid fecit ROMANÆ ECCLESIÆ, vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quibus nos IN CATHOLICA VNITATE connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? QVARE APPELLAS CATHEDRAM PESTILENTIÆ, CATHEDRAM APOSTOLICAM?* Nimirum, ita blatterabat Petilianus impudenti & infrunito ore. Præterea contra Epiſtolam Manichæi cap 4. ſolis ijs, qui verè cũ Eccleſia Romana, cæteriſque ipſi adiunctis communionem habent, Catholicos cenſet, reliquos excludit, quamvis & ipſi Catholici appellari velint: *Tenet me*, inquit, *ipſum CATHOLICÆ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe CATHOLICOS dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad CATHOLICAM conveniatur; nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Vide plura ipſius teſtimonia huc etiam ſpectantia ſuprà Diſp. VIII. num. 62. Longum autem eſſet ex Epiſtolis eiuſdem S. Doctoris transferre huc plurima loca, in quibus ſimiliter loquitur. Sufficiat mutuare pauca hæc Epiſt. 162. ad plures Epiſcopos Donatiſtas, vbi ſcribit, Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem iure merito *potuiſſe non curare conſpirantem multitudinem inimicorum; cùm ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, IN QVA SEMPER APOSTOLICÆ CATHEDRÆ VIGVIT PRINCIPATVS, & cæteris terris, vnde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctum.* Itaque iudicio Auguſtini certa Catholiciſmi nota eſt coniunctio cum Romana Eccleſia, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus. Et certè in eo viget (nec aliter vigeret, aut ſemper viguiſſet) vt omnes veri Catholici à Romana Eccleſia, ſive à Cathedra S. Petri, cui præeſt Pontifex Romanus, diſcant quid credendum ſit, & firmam ſuæ doctrinæ fideique regulam accipiant. Iure itaque Gregorius VII. decernit, *VT CATHOLICVS NON HABEATVR, QVI NON CONCORDAT ROMANÆ ECCLESIÆ.* Vide infrà num. 26. & 27.

23 Idem S. Gregorius VII. licentiam laicorum Principum ſibi arrogantium ius ad ſacras inveſtituras conferendas, damnavit tanquam hæreticam, quamvis nullo ad id Concilio Generali coacto. Quod potiſſimùm fecit adverſus Henricum IV. Imperatorem, quem veluti ſchiſmaticum atque hæreticum propterea damnavit indicto anathemate. Eandem condemnationem inſtauravit circa finem eiuſdem ſæculi Vrbanus Papa II. indeque doctrina favens Principibus laicis circa inveſtituras à tota Eccleſia fuit reiecta tanquam hæretica, ob ſolius Sedis Apoſtolicæ definitionem. Circa quod plura obſervabimus infrà Diſput. XI.

ß2

QVÆ-

SECTIO QVARTA.

Certitudo definitionum Pontificiarum eodem ſæculo tradita à Patribus Græcis & Latinis, cum nota hæreſeos contra illos, qui diſcordant ab Eccleſia Romana.

24 PROSVNT In eandem doctrinam confirmandam loci aliquot Patrum eiuſdem ſæculi, tum Græci, tum Latini. Ex Græcis occurrit Oecumenius, qui in caput primum Actuum Apoſtolorum, ad illa verba, *Exurgens Petrus in medio Diſcipulorũ*, inquit: ἀνίσταται ὁ Πέτρος, οὐχ ὁ Ἰάκωβος, καὶ ὡς θερμότερος, καὶ ὡς τὴν προστασίαν τῶν μαθητῶν ἐγκεχειρισμένος. id eſt. *Exurgit Petrus, non Iacobus, & tanquam ferventior, & tanquam Diſcipulorum Principatum habens.* Quoniam, nimirum, ad Petrum, eiuſque Succeſſores, non ad alium quemlibet, ſpectat Principatus Cathedræ ſupra omnes alios Chriſti Diſcipulos, & fideles. Similiter exponens verba illa Apoſtoli ad Galatas 1. v. 18. *Veni Hieroſolymam videre Petrum* ait laudatus Interpres: ὅρα ταπείνωσιν, μετὰ τοσούτους ἀγῶνας, ἀπέρχεται ἱστορῆσαι Πέτρον ὡς μείζονα, καὶ τὸ προσμεῖναι δὲ τῆς περὶ Πέτρον τιμῆς ἕνεκεν ἐγένετο, id eſt, *Humilitatem perpende. Poſt tot tantoſque agones pergit ad Petrum, tanquam maiorem viſurus. Cæterum mora illa ob Petri honorem facta eſt.* Nimirum, quamvis Paulus eſſet à Deo conſtitutus Doctor Gentium, è re tamen ſua eſſe intellexit, vt Petrum, veluti Caput Eccleſiæ, culmen Apoſtolorum, & ſummum omnium Chriſtianorum Magiſtrum inviſeret & conſuleret. Eadem verò, immò & vrgentior ratio eſt in quolibet homine Chriſtiano relatè ad Pontificem Romanum, qui eiuſdem Cathedræ S. Petri Succeſſor eſt, cum plenitudine dignitatis & magiſterij, vt Patres in ſuperioribus allegati monent.

25 Theophylactus, & ipſe Græcus, idipſum ferè tradit varijs locis. Etenim in illa verba Chriſti ad Petrum Lucæ 22. *Tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*, ſic loquitur: *Planus huius intellectus eſt. Quia te habeo PRINCIPEM DISCIPVLORVM, poſtquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros.* Quid autem eſt cæteros confirmare, tanquam Principem Diſcipulorum, niſi ignorantes in rebus fidei docere, nutantes roborare, cadentes erigere, atque, vt verbo dicam, plenum ac certiſſimum in fide magiſterium omnibus exhibere? Hæc verò poteſtas dignitaſque in Romano Pontifice Petri Succeſſore permanet. Prætereà in cap. 21. Ioannis in illa verba Chriſti ad Petrum, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, *Paſce oves meas*, ita loquitur: *Totius Orbis ovium Præfecturam Petro committit: non autem alteri, ſed huic tradit. Primùm quidem, quia omnes præcellebat, eratque* στόμα τοῦ χοροῦ παντός, id eſt, *OS TOTIVS COETVS.* Nihil autem aliud eſt, Petrum, eiuſque Succeſſorem habere Præfecturam ovium totius Orbis, quàm conſtitutum eſſe divinitus ad præbendum orthodoxæ fidei ac doctrinæ pabulum omnibus Chriſti ovibus, abſque errore vllo. Nihil demum aliud eſt, *OS TOTIVS COETVS* exiſtere, quàm eam Magiſterij auctoritatem habere, vt perinde ſit vox Petri, eiuſque Succeſſorum, ac vox totius cœtus Chriſti, ſive Catholicæ Eccleſiæ, cuius nomine ille è cathedra loquitur. Totus autem Chriſti cœtus, ſeu Catholica Eccleſia, errare nequit, cùm teſte Apoſtolo, ſit *COLVMNA ET FIRMAMENTVM VERITATIS.* Petrus ergo, eiuſque Succeſſores, dum è cathedra totum Chriſti cœtum, id eſt, Eccleſiam Catholicam erudiunt, errare nequeunt.

26 Accedant Patres Latini eiuſdem ſæculi. Cùm Richerius Epiſcopus Senonenſis Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum ab Vrbano II. Papa degradatum tueretur, & honori priſtino per vim reſtituere vellet, ſic contra illum ſcripſit S. Ivo Epiſt. 8. *Contra Apoſtolicam Sedem caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis eſt deſtruitis: & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis. CVIVS IVDICIIS ET CONSTITVTIONIBVS OBVIARE, EST HÆRETICÆ PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE: cùm Scriptura dicat: HÆRETICVM ESSE CONSTAT, QVI ROMANÆ ECCLESIÆ NON CONCORDAT.* Quibus poſtremis verbis, *Scripturæ* nomine, non ſacram illam, & Canonicam intelligere putandus eſt, ſed Dictatum S. Gregorij VII. Papæ, iam tunc vita functi, Canone illo 26. ſectione præcedenti expenſo. Quid ad hæc Illuſtriſſimi Galliarum Præſules hoc anno Pariſijs congregati die 19. Martij? S. Ivo (quem ipſi mirè celebrant in Epiſtolis ad *SS. D. N. INNOCENTIVM XI.* vt prætenſa iura Regis Chriſtianiſſimi tueantur) in Gallia vixit, in Gallia ſcripſit, in Gallia pariter Epiſcopus fuit. Viderint itaque quid ſentiret, quid diceret, ſi Declarationẽ illam Lutetiæ factam in publico & ſolemni Epiſcoporũ Conventu legeret, aut ſuo ipſius tempore prolatã ſciret.

Si-

17 Similiter Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus inter plures alias Epiſtolas, quæ nuper è tenebris in lucem protulit Iacobus Gretzerus, vigeſimam tertiam illarum ſcribit ad Eccleſiam Herbipolenſem, quæ Gebehardi Epiſcopi ſui ab Honorio II. Papa gradu deiecti partes agebat: *Noverit pro certo dilectio veſtra, nos id ratum tenere, quod Romana ſanxit & determinavit auctoritas, cuius terminos nec debemus, nec volumus tranſire: QVIA HÆRETICVM ESSE CONSTAT, QVISQVIS ROMANÆ ECCLESIÆ, ETIAM IN TAM IVSTO IVDICIO NON CONCORDAT.* Hoc teſtimonium, ac proximè præcedens, ſimul cum Canone illo 26. S. Gregorij VII. conferant, quæſo, & expendant ſine vllo præiudicio ij Doctores Pariſienſes, qui anno 1662. inter alias propoſitiones nomine Facultatis Theologicæ hanc numero quartam ediderunt: *Se non probare, nec probaſſe vnquam propoſitiones vllas Chriſtianiſſimi Regis auctoritati, aut germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: v.g. QVOD SVMMVS PONTIFEX DEPONERE POSSIT EPISCOPOS ADVERSVS EOSDEM CANONES.* Longè aliter S. Ivo, & Adelbertus, cum Gregorio VII. locuti ſunt. Longè aliter omnis Chriſtiana Antiquitas ſenſit. Interim ſubit animum recordatio quorundam verborum Ioſephi Gibalini nuper in media Galliarum luce ſcribentis lib. 5. de Iure Canonico cap. 3. §. 14. pag. 71. de quibuſdam: *Dum liberam volunt* (Eccleſiam Gallicanā) *ſchiſmaticam faciunt, & nobiliſsimum Eccleſiæ membrum à ſuo Capite divellunt.* Si autem iuxta eorum Patrum teſtimonia, hæreticus eſt qui non concordat Eccleſiæ Romanæ iudicio circa degradationem Epiſcoporum; quantò magis eandē notam inurerent nolenti concordare iudicio ipſius circa controverſias fidei, longè magis vniverſales, graviores que, vtpotè quæ ad totum Eccleſiæ corpus porriguntur?

18 Sed audiant, quæſo, Clariſs. Doctores eiuſdem magnæ Academiæ verba Raynaudi Tomo XVIII. in Opuſculo contra Arnaldum de Brixia Lutetiæ redivivum, columna 19. pag. 216. vbi de ijs qui ætate noſtra circa fidem naufragaverunt, inquit: *A convulſione Pontificiæ poteſtatis fecere principium.* Exempla nominatim adhibet in ijs, *qui moliti ſunt perſuadere, non poſſe Pontificem in cauſis maioribus ferre ſententiam, niſi potius Epiſcopi de ijs ſententiam tuliſſent, nec opus eſſe in dubijs circa fidem & mores Romam confugere vt aliqua de fide definitio habeatur; ſed id ad ius ſpectare Epiſcoporum, quorum vnuſquiſque id in ſua diœceſi præſtare poſsit, Pontifice non conſulto, &c.* Neque ideo verba Theophili me exſcripſiſſe cenſeant, quòd pariter timeam naufragium fidei in ea florentiſsima Schola, quæ ſemper columna immobilis Orthodoxiæ fuit. Sed tamen monere oportuit, ipſi longè decentius atque illuſtrius futurum ſtudium, vt *STELLÆ MANEANT IN ORDINE SVO.* Quod certè fiet, ſi ſuprema auctoritas in omnibus cauſis gravioribus Romano Pontifici aſſeratur: quales ſunt, quæ ad controverſias fidei, & iudicia Epiſcoporum ſpectant. Id enim à tempore naſcentis Eccleſiæ vſque modò ab ipſa traditum, & perpetuo vſu confirmatum fuiſſe, ſatis in ſuperioribus demonſtratum eſt. Quòd ſi nobiſcum, immo cum omnibus ferè prædeceſſoribus ſuis profiteantur; nemo erit qui, vel in ſpeciem, timeat ipſorum à Romana Eccleſia defectionem. Dum autem eiuſmodi Theſes proferunt, patienter ferant ſi à plurimis doctis viris aliarum Nationum cenſeantur ſimiles ijs, *qui per funem in ſumma nituntur, & multos ſolent excitare clamores, cum iam iam caſuri videntur*; vt cum Plinio Iuniore loquar. Rationemque ſubdit: *Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè inſperata, maximè periculoſa; vtque maximè Græci exprimunt, PARADOXA, QVÆ GRANDI SVNT SVBIECTA DISCRIMINI.*

29 S. Lanfrancus quoque, qui poſt medium eiuſdem ſæculi floruit, ex communi Patrum ſenſu idipſum docet libro de Euchariſtia adverſus Berengarium Hæreſiarcham non longè ab initio, vbi ſic illum perſtringit: *Beati Doctores, ſi non eiſdem verbis, eiſdem tamen ſententijs multis in locis CONCORDITER adſtruxerunt; HÆRETICVM ESSE OMNEM HOMINEM, QVI A ROMANA ET VNIVERSALI ECCLESIA IN FIDEI DOCTRINA DISCORDAT.* Porrò ipſam Eccleſiam Romanam, ſeu in qua reſidet Romanus Pontifex, Patres Eccleſiæ appellare ſolitos *VNIVERSALEM*, iam obſervatum fuit in ſuperioribus. Et certè nec vſque ad tempus Lanfranci, nec multis pòſt ſæculis definita fuit veritas Euchariſtiæ ab Eccleſia Vniverſali in vllo Concilio Oecumenico, ſed tantùm in Synodalibus eodem ſæculo vndecimo, vt vidimus ſectione prima; probatis tamen & palam confirmatis à Romano Pontifice. Itaque dum contra Berengarium ſcribit Lanfrancus, perinde ipſi eſt carpere illum

ob receſſum à definitionibus Pontificijs circa veritatẽ Eucharistię,ac ob receſſum ab Ecclesia Vniverſali. Non eſſet verò idem, niſi doctrina à Pontifice definita, ſtatim eſſet doctrina Eccleſiæ Vniverſalis. Quare idem Lanfrancus Epiſt. 5. Alexandrum II. Romanum Pontificem appellat *TOTIVS CHRISTIANÆ RELIGIONIS SVMMVM SPECVLATOREM*. In quo certè munere ſtatim apparent claves ſcientiæ, ad diſcernendum è ſumma ſpecula, ſive editiſsima cathedra S. Petri, qui ſit credendum ab omnibus Chriſtianis; quid etiam ijs tradendum ſit abſque omni periculo erroris. Mitto alia loca eiuſdem Lanfranci, quæ videri poſſunt in editione locupletata ſtudio & cura noſtri Lucæ D'Acherij; qui in eruendis & fideliter edendis lucubrationibus illius plurimùm laboravit, etiam antequam Magnum illud Opus Spicilegij aggrederetur.

30 Huc etiam ſpectant plura & illuſtria teſtimonia S. Anſelmi, eodem vndecimo ſæculo florentis, in quibus ſummam & infallibilem auctoritatem aſſerit definitionibus Pontificijs, etiam extra omne Concilium Oecumenicum prolatis. Verùm illa oportuniorem locum habebunt in progreſſu. Itaque dicta hactenus ſufficiant, vt conſtet abſdubio, Eccleſiam Catholicam toto ſæculo vndecimo perſtitiſſe in doctrina ex priori millenario annorum derivata,qua traditum fuit, definitiones Pontificum Romanorum in controverſijs fidei, eſſe prorſus infallibiles, nec reformari à quoquam poſſe, aut in dubium vocari, illæſa Catholica fide.

SECTIO QVARTA.

Exponitur,& illuſtratur ſelectis Patrum teſtimonijs, Canon 22. eiuſdem S. Gregorij VII. in Dictato: QVOD ROMANA ECCLESIA NVNQVAM ERRAVIT; NEC IN PERPETVVM, SCRIPTVRA TESTANTE, ERRABIT. Vbi obiter adverſus nuperos Ianſenij ſectatores.

31 APVD Dictatum eiuſdem S.Gregorij VII.habetur prędictus Canon, qui ſolus ſufficeret ad extorquendum aſſenſum doctrinæ hactenus traditæ, ſi abſque præiudicio aliquo, vel præpoſtero affectu in Romanos Pontifices legeretur. Imprimis verò obſervare oportet,Gregorium ad eam regulam ſtatuendam innixum fuiſſe teſtimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus promittitur Eccleſiæ à Chriſto Domino immunitas ab omni errore.Id enim exprimunt verba illa ad Petrum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT ADVERSVS EAM.* Prævalerent autem planè, ſi Romana Eccleſia, Mater & Magiſtra omnium aliarum, vnquam erraſſet, aut erraret vſque ad finem mundi, vt patet. Similiter & teſtificatio atque exhortatio illa eiuſdem Salvatoris noſtri ad Petrum: *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Quibus verbis promiſſam fuiſſe Petro,vt Capiti Eccleſiæ, eiuſque legitimis Succeſſoribus, infallibilitatem in doctrina, quam ex cathedra Sedis Apoſtolicæ definiunt circa res & controverſias fidei, iam in ſuperioribus abundè ex ſenſu totius Antiquitatis Chriſtianæ,& Patrum omnium Eccleſiæ Gallicanæ, oſtenſum fuit. Quapropter meritò Gregorius innixus ijs pollicitationibus Chriſti pronuntiat in eo Canone: *Romana Eccleſia nunquam erravit; nec in perpetuum, Scriptura teſtante, errabit.* Nec propterea definit, Pontifices Romanos præcedentes aut ſequentes fuiſſe aut fore immunes ab omni errore privato ſeu peculiari, adhuc circa fidem. nam licèt ſit valde probabile, neminem illorum hunc nævum admiſiſſe, vt ſuo loco oſtendemus, nec admiſſurum vnquam eſſe;nõ tamen id exploratum eſt, nec definitum à Gregorio. Solùm itaque eam immunitatem adſcribit *Eccleſiæ Romanæ*. id eſt,Apoſtolicæ Sedi, ſeu Cathedræ S.Petri, quæ certè diſtingui debet omnino à perſona Pontificis Romani.Dato enim quòd hic errare poſsit in fide,quatenus perſona quædam eſt,non tamen ex cathedra S. Petri, ſive quatenus Romanus Pontifex eſt. Hoc ſenſu S. Auguſtinus lib. 1. cap. 4. contra Iulianum Pelagianæ hæreſeos inſtauratorem ait: *Quid Innocentius Pontifex potuit Africanis reſpondere Concilijs,niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana tenet Eccleſia?* nimirum Innocentius quà Pontifex Summus, ſive prout loquens ex Cathedra D. Petri, nec definit, nec definire poteſt, aut vnquam potuit, niſi quod Apoſtolica Sedes, & Romana Eccleſia docet. Hæc vero, teſtante Gregorio VII. nec docet, nec docuit, nec docere poteſt aliquid falſum. Ergo nec Pontifex, quà Pontifex eſt. Eodem ſenſu S. Leo Magnus Epiſt. 62. cap. 3. ad Maximum Antiochiæ Patriarcham inquit; *Etſi diuerſa nonnunquam ſint merita Præſulum, tamen iura permanent Sedium.* In quo refellit aliquot Epiſcopos Græcos, qui deprimere conabantur Sedes Eccleſiarum Antiochenæ, & Alexandrinæ, propter lapſus

Pa-

Patriarcharum earundem. Id ipſum meritò diceret Leo contra illos, qui Sedem Apoſtolicam, ſive Cathedram S. Petri deprimunt, & errori obnoxiam tradunt, propter lapſus privatos vnius, vel alterius perſonæ eam Sedem occupantis. nimirum, vt idem Leo ait Epiſtola 13. quæ eſt ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, *aliud ſunt Sedes, aliud Præſidentes.* Quare licet fortaſſe perſona Præſidentis erret, Sedes Apoſtolica nunquam errat: quia per illam, veluti commune organum, Deus, eiuſque nomine S. Petrus, totam Eccleſiam docet. Hoc ſenſu S. Proſper libro contra Collatorem cap. 10. inquit: *Sacroſancta Beati Petri Sedes ad vniuerſum Orbem Papæ Zozimi ſic ore loquitur.* Similiter S. Gelaſius Papa Epiſtola ad Honorium Epiſcopum Salonitanum ait: *An neſcitis Pelagianam hæreſim ab Apoſtolica Sede per Innocentium; Zozimum; Bonifacium fuiſſe proſtratam?* Inſuper S. Leo Secundus in Reſcripto ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem: *Per noſtrum Officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer his, quæ definita ſunt, conſentit, & Beati Petri auctoritate confirmat.* In quo planè profitetur, ſe non agere vt privatam perſonam, ſed publicam, & ex Cathedra Sanct. Petri, eiuſque auctoritate, quæ profectò irrefragabilis eſt: vt proinde quod illa ſemel definierit in quæſtionibus fidei, certum omnino habeatur; neque vnquam à quovis alio in examen vocetur.

32 Hinc Auguſtinus in Opere priori adverſus Iulianum nolentem acquieſcere damnationi hæreſeos Pelagianæ, ab Africanis Concilij primùm prolatæ,& deinceps confirmatæ ab Innocentio Papa, in Romana Eccleſia, ſive Sede Apoſtolica, ſic illum perſtringit lib.3. cap.1. *Veſtra apud competens iudicium communium Epiſcoporum cauſa finita eſt. Nec ampliùs vobiſcum agendum eſt, quantum ad ius examinis pertinet, niſi vt prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini. Quod ſi nolueritis; à turbulenta, vel inſidioſa inquietudine cohibeamini. Similes eſtis Maximianiſtis, qui cupientes exiguitatem ſuam nomine ſaltem certaminis conſolari, & ideò videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quia inire nobiſcum ſinerentur examen, interpellantes eos, & libellum dantes, provocanteſque contempſimus. Magis enim de certamine nominari deſiderabant, quàm formidabant in certamine ſuperari; nec ſperabant victoriæ gloriam; ſed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant.* Nimirum, poſt factum competens illud iudicium, primò ab Epiſcopis Africanis, deinde apud Sedem Apoſtolicam, cauſa Pelagianorum finita fuit, nec oportuit liceitve ad novem examen procedere. Ideoque poſtea Capreolus Archiepiſcopus Carthaginenſis, in Epiſtola miſſa ad Concilium Generale Epheſinum nomine totius Africanæ Eccleſiæ per Baſſulam Diaconum, & timens ne fortè Pelagiani toties à Sede Apoſtolica damnati, ſpemque ſuam in Concilio Oecumenico futuro collocantes, iterum controverſias circa divinam gratiam examinandas proponerent, ſic præcidere Iis conatur aditum eiuſmodi: *Veſtram Sanctitatem iterùm, atque iterùm rogatam cupio, vt novas doctrinas, & ante hac Eccleſiaſticis auribus inuſitatas, priſcæ auctoritatis robore inſtructi, è medio profligetis, tantaque conſtantia, ac virtute, quibuſcumque novis erroribus reſiſtatis, ne hos, quos pridem impugnavit Eccleſia, hiſque temporibus repullulantes Apoſtolicæ Sedis auctoritas, Sacerdotumque in vnum conſonans ſententia oppreſſit, ſecundæ diſputationis prætextu vox iam dudum ablata renovare videatur.* Et poſt pauca: *Quis ea, quæ iam olim diiudicata ſunt, denuò in diſputationem vocari ſinat? Is ſanè, aliud nihil facere cenſebitur, quā de fide ipſamet dubitare.* Quare ipſa Synodus Epheſina noluit examen novum inſtituere circa doctrinam Pelagij & ſequacium: ſed ſolùm probavit & ratam ac legitimam habuit condemnationem illius factam à Sede Apoſtolica, ſive Eccleſia Romana. Vnde & in Relatione ad Pontificem aiunt Patres Epheſini: *Perlectis à Sancta Synodo Commentarijs Actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum, & Cœleſtianorum, Cœleſtij, Pelagij, Iuliani, Præſidij, Flori, Marcellini, Orentij, & eadem tum illis ſentientium, quæ à Pietate tua de ipſis decreta, & conſtituta ſunt, indicavimus, & nos ea ſolida, firmaque permanere debere, & idem omnes tecum ſtatuimus, eos pro depoſitis habentes.* Quam eandem evaſionem & aſylum ad novam rei diſcuſionem, vel futurum Concilium præoccupavit eiſdem Pelagianis laudatus Sanct. Cœleſtinus Papa apud Sanct. Proſperum, qui libro contra Collatorem cap. 41. ait: *Cœleſtinus Pontifex, ſciens damnatis non examen iudicij, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cœleſtium, quaſi non diſ-*

diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſsit extrudi. Adeò & Præceſſorum ſuorum Statuta & Decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, VT QVOD SEMEL MERVERAT ABSCINDI, NEQVAQVAM ADMITTERET RETRACTARI. Quid ad hæc Recentiores in Gallia & Belgio contendentes, iudicium Sedis Apoſtolicæ, ſive Romanæ Eccleſiæ, latum extra Concilium Oecumenicum, retractari poſſe, immo & reformari ab illo, aut pendere à ſuperveniente Eccleſiæ conſenſu, quaſi iuxta hunc ſtare aut cadere poſsint definitiones Pontificiæ in controverſijs fidei? Præſertim verò quid reponent Baio-Ianſeniani aliquot, ſcripto aut verbo, palam, aut remotis arbitris, nolentes acquieſcere tot definitionibus à Sede Apoſtolica prolatis contra quinque illa pernicioſa Ianſenij dogmata, & recurrentes ad Oecumenicum Concilium? Certè dum ſe Pelagianorum oſores gloriantur, potiùs imitatores præbent. nam & ij poſt Pontificias doctrinæ ſuæ damnationes, adhuc ſperabant illam in Concilio Oecumenico retractandam. quod etiam Sanct. Cœleſtinus laudatus agnovit ac teſtatus eſt in litteris ad eandem Synodum Epheſinam, quæ habetur Parte tertia illius Epiſtola 20. illis verbis: *SPEM DE SYNODO HVCVSQVE GESSERVNT.* Caveant itaque Ianſenij defenſores ne fortè de ijs eodem, ac Cœleſtinus, iure & zelo dicat SS. D. N. Innocentius XI. *Spem de Synodo hucuſque geſſerunt.* Sanè ſpes eiuſmodi non eſt, quæ, iuxta Apoſtolum, *NON CONFVNDIT*: vtpote magis Pelagiana, quàm Theologica.

33 Si autem nolentes acquieſcere definitionibus Sedis Apoſtolicæ, & appellantes Concilium Oecumenicum, quaſi eius auctoritate corrigi illæ poſsint, imitantur in hac parte Pelagianos; quomodo, ne in ſpeciem quidem, Auguſtiniani audire volunt? Oſtenſum quippe eſt, tum in hac Diſputatione, tum in alijs præcedentibus, varijs teſtimonijs Magni & incomparabilis Doctoris Sanct. Auguſtini, nihil ipſi antiquius fuiſſe, quàm aſſentiri per omnia iudicio Sedis Apoſtolicæ, ſive Romanæ Eccleſiæ, tanquam prorſus infallibili; & execrari omnem appellationem Oecumenici Concilij, præſertim in libris adverſus Pelagianos. Vnde cùm Iulianus, præcipuus ipſorum hyperaſpiſtes, identidem damnatam à tribus Pontificibus Romanis perfidiam Pelagij tueri vellet per recurſum ad Concilium Oecumenicum, Auguſtinus, præter plura alia, quæ varijs locis ex ipſo obſervavimus, illum vrget lib. 2. cap. 10. quoniam Synodus Vniverſalis non eſt maioris auctoritatis, quàm vnanimis conſenſus Sanctorum Patrum Græcorum Latinorumque, atque in ijs Irenæi, Cypriani, Reticij, Olympij, Hilarij, Ambroſij, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, & Ioannis Chryſoſtomi, quorum teſtimonia exſcribit, apertè repugnantia hæreſi Pelagianæ. Et ſubdit de ijs: *Iſti Epiſcopi ſunt docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi defenſores adverſus garrulas vanitates: in quorum ratione, eruditione, libertate (quæ tria iudici tribuiſti) non potes invenire quod ſpernas.* Pergit Auguſtinus: *Si Epiſcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum ſi tales poſſent illic facilè tot ſedere, quia nec iſti vno tempore fuerunt. Sed fideles & multis excellentiores paucos diſpenſatores ſuos Deus per diverſas ætates temporum, locorumque diſtantias, ſicut ei placet, atque expedire iudicat, ipſe diſpenſat. Hos itaque de alijs, atque alijs temporibus, atque Regionibus ab Oriente, & Occidente congregatos vides, non in locum, quo navigare poſsint homines, ſed in libro, quo navigare poſsint ad homines.* Quare qui ipſorum teſtimonijs contra doctrinam Pelagij prolatis fidem non præſtat; quomodo illam præſtaturus eſſet Synodo Oecumenicæ, in qua vix, aut ne vix quidem ſimul inveniri poſſent tot præſtantes Doctores? Vnde & in noviſsimo Opere adverſus eundem Iulianum, ſic illum, & gregales refellit libro 1. cap. 60. *Quaſi verò in Concilio Epiſcoporum, quod non ſalubriter, ſed iactanter propter veſtras quæſtiones debere dicitis congregari, ſi ſederent Epiſcopi, quos ſuprà memoravi, facilè invenires quos eis in doctrina Eccleſiaſtica antiquitus tradita æquare, nedum præferre poſſetis.* Et libro 2. eiuſdem Operis cap. 37. *Si in Concilio, cuius videris deſiderare iudicium, ſederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Baſilius, Ioannes Conſtantinopolitanus, vt taceam alios; nunquid doctiores, prudentiores, veraciores iudices quærere auderes? IPSI CONTRA DOGMATA VESTRA CLAMANT: IPSI SCRIPTIS SVIS SCRIPTA VESTRA CONDEMNANT. QVID QVÆRIS AMPLIVS?* Denique laudans Eccleſiam Occidentalem, & doctrinam ipſi traditam à S. Petro Apoſtolorum Principe, ſubdit: *Cui Eccleſiæ præſi-*

den-

dentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitus APOSTOLICA SEDES, ET ROMANA CVM CÆTERIS PERSEVERANTER TENET ECCLESIA? Et tamen nullum Innocentius I. indixit Generale Conciliũ ad eam controverſiam contra Pelagium definiendam. Docet igitur, & ex profeſſo comprobat Auguſtinus, Pontifices Romanos, etiam nullo Generali Concilio celebrato, *NON POSSE* aliud in controverſijs fidei definire, quàm quod *Sedes Apoſtolica, & Romana cum cæteris perſeveranter tenet Eccleſia.* Quidquid autem illa ſic docet, firmum omnino, & irreformabile eſt, vti nec Adverſarij ipſi diffitentur. Iudicio itaque Auguſtini Pontificiæ definitiones extra Synodum Oecumenicum prolatæ in eo controverſiarum genere ſunt firmæ prorſus, & irreformabiles. Verè igitur & ſapienter noſter Gregorius VII. in Canone laudato dixit: *ROMANA ECCLESIA NVNQVAM ERRAVIT: NEC IN PERPETVVM, SCRIPTVRA TESTANTE, ERRABIT.*

DISPVTATIO XI.

AN EODEM SÆCVLO VNDECIMO S. Gregorius VII. aut alij Pontifices Romani, definierint, Inveſtituram laicam Epiſcoporum eſſe hæreſim; & in hoc erraverint.

VBI PLVRA CIRCA DISSIDIVM INTER REGEM CHRIſtianiſsimum, & SS.D.N. Innocentium XI. in ordine ad fructus Eccleſiarum quarundam vacantium, & plenam ipſarum libertatem.

POSTQVAM Oſtendimus ex ſenſu & definitionibus S. Gregorij VII. Papæ infallibilitatem Apoſtolicæ Sedis, ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα. Multa enim ſunt quæ ſuadeant, ipſum, & aliquos eius Succeſſores eodem ſæculo vndecimo definiſſe ex cathedra, receptionem Inveſtituræ ſacræ, v.g. annuli & baculi, à Principibus laicis, eſſe hæreſim. Aliunde verò plura, nec levia occurrunt, quibus videtur evinci, illam nullatenus eſſe hæreſim, quantumcumque aliàs illicita ſit. Quod ſi ſatis oſtendatur, auctoritas illorum Pontificum demonſtrabitur errori expoſita, prout contendit nuper Ioannes Launoyus, Doctor Pariſienſis, in Epiſtola ad Ludovicum Mareſium, eodem ferè fundamento. Hanc itaque quæſtionem explicare aggredimur, propriam noſtri inſtituti: neque quidquam difficultatis in ea diſſimulabimus, ſed potiùs de noſtro illam vrgebimus, vt veritas poſtea illuſtrior appareat. Porrò controverſia ipſa bimembris eſt: cuius prior pars verſatur circa factum, an ij Pontifices definierint, laicam inveſtituram eſſe hæreſim: poſterior circa ius, an in eo erraverint. Ex illius verò reſolutione pendent plura, quæ iam à quatuor annis ingenti partium contentione diſceptantur Romæ & Pariſijs, circa ius prætenſum Regis Chriſtianiſſimi ad cuſtodiam fructuum quarundam Eccleſiarum vacantium. Nos rem ipſam, quatenus ſpectat ad ſcopum huius Operis, obiter tractabimus, prolatis in medium, & expenſis ijs quæ recentes Galliarum Præſules ſcripſerunt in gratiam Glorioſiſſimi Regis ſui Ludovici XIV. ad SS.D.N. Innocentium XI. Deinde verò huius Diplomata exhibebimus, in quibus eandem doctrinam S. Gregorij VII. Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum, immo & omnium Præſulum Gallicanorum ſæculi vndecimi ac duodecimi, conſtanter tuetur circa libertatem earundem Eccleſiarum.

SECTIO PRIMA.

Præmiſſa hypotheſi hiſtorica, proferuntur plura teſtimonia Patrum eius ſæculi aſſerentium, laicam inveſtituram fuiſſe damnatam tanquam hæreſim à Sede Apoſtolica, præſertim à Gregorio VII. Papa, quamvis extra Concilium Oecumenicum.

2 NEMO, Niſi hoſpes in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ignorat inteſtina illa diſſidia Henrici IV. aliàs III. cognominati Germaniæ Imperatoris, cum Gregorio VII. Papa, præſertim ob inveſtituras Epiſcoporum & Abbatum, quas ille ſibi arrogabat, nullis Pontificijs monitis obtemperans: donec tandem Gregorius in varijs Concilijs Provincialibus, præſertim Romæ celebratis, ipſum anathemate inuſſit, & à reliquo Eccleſiæ corpore abſcidit. Idipſum poſtea cavit circa eaſdē inveſtituras Vrbanus II. Papa, & tandem Paſchalis II. electus anno MXCIX. qui triennio poſt Synodum Lateranenſem coegit, & in ea Henricum pariter damnavit ſub ſolemni formula anathematiſmi: prout legere eſt apud Abbatem Vſpergenſem, Petrum Diaconum, & alios eius temporis Hiſtoricos. Deinde anno MCIII. Regi Anglorum Vvillelmo Ruſo ambienti ius ad inveſtituras conferendas, & propterea vexanti S. Anſelmū, inſigni conſtantia reſtitit, teſtatus coram Legatis illius, ſe priùs cervicem gladio permiſſurū, quàm aliquid in ea parte contrarium Eccleſiaſticæ immunitati.

3 Verum; vt fert conditio mutabilis hominum, Paſchalis ipſa non ſatis in eo propoſito conſtans fuit. Cùm enim anno MCXI. Henricum V. cognomento Iuniorem coronare nollet Romę Imperatorio diademate, niſi renuntiaret Inveſtituris, quibus inhiaverat Henricus IV. proptereaque à Iuniore armis & militibus ſtipato abductus Roma fuiſſet, atque ſimul cum aliquot Cardinalibus & Clericis ignominioſè carceri duro mancipatus; tandem multorum ſuaſu, & ad vitandum imminens ſchiſma, ſe flecti paſſus eſt ad dandum Henrico Privilegium conferendi inveſtituras, addito inſuper iuramento, quo promiſit, ſe nullatenus id revocaturū. Quin & cùm poſtea eam ob cauſam poſtularetur de hæreſi à quibuſdam Cardinalibus, & multis Epiſcopis, veluti qui ſacras inveſtituras contra definitiones Sedis Apoſtolicæ Principi laico indulſiſſet; perpetuò negavit, ſe propterea in hæreſim lapſum fuiſſe. Hoc autem non caret difficultate, vt ſtatim videbimus. Si enim conſtituerit collationem & receptionem inveſtiturarum iuxta definitiones Sedis Apoſtolicæ, quamvis latas extra Oecumenicum Concilium, eſſe hæreticam; nulla erit via ad eximendum Paſchalem ab hæreſi. Aut certè alioqui ſequetur, Pontifices definientes inveſtituram à laicis datam eſſe hæreſim, in eo prorſus erraſſe.

4 Porrò abuſum inveſtiturarum, quas Principes laici, & præſertim Henricus IV. eo ſæculo vndecimo, vſurpabant, reiectum fuiſſe à Gregorio VII. veluti execrabilem, & pernicioſum Chriſtianæ Religioni, ſub pœna anathematis, conſtat ex Concilio V. Romano, celebrato ab eodem Pontifice anno MLXXVIII. cuius tertius Canon eſt: *Quoniam inveſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta Sanctorum Patrum à laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex quibus Chriſtiana religio conculcatur; decernimus; vt nullus Clericorum inveſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ perſonæ, viri, vel fœminæ, ſuſcipiat. Quòd ſi præſumpſerit, recognoſcat inveſtituram Apoſtolica auctoritate irritam eſſe, & ſe vſque ad condignam ſatisfactionem, excommunicationi ſubiacere.* Hæc inibi quibus ſimilia ferè legere eſt in alijs Canonibus, & Decretis Gregorij ipſius, præſertim adverſus Henricum IV. ſchiſmaticum, & pernitioſum Reipublicæ Chriſtianæ, ac Sedis Apoſtolicæ iuratum hoſtem: ſimiliterque contra Guibertum Antipapam & veluti idolum eiuſdem Henrici.

5 Sed & præterea eundem Gregorium definiſſe omnes Clericos de manu laicorum Inveſtituram accipientes, eſſe hæreticos, teſtatur Goffredus Abbas Vindocinenſis, Scriptor graviſſimus, qui paulo poſtea floruit. Etenim libro 3. Epiſtola 11. ad Raynaudum Andegavenſem Epiſcopum, inquit: *Qui cognoſcere voluerit, quid Catholica, & Apoſtolica Eccleſia de inveſtitura ſenſerit, quid docuerit, quid iudicaverit, & conſtituerit, legat in primo Capitulo illius Concilij quod tempore Gregorij Septimi Papæ factum eſt: & ibi omnes Clericos, qui de manu laici inveſtituram accipiunt, hæreticos vocatos, & ideo damnatos eſſe, & excommunicatos inveniet. Licèt enim alia hæreſis de inveſtitura dicatur, alia Simoniaca; iſta tamen quæ de inveſtitura dicitur, contra ſanctam Eccleſiam fortiùs iaculatur. Ibi enim im-*

imprimis omnis Eccleſiaſticus ordo confunditur, quando hoc quod vnicuique à ſuo Conſecratore in Eccleſia cum orationibus, quæ ibi conveniunt, dari debet, à ſæculari Poteſtate prius accipitur. Itaque Goffredus accipientes inveſtituram à laicis cenſet ab Apoſtolica Eccleſia hereticos iudicari, & peiores ſimoniacis, ideoque excommunicatos à Gregorio VII. in Capitulo primo cuiuſdam Concilij, eius tempore celebrati. Id autem Concilium non eſt Romanum V. cuius nuper meminimus: tum quia in eo non prohibetur receptio inveſtituræ à laicis ſub nota hæreſeos; ſed ſub pœna excommunicationis: tum præterea, quia Goffredus citat Capitulum primum eius Concilij Gregoriani; in allegato autem Romano V. Canon ille non primus, ſed tertius eſt. Oportet itaque fateri, aliud præterea fuiſſe Concilium Gregorianum, in quo acceptio inveſtiturarum, tanquam hæretica proſcriberetur. Deinde idem Goffredus Opuſculo ſecundo in eadem doctrina perſiſtit dicens: *Hæc hæreſis de inveſtitura, ſi rectè inſpiciatur, etiam hæreſis Simoniaca eſſe, viua & vera ratione probatur.* quod ibidem pluribus probare aggreditur.

6 In eadem ſententia, veluti certa & Catholica, fuere aliquot Patres eiuſdem temporis cum Goffredo, initio ſæculi duodecimi. Ex ijs Bruno Abbas Caſsinenſis, ſimulque Signinus Epiſcopus, cùm reſciviſſet, Paſchalem II. Papam duro carcere & ærumnis pluribus coarctatum ab Henrico V. Imperatore, conceſsiſſe ipſi Privilegium dandi inveſtituras ſacras, non dubitavit hiſce verbis obiurgare eundem Summum Pontificem, tanquam hæreſis reum; *Conſtitutio tua* (nimirum, qua Paſchalis ipſe ſequens veſtigia Gregorij VII. antea damnaverat inveſtituras) *& Conſtitutio Apoſtolorum, vna eſt, & ipſa multum laudabilis. Apoſtoli enim illos omnes damnant, & a fidelium communione ſegregant, quicumque Eccleſiam per ſæcularem poteſtatem obtinent. Laici enim, quamvis Religioſi ſint, nullam tamen diſponendi Eccleſiam poteſtatem habent. Similiter & Conſtitutio tua, quæ de Apoſtolico fonte manavit, omnes illos Clericos damnat, & à fidelium communione ſeparat, quicumque de manu laici inveſtituram ſuſcipiunt, & quicumque eis manum imponunt. Ea namque Conſtitutio tua, & Apoſtolorum, ſancta eſt, Catholica eſt: cui quicumque contradicit, Catholicus nõ eſt. Illi enim ſunt Catholici, qui Catholicæ Eccleſiæ fidei, & doctrinæ non contradicunt. Sicut cõtrà, illi ſunt hæretici, qui Catholicæ Eccleſiæ fidei, & doctrinæ obſtinato animo contradicunt.* Itaq; Bruno certũ exiſtimat, acceptionẽ inveſtiturarum à laicis eſſe prorſus contrariã doctrinæ Apoſtolicæ & Catholicæ, ac proinde hæreticam: ideoque Paſchalem ipſum, quovis metu incuſſo ſibi, largientem Henrico V. Privilegium ad inveſtituras conferendas, ſeſe polluiſſe teterrima ſorde hæreſeos manifeſtæ.

7 Deinde in id comprobandum vrget trigeſimum primum ex Canonibus Apoſtolorum, & ex illo colligit, ſuſceptionem inveſtituræ ſacræ de manu laici, eſſe contra Apoſtolicum dogma, ac proinde hæreticam. Quin & Paſchalem ipſum teſtatur ſæpe antea illam veluti hæreſim damnaſſe. Sic enim proſequitur Bruno: *Hanc igitur tuã & Apoſtolicam Conſtitutionem, Pater Venerabilis, iterum confirma: hanc in tua Eccleſia, quæ omnium Eccleſiarum Caput eſt, palam, & cunctis audientibus, prædica: Hanc hæreſim, QVAM TV IPSE HÆRESIM ESSE DIXISTI, Apoſtolica auctoritate damna: & mox videbis totam Eccleſiã tibi eſſe placatam. Mox omnes videbis ad tuos pedes confluentes, & magna lætitia ſicut Petro & Domino obedientes.* Vnde apparet, non ſolùm iudicio ac definitione Gregorij VII. Papæ, vt antea diximus, ſed etiam ipſius Paſchalis eatenus, collationem & receptionem inveſtiturarum reputatam fuiſſe prorſus hæreticam. Preterea idem Bruno in Epiſt. ad Petrum Portuenſem Cardinalem, qui ſimul cum Paſchali II. carcerẽ & ærumnas ab Henrico V. paſſus fuerat, loquens de eodem Privilegio perperam Imperatori conceſſo, ait: *Audiuimus quod quidam de fratribus noſtris non ſolùm non damnent ea, quæ modò contra ſanctam Eccleſiam facta ſunt; verùm etiam ſatis impudenter defendere conentur. Omnis autem, qui hæreſim defendit, hæreticus eſt. Nemo autem hanc non eſſe hæreſim dicere poteſt, quam ſancta, & Apoſtolica Eccleſia in multis Concilijs hæreſim nominavit. Et illæ quidem ſpecialiter dicuntur eſſe hæreſes, quæ in Concilijs iudicatæ, & damnatæ ſunt.* Quamvis autem Bruno non indicet nominatim ea Cõcilia, videtur ipſi deferendum, & putandum reverà in aliquibus extare damnationem inveſtituræ cum nota hæreſis.

8 Eiuſdem ſententiæ fuit Guido Archiepiſcopus Viennenſis, Legatus Paſchalis II. in Gallia. Etenim in Synodo Viennenſi coacta anno MCXII. 17. Kalendas Octobris, Indictione quinta (cui interfuere, præter alios, SS. Godefridus Ambianenſis, & Hugo Gratianopolitanus, Epiſcopi)

hæc tum ſuo, tum cæterorum Præſulum nomine ſcripſit: *Inveſtituram Epiſcopatuum, & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu laica, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ AVCTORITATEM SEQVENTES, HÆRESIM ESSE IVDICAMVS. Scriptum illud, ſeu Privilegium, quod à Domino Paſchali Papa violenter Henricus Rex de inveſtituris, non ſponte, extorſit; IN VIRTVTE SANCTI SPIRITVS damnamus, atque irritum eſſe indicamus.* Deinde eadem Synodus in Relatione ad eundem Paſchalem inquit: *Sanctæ Paternitatis veſtræ mandata ſequentes, apud Viennam convenimus.* Atque inferiùs: *Igitur, DICTANTE SPIRITV SANCTO, inveſtituram omnem rei Eccleſiaſticæ de manu laica, eſſe HÆRESIM indicamus. Scriptum illud; quod Rex A VESTRA SIMPLICITATE extorſit, damnamus.* Quibus verbis, dum teſtantur inveſtituram de manu laica eſſe hæreſim, Paſchalem nolunt hæreticum cenſeri; quia non ex pertinacia, ſed ex *ſimplicitate* & metu incuſſo, Privilegium inveſtiturarum Henrico V. conceſſerit. Addunt deinde: *Illud etiam cum debita reverentia veſtræ ſuggerimus Pietati, quòd ſi nobiſcum in his ſteteritis, ſi hoc, ſicut rogamus, confirmaveritis, ſi deinceps ab ipſius crudeliſsimi tyranni, & Nuntiorum eius litteris, locutione, muneribus abſtinueritis; vnanimiter nos, ſicut decet, habebitis filios, ac fideles. Si verò, quod minimè credimus, aliam viam adgredi cœperitis, & noſtræ Paternitatis adſertiones prædictas roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus quia nos à veſtra ſubiectione, & obedientia repelletis.* Quoniam, nimirum, tunc non iam ex ſimplicitate, ſed ex obſtinatione errans in fide cenſendus eſſet.

9 Alij inſuper Epiſcopi Galliarum inveſtituras de manu laica hæreticas cēſuerunt, ac præſertim Ioannes Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui Concilium indixit adverſus Paſchalem II. quaſi violatæ fidei Catholicæ reum, quòd inveſtituras Henrico conceſsiſſet. Nimirum, ille Catholicæ Religionis zelo æſtuans vehementer doluit factum illud Pontificis, exiſtimans tantum vulnus in ipſo Eccleſiæ capite non eſſe levi medicina curandum; ſed cauterio & abſciſſione opus eſſe. Similiter Gerardus Epiſcopus Engoliſmenſis, Sedis Apoſtolicæ Legatus, & Henricus Abbas Angeliacenſis, eandem conceſsionem damnarunt. Verùm qui præ cæteris clamorem attolebat, quà verbo, quà ſcriptis, erat Goffredus Abbas Vindocinenſis ſuprà allegatus: cuius inſuper hæc verba ſunt contra Paſchalem II. lib. 1. Epiſt. „ 7. * Cùm laicam inveſtituram, quæ ſecun„dùm traditiones Sanctorum Patrum, hæ„reſis comprobatur, Eccleſia non contradi„cit, ſed præcipit; cùm corrumpitur ipſa „muneribus, cùm ſæculari poteſtati ſubijci„tur; fides, caſtitas, & libertas ei ſimul au„fertur. Et quæ vitam non habet, non im„meritò mortua creditur. Huius mortis au„thorem vel noviſsimum Eccleſiæ mem„brum credere, etiamſi Paſtor videatur, erra„re eſt. Huic errori quicumque inhæreſit, „merebitur ab ipſa vitæ radice præcidi. Su„per his autem ſiquis aliter ſenſerit, non eſt „Catholicus. Maniſeſtetur, & veritatis ar„gumento probatur eſſe hæreticus. Tole„randus quidem eſt Paſtor, vt Canones di„cunt, pro reprobis moribus. Si verò exor„bitaverit à fide, iam non eſt Paſtor, ſed „Adverſarius, à quolibet peccatore tantùm „Catholico deteſtandus. * Adeò liberè inſectatur Goffredus Paſchalem II. velut hæreticum, ac proinde ipſo iure depoſitum ſeu degradatum à Papali dignitate.

10 Et ſanè talis ac tantus zelus Gallicanorum Præſulum pro immunitate Eccleſiæ, vitaudiſque inveſtituris, iam ante tempora Paſchalis II. exarſerat, præſertim ſub Gregorio VII. Papa toties laudato adverſus Henricum IV. Nimirum, vivente ipſo, & viriliter decertante pro Eccleſia Dei, ad extirpandas ſordes ab Henrico illatas, nonnulla à Præſulibus Gallicanis Concilia in eundem ſcopum celebrata ſunt, Præſide Hugone Epiſcopo Dienſi Apoſtolicæ Sedis Legato, præſertim apud Anſam, Clarummontem, Divionem, & Auguſtodunum: vt teſtatur Hugo Flaviniacenſis editus à Labbeo Tomo I. Novæ Bibliothec. pag. 196. & ſeqq. ac poſtea Concilium Lingonienſe, eodem Præſide, anno MLXXX. contra inveſtituras laicorum. Quin & Catholici Metenſes eandem Eccleſiæ Romanæ cauſam amplexi ſunt toto conatu adverſus Henricum, nolentes accipere Epiſcopos ab eo inveſtitos. Cuius rei illuſtre teſtimonium habetur in Chronico Epiſcoporum Metenſium apud noſtrum Lucam D'Acherium Tomo V. Spicilegij, hiſce verbis: *Hermannus Epiſcopus in Eccleſia S. Petri eſt ſepultus, præſidente vniverſali Eccleſia Gregorio Septimo, vacillante Imperio. Obijt quarto Nonas Maij. Et ceſſavit Epiſcopatus multis annis. Cùm itaque more ſæculi, velut*

Afri-

Africo, & Aquilone fluctuaret. Catholici Metenſes, terrorem poſtponentes Imperialem, ex Eccleſia Trevirenſi Domnum Popponem, perſonam nobilem, Catholicis conſentientem, elegerunt Pontificem, celebrata conſecratione ipſius à Legato Apoſtolicæ Sedis. Poteſtas Imperialis alium, ſcilicet Adelberonem, ſubinducere nitens, Metenſes firma fide reſtiterunt. Et ſicut pridem duos intruſos, Brunonem, & Gualonem expulerunt; ſic & tertium Adelberonem non ſine multo labore, ac periculo ſuarum rerum, excommunicatum depoſuerunt. Huic certamini velut ſignifer imperterritus, & in omni conflictu intrepidus, Domnus Adelbero, poſt Trevirenſium Archiepiſcopus glorioſus de gradu in gradum promotus, ab ipſa, vt ita dicam, pueritia pro fide Catholica in caſtris Eccleſiæ militavit, donec ex ſchiſmate trophæum pacis invexit Eccleſiæ.

11. Denique idipſum cenſuiſſe videntur reliqui Patres Eccleſiæ & Scriptores Eccleſiaſtici circa id tempus viventes. Nam imprimis Anſelmus, qui floruit & ſcripſit temporibus Gregorij VII. Vrbani II. & ipſius Paſchalis II. propugnantium immunitatem Eccleſiaſticam contra Henricum IV. Imperatorem, illumque damnantium veluti ſchiſmaticum & hæreticum, illorum ſententiam fideliter verbo, & ſcripto defendit: ac præterea libro 3. Epiſt. 134. quæ eſt ad Vvalerannum Epiſcopum Numemburgenſem, illum reprehendit quòd partes Henrici Imperatoris hæretici, & hoſtis Romanæ Eccleſiæ, ſequeretur. *Si certus eſſem*, inquit, *prudentiam veſtram non favere ſucceſſori Iulij Cæſaris, & Neronis, & Iuliani Apoſtatæ, contra Succeſſorem, & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſsimè vos, vt amicum & reverendum Epiſcopum, ſalutarem.* Ipſe verò Vvalerannus agnovit ſuum ſcelus, & ad communionem Eccleſiæ redijt; ideoque Anſelmo reſcripſit: *Glorificat Deum in me Catholica Eccleſia, quoniam in noſtra mutatione divinæ bonitatis apparet gratia. Gratia Dei ſum, id quod ſum; ex Saulo Paulus; ex adverſario Romanæ Eccleſiæ, intimus Paſchali Papæ, acceptiſsimus Cardinalium conſecretarius; & in omnibus in hac parte proſperos ſpero ſucceſſus. Ioſeph in domo Pharaonis, ego in palatio Henrici Imperatoris. Neque iniquitas, neque peccatum meum, ſi (quod abſit) aut quaſi Nero inceſtus, aut Apoſtata Iulianus. Gratias Deo, quoniam ſub veſtræ Sanctitatis regimine lupus, & agnus ſimul paſcuntur; leo, & vitulus ſimul accubant, puerque parvulus minat eos.* Vides qualiter Vvalerannus cum Anſelmo vitaverint Henricum IV. inveſtituras vſurpantem, veluti hæreticum. Sed & Abbas Vſpergenſis, qui paulo poſt ſcripſit, eundem Henricum appellat, *Archipyratam, ſimul & Hæreſiarcham, necnon & apoſtatam.* Omnes itaque ij inveſtituras laicas veluti hæreſim impugnarunt. Mitto plures alios Epiſcopos & Scriptores ejuſdem temporis, tum apud Baronium & Labbeũ, tum in Magna Bibliotheca Aniſſoniana Sæculis XI. & XII. eodem modo loquentes.

12. Ex his omnibus videtur colligi laicam inveſtituram fuiſſe reprobatam veluti hæreſim à S. Gregorio VII. Papa in varijs Canonibus ſeu definitionibus Conciliorum Provincialium: cùm ita teſtentur tot Præſules & graviſsimi Scriptores eorum temporum, quos paulo antè laudavimus, & præſertim tota Synodus Viennenſis, num 8. memorata. Neque videtur fas eſſe tot pios & doctos Antiſtites arguere aut malæ fidei, aut negligentiæ circa rem ſuo ipſorum tempore geſtam à Sede Apoſtolica; idque non in angulo aliquo orbis terrarum, ſed Romæ, & intra varias Synodos, quas Gregorius VII. & alij Pontifices eiuſdem ſæculi adverſus inveſtituras & ſimoniam tunc graſſantes celebrarunt.

13. Conſtat præterea ex dictis, definitiones Gregorij VII. damnantis inveſtituras acceptas à laicis tanquam hæreſim (ſi verè ab ipſo editæ fuerunt) quamvis prolatæ fuerint extra omne Concilium Oecumenicum (neque enim vllum eiuſmodi toto eo ſæculo fuit) receptas fuiſſe ſtatim veluti doctrinam Catholicam, & fide divina certam, ab Epiſcopis & Scriptoribus gravibus eius temporis, præſertim in Gallia: vt propterea omnes ij Henricum contrà audentem vitaverint tanquam hæreticum. Neque enim habenda eſt ratio quorundam Antiſtitum ac Scriptorum Schiſmaticorum, & in his Sigeberti, aliter loquentium: quoniam ipſi in eadem damnatione erant cum Henrico, cuius partes ſequebantur. Nimirum, omnibus Catholicis eo ſæculo, ſicuti & decem præcedentibus, altè infixũ erat, Pontifici Romano definienti aliquid è cathedra tanquam fide certũ, aut damnanti tanquam hæreticum, auſcultandum ſtatim eſſe, tanquam Petro Apoſtolo, cuius ore Spiritus ſanctus Eccleſiam docet.

SECTIO SECVNDA.

Difficultates contra illam definitionem Gregorij VII. damnantis inveſtituram laicam vt hæreſim, ob quas ille videatur erraſſe; aut Paſchalis II. hæreticus fuiſſe.

14 SED Ecce nodus difficilis, in quo extricando oporteat laborare nonnihil. Videtur enim alterum duorum colligi, aut erraſſe Gregorium VII. toties definientem è cathedra Sedis Apoſtolicæ inveſtituram laicam eſſe hæreſim: aut Paſchalem II. eius Succeſſorem, dum conceſſit Privilegium inveſtiturarum Henrico V. & iure iurando promiſiſſe ſe minimè illud revocaturum; incidiſſe in hæreſim manifeſtam; ideoque deſijſſe ſtatim eſſe verum Pontificem, prout illum arguebat Goffredus Abbas Vindocinenſis, & alij Patres laudati ſectione præcedenti. Vtrumvis autem eorum eligatur, ingens apparet abſurdum; & prius quidem contrarium auctoritati infallibili Romani Pontificis in definiendo, quæ hactenus à nobis propugnata fuit: poſterius verò etiam repugnans ſententiæ frequenti, ſuo loco ſtabiliendæ, quæ negat quenquam Romanorum Pontificum hactenus incidiſſe in hæreſim, adhuc vt privatam perſonam.

15 Augetur difficultas. Cùm enim Cardinales aliquot, qui Romæ ſe abſconderant in tumultu illo & facinore Henrici V. deferentis captivum Paſchalem Pontificem cum alijs Cardinalibus & Clericis, noverunt Paſchalem ipſum in Caſtellana vrbe ceſsiſſe Henrico, & Privilegium dediſſe circa inveſtituras; plurimùm contriſtati ſunt: ideoque Romæ anno ipſo MCXII. celebraverunt Concilium quinto Kalendas Aprilis in Baſilica Conſtantiniana: in quo à centum circiter Epiſcopis revocatum fuit Privilegium id per vim extortum à Paſchali, & ſententia anathematis in Henricum lata eſt. Cuius Synodi Acta edita fuerunt ex Codice M. S. Nicolai Aragonij, adiunctis Petro Diacono, Malmeſburienſi, & Vſpergenſi, Scriptoribus eiuſdẽ temporis. Nec tamen ij Præſules auſi ſunt declarare, Paſchalem ipſum in hæreſim lapſum ob inveſtituras datas. quod ſanè feciſſent, ſi putarent, inveſtiturarum receptionem collationemque de manu laica hæreſim continere, prout Gregorius VII. definierat. Cenſuerunt ergo Patres omnes eius Concilij, receptionem collationemque inveſtiturarum non eſſe hæreſim: ac proinde ipſorum iudicio erravit Gregorius VII. in illa definitione.

16 Vrgetur ampliùs. Ipſe enim Paſchalis, cùm à Patribus eiuſdem Concilij vrgeretur ad anathematizandũ propterea Henricum, & revocandum illud Privilegium, quaſi extortum, & irritum, quamvis fateretur ſe deliquiſſe in eo largiendo, noluit ijs morem gerere: ſed perſtitit dicens: *Ego tamen Henricum nunquam anathematizabo, nunquã de inveſtituris inquietabo.* Nec profecerunt Epiſcopi aſſerentes, iuramentum Pontificis fuiſſe per vim elicitum, & Herodianum. Cenſuit itaque Pontifex, inveſtituram non eſſe hæreſim, quidquid antea Gregorius VII. in oppoſitum definijſſet. Si enim illam exiſtimaret hæreſim, debuiſſet palam anathematizare Henricum; ne communionem cum hæreticis habere convinceretur, ac proinde mereretur deponi à Pontificia dignitate.

17 Deinde anno MCXVI. idem Paſchalis coegit alteram Synodum in Laterano pridie Nonas Maij per ſex dies: in quo cùm eadem conceſsio inveſtiturarum facta Henrico V. ad memoriam revocaretur, ipſe Pontifex reatum ſuum agnovit, & perpetuo anathemate damnavit. *Feci vt homo*, dixit, *quia pulvis ſum & cinis. Fateor me malè egiſſe. Sed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentorijs factum eſt, quod pro pravitate ſua PRAVILEGIVM dicitur; condemno ſub perpetuo anathemate.* Quibus auditis, Bruno Signinus Epiſcopus, qui inter alios Præſules aderat, exclamavit illico: *Gratias agimus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paſchalem, qui præſenti Concilio præſidet, audimus proprio ore damnatem illud Privilegium, QVOD PRAVITATEM ET HÆRESIM CONTINEBAT. SI PRIVILEGIVM ILLVD HÆRESIM CONTINEBAT, QVI ILLVD FECIT, HÆRETICVS FVIT.* Nimirum, Bruno perſiſtebat, in veteri ſua, & frequenti aliorum ſententia, quòd laica inveſtitura eſſet hæreſis, ideoque Pontifici in faciem exprobrabat idem gravisſimum ſcelus.

18 Verum Ioannes Epiſcopus Caietanus, qui eidem Concilio intererat, auditis verbis Brunonis, cui alij ex Epiſcopis adſtipulabantur, ira exarſit, & repoſuit ipſi: *Tunè hic, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum quod fecit Dominus Papa, MALVM QVIDEM FVIT; SED HÆRESIS NON FVIT.* Ipſe quoque Paſchalis vehementer commotus fuit criminatione eadem Brunonis. quod Acta Synodalia ita narrant: *At patientia Domini Papæ* bo-

horrendo hæreſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu ſilentium indicens, diſſidentium clamores, & murmura tali oratione compoſuit. Fratres, & Domini mei, audite. Eccleſia iſta numquam habuit hæreſim; imo hic omnes hæreſes ſunt conquaſſatæ. Hic Ariana hæreſis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata eſt. Ab hac Sede hæreſis Eutychiana, & Sabelliana contrita. Photinus, cæterique hæretici deſtructi ſunt. Pro hac Eccleſia Filius Dei in ſua Paſſione oravit: Ego pro te rogavi, Petre, vt non deficiat fides tua. Hiſce verbis Paſchalis Pontifex depulit criminationem hæreſis ſibi adſcriptæ: quoniam tale & tantum ſcelus numquam in Romanis Pontificibus ſive in Eccleſia Romana locum habuit; idque atteſtante ipſo Gregorio VII. in eodem Dictato, cui Bruno innitebatur. nam ibidem Canone 22. habetur: *Romana Eccleſia numquam erravit; nec in perpetuum, Scriptura teſtante, errabit.* Cenſuit ergo Paſchalis collationem & receptionem inveſtituræ per manus laicorum à ſe conceſſam Henrico, non eſſe hęreſim Quomodo autem hoc cohæret cum infallibilitate toties teſtata alterius Canonis Gregoriani, in quo illa tanquam hæretica proſcribitur?

19 Accedit, S. Ivonem Epiſcopum Carnotenſem graviſsimum & ſapientiſsimum eodem tempore noluiſſe aſſentiri alijs Patribus arguentibus Paſchalem Papam de hæreſi, nec intereſſe Concilio in eam cauſam convocato à Ioanne Archiep. Lugdunenſi, cuius ſuprà meminimus. Quam in rem inquit: *Non videtur nobis vtile conſilium ad illa Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare vel iudicare: quia nec noſtro, nec vllius hominum probantur ſubiacere iudicio. Vnde nos conſtat eſſe immunes, ſi eorum facta oris gladio ferire formidamus: cùm ipſe Mediator obedire eis præcipiat, etiamſi tales ſint, quales erant Phariſæi, ſi ea, quæ ad cathedram pertinent, recta præcipiant, ea verò minimè faciant.* Quin & ſæpe ſcripto aſſeruit, nec Papam hæreticum fuiſſe in eo Privilegio concedendo, nec receptionem inveſtituræ per manus laicorum eſſe hæreſim. Quare ſcribens ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, qui nolebat confirmare Daimbertum Electum Præſulem Eccleſiæ Senonenſis, quòd à Philippo Francorum Rege inveſtituram accepiſſet (quam pariter ipſe Ivo olim per baculi & annuli traditionem acceperat) ſic illum alloquitur: *Quod ſcripſiſti, prædictum Epiſcopum inveſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſe, nec relatum eſt nobis aliquando, ab aliquo qui viderit, nec cognitum. Quod tametſi factum eſſet, cùm hoc nullam vim Sacramenti gerat in conſtituẽdo Epiſcopo, vel admiſſum, vel omiſſum, quid fidei, quid ſacræ Religioni officiat, ignoramus: cùm poſt Canonicam electionem Reges ipſos Apoſtolica auctoritate à conceſsione Epiſcopatus prohibitos minimè videamus.* Nimirùm, vult Ivo, quemadmodum Canonica electio exigitur, ita etiã à ſacris Canonibus, quos ſubinde allegat, admitti Regium conſenſum, qui eo tempore donatio Epiſcopatus dicebatur. Deinde ſubdit: *Quæ conceſsio, ſiue fiat manu, ſiue nutu, ſiue lingua, ſiue virga, quid refert? cùm Reges nihil ſpirituale dare intendant, ſed tãtùm aut votis petẽtium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, aut alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis Electis concedere.* Quibus verbis refellit ſententiam ſuprà laudati Goffredi Vindocinenſis, lib. 3. Epiſt. 11. & in Opuſculis de Simonia, de Epiſcoporum conſecratione, & de Laicorum inveſtitura, exiſtimantis, inveſtituram perſonæ ſacræ eſſe Sacramentum, aut ritum Sacramenti: ideoque à laicis ſine hæreſi conferri aut recipi non poſſe. Deinde Epiſt. 236. quæ eſt ad Ioannem Archiepiſcopũ Lugdunenſem, probare aggreditur ſic ſententiam ſuam: *Quod quidam inveſtituram hæreſim vocant, cùm hæreſis non ſit niſi error in fide, & fides & error ex corde procedunt; inveſtitura verò illa, de qua tantus eſt motus, in ſolis eſt manibus dantis & accipiẽtis, quæ bona & mala agere poſſunt; credere vel errare in fide non poſſunt. Siquis verò laicus ad hanc prorumpit inſaniam, vt in datione & acceptione virgæ putet ſe tribuere poſſe Sacramentum, vel rem Eccleſiaſtici Sacramenti, illum prorſus iudicamus hæreticum, non propter manualem inveſtituram, ſed propter præſumptionẽ diabolicam.* Quibus verbis videtur planè evincere, ipſum actum externum inveſtiendi perſonam ſacram nullatenus eſſe poſſe hæreſim: cùm hæc conſiſtat in errore interno, ſeu pertinacia mentis contra veritatem à Deo revelatam Eccleſiæ. Deinde diſtinguit duplicem inveſtituram, alteram laicam, alteram Eccleſiaſticã, quatenus prior eſt merè manualis, & nullum Sacramentum vel ritum ſacrum confert; poſterior autem id vtrumque præſtat, ſignificatque: indeque concludit, laicam ſine hæreſi poſſe exhiberi à laico, Eccleſiaſticam non item. Quicumque enim laicorum illam præſtat exiſtimans ſe poſſe tribuere Sacramentum aut rem Eccleſiaſticam, ſicuti & quiſquis affirmat Sacramentales Eccleſiæ ritus poſſe legiti-

mè

mè à laico fieri; hereticus abſdubio eſt, & cum Ozia Rege leproſus.

20 Alio inſuper argumento vtitur idem Ivo ad ſuam opinionem confirmandam, & eximendam inveſtituram laicalem à labe hæreſeos, hiſce verbis: *Ad hæc, ſi inveſtitura hæc hereſis eſſet, ei renuntians, ſine vulnere ad eam redire non poſſet. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum multas honeſtas perſonas, purgato iſto nævo per quamlibet ſatisfactionem, Paſtorales virgas reddidiſſe, & per manum Apoſtolicam refutatas inveſtituras recepiſſe. Quod Summi Pontifices minimè feciſſent, ſi in tali inveſtitura hereſim & peccatum in Spiritum ſanctum latere cognoviſſent.* Quo loco alluditur ad veterem & eouſque ſervatam conſuetudinem Eccleſiæ, ſacris Canonibus innixam, vt quiſquis Epiſcopus aut Clericus in hæreſim ſemel incurreret, ſtatim & abſque vlla reſtitutionis ſpe gradu excideret, & ad laicorum ordinem redigeretur. At enim longè aliter fieri ſolebat cum Epiſcopis, qui inveſtituram de manu laica ſuſcepiſſent. Hi enim, præmiſſa quacumque ſatisfactione, annulum & baculum à Regibus acceptum reſignabant Pontifici, qui vtrumque accipiens mox illos reveſtiebat, & indulgebat vt Epiſcopatu fungerentur. Non eſt autem veroſimile, Pontifices Romanos tam benignè cum iis acturos, ſi in hæreſim incidiſſent: quippe quę omnem reditum præcludit ad Sacerdotalia immo & ſacra quælibet munia. Inveſtitura ergo laica non eſt hæreſis.

21 Hæc itaque ſunt, omiſsis aliis, quæ præcipuè videntur obſtare, vt laica inveſtitura exiſtimetur hæreſis. Exinde verò, quemadmodum oſtenditur Paſchalem II. concedētem Henrico V. Privilegium ad inveſtituras non propterea fuiſſe hereticum; ita etiam colligi videtur, Gregorium VII. Papam erraſſe in definitione, ſeu definitionibus illis, quibus declaravit, laicam inveſtituram eſſe hæreſim, prout vidimus ſectione prima. Vnde & videtur corruere ſententia hactenus tradita de infallibilitate Romani Pontificis definientis ex cathedra quidquid ad fidem ſpectat, quamvis id faciat extra Oecumenicum Concilium. Quapropter Ioannes Launoyus Doctor Pariſienſis, etiamnum ſuperſtes (vti ex accipio ex litteris recentibus ad me Roma datis) negans auctoritatem prædictam Pontificibus Romanis, ad eam profligandam vrget idem ferè argumentum in Epiſtola ad Ludovicum Mareſium, præſertim ex Concilio illo Lugdunenſi allegato ſuprà num. 8.

***

SECTIO TERTIA.

Deciſio controverſiæ quoad factum. Oſtenditur ſingillatim, nec Gregorium VII. nec Victorem III. nec Vrbanum II. nec tandem Paſchalem II. definiiſſe ex cathedra, laicam inveſtituram eſſe hæreſim: ideoque obiectionem contra auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ procedere ex falſa hypotheſi. Vindicatur Paſchalis II. à nota hæreſeos.

22 QVAMVIS Myſteria fidei ſummam certitudinem habeant, divinæ auctoritati innixam; ſcimus quot difficultates contra illa propoſuerint, tum Gentiles Philoſophi, tum hæretici; Immo & adhuc inter ipſos Catholicos Doctores innumeri occurrūt nodi extricatu difficiles circa eas veritates fidei divinæ, quas aliqui illorum ſua tantùm explicatione adhibita, alii verò contraria ſolùm cenſent poſſe ſalvari. Quapropter nemo miretur ſi contra doctrinam certam & Catholicam, quam hactenus proſequuti ſumus de auctoritatę infallibili Romani Pontificis in definiendis fidei controverſiis, occurrant graves aliquot difficultates, & in iis, quæ præcedenti ſectione indicatæ ſunt. Accedamus itaque ad ſolutionem illarum. quam vt præſtemus, oportet nonnulla huc ſpectantia præmittere.

23 Imprimis obſervare oportet, Canonem illum, in quo Goffredus & Bruno, aliique Præſules ſectione prima laudati, teſtātur Gregorium VII. iuſſiſſe notam hæreſeos inveſtituræ laicæ, non reperiri in Conciliis X. Romanis, quibus ipſe interfuit, nec in Epiſtolis Decretalibus ipſius, quantum nos deprehendere potuimus; neque in Dictato, cuius varios Canones explanavimus Diſputatione præcedenti. Nempe quæ deprehendimus Gregorium præcipuè ſtatuiſſe circa inveſtituras, hæc ſunt. Imprimis cùm videret licentiam nimiam Principum laicorum eius temporis ad conferendas ſacras dignitates Prælaturaſque, mandavit celebrari Concilium Lingonienſe in Gallia, in quo ederetur decretum prohibēs inveſtituras laicorum, conſentaneum iis, quæ ab Hadriano Papa fuerant ſtatuta in Octava Synodo Generali. Nimirum, ibidem Canone 22. prout habetur iuxta verſionem Anaſtaſii Bibliothecarii, occaſione deſumpta ex impiiſſimo Photio intruſo in Patriarchatum Conſtantinop. per Imperialem auctoritatem, prohibentur ſub anathemate laicis Principibus, aliiſque potentibus inveſtituræ, & declaratur nullam eſſe iis auctoritatem in promotionem Epiſcoporum, ſed plenam Eccleſiæ libertatem & in-

& integra iura relinqui debere. Eo Canone deinceps vſi fuerunt Romani Pontifices, & nominatim Gregorius VII. ad reprimendam licentiam Imperatorum ſibi arrogantium inveſtituras ſacras: citaturque præterea à Gratiano capit. 1. diſt. 63. In editione autem Græca eiuſdem Synodi Generalis Octavæ Canone 5. poſtquam cautum eſt ne promoveantur Neophyti ad Epiſcopatum, ſubditur: *ἔτι δὲ πλιὸν τῦτον (νεόφυτον) ἀπειργομεν εἰ παρὰ Βασιλικῆς ἐξυσίας εἰσποιῦ τό συναδῆται.* id eſt, *maximè verò Neophytum repellimus, ſi per Regiam poteſtatem intruſus fuerit.* Quamvis verò in ea Synodo Generali inurantur anathemate laici conferentes inveſtituras ſacras, non tamen propterea hęreſeos notantur. Porrò prędictum Concilium Lingonienſe à Baronio memoratur ad annum Chriſti 1077. in editionibus verò recentibus Conciliorum, & nominatim in Labbeana ponitur anno M.LXXX. Inſuper eodem anno Romæ celebravit Concilium indictione tertia: vbi interfuit Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum, & laicorum, innumerabilis multitudo. In eius primo Canone dicitur: *Siquis Epiſcopatum, vel Abbatiam, de manu alicuius laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei, vt Epiſcopo vel Abbati, audientia concedatur, &c.* Pręterea Canone 2. hæc habentur: *Siquis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium Poteſtatum aut perſonarũ, Inveſtituram Epiſcopatuum, vel alicuius Eccleſiaſticæ Dignitatis dare præſumpſerit, eiuſdem ſententiæ* (nimirum, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ) *vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat, &c.* Nulla ibidem hæreſeos nota adhibetur.

24 Deinde idem Gregorius VII. anno M. LXXVIII. menſe Novembri coegit Synodum Romæ in Eccleſia S. Salvatoris, cuius Acta extant ſummatim collecta inter ipſius Epiſtolas, lib. 6. Epiſt. 5. & ſeqq. Ex ijs verò conſtat, excomunicatum fuiſſe Imperatorē Conſtantinopolitanum, & eos omnes qui inveſtituras Beneficiorum Eccleſiaſticorum acciperent de manu Principum laicorum. Rurſus anno M.LXXXI. menſe Martio aliud Cōcilium Romæ habuit: in quo, præter plura alia innovavit decretum contra laicas inveſtituras, & anathema dixit in Henricum IV. (quem alij III. appellant) Imperatorem ſibi eas arrogantem, & multa alia peccantem in Sedem Apoſtolicam. In neutro autem eorum Conciliorum apparet definitio aliqua Gregorij, qua laica inveſtitura hæreſeos nota inuratur. Denique nec in toto decurſu vitæ ipſius & dictorum, geſtorumque planè memorabilium, apud Cardinalem Baronium invenio eiuſmodi cenſuram. Solùm lego, ſanctiſſimum illum Pontificem conſtanter perſtitiſſe in damnandis & anathematizandis Inveſtituris laicis, & ipſarum fautoribus, præſertim Henrico IV. & Guiberto Sedis Apoſtolicę invaſore: atque in eadem animi fortitudine perſeveraſſe vſque ad ſupremum vitæ ſpiritum, poſt innumeros labores, & perſecutiones à duobus prædictis, alijſque pluribus, hæreticis, ſchiſmaticis, & ſimoniacis illatas: nec ſine ingenti fructu Eccleſiæ poſtea ſecuto. Quod cùm narrat Henricus Spondanus, Epiſcopus Apamiarum in Gallia, & nobilis breviator Baronij, ad annum Chriſti M.LXXXV. num. 5. ait: *Ita namque planè perſecutionibus indeſinentibus, atque ſæpè cædibus Sacerdotum, multò fœliciùs paritur Eccleſiæ pax, libertas acquiritur, & confirmatur Eccleſiaſtica; atque ſalus quæritur animarum. Mentiarque, niſi iſta iam experimento rerum præſentium monſtrari poſſint: nempe per Gregorium vindicatas è manibus Principum Eccleſiarum Inveſtituras, liberam electionem Romanorum Pontificum poſtliminio reſtitutam, diſciplinam Eccleſiaſticam collapſam penitùs reparatam, & alia innumera bona parta. Eundem verò ſicut in vita, ita & poſt mortem claruiſſe miraculis, idem qui ſuprà Bibliothecarius abſque vlla dubitatione confirmat: & ſcriptor vitæ S. Anſelmi teſtis oculatus aſſerit, per mitram eiuſdem Gregorij præclara Deum feciſſe miracula; atque inter alia Mantuanum Epiſcopum multis iam annis graviſſimo ſplenis morbo affectum, ac toto corpore vlceratum, ſanitati priſtinæ reſtituiſſe. Cuius Sancti corpus noſtra ætate, poſt quingentos fermè ab obitu annos, cùm ſepulchrum eius reſtitueretur, inventum eſt omnino integrum, atque incorruptum, & ita hactenus perſeverat: ſicut & multis alijs Sanctorum corporibus accidiſſe noſcitur.* Quapropter Eccleſia Catholica in ſuo Martyrologio ad diem 25. Maij illum honorat hoc elogio: *Beatus Gregorius Papa Septimus, Eccleſiaſticæ libertatis propugnator, ac defenſor acerrimus.* Eius vitam ſanctiſſimam apud Salernum, vbi exul obijt, & Apoſtolicum de Eccleſia afflicta mœrorem, & mortem pretioſam, referunt Leo Hoſtienſis in Chronico Caſſinenſi, & Hugo Abbas Flaviniacenſis in Virdunenſis Eccleſiæ Chronico. Leo vlteriùs teſtatur, illum apud Caſſinum Miſſam celebrantem, coruſcaſſe miraculis. Hugo prædictus illum appellat Confeſſorem & Martyrem. Nec immeritò Chriſtianus Lupus Tomo V. in Cō-

cilia

cilia pag. 835. ipſum cognominat, *ALTERVM SVI TEMPORIS ATHANASIVM.* Hæc obiter obſervata ſunto, vt attenta inſigni ſanctitate Gregorij VII. cõſtet, quàm iuſtè inveſtituras laicas, quandiu vixit, damnaverit: tum ad refellendum Sigebertum Scriptorem ſchiſmaticum, qui falsò profert Gregorium ſub finem vitæ pœnituiſſe de ijs quæ geſſerat in Henricum: tum denique vt Summi Pontifices non dubitent aſpera quæque & dura perferre ad aſſerendam Eccleſiæ immunitatem, & auctoritatem debitam Apoſtolicæ Sedi. Quamvis enim difficilia ſint toleratu, parum durant, & tandem ampliſſimum fructum reportant. qualem abſdubiò præſtitit conſtantia Romanorum Pontificum eius temporis. nam paulò poſt idem Henricus V. alijque Principes laici inveſtituras omnes Sedi Apoſtolicæ reddiderunt & conſignarũt, atque ipſam omnino liberam & ſui iuris reliquerunt.

25 Quapropter difficile creditu eſt, Gregorium VII. vnquam definijſſe ex cathedra inveſtituram laicam eſſe hæreſim: cùm id neutiquam inveniatur in vllo Concilio ex celebratis aut probatis ab ipſo, nec in eius Epiſtolis Decretalibus. Accedunt præterea omnes ferè conſiderationes, & teſtimonia allata ſectione præcedenti: quibus ſuaderi videtur laicam inveſtituram hæreſim non eſſe, nec exiſtimatam fuiſſe talem, tum ab ipſo Paſchali II. Papa, tum à S. Ivone Carnotenſi, peritiſſimo ſacrorum Canonum: qui ſanè non potuit ignorare definitionem illam Gregorij VII. ſi verè ab eo edita fuiſſet. Dato autem quòd verè illam ediderit Gregorius, exponemus ſectione ſequenti, quo ſenſu accipienda ſit, vt ab omni prorſus errore libera demonſtretur. Vide n. 41. & ſeqq.

26 Veniamus ad reliquos Pontifices Gregorij Succeſſores eodem ſæculo, & videamus an quiſquam eorum inveſtituræ laicæ inuſſerit teterrimam hæreſeos notam. Porrò immediatus Gregorij Succeſſor fuit Deſiderius Abbas Caſſinenſis, genere nobiliſſimus, & doctrina ac moribus præcellens: qui licèt deſignatus fuiſſet à S. Gregorio VII. iam iam moriente, in Succeſſorem, nulla vi, aut prece, aut lacrymis adduci potuit ad accipiendum Pontificatum, ſibi ritè oblatum ab vniverſo Clero & Populo: ſed reſtitit integro ferè anno, id eſt, à die Pentecoſtes anni M.LXXXVI. quo primùm electus fuit, vſque ad Maium ſequentis anni, quo precibus, rationibuſque Epiſcoporum & Principum, tandem ceſſit; miro ſanè exemplo, latiùs legendo apud Cardinalem Leonem Hoſtienſem, tunc viventem, lib. 3. cap. 65. & ſeqq. præſertim ad correptionem eorum, qui ſacras Prælaturas impudenter ambiunt, aut oblatas facilè admittunt, nec cogitant quantò plus oneris, quàm honoris in humeros ſuos imponant. Porrò is in conſecratione appellatus Victor III. eodem anno M.LXXXVII. celebravit Benaventi Concilium Epiſcoporum, in quo antiqua de laicis inveſtituris decreta renovãs, tam dantes, quàm accipientes, excommunicationi ſubiecit. Non tamen lego illam hæreſeos notatam. quod inveſtigare hoc loci potiſſimùm curæ eſt.

27 Succeſſit Victori Vrbanus II. electus die 12. Martij anno M.LXXXVIII. qui in ſequenti Romæ celebravit Concilium centum quindecim Epiſcoporum, & in eo confirmavit res geſtas à Gregorio VII. & Victore III. contra Henricum IV. ac Guibertum Antipapam, proindeque anathema indictum recipientibus & conferentibus inveſtituras. Idẽ præſtitit poſtea Vrbanus anno M.XCI. in Beneventano Concilio, extenſa excommunicatione Guiberti Hæreſiarchæ ad omnes eius complices; ac tandem iterum confirmavit in Concilio Romæ habito cum CL. Epiſcopis, anno M.XCIX. quo tandem obijt. In nullo autem ex ijs Concilijs laica inveſtitura nigro theta hæreſeos notata invenitur.

28 Denique Paſchalis II. electus eodem anno M. XCIX. congregavit triennio pòſt Lateranenſe I. Concilium contra Henricum IV. cum formula anathematiſmi. Deinde anno M.CVII. Trecis Concilium celebravit circa Aſcenſionem Domini: vbi, inter alia multa (inquit Abbas Vipergenſis) quæ pro tẽpore & neceſſitate correxit, ſententiam tulit de libera Paſtorum electione, & de coercenda laicorum in Eccleſiaſticas Dignitates præſumptione, iuxta Prædeceſſorum ſuorum decreta. Rurſus anno M. CVIII. immediatè ſequenti aliam Synodum coegit apud Benaventum ipſis Auguſti Kalendis, in quo receptionem inveſtiturarum à laicis ſeverè prohibuit. Hæc ſunt Concilia à Paſchali præſente celebrata; in quibus licèt prohibeantur & damnentur inveſtituræ laicæ, non tamen veluti hæreticæ. Mitto alia Concilia eiuſdem tempore habita, non tamen coram ipſo: veluti Lateranenſe anno M. CXII. in quo revocatum eſt à Cardinalibus & Epiſcopis Privilegium illud datum Henrico V. & ipſe excommunicatus eſt: ſicuti & Viennenſe eiuſdem anni, in quo præfuit Guido Archiepiſcopus S. R. E. Legatus, & pariter anathema dictum eſt Henrico: & Rhemenſe anno M. CXV. in quo Conon Prænestinus Epiſcopus & Legatus eundem Henricum damnavit, ac denique Colonienſe anni eiuſdem, Præſide Theoderico Cardinali & Legato, in quo promulgata fuit ſen-

ſententia excommunicationis, quæ in ipſum Henricum lata fuerat. Mitto, inquam, hæc quatuor Concilia: tum quia vel in ijs non adhibetur nota hæreſeos inveſtituris laicis, quantumcumque aliàs prohibitis; vel ſi adhibetur vnquam, id non invenitur confirmatum à Paſchali II. vel ab vllo eius Succeſſore. Quin potiùs ipſe, vt ſuprà vidimus num. 18. cùm incuſaretur hæreſeos à Brunone Epiſcopo ob inveſtituras Henrico conceſſas, conſtanter negavit ſe hæreticum vnquam fuiſſe, licèt palam confeſſus ſit ſe in eo deliquiſſe vt hominem.

29 Ex dictis efficitur, falſam eſſe hypoteſim quorundam Recentiorum colligentium Apoſtolicam Sedem in ſuis definitionibus errare poſſe, & de facto erraſſe. Id enim deducunt ex eo quòd Gregorius VII. & alij eius Succeſſores ſæculo ipſo vndecimo definierint laicam inveſtituram eſſe hęreſim; quæ nota & cenſura videtur à veritate aliena. Dato enim quòd nullo vero ſenſu laica inveſtitura ſit hæreſis (de quo poſtea) negamus quenquam eorum Pontificum eiuſmodi definitionem tuliſſe, cùm nulla eiuſmodi extare inveniatur in Concilijs, nec in Epiſtolis Decretalibus illorum, etiam ijs, in quibus inveſtituræ ipſæ graviter & cum omni execratione prohibentur.

30 Nec præterea colligitur, Paſchalem II. in fide erraſſe, multò autem minùs hæreticum fuiſſe: quoniam imprimis, dum præter ius & fas inveſtituras conceſsit Henrico V. per vim eas extorquenti, non propterea hæreſim aliquam tradidit, quæ nulla eſt in earum receptione aut collatione, quantumvis aliàs prohibita. Quin & ipſe Pontifex palam profeſſus eſt ſe in eo malè egiſſe, ac reatum ſuum agnovit, vt vidimus num. 17. negavit verò ſe in hæreſim lapſum, vel hæreticum fuiſſe. Immo & gratis dato, collationem inveſtiturarum per vim Henrico V. datam non potuiſſe ab eo exerceri ſine hæreſi, non propterea Paſchalis in eo Privilegio largiendo ex fragilitate, aut defectu conſtantiæ, fuiſſet hæreticus: quoniam totum id facere potuit, & proculdubiò fecit, abſque vllo errore in fide. Non enim præcepit, ſed permiſit invitus Henrico eam hæreſim exercere, ne totam Eccleſiam perturbaret, ac Schiſma pernicioſiſsimum in eam induceret. Permittere autem hæreſim alicui Principi Chriſtiano, ne tanta Eccleſię dāna ſequantur, quidquid aliàs reprehenſibile ſit, nullam hęreſeos labem ex ſe importat: quia hæc ſita eſt propriè in errore cùm pertinacia adverſus veritates à Deo revelatas, & per Catholicam Eccleſiam propoſitas vt credantur. Neque vnquam ſenſit aut docuit Paſchalis (vt optimę obſervat Baronius ad annum Chriſti M. CXI.) defenſionem inveſtituræ laicæ eo ſenſu, vt per laicos fieri debeat, non eſſe hæreſim. Hoc enim ſenſu, ſicuti antea, ita & poſtea inveſtituram laicam iudicavit hæreticam, qualis verè eſt, vt videbimus num. 41. & ſeqq. Itaque in Paſchali II. fragilitas illa, & defectus conſtantiæ, *fuit vitium converſationis, non prædicationis*, vt ſapienter olim Tertullianus dixit loquens de S. Petro Apoſtolo. Quapropter Goffredus Abbas Vindocinenſis, & Bruno Epiſcopus Signinus, & alij Præſules, traducentes Paſchalem II. veluti hæreticum, quamvis id bona fide, & zelo libertatis Eccleſiaſticæ fecerint, videntur planè in eo exceſſiſſe.

SECTIO QVARTA.

Dirimitur quæſtio quoad ius. Multiplex inveſtituræ vſus & ſenſus: quidam anathemate iniuſtus, quidam etiam ſub nota hæreſeos. Vtrumque id meritò factum & citra errorem vllum, ab Apoſtolica Sede, conſentientibus Præſulibus eiuſdem temporis, etiam S. Ivone, qui antea in oppoſitum ſcripſerat.

31 VERVM Quoniam durum apparet negare prorſus, Gregorium VII. vel alium ex memoratis Succeſſoribus ipſius, vnquam damnaſſe inveſtituram laicam veluti hæreticam, cùm id teſtentur tot Præſules & Scriptores graves eiuſdem ferè temporis; poſſumus alia via occurrere teſtimonijs ipſorum, & difficultatibus propoſitis ſectione 1. & 2. Quod vt præſtemus, diſtinguenda eſt duplex inveſtitura: altera cum errore ſolius facti, altera iuris. Prior ſita eſt in ſimplici receptione aut collatione annuli vel baculi per manus hominis laici, dum quiſpiam inſtituitur Epiſcopus, aut Abbas: & ita, vt laicus dans inveſtituram exiſtimet, quamvis falſo, ſe ad id habere Privilegium ritè à Sede Apoſtolica conceſſum. Hoc ſenſu inveſtitura labe hæreſis vacat, cùm nullum errorem circa fidem includat, vel ſupponat: licèt prohibita ſit, & anathemati obnoxia, vbi quis ſufficienter edocetur, aut diſcere poteſt, nullum reverà Privilegium ſibi eſſe, aut iam ritè abrogatum fuiſſe à Sede Apoſtolica ad eam conferēdam; & tamen pervicaciter contendit, ſibi Privilegium eſſe datum, & legitimè revocatum non fuiſſe. In hoc inveſtituræ genere non eſt error iuris, propriè loquendo, ſed facti: quia cum eo ſcelere cohærere poteſt fides de ſacris Prælaturis, & earum inſignibus à ſola Eccleſia conferendis iure divino; nullatenus

verò

verò à laicis, niſi ex legitimo ipſius Privilegio. Quare ſolùm intervenit error facti, quo laicus exiſtimat falsò ſibi conceſſum fuiſſe à Sede Apoſtolica id Privilegium, aut non ritè revocatum fuiſſe. Quod ipſum intellige proportionaliter de recipiente inveſtituram cum ſimili errore circa dantem. Secũdò verò contingere poteſt vt Princeps ſæcularis, vel quælibet perſona laica, præſumat dare inveſtituras, tanquam id ſibi debitum ſit, aut dignitati ſuæ, independenter à Privilegio Sedis Apoſtolicæ. In quo ſanè committit errorem circa ius ipſum divinum, & fidem, quæ docet, ſacra & ſpiritualia munia, ipſarumque inſignia, ſolius Eccleſiæ auctoritate conferri poſſe. Vnde talis datio inveſtituræ, ſicuti & acceptio cum eodem errore; includit hæreſim. Tertiò accidere poteſt cum errore iuris & facti: v.g. dum aliquis laicus cenſet ſe ritè poſſe in inveſtitura dare, ac conferre de facto, aliquod Sacramentum, vel rem Sacramenti Eccleſiaſtici. Et in hoc planè committitur ſuperſtitio atque hæreſis. Quid enim abſurdius & alienius à fide, quàm vt laicus, *in datione aut receptione virgæ putet ſe tribuere poſſe Sacramentũ, vel rem Eccleſiaſtici Sacramenti*, vt loquebatur ſuprà num. 19. S. Ivo, ille ipſe qui inveſtituras laicas ab hæreſi eximere ſtuduit? Fatetur deinde, illum eſſe *hæreticum, non propter manualem inveſtituram, ſed propter præſumptionem diabolicam.* Hac diſtinctione præmiſſa,

32 Dicendum I. Omnem laicam inveſtituram, quocumque ex iis tribus modis conferretur, prohibitam meritò ac iuſtè fuiſſe ſub anathemate à Gregorio VII. & aliis tribus Pontificibus, qui ei immediatè ſucceſſerunt. Id patet ex Conciliis ipſorum tota Diſputatione allegatis, in quibus ſub pœna excommunicationis, aut etiam interdicti, prohibent, etiam Imperatoribus, ac Regibus dationem inveſtiturarum, & quibuslibet aliis receptionem de manu eorum. Cùm verò Pontifices in iis Canonibus indefinitè & vniversè loquantur, nec diſtinguant diverſos modos dandi aut recipiendi, qui certè ſolùm videntur eſſe poſſe tres numero præcedente explicati; conſequens eſt, vt iuxta quemlibet eorum excommunicatio incurreretur. Vbi enim lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Vnde & Alexander III. qui quadraginta tribus poſt obitum Paſchalis II. annis, nimirum Chriſti M. CLIX. Pontifex renunciatus fuit, iuxta Prędeceſſorum ſuorum decreta pariter atque vniversè inveſtituras damnavit ſub anathemate in litteris ad Anglicanam Eccleſiam memoratis à Baronio ad annum Chriſti M. CLXIX. hiſce verbis: *Ad audientiam noſtram pervenit quòd poſt turbationem, quæ inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum, illuſtrem Anglorum Regem, & Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum emerſit, quædam prava conſuetudo in illis partibus inolevit, ſcilicet quòd laici Eccleſias, & Eccleſiaſtica Beneficia ſoleant paſſim in Regno Anglorum quibus vellent conferre, & auctoritate ſua Clericos inveſtire. Vnde quoniam id Sanctorum Patrum Inſtitutionibus adeò cognoſcitur contradicere, vt danti, & accipiẽti de manu laica, ſit anathema, & hoc in Eccleſiaſticæ libertatis perniciem non eſt dubium graviter redundare; nos vniverſas donationes à laicis de Eccleſiis huius turbationis tempore factas omninò caſſamus, & irritas eſſe decernimus.*

33 Et certè quocumque ex tribus modis num. 31. explicatis inveſtitura daretur à Principibus ſæcularibus, aliiſve perſonis ſæcularibus, non ſolùm abſque omni errore; ſed ſapienter ac iuſtè prohibita fuit ſub gravibus pœnis à Gregorio VII. eiuſque Succeſſoribus. Imprimis enim per illam laici homines ſe ingerunt ſacris rebus & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ propriis: deinde minuitur immunitas & libertas Eccleſiæ per dependentiam à ſæcularibus Principibus, vt vidimus nuper ex Alexandro III. ac denique eo ævo oriebantur inde plura ac graviſſima mala, quæ depingit hiſce verbis Sigimundus Monachus in Auguſtanæ Eccleſiæ Chronico lib. 2. cap. 4. *De facili advertere poteſt quilibet Hiſtoriam peritus, quæ cauſa fuerit, vt adeò ſacra Religio, ac diſciplina Clericalis per totã Germaniam offuſcaretur. Nam inveſtitura quam tenebant pertinaciter Imperatores, venale fecerat Sacerdotium, & omnia ſacra. Mox enim, vt aliquis Prælatorum deceſſit, annulus, & Paſtoralis virga Imperatori deſtinabantur, qui vt munus à manu, aut ab obſequio, aut à falſa adulatione accepit. Tradebantur enim non fugienti Gregorio, aut renitenti Ambroſio, vel Eccleſiam viſitanti Nicolao, ſed ſe Simoniacè ingerenti. Frequentabant ſub ea ſpe Cæſaris Comitatum filii Principum, qui ex armis ad ſacra, ex curia ad Eccleſiam intrudebantur, non regendam, ſed dilacerandam. Non intrantes per oſtium, ſed per poſticum. Nec fiebat examen de litteris, ſed quantum daret de loculis. Ita ſequebatur diſſolutio Cleri, dum fieret ſolutio Principis. Non curabatur charta, dum quærerent ſplendida arma.* Meritò itaque & iuſtè ii Pontifices tam ſeverè prohibuerunt inveſtituras laicas; nec vllus in iis proſcribendis error fuit.

34 Porrò decreta Gregorij VII. & aliorum Pontificum laudatorum, duntaxat intelligantur pro Eccleſia Occidentali. nam in Orientali iam diu invaluerat mos inveſtiturarum de manu Imperatoris. Quamvis enim prohibitæ fuiſſent in Synodo VII. Generali, poſtquam primùm attentatæ fuerant ab Imperatore Conſtantino Caballino; non tamen veluti hæreticæ. quin & illius Canones non fuerunt confirmati à Sede Apoſtolica, ideoque nec vim obligandì induxerunt. Verum quidem eſt, Decretum de fide prolatum in ea Synodo confirmatum fuiſſe ab Adriano I. Papa, vt ipſe teſtatur in Reſponſo ad dubia Francorum, & alij eiuſdem Succeſſores confirmant. Eoque ſenſu Leo IV. id Concilium, vt irrefragabile & authenticum alijs ſex Generalibus in Bibliotheca Vaticana appingi curavit, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in Vita Benedicti III. qui in eius Præfatione ad Ioãnem VIII. inter cætera ad Decretum de fide prædictum ſpectantia adiungit definitionem pro cultu ſacrarum Imaginum in ea Synodo editam. Ait enim: *Quæ ſuper Venerabilium Imaginum adoratione præſens Synodus docet, hæc & Apoſtolica Sedes veſtra, ſicut nonnulla ſcripta innuunt, antiquitus tenuit, ET VNIVERSALIS ECCLESIA SEMPER VENERATA EST, & hactenus veneratur, quibuſdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus vtique horum veritas nondum eſt revelata.* Deinde idem Adrianus Papa in allegato Reſponſo ait: *Nos adhuc pro eadem Synodo nullum Reſponſum hactenus Imperatori* (Orientis) *reddidimus.* Cauſamque reddit, ob ablata Romanæ Eccleſiæ patrimonia & diœceſes, *quæ tunc abſtulerunt* (Orientales) *quando ſacras imagines depoſuerunt, & nec reſponſum quodlibet exinde dederunt.* Fuit & alia cauſa, quòd non adhibuiſſent eidem Adriano titulum *EPISCOPI VNIVERSALIS.* Quare ſolùm confirmavit Decretum eius Synodi ad fidem ſpectans, & cultum ſacrarum Imaginum in ea definitum; non autem Canones, præſertim cùm multi ex ijs videantur cõfirmatione indigni, vt legere eſt in Scholijs Chriſtiani Lupi (poſt alios) Tomo II. nec prohibitionem illam laicarum inveſtiturarum.

35 Hinc fortè Imperatores Orientis non deſtiterunt ſe ingerere in Eccleſiaſticas inveſtituras, etiam ſæculis ſequentibus, & poſt decreta Synodi Octavæ Generalis, de quibus infrà num. 39. immo & poſt tempus Gregorij VII. aliorumque Pontificum ſupra laudatorum. Inveſtire enim ſoliti ſunt Patriarchas Regiæ Vrbis Conſtantinopolitanæ. Cuius rei teſtimonium fert Georgius Codinus in Opere de Officijs C P. Eccleſiæ & Aulæ, vbi enarrat Patriarchæ electionem, & Electi introductionem ad Auguſtum, additque: *Reperto autem intra ſeptum Patriarchali ſceptro, Imperator capit illud, & magna voce, ita fatur: Sancta Trinitas per Imperium nobis ab ipſa conceſſum conſtituit te Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, novæ Romæ, & Oecumenicum Patriarcham.* Et infrà: *Ad eundem modum ſine vlla variatione peragitur aliorum Patriarcharum proclamatio, & deſignatio. Nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum. Quin & Archiepiſcopi primæ Iuſtinianæ Achridis, & totius Bulgariæ:* Et iterum: *Archi-mandritæ, & Proto-Syncelli, ſed & Præfecti venerabilium Monaſteriorum; poſtquam à Patriarcha electi ſunt, abeunt & ipſi ad Palatium, venerantur que Imperatorem, & ab Imperatoris manu accipiũt ſceptrum.* Quibus verbis diſtinguit inter Archi-Mandritas, & Præfectos Monaſteriorum, ſicuti & Latini diſtinguimus Abbates à Præfectis Monaſteriorum, quos Præpoſitos appellat S. P. N. Benedictus cap. 65. Regulæ. Vtroſque inveſtiebat Imperator Orientis: in Occidente autem quoties Principes inveſtituras dederunt, ſolis Epiſcopis & Abbatibus illas dabant; non Præfectis, quòd hi pedo careant. Licentia autem Imperatorum Orientis eo proceſsit, vt non Patriarchas modò Regiæ vrbis, ſed & tres reliquos Antiochiæ, Alexandriæ, ac Hieroſolymorum inveſtirent; deinde idipſum facerent erga Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & Præfectos Monaſteriorum: cùm tamen initio Conſtantinus Caballinus Imperator ſolos Patriarchas Regiæ vrbis inveſtire auſus fuiſſet. Similiter Nicephorus Gregoras teſtatur, Andronicum I. Palæologum Imperatorem per pedum inveſtiviſſe Georgiũ Cyprium, ab ipſo intruſum Patriarchali throno Ioannis Becci degradati. Ritum verò, quò id ab Auguſtis Orientalibus fiebat, exponit Georgius Phranzes lib. 3. cap. 19. hiſce verbis: *Erat munus & conſuetudo Chriſtianorum Imperatorum, vt electo Patriarchæ pedũ, ſeu virgam Paſtoralem, auream, lapillis, & margaritis diſtinctam, & electum equum è Regio ſtabulo, ſella & phaleris Regificè, & ſumptuoſe ornatũ, albo & aureo ſtratorio tectum, donarent. Et Patriarcha illi inſidens è Palatio, toto Procerum collegio ſtipante cum factis adclamationibus in Patriarchium revertebatur, atque ab Epiſcopis pro lege, & more conſecrabatur. Hoc modo è manibus Imperatoris futurus Patriarcha pedum accipiebat, ſedente eo ſuper ſolio Regio, & tota Procorum corona,*

nuda-

nudatis capitibus circumſtante. Deinde enarrans variam hymnodiam Cleri circumſtantis, ſubdit: *Accedit autem Candidatus, cuius vnum latus Cæſar, alterum Heracleæ Metropolita tegit. Corpus tertiò omnibus inclinat. Deinde ad Imperatorem accedit, & conſueta adoratione illum proſequitur. Imperator paulo attollens pedum, orat: Sancta Trinitas, quæ mihi imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ deligit. Atque ita de manibus Imperatoris Patriarcha poteſtatem* (id eſt inſtrumentum aliquod, vel ſignum Patriarchalis poteſtatis) *ſumebat, eique agebat gratias.* Hactenus ille.

36 Nec ſcio, eam conſuetudinem Imperatorum Orientis abrogatam aut correctam vnquam fuiſſe. Perdurabat enim adhuc tempore Concilij Florẽtini ſub Eugenio IV. celebrati, vt in eius Hiſtoria narrat Sylveſter Sguropulus lib. 9. cap. 9. Quique ibidem adfuit Ioannes II. Palæologus Imperator de Abbatibus ipſis Græcis, qui apud Florẽtiam convenerant, dixit: *Satis memini, me eorum ſingulis Paſtorale pedum in manum porrexiſſe. Vnde qui acceperat, vbique pro Præfecto habebatur.* Additque, qui coràm aderat, Petrus Primicerius: *Id ab antiquo in more poſitum eſt, vt poſt traditum à Maieſtate tua baculum, Patriarcham adeant* (Abbates) *& inaugurentur.* Nimirum, quia inveſtitura erat prior conſecratione, ſeu benedictione Abbatum. Addit Sguropulus libr. 12. cap. 15. Metrophanem Cizicenum Epiſcopum fuiſſe inveſtitum de Patriarchatu ab eodem Imperatore, idque præſente Latino Legato Romanæ Eccleſiæ. quem fuiſſe morem receptum in promotione Patriarchali aſſerit Simeon Archiep. Theſſalonicenſis in libro de ſacris Ordinationibus cap. 9. Itaque Canones laudati Gregorij VII. & ſubinde aliorum Põtificum, ſolùm videntur lati pro Eccleſia Occidentali, non autem pro Orientali, in qua Imperatores eam conſuetudinem antiquam retinuiſſe inveniuntur, Apoſtolica Sede id ſciente, nec probibente.

37 Ex prædicta veteri conſuetudine Imperatorum Orientis ortum eſt, vt poſt captam vrbem Conſtantinopolim, & vſurpatum Imperium à Turcis, Sultani ipſorum, ſive ſummi Principes, cenſuerint ad ſe devolutum fuiſſe ius Patriarchalium inveſtiturarum. Etenim in Politica Turco-Græciæ Hiſtoria hæc habentur de Gennadio II. poſt captam Regiã vrbem primo Patriarcha, tempore Mahometi II. Sultani Turcarum: *Electum Gennadium cùm ad ſe Sultanus in Regiam aduocaſſet, ſuis ei manibus Patriarchale pedum magni pretij dedit: baculum nempe argenteum, inauratum, artificioſè factum.* Formula verò, qua Sultanus illud tradidit, hæc fuit: *Quod fauſtum ac felix ſit, eſto Patriarcha, & vtere noſtra amicitia, in quibus rebus voles, habens omnia iura ac priuilegia, ſicut ſuperiores ante te Patriarchæ habuerunt.* Rem ipſam aliquantò ampliùs enarrat Emmanuel Malaxus in Hiſtoria Patriarchali pagina 108. dicens: *Gennadium ſtatim vt Patriarchæ dignitatem acceperat, Pontifices, & Clerici, & populi Primores ad Sultanum deduxerũt. Quem etiam ille adoravit. Tum Clericos interrogavit Sultanus, Ecquam conſuetudinem habuiſſent Romani Imperatores in creatione alicuius Patriarchæ? Responderunt illi, quoties aliquis futurus eſſet Patriarcha, datum eſſe ei manu Imperatoris pedum inſigne curæ Paſtoralis in gregem pium. Ita Sultanus, his auditis, pedum manu ſua accepit, idque in manus Patriarchæ dedit.* Nimirum barbari ij Principes aut Tyranni, quemadmodum Imperium, ita & ritum inveſtiendi vſurparunt. Similiter de Dionyſio Patriarcha Gennadij Succeſſore inquit pagina 168. *Poteſtatem & ius à Rege datum accepit.* nimirum, à Sultano. Et de Ioſepho Succeſſore Dionyſij: *Ioſephus, manũ Sultani oſculatus, inſigne poteſtatis accepit.* Mitto alios poſtea inveſtitos à Sultanis, de quibus plura in eadem Hiſtoria legere eſt. Hæc verò ſufficiant, vt conſtet, quantumvis iuſta fuerint decreta Gregorij Septimi, & aliorum Pontificum damnantium inveſtituras laicas, ea tamen pro ſola Eccleſia Occidentali edita fuiſſe, neque vnquam in Orientali recepta. Quapropter Leo IX. Papa Anteceſſor Gregorij VII. & huius lõngo pòſt tempore Succeſſores Alexander III. Gregorius X. Eugenius IV. & amborum Synodi Generales Lugdunenſis ac Florentina, exigentes à Græcis varios vnionis articulos, & damnantes quoſdam eorum abuſus, nec verbum quidem de prædicta Patriarcharum inveſtitura fecerunt, quam ab Imperatoribus dari ſolere ſciebant.

38 Non tamen ideo Romani Pontifices laicam inveſtiturã Orientalium Imperatorum probarunt, veluti factam auctoritate ipſorum propria; ſed illam aut benignè indulſerunt, aut permiſſerunt, veluti aliquod minus malum, ne maiora mala & damna ſequerentur in Orientali Imperio & Eccleſia, cuius doctrina & mores in multis ab Occidentali plerũque receſsiſſe inveniuntur. Nimirum, inveſtituras eiuſmodi eſſe aliquod ſubiectionis aut ſervitutis genus in Prælaturis Eccleſiaſticis erga Principes ſæculares, obſtareque quoddãmodo libertati & immunitati illarum, videtur

cęte

ctum, & ſuprà num. 32. fine obſervavimus ex Alexandro III. Quare tam ipſe, quàm alij Pontifices Romani, non probàſſe, ſed indulſiſſè, aut ſolùm permiſiſſe inveſtituras Imperatoribus Græcis cenſendi ſunt. Quin & meliores gravioreſque Præſulum Græcorum illas improbarunt, præſertim Simeon Archiepiſcopus Theſalonicenſis, quem Leo Allatius lib. 2. de concordia Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis cap. 18. cenſet fuiſſe poſteriorem Barlaamo Gyracenſi Epiſcopo, & Gregorio Palama etiã Archiep. Theſalonicenſi, ac Doſitheo Patriarcha CP. Nimirum prædicti Simeonis tempore extincta erat Imperlalis nominatio Patriarchæ Conſtantinopolitani, liberaque omnino huius electio iuxta ſacros Canones, & legem Iuſtiniani Imperatoris. quam inſtauravit Imperator Ioannes Cantacuzenus, iubens vt Doſitheus Patriarcha Canonicè eligeretur. Simeõ autem prædictus, quemadmodum non probat inveſtituram laicam Patriarcharum ab Imperatore factam, ſic etiam nec nimiùm accuſat, ſed potiùs excuſare conatur, cõtra plures Epiſcopos & Clericos Latinos ſuo ipſius tempore in Græcia illam graviter arguentes. Sic enim ait de Regia inveſtitura in Opere de ſacris Ordinationibus cap. 9. *Non igitur Patriarchã creat Imperator, neque illi dat aliquid, ſed operi iam facto cõſentit & obſequitur; Clarum eſt, quòd illi nihil det, ſed potiùs ab illo accipit, & veluti Miniſter eſt rerum Eccleſiaſticarum. Nam cùm Electo virgam ſacram tradit, ad eum accedit, & ipſi caput inclinat, & aperit, & benedictionem accipit, oſculaturque electi Patriarchæ manum.* Et infrà: *Præterea hoc facit Imperator, vt demonſtret ſe Eccleſiam honorare, non vt illi imperet. Nam Imperator electũ ad ſe venientem, antequam illum videat, blandè, & amanter perſequitur, Pallium vndulatum illi mittens, & crucem ſinu geſtari ſolitam, quæ vt pignus velut miniſter, & cuſtos, conſervat. Ideo virgam, vt honorabilius Paſtoralis poteſtatis ſymbolum, ipſe manu tradit propter honorem, & ſeveritatem, atque vt demonſtret ſe Paſtorẽ, quem Deus elegit, charitate complecti.* Hæc ille.

39 Verum quamvis Simeon excuſare tentet inveſtituram Patriarchæ de manu Imperatoris, nullatenus id aſſequitur. nam reverà quidquid honoris præfert quòd ille pedum ab Imperiali manu accipiat, deprimitur aliun de per dependentiam ab ipſo, vt non, niſi eo inſignia Dignitatis conferente, ſacra munia exercere ſinatur. Et quamvis in eo genete inveſtituræ ſimpliciter ſpectato nulla ſit hæreſis, eſt tamen indecentia aliqua vt minimum, ob quam iure merito in Synodo Septima Generali prohibita fuerit, licèt eius Canones à Sede Apoſtolica non fuerint confirmati. Deinde verò in Synodo VIII. Generali celebrata ſub Hadriano Papa Canone 22. cavetur hiſce verbis ne vllus omnino laicorum ſe ingerat electioni Pontificum: *Nullus laicorum Principum, vel potentum, ſemet inſerat electioni, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat.* Et infra: *Quiſquis autem ſæcularium Principum, & potentum, vel alterius dignitatis laicus adverſus communem, & conſonantẽ, atque Canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, anathema ſit, donec obediat, & conſentiat, quidquid Eccleſia de electione, & ordinatione proprij Præſulis ſe velle monſtraverit.* Similiter ibidem Actione prima dicitur: *Conſecrationes, & promotiones Epiſcoporum, cõcordans prioribus Concilijs, Clericorum electione, ac decreto Epiſcoporum collegij fieri, ſancta hæc, & Vniuerſalis Synodus diffinit, & ſtatuit atque iure promulgat, neminem laicorum Principum, vel potentum, ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertim cùm in talibus nullam poteſtatem quemquam poteſtatiuorum, vel coeterorum laicorum habere conveniat: ſed ſilere, & attendere ſibi, vſque quo regulariter a Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis.* Hæc inibi. in quibus etiam inveſtituras ſacras prohiberi, communis Interpretum ſentẽtia eſt. Verùm eæ prohibitiones, ſaltem quoad inveſtituram, videntur poſtea aut non receptę, aut abrogatæ vſu contrario Imperatorum Orientalium, conſentiente aut ſinentè vel permittente Apoſtolica Sede, vt ſupra monui.

40 Gregorius verò VII. videns ex inveſtituris laicis ſequi innumera & graviſsima mala in Occidentali Eccleſia, quæ fortè in Orientali non ſequebantur, illas ſolùm prohibuit apud Latinos, indicto anathemate quibuslibet Principibus & perſonis laicis, ſimiliter & accipientibus. In quo ſanè tam procul ab errore fuit, vt potius ſapienter & iuſtè egerit: prout ſatis ſuprà demonſtratum fuit. Idemque dicendum de ipſius Succeſſoribus, ac nominatim de Paſchali II.

41 Dicendum II. Dato quòd Gregorius VII. (idemque eſt de Paſchali II.) damna-

verit inveſtiturā laicam veluti hæreſim (quod Goffridus, Bruno,& alij Præſules ſupra laudati teſtantur)nullum in ea definitione aut cenſura errorrem fuiſſe.

42 Probatur:nam licèt ſimplex inveſtitura laica ex Privilegio prẹſumpto Apoſtolicæ Sedis,nullum errorem in fide contineat; dicere tamen Prælaturam Eccleſiaſticam per laicalem inveſtituram fieri debere, & eam cū hoc errore conferre, præſertim exiſtimando ſic dari Sacramentum aliquod, aut rem Eccleſiaſtici Sacramēti,eſt hæreſis manifeſta. Quod diſertè agnovit S.Ivo verbis exſcriptis n.31. quamvis aliunde excuſator inveſtiturarum laicarum.Similiter & agnoverunt omnes ij Patres,quos allegavimus ſectione 1.& 2. præſertim arguentes Paſchalem II.Papam,quòd paſſus fuiſſet extorqueri à ſe Privilegium inveſtiturarum per vim datum Henrico V. quas ſine hæreſi exerceri non poſſe contendebant ex definitionibus eiuſdem Paſchalis poſt Gregorium VII. Inter quos Bruno Epiſcopus Signinus toties laudatus, de Guiberto Antipapa & patrocinatore inveſtiturarum dixit: *Vnde & Guibertus non immerito Hæreſiarcha dictus eſt, ſimulque cum ſuis ſequacibus damnatus & excommunicatus.* Similter Ioannes Archiepiſcopus Lugdunenſis in litteris ad Daimbertum Metropolitam Senonenſem,quæ extant apud Ivonem Epiſt.237. inquit: *Licèt exteriores inveſtituras per laicos factas nō ſatis propriè nomine hæreſis cenſeamus; ſentire tamen ac defendere fieri debere, INDVBITATA HAERESIS EST.* Eidem doctrinæ adſtipulati ſunt plurimi per Galliam Epiſcopi,ij præſertim, qui cū ipſo Ioanne ad Synodum convenerunt, vt inquirerent in Paſchalem II. an reverà hæreticus habendus eſſet, qui inveſtituras Henrico V.per vim ſibi illatam indulſiſſet.

43 Sed & S.Ivo,qui vnicus aut præcipuus excuſator,inveſtiturarum, ne dicam defenſor,fuerat tempore Vrbani II. non parum apud ipſum periclitatus eſt ob eam cauſam à ſe ſuſceptam.Cauſabatur ille Epiſt.50.ad Hugonem Primatem Lugdunenſem, quòd Romani Pontifices tam acriter inveſtituras inſectarentur,& tanto cum tumultu Regnorum, cùm tamen nullum Epiſcopum à laicis inveſtitum tandem damnarent, ſed facilè poſt quamvis ſatisfactionem admitterent ad ſacra munia obeunda. *Videmus*, inquit, *nullos aut pene nullos pro huiuſmodi tranſgreſſione damnatos.* Addit, Epiſcopos & Abbates ob inveſtituram ſui laicam accuſatos, in nihil aliud intendere, quàm vt nomen ſibi facerent vel famam per alios adquirerent,ſicque in Prælaturis manere,vel ad eas redire ſinerentur;cùm tamen tota eorum cura in regimen ſubditorum impendi deberet. Addit & grave aliud incommodum: *Multi quoque Electi,qui gratuitam & Canonicam habent electionem, qui huiuſmodi dilationibus, vel fatigationibus impediuntur,comparatis ſibi pecunia mediatoribus,& prolocutoribus;ne turpem patiantur repulſam, in Simoniacam aliquando offendunt conſecrationem.* Nimirū, cùm Pontifex conſecrari vetaret inveſtitos à Regibus,& Reges viciſſim inveſtitos à Pontificibus,Electi vt ſibi Prælaturam aſſererent, non dubitabant inſumere theſauros, & ita efficiebantur Simoniaci. Denique concludit Ivo: *Cùm omnis inſtitutio Eccleſiaſticarum legum ad ſalutem referenda ſit animarum, iſtarum inſtitutionum tranſgreſſiones, aut diſtrictiùs eſſent corrigendæ, vt ſaluti prodeſſent; aut interim ſilentio premendæ, ne ſpiritualia, vel temporalia commoda ſupra dictis modis impedirent. Nec iſta dico, tanquam velim aduerſus Sedem Apoſtolicam caput erigere, vel eius ſalutaribus diſpoſitionibus obviare, vel meliorum ſententijs præiudicium facere, ſi vivis nitantur rationibus,& evidentioribus veterum Patrū authoritatibus. Sed hoc vellem cum multis mecum piè ſentientibus, vt Romanæ Eccleſiæ Miniſtri, tamquam probati medici, morbis ſanandis intenderent, & non ab riſoribus ſuis audirent, Culicem excolantes, & camelum deglutientes, mentam, rutam, ciminum, & anetum decimatis, graviora autem legis præcepta prætermittitis: cùm per totum penè mundum flagitia, & facinora videamus publicè perpetrari, nec ea à vobis aliqua iuſtitiæ falce reſecari.* Sit ille in Epiſtola citata,quę vix credi poſſunt à tanto Viro dicta.

44 Periclitatus fuit,inquam,apud Vrbanum II. Ivo ob eam loquendi & ſcribendi licentiam, parumque defuit, vt omnia illius præcedentia merita apud Romanam Eccleſiā oblivioni traderentur. Quòd cùm ille reſciviſſet,ſcripſit ad eundem Summum Pontificē Epiſtol.67. *Audivi dulcedinem veſtram in me amaricatam, Serenitatem veſtram adverſus me turbatam. Audivi, & conturbatus eſt venter meus,& oſſa mea conturbata ſunt.* Deinde multipliciter ac latè exponit & tuetur quoddammodo quæ ſcripſerat Epiſt. 50.ad Hugonem nuper allegata. Sed tandem ob increpationem Vrbani II. inveſtituras dānavit ac proſcripſit. Ideoque conſentiens definitionibus Gregorij VII. & ipſius Vrbani II. ſcribit Epiſt.233.ad Henricum Abbatem Monaſterij Angeliacenſis: *De inveſtituris Eccleſiarum, quas laici faciunt, SENTENTIAM*

TIAM PRAECEDENTIVM PATRVM, GREGORII SEPTIMI, ET VRBANI SECVNDI, QVANTVM IN ME EST, LAVDO ATQVE CONFIRMO: Quocumque autem nomine talis perVaſio propriè Vocetur, eorum ſententiam, qui inVeſtituras defendere Volunt, SCHISMATICAM IVDICO. Vides quomodo S. Ivo non ſolùm tandem manualem inveſtiturã damnaverit, iuxta ſenſum Romanorum Pontificum Gregorij VII. atque Vrbani II. ſed etiam defenſionem illarũ Schiſmaticam cenſuerit. Deinde, vt obſervat Baronius ad annum Chriſti M. CXI. videtur Ivo per omnia conſenſiſſe Epiſtolæ Ioannis Arch. Lugdunenſis ſuprà num. 42. fine memoratæ, in qua ille aiebat defenſionem inveſtiturarum, quaſi fieri debeant à laicis, eſſe hæreſim. Etenim Ivo illam Epiſtolam, veluti æterna memoria dignam, inter ſuas collocavit num. 237. neque aliquid contra eam repoſuiſſe invenitur. Præterea in Epiſt. 236. ad Ioannem eundem Lugdunenſem, qui ſemper eouſque inveſtituram laicam veluti hæreſim damnaverat, inquit: *Si congrua Volumus rebus dare nomina, poſſumus dicere, quod manualis illa inVeſtitura per laicos facta, alieni iuris eſt perVaſio, & ſacrilega præſumptio; quæ pro libertate Eccleſiæ, & honeſtate, ſaluo pacis Vinculo, ſi fieri poteſt, funditus abſcindenda eſt. Vbi ergo ſine Schiſmate auferri poteſt, auferatur; Vbi ſine Schiſmate auferri non poteſt, cum diſcreta reclamatione differatur.* Vbi vel ipſam manualem inveſtituram, quæ tolerabilior eſt, & ſine errore circa ius peragi poſſet, pervaſionẽ alieni iuris, & ſacrilegam præſumptionem cenſet. Quantò autem [e]xecrabiliorem iudicaverit ſi cum errore iu[ri]s committeretur, qualiter fiebat eo tempore [à] laicis Principibus? Denique ſi verè S. Gre[go]rius VII. & Vrbanus II. damnavere inveſti[tu]ras laicas tanquam hæreſim, idque certo ag[no]vit Ivo; procul dubiò eas iuxta ſenſum Apo[ſto]licæ Sedis pariter execratus eſt: ſiquidem [Ep]iſt. 8. loquens de illa, regulam hãc præſcrip[ſer]at: *Cuius iudi ijs & conſtitutionibus ob[via]re, eſt hæreticæ praVitatis notam in[cu]rrere: cùm Scriptura* (id eſt definitio [Gre]gorij VII. aliquot antè annis edita in Di[ct]o) *dicat: HAERETICVM ESSE [CO]NSTAT, QVI ROMANAE [EC]CLESIAE NON CONCORDAT.* [I]gitur S. Ivo perſpectum habuit, Romanam [Ecc]leſiam traduxiſſe inveſtituram laicam tan[qua]m hæreſim; nullatenus receſsit ab eadem [cenſ]ura in illam.

45 Certum itaque ſit, inveſtituram lai[cam] iuris, vt ita loquamur, qualis vſurpabatur tempore Gregorij VII. Victoris III. Vrbani II. & Paſchalis II. à Principibus quibuſdã laicis, fuiſſe hæreticam, & propterea iuſtè notatam hæreſeos ab Apoſtolica Sede, conſentientibus in ea cenſura Præſulibus alicuius nominis, quotquot tunc florebant, præſertim in Gallia. Quare nullum eſt caput quo infallibilitas Sedis Apoſtolicæ vocetur in dubium propter definitiones Gregorij VII. & aliorum Pontificum latas adverſus dantes & recipientes laicam inveſtituram. Quin & cùm hæc eodem tempore frequenter eſſet occaſio ſchiſmatis pernicioſiſsimi in Eccleſia, & defectionis multorum à fide & doctrina Eccleſiæ Romanæ, etiam ex hac parte meruit traduci & infamari teterrima hæreſeos notã.

SECTIO QVINTA.

An Illuſtriſsimi Præſules Lutetiæ congregati hoc anno 1682. ſequantur Veſtigia laudatorum Antiſtitum Eccleſiæ Gallicanæ in reyciendis InVeſtituris, & tuenda Eccleſiarum libertate. Exſcribitur quædam illorum Epiſtola ad SS. D. N. INNOCENTIVM XI.

46 VINDICATIS Iam Gregorio VII. ab errore circa inveſtituras laicas, & Paſchali II. ab hæreſi ob conceſsionem illarum, quantumlibet aliàs indebitam; oportet fortaſsis conferre invicem Illuſtriſsimos Antiſtites Gallicanos illius temporis & noſtri, & vtrorumque ſenſum circa inveſtituras laicas, ſeu quaslibet functiones aut iura Imperatorum, Regum, Principumque ſæcularium in ſacras Prælaturas. Atque imprimis ponendum, tam illos Veteres, quàm hos Recentes Galliarum Epiſcopos, quotquot hoc ipſo anno M.DCLXXXII. Comitia celebrarunt Pariſijs, fuiſſe & eſſe Catholicos, doctos, pios, & alijs ornamentis præclaros. Id diffiteri de veteribus ijs, religioni eſſet; præſertim cùm aliquot illorum inveniantur Sanctorum faſtis adſcripti: negare autem de modernis, eſſet impudentia & cœcitas. Omnes enim ij, quibus cor læva parte ſalit, perſpectum habent, quemadmodum Gallicana Natio, hoc potiſsimùm tempore, & ſub glorioſiſsimo Rege Ludovico XIV. armis præſtat, ſic etiam litteris præcellere. Quod quia ſæpe quà voce, quà ſtylo teſtari & prædicare ſoleo, non ſine frequenti admiratione ſcriptorum eius Gentis, præſertim editorum hoc verè aureo & politiſsimo ſæculo; ſatis fuerit nunc breviter indicaſſe. Certũ autem videtur, tantæ doctrinæ & eruditionis ingentem partem eſſe diſtributam in tot Præ-

ſules Illuſtriſsimos,& Viros graves Eccleſiaſticos, quotquot Lutetiam convenere ad ea Comitia celebranda. Itaque ij, ſicuti in Catholica fide cum ijs prædeceſſoribus ſuis conveniunt; ita & in pietate, ac doctrina, alijſque ornamẽtis, quà hæreditarijs, quà adquiſitis, convenire cenſendi ſunt.

47 Verumtamen dum expendo mecum & confero diſsidia vetera & nova Regũ ac Principum circa inveſtituras laicas, aliaſque functiones in res Eccleſiaſticas; invenio diſsimilitudinem aliquam inter priſcos illos & hos recentes Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtites. Porrò ex dictis & obſervatis tota hac Diſputatione conſtat, quamplurimus Galliarum Præſules, eoſque inſignes pietate ac doctrina, exeruiſſe vires pro immunitate & libertate Eccleſiaſtica contra laicas inveſtituras Principum. Quin & plurimi eiuſdem Nationis Epiſcopi cõvocati à Ioanne Archiepiſcopo Primate ad Cõcilium Lugdunenſe, audito Privilegio Paſchalis II. Papæ, conceſſo per vim & metum Henrico V. Imperatori, non ſolùm impatienter tulerunt eam Pontificis inconſtantiam, levitatẽque, ipſum palam arguentes; ſed & eũdem Imperatorem anathemate indicto damnarunt. Id, præter alios, teſtatur Rudolphus Abbas S. Trudonis in Chronico ſui Monaſterij ad annum M.CXV. his verbis: *Hoc triſti nuntio* (nimirum, de inveſtituris Henrico V. conceſsis à Paſchali II.) *& pervolante fama AD GALLICANAM ECCLESIAM; ſine omni mora, FACTO CONVENTV IMPERATOREM EXCOMMVNICANT, & quod ſub tanto ſacrilegio & violentia factum fuerat; damnant.* Paulo pòſt, nimirum dicto anno M. CXV. Rhemis habitum fuit Concilium die 5. Kalendas Aprilis, Præſide Conone Præneſtinenſi Epiſcopo & Legato S.R.E. in quo pariter anathema inuſtũ fuit eidem Imperatori. Fuit autem id Galliarum Concilium celebratum à tot Epiſcopis eiuſdem Nationis, vt Scriptor Vitæ Godefridi Ambianenſis Epiſcopi lib. 2. cap. 11. illud appellet *FREQVENTISSIMAM SYNODVM*. Idipſum antea præſtiterant Gallicani Præſules cõtra eundẽ Henricũ anno M.CXII. in Synodo Viennenſi, Præſide Guidone Archiep. & Legato: cui interfuit cum alijs Patribus S. Godefridus Ambianenſis & S. Hugo Gratianopolitanus, Epiſcopi. Itaque tam procul fuere ſanctiſsimi illi Gallicanæ Eccleſiæ Præſules à præſtando favore Imperatori Henrico V. etiam poſt Privilegium qualecumque impetratum à Romano Pontifice, vt potiùs illum ſemel iterum & tertiò diris devoverint, & à reliquo Eccleſiæ corpore palã ſeparaverint.

48 Nunc autem alia omnia apparent in plurimis Præſulibus Gallicanæ Eccleſiæ, quotquot hoc ipſo anno Comitia Eccleſiaſtica Lutetiæ Pariſiorum celebrarunt. Orto enim longo diſsidio aut lite inter Chriſtianiſsimos Reges & Romanos Pontifices, præſertim verò inter Glorioſiſsimum Principem Ludovicum XIV. & SS. D.N. re ac nomine INNOCENTIVM XI. circa ius in quaſdam Eccleſias (quod perinde ferè eſt, ac circa inveſtituras) Illuſtriſsimi ij Antiſtites non videntur curaſſe libertatem & immunitatem Eccleſiæ ſimili conatu & fortitudine animi, ac ipſorum Anteceſſores. Cùm enim deberent nobiliſsimam Regis ſui indolem, & ad ſumma natam, in officio continere, glorioſioremque reddere ex ſummiſsione ad Sedem Apoſtolicam in ea parte, quàm ex adquiſitione aut retentione novorum iurium in Eccleſiam; videntur potiùs Regiæ cauſæ patrocinium tuliſſe, quàm Pontificiæ & Eccleſiaſticæ. Placet exhibere ipſorum Epiſtolam ea de re ad SS. Innocentium.

EPISTOLA CLERI GALLICANI

PARISIIS CONGREGATI, AD SANCTISSIMVM DOMINVM DOMINVM NOSTRVM INNOCENTIVM PAPAM VNDECIMVM.

BEATISSIME PATER.

QVAM conſecrandi fecimus Apoſtolicæ Sedi canonicæ obedientiæ profeſsionem, ea nos impellit, vt quæ Pariſijs iuſſu Regio congregati geſsimus, ad Apoſtolatum veſtrum referamus, graveſque metus noſtros paternũ in ſinum effundamus. *Cùm enim te Dominus gratiæ ſuæ præcipua munere in Sede Apoſtolica collocauerit, talemque noſtris*

Epiſtola Concilij Milevitani

tem-

temporibus præſtiterit, vt nobis potiùs ad culpam negligētiæ valeat, ſi apud venerationem tuam, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt tacuerimus, quàm ea poſsit Sanctitas veſtra, vel faſtidioſè, vel negligenter accipere: non ambigimus quin magnis periculis noſtris Paſtoralem diligentiam adhibere digneris.

ni ad Papam Innocentium, inter Epiſtolas S. Auguſtini Epiſt. 92.

50 Sanè, B. PONTIFEX, à maioribus noſtris, ſanctis, gravibuſque viris accepimus, Regni, & Sacerdotij tuta piaque cōcordia res humanas niti; *dum vnum ab altero impugnatur, periclitari vtrumque; ea occaſione & de Regno tolli iuſtitiam, & de Eccleſia pacē; ſchiſmata; & ſcandala ſuſcitari; & fieri animarum perditionem ſimul & corporum; ſine horum concordia res humanas, nec incolumes eſſe poſſe, nec tutas.* Hæc Goffridus Vindocinenſis; hæc Ivo Carnotenſis, ſanctiſsimi, graviſsimique Eccleſiæ Gallicanæ Præſules, immortalibus ſcriptis teſtata reliquerunt: hos in medium afferre, & ad Veſtram Sanctitatem allegare iuvat, quos pro Eccleſiaſtica libertate, atque Apoſtolica auctoritate multa perpeſſos ſancti veſtri Deceſſores, non tantùm vt probabiles Magiſtros, ſed vt præcipuos, ſingulareſque filios ſemper habuerint.

Goffridus Vindocinenſis Opuſculo quarto.

Ivo Carnotēſis Epiſt. 60.

51 His accedat tertius Clarævallis Abbas, non Gallicanæ tantú, ſed vniverſæ Eccleſię lumen, S. Bernardus. Ille Canonum propugnator, ac fortiſsimę cuiuſque ſentētię graviſsimus auctor, vbi nimio rigore Regnum, & Sacerdotium dividi, atque *inconſutilem Chriſti Tunicam* ſcindi animadvertit, vtili condeſcentione tēperari canones ſupplicavit, ac pacem vtriuſque poteſtatis, quę vtramque fulciat, retineri, pręſertim in Gallia, vbi *nullam* vnquam *Regnum inter, & Sacerdotium diviſionē fuiſſe* antiquiores Epiſcopi gloriati erāt, vbi denique ipſo teſte Bernardo, toto orbe colliſo, ipſiſque Pontificibus gravi toties tēpeſtate iactatis, non modò nullæ ſciſſuræ factæ eſſent, ſed etiam *ſolerent ſciſſuræ aliæ reſarciri.*

S. Bernardus Epiſt. 219.

Ivo Carnotēſis Epiſt. 238.

S. Bernard. Epiſt. 219.

52 Nec minore ſtudio Apoſtolici Præſules Veſtræ Sanctitatis Anteceſſores eam concordiam commendarunt, cum gemina poteſtate res humanas regi ex ſacris Litteris accuratiſsimè tradidere; quarum proinde concordia publicam pacem totiuſque generis humani ſtatum contineri certiſsimum ſit, dicente Propheta: *Ecce vir Oriens nomen eius*, Zorobabel in perſona, in figura Chriſtus, certè populi Dei Dux, & Princeps; *& ipſe extruet Templum Domino; & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo; & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos.* Stet ergo vtrumque ſolium, alterum Principis, alterum Sacerdotis, auxilio mutuo, mutua cōſenſione munitum; hinc populi ſalus, hinc non tantùm corporum, ſed etiam animarum lucra proveniant; hinc denique res humanæ ſtabili, ac Deo pariter, hominibuſque placita tranquillitate decurrant.

Gelaſius Papa Epiſtola 8. ad Anaſtaſiū Imperatorem.

Zachariæ c. 6. verſ. 12. & 13.

53 Quæ cùm ex Patrum traditione, ipſaque adeo prophetica ac

 di-

divina auctoritate deſcenderint, vbi eam pacem noſtris temporibus occaſione Regaliæ ſollicitari vidimus, cœpimus cogitare, quid Maiores noſtri, quid antiqui Sedis Apoſtolicæ Antiſtites præſcriberent; pro certo habituri, quod verbo pariter, & exemplo docuiſſent. Sic autem comperimus quæ Evangelica auctoritate, quæ æterna lege ſancita eſſent, manere inconcuſſa; quæ Eccleſiaſtica prohibitione conſtaret, in his Eccleſiarum Principes multa pro tenore canonum diſtrictiùs iudicaſſe, multa pro temporum neceſsitate toleraſſe, vbi non periclitatur fidei veritas, aut morum honeſtas; quædam inſtituta temperari, non cœca tamẽ, & indiſcreta relaxatione diſciplinæ, ſed ſi adeſſet neceſsitas, ex qua leges quoque mutari contingeret; Sanctos enim Pontifices Anteceſſores veſtros ita præcepiſſe, *vbi neceſsitas non eſt, Sanctorũ Patrum Decreta manere inconuertibilia*; eadem ergo Decreta ex neceſsitate interdùm temperanda; eam verò neceſsitatem eſſe, ſi graves diſſenſiones, ſi turbulenti motus, tumultuſque imminerent, quam *populorum ſtragem*, Sancti Patres vocant; tunc enim charitatem, quæ ſumma Eccleſiæ lex ſit, alias emollire, ac temperare leges, ac *detrahendum aliquid canonum ſeveritati*; *vt maioribus morbis ſanandis charitas ſyncera ſubveniat*; hinc nempe profectam à Sanctis Patribus, ipſaque Apoſtolica Sede toties celebratam moderationem canonum, quæ vtili diſpenſatione, & provida compenſatione librata Eccleſiam ædificet, propulſet diſsidia, Regnum, & Sacerdotium firma pace componat.

S. Bernardus Tractatu de Præcepto & Diſpenſatione cap. 4.

S. Auguſtinus Epiſtola 50.

54 Hæc ex Sancto Auguſtino, alijſque Patribus; hęc ex S. Pontificibus, Leone, Gelaſio, cœteriſque Maiores noſtri didicerunt, nobiſque tradiderunt; *ſaluo*, ſcilicet, *fidei fundamento, & communi morum regula, toleranda quædam, quædam etiam facienda, quæ infirma videantur*; *hæc enim facit charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ cum infirmantibus infirmatur, cum ſcandalizatis vritur, & omnibus omnia fit, vt omnibus prodeſſe mereatur*. Quòd ſi ius illud Regium, quam Regaliam dicimus, aut Fidei fundamentis, aut morum regulis eſſet adverſum, non illud vtique Sancti Pontifices doctrina, & pietate conſpicui Alexander Tertius, Innocentius Tertius, atque alij comprobaſſent; non illud denique ſacrum Generale Lugdunenſe Concilium tot perſonis, totque ſub titulis ſua auctoritate firmaſſet. At enim extendi vetuit ad eas Eccleſias, quæ primæva, atque innata libertate gauderent. Sed vt hanc interim quæſtionem omittamus, neque minutatim verba Concilij, variosque ſenſus, quæque antegreſſa, quæque conſecuta ſint expendamus: id ſanè liquidò conſtat, nullum eſſe periculum, vt extenſum Fidei, moribuſque noceat, quod illæſa Fide, ſalvaque morum regula longè lateque propagatum, plurimas iam Regni Eccleſias occuparit;

Ivo Carnotẽſis Epiſtol. 214.

ex

ex quo illud efficitur Regaliæ cauſam, non ad *Fidei*, morumque *regulam quæ immobilis, & irreformabilis* ſit, ſed ad diſciplinam, quæ pro locis, ac temporibus ſubinde mutetur, quæque temperamenta, ac ſalubre illam moderationem admittat, omninò pertinere. Tertullianus de Virginibus velandis.

55 Iam ergo conſtituto quæſtionis ſtatu, BEATISSIME PATER, quantùm intelligimus, rem totam expediri haud difficile fuerit; cùm id vnum inquirendum reſtet, iuſta ne cauſa fuerit, cur poſt Eccleſiarum quarũdam libertatem totis ſexaginta annis ſtrenuè propugnatam, victi in eo Tribunali, quod ipſi antiquo more Regni appellavimus, acquieſcere potiùs, quàm omnia cõmovere, Regiam poteſtatem cum Pontificali committere, nova denique bella ciere vellemus. Nos pacem anteponimus, nec in ſimili cauſa piget imitari Vindocinẽſem Abbatem non minùs fortitudine, quàm prudentia clarum, cuius verbis dicimus: *Habeat Eccleſia ſuam libertatem; ſed ſummoperè caueat, nè dùm nimis emunxerit, eliciat ſanguinẽ, & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur.* Goffridus Vindocinenſis opuſculo 4.

56 Neque verò publicam pacem, ac ſub tanto Rege proſperum rerum Eccleſiaſticarum curſum turbatum oportebat. Adhibe pias aures, SANCTISSIME PONTIFEX, & tantiſper cogita, quem Regem habeamus: non invictam bello dexteram, ac decora victoriarum prędicaturi ſumus pacifici Sacerdotes. Habent illæ laudem ſuam vniverſis Gentibus celebratam, ac pacis gloriam cumulatam. Vtinam, BEATISSIME PATER, rebus noſtris intereſſe, & coràm intueri poſſes (paternis ſanè oculis dignum ſpectaculum) quàm benignè optimus Princeps Epiſcopos audiat, quàm rebus Eccleſiæ faveat, quàm bonos fulciat, quàm in victa auctoritate frangat contumaces, quàm cœleſtem illam nobis à Domino traditam poteſtatem intemeratam velit. Eo protegente iuriſdictio Epiſcopalis propemodùm profligata emergit è tenebris; Noſtris iam Decretis, noſtræ auctoritati Parlamenta obſecundant, ac Regia Decreta Canonicæ diſciplinæ ancillãtur. Iam verò Hæreſis quot accipit ſubinde ſalutares plagas? Quot Edictis comprimitur? Quot amiſſa Templa luget? Quantas nobilium, plebeiorumque turbas ad Petri, hoc eſt Chriſti ovile revocatas? Quid deinde referemus, vt Regius animus exoſas habeat novitates omnes, nulloque Regni loco conſiſtere patiatur? Eſt profectò LVDOVICVS MAGNVS alter ille Mauritius à Sancto Gregorio Anteceſſore veſtro toties commendatus, *cuius temporibus Hæreticorum ora conticeſcunt; quia etſi eorum corda in inſaniam perverſi ſenſus ebulliunt, Catholici tamen Principis tempore, praua quæ ſentiunt, dicere non præſumunt.* Lib. 7. Epiſtolarum Epiſtol. 48.

57 Hæc coràm admiramur, hæc luculentiùs Veſtra quoque Sanctitas ab altiſsima illa, cui totus Orbis ſubeſt, Petri Sede commemorat;

his Apoſtolicum veſtrum pectus exultat; ſi quid fortaſsè tot inter proſpera emergit incommodi, non omnia proinde ad iuris apices exigimus; magno enim Cyrillo Alexandrino Præſule docente didicimus, œconomia rerum plerumque cogi nos etiam à ſtricto, & confeſſo Eccleſiæ iure diſcedere. Quanti verò æſtimamus illa privilegia aliquot Eccleſiarū, ſi emolumentis damna contendimus? Quid, quòd illud onus vix Eccleſiæ ſentiunt, vacantium Eccleſiarum fructibus, quos Reges vindicare fiſco in Eccleſiarum longè maxima parte non dubia conſuetudine poterant, Succeſſori reſervatis, rebuſque ad Canonum auctoritatem Ludovici Decimi tertij auguſtæ memoriæ Edicto redactis? Quid, quod in quibuſdam Præbendis, ac Dignitatibus conferendis, ſi quid erat aſperius, nobis ſupplicantibus à Rege mollitum, tanti Principis pietatem, largitatemque commendat? Quid, quod Capitulis ſua iura ſervata, certique Iudicibus præſcripti limites, ne Regaliæ nomine omnia invadantur? Id ſubiuncta his Litteris geſta teſtantur, certoque iudicio ſunt, quā benè illi aliqua conceduntur, qui multa iam ſibi poſſeſsione vindicata vltrò concedat.

Epiſtola ad Gennadium Præsbyterum, & Archimandritam.

58 Sed enim exprobrabunt, qui votis ſuis omnia metiuntur, leve illud quoque (ſic enim ſentiunt) quod Rex Chriſtianiſsimus tanto ſtudio aſſertum Coronę ſuę velit, nobis auctoribus, ac flagitantibus potuiſſe dimitti: nę illi falſi ſunt, rerumque noſtrarum imperitiſsimi. Liceat verò nobis, BEATISSIME PATER, quando eo in cardine totius negotij ſumma verſatur, paulò liberiùs interturbare graves illas curas Apoſtolicæ mentis, ac ius Regaliæ Francorum Regibus, totique Regno infixum, prout noſtris hominibus inſitum, inditumque eſt, ab ortu repetere.

59 Sic nempe inclamant Regij Magiſtratus, Chriſtianiſsimos Reges iam inde à Clodovæo, ac primis Chriſtianæ Religionis exordijs, Eccleſiarum omnium, vt pietate filios, ita effuſiſsima liberalitate nutritos, & Regia defenſione propemodum Patronos, ac Tutores extitiſſe: Ea verò quæ Eccleſiæ in fundis haberent, teſte Auguſtino, iure Cæſareo, hoc eſt Regio, obtineri, ſupremāque eorum omnium poteſtatem penes Reges eſſe: Hinc à priſcis temporibus, vacantium Eccleſiarum Regia manu occupata bona, mox reddita Succeſſoribus: nec à Sede Apoſtolica reprobata, quæ huic iuri tuendo antiquiſsimis etiam tēporibus Reges Francorum feciſſent; Præbendas quoque, hoc eſt nativo ſenſu, ſtipendia Clericorum, partem Eccleſiaſticæ poſſeſsionis, ac proventus, nec dum à toto deſertas, ſi vacarent Eccleſiæ, eodem quoque iure à Principibus collatas: quarum quippè collatio, & antiquo iure à ſolida maſſa decidi non poſſet, & recentioribus quoque iuris Pontificis

in-

inſtitutis in fructu haberetur: Hæc omnia ab antiquo Regibus de ſe benè meritiſsimis conceſsiſſe Eccleſiam, ſanè conſenſiſſe, iuſque poteſtatis conſenſione firmatum, Regiæ Maieſtati proprium, atque congenitum ita coaluiſſe, vt diſtrahi nequeat. Neque verò fas eſſe, vt Eccleſiæ primis Francici Imperij temporibus diverſo iure haberentur, quas eadem Regia protectione fulciri, eadem libertate ditari, eiuſque Maieſtatis reverentia, ac poteſtate contineri certum eſſet: Si quid ergo triſtioris diverſitatis exortum ſit, id eſſe referendum ad illa tempora, queis ſciſſum Regni corpus, Ducumque, & Comitum olim innocuo, tunc infauſto, nomine avulſa, ac diſcerpta membra vix inter ſe cohærerent: Hos enim Principes, Regalibus occupatis, ſæpè etiam ſine Regum conſcientia relaxatis omnia perturbaſſe: at poſtquam Regia poteſtas diſtractas Provincias ad ſe ſe revocavit, & afflictum diù, diſsipatumque Regnum ſuam demùm integrè ſub vno Capite nobiliſsimo pariter, ac valentiſsimo ſanitatem intellexit, tunc obliterandam, quæ laceros artus olim dehoneſtabat, fœdam diverſitatem, nec Regio iuri ex antiquiſsimis, receptiſque Regni Francici legibus nocere potuiſſe poſſeſsionem intermiſſam, quam & per Principes ſibi ſubditos, diù retinuiſſent, nec ipſi vnquam animo dimiſiſſent; vniverſaſque Eccleſiæ, non tantùm ad decorem, ſed etiam ad robur, firmamque compagem, eodem denique iure componendas: Neque verò obſtare Lugdunenſe Concilium, quippè quod nec Reges nominet, ex Pontificijs quoque Decretis pro ſua Maieſtate ſpecialiter appellandos, nec de Præbendis loquatur, & aliò verti poſsit; neque à Pontificibus, Regibuſve in quæſtione Regaliæ, cùm de ea maximè ageretur, memoratum, aut leviter ſaltem indicatum fuerit.

60 Hæc vtcumque ſe habent (neque enim lubet commemorare quæ anteceſſores noſtri repoſuerint, aut litigare eſt animus coram veſtra Sanctitate pacis negotium tractaturis) hæc, inquam, adeò Regijs Magiſtratibus infixa menti ſedent, vt à ſe avelli nulla ratione patiantur cauſaque ceciderimus, eorum quoque ſententia, qui & æquitatis laude florerent, & in noſtrum ordinem eſſent propenſiſsimi; qua conſenſione victus Rex Maximus, ſatiſque conſcius, quàm ab invadendis Eccleſiarum iuribus abhorreret, ius Regium putat, quod in vniverſum Regnum penè diffuſum luo velut curſu vndique protendatur, rerum ſimilitudine, parique Eccleſiarum conditione, velut in proclive ductu. Quid hic nobis mentis, SANCTISSIME PONTIFEX, planè ſimpliciterque dicemus; hæc neque omnia vt certa proponimus, nec vt erronea, & fidei Regulis adverſa propulſamus; ac diſpenſationi providæ locum eſſe cenſemus, graviſsimos ſcilicet Auctores ſecuti Apoſtolicos viros Anteceſſores veſtros.

Pro-

61 Prodeat ſanè vir maximus, non minùs in ſacris Litteris, quàm in Canonum diſciplina verſatus Innocentius Tertius, atque in ſimili cauſa quid agendum ſit, doceat: de Regalibus agebatur; iure autem Regalium multa contineri, quæ iam Eccleſijs Regum liberalitate remiſſa ſunt, certo certius eſt: Primum ius procurationis ſive hoſpitij, quo Epiſcopi Abbateſque Regem domo excipere, totamque cum ipſa curiam, publicaſque perſonas alere certis temporibus; tum ius exercitus, quo certos milites ad Regium exercitum ducere, eoſq; alere debebant; & quidem occupari à Rege Eccleſiarum bona, nō modò ſi illæ vacaſſent, verùm etiam ſi Epiſcopi conſueta quæ vocabant, ſervitia omiſiſſent; eaque omnia ab eodem fonte Regalium exiſtere, & perſpicuum ex ſe ſe eſt, & ipſe Innocentius profitetur. Duo ergo Epiſcopi à Rege accuſati, quòd illius iniuſſu milites abduxiſſent: eorum Regalia manu Regia confeſtim invaduntur, nulla iudicij forma; nec tantùm Regalia, ſed etiam alia bona quæcumque poſsiderent; Id enim iuris Regij eſſe Rex contendebat: Epiſcopi id negare, tùm factum excuſſare, vim illatam conqueri, gravisſimaſque expoſtulationes deferre ad Innocentium. Quid ergo tantus Pontifex? Suſcepta, vt decebat Epiſcoporum cauſa, Philippum Auguſtum aggreditur, multa interminatus,
Lib. 1. Epiſtolarum Epiſtola 107. multiſque adhortatus, *ne inter Regnum, & Sacerdotium ſcandalum oriretur*; intentato quoque Apoſtolicæ cenſuræ metu, niſi Epiſcopis Regalia, aliaque omnia præter ius, faſque (ſic enim ferebat) occupata relaxaret: gravis ſanè cauſa, in qua Rex Maximus *cenſura cohibendus* eſſe videretur;
Lib. 3. Epiſtola 40. Lib. 3. Epiſtola 107. ſed interim Innocentius ad Epiſcopos ſcribit: *Fraternitati veſtræ conſulimus bona fide, quatenus cum chariſsimo Filio noſtro Rege quantò melius poteritis, componere ſtudeatis, quoniam arcus, qui ſemper eſt tenſus, vires amittit, nonnunquam Reges melius vincuntur manſuetudine, quàm rigore.* Præclarè ille quidem, vbi nullum fidei, nullum morum regulæ crearum periculum eſt. Sed particulare factum, inquient, nec in exemplum trahendum; & tamen agebatur vti prædictum eſt, non tantùm de Epiſcoporum facto, ſed etiam de Regalium iure, quouſque pateret, quæ bona complecteretur, qua forma exerceri poſſet: ſed hæc omittamus. Quid Benedictus Duodecimus, vnus omnium Pontifex,
Raynaldus ad annum 1337. num. 17. & conſtantiæ, & prudentiæ laude ornatiſsimus? Is Philippum Valeſiú Regem edita Philippina multa Regaliæ Iuri ab antiquo more diverſa velut inſerentem, gravisſimis monitis ab ea tutanda lege deterruit; ſed præclarè functus officio à negotio deſtitit; neque enim omnia vrgenda Pontifici, nec exactè ſemper ad minutos quoſque apices res Eccleſiaſticas deducendas: Philippinaque ad noſtra vſque tempora ſtetit incolumis.

62 Sed ne veſtræ Sanctitati moleſti ſimus, poſtremum commemoramus Bonifacium Octavum; nec tamen refricamus infauſta illa diſsidia, quæ nec ſine lachrymis legi queant: abeant illa in tenebras æterno ſepelienda ſilentio: Id de Bonifacio referre lubet quod ad pacē conducat, quod dignitatem pariter, atque clementiam Summæ Sedis deceat. Grave erat Bonifacio à Philippo Pulchro, pleno etiam iure conferri Præbendas, ſeu Regaliæ, ſeu quovis alio titulo; nec tamen negabat Pontifex, imò profitebatur, id *fieri poſſe Eccleſiæ conſenſu tacito, vel expreſſo:* Rex interim ſe poſſeſsione tuebatur; eo enim iure à ſe conferri Præbendas, *quo à Maioribus, & à Sancto Ludovico avo data eſſent.* Rectè ille, & ordine, vt videtur; ſatis enim conſtabat, reclamante nemine, eo iure vſos; neque fraudi eſſe poterat optimis Regibus, quo ad ius Regium ea revocabant.

Hiſtoire du different de Boniface VIII. & de Philippe le Bel. page 90. page 93.

Id enim ius Regium eſſe, quod Coronæ Regiæ ab antiquo inſitum, coalitumque ſit: atque vt ex ſimili rem conficiamus, an non Patronatus, quos vocant Laicos, ipſis quoque terris, atque dominijs ex poſſeſsione inhærere, ac quaſi temporalis iuris loco eſſe conſtat: cùm tamen id iuris ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluere, nemo non fateatur: Quantò ampliora Regibus, & Beneficentia, & propria Maieſtas conciliare potuit? Neque id Bonifacium iuris conſultiſſimum fugiebat; ſed cùm in ancipiti eſſe videretur, quatenus iuri Regio Præbendas conferendi Eccleſiæ conſenſus acceſſiſſet, quod dubium, quod illicitum reputabat Pontifex, de poteſtatis plenitudine concedebat, ac licitum faciebat: Quid enim litigamus, inquit: *Volumus vt Rex faciat licitè quod facit illicitè, volumus ſuper hoc ſibi facere gratiam omnem, quam poterimus.*

page 78.

Sic quem nodum ſolvere ex Pontificis ſenſu, antiqua monumenta iuraque non poterant, Apoſtolicæ poteſtatis gladio amputabat: Atque id Bonifacius Octavus tot inter ſimultates conferre vltrò voluit in Philippum Pulchrum. Quanta Innocentius Vndecimus benevolentiſsimus, & propenſiſsimus in Ludovicum Magnum? Neque verò ambiguum, quid Orbis Chriſtianus expectet, ſi Pontifici Pontificem, Regem denique Regi componamus. Id tantùm poſtulamus, ne plus æquo audiantur, qui in Iure Coronæ novas hæreſes fingunt, nimiſque intelligendo faciunt, nihil vt intelligant præpoſteri homines, qui quem ex ſufflant pulverem, vt præclarè Sanctus Auguſtinus, in ſuos, aliorumque excutiunt oculos.

63 Veſtra verò Sanctitas hæc omnia ſupergreſſa, Chriſtianique Orbis intenta commodis, tantas contentiones ex tenui ortas, ſed in graviſsima mala, niſi Deus avertat, aliquando erupturas, Apoſtolica auctoritate componat. Pacem expetimus, pacem flagitamus, pacem quæ veſtrum nomen tanta pietatis, ac ſanctitatis laude omnibus Gentibus,

bus,

bus, ipſiſque adeò Eccleſiæ hoſtibus clarum, venerandumque immortalitati conſecratura ſit. Satis iam, ſuperque Parens Optimus, Devotiſſimuſque Filius repugnante animo altercantur. Nos quidem BEATISSIME PATER, vt gratias agimus quas poſſumus maximas, quòd Iura quarundam Eccleſiarum, quæ nobis omnibus communia facit ipſa Fraternitas, ſarta, tectaque eſſe vultis; ita noſtra cauſa concuti Orbem, Pacemque Chriſtianam conturbari nolumus. Quare eo quoque, quidquid inerat, iure deceſsimus: id in Regem Optimum, atque Beneficentiſsimum vltrò contulimus. *Et ſi fortè propter* Canonum *rigorem minùs licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſtica paci ſic expediebat; cùm enim plenitudo legis ſit charitas, in hoc legibus obtemperatum eſſe credimus, in quo charitatis opus impletum eſſe cognovimus.*

Ivo Carnotenſis Epiſt. 190.

64 Quæ à nobis acta, ſi veſtra Sanctitas dignetur inſpicere, probaturam eſſe pro ſua æquitate confidimus: ſanè ſumma conſenſione, pronaque omnium noſtrum voluntate geſta eſſe teſtamur; cùm præſertim nemo ſit, qui rebus noſtris intellectis, ac perpenſis omnibus, quæ recèns nobis ſupplicantibus à Rege Maximo ſtatuta ſunt, non vltrò fateatur plura & ampliora conceſſa quàm dimiſſa, atque Eccleſiæ cauſam Regia æquitate, ac liberalitate, meliore nunc omnino conditione eſſe. Quamobrem obſecramus, vt quæ à noſtra humilitate, non modò publicæ pacis intuitu, ſed maximo Eccleſiæ emolumento geſta ſunt, quæque Rex Maximus, tanto Religionis ſtudio, tantaque omnium noſtrum obteſtatione conceſsit, Regijs Magiſtratibus nequidquam reclamantibus, ſic veſtra Sanctitas complectatur, vt Sacerdotij, Regnique concordiam æternùm firmet, & ſanciat.

65 Quid enim luctuoſius, quàm ſub tanto Pontifice, ac tanto Rege, quorum conſenſione tot in Eccleſiam bona redundatura ſint, per inviſa, & importuna diſsidia eludi expectationem Orbis, & publica commoda retardari? Sanè ex quo Eccleſia eſt, Sede Apoſtolicâ, Regnoque Francorum nihil coniunctius fuiſſe, & maximò honori ducimus, & Veſtri Anteceſſores libentiſsimè prædicant; hanc verò perpetuam coniunctionem animorum noſtris quoque temporibus auctam oportuit. Quid enim videt, Orbis MAGNO LVDOVICO maius? Quem Turcæ fævienti graviorem hoſtem? Quàm expeditiorem manum? Quem animum promptiorem? Quem idoneum magis quicum ea quæ vos aſsiduè pulſant coercendi hoſtis, atque amplificandæ Eccleſiæ communicare conſilia? Quem ad ardua quæque iam ſponte currentem incitare poſsitis? Ne verò prohibeat veſtram Sanctitatem Eccleſiarum aliquarum haud tantis ſanè motibus digna li-

libertas. Solet Eccleſia Chriſti quædam omittere, vt alia, eaque potiora ſeruet, multa quoque in melius ferendo commutare. Ipſa Regalia quantùm immutata eſt, cùm pij Principes à potiundis fructibus iam abſtinuerint, & graviſsima onera alendorum militum ac Procurationũ ſponte remiſerint, vt iam illi à nobis ſi neceſſe ſit, memorem animum ſuo quodam iure repoſcere videantur?

66 Quid attinet commemorare in Epiſcopis, atque Abbatibus eligendis, in inveſtituris, in iuſsionibus, permiſsionibus Regijs, in Epiſcopatuum, & Abbatiarum conceſsione, & dono, in Hominijs quoque, & Sacramentis fidelitatis, quàm multa primùm cenſuris graviſsimis reprobata, mox vltrò conceſſa ſint! Ipſa Apoſtolica Sedes, ars Eccleſiaſticæ libertatis, quàm multa Principum in ſe ipſam quoque iura tolerarit, imò aliquando conceſſerit, ipſa temporum mora excuſſa ceruicibus, & in optimum ſtatum ſponte reſtituta? An ergo Eccleſia *levitate vſa eſt? Fuitque in illa Eſt & Non?* Abſit, ſed ſatis ſibi conſcia æternitatis ſuæ, ipſique veritati ſemper immobili animo adhæreſcens, aliqua ſui parte humanis ſe rebus vtcumque accommodat, nec tam temporibus, quàm animarum ſaluti ſeruit. *Hæc dicendo, doctam Paternitatem veſtram non docemus, ſed eandem conſulendo, & rogando monemus, vt ibi conſilij, & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, vbi fas non eſt, fortitudinem exercere.* 2. ad Corinth. c. 1. v. 17. Ivo Carnotenſis Epiſt. 190.

67 Quare, BEATISSIME PATER, ad ſacros veſtros pedes ritè provoluti, atque Apoſtolicam Benedictionem expectantes, Summum illum Eccleſiæ, veſtrique vnici Primatus Auctorem oramus, obſecramus, vti mentem Veſtram ad pacis conſilia inflectat, & quæ pacis ſtudio, exemplo Maiorum, Sanctitas Veſtra geſſerit, ea in veſtram gloriam, quam in Chriſto habetis, totique Eccleſiæ vtilitati vertat.

Datum Pariſijs tertio Nonas menſis Februarij, anno 1682.

Obſequentiſsimi, Filij ac Servi veſtri, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici Viri in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani, Pariſijs congregati.

FRANCISCVS, Archiepiſcopus Pariſienſis, Præſes.

De mandato Illuſtriſsimorum, & Reverendiſsimorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, totiuſque Cœtus Eccleſiaſtici in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Pariſijs congregati,

MAVCROIX, Canonicus Remenſis à Secretis. *COVRCIER, Theologus Eccl. Pariſ. à Secretis.*

SE-

SECTIO SEXTA.

Obſervationes nonnullæ in eandem Epiſtolam, vt appareat, Clariſsimos Præſules Galliarum eius Auctores non inſiſtere viam Prædeceſſorum ſuorum in tuenda libertate Eccleſiarum.

68 PORRO In ea Epiſtola, eleganti quidem & erudita, plura ſunt magni momenti, quorum examen ſerium remittimus ad eos Iuris Pontificij Profeſſores, Theologoſque, qui in Quattuordecim ſedent; immo potiùs ad ipſam Sedem Apoſtolicam, ad quam omnes maiores cauſæ referri debent, iuxta ſacros Canones, & ſenſum totius Antiquitatis Chriſtianæ: præſertim cùm directè non ſpectent ad ſcopum huius Operis, in quo materiam Regaliæ, vt vocant, Gallicanæ noluimus ex profeſſo diſcutere Verumtamen adhuc nonnulla occurrunt, quæ difficultatem ingerunt, & ſuadere videntur, Illuſtriſsimos Præſules eius Epiſtolæ auctores non preſiſſe veſtigia, nec inijſſe viam eandem cum Prædeceſſoribus ſuis, circa tuendam Eccleſiæ libertatem.

Imprimis enim vidimus tota Diſputatione quomodo Patres Eccleſiæ Gallicanæ, & in ijs plures doctiſsimi, ac nonnulli in Sanctorum album relati, quà voce, quà ſcripto, privatim & publicè, immo & in tribus Concilijs intra Galliam congregatis, extulerint clamorem contra Henricum V. arrogantē ſibi inveſtituras Epiſcoporum & Abbatum ſui Imperij, & ipſi anathema inuſſerint, ob tuendam libertatem Eccleſiaſticam. Nunc autem Præſules Galliarum plerique, nec voce, nec ſcripto, nec clamore, nec Concilio vllo congregato, inveniuntur curare immunitatem Eccleſiæ adverſus prætenſa iura Chriſtianiſſimi Regis Ludovici XIV. nec pro illa pugnaſſe, ea ſaltem libertate & ingenuitate, qua ipſorum Anteceſſores. Quin potiùs vbi ſemel Comitia celebrarunt, ea potiùs, quoad eam partem, Politica, quàm Eccleſiaſtica viſa ſunt: cùm in ijs non tam Eccleſiaſticæ libertatis, quàm Regiæ in Eccleſias poteſtatis tulerint patrocinium: vt patet ex contextu Epiſtolæ præiactæ.

69 Præterea. Sancti illi ac graviſſimi Galliarum Præſules eo tempore in Canonibus varijs & decretis Conciliorum, ac ſcriptis & epiſtolis, etiamnum extantibus, invehebantur adverſus Henricum V. bonorum Eccleſiæ invaſorem: hic verò multo milite armatus, & exercitu inſtructus, per vim extorſit à Paſchali II. Privilegium ad ſacras inveſtituras conferendas, quod precibus aſſequi non potuit. Nunc autem Illuſtriſsimi Galliarum Præſules Lutetiæ congregati, nullum Canonem, Decretum, aut Epiſtolam pro libertate Eccleſiarum (de quibus contentio eſt) edere inveniuntur, ſed potiùs pro prætenſo iure Chriſtianiſsimi Regis ſcribunt, inſtant, & orant Quin & imitatione quadam Henrici V. in ſpeciem ſaltem, hoc ipſo anno 1682. die 19. Martij inſtruxere aciem variarum propoſitionum Sedi Apoſtolicæ, ſeu Eccleſiæ Romanæ non parum adverſantium: vt ea vi illata Pontifici Maximo Innocentio XI. extorquerent ab ipſo, & aſſererent Magno Regi ſuo, ſeu ius, ſeu Privilegium, quod nec precibus, nec arte vlla potuerant impetrare hactenus.

70 Rurſus, Præſulibus Gallicanis ſæculi vndecimi ac duodecimi, in quorum rebus verſamur, notum erat quanti momenti ſit ad bonum Eccleſiæ commune pax inter Sacerdotium & Imperium. Id enim ſignificant ſatis Goffridus Vindocinenſis Abbas, Ivo Carnotenſis, & S. Bernardus allegati initio ferè Epiſtolæ Cleri Gallicani nuper exſcriptæ: poſſetque fortaſsis idipſum comprobari teſtimonijs aliorum Patrum eiuſdem temporis. Sciebant præterea ipſi & experiebantur quot mala ſequuta eſſent ex diſſenſionibus inter vtrumque. Nam ob diſcordias Henrici IV. aliàs III. Imperatoris cum Gregorio VII. Victore III. Vrbano II. ac Paſchali II. non modò plura & cruenta bella ſequuta ſunt, ſed etiam quamplurima ſcelera, & longum ſchiſma, fons innumerabilium malorum: quæ vt vitaret, vel abſcinderet, Paſchalis ipſe II. per vim ſibi illatam conceſsit tandem Henrico V. memoratum illum Privilegium inveſtiturarum. Verùm nihil obſtantibus illis tot malis ex diſcordia inter Sacerdotium & Imperium ortis & continuatis ſpatio quadraginta circiter annorum, quatuor ij Pontifices Romani, & in ijs Paſchalis ipſe vſque ad annum MCXII. vſque ad ſanguinem propugnarunt Eccleſiaſticam libertatem, nolueruntque inveſtituras Imperatoribus concedere. S. Gregorius VII. poſt tot labores exantlatos, & aſperrima quæque tolerata, ob eandem cauſam in exilio vitam finivit, non ſine prodigijs cœleſtibus, quibus conſtantia eiuſdem divinitus probabatur. Tres reliqui nulla prece, aut vi, vel ſtudio pacis ineundæ Regnum inter & Sacerdotium, flecti potuerunt, quin & plurimis Concilijs Imperatores ob vſurpatas inveſtituras publico anathemate notarunt. Paſchalis II. quòd tandem poſt duriſsimum carcerem, ac ſuorum diuturnam oppreſsionem, ceſſiſſet, incuſatus fuit de hære-

teſſi ab ipſo Goffrido Vindocinenſi, & plurimis alijs Patribus Eccleſiæ Gallicanæ, vt vidimus toties in hac ipſa Diſputatione. Idem Paſchalis poſtea publicè reatum ſuum agnovit, & anathema dixit conceſsioni illius Privilegij, quod propterea ab omnibus PRAVILEGIVM appellabatur. Denique S. Ivo, quem adeò confidenter allegant Illuſtriſ. Galliarum Præſules in præiacta Epiſtola, periclitatus fuit apud Sedem Apoſtolicam, quòd inveſtiturarum laicarum defenſor, aut excuſator fuiſſet: & veniam ab Vrbano II. precatus eſt, ac tandem cæterorum Præſulum ſententiæ ſuffragium ſuum addidit in eadem cõtroverſia: vt vidimus num. 44. Nullo ergo iure allegantur Patres eorum temporum, vt SS. D. Innocentius XI. indulgeat, conſentiatvè novo alicui iuri, aut non ſatis præſcripto Regis Chriſtianiſsimi, adverſus libertatem quarundam Eccleſiarum.

71 At enim (reponunt) aliqui ex iis Patribus docent, ſeveritatem Canonum mitigandam eſſe ob bonum pacis, vbi nec periclitatur fidei integritas, nec morum honeſtas. Reſpondeo. Etiam idipſum perſpectũ habebant ſanctiſsimi ij Pontifices Romani, & Præſules laudati, præſertim Eccleſiæ Gallicanæ. nec tamen propterea putarunt remittẽdos aut laxandos eſſe Canones prohibentes Principibus laicis inveſtituras. quin potiùs in tot illis quadraginta annorum calamitatibus, & perpetuo fere diſsidio Imperium inter & Sacerdotium ſummum, & poſt ſchiſma peſtilentiſsimum Eccleſiæ; pro eius libertate fortes & immobiles perſtiterunt. nec dubitarunt in alijs atque alijs Concilijs vtrumque Henricum Imperatorem diris devovere, & cũ innumeris ſequacibus ab Eccleſiæ corpore abſcindere. Igitur iudicio tot & tam inſigniũ Patrum non erat tanti pax inter Regnum & Sacerdotium, vt propter illam vtcumque ineundam laxandi eſſent omnino Canones cõſulentes libertati Eccleſiarum. Quid etiam dicam de vtroque ſanctiſsimo Doctore & Antiſtite eiuſdem ferè temporis, Anſelmo Lucenſi, & Anſelmo Cantuarienſi? Notum eſt quantum ille prior reſtiterit laicis Principum inveſtituris, & quantum poſterior ob eandem cauſam paſſus ſit, ac quot annos ab Anglia exulaverit.

72 Sanè ad vitanda maiora mala non negamus laxari poſſe, ac fortaſsis debere Canonum ſeveritatem ad tempus, quando, & quomodo, & quouſque videbitur neceſſariũ, vbi non periclitatur fidei veritas, aut morum honeſtas. Sic legem Mauritij Imperatoris (laudati in Epiſtola Cleri Gallicani) prohibentis milites fieri Monachos, quamvis impia eſſet, ad tempus toleravit, ſeu non prohibuit S. Gregorius Magnus, ad vitandum longè maiora mala alioqui futura: vt obſervat Illuſtriſsimus iuxta atque ſapientiſs. Comes Francorum D. D. Franciſcus Ramos del Manzano libro tertio Papiarum (qui & per epiſtolam nos humaniſsimè ea de re admonuit, ac præterea pluribus alijs locis eiuſdem eximij Operis multa è ſua ditiſsima penu profert pro auctoritate infallibili Romani Pontificis definientis è cathedra circa fidem & mores, præſertim eodem lib. 3. cap. 44. à principio.) Verùm vbi S. Pontifex agnovit non ſupereſſe iam rationem iuſtam permittẽdi legem illam, ſtatim eam irritam declaravit, & Mauritium à ſententia deterruit. Sic & quaſdam alias Cæſarum leges, neque auxiliatrices, neque conſonantes ſacris Canonibus, Eccleſia tantiſper toleravit: vt de nuptijs cõſobrinorum apud Anglos conſtat ex eodẽ Gregorio Magno in cap. *Quædam* 20. 35. quæſt. 2. cap. *Ad Sedem* 2. 35. q. 5. quoniam illas *nec divina lex prohibuit, & nondum prohibuerat* lex humana. nimirum, Theodoſij Magni: de quo legendus S. Auguſtinus lib. 15. de Civit. cap. 16. & S. Ambroſius lib. 6. Epiſt. 48. ad Paternum. Verumtamen poſtea idem Gregorius decretoria auctoritate damnavit & prohibuit omnino eas nuptias, nec illas ſolùm, ſed & reliquas conſanguineorum vſque ad ſeptimum gradum: vt patet ex lib. 12. ipſius Epiſt. 31. ad Felicem, cuius pars allegatur in cap. *Progeniem* 16. 35. q. 2. quæ omnia idem Illuſtriſs. Ramos obſervat citato lib. 3. cap. 41. num. 18. Sunt & alia quam plura exempla tolerantiæ minorum malorum ad tempus, vt vitentur longè maiora alioqui ſecutura.

73 Verum Quælibet poteſtas laicorum Principum in Eccleſias, & imminutio libertatis earum, ſemel introducta, aut aliquandiu tolerata, novas vires aſſumit progreſſu temporis, & tandem inſuperabilis redditur: vt experimentis frequentibus, etiam in re ipſa, quam præ manibus habemus, innoteſcit. Quod præ oculis habentes, aut meritò timentes ſanctiſsimi illi Pontifices Romanæ Eccleſiæ, ac Præſules Galliarum ſæculo vndecimo, & pene toto duodecimo, vſque ad ſanguinem reſtitere laicis inveſtituris, ne ſemel toleratæ, aut permiſſæ radices mittere, nunquam de cætero averruncari poſſent aut eripi Principibus ſæcularibus, præſertim potentiſsimis. *Non enim facilè arcetur cupiditas, quæ caret metu*, vt ſcitè aiebat Clemens Alexandrinus in Protreptico. Itaque ne quidem ex fine conciliandi Regnum cum Sacerdotio arbitrati ſunt, Eccleſias per ſe liberas,

tas, vllo modo ſubijciendas fuiſſe Principibus laicis. Non ergo Illuſtriſsimi Galliarum Preſules nunc imitantur exempla ſuorum Deceſſorum, dum ſpecie ſtabiliendæ concordiæ inter Regnum Glorioſiſsimi Ludovici XIV. & Sacerdotium SS. D. N. Innocentij XI. ſtudent illius obſequio devincire aut mancipare quoddammodo Eccleſias quaſdam hactenus liberas

74 Et certè non adeò deſperata videbatur cauſa Henrici V. ad inveſtituras cōferendas, vt ipſi non adeſſent in ſpeciem rationes aliquæ, tum ex conſuetudine Prædeceſſorum, tum ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ, nec qualicumque, ſed remunerario obſequiorum in ipſam præſtitorum: vt nihil dicam de extorta & violenta conceſsione Paſchalis II. Verùm Romani Pontifices, & cùm ijs Præſules Galliarum, contrà inſtabant, nullam euſque conſuetudinem legitimam, ſed potiùs corruptelam fuiſſe, nullumque Privilegium verè à Sede Apoſtolica conceſſum. Quapropter eæ rationes apparentes, & mala innumera ſchiſmatis tandiu graſſantis in tota Eccleſia, & amor pacis ineundæ inter Cæſares ac Romanos Pontifices, non ſatis viſa ſunt, vt tot graviſsimi Patres ſeveritatē Canonum laxandam ducerent cum imminutione libertatis Eccleſiaſticæ, aut in Henricum IV. & V. execrationes, & anathemata non intorquerent. Sinamus, Glorioſiſsimum Galliarum Regem Ludovicum XIV. ſeu potiùs eius Miniſtros & Conſultos, allegare conſuetudinem, vel Privilegium, etiam remuneratorium, circa iura in quaſdam Eccleſias, de quibus contentio eſt. Negat Romanus Pontifex, negant Cardinales, Prælati, Theologi, & Iuriſperiti ab ipſo conſulti, conſuetudinem legitimam, & Privilegium. quin & pro ſe allegant Concilium Generale Lugdunenſe in media ferè Gallia quatuor retro ſæculis celebratum. Sanè vt Galliarum Præſules veſtigia Anteceſſorum premerent in hac parte, deberent, non dico execrationes in tantum & tam pium ac Catholicum Regem iacere; ſed totam auctoritatem, eruditionem, & eloquentiam ſuam (quæ ſane magna & mira apparet in alijs & alijs Epiſtolis) impendere ad flectendum Regium ac ſublimem animum in obſequium plenum erga Eccleſiam, & Pontificem Romanum, *cui ſervire, regnare eſt.*

(?)

****

SECTIO SEPTIMA.

Exceptio quædam obvia refellitur: & vberiùs oſtenditur, Illuſtriſs. Galliarum Præſules, potuiſſe ac debuiſſe longè magis patrocinium ferre Eccleſiaſticæ libertatis, quàm Regij iuris. Expenduntur rationes, ob quas SS. D. N. Innocentius XI. adeò conſtanter tueatur libertatem quarundam Eccleſiarum Gallicarum.

75 AT Enim inquient, diſparem eſſe rationem: quoniam tempore Henrici IV. & V. Imperatorum, occaſione inveſtiturarum laicarum, omnes ſacræ Dignitates & Prælaturæ erant venales, & Simoniaca turpitudo longè ac latè graſſabatur, præſertim in Germania, quin & innumera alia ſcelera & iniuſtitiæ ob eam cauſam publicè perpetrabantur, & nulla erat obediētia aut veneratio erga Sedem Apoſtolicam: In Gallijs autem omnia alia accidere, & accidiſſe, poſtquam nominationes Epiſcoporum & Abbatum, aliæque functiones & iura Regum in res Eccleſiaſticas introducta ſunt, præſertim à tempore Concilij Generalis Lugdunenſis quatuor retrò ſæculis, deinde poſt Cōcordata, vt vocant, inter Franciſcum Regem & Leonem X. ſubſtituta anno MDXV. (vel MDXVI. vt vult Petavius in Rationario Temporum) loco Pragmaticæ ſanctionis. Exinde enim vſque modò Regibus Chriſtianiſsimis curæ & cordi fuiſſe, vt nominationes, ſeu deſignationes Prælatorum ritè & ſanctè fierent, nec prece aut pretio obtinerentur, ſed innocentia vitæ, ac merito doctrinæ; cætera deinde, quæ ſpectant ad Regaliam circa quaslibet functiones Eccleſiaſticas, & nominatim in bona Eccleſiarum vacantiū, præſtita ab ijs fuiſſe abſque vlla ſorde aut labe: hoc potiſsimum tempore, quo Magnus Ludovicus XIV. glorioſiſsimus pace & bello, ſe adeò beneficum & magnificum exhibet in Epiſcopos, Eccleſias, ac totam denique Religionem Chriſtianam & Catholicam, vt videatur meritiſsimè ſuperſedendum à Romano Pontifice in hoc diſsidio, indulgendumque tanto Regi vltro quidquid aut Coronæ ſuæ cognatum eſſe intelligit, aut ritè olim ab Apoſtolica Sede conceſſum.

76 Exhibui ſummam rationum, quibus Illuſtriſsimi Galliarum Præſules Lutetiæ cōgregati hoc anno MDLXXXII. in præiacta Epiſtola innituntur, & nonnulla quædam, quibus alij vti poſſent, vt flectant animum SS. D. N. Innocentij XI. erga Chriſtianiſsimum Regem, digniſsimum ſanè, vt ſicut inter Prin-

Principes mortales annuendum eſſet in ea parte, vltro & libenter à Sede Apoſtolica concederetur. Sed enim dum cogito eximiam Innocentij pietatem, charitatem, benignitatem, ac cæteras virtutes heroicas, toti Chriſtiano Orbi notas; & Epiſtolas præſeferentes gravitatem ſimul ac dulcedinem, veritatem, conſtantiam, zelumque Apoſtolico pectore dignum (quæ omnia, præſertim in Summo Eccleſiæ Paſtore, Duce ac Magiſtro, planè indicant afflatam à Deo mentẽ) non dubito quin præeunte cœleſti lumine, atque inſtinctu Spiritus ſancti, perſiſtat in tuenda libertate illarum Eccleſiarum, de quibus agitur. Myſterium itaque fortaſſis aliquod latet in hac re, & graviſsima aliqua divini honoris cauſa intervenit, vbi tantus Pontifex poſt nota talis Regis in Catholicam Religionem merita, & poſt tot Antiſtitum Clariſsimorum preces, addito etiam periculo ingentis alicuius diſsidij Imperium inter & Sacerdotium; adhuc immotus in ſententia permanet.

77. Verum præter hæc, quæ non adulationis fuco, ſed ex animi ſententia protuli, & piorum quorumlibet mentibus infixa eſſe credo, ſaltem nullo præiudicio occupatis circa hanc Regaliæ cauſam, ſubit animum recordatio ſanctiſsimorum illorum Romanæ Eccleſiæ Præſulum, & Antiſtitum Galliæ, laudatorum toties in hac ipſa Diſputatione. Etenim licèt illi in varijs Concilijs, Epiſtolis, & teſtimonijs iam ſuprà exſcriptis (quibus quamplura alia adiungere in proclivi eſſet) adverſus laicas inveſtituras, licèt interdum conquerantur de abuſu illarum ſimoniaco, aut iniuſto ex accidenti, prout conferebantur temporibus Henrici IV. & V. plerumque tamen, aut ferè ſemper extollebant clamorem contra illas, quòd opponerentur libertati Eccleſiarum, iure divino & ſacris Canonibus ſtabilitæ: & hoc ſenſu tam recipientes, quàm dantes, ſæpiſsiſsimè incuſſo metu indignationis divinæ deterruerunt, & tandem iterato anathemate à reliquo Eccleſiæ corpore ſepararunt. Quare vix, aut ne vix quidem alicuius Regis Imperatoriſve nomen invenitur toties eo ſacro igne ſubguritum in Concilijs aut Decretis Eccleſiæ, ac vtriuſque Henrici. Cùm igitur manifeſtum ſit, quodlibet Regaliæ genus in Eccleſias opponi, κατὰ μέρος ſaltem, libertati Eccleſiaſticæ (quamvis fortaſſe in Gallia nulla alia incommoda afferret ex accidenti, qualia temporibus vtriuſque Henrici) ſatis perniciosum eſſet, vt SS. D. N. Innocentius XI. ſequens veſtigia Prædeceſſorum ſuorum, illud omni conatu eradicandum curaret. Satis etiam mali ex eo capite afferret, vt meritò ab illuſtriſsimis ijs Antiſtitibus, Veterum illorum Patrum Galliæ exemplo ductis, impediretur; quà voce, quà ſcripto, quà precibus iteratis, ad Chriſtianiſsimum Regem: qui certè, quà indole nobiliſsima, & mira benignitate in Eccleſiam Catholicam, & Epiſcopos, præditus eſt, multò faciliùs ijs officijs flecteretur, quàm olim ambo Henrici incuſsis terroribus, minisque, & ſacro anathematum igne. Quare donec conſtiterit, recentes Galliarum Præſules ergà Glorioſiſsimum Ludovicum XIV. ea officia ſeriò & conſtanter præſtitiſſe, liceat nobis deſiderare in ijs veterem Patrum Eccleſiæ Gallicanæ pro Eccleſiaſtica libertate zelum & conſtantiam.

78. Vlterius. Aut ius in cuſtodiam fructuum quorundam Eccleſiarum vacantium, de quibus diſceptatur, aſſeritur Chriſtianiſsimo Regi, veluti cognatum & cohærens Coronæ Gallicanæ; aut tanquam derivatum ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ, aut veluti præſcriptum diuturna conſuetudine, Romanis Pontificibus ſcientibus & nullo modo contradicentibus. Nimirũ, hæc tria diſtinguere oportet, quoniã ſingula diverſam inſpectionẽ habent. Primum ex ijs videntur ſibi perſuaſum habere Regij Magiſtratus, ſive Conſiliarij Galliarum, iuxta Epiſtolam præiactam, *ſic nempe inclamantes*, ſuprà n. 59. At verò ſanctiſsimi & graviſsimi Præſules Gallicani, tota Diſputatione allegati, ſeculo vndecimo & duodecimo, quamlibet collationem inveſtiturarum, proindeq; & quidquid quovis modo opponitur libertati Eccleſiarum, hæreſim manifeſtam conſuerunt. Quod ſaltem veriſsimũ eſt, ſi contendatur, inveſtituras debere fieri à perſona laica, vel aliquo Principe ſæculari: vt disertè expreſsit Ioannes Archiep. Lugdunenſis in litteris ad Daimbertũ Metropolitam Senonenſem, exſtantibus apud Ivonem Carnotenſem Epiſt. 237. dicens: *Licet exteriores inveſtituras per laicos factas non ſatis propriè nomine hæreſis cenſeamus; ſentire tamen ac defendere, fieri debere, INDVBITATA HÆRESIS EST.* Idem S. Ivo, cuius aliquot teſtimonijs abutuntur iidem Conſiliarij, re tandẽ maturè ac meliùs conſiderata, ait Epiſt. 233. ad Henricum Abbatẽ Monaſterij Angeliacenſis: *De inveſtituris Eccleſiarũ, quas laici faciunt, SENTENTIAM PRÆCEDENTIVM PATRVM, GREGORII VII. ET VRBANI II. QVANTVM IN ME EST, LAVDO ATQVE CONFIRMO. Quocumque autem nomine talis pervaſio propriè vocetur, EORVM SENTENTIAM, QVI INVESTITVRAS DEFENDERE VOLVNT,*

SCHISMATICAM IVDICO. Hæc ille mitiſsimus omnium Patrum eius temporis: adverſus inveſtituras laicas. nam cæteri communiter nigro theta hæreſeos illas indefinitè atque vniversè notabant, etiam in Imperatoribus, allegatis in id Canonibus, ſeu definitionibus Gregorij VII. Vrbani II. & Paſchalis II. quas (ſi verè ab Apoſtolica Sede prodierunt, vt omnes ferè Patres ſuprà laudati teſtantur) intelligi ſaltem debere de inveſtitura iuris, ſeu independenti à conſenſu Romanæ Eccleſiæ, eoque ſenſu veriſsimas eſſe, ſectione quarta à num. 40. demonſtratum fuit. Videant igitur Conſiliarij Regis Chriſtianiſsimi quàm obnoxia ſit eidem cenſuræ defenſio inveſtiturarum, ſeu quarumcumque functionũ laicarum in Eccleſias & illarum bona, etiam in Regibus Imperatoribuſque, quaſi ex iure competens vel cognata ipſorum poteſtati ſæculari. Nec putandi ſunt contradicere velle eidem cenſuræ recentes Galliarũ Præſules in Epiſt. præiacta, §. *Sed ne Veſtræ Sanctitati*, aliquantò poſt medium, dum aiunt: *Id tantùm poſtulamus, ne plus æquo audiantur qui in Iure Coronæ novas hæreſes fingunt, &c.* Si enim ij Præſules impugnarent quoslibet aſſerentes, hæreticam eſſe defenſionem inveſtiturarum, vel aliorum iurium Poteſtatis laicæ in Eccleſias, aut Epiſcopos, tanquam ipſi cognatorum, ſive independentium à conſenſu Eccleſiæ; non ſolùm contradicerent doctrinæ illorum Patrum Veterum Eccleſiæ Gallicanæ, ſed etiam eorum iudicio alicuius hæreſis defenſores exiſterent. quod de tot, tam gravibus, & eruditis Antiſtibus, quot & quales nuper Comitia Pariſijs celebrarunt, iudicare nemo audeat. Oportuiſſet verò forſan, vt more Prædeceſſorum ſuorum palàm docerent, prædicarentque, inveſtituras, & ſubinde alias eiuſmodi functiones circa res Eccleſiaſticas, ſaltem quoties à laicis præſtantur, tanquam ſibi competentes aut debitæ ex iure innato, hęreticas eſſe. Quod dum non docent, nec prædicant ſatis apertè, patienter ferant ſi à cæteris incuſentur minoris conſtantiæ, quàm par eſſet, & in Deceſſoribus eorum fuit olim in libertate Eccleſiæ aſſerenda.

79. Quapropter meritò SS. D. N. Innocentius in Reſcripto ad eam Epiſtolam Epiſcoporum Galliæ, Romæ expedito hoc anno 1682. die 11. Aprilis, inter plura alia, inquit, ſe more Prædeceſſorum non potuiſſe non improbare prætenſa Iura Regis Chriſtianiſsimi, *Cùm præſertim per abuſum Regaliæ non ſolùm everti diſciplinam Eccleſiæ res ipſa doceat, SED ETIAM FIDEI IPSIVS INTEGRITATEM IN DISCRIMEN VOCARI FACILÈ INTELLIGATVR ex ipſis Regiorum Decretorum verbis, quæ ius conferendi Beneficia Regi vindicant, non tanquam profluens ex aliqua Eccleſiæ conceſsione, SED TANQVAM INGENITVM, ET COÆVVM REGIÆ CORONÆ.* Sanè Henricus V. vix invenietur inveſtituras vſurpaſſe eo titulo, eùm legamus, innixum, in ſpeciem ſaltē, Apoſtolico Privilegio, eoque remuneratorio, arrogaſſe ſibi ius ad eas conferendas. Et tamē non ſolùm à Paſchali II. Papa, prioribus annis ſui Pontificatus, ſed ab omnibus ferè Catholicis Patribus, Concilijſq; eius temporis, pręſertim in Gallia celebratis, anathemate inuſtus fuit; hæreſiſque nota confixa eſt defenſioni illius, tanquam non in Privilegio Eccleſiæ, ſed in iure Regio, ac ſibi cognato, niteretur. Oportebat itaque Clariſsimos Galliarum Præſules nuper Lutetiæ congregatos, imitatione Prædeceſſorũ ſuorum, Regijs Conſiliarijs conſtanter perſuadere eandem veritatem; vt apertè noverint, ius ad inveſtituras, dignitates, & bona Eccleſiaſtica, fundatum in Corona Regia, tanquam ipſi ingenitum ac coævum, & nõ potiùs in Privilegio Eccleſiæ, abſque hæreſi defendi non poſſe. Quare pergit laudatus Pontifex, & ſic vrget prædictos Galliarum Epiſcopos: *Illam vero partem litterarum veſtrarum non ſine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, Vos iure veſtro decedentes, illud in Regem contuliſſe quaſi Eccleſiarum, quæ curæ veſtræ creditæ fuere, eſſetis arbitri, non cuſtodes. Et quaſi Eccleſiæ ipſæ, & ſpiritualia earum iura poſſent ſub ſæcularis poteſtatis iugum mitti ab Epiſcopis, qui ſe pro earum libertate in ſervitutem dare deberent. Vos ſanè ipſi hanc veritatē agnoſcitis, & confeſsi eſtis, dum alibi pronuntiaſtis, ius Regaliæ ſervitutem quandam eſſe, quæ in eo præſertim, quod ſpectat beneficiorum collationem, imponi non poteſt, niſi Eccleſia concedente, vel ſaltem conſentiente. Quo iure vos ergò ius illud in Regem contuliſtis? Cumque ſacri Canones diſtrahi vetent iura Eccleſiarum; quomodò ea vos diſtrahere in animum induxiſtis, quaſi eorundem Canonum auctoritati derogari liceat vobis?* Itaque tam procul fuiſſe videntur ij Galliarum Antiſtites ab imitandis Prædeceſſoribus ſuis in aſſerenda conſtanter libertate earum Eccleſiarũ, de quibus contentio eſt, vt etiam iura ſua, ac ſi verè poſſent, in Regiam poteſtatē tranſtulerint, & Eccleſijs ſuis, vltra eam quam experiebantur, novam quoddammodo addiderint ſervitutē.

80. Quòd ſi verò ij Illuſtriſsimi Antiſti-

tiſtites, aut etiam Conſiliarij Pariſienſes, nolint id ius Regi ſuo aſſeri, veluti congenitum aut coævum Regiæ Coronæ, ſed tanquam derivatum ex Privilegio Eccleſiæ, aut conſuetudine longæva vltro admiſſa à Pontificibus Romanis; incumbet ijs onus probandi alterutrum. nimirum, extantiam eius Privilegij, aut conſuetudinis indultæ. At neutrum facilè efficient: cùm nullum Privilegium, aut conſuetudo indulta inveniatur, quoad Eccleſias de quibus diſputatur, quin potiùs alia omnia: vt SS. D.N. Innocentius, poſt rem vtrimque diſcuſſam, & diu examinatam, teſtatur in litteris ad eundem Chriſtianiſſimum Regem datis die 12. Martij, M.DC.LXXVIII. & die 21. Septembris eiuſdem anni, & die 27. Decembris M.DC.LXXIX. Quin potiùs oppoſitum evincitur ex Concilio Generali Lugdunenſi, & ex tabularijs ipſis Fiſci Regij allegatis ab ipſo Pontifice. Quare demum ex nullo prorſus capite videtur potuiſſe ferri patrocinium pro Regio iure in eas Eccleſias vacantes. Vereor autem ne, dum oſtendi nequit Privilegium aut conſuetudo indulta ab Eccleſia, cõfugiatur tandem & ſolùm ad ius illud *INGENITVM ET COÆVVM REGIÆ CORONÆ*; quod olim Romanos Pontifices, & Patres Eccleſiæ Gallicanæ ſæpiſſimè execratos fuiſſe, etiã intra plura Concilia, tanquã hæreſim, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt.

81. Iam quod initio huius ſectionis num. 75. reponebatur de diſsimili, ac longè meliori vſu inveſtiturarum, nominationum, aliorumque iurium in Eccleſiam ſub Regibus Chriſtianiſſimis à tempore Concordatorum inter Franciſcum Regem, & Leonem X. Pontificem Romanum, quàm tempore vtriuſque Henrici; vtinam integrè ac plenè verum ſit. Cæterũ ne ita eſſe credamus, graviſſimi Gallorum Scriptores cogunt. Gilbertus Genebrardus, Divinarum & Hebraicarum litterarũ Profeſſor Regius in Academia Pariſienſi, & poſtea Archiepiſcopus Aquenſis, hæc habet in Chronico ad annum Chriſti M.D.XV. vbi de prædicto Leone X. inquit: *Pragmaticam ſanctionem ſuſtulit, Concordata, quæ vocantur, cum Rege Franciſco agitans, de nominatione Epiſcoporũ & Abbatum ſpecioſo prætextu, vt Rex propter electionum abuſus, Doctorem quidem vel Licentiatum Theologiæ, Iuriſve Canonici, è celebri Academia ad Epiſcopatum; Religioſum eiuſdem Ordinis, Doctorem ſimiliter, vel certè Baccalaureum earundem facultatũ, ad Abbatiã nominare teneretur; REVERA AVTEM AGERETVR MYSTERIVM ILLVD INIQVITATIS, QVO PERDITAM GALLICANAM ECCLESIAM CERNIMVS. Hinc enim eius pernicies, in ea omnis generis hæreſeon, Simoniarum, Fiduciarũ ſeminarium, ſcientiæ, virtutis, pietatis exterminatio, regni peſtis.* Et ſtatim ſubdit: *Anno 1515. Concordata ſunt condita 1516. decimæ ſacrilegij ſpecies introductæ 1517. Lutherus emerſit. Paulo poſt fœdus cum Turca agitatur, & magiſtratus omnes venales proſtituuntur, ne quiſquã bonus & doctus ad eos poſsit ſine numerata pecunia conſcẽdere. Bella ſucceſsio, & noſtris dignis moribus, ad quam aliquis ſcilicet Deum expectet propitiũ.* Hæc ille ſapientiſſimus Vir ſcripta reliquit anno M.D.XC.VII. quæ & vivens ediderat, & poſtea recuſa omnium doctorũ manibus teruntur. Vix peiora legas contigiſſe temporibus priſcis vtriuſque Henrici IV. & V. in Germania, circa ſacras inveſtituras, nominationeſque Antiſtitum. Sed & Iacobus Auguſtus Thuanus, inſignis Iuriſconſultus, & Præſes in Senatu Pariſienſi, lib. 1. teſtatur; indidem ortum fuiſſe exitium Franciſco Galliarũ Regi, ac toti eiuſdẽ generi. Sed & audiamus Henricũ Spondanũ Appamiarum in eadẽ Gallia Epiſcopũ in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum M.D.XV. num. X. vbi enarrans colloquium Leonis X. cùm Franciſco Rege, inquit de illo: *Eidem conceſsit, ac Succeſſoribus in perpetuum, Eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum nominationem, quæ prius ab electione Collegiorum & Conventuum pendebant. Haud quidem id novum fuit, cùm alias viderimus id iam olim Zachariam Romanum Pontificem permiſiſſe Pipino Caroli Magni parenti, & ſancto Ludovico Regi Alexandrum IV. Horruit tamen iſte eo quanquam ſponte oblato iure vti: quòd intelligeret, vt dicebat, non ſe poſſe illud ſuſcipere abſque periculo animæ ſuæ & regni. AT QVISNAM POSTEA SVSTVLIT HOC PERICVLVM IN NON SANCTIS REGIBVS, QVOD ADEO SANCTVS VEREBATVR.* Et paucis interiectis, ſubdit, *Concordata recepta quidem in Gallijs fuiſſe, non tamen ſine omnium Ordinum graviſsima conclamatione: mirantibus multis vehementiſsimè, quòd cùm Pontifex fratrum ſuorum Cardinalium ſuffragijs eligatur, Epiſcopos & alios Præſules eligendi poteſtatem ijs, ad quos pariter de iure cõpetebat, ademerit, & in Reges tranſtulerit: atque infauſta permutatione, temporali ſibi reſervato, ſpirituale abdicaverit. Alijs tãta id animi acerbitate accipiẽtibus, vt etiã Genebrardus putaverit, huic*

Eccleſiæ Gallicanæ perniciem ortam eſſe; hoc ſeminarium omnis generis hæreſeon, ſimoniarum, fiduciarum; exterminationem ſcientiæ, virtutis, pietatis, regni peſtem fuiſſe. Et aliorum iudicio, id exitium Regis Franciſci rebus, & eius generi attulerit. Hæc ille hoc ipſo ſæculo, & noſtro tempore ſcribens. qui dum laudat Genebrardum, nec vllatenus refellit, ſatis eius iudicium confirmare videtur. Verùm prætereà ſi convertamus oculos ad ſæculũ quintum decimum, in quo introducta fuit apud Gallias Pragmatica ſanctio, ſcimus quàm contraria fuerit Apoſtolicæ Sedis auctoritati, veluti quæ tempore ſchiſmatis edita ſit: quot etiam mala induxerit in Eccleſijs Galliarum: vt propterea circa annum M.CD.LXI. hortante Pio II. Papa Ludovicus XI. Rex Chriſtianiſsimus illam omnino abolendam curaverit, & Galliarum Eccleſijs toto conatu ſtuduerit reſtituere eam libertatem, quâ potiebantur tempore Martini V. & Eugenij IV. quamvis id tandem factum non fuerit ob contradictionem plurium. Vide Spondanum, & Genebrardum ad prædictum annum.

82 Itaque non apparet in Gallijs vſus inveſtiturarum, nominationum, & aliarum functionum Chriſtianiſsimorum Regum in ſacras Prælaturas & Eccleſias, adeò defæcatus, vt non appareant in eo plurima, & potiora, aut etiam omnia illa mala, quæ temporibus vtriuſque Henrici in Germania lamentabantur Pontifices Romani, & Galliarum Antiſtites: idque teſtimonio Scriptorum gravium & recentium eiuſdem florentiſsimæ Nationis. Accedit quod nuper, primò in Alectenſi, deinde in Appamienſi Eccleſia contigit, tum vivente Franciſco huius Epiſcopo, tum vita functo: deinde Toloſſæ in Parthenone Monialium Vrbaniſtarum Ordinis S. Claræ anno M.DC.LXXIX. ac tandem in alio Canoniſſarum Regularium S. Auguſtini, Congregationis Beatæ MARIÆ Virginis loci de Charonne, Inſtitutionis Servi Dei Petri Fourier, anno M. DC. LXXX. cum tanto ac tali tumultu & ſcandalo circa nominationem intruſionemvè Abbatiſſarum extranei Inſtituti, per vim, effractionem foriuni, & ſævam irruptionem gentis armatæ ad eas introducendas. quæ omnia apparebunt meliùs in varijs Epiſtolis SS. D. N. Innocentij XI. poſtea exſcribendis.

SECTIO OCTAVA.

Defenſio conſtantiæ SS. D. N. Innocentij pro libertate earum Eccleſiarum, in epilogum redacta. Bina Reſcriptum ad Epiſtolam ſuprà exhibitam Illuſtriſsimorum Galliæ Antiſtitum.

83 QVARE Arguendus non eſt, multò minùs autem damnandus talis & tantus Pontifex, quòd paucas illas Galliarum Eccleſias adhuc liberas, nec Privilegio aut conſuetudine legitima hactenus mancipatas obſequio Chriſtianiſsimi Regis, à ſua immunitate excidere paſſus non fuerit. Præterquam enim quòd in hoc vtitur iure ſuo, id eſt, Eccleſiæ, habuit quos imitaretur in ea conſtantia plurimos & ſanctiſsimos Prædeceſſores in Sede Apoſtolica, præſertim Sanct. Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. & Paſchalem II. qui in ſimilibus circumſtantijs magna ex parte, & imminente Eccleſiæ ſchiſmate, & diſsidio plusquam civili Imperium inter & Sacerdotium, infracto, & conſtantiſsimo animo libertatem Eccleſiæ aſſeruere, nec illam, vel in minimo lædi ſuſtinuerunt. Habuit & prætereà Conſiliarios veteres ſanctiſsimos & doctiſsimos, id eſt, Patres illos Eccleſiæ Gallicanæ, quos toties in hac Diſputatione allegavimus, & quibus auſcultandum potiùs ſit, ſaltem ob venerandam antiquitatem & notam ſanctitatem, quàm viventibus Galliarum Epiſcopis, cuiuslibet auctoritatis & eruditionis ſint. Habuit prætereà & habet quod iuſtè timeat in extenſione iurium Regis Chriſtianiſsimi ad Eccleſias adhuc liberas, ne fortè in iis ſequatur abuſus & incommoda illa graviſsima, quæ ex Concordatis orta eſſe in Gallijs, cum maximo Eccleſiæ damno, & Regni pernicie, nuper ex eius Scriptoribus obſervatum fuit. Habuit denique, habet, & habebit SS. D. N. Innocentius, tanquam *VNIVERSALIS ECCLESIÆ DOCTOR ET MAGISTER*, tanquam Pontifex à Deo electus ob præclaras & propè divinas virtutes, toti Orbi Chriſtiano notas, afflatam à Deo mentem, & illuſtrationes opportunas, ne quid præpoſterum, ne quid Eccleſiæ ruinoſum decernat, vel exequatur. Si tandem expedierit vt arcum remittat, vel ſeveritatem Canonum leniendam in hac parte velit, tum ob diſsidia & plura alia mala vitanda, tum ad remunerandum inſignia merita Glorioſi Regis Ludovici XIV. ergà Eccleſiam & fidem Catholicam; efficiet ſanè paterna illa charitate,

qua

quâ eminet. Si autem perſtiterit in aſſerenda omnino libertate earum Ecclesſiarum, credamus omnino iuſtiſsimas ſubeſſe cauſas tanto Pontifici, ne tanto Regi, & ſibi clariſsimo, id Privilegium largiatur. Vidè infrà numer. 107. & 108.

84 Sed exhibeamus iam Reſcriptum eiuſdem Pontificis Maximi ad prædictã Epiſtolam Clariſsimi Galliarum Cleri nomine ſcriptam: in qua ſanè apparebit integrſtas illa, & zelus divini honoris, ac libertatis Eccleſiaſticæ tuendæ, qui olim in ſanctiſsimis illis Pontificibus Romanæ Eccleſiæ, & nominatim in ſancto Gregorio VII. fuit.

RESCRIPTVM SS. D. N. INNOCENTII XI. PONT. MAX. AD EPISTOLAM PRAEIACTAM ILLVSTRISSIMORVM GALLIÆ ANTISTITVM.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS, Epiſcopis, & alijs Eccleſiaſticis Viris in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Pariſijs congregatis.

VENERABILES Fratres, & dilecti Filij, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Paternæ charitati, qua chariſsimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Regem Chriſtianiſsimum, Eccleſias veſtras, vos ipſos, & vniverſum Regnum iſtud amplectimur, permoleſtum accidit, & planè acerbum cognoſcere ex veſtris Litteris die 3. Februarij ad Nos datis, Epiſcopos, Clerumque Galliæ, (qui Corona olim, & gaudium erant Apoſtolicæ Sedis) ita ſe erga illam in præſens gerere, vt cogamur multis cum lachrymis vſurpare Propheticum illud: *Filij matris meæ pugnaverunt adverſus me:* quamquam adverſus vos ipſos potiùs pugnetis, dum nobis in ea cauſa reſiſtitis, in qua veſtrarum Eccleſiarum ſalus, ac libertas agitur, & in qua Nos pro Iuribus, & dignitate Epiſcopali in iſto Regno tuenda, ab aliquibus Ordinis veſtri pijs, & fortibus viris appellati, abſque mora inſurreximus, & iam pridem in gradu ſtamus, nullas privatas noſtras paſsiones ſequuti, ſed debitæ Eccleſijs omnibus ſolicitudini, & intimo amori erga vos noſtro ſatisfacturi.

85 Nihil ſanè lætum, & veſtris nominibus dignum, eas litteras continere in ipſo earum limine intelleximus. Nam præterea, quæ de norma in Comitijs convocandis, peragendiſque ſervata afferebantur, animadvertimus eas oriri à metu veſtro, quo ſuaſore nunquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent in ardua, & excelſa, pro Religione, & Eccleſiaſtica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes: quem quidem metum falsò iudicaviſtis poſſe vos in ſinum noſtrum effundere. In ſinu autem noſtro hoſpitari perpetuo debet charitas Chriſti, quæ foras mittit, & longè arcet à ſe timorem. Qua charitate erga vos, Regnumque Galliæ, paternum cor noſtrum flagrare, multis iam, ac magnis experimentis cognoſci potuit, quæ hic referre non eſt neceſſe. Si quid eſt autem, in quo benemerita de vobis

bis ſit charitas noſtra, eſſe imprimis putamus hoc ipſum Regaliæ negotium: ex quo, ſi ſeriò res perpendatur, omnis Ordinis veſtri Dignitas, atque authoritas pendet. Timuiſtis ergo vbi non erat timor. Id vnum timendum vobis erat, ne apud Deum, hominesque redargui iure poſſetis, loco, atque honori veſtro, & Paſtoralis officij debito defuiſſe.

86 Memoria vobis repetenda erant, quæ antiqui illi Sanctiſsimi Præſules, quos quamplurimi poſtea qualibet ætate ſunt imitati, Epiſcopalis conſtantiæ, & fortitudinis exempla, in huiuſmodi caſibus ad veſtram eruditionem ediderunt. Intuendæ imagines Prædeceſſorum veſtrorum, non ſolùm qui Patrum, ſed qui noſtra quoque memoria floruerunt. Et qui Ivonis Carnotenſis dicta laudatis, debuiſtis facta etiam, cùm res poſceret, imitari. Noſtis, quæ is fecerit, paſſusque ſit in turbulenta illa, & periculoſa contentione inter Vrbanum Pontificem, & Philippum Regem, muneris ſui eſſe arbitratus contra indignationem ſtare, bonis ſpoliari, carceres, & exilia perferre, deſerentibus alijs cauſam meliorem.

87 Officij veſtri erat Sedis Apoſtolicæ authoritati ſtudia veſtra adiungere, & Paſtorali pectore, humilitate Sacerdotali, cauſam Eccleſiarū veſtrarum apud Regem agere, eius conſcientiā de tota re inſtruendo, etiā cum periculo regium in vos animū irritandi: vt poſſetis in poſterū ſine rubore in quotidiana Pſalmodia Deū alloquentes Davidica verba proferre: *Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regū, & non confundebar.*

88 Quanto magis id vobis faciēdum fuit, tam perſpecta, atque explorata optimi Principis iuſtitia, & pietate, quem ſingulari benignitate Epiſcopos audire, Eccleſijs favere, & Epiſcopalem poteſtatem intemeratam velle, vos ipſi ſcribitis, & nos magna cum voluptate legimus in veſtris litteris? Nō dubitamus, ſi ſtetiſſetis ante Regem pro cauſæ tam iuſtæ defenſione, neque defutura vobis verba quæ loqueremini, neque Regi cor docile, quo veſtris annueret poſtulatis. Nunc cùm muneris veſtri, & Regiæ æquitatis quodammodò obliti in tanti momēti negotio ſilentium tenueritis: non videmus, quo probabili fundamento, ſignificetis, vos ad ira agendum adductos, quòd in controverſia victi ſitis, quòd cauſa cecideritis. Quomodo victus eſt qui non pugnavit, quomodo cecidit qui non ſtetit? Et quis veſtrùm tam gravem, tam iuſtam cauſam, tam ſacroſanctam oravit apud Regem? Cùm tamen Prædeceſſores veſtri eam in ſimili periculo conſtitutam non ſemel apud ſuperiores Galliæ Reges, imò apud hunc ipſum libera voce defenderint, victoresque à Regio conſpectu diſceſſerint, relatis etiam ab æquiſsimo Rege præmijs Paſtoralis oficij ſtrenuè impleti.

89 Quis veſtrùm in arenam deſcendit, vt opponeret murum pro Domo Iſrael? Quis auſus eſt invidiæ ſe offerre? Quis vel vocem vnam

emi-

emiſit memorem priſtinæ libertatis? Clamarunt interim, ſicuti ſcribitis, & quidem in mala cauſa pro regio iure. Clamarunt Regis adminiſtri, cùm vos in optima pro Christi honore ſileretis.

90 Neque illa ſolidiora, quòd redditur nobis rationem, ſeu veriùs excuſationem allaturi rerum in huiuſmodi Comitijs per vos actarum, exaggeratis periculũ, ne Sacerdotium & Imperium inter ſe collidantur, & mala, quæ exindè in Eccleſiam, & in Rempublicã conſequi poſſent. Proindè exiſtimaſſe vos ad officiũ veſtrum pertinere aliquã inire rationem tollendi de medio gliſcentis diſsidij; nullã vero commodiorẽ apparuiſſe, remedio ab Eccleſiæ Patribus indicato, vtili condeſcenſione Canones temperandi pro temporũ neceſsitate, vbi neque fidei veritas, neque morũ honeſtas periclitentur. Deberi ab Ordine veſtro, deberi à Gallicana, immò ab vniverſa Eccleſia, plurimum Regi tam præclarè de Catholica Religione merito, & indies magis mereri cupienti. Propterea vos iure veſtro decedentes, illud in Regem contuliſſe.

91 Omittimus hic commemorare quæ ſignificatis de appellato à vobis ſæculari magiſtratu, à quo victi diſceſſeritis. Cupimus enim eius facti memoriam aboleri, & volumus ea vos verba è litteris veſtris expungere, ne in actis Cleri Gallicani reſideant, ad dedecus veſtri nominis ſempiternum.

92 Quæ de Innocentio III. Benedicto XII. Bonifacio VIII. in veſtram defenſionem adducitis, non defuere, qui doctis lucubrationibus oſtenderint, quàm frivola, atque extranea ſint huic cauſæ: magis notũ eſt, quàm vt opus ſit commemorare, quo zelo, qua conſtãtia, eximij illi Pontifices Eccleſiæ libertatem defenderint adverſus ſæculares poteſtates. Tantum abeſt, vt eorum exempla poſsint errori veſtro ſuffragari.

93 Cæterùm vltrò admittimus, & laudamus conſilium relaxandi Canonum diſciplinam pro temporum neceſsitate: vbi fieri id poſsit ſine fidei, & morum diſpendio. Immo addimus cum Auguſtino, toleranda aliquando pro bono vnitatis, quæ pro bono æquitatis odio habenda ſunt, neque eradicanda zizania, vbi periculum ſit, ne ſimul triticum etiam eradicetur. Id ita tamen accipi oportet, vt in aliquo tantùm peculiari caſu, & ad tempus, & vbi neceſsitas vrget, licitum ſit, ſicuti factum eſt ab Eccleſia cum Arianos, & Donatiſtas Epiſcopos, eiurato errore, ſuis Eccleſijs reſtituit, vt populos, qui ſecuti eos fuerant, in officio contineret.

94 Aliud eſt vbi diſciplina Eccleſiæ per vniverſum ampliſsimi Regni ambitum, ſine temporis termino, & cum manifeſto periculo, ne exemplum latiùs manet, labefactatur: imò evertitur ipſius diſciplinæ, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ fundamentum: ſicuti evenire neceſſe eſſet, ſi quæ à Rege Chriſtianiſsimo in negotio Regaliæ nuper acta ſunt,

conniventibus, imò etiam conſentientibus. Nobis, contra ſacrorum Canonum, & præſertim Generalis Concilij Lugdunenſis authoritatem, contra notam iam pridem vobis in ea rementē noſtram, & contra ipſam iuris iurandi religionē, qua vos Deo, Romanæ, veſtriſq; Eccleſijs obligaſtis, cùm Epiſcopali charactere imbueremini; hæc ſancta Sedes executioni mandari, & malum invaleſcere diutiùs differendo permitteret: ac non ea Nos pro tradita divinitùs humilitati noſtræ ſuprema in vniverſam Eccleſiā poteſtate, ſolemni more Prędeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, improbaremus; cùm præſertim per abuſum Regaliæ non ſolùm everti diſciplinam Eccleſiæ res ipſa doceat; ſed etiam fidei ipſius integritatem in diſcrimen vocari, facilè intelligatur ex ipſis Regiorum decretorum verbis, quæ ius conferendi beneficia Regi vindicant, non tanquam profluens ex aliqua Eccleſiæ conceſsione; ſed tanquam ingenitum, & coævum Regiæ Coronæ.

95 Illam verò partem litterarum veſtrarum non ſine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, vos iure veſtro decedentes, illud in Regem contuliſſe: quaſi Eccleſiarum, quæ curæ veſtræ creditæ fuere, eſſetis arbitri, non cuſtodes. Et quaſi Eccleſiæ ipſæ, & ſpiritualia earum iura poſſent ſub ſæcularis poteſtatis iugum mitti ab Epiſcopis, qui ſe pro earum libertate in ſervitutem dare deberent.

96 Vos ſanè ipſi hanc veritatem agnoſcitis, & confeſsi eſtis, dum alibi pronunciaſtis, ius Regaliæ ſervitutem quandam eſſe, quæ in eo præſertim, quod ſpectat beneficiorū collationem, imponi non poteſt, niſi Eccleſia concedente, vel ſaltem conſentiente.

97 Quo iure vos ergò ius illud in Regem contuliſtis? Cumque ſacri Canones diſtrahi vetent iura Eccleſiarū, quomodò ea vos diſtrahere in animum induxiſtis, quaſi eorundem Canonum auctoritati derogare liceat vobis?

98 Revocate in memoriam, quæ inclytus ille conterraneus veſter Clarevallenſis Abbas, non Gallicanæ modo, ſed etiā Vniverſalis Eccleſiæ lumen à vobis meritò nuncupatus, Eugenium Pontificem officij ſui admonens, reliquit ſcripta præclarè, meminiſſet ſe eſſe cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt, eſſe quidē, & alios Cœli Ianitores, & Gregum Paſtores; ſed cùm habeant illi aſsignatos greges, ſinguli ſingulos, ipſi vniverſos creditos, vni vnum: Nec modo ovium, ſed & Paſtorum Eugenium eſſe Paſtorem: Ideoq; iuxta Canonum ſtatuta alios Epiſcopos vocatos fuiſſe in partē ſolicitudinis; ipſum in plenitudinem poteſtatis.

99 Ex quibus verbis, quantū vos admoneri par eſt de obſequio, & obedientia, quam debetis huic ſanctæ Sedi, cui nos Deo authore (quamquam immeriti) præſidemus; tantundem Paſtoralis noſtra ſolicitudo excitatur ad inchoandam tandem aliquando in hoc negotio, quam

nimia fortaſſe longanimitas noſtra, dum pœnitentiæ ſpatium damus, hactenus diſtulit Apoſtolici muneris executionem.

100 Quamobrem per præſentes litteras tradita à nobis ab omnipotenti Deo authoritate improbamus, reſcindimus & caſſamus, quæ in iſtis veſtris Comitijs acta ſunt in negotio Regaliæ, cum omnibus indè ſecutis, & quæ in poſterum attentari contingat, eaque perpetuò irrita, & inania declaramus, quamvis cùm ſint per ſe manifeſtè nulla, caſſatione, aut declaratione huiuſmodi non egerent.

111 Speramus tamen vos quoque ipſos, re meliùs conſiderata, celeri retractatione conſulturos cõſcientiæ veſtræ, & Cleri Gallicani exiſtimationi. Ex quo Clero ſicuti hucuſque non defuere, ita in poſterum non defuturos confidimus, qui boni Paſtoris exemplo, libenter animam ponere parati ſint pro ovibus ſuis, & pro teſtamento Patrum ſuorum.

102 Nos quidem pro officij noſtri debito parati ſumus, Dei adiutrice gratia, ſacrificare ſacrificium iuſtitiæ, & Eccleſiæ Dei iura, ac libertatem, & huius ſanctæ Sedis authoritatem, dignitatemque defendere; nihil de nobis, ſed omnia de eo præſumentes, qui nos confortat, & operatur in nobis, & qui iuſsit Petrum ſuper aquas ad ſe venire: præterit enim figura huius mundi, & dies Domini appropiquat.

103 Sic ergò agamus, venerabiles ac dilecti filij, vt cùm ſummus Pater familiàs, & Princeps Paſtorum rationem ponere voluerit cum ſervis ſuis, ſanguinem peſſundatæ, laceratæ Eccleſiæ, quam ſuo acquiſivit de noſtris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apoſtolicam Benedictionem, cui cœleſtem accedere optamus, intimo paterni amoris affectu impertimur. Datum Romæ apud Sanct. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 11. Aprilis 1682. Pontificatus noſtri anno ſexto. *MARIVS SPINVLA.*

SECTIO NONA.

Notæ, ſeu obſervationes quædam in idem Reſcriptum SS. D. N. Innocentij ad Præſules Gallicanos: quorum Epiſtola in ſuperioribus exſcripta iterum multipliciter improbatur.

104 AVSIM Polliceri neminem doctum & Catholicum (modò liber à præiudicio ſit circa hanc controverſiam) lecturum Epiſtolam præiactã, quin ſtatim in ea detegat ſpiritum Apoſtolicum, & proprium Verorum illorum Pontificum, quos Eccleſia Sanctorum Faſtis adſcripſit. Sic nimirum Romani Præſules Primitivæ Eccleſiæ loquebantur: ſic deinde Innocentius I. Cœleſtinus I. Leo Magnus, Gregorius Magnus, Agatho, Hadrianus I. Nicolaus I. Gregorius VII. & alij plures, in ſuis Epiſtolis: præſertim dum Eccleſiæ diſciplinam, libertatem, & immunitatem aſſererent. Solùm itaque oportet nõnulla obſervare in eandem Epiſtolam, remiſis alijs in opportuniorem locum.

105 NIHIL SANE LÆTVM, &c. num. 85. Triplici ex capite videtur SS. D. N. Innocentius ijs verbis perſtringere Galliarum Antiſtites. Primò ob formam ſervatam in Comitijs convocandis peragendiſque; quæ videtur inſolita, & præter, aut cõtra ius. Deinde in ijs deſideratur præſentia Illuſtriſs. Archiepiſcopi Lugdunenſis, tanquam Primatis Galliarum: cuius præcipuæ partes debuiſſent eſſe in Clero congregando. Secundò incuſat illos timoris, ſeu metus, quo perculſi deſeruerint

rint cauſam Eccleſiaſticę libertatis. Nimirum, generatim verum eſt, & inter axiomata Canonum habetur: *Quiſquis metu cuiuslibet poteſtatis veritatem occultat, convincitur magis timere homines, quàm Deum.* Hæc autem labes tetrior eſt in Sacerdotibus: ijs maximè qui ratione Hierarchicæ dignitatis præeunt cæteris, & vi muneris ſibi à Deo cõmiſsi debent prædicare ac tueri palam veritatem, & Eccleſiæ partes agere, ac Principes in officio continere, ſi fortè exorbitent. Tertiò quòd videantur eundem metum inijcere voluiſſe in ipſum Pontificē, dum tantopere prædicant Regis ſui potentiam, fortitudinem, & dexteritatem militarem, ac proſperos in bello ſucceſſus. quaſi ijs perterritus Innocentius conceſſurus ſit per vim aliquid vtcumque repugnans Eccleſiaſticæ libertati. Longè aliter omnes, aut ferè omnes Galliarum Antiſtites loquebantur olim, tempore Paſchalis II. Cùm is nec precibus, nec minis Regum Angliæ & Germaniæ, trahi potuiſſet ad concedendum Privilegium inveſtiturarum, idque ſpatio plurium annorum; tandem ab Henrico V. extractus fuit per vim ab Vrbe, & exutus ſacris veſtibus, ſimul cum multis Cardinalibus, & Clericis, duro carceri mancipatus in oppido quodam: donec multorum ſuaſu, & timore, nō tam capitis ſui, quàm ſchiſmatis pernicioſiſsimi in tota Eccleſia, extorqueri à ſe Privilegium paſſus eſt. Verùm non modò Cardinales qui Romæ occulti permanſerant, & alij Italiæ Epiſcopi; ſed omnes penè Antiſtites Galliarū eam ceſsionem iuris, ſeu condeſcenſionem, indignā Romano Pontificē arbitrati ſunt, editis clamoribus & ſcriptis contra illum, etiam in Concilijs ob eam cauſam congregatis: vt vidimus ab initio ferè huius Diſputationis, prolatis in medium teſtimonijs ipſorū. Quid facerent ſi Paſchalis imaginario ſolùm timore, aut metu, vel carceris, vel ſchiſmatis, id induſiſſet? Atqui ob denegatum Regi Chriſtianiſsimo ius in bona quarundam Eccleſiarum vacantium, non niſi imaginarius timor eſſe poteſt quòd tam Catholicus, tam pius, tā magnanimus Princeps, decernat, nec cogitet quidem, ſimilia in Optimum & Sanctiſsimū Eccleſiæ totius Parentem perpetrare, aut ſchiſma aliquod inducere. Multò itaque magis, & liberiùs debuiſſent Gallicani Præſules exhortari Innocentium ne timeat imaginaria mala, quàm ipſorum Prædeceſſores criminari ſunt Paſchalem, quòd obrutus ærumnis & malis præſentibus timuiſſet. Quapropter iure Innocentius eos carpit verbis illis ex Pſalmo mutuatis: *Timuiſſis ergo, vbi non erat timor.*

106 MEMORIA VOBIS REPETENDA ERANT, &c. num. 86. Admonet in eos officij, memoratis in genere exemplis infractæ conſtantiæ pro Eccleſiæ libertate apud Veteres illos Præſules ſanctiſsimos, quos deinde quamplurimi alij omni tempore imitati ſunt. Nimirum ijs plena eſt Hiſtoria Eccleſiaſtica, & nominatim Gallicana: præter ea, quæ de Epiſcopis Galliarum ſub Paſchali II. toties monuimus. Eiuſdemque Pontificis, ſicuti & Vrbani II. Prædeceſſoris ſui tempore, S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ac poſtea intra ſæculum duodecimum S. Thomas Cantuarienſis, pro Eccleſiæ tuenda libertate exilium diuturnum, & innumera alia mala à Regibus Angliæ paſsi ſunt.

107 Verum quoniam recentes Galliarum Epiſcopi in Epiſtola illa 3. Februarij ſcripta hoc anno M. DC. LXXXII. potiſsimū innituntur teſtimonijs quibuſdam Ivonis Carnotenſis, regerit in eos Innocentius exemplum conſtantiæ eiuſdem: qui in periculoſa illa cõtentione inter Vrbanum II. Papam, & Philippum Galliæ Regem, non dubitavit Regiam indignationem ſubire, bonis ſpoliari, carceres & exilia perferre: vt Scriptores eius temporis narrant. Oporteret autem Illuſtriſsimos Galliarum Antiſtites potiùs ſibi proponere imitandam Ivonis conſtantiam in perferendis laboribus pro bono Eccleſiæ, quàm lapſum in excuſandis aut defendendis ad tempus inveſtituris laicis, ob quem malè audivit apud Sedem Apoſtolicam, & penè obſcuravit quidquid antea pro Eccleſia geſſerat & toleraverat, donec correctus ab Vrbano II. meliora didicit & docuit. Contigit enim anno Chriſti M.XCVIII. vt Hugo Archiep. Lugdunenſis, & S.R.E. Legatus, reſiſteret conſecrationi Daimberti electi Archiepiſcopi Senonenſis, niſi priùs ipſi obedientiam profiteretur, tanquam Primati Galliarum; ac præterea quòd inveſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſet. Verùm Hugoni palàm reſtitit, quoad vtrumque Ivo Carnotenſis: & quoad prius quidem, vicit: quoad poſterius verò, non parum offenſionis incurrit apud Romanum Pontificem, veluti qui contradixiſſet Canonibus ſacris. Sed audiamus id à Spondano Epiſcopo Appamienſi, nobili breviatore Annalium Baronij ad annum M.XCIX. num. 2. vbi inquit: *Hugo Electum reprehendebat quòd inveſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſet; hoc Ivo licitè abſque vllo læſæ religionis crimine fieri poſſe contendens, de inveſtituris vetitis nimis abiectè, imo deſpectè multa ingeſſit* (licèt excuſaverit, ſe haud velle Sedis Apoſtolicæ ſalutaribus diſpoſitionibus obviare) *iſta quidem niſi corrigerentur ab alijs eiuſdem Auctoris Epiſtolis, famam ipſius, & nomen glorioſum, quod ex defenſio-*

ne Apoſtolicæ Sedis, & Catholicæ veritatis, ſivi digniſsimè comparavit, in diſcrimē maximum adducerent. Ideoque haud mirū, ſi Vrbanus Papa, prædictis acceptis ipſius litteris a legato, vehementer in ipſum commotus fuerit. Cuius iræ pondus Iuo non ferens eo quaſi deſperationis adactus eſt, vt ſe ab Epiſcopatu abdicare ſtatuerit, licentiamque id peragendi ab Vrbano petierit. Tam procul in eo fuit à laude promerenda. Deinde quomodo idem Ivo reverenter exceperit Canones Gregorij VII. & eiuſdem Vrbani II. quibus laicas inveſtituras damnabant, & qualiter tandem poſt plures annos revocata in controverſiam eadem quæſtione tēpore Paſchalis II. acquieverit cæteris Galliarum Epiſcopis, ac nominatim Ioanni Archiepiſc. Lugdunenſi, illas tanquam hæreſi obnoxias damnantibus, iam ſupra num.44 & 45. obſervatum fuit, nec inculcare oportet Mirum itaque eſt quòd moderni Galliarum Præſules nō modò vires non exerant pro libertate quarumlibet Eccleſiarum tuenda: ſed & conſilium ſuum in hac parte tueri velint, ſive exemplo, ſeu doctrina Ivonis: qui dum pro laicis inveſtituris ſcripſit, tantùm non traductus fuit veluti hoſtis Eccleſiæ; dum autem fortiter & conſtanter eas repulit, honorem pene amiſſum recuperavit, & æternam ſuo nomini gloriam aſſeruit. Potiùs deberent Glorioſiſsimo Regi Ludovico XIV. in memoriam revocare inſignem pietatem magnificentiamque Deceſſorū ipſius à tempore Clodovæi in Eccleſiam: cui ampliſsima privilegia, dona, & redditus contulerunt, nihil antiquius habentes, quàm vt eius integræ libertati, indemnitati, & honori conſulerent. Et certè ex ijs Carolus Martellus Regio nomine, aut munere potiùs in Gallia, inſignem famam ſibi vbique comparavit quandiu Romanis Pontificibus, nimirum Gregorio II. & III. opem tulit: alteri contra Leonem Iſaurum Imperatorem hæreticum, alteri adverſus Longobardos: præterea ob innumeras victorias ex hoſtibus reportatas, præſertim Sarracenis, de quibus bis triumphavit, & vna vice trecenta ſeptuaginta quinque millia interfeciſſe legitur. At poſtea non parum obſcuravit famam ſuam ex quo præter fas ſe ingeſsit rebus Eccleſiaſticis, boniſque: vt frequenter Hiſtorici narrant ad annum 741. in quo ille humana poſuit. Quid dicam de Carolo Magno, Francorum Regum Imperatorumque exemplari miro? Nemo vnquam eo liberalior aut religioſior erga Eccleſiam, eiuſque plenam libertatem. Quare Romam veniens anno 774. honorificentiſsimè exceptus fuit ab Hadriano Papa, & donationem Eccleſiæ Romanæ factam à Pipino patre ſuo confirmavit. Electiones Epiſcoporū liberas eſſe voluit, ſive privilegium accepiſſet inveſtiendi Epiſcopos, ſive nō. de quo iam ſuprà Diſp. XXXIII. num. 23. Coronatus Imperator à Leone Tertio Papa, Iuramentum præſtitit de Romanæ Eccleſiæ defenſione anno 800. fuitque ſemper eximius cultor S. Petri, & ei Saxoniam ac Gallias vectigales fecit anno ſeptingenteſimo octuageſimo ſecundo. Se Filium & Defenſorem Romanæ Eccleſiæ indigetabat, plurimumque detulit ipſi, & Foro Eccleſiaſtico: vt legere eſt apud Baronium ad annum 801. Imperium deinde arbitrio Romani Pontificis diſponendum reliquit anno 806. & in Teſtamento ſcripto anno 811. de bonis ſuis liberis maximam partem Eccleſijs ac pauperibus reliquit. Denique ob ea & alia præclara geſta, immortale ſibi nomen aſſeruit: eiuſque obitum anno 814. communi luctu plorarunt Fideles pariter & Infideles, quaſi totus Orbis communem Patrem amiſiſſet. Mitto S. Ludovicum Galliarum Regem, de quo infrà num. 142.

108 CÆTERVM VLTRO ADMITTIMVS, &c. num. 93. Refellit hiſce verbis excuſationem à Clero Gallicano allegatā de rebus à ſe geſtis in Generalibus Comitijs, intuitu pacis & concordiæ ineundæ Regnum inter & Sacerdotium: quaſi id bonum maximum ſit, & præponderet plurimùm malo ſubiectionis quarundam Eccleſiarum. Refellit, inquam, & ſolidè quidem, tradita regula de moderatione Canonum ad tempus, & in ſingulari caſu, & vrgente neceſſitate. De quo plura præmiſimus ſuprà num. 71. 72. 73. & 74. huc opportunè advocanda. Quod verò Gallicani Præſules opponunt de Innocentio III. Gregorio XII. & Bonifacio VIII. qui initio fortiter aſſeruerunt libertatem Eccleſiarum, ſed tādem ceſſerunt ad graviſsima mala vitanda, ſolùm probat SS. D. Innocentius XI. quoad ipſorum conſtantiam fortitudinemque. Si enim ponatur, eos tandem ceſsiſſe, fortaſsis in hoc laudādi non ſunt, minùs autem imitandi, præſertim poſt tot experimenta abuſuum & innumerabilium malorum ex laicis inveſtituris & nominationibus ſequutorum in Gallijs: vt vidimus num. 81. & ſeqq. Sic & Paſchalis II. Inveſtiturarum Privilegium à ſe extorqueri permittens, quamvis in extremo vitæ ſuæ ac ſuorum periculo, & ſchiſmate toti Eccleſiæ imminente, non propterea laudem vllam, ſed potiùs reprehenſionem & dedecus ſibi peperit apud omnes ferè Epiſcopos & Scriptores ſui temporis & ſequentium Quid ſi Innocentius ita obijcientibus reponeret quod olim Victor III. agentibus partes Henrici IV. & pro eo allegantibus, quamvis falsò, Reſcriptum à Nicolao

lao II. Papa editum, in quo dicebatur, ipſum decreviſſe, vt in electione Romani Pontificis expectaretur arbitrium Imperatoris? Nimirum. Victor, ſæpe ſuprà laudatus, reſpondit: *Sedes Apoſtolica domina eſt noſtra, non ancilla: nec alicui ſubdita, ſed omnibus prælata: ET IDEO NVLLA OMNINO RATIONE A QVOQVAM SVB IVGVM MITTI POTEST. Quod ſi a Nicolao Papa factum eſt, iniuſtè profectò & temerè præſumptum eſt: NON TAMEN CVIVSQVAM STVLTITIA, VEL TEMERITATE, AMITTIT ECCLESIA DIGNITATEM SVAM.* Sic fortaſsis reſpondere poſſet SS.D.N. Innocentius XI. allegantibus Privilegia quorundã Romanorum Pontificum, fortaſſe non vera, aut per vim extorta, aut per fraudem obtenta, aut aliàs indebitè conceſſa. Quin etiam dum de Innocentio III. aliàs optimo Pontifice, antiquorum morum, & excellentis doctrinæ, legimus in Annalibus ſacris qualiter in extremis habuerit, & quàm inſigni ac miro Dei munere ad veram pœnitentiam converſus fuerit, commutata æterna pœna in temporalem vſque ad extremum Iudicij generalis diem; omnes in ſtuporem rapimur, nemóque tanti periculi & pœnæ cauſam certò deprehendit hactenus, quamvis multi id divinare tentaverint poſt Bellarminum & Spondanum. Quid ſi fortè id ſalutis æternæ diſcrimen ſubierit ob inveſtituras aliave iura Principibus laicis in Eccleſias tandem conceſſa, quamvis poſt reſiſtentiam diuturnam? Et hoc diſcrim, dato aut poſito quòd ille tandem ceſſerit, vti ponunt in Epiſtola ſua Antiſtites Galliarum. Nam alioqui in vita eius clariſsimi Pontificis nihil invenio, vnde id habeatur. Quin potiùs apud Spondanum ad annum Chriſti M. CCX. diſertè traditur quomodo ille fortiter & conſtanter ſe geſſerit adverſus Principes ſæculares, præſertim ob tuendam immunitatem & libertatem Eccleſiaſticam. Quin & num. 4. ibidem habetur, Innocentium ipſum litteras dediſſe *ad Philippum Francorum Regem, pro reſtitutione prædiorum, ac iurium, ſeu regalium Epiſcoporum Aurelianenſis, & Altiſiodorenſis, NE HAC OCCASIONE CONTINGERET INTER REGNVM ET SACERDOTIVM SCANDALVM EXORIRI.* Hæc Spondanus. Sed ô mira converſio! Nunc vice verſa Præſules Galliarum contendunt, vt iura Eccleſiarum vacantium Alectenſis & Appamienſis ſint apud Galliarum Regem, ne ſcandalum oriatur Regnum inter & Sacerdotium. Sed ſinamus gratis, Innocentium III. tandem ceſiſſe. Quid ſi ille, quid ſi nonnulli alij ex Romanis Pontificibus ob ſimilem cauſam idem periculum ſubierint? De Leone X. ob Concordata illa cum Rege Galliarum Franciſco inita, & ſuperiùs memorata num. 81. ſcimus quid ſentiant graviſsimi Scriptores, etiam eiuſdem Nationis; nec dubitavit ex ijs Genebrardus proferre carmina eo tempore pervulgata, quæ non audeo hoc loci exſcribere. Mirum itaque non eſt, SS.D.N. Innocentium, quibuſlibet exemplis Prædeceſſorum quorundam allegatis, non flecti, & potiùs ſectari innumeros alios ſanctiſsimos Præſules Romanæ Eccleſiæ: quibus religioni fuit Eccleſiam per ſe liberam & dominam Regiæ alicui aut Imperiali poteſtati ſubijcere, aut occaſionem præſtare, vt bona Eccleſiarum, quæ pijs ſolùm operibus, & pauperum inopiæ ſublevandæ, ſunt divinitus deſtinata, in profanos vſus, aut etiam turpes, impendantur. Satis itaque, ne dicam plus iuſto, indultum fuit Chriſtianiſsimis Regibus in hac parte, quin vlteriùs progrediantur, & velint Privilegia extendere in eas Eccleſias, quæ hactenus ex iure & conſuetudine antiquam libertatem retinuerunt.

109 Plura alia, quæ ſpectant ad idem Reſcriptum Innocentij, præſertim quoad ceſſionem indebitam iuris Epiſcoporum Galliæ in gratiam Chriſtianiſsimi Regis, ſatis perſpicua ſunt. Vide quæ præmiſsimus ſectione ſeptima per totam, & accipe verba Concilij Generalis II. Lugdunenſis celebrati in medio Galliarum à Gregorio X. Papa: in cuius Ca-
„ none 21. hæc habentur: * Hoc conſultiſsi-
„ mo prohibemus edicto, vniverſos & ſingu-
„ los Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona
„ immobilia, ſeu iura ipſarum laicis ſubmit-
„ tere, ſubijcere, ſeu ſupponere, abſque capitu-
„ li ſui conſenſu, & *Sedis Apoſtolicæ licen-*
„ *tia ſpeciali*, non concedendo bona ipſa, vel
„ iura in emphyteuſim, ſeu aliàs alienando in
„ forma, & caſibus à iure permiſsis, ſeu con-
„ ſtituendo, vel recognoſcendo, ſeu profiten-
„ do ab illis ea tanquam à Superioribus ſe te-
„ nere, ſeu ab ipſis eadem advocando (prout
„ in quibuſdam partibus vulgariter dicitur *à*
„ *vober*) vel ipſos Patronos, ſeu advocatos
„ Eccleſiarum ſeu bonorum ipſarum perpe-
„ tuò, aut ad tempus non modicum ſtatuen-
„ do. Contractus autem omnes, etiam iuramẽ-
„ ti, pœnæ, vel alterius cuiuslibet firmitatis
„ adiectione vallatos, quos de talibus aliena-
„ tionibus ſine huiuſmodi licentia & conſen-
„ ſu contigerit celebrari, & quidquid ex eis
„ ſequutum fuerit, decernimus adeò viribus
„ omnino carere, vt nec ius aliquod tribuant,
„ nec præſcribendi etiam cauſam pariant. Et
„ nihilominus Prælatos, qui ſecùs egerint ip-
„ ſo facto officio, & adminiſtratione, Cleri-

cos

,, eos autem qui ſcientes contra inhibitionẽ
,, prædictam aliquid eſſe præſumptum id ſu-
,, periori denuntiare neglexerint, à percep-
,, tione beneficiorum, quæ in Eccleſia ſic gra-
,, vata obtinent, triennio ſtatuimus eſſe ſuſpẽ-
,, ſos. Laici verò, qui Prælatos, vel Capitula
,, Eccleſiarum, ſeu alias perſonas Eccleſiaſti-
,, cas ad ſubmiſsiones huiuſmodi faciendas
,, hactenus compulerunt, niſi poſt competen-
,, tem monitionem remiſſa ſubmiſsione, quã
,, per vim, aut metum exegerant, Eccleſias, &
,, bona Eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua
,, libertate admittant: Illi etiam qui de cætero
,, Prælatos, vel perſonas eaſdem ad talia fa-
,, cienda compulerint, *cuiuſcumque ſint cõ-*
,, *ditionis, aut ſtatus*, excommunicationis
,, ſint ſententia innodati, contractibus præte-
,, rea ſuper præmiſsis huiuſmodi, licentia &
,, conſenſu intervenientibus, hactenus initis,
,, vel quos in futurum iniri continget, ſeu oc-
,, caſione illorum laici vltra id quod eis ex
,, natura contractuum ipſorum, vel adhibita
,, in illis lege permittitur, aliquid non vſur-
,, pent. Qui verò ſecùs egerint, niſi legitimè
,, moniti ab huiuſmodi vſurpatione deſtite-
,, rint, reſtituendo etiam quę taliter vſurpa-
,, tarit, eo ipſo ſententiam excommunicatio-
,, nis incurrant, & ex tunc ad ſupponendum
,, terram ipſorum, ſi opus fuerit, Eccleſiaſtico
,, interdicto, liberè procedatur. * Hactenus ibi. Viderint ergo Illuſtriſs. ij Præſules, quo iure, immo quàm contra ius, tranſtulerint in Chriſtianiſsimum Regem quodlibet ius in Eccleſiam, ſeu in Beneficia Eccleſiaſtica, aut in illius bona, *ſine licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ*. Nec eſt quòd reſpondeant in eo decreto nihil caveri in ordine ad Reges, qui ob ſummam dignitatem ſuam debuiſſent nominatim exprimi. In oppoſitum enim eſt, omnem alienationem bonorum ſeu iurium prohiberi in eo Canone, dum extenditur ad perſonas laicas, *cuiuſcumque ſint conditionis, aut ſtatus*. ſub qua communi notione palam eſt, Reges etiam comprehendi, potiſsimùm ijs ſæculis, quibus ea diſtinctio non erat curæ Pontificibus, aut Concilijs, vbi in genere aliquid decernebant contra perſonas cuiuslibet dignitatis. Vide præterea Decretal. libr. 3. tit. 4. cap. 2. *Licèt Eccleſiarum, &c.* vbi cùm ſolius Pontificis eſſe aſſeratur Epiſcopatus, & Dignitates quaſvis Eccleſiaſticas conferre; excluditur plenè omnis poteſtas ſæcularis, etiam Regia & Imperatoria. Sed de his forſan latiùs alibi, vt iam monui. Quin & iura quælibet in Dignitates, Beneficia, ac bona Eccleſiaſtica, eſſe prohibita à Sede Apoſtolica omnibus laicis, etiam Regibus, & Imperatoribus, indicto anathemate aut interdicto contra facientibus, conſtat ſatis ex Canonibus & Decretis Pontificijs, præſertim S. Gregorij VII. Victoris III. Vrbani II. & Paſchalis II. non ſemel ſuprà allegatis. Quare dubium non eſt, ſanctiones Concilij Generalis Lugdunenſis circa res ac bona Eccleſiaſtica, præſertim prout coniuncta cum alijs Canonibus antea editis à Sede Apoſtolica, extendi etiam ad Reges Imperatoreſque. Porrò ceſsio ipſa Præſulum Gallicanorum, & translatio omnium ſuorum iuriũ in Regem Chriſtianiſsimum (quam Romanus Pontifex in litteris prædictis irritam prorſus & inanem declarat) edita fuit ab ijs die 19. Martij hoc anno M.DC.LXXXII. & incipit, *Comme nous nous ſommes principalement aſſemblez pour les affaires de la Regale, &c.* Prout edita habetur Pariſijs apud Federicũ Leonardum. Vide infrà n. 145. & duobus ſequentibus: ac præterea ſuprà n. 23. vbi etiam ad Imperatores, Regeſque nominatim extenditur prohibitio & pœna dationis ac receptionis inveſtiturarum. Quod ipſum habetur in Decreto 1. p. diſt. 63. cap. 1. ex Hadriano Papa in Synodo Octava Generali, & inſuper cap. 2.

SECTIO DECIMA.

Proferuntur tres Epiſtolæ Pontificiæ eiuſdem SS. D. N. Innocentij XI. ad Chriſtianiſsimum Regem Ludovicum XIV. Vt deſiſtat à prætenſo iure in bona quarundam Eccleſiarum vacantium, hactenus liberarum: digniſsimæ quidem legi, veluti Apoſtolico zelo ſcriptæ.

110 VERVM Vt pleniùs & evidentiùs innoteſcat, quàm exactè ſanctiſſimorum illorum Romanæ Eccleſiæ Præſulum Gregorij VII. Victoris III. Vrbani II. & aliorum ſimilium, doctrinam & exempla ſecutus fuerit, & quàm prudenter ſe geſſerit SS. D. Innocentius XI. in hoc recenti ac pertinaci diſsidio, ac qualiter regulas omnes Chriſtianæ charitatis, comitatis, & benignitatis ſervaverit erga Glorioſiſsimum Galliarum Regem Ludovicũ XIV. viſum eſt operę pretium exhibere ordine ſuo Epiſtolas ab illo ſcriptas: vt is ſponte, & qua pollet Regia animi magnificentia, ac mira in Religionem Catholicam pietate, abſtineat à iure pretenſo in bona quarundam Eccleſiarum vacantium, quod ſibi nulla prorſus ratione competit. Porrò ex litteræ Pontificię eodem ſpiritu ſcriptæ ſtatim apparent, ac pręcedens, dignæque priſcis ac magnis Eccleſiæ Romanæ Antiſtibus, & adeò perſpicuæ, vt nullis obſervationibus noſtris opus ſit, præter ea, quę toto Diſputationis decurſu pręmiſsimus.

EPISTOLA

EPISTOLA PRIMA

SS. D. N. INNOCENTII PAPAE VNDECIMI ad Chriſtianiſsimum Regem Ludouicum XIV. circa cuſtodiam fructuum quarundam Eccleſiarum vacantium, quam Regaliam vocant. Die 12. Martij M.DC.LXXVIII.

CHARISSIME In Chriſto Fili Noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Iam pridem inaudivimus, non deeſſe Maieſtati tuæ Conſiliarios, & Adminiſtros, qui tibi perſuadere niterentur, vt vſum illum antiquum cuſtodiæ fructuum vacātium Eccleſiarum, quod Regaliam vocant, ad eas quoque Regni tui Eccleſias extenderes, quas iuri illi obnoxias numquam fuiſſe, vel ex ipſis fiſci Regij tabularijs liquidò conſtet. Sed nos memoria repetentes omnem ea de re controverſiam communi olim Catholicæ Eccleſiæ conſenſu, & benigna Sedis Apoſtolicæ indulgentia providè, ſapienterque compoſitam fuiſſe in Generali Concilio Lugdunenſi, minimè ad credendum adduci poteramus, Maieſtatem tuam conſilijs huiuſmodi aures præbituram aliquando eſſe, multò minùs admoturam operi manum, invita Synodo tantæ apud vniverſam Eccleſiam auctoritatis, & reclamantibus Conſtitutionibus, & exemplis Regum maiorum tuorum, qui Conſtitutionem in eadem Synodo ad preces Regias, Regijs Legatis præſentibus, in ipſa Gallia, & tota Gallica gente efflagitante ſancitam, per integrum quatuor fermè ſæculorum ſpatium certatim probarunt, obſervaruntque, & præcipuo in honore ſemper habuerunt.

112 Nec veroſimile videbatur, Maieſtatem tuam poſtquam tantum ſibi apud Deum meriti, & apud homines gloriæ maximis pro Religione Catholica rebus geſtis comparavit, vt nullius maiorum tuorum Regum Clariſsimorum memoriæ poſsis invidere, velle rem aggredi, quæ nulla vel vrgente neceſsitate, vel æquitate ſuadente, magnum eſſet quam plurimis Galliæ Epiſcopis, eorumque Clero, incommodū, & iuſtum dolorem allatura, non ſine gravi Catholicorum omniū ſenſu, qui in Francorum Annalibus, & in ſacrorum Canonum ſtatutis animadvertunt, quantum id veteri conſuetudini, & Eccleſiæ libertati, ac diſciplinæ rationibus adverſetur. Vnde plerique, tum veteres, tum recentes Galliæ ſcriptores, quantumvis Maieſtatis tuæ, & imperio ſubeſſeſſe, & auctoritati, magnitudinique impenſiùs ſtuderet, in eos qui præfatam Regaliæ extenſionem ſuadere auſi fuerant, tamquam in malæ, perditæque cauſæ patronos, & favorem Aulæ captantes, libera indigna-

tione invectis,ſtylum ſubinde ſtrinxerunt. Nullus verò Galliæ Regum vel tentare id voluit,vel tentatum exequi ſuſtinuit, memor à Sapiente præclare præcipi, ne tranſiliamus terminos, quos poſuerunt patres noſtri.

113 Illud præterea nos huius periculi metu, curaque liberabat, quòd cum Maieſtas tua non multis ab hinc annis,huius ſanctæ Sedis liberalitate aucta,ornataque ſit,penè ſupra votum,indultis ampliſsimis, præter ea,quibus etiam Reges maiores tui eiuſdem Sedis benignitate gaudebant,nominandi ab beneficia Eccleſiaſtica; putaviſſemus ipſam ſanctiſsimi,ſapientiſsimique olim Galliæ Regis exemplo cogitare potiùs de ſe tam gravi,periculoſaque ſarcina exonerando, quàm de novis ineundis rationibus Regiæ in ſacros reditus auctoritatis amplificandæ. Sed vbi illatæ ad nos fuere bonæ memoriæ Nicolai Alectenſis Epiſcopi litteræ,in quibus poſt debitas Religioſi in hanc ſanctam Sedem obſequij,& fidelis obſervantiæ ſignificationes, ſuas ad nos querelas, quas propè iam moriens poſtea renovavit, ob Regaliæ vſum in Diœceſim ſuam, quæ ab eo libera ſemper fuit,nuper invectum deferebat, vnaque appellationem à ſententia Metropolitani Narbonenſis; deinde verò etiam edocti ſumus,idem Appamienſi Eccleſiæ pariter liberæ contigiſſe;ac tandem vidimus ipſi Regium Maieſtatis tuæ Decretum,quo omnes Gallici Regni Eccleſiæ huiuſmodi oneri iubentur aſſueſcere.

114 Mirati vehementer ſumus, Conſtitutionum Apoſtolicarũ, & Generalium Conciliorum Decretis,ac tam certa, compertaque apud omnes veritate,& iuſtitia potiores fuiſſe illorum conatus, qui terrena potiùs,& caduca,quàm cœleſtia,& æterna reſpicientes, dum Maieſtatis tuæ gratiam,potentiam amplificando,aucupantur,moleſtiſsimos tibi,& valdè periculoſos conſcientiæ terrores(quod Deus avertat) in id tempus præparant,cùm in diſtricto Dei iudicio mortales omnes, quocumque tandem potentiæ,ac dignitatis loco ſint, diligentem reddere debent omnis anteactæ vitæ rationem.

115 Nos itaque pro noſtra non minùs erga æternam, quæ magnæ nobis curæ & eſt, & eſſe debet, Maieſtatis tuæ ſalutem,quàm erga inclytum Clerum,& religioſiſsimos Galliæ Præſules, imò ergà vniverſam Eccleſiam,cuius in hoc negotio proculdubiò cauſa agitur, paterna charitate,ſeriò admonendum te,& vehementer hortandum,obſecrandumque iudicavimus,vt à tam iniuſtis,ac pernicioſis conſilijs animum abducas,præfatis Alectenſi,& Appamiarum, cæteriſque Regni tui Eccleſijs,quæ vſui Regaliæ hucuſque obnoxiæ non fuere, ſuas libertates & immunitates ſartas,tectaſque relinquas,nec eas de cætero vllo modo labefactari ſinas; ſed quidquid in contrarium hactenus actum, tentatum-

rum vè eſt, reparari, atque in priſtinum ſtatum reſtitui cures, nevè cœleſtis beneficentiæ fontem, quem ſubditæ tibi gentes pietatis imprimis, iuſtitięque tuæ merito, ſicuti credere nos iuvat, expertæ huiuſque ſunt; ſecùs nunc agendo, & Dei, per quem regnas, Eccleſiam tam graviter lædendo, obſtruas; qui ſcias huius quoque vitę bona; & Regnorum fœlicitatem, & incrementa à divina bonitate vnicè dari, expectandaque eſſe, ſicuti innumera omnium gentium, ac temporũ exempla teſtantur.

116 Nos ſanè hos animi noſtri ſenſus in ſinu tacitos continerę non patitur, vel noſtri Paſtoralis Officij ratio, cui ſollicitudo incumbit omnium Eccleſiarum; vel iuſtitiæ debitum, quo omnibus ad hanc ſanctam Sedem ex veteri, iuſtoque more, quem à nulla humana poteſtate impediri fas eſt, recurrentibus, ius reddere, conſilium, opem, ac paternũ patrocinium præſtare iubemur; vel denique neceſsitas occurrendi ſcãdalo, quo Chriſtiani latè populi ad tantæ rei exitum converſi afficerentur, ſi à laicali poteſtate Eccleſiæ, earumque Antiſtites, & Miniſtri ſuis libertatibus, atque immunitatibus, earumque vſu & antiqua poſſeſsione, contra Generalium Conciliorum Decreta, & veterem, inconcuſſamque obſervantiam ſpoliarentur, non alio prætextu, quàm novæ, atque inauditæ opinionis, nullo iure nixæ, cui nonnulli poſteà acceſſerunt; non quòd aliquid novi invenerint, quod rei veritatem tam apertam poſſet in dubium revocare; ſed vt rem ſuam agerent, nihil ſolliciti ſi publicam perderent.

117 Speramus Maieſtatem tuam cauſæ iuſtitia, & æquitate cognita, quæ patet ipſa per ſe, paternæ cohortationi ac precibus noſtris pro ſpectata animi tui pietate, & ſapientia, perpetuaque in hanc ſanctam Sedem obſervantia auſcultaturam; noſque cura, non minùs moleſta, quàm neceſſaria inter tot alias, quibus circumdamur, liberaturam. Sanè ſi aliter ſuadentium conſilia Maieſtas tua paulò attentiùs excuſſerit, facilè intelliget homines gratiæ, ac fortunis inhiantes, obtentu Regiæ poteſtatis, ſuam firmare velle, neque tam eſſe amplitudinis tuæ cupidos, quàm laudis inimicos; cùm auctores tibi ſint, vt qui longinquis nõ ita pridem expeditionibus, & ad omnem poſteritatis memoriam illuſtribus, Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem tueri, & religionem amplificare tantoperè ſtuduiſti in alienis terris; nunc à teipſo quodammodo abiectis, Eccleſiæ libertatem, auctoritatemque in tuis imminutam velis: quaſi verò facilè tibi perſuaderi poſſe confidant, æquum eſſe, vel fieri poſſe, vt nobilitetur & creſcat ex Eccleſiaſticis ruinis Imperium; quod religioſiſsimi, fortiſsimique Reges maiores tui mirifico in eandem Eccleſiam ſtudio, & pari in Apoſtolicam Sedem pietate imprimis partum, tibi eorum veſtigijs ſtrenuè inſiſtenti ampliſsimum reliquerunt. Tu Regis

eos,

eos, Fili chariſsime, vel potiùs te ipſum imitare, & eorum, tuaque præclarè facta, ſæpe in mentem revoca.

118 Nos quidem oblivisci non poſſumus Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, qui ſimilibus de cauſis graves, ac diuturnas pati ærumnas, & immanes contentionum, ac periculorum procellas, in eo confiſi, qui mari, ventiſque imperat, invicto animo ſubire non dubitarunt. Hæc ad Maieſtatem tuam inviti ſcribimus, qui in lætiori argumento verſari magnoperè cuperemus: ſed poſtquam Apoſtolicæ ſervitutis onus ſubeundo divinæ voluntati paruimus, liberũ nobis iam non eſt exequi noſtram, quæ tuæ obſecundare quacumque in re vellet, ſicut in pluribus, quas nobis ratio temporum, & publicæ pacis ſtudium hactenus indulgere permiſsit, cognoſcere potuiſti. Significavimus hæc ipſa Oratori Maieſtatis tuæ nobili viro Duci de Eſtrees, vt ad te pluribus referret, itidemque venerabili fratri Archiepiſcopo Adrianopolitano, Nuntio apud te noſtro, quem, vt de tota re differentem diligenter, ac benignè pro more tuo audire velis, vehementer à te petimus, ac Maieſtati tuæ Apoſtolicam benedictionem amantiſsimè impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die duodecima Martij 1678. Pontificatus noſtri anno ſecundo. *MARIUS SPINULA.*

EPISTOLA SECUNDA.

AD EUNDEM CHRISTIANISSIMUM, REGEM DIE 27. Septembris, M. DC. LXXVIII. circa eandem materiam.

INNOCENTIUS PAPA XI.

CHARISSIME In Chriſto Fili Noſter, Salutem, & Apoſtolicam benedictionẽ. Ex litteris, quibus Maieſtas tua ad noſtras quinta Aprilis datas reſpondit, & ex ijs, quæ ad nos retulit Venerabilis frater Archiepiſcopus Adrianopolitanus, eò rem adductam videmus, vt nos vel officio noſtro deeſſe, retinendo verbum in tempore ſalutis, vel tibi fortaſſe moleſti eſſe cogamur. Sed dabis, Chariſsime Fili, Paſtoralis officij debito, dabis paternæ ſollicitudini, atque amori in te noſtro, ſi te malè conſulentium culpa in ſummo æternæ ſalutis periculo conſtitutum videntes, opportunè, importunè inſtamus, & obſecramus elata voce clamantes, vt è tam præcipiti loco pedem referas.

120 Duo imprimis tibi pro veris, atque indubitatis, affirmari cognovimus ex tuis litteris. Primum quidem, Regaliæ ius, vti nuncupant in Eccleſias Galliæ vniverſas Maieſtati tuæ competere, tamquam Regiæ Coronæ inſitum, & innatum Deinde, clariſsimos Reges maiores tuos ius illud & exercuiſſe dum viverent, & ad te morientes hæreditario ordine tranſmiſiſſe. Quibus à te creditis, minimè miramur ſi ad ea progreſſus fuiſti, quæ taliũ principiorum conſectanea erant. M Ve-

121 Verumtamen illa tā aliena à vero ſunt, vt nihil magis; nemo enim ſanæ mentis, & doctrinæ auſit in dubiū revocare, nullū ſæculari poteſtati in res ſacras eſſe ius, niſi quatenus Eccleſiæ indulſit auctoritas. Hæc autem nō ſolùm Galliæ Regibus non indulſit, vt Regaliam prędictam extenderent ad Eccleſias illi oneri non aſſuetas; ſed etiam id fieri apertè vetuit in Generali Concilio Lugdunenſi, quod Gallia imprimis veneratur, & ſanctum habet.

122 Reges verò Prædeceſſores tuos, quotquot fuere, eiuſdem Concilij diſpoſitionem religiosè ſemper, & per quadringentorum fermè annorum ſpatium cuſtodiviſſe, & ſiquis eorum de illa infringenda cogitavit, re meliùs penſata ab incepto deſtitiſſe, audimus in confeſſo eſſe apud omnes ſcriptores, præſertim Gallos, & Regia ipſa tabularia ad oculū demonſtrare.

123 Quamobrem pati non poſſumus, nec debemus, Maieſtati tuæ obtrudi errorem tam manifeſtum, tam conſcientiæ tuæ, tam Galliæ Regno, tam Eccleſiæ vniverſæ perniciosum. Semel enim admiſſo, licere Maieſtati tuæ adverſus Generalis Concilij Lugdunenſis decreta, adverſus Regum maiorum tuorum exempla, adverſus ipſam rerū ſacrarum naturam, & primigeniam Eccleſiarum libertatem, invehere ius Regaliæ in eas quoque Eccleſias, quæ huiuſmodi oneri obnoxię nunquam fuere, idque palam diſſentiente, & reclamante, & ineluctabilem cœleſtis irę animadverſionem multis cum lachrymis denuntiante Romano Pontifice, ad quem, ſicuti vetus conſuetudo poſcebat, nonnulli Galliæ Epiſcopi à Metropolitanorum ſententijs appellarunt; nemo non videt, quæ inde Eccleſię Catholicæ deformatio ac ruina, quæ ſacrarum, ac prophanarum rerum confuſio, ſublato quodammodo in ſpiritualem ac ſæcularem poteſtatem pariete medio, ſit conſecutura, non in Gallia ſolùm, ſed in omnibus alijs Chriſtiani Orbis provincijs, manante in dies latiùs exempli auctoritate.

124 Accedet ad hæc, niſi error tam abſurdus, ac tam certus corrigatur, gravis iactura, & periculū animarum in iſto Regno. Illi enim, quos Maieſtas tua vacantium Eccleſiarum fructibus augebit, in quibus Eccleſijs ius illud locum non habet, cùm progreſſu temporis, vel monitu Sacerdotum, quibus arcana conſcientiæ ſuæ detegunt, vel etiam ipſi per ſe (vt in re clara, & aperta) viderint in quos ſe laqueos induerint, & in quod animam ſuam perditionis ęternæ diſcrimen adduxerint, tot cenſuris, adeoque tot ſacrilegijs obſtricti, tot illicitè perceptis bonis Eccleſiæ, quæ reſtituere cogantur; incredibile dictu eſt qua animi perturbatione, quibus conſcientiæ terroribus angentur, Regiam beneficentiam tuam magni infortunij loco habituri, quorum profectò malorum, & diſcriminum culpam, niſi providè arceantur, Maieſtas tua haud dubiè in diſtricto Dei iudicio ſuſtineret.

125 Vehementer itaque Maieſtatem tuam rogamus, vt pro eximia animi tui æquitate, & ſapientia, rem ſeriò perpendas; ac ſi innumeris ampliſsimi Regni tui negotijs impediris, quominùs eam per te cognoſ-

noſcas, viros aliquos nõ tam doctrina, quæ non adeò magna requiritur ad huius cauſæ cognitionem, quàm pietate, fideque præſtantes conſulas; vel ſi placet, evolvas acta ipſa Cleri Gallicani, quæ tibi rei veritatem luculenter aperient; quâ cognitâ, minimè dubitamus, quin Maieſtas tua illico declaret, nihil ſibi maiori curæ eſſe, quàm reddi Deo quæ Dei ſunt, à quo tantas opes, tam ſplendidum, amplumque Regnum, & omni Regno potiora, tot præclara animi corporiſque bona accepiſti.

126 Longiùs fortaſſe, quàm patitur, vel evidens cauſæ iuſtitia, vel egregia virtus tua, in hoc argumento immoramur; verùm non vt confundamus te, hęc ſcribimus, ſed tanquam filium chariſsimum monemus, animo reputãtes, nihil prodeſſe homini ſi vniverſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Speramus, Chariſsime Fili, opus non fore, vt novis eximiam religionem, æquitatemque tuam precibus in hoc negotio interpellemus.

127 Cæteroqui ea eſt rei magnitudo, & gravitas, in qua non Gallicanæ ſolùm, ſed totiùs Eccleſiæ dignitas, ſaluſque vertitur, vt pro Apoſtolici officij noſtri munere extrema potiùs pati omnia, quàm cauſam iſtam negligenter agere debeamus. Reliqua ſuper hoc argumento accipies à præfato Nuncio noſtro, ac tibi Apoſtolicam benedictionem perpetuò cum fœlicitatis tuæ voto coniunctam amantiſsimè impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima prima Septembris 1678. Pontificatus noſtri anno tertio. *MARIVS SPINVLA.*

EPISTOLA TERTIA.

AD EVNDEM REGEM CHRISTIANISSIMVM,

Die 27. Decembris, M. DC. LXXIX. circa eandem materiam.

INNOCENTIVS PAPA XI.

CHARISSIME in Chriſto Fili noſter, binis iã litteris fusè, & luculenter oſtendimus Maieſtati tuæ, etiam ex concordi omnium ferè Galliæ ſcriptorum teſtimonio, & ex ipſis Regij tabularij tui actis, quàm eſſet Eccleſiaſticæ libertati iniurioſum, omni humano, divinoque iuri contrarium, & alienum à perpetuo Regum maiorum tuorum more & exemplo, editum ſeptem ab hinc annis à te Decretum, quo conſuetudinem illam cuſtodiendi fructus vacãtium Eccleſiarum, quam Regaliam nuncupant, ad eas quoque Eccleſias extẽdi iubes, quę eiuſmodi oneri obnoxiæ numquam fuere. In quibus litteris vehemẽter à te, pro Paſtoralis officij noſtri debito, & pro paterna, quam gerimus

æternæ ſalutis tuæ cura, efflagitavimus, vt decretum ipſum, aliaque deinceps acta adverſus iura, & libertates Eccleſiarum abrogari, aboleri-que mandares.

129 Et ſanè illud eſt cauſæ ipſius meritum, ea de Regia animi tui æquitate, & magnitudine opinio noſtra, vt certa ſpe duceremur, Maieſtatem tuam omnibus in locum priſtinum quamprimum repoſitis, cor noſtrum ab vlteriori tantæ rei ſollicitudine, tot alijs in Catholicę Eccleſiæ procuratione diſtrictum, liberaturam.

130 Verùm poſtquam plurium menſium ſpatium, quod longanimitati noſtræ probandæ ab vltimis litteris effluxit, nullum adhuc neque ad eas reſponſum, neque ex ijs fructum videmus: quin etiā plurimorum litteris, & ſermone ad nos pro comperto affertur, omnia deteriore in dies loco eſſe, & prætextu Regaliæ huiuſmodi, Beneficiorum collationes, & Canonicas inſtitutiones impediri, Epiſcoporum auctoritatem peſſundari, Eccleſiaſticam diſciplinam, ordinemque turbari, novam denique praxim veteri Eccleſiæ praxi, & divinæ inſtitutioni contrariā invehi à ſęculari poteſtate; neque eam clam, aut timidè fieri, ſed palam, & manu Regia: Non repetimus hoc loco, ne actum agamus, quot ſcandala, & querelæ, quot in Clerum Gallicanum incōmoda naſcantur, quod Eccleſiæ vniverſæ à tali exemplo periculum, quæ tempeſtas immineat, quæ nomini, atque honori tuo macula, quæ conſcientiæ labes inuratur. Satis enim ea in ſuperioribus litteris indicavimus, ſatis patent ipſa per ſe: non patitur tamen ſyncera, ac planè paterna erga tè Regnumque iſtud ampliſsimū, charitas noſtra, nos in tanta divini honoris iniuria, in tam gravi tui ipſius periculo adhuc ſilere; ſed cogimur iterum intimo cordis affectu, & in viſceribus Ieſum-Chriſti rogare, obſecrareque Maieſtatem tuam, vt memor eiuſdem Chriſti verborum ad Eccleſię præpoſitos, *Qui vos audit, me audit*, Nos potiùs, qui tibi parentis, & quidē amantiſsimi, loco ſumus, audire velis, vera, & ſalutaria ſuadentes, quàm filios diffidentiæ, qui terrena tantùm ſapiunt, quique cōſilijs in ſpeciem vtilibus, ſed reverà pernicioſis, inclyti iſtius Regni fundamenta, in rerum ſacrarū reverentia, & in Eccleſiæ auctoritate, iuribuſque tuendis poſita, cōvellunt: qui quidem ſi ij eſſe vellent, quos eſſe ipſorum dignitas, & officium, tuaque ſingularis in eos benignitas poſtulat; imitari potiùs deberent integritatem, fidemque eorum, quos olim pari loco poſitos memorię proditum eſt, & in Gallicani Cleri acta nuper relatum, libera aliquando voce in ſimili cauſa, monuiſſe Reges prædeceſſores tuos, meminiſſent, quid, & qua iuris iurandi religione, vbi Regni gubernacula ſuſcepturi ſacro chriſmate inungerentur, polliciti Deo fuiſſent, ſe videlicet divinæ eius gloriæ, omni ope, & ſtudio inſervituros, & pro Eccleſiæ ſanctæ ſuæ iuribus, & libertate aſſerenda, paratos

fore

fore ſemper ſanguinem ipſum, vitamque profundere; conſiderarent fluxam, & fugacem eſſe mortalium vitam, Regũ præſertim, & Principum, qui vbi ad diſtrictum Dei iudicium vocarentur, illuc accederent ſine cuſtodibus, ſine vllis Regiæ, vel dignitatis inſignijs, vel potentiæ præſidijs, nudi, atque inermes, reddituri omnis anteactæ vitæ rationem Iudici ſcrutatori cordium, quem nulla res latet, apud quem non eſt acceptio perſonarum, qui poteſtatem habet mittere in gehennam, vbi potentes potenter tormenta patiuntur.

131 Nec ſuperiore ſæculo defuit in Gallia Epiſcopus, qui in frequenti aliorum Præſulum, Aulæque Procerum corona, apud Henricũ Regem, tertium huius nominis, Cleri Gallicani cauſam in re non abſimili orans, Regi dixerit obſervatum fuiſſe, nũquam in Gallia Regias defeciſſe ſtirpes, niſi vbi Reges indebitas ad beneficia nominationes arrogare ſibi cœpiſſent; à quibus ſanctus Ludovicus Rex Chriſtianæ humilitatis gloria, quàm Regię dignitatis culmine ſublimior, vſque adeò abhorruiſſet, vt vltrò etiam Pontificia auctoritate ſibi delatas reiecerit.

132 Fuit hæc quondam, fuit in Gallia, imò ad hæc noſtra tempora ſtrenuè retenta eſt penes Epiſcopalem ordinem Apoſtolica loquendi libertas, nihil metuens, nihil ſperans, niſi à Deo: neque id ſolùm per Reges licuit, ſed ita Epiſcoporum monita ſemper à Regibus accepta ſunt, vt Epiſcopi ipſi, & ſibi meritam laudem, & cauſæ optatum exitum ſint conſecuti, manſeritque propterea inviolata tam diù, atque inconcuſſa ſanctio Oecumenici Concilij Lugdunenſis, adeò, vt nõnulli Galliæ Reges impios, & ſacrilegos publico Decreto appellaverint eos, quicũque Regaliam ad Eccleſias ei non aſſuetas extendere aliqua ratione tentarent; ſicuti in veſtris Annalibus traditum reperitur.

133 Hæc autem temporis præſentis infirmitas eò acerbior nobis accidit, quòd ſcimus Maieſtatem tuam nihil ducere inter Regij animi ornamẽta præclarius zelo iuſtitiæ, & ſtudio divini honoris, pro quo tam pia, tam ſalutaria Decreta nuper edidiſti, ac tam multa, tanta cum nominis tui laude, & bonorum omnium lætitia, in præſens agis deſtruendo ſynagogas, & azylos hæreticorum; vt tibi non minora in cœlo ſtatuere videaris conſervatæ, propagatæque Religionis trophæa, quàm in terris relicturum ſperamus, devictarum gentium barbararum.

134 Cavendum tamen diligenter eſt, ne quod dextera, hoc eſt, ingenita pietas tua ædificat, deſtruat ſiniſtra, hoc eſt callida, & iniqua conſilia dicentium, tenebras lucem, & lucem tenebras; cùm Apoſtolico moneamur oraculo: *Qui in vno delinquit, eſſe omnium reum.*

135 Non defuere hac etiam occaſione in Gallia quidam, neque plures deeſſent ex fratribus noſtris Epiſcopi, viri fortes & divinæ legis,

 ac

ac libertatis Eccleſiaſticę zelatores, qui graviſsimam hanc, & toti Franciæ Regno, imò Eccleſiæ vniverſæ communem cauſam, pari conſtantia, ac ſpiritu apud Maieſtatem tuam agerent: ſed metu quodam, vt ipſis quidem videtur, iuſto, ignoſcendoque; vt nos autem indicamus, vano, & non ſolùm Epiſcopali officio, ſed etiam magnanimitati, æquitatique tuæ iniurioſo, retenti ſilent, expectantes, dum humilitas noſtra à filiali tua in hanc ſanctam Sedem obſervantia, impetret quod à Regia tua iuſtitia Eccleſijs ſuis debitum poſcere ipſi non audent.

136 Itaque in eis litteris noſtris illorum omnium iuſtum dolorem, & preces agnoſcit; quinimò Dei ipſius voluntatem ore te noſtro alloquentis, ac ſeriò monentis, vt prædictum dectetum, & quidquid eius occaſione adverſus Eccleſiæ libertatem, & iura actum, geſtumque hactenus fuit, corrigi, emmendarique omnino cures. Alioquin magnopete vetemur, ne ſubire aliquando debeas, quam tibi alijs in litteris denuntiavimus, & nunc iterùm ac tertiò, inviti quidem, quantùm pertinet ad ſenſum amoris in te noſtri, ſed Deo nos interiùs movente, apertè denuntiamus cœleſtis iræ animadverſionem.

137 Nos ſanè, neque hoc negotium per litteras ampliùs vrgebimus, neque deſides erimus in adhibendis remedijs, quæ traditæ nobis divinitùs poteſtati competunt, quæque in tam gravi, & periculoſo morbo omittere ſine graviſsima neglecti Apoſtolici muneris culpa non poſſumus.

138 Neque tamen vllùm inde incommodum aut periculum, nullam quantumvis ſævam, atque horribilem tempeſtatem pertimeſcemus: ad hoc enim vocati ſumus: neque facimus animã noſtrã pretioſiorem quàm nos, probè intelligentes non ſolùm forti, ſed etiam lęto animo ſubeundas tribulationes propter iuſtitiam, in quibus, & in cruce Domini nos vnicè gloriari oportet. Cauſam Dei agimus; quærentes, nõ quæ noſtra ſunt, ſed quæ Ieſu-Chriſti. Cum eo propterea, non nobiſcũ, tibi negotium erit in poſterùm; cum eo ſcilicet, adverſus quem non eſt ſapientia, non eſt conſilium, non eſt potentia.

139 Nos poſtquam miniſterij noſtri partes plantando, & rigando, ſicut oportet impleverimus, expectabimus dum operi incremẽtum det Deus; à quo accurata prece flagitare non deſinemus, vt verbis, & hortationibus hiſce noſtris vim & robur infundat, Maieſtatis tuæ animum ad ſalubriora conſilia flectendi; vnde & mereri tu poſsis, & nos lætari, res tuas omnes ſecundiore in dies curſu fluere, ac ſubditas Imperio tuo gentes perpetua, atque optima pace florere, tibique Apoſtolicam benedictionem amantiſsimè impertimur. Datum Romæ die 27. Decembris 1679.

SECTIO

SECTIO VNDECIMA.

Expenditur doctrina & zelus Apoſtolicus Innocentij in ijs litteris ad Chriſtianiſsimum Regem. Huius æternæ ſaluti, & felicitati Galliarum; profuturam plurimùm Eccleſiarum libertatem: ſervitutem verò, præſertim nuper inductam ab Antiſtibus Gallicanis; nocituram, veluti Regis & Regni perniciem; idque, teſtibus etiam Regibus & Scriptoribus eiuſdem præclaræ Nationis. Porrò doctrinam Magiſtratuum Galliæ in ea parte, videri periculoſam in fide.

140 HVCVSQVE Tantus Pontifex: cuius litteræ, nec Commentario egent, vt præmonui, nec laudatore opus habet. Etenim maieſtate ſermonis, gravitate ſententiarum, eloquentia ſacra, & miro pondere plenæ ſunt, quales olim ſcriptæ à Magnis illis Romanæ Eccleſiæ Antiſtitibus, Leone, Gregorio, & Nicolao: quales etiam à Gregorio VII. dum pro libertate Eccleſiæ, & immunitate iurium ipſius, vſque ad ſanguinē decertaret contra Henricum IV. niſi quòd ille cum ſchiſmatico & refractario Imperatore contendens, opus habuerit ſtringendi ſtylum, & acriter reprehendendi: Innocentius verò cum Ludivico XIV. Chriſtianiſsimo, & pijſsimo Principe agens, omnes numeros lenitatis & comitatis expleverit, vt eum revocet ad ſanius conſilium. Deinde verò, etiam poſt nullum fructum ex prioribus litteris perceptum, eadem charitate & benignitate vrget cauſam Eccleſiæ rationibus manifeſtis, quę neminem, durum licèt, ac ſuæ opinionis nimiùm tenacem, non viderentur flexuræ.

141 Quoniam verò iam experimento didicit, neque ijs molliri Regium animum, veluti abductum præpoſteris Miniſtrorum & Aulicorum conſilijs, minacem iram Dei ob oculos ponit, & iuſtitiam terribilem eius, qui aufert ſpiritum Principum: nec tam anathematis alicuius metu, quàm iudiciorum divinorum terrore percellit. Sanè in ijs Epiſtolis nec verbum apparet criminationi obnoxium: nec habet Rex Chriſtianiſsimus vnde cauſetur quamvis fortaſſe non deſint Aulici aut Miniſtri in Gallia, qui plus nimio Politici aliter ſentiant, aut loquantur, ſeu defectu pietatis erga Pontificem Romanum, ſeu ſtudio captandi. Sanè niſi aliqui in his ita ſe gererent, certum videtur, Ludovicum XIV. pijſsimum Eccleſiæ ac præſtantiſsimum filium, cui tot palmas & triumphos de Heterodoxis attulit, & cuius fidem Catholicam in Regnis ſuis tam ardenter ampliare, ac ſartam tectam ſervari curat, ſtatim optimo eiuſdem Eccleſiæ & ſuo Parenti Innocentio XI. à principio pariturum fuiſſe. Quare putandum, ex ſiniſtro eorum conſilio, & maiori vtilis quàm honeſti deſiderio ortum eſſe, vt tantus Rex illico non acquieverit Pōtificijs monitis, quamquam alioqui optimè affectus erga ipſum. Nimirum non ſemel in Gallijs accidit vt quamvis Reges iuſtitię, pietatis, & libertatis Eccleſiaſticæ amantes ſint; ipſorum ſtudia à Miniſtris impediantur, hoc aut illo colore quęſito: vt poſtea oſtendam. Sanè ij deberent Glorioſiſsimo Regi ſuo longè alia officia præſtare: vt ſaltem non cohiberent præclaram eius indolem ſponte ſua propenſam ad obediendum Romano Pontifici, & quaſi hęreditario iure acceptam à Prędeceſſoribus ſuis: de quibus aiebat Cardinalis Bertrandus, Epiſcopus Auguſtodunenſis, vir ſanè doctiſsimus, in Gallia ſcribens ſęculo quartodecimo labente, in Tractatu de Origine & Vſu Iuriſdictionum quæſt. 4. *In Regno Franciæ Chriſtianiſsimo; IN QVO REGES FVERVNT ECCLESIÆ DEVOTI A PRINCIPIO QVO FVERVNT CHRISTIANI; Eccleſia liberiùs vſa eſt iure ſuo; & tantò liberiùs, quantò plus appropinquat Sedi Regni.*

142 Proderit Ludovico Magno in memoriam revocare tot Prædeceſſorum ſuorum à Clodoveo Rege magnificentiam in Eccleſias, & Monaſteria Galliarum, quibus tot Privilegia, dona, & redditus ampliſsimos contulerunt. Vſque adeò procul fuere ab invadendis, vel minuendis Eccleſiæ bonis. Proderit exemplum ab Innocentio XI. indicatum Glorioſiſsimi Progenitoris eius S. Ludovici: qui oblatas ſibi à Sede Apoſtolica nominationes ad dignitates Eccleſiaſticas admittere noluit, ratus ſatis ſibi oneris impoſitum eſſe in adminiſtratione regni, niſi etiam adderetur aliud erga Eccleſiam tanti ponderis, quod ſine ingenti æternę ſuæ ſalutis diſcrimine ferre non poſſet. Iam verò alibi laudavimus Henricum Spondanum nobilem Galliarum Scriptorem; id narrantem, mirantemque poſteros S. Ludovici tanto conatu appetere quod ille repulit; & cùm ſancti non ſint, exiſtimare ſe poſſe ritè ac iuſtè ea munia obire, quę ſanctus Ille, & cœleſti ſapientia ac divinis chariſmatibus plenus, arbitratus eſt ſe non poſſe exercere ſine damnationis periculo. Et id quidem maiorem admirationem excitat, attenta cura & iuſtitia ipſius in conferendis Beneficijs, quæ titulo Regij Patronatus conferebat: cùm teſte eodem Spondano ad an. MCCLIV. num. 14. atque in id allegante Broimardum in

Vita ipſius, *eam circumſpectionem adhiberet, vt non niſi dignis diligenter conquiſitis concederet, nec vnum habenti, quantumvis digno, niſi eo dimiſſo, aliud conferret. Tum vero his etiam immiſcere ſe timens, dixiſſe legitur: SVFFICIT MIHI CORAM DEO DE TEMPORALIBVS MIHI CREDITIS, NON ETIAM DE SPIRITVALIBVS RATIONEM REDDERE.* Et cùm ei *nominandi Paſtores ab Alexandro IV. Pontifice poteſtas facta fuiſſet, ad idque Orator eius Roma detuliſſet Diploma: Quòd mea vnquiens, Romæ negotia ſtrenuè obieris, laudo: quod mihi munus hoc à Pontifice retuleris, non probo: INTELLIGO ENIM QVANTO CVM PERICVLO ANIMÆ MEÆ ET REGNI ID SVSCIPEREM; protinus Diploma in ignem conjecit.* Hactenus ille. Sed & Genebrardus in Chronico ad annum 1261. hæc de eodem S. Ludovico profert, quę vtinã eius Succeſſores proſequuti fuerint: *DIGNITATES ET OFFICIA NOLVIT ESSE VENALIA: blaſphemis & in vanum iurantibus per nomen Dei, cauterium in fronte iuſsit: Lupanaria prohibuit: Magiſtratibus in toto ſuæ iuriſdictionis tractu, aut fundos emere, aut liberis Sacerdotia procurare, aut eos collocare nuptui vetuit: hiſtriones Aula exigit: multa Cœnobia & Valetudinaria partim condidit, partim inſtauravit & ditavit: BENEFICIA ECCLESIASTICA NOLVIT CONFERRE, SED IVS ILLVD RESTITVIT COLLATORIBVS ORDINARIIS, IVXTA ANTIQVOS ECCLESIÆ CANONES.* Et allegato in eam rem Gaguino lib. 7. Chron. Franc. ſubdit ex Broimardo quæ nuper cum Spondano obſervavimus. Similiter Ludovicus XI. Francorum Rex per Legatos miſſos ad Pium II. Papam, prę̃ſtitit liberam obedientiam Eccleſię & Sedi Apoſtolicæ, promiſſa abrogatione Pragmaticę ſanctionis, & expeditione adverſus Turcas: vt teſtatur Mathias Palmer. in Chronico laudatus à Genebrardo ad annum Epochæ Chriſtianę M.CD LXI. Nimirum, inſtabat Pius II. vt à Rege abrogaretur, veluti data tempore Schiſmatis, & per ſeditionem excitata. quod ille teſtatur Epiſt. 375. quæ eſt ad ipſum Regem Franciæ. Hic verò ſe obtemperaturum promiſsit litteris datis Turonis ſub magno Sigillo ſuo die 27. Novembris anno eodẽ M.CD LXI. Regni ſui primo: quamvis Senatus Pariſienſis non potuerit adduci, vt ea ſanctio aboleretur, prout refert Gaguinus lib. 10.

153 Et certè iuſtum ac debitum erat, vt Senatus ipſe tam pijs deſiderijs Ludovici XI. non obſtitiſſet, cùm ea Pragmatica Sanctio eſſet planè contraria Sedi Apoſtolicæ, & longè diverſa ab alia S. Ludovici Regis. Hic enim antea Pragmaticam quidem ediderat, ſed pro iuris communis in electionibus & collationis Beneficiorum defenſione. Pragmatica autem Sanctio, quam Ludovicus XI. poſtea abolere deſideravit, nec potuit ob contradictionem Senatus Pariſienſis, è regione opponebatur iuri communi circa electiones & collationes Beneficiorum. Nulla deinde in ea Pontificum Romanorum ratio habebatur, quos *in conferendis ſacris Beneficijs, cauſiſque eorum cognoſcendis, ac controverſijs dijudicandis, propè in ordinem redactos voluit*: vt loquitur Spondanus ad annum 1438. num. 21. Nimirum concepta & nata fuit in conciliabulo, ſeu conventicola (ſic appellatur in Concilio Generali Lateranenſi ſub Leone X. Seſsione XI.) Bituricenſi, quæ ea rebellione Patrum Baſileenſium contra Eugenium IV. Papam originem duxit. Et ſanè in ea, præter plura alia abſurda, apparebant hæc duo ἀσύστατα, vt cùm everteretur ius commune Eccleſiæ & auctoritas Romani Pontificis, Rex tamen Galliarum Carolus palam profiteretur ſe obligari, tum ex debito ſuæ Regię dignitatis, tum ex vi ſacramenti prę̃ſtiti in ſuſceptione diadematis, ad defenſionem & protectionem ſanctæ Eccleſiæ, eiuſque miniſtrorum, & ſacrarum Conſtitutionum, ac præterea ad curandum vt antiquorum Patrum decreta in ſuo Regno ad executionem perducerentur. Quomodo autem ea duo cohæreant, ediſſerat aliquis, & erit mihi magnus Apollo. Altera ἀνακολουθία eſt, quomodo idem Rex in eadẽ profeſsione teſtetur, Concilium Baſileenſe Generale fuiſſe ritè, & auctoritate Conſtantienſis ac Senenſis Synodi, necnon Romanorum Pontificum Martini V. & Eugenij IV. coactum, ad reformandum ſtatum Eccleſiaſticum tam in capite, quàm in membris: & tamen addat, Eccleſiam Gallicanam in eo Conventu Bituricẽſi, præhabito examine diligentiſsimo decretorum Baſileenſium ſibi oblatorum, nonnulla eorum recipienda cenſuiſſe, ſimpliciter vt ſtatuta fuerant: alia verò cum certis modificationibus & formis, quatenus commoditatibus, temporibus, & moribus Regni, magis congruere viſum fuit. Si enim Patres Bituricenſes, quorum hortatu & aſſenſu Rex Carolus id edictum edidit, agnoſcebant Synodum Baſileenſem veluti Vniverſalem & legitimam; quomodo plura eius decreta non receperunt abſolutè, ſed ſenſui ſuo

atque

atque vtilitati ſubdiderunt? Nimirum ſtatuta Synodi Oecumenicæ ritè coactæ, iuxta eius legitimum ſenſum & formam recipi à ſubditis debent; non iuxta voluntariam horum diſpoſitionem, quæ veluti regula Lesbia eſſe ſolet. Vnde meritò Spondanus loco citato concludit: *Ita Rex: ex cuius verbis manifeſtè apparet, nullius ferè pretij fuiſſe apud Gallos Concilij Baſileenſis auctoritatem, quam ita ſenſibus ſuis & diſpoſitioni ſubijcerent.* Sed & præterea num. 22. referens quàm multa è cerebro ſuo ſtatuerint Bituricenſes adverſus decreta Baſileenſia, ſubdit: *Denique tanta libertate in recipiendis, reijciendis, truncandis, ampliãdis Baſileenſium placitis vſi ſunt, vt patentiſsimè ſe etiam iudices Conciliorum Generalium, quale Baſileenſe agnoſcere præſeferebant, conſtituerint. At verò hinc dicetur Eccleſiam Gallicanam approbaſſe, ac recepiſſe Concilium Baſileenſe? Nugæ hæ ſunt, & impoſturæ. Abſit à puritate, & dignitate Eccleſiæ Chriſtianiſsimæ tanta calumnia. Si quid eius illa recepit, non vt ab eius auctoritate obligatoria (qualis omnino debuiſſet eſſe, ſi verè eius decreta tanquam legitimæ Synodi Oecumenicæ agnoviſſet) recepit, ſed velut à proponente quæ vtilia, & conducibilia exiſtimabat; ita vt libitum eſſet quæ vellet recipere, quæ nollet reijcere: vti & fecit tam hac in re, quàm nonnullis alijs, auctoritate Regia, ac propria.* Hucuſque Spondanus, nobilis & recens in media Galliæ luce Scriptor Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Itaque negari nequit, plurima *ἄτοπα καὶ ἀνόητα* contineri in actis Conventûs Bituricenſis, ob quæ Ludovicus XI. poſtea Pragmaticam Sanctionem abolere ſtuduerit, & docti aliquot Galliarum Epiſcopi contra illam ſcripſerint, & adverſus edictum Regis Caroli. qualis fuit imprimis Bernardus Archiepiſcopus Toloſſanus, inclytus iuris profeſſor, qui teſte Spondano ipſo vbi nuper num. 23. eodem tempore Tractatum edidit pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ, inſcriptum: *Accenſus veri luminis Francorum, Chriſtianiſsimi Regis & Regni, contra tenorẽ Pragmaticæ ſanctionis.* Scripſit præterea Guillelmus de Montjoye Epiſcopus Biterrẽſis, conſultus à Rege, Tractatum alium ſatis longum, diſtinctum in quatuor *Auiſamenta*, vt ille ait, nimirum monita ſeu conſilia: quorum Primum eſt: vt ab vnitate Eccleſiæ nullatenus ſe abripi fineret. Secundum, vt proceſſus factos per paucos ſegreges contra Eugenium IV. nullo modo admitteret. Tertium, vt diligenter curaret ſchiſma illud extinguere. Quartum, ne permitteret vlteriùs in ſuo Regno audiri Concilium Baſileenſe: ſed potiùs per omnia adhæreretur ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ. Et tamen licèt tot iuſtè ac neceſſariæ cauſæ eſſent ad Sanctionem illam abolendam, & Ludovicus XI ijs perſpectis ſepeliendam curaret; obſtitêre Conſiliarij Pariſienſes, malentes libertatum Gallicanarum cauſam agere, quàm Sedis Apoſtolicæ, immo & ipſius Regni atque Eccleſiæ Galliarum, cui nihil exitialius eſſe potuit quàm forma electionum, & collatio Beneficiorum, & libertas, ſeu fuga à iuriſdictione Romanĩ Pontificis per eam inducta contra ius & fas.

144 Timeri itaque iure poteſt, ne moderni Senatus Pariſienſis Conſiliarij eodẽ ſpiritu libertatis abducti, & alij in Gallia plus politici quàm pij, Glorioſiſſimo Regi Ludovico XIV. impedimento ſint vt abſtineat à iure prætenſo in quaſdam Eccleſias vacantes, nec acquieſcat Pontificijs monitis, quibus certè ex nobiliſsima indole & magnificentia animi ſtatim paruiſſet. Idipſum ferè contigit Henrico III. Regi Galliarum circa finem ſæculi proximè præcedentis. Deterritus enim experimento innumerabilium malorum contingentium in electionibus eius Regni ad ſacras Dignitates & Beneficia (prout teſtatur Thuanus lib. 1. Hiſtoriæ, & Genebrardus verbis ſuprà num. 81. exſcriptis) & deſiderans tot abuſus corrigere, nequaquam voti compos evaſit, prævalente ſententia eorum, qui plus Regiæ vtilitatis temporariæ, quàm ſpiritualis totius Regni, & veræ honeſtatis, rationem habuerunt. Teſtem profero Gislenium Busbequium, tunc Legatum Rudolphi II. Imperatoris ad Henricũ ipſum. Illi enim in Epiſtola 29. ita de eo loquitur: *Quæcumque toto regno pravè, aut cum inſigni populi detrimento adminiſtrantur, ea mutare in melius, pro novæ vitæ ſanctimonia quam profitetur, propoſitum habet. In quibus tamen probabile eſt eò plerumque rem recaſuram, vt prima ſit eius vtilitatis ratio. Exempli cauſa Reges Galliæ vſurpant ſibi ius conferendorum beneficiorum Eccleſiaſticorum; itaque pueros, milites, & mulieres videre eſt Epiſcopos, & Abbates. Diſputatum in primis fuit, an melius eſſet rem in antiquum ſtatum reſtitui, vt electioni res permitteretur. Sed decretum fuit, quandoquidem non eſſet, quæ fuit antiquitus electionis integritas, ſed tota eſſet depravata, non videri cauſam, cur Rex tanto iure quæſito ſpoliaretur, ſed præſtare rem relinqui vt eſſet; cum eo vt Rex in conferendo bonorum, & idoneorum virorum rationem haberet. Ita*

forſ

fortaſsè fiet de pleriſque alijs: vt poſtquam populi vtilitas, & onerum, quibus premitur, allevatio multis & magnificis verbis iactata fuerit, poſtremò tandem Regis vincat vtilitas. Sic, inquam, vt modò accidat ex ſiniſtro quorundam Miniſtrorum & Aulicorum conſilio, timeri poteſt, quamquam alioqui Ludovicus XIV. exoptet veram Regni ſui vtilitatem, & impensè veneretur Apoſtolicam Sedem. Quare poſſent & deberent Illuſtriſs. Galliarum Præſules totam auctoritatem, eruditionem, & eloquentiam ſuam oportunè importunè impendere, vt tanto Regi perſuadeant, longè glorioſiorem futurum apud Deum & homines, ſi communis Eccleſiæ Patris monita exequatur, quàm ſi detrectet. Deberent ob oculos ipſi ponere præclara exempla veterum Galliæ Regum inſigniter piorum, præſertim Caroli Magni, de quo ſuprà, S. Ludovici, & Ludovici XI. qui omnimodam Eccleſiæ libertatem ſtabiliendam curarunt, ſervata electionum & collationis Beneficiorum forma iuxta commune ius: ac prætered de proprijs ipſorum bonis illam magnificentiſsimè locupletarunt. Sed enim nō modò id non feciſſe inveniuntur ijdem Præſules: ſed potiùs tranſtuliſſe in ipſum Ludovicum XIV. auctoritatem ad Decanatus, Beneficia, ac Præbendas Eccleſiarum Cathedralium Sede vacante. Quod ab ijs tentatum fuiſſe non crederem, niſi & Innocentius XI. cum ingenti dolore id ſignificaſſet in Reſcripto illo ſuprà prolato ſect. 8. num. 95. 96. 97. & poſtea ſpeciatim legiſſem in carthulis ſeu formulis nuperrimè editis Lutetiæ hoc anno 1682. quarum copiam ſubiungo.

PRO DECANATIBVS ALIISQVE BENEFICIIS,
quibus annexa eſt cura animarum.

145 N.N. Canonicorum, & Capituli Metropolitanæ, *vel* Cathedralis Eccleſiæ N. Sede vacante, Vicarij Generales, Vniverſis præſentes Litteras inſpecturis *SALVTEM* in Domino. Notum facimus quòd viſis per nos Litteris Regijs datis die anno ſignatis *LOVIS*, & inferius maiori ceræ flavæ ſigillo munitis, quibus Rex noſter Chriſtianiſsimus præfatæ Eccleſiæ Decanatum (*aut aliud tale Beneficium*) per obitum defuncti N. vacantem, *IVRE REGALIÆ* contulit Magiſtro N. Diœceſis N. Presbytero, Diacono, Subdiacono, *vel* Clerico, in Theologia, *vel* in Iure Canonico Vniverſitatis N. Baccalaureo, Licentiato, vel Doctori, ea lege vt ſe nobis præſentem ſiſtat, ad obtinendas à Nobis approbationem, & miſsionem Canonicas, requiſitas vt ſpirituales functiones eidem dignitati annexas obire validè poſsit & adimplere: Requiſitione à Nobis per eundem Magiſtrum N. facta, vt illum approbare, eique curam animarum gerendi, ſpiritualemque iuriſdictionem eidem Decanatui (*aut Beneficio*) annexam exercendi poteſtatem concedere vellemus. Poſteaquam prævio diligenti examine de ipſius doctrina, ſufficientia, capacitate, probitate vitæ, & morum integritate conſtitit, prout fide dignorum teſtimonio, ac aliàs nobis legitimè apparuit; noſtras eidem Magiſtro N. approbationis & miſsionis litteras, vt tanquam Decanus (*aut N.*) Eccleſiæ Sacramenta miniſtrare, curam animarum, & Iuriſdictionem Eccleſiaſticā exercere, aliaque munia ſpiritualia ab eadem Dignitate pendentia obire poſsit, neceſſarias conceſsimus & donavimus, concedimuſque & donamus per præſentes. Quocirca Venerabiles Fratres Noſtros & Capitulum Eccleſiæ N. rogamus atque ab eis requirimus, vt ſtatim atque dicti Decanatus (*aut N.*) poſſeſsionem dictus Magiſter N. adeptus fuerit, atque ab ipſis virtute Litterarum Collationis ſeu Proviſionis *IVRE REGALIÆ CONCESSARVM*, ſtallum ipſi in Choro, & locus in Capitulo aſsignata fuerint, illum protinus ad omnia quæ curam animarum ſpectant, officia adimplenda, & ad Iuriſdictionem, aliaſque ſpirituales functiones, quæ ei ratione prædictæ Dignitatis (*aut N.*) competunt, exercendas recipiant. In quorum fidem has præſentes Litteras manibus noſtris ſubſcriptas per N. Secretarium in hac parte aſſumptum fieri, & ſignari, ſigilloque præfatæ Eccleſiæ muniri iuſsimus & fecimus, præſentibus N.N. teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis, atque in minuta præſentium nobiſcum ſignatis. DATVM, &c.

146 Similem formulam præſcribunt Præſules Galliarum pro Archidiaconatibus, alijſque Beneficijs, quorum poſſeſſoribus aliqua Iuriſdictio & functio ſpiritualis & Eccleſiaſtica ſpecialiter & nomine proprio incumbit. Similem deinde pro Præbendis Theologalibus nuncupatis, ac pro Pœnitentiarijs.

147 Quæ omnia dum video nuperrimè Pariſijs edita, vix oculis meis credo. Cùm autem credere compellar, miror Illuſtriſsimos Galliarum Præſules, dum ſe Regem ſuum Ludovicum XI. tam ardenter amare, ſeu potiùs adorare profitentur, ea officia ipſi præſtare, quæ seriò conſiderata, non niſi Vatiniani odij argumenta ſunt. Quid enim perniciosius æternæ ſaluti Regis ſui, quàm ſupra tot curas, tot ſarcinas, tot onera ſuprà expenſa, plurimorum ac cœlo probatorum Principum viribus ſuperiora, injicere pondus graviſsimum nominationis tot Galliæ Beneficiorum & Præbendarum? Non ſatis fuit Galliæ poſt Concordata Franciſcum inter & Leonem X. experiri adeò miſerum & deploratum ſtatum in rebus Eccleſiaſticis, ſuprà num. 80. & 81. deſcriptum ſtylo Genebrardi Archiepiſcopi Aquenſis, cuius ſola lectio horrorem incutit; niſi & novam aliam ſervitutem ſuis Eccleſijs, & florentiſsimo Regno perniciem afferant, qui pro illarum libertate opportunè, importunè, vſque ad ſanguinem certare deberent? Si ex ſola nominatione Regia Epiſcoporum & Abbatum à tempore Concordatorum, *perditam Eccleſiam Gallicanam cernimus* (reſumo verba laudati Genebrardi) *hinc enim eius pernicies, in ea omnis generis hæreſeon, Simoniarũ, Fiduciarum ſeminarium, ſcientiæ, virtutis, pietatis exterminatio, Regni peſtis*: quid non timeatur de nominatione Regia extenſa ad omnes prædictas Dignitates, Præbendas, & Beneficia Eccleſiaſtica Regni? Certè ſi ea ceſsio prævaleret, nulla cataſtrophe, aut extrema Galliarum calamitas, admirationi eſſet.

148 Quapropter iure ac meritò SS. D.N. Innocentius XI. in Diplomate ſuprà exſcripto, totam hanc ceſsionem & tranſactionem iuris Epiſcoporum in Regem Chriſtianiſsimum, irritam & nullam declaravit, veluti ſacris Canonibus contrariam, abhorrentem à conſuetudine Eccleſiæ, & quæ nulli vtilitati aut honori futura eſſet Regibus Galliarum, ſed potiùs oneri, & periculo æternæ ſalutis. Quin & dum in formulis prædictis ad Dignitates & Beneficia conferenda aſſeritur illarum Collatio, ſeu Proviſio, *TITVLO REGALIÆ*; videtur ſignificari, ius conferendi Beneficia ad Regem ſpectare, *non tanquam profluens ex aliqua Eccleſiæ conceſſione, ſed tanquam ingenitum & coævum Regiæ Coronæ*: prout ſuprà Innocentius lamentabatur in Reſcripto ad Antiſtites Galliarum, & hi in Epiſtola ſua teſtabantur ex ſenſu Conſiliariorum ac Magiſtratuum Pariſienſium. Id autem quàm execrabile dictu ſit, quibus anathematum fulminibus obnoxium, quàm ſæpè tetra hæreſeos nota inuſtum & fulguritum à Romanis Pontificibus S. Gregorio VII. Victore III. Vrbano II. Paſchali II. & Alexandro III. immo & ab omnibus ferè Antiſtibus Galliarum, qui tempore eorum Pontificum floruerunt; iam ſatis ſuprà in hac ipſa Diſputatione oſtenſum fuit, præſertim quatuor primis ſectionibus.

149 Vnde mirum eſt quòd à Conſiliarijs vel MagiſtratibusRegis Chriſtianiſsimi, adeò benemeriti de Religione Catholica, cui tot triumphos de Heterodoxis peperit, impunè tradatur: multò autem mirabilius quòd ab Epiſcopis Galliarum recentibus non traducatur palam, immo & probari videatur, tum in prædictis formulis, tum in Epiſtola ſuprà exſcripta ad Innocentium XI. vbi relato Magiſtratuum ea de re iudicio, ſubdunt: *Id tantùm poſtulamus, ne plus æquo audiantur, qui in Iure Coronæ novas hæreſes fingunt, nimiſque intelligendo faciunt, nihil vt intelligant præpoſteri homines, &c.* Itane? Tot Romani Pontifices, tot Epiſcopi, præſertim Galliarum, & plerique ex ijs ſanctiſsimi & ſapientiſsimi (vt nihil dicam de alijs Patribus, & Theologis communiter idipſum tradentibus) finxere hæreſim in ea doctrina, quæ tradit, alicui Principi laico, etiam Regi, aut Imperatori, titulo Regaliæ, ſeu iure cognato & coævo ſuæ coronæ, competere inveſtituram, nominationem, proviſionem, collationemve alicuius Prælaturæ, Dignitatis, aut Beneficij Eccleſiaſtici; non autem ex ſola conceſsione, aut indulto, vel Privilegio Eccleſiæ? Licèt enim non inveniatur nunc definitio aliqua Gregorij VII. aut Vrbani II. in qua laica inveſtitura ſimpliciter damnetur tanquam hæreſis (quod ſuprà oſtenſum fuit ſectione tertia per totam à num. 22.) Patres tamen eius ferè temporis, & in ijs Goffridus Vindocinenſis, teſtantur, eam verè prolatam fuiſſe, præſertim à Gregorio. Deinde ſectione quarta demonſtratum fuit, ſi ea definitio prodijt à Sede Apoſtolica, veriſsimam illam eſſe, intellectam de inveſtitura *iuris*, vt ita loquamur: quàm nimirum Princeps laicus, etiam Rex aut Imperator, contendat ſibi debitam eſſe titulo Regaliæ, ſive tanquam ſuæ Coronæ annexam. Hoc enim omnes ij Patres hæreſim apertam cenſuerunt. Sic & D. Thomas

mas 2.2. q.100. art: 1. differens de Simonia allegat Gregorium Magnum in Regiſtro, vbi illam hæreſim appellat. quo etiam modo loquuntur alij Patres,& habetur 1.q.1.cap. *Eos qui per pecunias*. Diſtinguit autem S.Thom. duplicem Simoniæ acceptionem, & in altera earum illam damnat,tanquam hæreſim. Sic in re noſtra. Non itaque novam hæreſim fingunt Cenſores Romani, dum aſſertionem illam Gallicanorum Magiſtratuum, Conſiliariorumve, traducunt, veluti periculoſam in fide, aut etiam ipſi contrariam: ſed potiùs agnoſcunt, aut ſubodorantur in ea antiquam hæreſim, à Romanis Pontificibus & Gallicanis Patribus vndecimi & duodecimi ſæculi ſæpiſsimè notatam & fulguritam.

SECTIO DVODECIMA.

Epiſtolæ variæ SS. D. N. Innocentij Papæ ad Illuſtriſs. D. Franciſcum, Epiſcopum Appamienſem, libertatis Eccleſiaſticæ egregium defenſorem: & Notæ quædam, ſeu Obſervationes in illas, inſtituto noſtro opportunæ.

105 VERVM vt pleniùs conſtet, SS. D. N. Innocentium ab initio nec potuiſſe, nec debuiſſe aliter agere cùm Chriſtianiſsimo Rege, quàm ſe geſſit, præſtringendæ ſunt breviter aliæ rationes, præter hactenus memoratas. Imprimis præceſsit edictum Ludovici XIV. circa annum M.DC.LXXII. in quo ſibi vindicabat iura in bona omnium Eccleſiarum vacantium cuſtodienda, quotcumque in eius ampliſsima ditione ſunt, idque titulo Regaliæ, vt vocant: cùm tamen aliquæ earum, nec ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ, nec ex conſuetudine, eam ſervitutem, ſive id onus ſubijſſe invenianturǀ Inter has eſt Alectenſis Eccleſia: cuius Epiſcopus iam iam in extremo vitæ poſitus, & rationem totius vitæ anteactæ ſtatim Deo redditurus, eundem Pontificem certiorem fecit indebiti oneris, ſeu iniuriæ, quam Eccleſia prædicta in ea parte patiebatur. Similiter, Illuſtriſs. Epiſcopus Appamiarum, cùm videret eandem ſervitutem præter ius & fas iniectam fuiſſe Eccleſiæ ſuæ, ſtuduit multo labore & ærumnis eam defendere, ſed incaſſum. Itaque cùm cerneret, nullum ſibi intra Gallias eſſe auxilium, aut vires ad tuendã Eccleſiæ ſibi commiſſæ libertatẽ, ſcripſit ea de re ad Romanũ Pontificẽ anno M.DC.LXXVIII. ab eoque meruit Reſcriptum ſequens, humanitate & benignitate plenum.

VENERABILI FRATRI FRANCISCO EPISCOPO Appamienſi, EPISTOLA PRIMA.

INNOCENTIVS PP. XI.

VENERABILIS Frater, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Modeſtiarum, & incommodorum, quæ pro tuendis iuribus Eccleſiæ tibi commiſſæ ſuſtinere te ſcribis, nos quoque maximam in partem venimus, ad quos imprimis pertinent damna, & offenſæ, quæ Chriſti Dei Eccleſiæ inferuntur. Gratulandum tamen potiùs, quàm dolendum eſt, fraternitati tuæ de huiuſmodi adverſis, ex quibus copioſa tibi ſeges enaſcitur exercendæ virtutis, & conſtantiæ Paſtoralis. Cui quidem magno incitamento, & pari ſolatio eſſe non dubitamus Dei promiſſum, tribulationem pro ipſius cauſa patientibus cœleſtem opem, ac tandem mercedem magnam nimis nõ defuturam. Quòd ad nos attinet, Regem Chriſtianiſſimum per litteras diligentiſſimè ſcriptas rogavimus, vt non ſolùm Appamienſis Eccleſiæ indemnitati conſultum velit, ſed etiam omnium aliarum Eccleſiarum, quæ

cùm

cùm iuri, quòd vocant Regaliæ, obnoxiæ nunquàm fuerint, recentibus tamen Regij Senatus Decretis, contra omnes humani, diuiniqúe iuris regulas, ac veterem, inconcuſſamque obſervantiā, eiuſmodi onus ſubire coactæ ſunt. Id ipſum omni contentione, ac ſtudio vrgere non deſiſtemus, ſicuti officij noſtri ratio, & impoſita nobis omnium Eccleſiarum ſollicitudo poſtulat, confiſi in diuinæ miſericordiæ theſauris, aliquando fore, vt idem Chriſtianiſsimus Rex pro eximia, atque avita pietate ſua, rei veritate melius cognita, alia conſilia, aliam mentem induat. Fraternitati interim tuæ Deum totius conſolationis propitium vſque precamur, ac peculiaris noſtræ erga te charitatis indicem Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 4. Ianuarij 1679.

151 Quando SS. D. Innocentius ſcripſit has litteras ad Epiſcopum Appamienſem, iam præmiſſerat alias hoc loci memoratas ad Chriſtianiſsimum Regem Ludouicum XIV. ſed incaſſum, vt vidimus ex contextu poſtremæ illarum ſectione 10. Non enim propterea Rex, aut Miniſtri eius abſtinuerunt à iure prætenso in bona eiuſdem Eccleſiæ vacantis, & in plura alia, quam Regaliam vocant. Quare optimus Præſul propterea perſecutionem, incommoda, & paupertatē paſſus eſt; ſed eo animo & conſtantia, vt meruerit à Summo Pontifice gratulationem pariter & auxilium. Porrò eæ Epiſcopi ærumnæ adhuc perdurabant anno ſequenti M DC.LXXX. in quo alteram ab eodem Romano Pontifice Epiſtolam accepit, quam ſubiungo.

VENERABILI FRATRI FRANCISCO EPISCOPO Appamienſi,
EPISTOLA SECVNDA.

INNOCENTIVS PP. XI.

VENERABILIS Frater, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quod plurimorum ſermone noſtris auribus dudum inſonat, fraternitati tuæ ad nos litteræ planè declarant; te ſcilicet in tribulationibus gloriantem, & inter affectæ valetudinis incommoda, inter paupertatis, & vexationum anguſtias creſcentem quotidie magis in charitate Chriſti, magno fortique animo illius cauſam agere, & pergratum Deo, hominibuſque ſpectaculum exhibere. Magnum profectò ex tantæ virtutis experimento dolori noſtro ſolatium capimus, & pari obligationis nexu obſtringimur tendendi ſupplices in cœlum manus, vt vberes profiteamur miſericordiarum Patri gratias, quòd difficillimo tempore ſuſcitaverit ſibi in iſto Regno Sacerdotem fidelem, qui in communi animorum conſternatione, & ſilentio, quaſi tubam exaltet vocem ſuam, & opponat murum pro domo Iſrael: documentum illuſtre cæteris, quos Dominus poſuit regere Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo.

Quàm

Quàm præclara, quàm gaudij plena res ſit dignos haberi, qui pro Ieſu-Chriſti nomine contumeliam patiantur; ſi contumelia dicenda eſt, ex qua vera, & ſolida, in hac quoque mortali vita, oritur gloria, iudicio ſapientum. Nos quidem, quantum ſitum in nobis erit, nullo loco deerimus virtuti tuæ: quanquam, etſi deeſſent omnia, pro explorato tamen habemus, Deum cauſę ſuæ, neceſsitati Eccleſiæ, conſtanti tuæ in ipſum fidei, aſsiduis, & accuratis precibus noſtris, bonorum denique omnium votis non defuturum. Statueramus efficax remedium adhibere his, quæ Archiepiſcopus Toloſanus contra Lugdunenſis Concilij ſanctionem, & contra Appamienſis Eccleſiæ, vel potius Provinciæ Toloſanæ iura libertatemque hucuſque attentare auſus fuit. Sed redditis Chriſtianiſsimi Regis litteris, in quibus ad vltimas noſtras conſuetæ cum filialis obſervantiæ ſignificatione reſpondens, ſe iniunxiſſe ſignificat dilecto filio noſtro Cardinali de Eſtrees, vt expedito itinere ad vrbem proficiſcatur, Regiam nobis mentem ſuper negotio Regaliæ declaraturus; operæ pretium duximus eidem remedio ſuperſedere, dum Cardinalis adveniat. Nobis enim perſuademus, Regem quoque ipſum interim curaturum, vt omnia in priſtinum locum reponantur. Quod ſi ſecus accidat, & præfatus Archiepiſcopus, ab eoque cauſam habentes, pergant in te, tuiſque Canonicis, alijſque Eccleſiæ tuæ Beneficiatis vexandis, prętextu iuris Metropolitici; tuæ Paſtoralis ſollicitudinis, & ſpectatæ conſtantiæ partes erunt, te tuamque Eccleſiam adverſus eorum attentata ſacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum ope, armiſque defendere. Ad nos enim quod pertinet, omne tibi à Pontificia authoritate, & à paterna charitate noſtra pręſidium polliceri debes. Tibique Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 17. Iulij 1680.

152 Iam Præceſſerant tres Pontificiæ Epiſtolæ ad Chriſtianiſsimum Regem Ludovicum XIV. ſuprà exſcriptæ ſectione 10. cùm idem Innocentius litteras has ſcripſit ad Franciſcum Epiſcopum Appamiarum: ſiquidem poſtrema ex illis data fuit Romæ 27. Decembris 1679. hæc verò menſe Iulio anni ſequentis. Porrò in ea, inſtar præcedentium, apparet zelus Apoſtolicus Innocentij pro Eccleſia Dei, eiuſque libertate tuenda; nihilo inferior, quàm in magnis illis Romanæ Sedis Antiſtibus, qui ob ſimilem cauſam in Sanctorum album relati fuerunt. Et mihi ſanè nùnc occurrunt verba illa Eugenij IV. Papæ aliquando aientis de S. Antonino Archiep. Florentino, adhuc in humanis agente: *Tam bene poſſumus Antoninum viuentem Sanctis accenſere, quàm Bernardinum Senenſem mortuum.*

153 Sed mirandum profectò eſt, inter tot Catholicos Galliarum Præſules, vix aliquem pro libertate Eccleſiæ decertaſſe, ſaltem palam & conſtanter, niſi Appamienſem Epiſcopum. Sæculis vndecimò & duodecimò, non ſolùm Romani Pontifices, S. Gregorius VII. Victor III. Vrbanus II. & Paſchalis II. ſed etiam omnes ferè Epiſcopi, præſertim Galliarum, quà voce, quà ſcripto, quà Concilijs plurimis coactis, palam pugnabant pro libertate Eccleſiæ, nec dubitabant anathema inurere Imperatoribus Henrico IV. & V, rerum potientibus, à quorum vi & armis ſibi timere poterant, immo & ingentia damna experiebantur, præſertim ob ſchiſma diuturnum. Nunc verò omnia alia videre eſt. Vix vnus aliquis, præter Alectenſem Epiſcopum, iam vita functum, & hunc Appamienſem, videtur palam egiſſe cauſam Eccleſiæ; ſaltem ea

mag-

magnitudine animi,& conſtantia, qua oportuit. Neminem ex reliquis ſcimus Glorioſiſſimo Galliarum Regi liberè in ea re loquutū, aut religionem inieciſſe, propoſita ob oculos veritate, & incuſſo tetrore indignationis Dei terribilis, *qui aufert ſpiritum Principum, & terribilis eſt apud Reges terræ.* Neque enim tam Catholico Regi, & Filio præſtantiſsimo ac dilectiſsimo Eccleſiæ, videbatur alia admonitio aut comminatio opportuna, vel neceſſaria.

154 At Magiſtratus contrà inſtant, & Regem ſecurum eſſe monent.quippe id ius eſſe cognatum & congenitum Coronæ Regię. Sed quàm præpoſterum id ſit, quàm contrarium ſacris Canonibus, iuri,& conſuetudini, atque ipſis tabularijs Fiſci Regij, quàm denique periculoſum in fide; iam ſuprà Innocentius *DOCTOR VNIVERSALIS ECCLESIÆ* (ſic enim Romanus Pontifex ſæpiſsimè à SS. Patribus appellatur) non ſemel monuit: iam & nos ex eiſdem fontibus ſæpè oſtendimus. Itaque Aulici, & Magiſtratus, cuiuſcumque demum eruditionis ſint,aut videri velint, Regem ſuum nec ſecurum in ea parte, nec tutum reddere poſſunt. Non ſecurum: cùm neceſſum ſit inſtante toties Romano Pontifice, & ob oculos proponente veritatem, adeò gravi verborum pondere, & ſententiarum maieſtate, dubitationem vt minimum ingeri, eamq; vehementem, Regi Chriſtianiſsimo, an fortè Conſiliarij impotenti libidine placēdi Principi ſuo abducti errent, & errare faciant, prout moris eſt: an potiùs verum dicat Vicarius Chriſti, & talis Vicarius, non quærens quæ ſua ſunt,ſed ſolam Dei gloriam, & Eccleſiæ decorem vtilitatemque ob oculos habens. Sed nec tutum: nam quāvis fortaſſe Ludovicus XIV. plus iuſto deferens Aulicorum & Magiſtratuum placitis, nullo conſcientiæ terrore angatur,& ſe prorſus innoxium arbitretur, cùm tamen timere ſibi poſſet ac deberet; nullam apud Deum excuſationem habebit, ſubſiſtente veritate ſententiæ Pontificiæ, cui potiùs acquieſcere debuiſſet. Sanè doctiſsimus ac pijſsimus Cardinalis Bellarminus in Prologo Admonitionis ad Epiſcopum Theanenſem Nepotem ſuum, hanc demum omnibus Epiſcopis regulā pręſcribit: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, & ſimul oporteat eum Epiſcopali officio fungi, is omnino debet de octo Controverſijs certam veritatem inquirere, ET NON RESPICERE QVID MVLTI HOC TEMPORE DICANT AVT FACIANT. Et ſi rei certitudo non poſsit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla vtilitate temporali propoſita, ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rerum cùm de ſalute æterna tractatur: & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere; & eo modo, conſcientia non remordente, ad eum locum deſcendere, VBI VERMIS NON MORITVR, ET IGNIS NON EXTINGVITVR* Hæc magnus ille Vir, circa graviſsimas octo Controverſias, quas adamuſsim examinare, & certum de ijs iudicium facere debeant Epiſcopi,aut alioquī tutiorem ſequi partem, ſi ſalutem æternam in tuto collocare velint.

155 Atqui non minoris momenti eſt cauſa agitata inter Romanum Pontificem, & Regem Galliarum: vtpotè ex qua pendet, etiam in alijs Nationibus, libertas Eccleſiarum. Si enim ſemel in Gallia corruat omnino, etiam contra expreſſam Romani Pontificis voluntatem: cæteri quoque Principes laici, ſaltem ſupremi, idipſum in exemplum & imitationem trahent, nulliſque monitis Pontificijs terrebuntur. Vnde & tota ferè Eccleſia,quam Chriſtus liberam voluit, & ſuperiorem omni ſæculari poteſtate,ſub indigno ſervitutis iugo miſera gemet. Ad hæc,ſi ex Concordatis inter Leonem X.& Franciſcum Galliarum Regem, ſeu potiùs ex eorum abuſu,tot mala in eo florentiſsimo Regno ſequuta ſunt, quæ ſine horrore legi non poſſunt, vt vidimus num.147.ac ſæpe aliàs: quid non timeamus ſequuturum deinceps abolita prorſus Eccleſiæ libertate, & omnium Dignitatum, Beneficiorumque nominatione aut proviſione tranſlata ab Epiſcopis in Regiam poteſtatem? Quis autem, eo ſemel poſito, non timeat ſimilia mala apud alias Nationes, fortaſſe id in exemplum adducturas iuſſu ac metu Principū ſuorum? Væ autem ijs,per quot tot mala illata fuerint. Quis enim dicat tutum, & non potiùs ſummo damnationis periculo obnoxium, ſive Regem ſive Conſiliarium,ſive Magiſtratum,ſive Epiſcopum, aut denique alium quemlibet, impellentem, hortantem, adiuvantemvè, vt ea in Gallijs inducatur ſtabiliaturve conſuetudo, adductrix malorū innumerabilium vſque ad finem mundi in eo Regno, & ſubinde in alijs per imitationem quandam? Veriſsima quippe eſt, & per ſe ſatis conſpicua, regula illa & adhortatio S.Bonaventuræ, *Ne pravam conſuetudinem inducas, aut bonam interire ſinas. Quicumque enim aut malæ conſuetudinis auctor eſt, aut bonæ; particeps erit imitatorum ſuorum, ſive in iudicio,ſive in præmio ſempiterno.*

156 Itaque iure meritò laudat Inno-

nocentius Franciſcum Appamiarum Epiſcopum, quod Ecclesiæ ſuæ iura & libertatem aſſerere ſtuduerit, nullis parcens laboribus aut ærumnis; nec timuerit contumelias ſubire à Miniſtris Regijs, qui ſæpè votis ſuis, aut Principum ſuorum, omnia præter ius & fas metiuntur. Laudandus certè in hoc Præſul ille, & meliori iure, quàm alij, quibus tanti non fuit libertas Eccleſiarum, vt pro ea incommodum aliquod grave inveniantur toleraſſe: quin potiùs vſque adeò cordi fuit gratia Chriſtianiſsimi Regis, vt non dubitaverint decedere iure ſuo ad collationem ſeu proviſionem tot Præbendarum Beneficiorumque: quod tota pene de cætero Eccleſia Gallicana ſerviat, Rex autem ſolus in eam longè & latè dominetur. Non dubito, hos gratiam ampliſſimam inveniſſe propterea apud Ludovicum XIV. verùm nec ijs invideo, ſed potiùs Appamienſi Epiſcopo, cui cordi & curæ fuit non placere hominibus, ſed Deo, ac dura quælibet perferre pro Eccleſia ſua. *Ante omnia peto* (aiebat S. Auguſtinus Epiſt. 148. quæ eſt ad Valerium) *vt cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore* (quid de noſtro diceret!) *facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi officio, SI PERFVNCTORIE ATQVE ADVLATORIE RES AGATVR: ſed nihil apud Deũ miſerius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi officio; ſed apud Deum nihil beatius, SI EO MODO MILITETVR, QVO NOSTER IMPERATOR IVBET.* Itaque non eſt invidendum Epiſcopis, qui obſequijs quibuslibet, præſertim libertati Eccleſiæ repugnantibus, terrenum Regem demereri ſtudent: ſed ijs tantùm, qui militant ad præſcriptum ſummi cœli ac terræ Imperatoris. Militare autem non eſt ſedere, quieſcere, aut lætos dies ducere, captare potentium gratiam: ſed certare, in acie ſtare, & fundere ſanguinem priuſquam loco cedere. Hoc fecit Franciſcus Appamienſis Epiſcopus: ideoque ab Innocentio, iuſto rerum æſtimatore, meruit inſigne elogium, & in altera Epiſt. quam ſubiungo, *monumentum ære perennius.*

SECTIO DECIMATERTIA.

Epiſtolæ aliæ Summi Pontificis ad Capitulum Eccleſiæ eiuſdem Appamienſis, Sede vacante, poſt obitum Franciſci Epiſcopi, & ad Archiepiſcopum Toloſſanum circa eandem controverſiam. Notæ aliquot breves in illas.

157 PAVLO Poſtquam SS. D. N. Innocentius præiactas litteras amoris plenas dedit ad Illuſtriſ. Franciſcum Epiſcopum Appamiarum, tot dura & aſpera perpeſſum pro gloria Dei, & libertate Eccleſiæ ſibi commiſſæ; placuit Auctori vitæ & mortis illum ex hac ærumnoſa regione ad aliam longè meliorem transferre, in qua laborum temporaliũ mercedem reciperet æternùm duraturam. Innocentius autem certior factus, qua eminet pietate, & zelo divini honoris, libertatiſque Eccleſiaſticæ, vehementer doluit obiſſe tantum Virum, illumque maioribus longè elogijs poſt fata celebravit, quàm viventem decoraverat. conſcius, nimirum, illius ſententiæ: *Lauda poſt mortem.* Itaque ad Vicarios & Capitulum Eccleſiæ Appamienſis Sede vacante dedit Epiſtolam ſequentem.

VICARIIS GENERALIBVS, SEDE VACANTE, CAPItulo & Canonicis Regularibus Eccleſiæ Appamienſis, EPISTOLA TERTIA.

INNOCENTIVS PP. XI.

DILECTI Filij, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nihil accidere nobis triſtius poterat nuntio, quem cum rumore ipſo publico veſtræ litteræ attulerunt, deceſsiſſe bonæ memoriæ Franciſcum Appamienſis Eccleſiæ Epiſcopum, ea virtute, eoque Paſtorali zelo, & invicta animi conſtantia præditum, vt vir ſecundùm cor Dei, & verè Apoſtolicus dici meruerit. Quod autem dolorem noſtrum cumulat, eo tempore deceſsit, quo eum ma-

maximè vivere afflictæ eiuſdem Eccleſiæ conditio poſtulabat. Cauſa enim veſtrum quos tam vigili Paſtore, tam provido parente orbatos videmus, non mediocriter angimur. Omnem tamen doloris ſenſum ab animis noſtris debet abſtergere conſideratio præmiorum, ad quæ illum, ſicuti ſperare fas eſt, tot pro ſua Eccleſia exhauſti labores, tot incommoda, atque ærumnæ pro cauſa Dei forti, magnoque animo ad ſupremum vitæ ſpiritum toleratæ, ex hoc mortali carcere evocarunt. Vnde ſpes alia oriri debet, eum validiore in poſterum patrocinio rebus veſtris è cœlo affuturum, neque paſſurum vt Appamienſis Eccleſiæ diſciplinam tam ſapienter à ſe, tam ſalubriter reſtitutam, quiſquam mortalium invertat; ſed potiùs à miſericordiarum Patre impetraturum, vt converſis in melius animis conſilijſque aliter ſentientium, priſtina eidem Eccleſiæ pax, tranquillitaſque reddatur, & ſponſæ ſibi per tot annos ad extremum dilectæ, in præſens viduatæ, Præſul, ſi minùs pari, ſimili tamen ſpiritu ac virtute contingat; modò vos fideles inveniamini in Canonica libertate ipſius Eccleſiæ pro viribus tuenda, & in obſervandis ſapientiſsimis Conſtitutionibus quas ab eo lucubratas, vobiſque ad ſanctioris vitæ regulam pro inſtituti veſtri ſanctitate propoſitas, Nos non ita pridem Apoſtolica auctoritate firmavimus: quas vt ſtrenuè, & conſtanter exequamini, vtque illius Diœceſis Clerum in tradita ab ipſo diſciplina ſedulo contineatis, ſupervacaneum ducimus adhortari; cùm diuturno experimento perſpecta virtus, fideſque veſtra, plus etiam, quàm à vobis petere æquum eſſet, polliceantur. Cæterùm ex noſtris ad eundem Epiſcopum litteris decima ſeptima Iulij datis cognoſcere potuiſtis, quàm præcipuum ſibi locum inter Pontificias curas vindicet negotium Appamienſe, cum quo plurimarum Gallici Regni Eccleſiarum, vel potiùs totius Eccleſiæ Catholicæ cauſa coniuncta eſt. Meritas interim rebus, ab exceſſu Epiſcopi, per vos piè, ac fortiter geſtis laudes tribuimus, vtque in inſtituto itinere ſtrenuè pergatis vos magnoperè hortamur; nihil omiſſuri eorum, quæ ad proſpetum rerum exitum conducere poſſe intelligimus. Speramus autem, ac planè confidimus, divinam bonitatem, vos atque Eccleſiam iſtam ſingulari cum veſtra laude, & proventu, ab omni tribulatione, quam ſubire neceſſe eſt quicumque volunt piè vivere in Christo Ieſu, quàm primùm liberaturam. Læta interim vobis omnia aſsiduo cum divinæ gratiæ incremento apprecamur, & intimo paterni amoris ſenſu benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Septembris 1680. Pontificatus noſtri anno quinto. MARIVS SPINVLA.

159 Præclarum ſanè elogium Franciſci olim Appamienſis Epiſcopi, à tali, & tanto Pontifice Romano editum. Certè illius exemplum, in tuenda conſtanter libertate Eccleſiæ ſuæ, abſque vllo metu Regiæ indignationis, quibuslibet laboribus, ærumnis, & contumelijs toleratis; ſimiliterque ſolicitudo, dexteritas, & pietas in adminiſtrando munere; non ſolùm ad imitationem proponitur cæteris Epiſcopis, præſertim Galliarum; ſed etiam ad terrorem, ſi imitari detrectent. Fortaſsis autem non deerunt qui famam illius Præſulis, & doctrinam, & mores, denigrare ſtudeant, vt eum in hac parte & controverſia Regaliæ ſe temerè aut iniuſtè geſsiſſe ſuad ant. Verùm ego potiùs crediderim Romano Pontifici Innocentio tam impensè laudanti, quàm ſicophantis quibuslibet, Aulicisque, & captatoribus: de quibus ſæpiſsimè legitur, vt lactarent Reges, non dubitaſſe inſectari & criminari Præſules ſanctiſsimos, ipſorum licentiæ aut cupiditati adverſantes Satis fuerit indicaſſe exempla SS. Anſelmi & Thomæ Cantuarienſium Archiepiſcoporum, in ſimili ferè cauſa libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ.

160 Notanda ſunt verba illa Summi Pontificis: *Cognoſcere potuiſtis, quam præcipuum ſibi locum inter Pontificias curas vindicet negotium Appamienſe, cum quo plurimarum Gallici Regni Eccleſiarum, vel potiùs totius Eccleſiæ Catholicæ cauſa coniuncta eſt.* Nimirum, in hoc diſſidio adeò turbulento, Regem inter Chriſtianiſsimum & Clerum Galliarum ex vna parte, & SS.D.N. Innocentium ex altera, non Alectenſis modò, aut Appamienſis Eccleſiæ cauſa controvertitur, ſed plurium aliarum, quæ hactenus id ſervitutis iugum, de quo diſceptatio eſt, neſcierunt. Quin & cùm Præſules Galliarum deceſſerint iure, quod habebant in nominationes, ſeu proviſiones quarumlibet Dignitatum, Præbendarum, & Beneficiorum, illudque tranſtulerint (ſaltem quantum in ipſis eſt) in Chriſtianiſsimum Regem, vt ſuprà vidimus; omnium Galliæ Eccleſiarum cauſa diſceptatur in eadem controverſia. Cùm etiã quidquid tandem circa Eccleſias eius florentiſsimi Regni concluſum fuerit, à pari, aut ſimili, facilè transferri poſsit in Eccleſias cuiuslibet alterius Nationis Regnive; omnium ferè earum, quæ in Chriſtiano Orbe ſunt, cauſa communis eſt. Cùm denique non modò Magiſtratus, ſed ipſe etiam Chriſtianiſsimus Rex in ſuis decretis, contendant, id ius illi competere, *TITVLO REGALIÆ*, veluti congenitum & coævum Regiæ Coronæ, ac proinde non tanquam ab Eccleſia indultum aut conceſſum (quod quàm periculoſum, vel etiam contrarium fidei ſit, ſatis ſuprà videmus, etiam ex teſtimonio Veterum Patrum Gallicanæ Eccleſiæ) meritò Innocentius Papa teſtatur, cum negotio Eccleſiæ Appamienſis cauſam totius Eccleſiæ Catholicæ coniunctam eſſe.

161 Ex contextu verò Epiſtolæ Pontificiæ circa finem conſtat, Capitulum eiuſdem Eccleſiæ Appamienſis Sede vacante inſtitiſſe in ſententia Epiſcopi ſui, quanquã vita functi; nec admiſiſſe Regaliam circa id, de quo eatenus fuerat quæſtio. Quod ampliùs innoteſcet ex Epiſtolis ſequentibus.

AD VICARIOS GENERALES, ET CAPITVLVM EIVSdem Eccleſiæ vacantis,

EPISTOLA TERTIA.

INNOCENTIVS PAPA XI.

DILECTI Filij, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionẽ. Præter omnem expectationẽ noſtrã accepimus ex veſtris litteris, quæ nuper iſthic acciderũt de dilecto Filio Michaele Daubarede Archidiacono, & Vicario Generali per vos verum, & legitimũ eiuſdem Eccleſiæ Capitulũ conſtituentes canonicè electo, exulare iuſſo; deque admiſsis ad celebrationem divinorum officiorum ijs, quos tanquam in Beneficiorum poſſeſsionẽ, temerè ac violenter intruſos, bonæ memoriæ Franciſcus Epiſcopus veſter innodatos cenſuris à Concilio Generali Lugdunenſi inflictis promulgaverat.

Ve-

163 Veſtræ tamen pietatis, ac fidei erit manere in ſtatione, & locum in quo poſiti eſtis, conſtanter tenere, ſicut facitis; neque alios Vicarios Generales Sede vacante agnoſcere, quàm præfatum Michaelem Daubarede, & alios à vobis electos, vel eligendos, quos etiam, quatenus opus ſit, authoritate Apoſtolica confirmamus, & reſpectivè confirmabimus; mandantes Clero tam Seculari, quàm Regulari, & vniverſo populo Appamienſi, vt neminem alium, quàm quos diximus, Vicarium Capitularem agnoſcant, aut illi actum vllum obedientiæ præſtent; de quo etiam per vos, ſeu per electos à vobis Vicarios, moneri præfatos Clerum, & populum volumus, ac mandamus. Alios enim, quicumque Vicarij Generalis authoritatem ſibi quocumque nomine vſurpare auderent, ante quam novum Epiſcopum Appamienſi Eccleſiæ præfecerimus, nullum planè ius, aut facultatem habere negotijs ſe Eccleſiæ, & Diœceſis iſtius immiſcendi, eaque omnia quæ Vicariatus huiuſmodi titulo, per eos agi contingeret, irrita, & inania, ac nullius momenti fore declaramus.

164 Agendæ interim divinæ miſericordiæ vberes gratiæ de occaſionibus, quibus virtutem, ac fidem veſtram exercet, & de ſingulari conſtantia, qua vos armat, ad omnia alacriter pro Chriſti nomine, & cum gaudio ſuſtinenda. Nos paternum noſtrum, ob anguſtias veſtras dolorem, ea interim conſideratione lenimus; quòd multæ ſunt tribulationes iuſtorum, & de omnibus eis liberabit eos Dominus. Ac vobis, dilecti filij, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die ſecunda Octobris 1680. Pontificatus noſtri anno quinto. MARIVS SPINVLA.

165 Ex contextu præiactæ Epiſtolæ apparent nonnulla, quibus pleniùs inſtruamur, ſeu notitiam aſſequamur eorum, quæ in litigio Appamienſi acciderunt, poſtquam hæc controverſia inter Regem Chriſtianiſsimum, & Pontificem Romanum, orta eſt. Imprimis enim cùm poſt obitum Franciſci bonæ memoriæ Epiſcopi, in ſuperioribus laudati, Sedes Appamienſis Eccleſiæ vacaſſet; Capitulum illius ritè & Canonicè vices ſuas delegavit, ſeu Vicarium Generalem inſtituit D. Michaelem Daubaredem Archidiaconum. Cùm verò ille cœpiſſet obire munus ſuum, nec admitteret ad celebrationem divinorum officiorum eos, quos prædictus Epiſcopus declaraverat innodatos cenſuris à Generali Concilio Lugdunenſi latis, tanquam temerè & violenter intruſos in Beneficia Eccleſiaſtica; malè propterea audivit apud Regem Chriſtianiſſimum, eiuſque Miniſtros; atque ideo exulare iuſſus fuit. In quo ſanè prædictus Michael habuit materiam ampliſsimi gaudij. Nimirũ, gloriari potuit, ſe quoddammo imitatorem fuiſſe ſanctiſsimorum illorum Cantuarięnſium Antiſtitum Anſelmi & Thomæ, Romanorumque Præſulum Sancti Gregorij VII. & Paſchalis II. qui ob tuenda iura & libertatem Eccleſiæ non dubitarunt Regiam aut Imperatoriam ſubire indignationem, & exilium pati.

166 Conſolatur autem Optimus Pontifex Innocentius Eccleſiam Appamiarũ propterea afflictam, & hortatur ad ſtandũ in gradu, quæcumq; de cætero tribulationes occurrant; ac præcipit, nullũ alium Vicarium Generalem agnoſci, quàm Michaelem prædictũ, alioſque ritè electos ab eodem Capitulo: quos, ſi opus fuerit, auctoritate ſua confirmat. cæteros autem ſe ingerentes eidem muneri obeundo, Sede vacante, prorſus repellit; & omnia eorum acta prorſus irrita atque inania vult.

167 Omnia hæc præſtitit SS. Innocentius intuitu libertatis Eccleſiarum earum, quæ Sede vacante illam hucuſque retinuerant; immo plurium aliarum totius Eccleſiæ, in quibus par aut ſimilis controverſia excitari poſsit: ac denique zelo Catholicæ fidei. quam in diſcrimen vocari, ſi *titulo Regaliæ*, ſive iure *cognato & coævo Regiæ Coronæ*, prout à Conſiliarijs Pariſienſibus contenditur, Beneficia vel quælibet res Eccleſiaſticæ conferantur, adminiſtrenturve, iam ſæpe in ſuperioribus monuimus. Vide præſertim num. 160.

VENERABILI IOSEPHO ARCHIEPISCOPO Toloſſano,

EPISTOLA QVARTA.

Circa diſsidium, ſeu controverſiam eandem Eccleſiæ Appamienſis, ſuam libertatem tuentis, Sede vacante.

INNOCENTIVS PP. XI.

VENERABILIS Frater. Non poſſumus non vehementer mirari quod ad aures noſtras pervenit; videlicet fraternitatem tuam veritam non eſſe paſsim abſolvere eos, quos novo & iniuſto Regaliç titulo in Appamienſis Diçceſis Beneficia intruſos, bonæ memoriç Franciſcus Epiſcopus declaravit adſtrictos cenſuris à Generali Concilio Lugdunenſi inflictis; cùm præſertim non deſinr, qui Parochiales quoque Eccleſias, rem antea inauditam, eo prætextu occupaverint.

169 Admirationem verò noſtram vehementer auget, quòd nihil ſtatuere potes contra iura, libertatemque Eccleſiæ Appamienſis, quin idem contra Toloſſanam, & vniverſam Provinciã iſtam ſtatuas.

170 Præterea ignorare non potes, Epiſcopum ipſum Appamienſem à tuis ſententijs ad nos, & ad hanc ſanctam Sedem appellaſſe, noſque appellationem huiuſmodi admiſiſſe: cuius rei, vel vmbra ipſa, ſi debitam eidem Sedi reverentiam in conſilio habere voluiſſes, revocare te, atque retrahere ab incœpto debuiſſet.

171 Hæc ſcribenda ad fraternitatem tuam duximus, vt & ea, quæ perperam egiſti corrigas, & à ſimilibus in poſterum agendis abſtineas, atque interim conſcientiæ tuæ conſulas. Datum Romæ die ſecunda Octobris 1680. MARIVS SPINVLA.

172 In Epiſtolæ huius initio apparet ſtatim indignatio Summi Pontificis adverſus Archiepiſcopum Toloſſanum, dum ſolùm incipit, *Venerabilis Frater*; nec vlteriùs ſubdit, *Salutem & Apoſtolicã benedictionem*, adhuc in fine. Quæ ſeveritas Romanis Pontificibus antiquiſsima, & omnibus ſeculis cõtinuata fuit, in Epiſtolis ad Præſules traductos ob aliquod ſcelus, aut de eo ſuſpectos, præſertim contra bonũ commune Eccleſiæ. Quin id & alij Antiſtites Romano Pontifice inferiores, in more habuerunt, dum ſcriberent ad alios Epiſcopos, palã de crimine aliquo diffamatos. Sic, vt plura exempla prætermittam,

S. Anſelmus Archiep. Cantuatienſis, Eccleſiaſticę libertatis defenſor præclarus, cùm reſcriberet lib. 3. Epiſt. 134. Vvaleranno Epiſcopo Nevemburgenſi, ſequenti partes Henrici IV. aliàs III. illam funditus evertere conantis; noluit eum ſalutare. Nimirum in epigrapha ſolùm habet: *Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis Vvaleranno Nevemburgenſi Epiſcopo.* Rationemq; huius ſeveritatis ſtatim reddit initio Epiſtolæ, inquiens: *Scienti breviter loquor. Si certus eſſem, prudentiam veſtram non favere Succeſſori Iuly Cæſaris, & Neronis, & Iuliani Apoſtatæ* (nimirum, Henrico prædicto Imperatori, libertatem Eccleſiaſticam inſectanti) *contra Succeſſorem, & Vicarium Petri Apoſtoli* (ſcilicet, contra Gregorium VII. Papam) *libenter vos vt amiciſsimum & Reverendum Epiſcopum ſalutarem.* Deinde quæſtionibus ſibi propoſitis ab eodem Vvalerano reſpondet, nec tamen vllibi, vel in fine, valedicit.

173 Triplicem itaque cauſam indignationis ſuæ breviter indicat Romanus Pontifex. Prima eſt, Archiepiſcopum Toloſſanum abſolviſſe paſsim eos, qui *novo & iniuſto Regaliæ titulo* intruſi in Beneficia Eccleſiæ Appamienſis, declarati fuerant à Franciſco bonæ memoriæ Epiſcopo, ſuprà laudato, iniuſti anathemate Concilij Generalis Lugdunenſis. Accedit, quoſdam occupaſſe Eccleſias Parochiales eodem prætextu, contra quàm ſacri Canones iubent, & vſus Catholicæ Eccleſiæ hactenus tulit. Secunda eſt, Archiepiſcopum ipſum nihil in hac re geſiſſe non contrarium Eccleſiæ, immo & Provinciæ cùm par, aut ſimilis ratio ſit. Vide ſuprà num. 160. Tertia denique, quòd interpoſita appellatione prædicti Franciſci Epiſcopi ad Sedem Apoſtolicam, eaque admiſſa à Romano Pontifice, noluerit Archiep. Toloſſanus ab incepto deſiſtere, vti poſſet ac deberet, ſi qua eiuſdem Sedis cura aut reverentia tangeretur. Quare illum ſeriò & graviter monet, vt id erratum corrigat; nec vlterius incurrat, ſed potiùs conſcientiæ ſuæ conſulere ſtudeat.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Aliud Diploma Pontificium, ad Vicarios Generales, & Capitulum Eccleſiæ Appamienſis, Sede vacante. Notæ quædam in illud.

174 QVIS Non crederet, poſt tot ſalutares admonitiones Optimi Pontificis Innocentij, poſt tot Epiſtolas Apoſtolico zelo, & graviſsimo verborum pondere ſcriptas, poſt terrorem divinæ iuſtitiæ tam ſæpe incuſſum, ad aſſerendam, ſaltem aliqua ex parte, libertatem piiſſimæ Matris Eccleſiæ, tam longè ac latè convulſam & dilaceratam; adhuc reſtituros, & Regaliæ cauſam defenſuros, qui hactenus ab ea ſteterant? Sed tamen ita accidiſſe certum erit lectis Litteris eiuſdem Summi Pontificis, quas ſubiungo.

VICARIIS GENERALIBVS, ET CAPITVLO ECCLESIÆ Appamienſis, Sede vacante,

EPISTOLA QVINTA.

INNOCENTIVS PAPA XI.

DILECTI Filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictioné. Quoniam novas indies prodire accipimus Satanæ artes, & machinationes; vt quæ à piæ recordationis Franciſco Epiſcopo veſtro, pro iſtius Eccleſiæ, & Diœceſis vtilitate ſalubriter ſtatuta fuere, penitùs evertat; & eorum, quæ hucuſque acciderunt, experientia nos admonet, non defuturos filios perditionis, errare facientes in via plurimos, qui miſcere, ac turbare nitantur omnia, perperam interpretando litterarum, ac mandatorum noſtrorum ſenſus, vt excuſent pro more ſuo excuſationes in peccatis:

175 Nos, ne vllum huiuſmodi hominum molitionis locum relinquamus, ad litteras quas die ſecunda menſis Octobris, ſuper negotio Vicariatus Capitularis ad vos dedimus, vberiùs explicãdas per pręſentes addendum duximus: Quòd ſiqui pręter Vicarios Capitulares, qui à vobis verum Appamienſis Eccleſiæ Capitulum conſtituentibus Canonicè, & de more electi fuerunt, vel pro re nata eligentur, quoſque nos authoritate Apoſtolica, quatenus opus ſit, confirmamus, & reſpectivè confirmabimus, Vicariatus eiuſmodi nomen, & authoritatem quocumque titulo electionis vel deputationis factæ ab intruſis in Canonicatus eiuſdem Cathedralis, quos idem Epiſcopus promulgavit obſtrictos cenſuris Generalis Concilij Lugdunenſis, vel ab ipſo Metropolitano, vel ab alia quacumque poteſtate, vſurpare præſumpſerint: omnia ab ipſis eo nomine acta, vel agenda, decreta, vel decernenda, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & quomodolibet ſecuturis, temeraria, & à non habentibus poteſtatem attentata, ideoque irrita, & inania, ac nullius roboris fuiſſe, nec vnquam forę declaramus.

176 Eiſque, qui prætextu electionis, vel deputationis huiuſmodi, vllam iuriſdictionem exercere auſi fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna maioris excommunicationis, & privationis dignitatum, & beneficiorum quæ obtinent, & ad alia obtinenda inhabilitatis perpetuæ ipſo facto incurrenda, diſtrictè prohibemus, & interdicimus, ne id facere vlteriùs præſumant: eos quoque, qui illis quomodolibet paruerint, aut favorem, conſilium, authoritatem quocumque modo præſtiterint, cuiuſcumque Ordinis, gradus, & dignitatis ſint, tam laicos, quàm Clericos, tam ſęculares, quàm Regulares, etiam Patres Societatis IESV, & Metropolitanum ipſum, quem cætero qui præter cauſæ meritum, perſpecta voluntas noſtra, & per nos admiſſa appellatio ab eius ſententijs, debent in officio continere, ſimilibus reſpectivè pœnis eo ipſo, & abſque alia declaratione innodamus, & innodatos fore decernimus, ac mandamus; ac earumdem pœnarum abſolutionem, & relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat, ſpecialiter reſervamus.

177 Monentes inſuper vtriuſque ſexus fideles (de quorũ æterna ſalute ſolici eſſe debemus) invalidas eſſe, ac fore cõfeſsiones, quas Pręſbyteri Seculares, vel Regulares, vigore facultatis à pręditis nulliter electis, vel deputatis Vicarijs, audiverint, vel in poſterùm audient; nulla & invalida matrimonia corã Sacerdote non Parocho Canonicè ingreſſo contracta, vigore licentiæ ab eis conceſſæ; ac proinde ſic contrahentes in concubinatu victuros; idemque de Parochijs & alijs Beneficijs

per

per eos collatis, decernimus, & ordinamus; & de licentijs concionandi, & de quocumque alio actu, aut decreto per eos facto, vel faciendo.

178 Vos interim dilecti Filij, loci, & muneris veſtri memores, in creditam vobis curam diligenter incumbite; & hauſtam ab egregio Paſtore, & Patre veſtro diſciplinam, Appamienſis Eccleſiæ bono, & aliarum incitamento, conſtanter retinete; dum nos impensè precamur eum qui habitat in conſilio Iuſtorũ, & congregatione, vt ſit in medio veſtrũ, & ſua præſenti ope vobis continenter adeſſe velit; quibus Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die prima Ianuarij 1681. Pontificatus noſtri anno quinto. MARIVS SPINVLA.

179 Plura ſunt obſervatu digna in hac Epiſtola, quorum aliqua libabimus, præſertim quæ ingentem clamorem nuper in Gallia excitarunt. Imprimis conqueritur Pontifex, nec zelum aut ſolicitudinem Franciſci bonæ memoriæ Epiſcopi Appamienſis pro Eccleſiaſtica libertate & diſciplina tuenda; nec tot Epiſtolas à Sede Apoſtolica miſſas pro eadem cauſa, fructum aliquem habuiſſe in ijs, quibus potior Regaliæ, quàm Eccleſiæ cura videtur fuiſſe. Non enim ſolùm ſtuduerunt decreta ſalubria Franciſci irrita reddere, ſed etiam Pontificia iuſſa ſiniſtrè & præpoſterè interpretari: quatenus ea ſic tranſgrederentur reipſa, vt in ſpeciem aliud exhiberent. Quare poſſent iure perſtringi verbis ijs S. Cypriani Epiſt. 31. *Fallaces præſtigias quæritis. nam qui vult videri propoſitis edictis ſatisfeciſſe, hoc ipſo iam paruit, quòd videri paruiſſe ſe voluit?* Nimirum, Deus non irridetur.

180 Sic verò interpretantes decreta Pontificia, ad eludendã eorum vim executionemq; in cauſa adeò gravi, non dubitat Innocentius appellare *FILIOS PERDITIONIS*. Eandem fere notam inuſsit non multis ab hinc annis Alexander VII. Papa nonnullis in Gallia, & pluribus in Belgio, ſiniſtrè interpretantibus verba Innocentij X. in celeberrimo illo Diplomate anni M.DC.LIII. damnantis quinque illas precipuas & execrabiles theſes Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis. Nimirum, extremæ iniquitatis & malitiæ eſt legem divinam, aut Sedis Apoſtolicæ, vel quorumlibet Superiorum, ritè ac legitimè prolatam, Ita interpretari, & ad eos ſenſus detorquere, vt reipſa quidem violetur, & perſundetur; appareat tamen ſervatam fuiſſe.

181 Dum autem in Reſcripto Innocentiano ad Appamienſem Eccleſiã lego illius impugnatores, & ſiniſtros interpretes litterarũ Pontificiarum, notatos eadem ferè cenſura, ac defenſores Ianſenij, tanquam filios iniquitatis, perditioniſve; ſubit animum cogitare, an verus ſit rumor vbique ferè ſparſus, non ſolùm Romæ, & Salmanticæ, ſed etiam in Gallia ipſa: quo pervulgatum, & à plurimis creditum eſt, lites has & concertationes Regni & Cleri Gallicani cum Summo Pontifice, ex occultis quorundam Ianſenianorum technis, & arte Pelaſga ortas fuiſſe. Nimirum, Ianſenij ſectatores cùm hereſes ſuas videant apertè proſcriptas & fulguritas ab Innocentio X. extra Concilium Oecumenicum, & experti ſint nihil ſibi prodeſſe ſiniſtram interpretationem Diplomatis illius anno M.DC.LIII. editi, quo nullũ diutiùs meditata eſt Roma: hanc vnã videntur inveniſſe viam, ne ipſorũ errores cenſeantur ritè damnati, ſi à Clero Gallicano declaretur, Pontificias definitiones in controverſijs fidei non eſſe prorſus irreformabiles, niſi accedente Eccleſiæ conſenſu; ſive, quod perinde eſt, niſi probentur à Concilio Oecumenico: ſi etiam à Rege Chriſtianiſsimo præcipiatur, vt eadẽ opinio tradatur in omnibus Galliæ Academijs, immo & Collegijs Theologorũ. Quis enim crederet, doctiſsimum Clerum Eccleſię Gallicanæ nunc ſubitò eam opinionem ſuffragio ſuo probaturũ, poſtquã in litteris ad Innocentium X. datis anno M.D.LIII. die 19. Iulij oppoſitam ex Veteris Catholicæ ſenſu & ſuo tradiderat (vt vidimus latè Diſp II.) niſi inter eos, qui nuper Comitia Eccleſiaſtica Pariſijs celebrarunt, eſſent aliqui Ianſeniano fermento imbuti, qui pleriſque alijs, aut ferè omnibus nequaquam id advertentibus, virus ſuum latenter in ea Declaratione effunderent? Nimirum, eiuſmodi artes, & dolos in hæreticis antiquos ac plus nimio ſolemnes fuiſſe, nemo, niſi fortè hoſpes in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ignorat. Credibile itaque eſt, inter tot Antiſtites & Theologos Galliarum, qui Declarationem illam Pariſijs ediderunt, eſſe aut fuiſſe aliquos Ianſeniſmo aſperſos; qui

prætextu Regaliæ tuendæ, aut etiam pacis ineundæ inter Regnum & Sacerdotium, aut alijs coloribus quæſitis, ad illam edendam Cleri totius nomine impulerint: tamen reipſa, hoc ſolum ſpectaverint, vt convulſa auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ ad definiendum controverſias fidei extra Synodum Oecumenicam, peſtilens illa Ianſenij doctrina non cenſeatur adhuc ritè damnata ab Eccleſia, novaſque quotidie radices mittat. Meritò itaque ſiniſtros ſuæ mentis interpretes Innocentius XI. nunc appellat *filios perditionis*, ſicuti Alexander VII. *filios iniquitatis* vocavit præpoſteros & fraudulentos explanatores litterarum Innocentij X. adverſus virulenta illa dogmata Ianſenij.

182 Quapropter non tam bilem excitat, quàm riſum extorquet, quod nuper mihi narravit Vir quidam genere pietate ac doctrina clariſsimus, & auritus teſtis ante paucos menſes in ipſa Lutetiâ, eſſe aliquos ibi, qui eandem Ianſeniſmi notam regerant in quoſdam ex Conſiliarijs aut Theologis Romanis, quorum hortatu SS. D. N. Innocentius XI. tam feriò invectus fuit contra prætenſa Regaliæ iura. Riſu, inquam, id dignum eſt: cùm nemo ex Ianſenianis, niſi fortè ſtolidus, aut Margite inſipientior, ſit, qui neſciat ſuarum partium intereſſe plurimùm, vt Romanus Pontifex non cenſeatur ſupremus Iudex controverſiarum fidei, nec eius ſententiæ in omnibus maioribus cauſis ſtandum denique ſit, omni prorſus appellatione reiecta. Cùm igitur Conſiliarij ac Theologi Romani hortentur SS. D. N. Innocentium, vt eam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem conſtanter tueatur, ipſeque in litteris ſuis, præceptionibus, & Epiſtolis, in idipſum feriò incumbat; ridicula eſt & dementata quælibet Ianſeniſmi ſuſpicio de ijs, quibus hortatoribus tantus Pontifex ſtudet convellere Regaliæ cauſam. Et ſanè ſi omnia eius Reſcripta attentè legantur, & quidquid Romæ circa controverſiam hanc decretum fuit, ex quo orta eſt; nec levis quidem vmbra Ianſeniſmi apparet in Romanis, ſeu Theologis, ſeu Iuriſperitis, Pontificiam cauſam patrocinantibus. Quare ſiqui Lutetiæ alia dicunt, ſparguntve; ſatis ſe produnt. quippe, vt cum Auguſtino loquar, qui exſufflant pulverem, in ſuos aliorumque oculos excutiunt.

183 Notatis verò ijs, qui tam præpoſterè interpretati ſunt priores alias litteras Pontificias, cùm SS. D. Innocentius videret adhuc omnia Eccleſiæ Appamienſis iura convelli, & loco Vicariorum Generalium Canonicè electorum, intrudi alios titulo Regaliæ, exercentes munia ſpiritualia; omnia eorum acta decernit ſeu declarat prorſus irrita, & inania; prout in ipſis Litteris latiùs videre eſt: vtpote quæ ab ijs prodierint abſque vlla poteſtate iuriſdictionis, & contra expreſſam Romani Pontificis voluntatem, ſatis notam in tota ea Diœceſi. Quare & matrimonia eo inani titulo celebrata, aut celebranda, & confeſsiones auditas, audiendaſque, nullius valoris fuiſſe ac fore. Quidquid enim ſit de quæſtione illa, An titulus coloratus, vt aiunt, Parochi & Confeſſarij tribuat iuriſdictionem, quam multi Theologorum tuentur; ea tamen opinio, ſaltem impræſenti locum non habet: tum quia fundamentum præcipuum illius innititur conſenſui tacito Eccleſiæ, qui in caſu quæſtionis nullus eſt, cùm contradixerit palam à principio Summus Pontifex: tum prætetea quòd illa intelligi debeat in caſu erroris communis, nimirum innoxij, aut inſuperabilis: impræſenti autem ſiquis fuit error circa Vicarios intruſos, tanquam veros, non fuit eiuſmodi; ſed craſſus, aut etiam affectatus: cùm palam omnibus conſtaret in ea Diœceſi de mente, primùm Franciſci Epiſcopi, deinde Pontificis Romani in oppoſitum. Verùm ſinamus gratis, fideles Appamienſes iudicaſſe probabiliter ineſſe iuriſdictionem veram Parochis, Confeſſarijſve probatis à Vicario Generali inducto Regaliæ titulo: alijs contrà negantibus propter decreta Romani Pontificis. Adhuc permiſſo, & non conceſſo, id iudicium fuiſſe verè probabile; tenentur ij matrimonia & confeſsiones iterare: cùm nemo, niſi pervicax, aut obſtinatus, negare poſsit, Pontificiam ſententiam eſſe etiam vt minimùm probabilem, & evidenter tutiorem. In adminiſtratione autem (idemque videtur dicendum in receptione) Sacramentorum non licere ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, ſatis didicimus omnes ex ipſo Pontifice Innocentio, qui doctrinam contrariam aliquot retro annis proſcripſit primo loco inter varias propoſitiones damnatas.

184 Scio quot turbæ & motus concitati fuerint in Gallia, occaſione huius Diplomatis: quæ etiam decreta ediderit Parlamentum Pariſienſe contrà quàm Pontifex iubet in illo. Ea quippe apud me habeo edita 31. Martij, 1681. in quorum fine ſignat *DONGOIS*. Verùm ea examinare, aut refellere, non eſt noſtri inſtituti; ſed eorum qui ex profeſſo tractant controverſiā hanc inter auctoritatem Pontificiam, & poteſtatem Regiam Galliæ, circa Eccleſiarum vacantium bona & iura. Dicta tamen hactenus videntur ſufficere, vt omnes ij, qui nullo præiudicio occupati ſunt, ferant ſuffragium pro cauſa Pontificia, potiùs quàm Regia.

SECTIO DECIMA QVINTA.

Exſcribuntur aliæ Epiſtolæ Pontificiæ, ex quibus ampliùs innoteſcit abuſus Regaliæ Gallicanæ, etiam in Monaſteria Virginum Deo ſacrarum. Vbi de Arreſtis quibuſdam Parlamenti Pariſienſis.

185 HOC Ipſo tempore, quo tam acriter contenditur circa ius Regaliæ in Eccleſias Galliarum, accidere quædam, non tam memoratu, quàm horrore aut lacrymis digna: ex quibus noviter appareat, quàm iuſtè & ritè Romanus Pontifex Innocentius XI. reſiſtat indebitæ extenſioni iuris Regij. Conſtabit inſuper, graviſſima illa Eccleſiæ Gallicanæ & Regni mala ex abuſu Concordatorum inter Franciſcum Galliarum Regem, & Leonem X. Papam, orta, iudicio graviſſimorum Scriptorum eiuſdem florentiſſimæ Nationis, nunc etiam locum habere, etiam in nominationibus Abbatiſſarum. Sed rem ipſam exponamus verbis eiuſdem Pontificis.

VENERABILI FRATRI IOSEPHO ARCHIEP. Toloſano.

INNOCENTIVS PP. XI.

VENERABILIS Frater. Delatę nuper ſunt ad nos querelæ Monialium ordinis ſanctæ Claræ Vrbaniſtarum in Toloſana civitate graviter dolentium, & dolorem ſuum in paternum noſtrum ſinum multis cum lacrymis deponentium, vt afflictis, ac penè perditis rebus ſuis præſentem opem pro Apoſtolici muneris noſtri debito afferamus. Per hos enim dies ad illud Monaſterium veniſſe Monialem quandam magno comitatu, militum etiam cohorte ſtipatam, vt Abbatiſſatus perpetui poſſeſſionem invaderet, prætextu Regiæ nominationis, nullo iure, aut conſuetudine, nullo Apoſtolico indulto ſubnixæ: ſe quidem ad inuſitatæ rei ſpectaculum primò attonitas, mox collectis animis, & implorata cœleſti ope, quacúque ratione licuit, reſtitiſſe, ne immunitati Eccleſiæ, & inſtituto Ordinis ſui, Apoſtolica authoritate firmato, tam inaudita, ac tam pernicioſi exempli iniuria, inferretur; ſed ſuperante vi militum cedere tandem coactas, effractiſque foribus, ac pariete ipſo, liberum multis ſecularibus aditum patuiſſe; cum quibus ingreſſos quoque milites violenter ibi, & ſacrilegè multa patraſſe, magna cum totius civitatis indignatione, & ſcandalo: fraternitate autem tua, quæ par omnino erat, vt venientibus lupis Paſtorale pectus opponeret, non ſolùm non repugnante, ſed vltrò eos quodammodo invitante, & Monaſterium, edito Decreto, per vim recludi iubente.

187 Inhorruit ad tam indignæ rei nuntium animus noſter, adeoque monſtri ſimilis viſa eſt, vt quamvis aliunde quoque eadem afferrẽtur, vix tamen perſuadere nobis potuerimus, Archiepiſcopum Toloſſanum, inſpectantibus religioſiſsimis Galliæ Epiſcopis, & Gallia vniverſa, eò progreſſum fuiſſe, vt dignitatis, ac muneris ſui oblitus, nullo horribi-

ribilium cenſurarum, & cœleſtis iræ metu, nulla famæ reverentia, tanto facinori, pro quo animam ſuam boni Paſtoris exemplo ponere debuiſſet, non ſolùm non reſiſteret, ſed etiam ſuffragaretur; niſi memoria teneremus, quid duobus fermè ab hinc annis in negotio Regaliæ, vt nuncupant, vbi de Appamienſi Eccleſia Toloſanæ ſuffraganea agebatur, decernere auſus fueris, contra manifeſtam cauſæ iuſtitiam, contra omnes divini, humanique iuris regulas, contra ipſius Eccleſiæ, totiuſque Provinciæ tuæ iura, & libertatem, & cõtra morem Prædeceſſorum tuorum, aliorumque Galliæ Præſulum, qui in ſimilibus caſibus Regiæ voluntati, atque indignationi, ne muneri ſuo deeſſent, obviam fortiter eundo, & Dei cauſam ſtrenuè orando, læta, & ſalutaria Eccleſijs reſpõſa ab ingenita Chriſtianiſsimorum Regum iuſtitia, & pietate retulere.

188 Officij itaque noſtri eſſe duximus gravem, ac planè acerbũ ea de re animi noſtri ſenſum tibi aperire, teque in Domino monere, vt diligenter conſideres, quo in periculo ſis experiendæ divinæ vltionis, quàm facilè provocabunt gemitus tot lectiſsimarum Virginum, quarũ vitæ innocentia, & candor, atque aſsiduus divinarum laudum concentus, deliriæ quodammodo ſunt cœleſtis Sponſi, cui ſacroſancto, & inſolubili vinculo coniunctæ fuere; niſi quamprimùm emendatis quæ admiſſa ſunt, miſericordiarum Patris clemẽtiam demereri ſtudueris: alioquin nos pro Vicaria Chriſti Domini in vniverſam Eccleſiam põteſtate, quà fungimur, quanquam indigni, immerenteſque, & pro ſollicitudine, quam debemus vnicuique Chriſti fidelium ad paternum patrocinium noſtrum confugienti, cogemur de opportunis remedijs ſeriò cogitare. Datum Romæ, die 18. Ianuarij 1679.

189 Is Archipræſul Toloſſanus eſt idem ipſe, ad quem ſuprà datas vidimus litteras alias ſeveritatis plenas, num. 168. Porrò quæ nunc exſcriptæ fuerunt, horrorem ingerunt. Sed adeò difficili tempore datæ ſunt, vt quamvis emollire ſilicea corda poſſent, ac viderentur allaturæ opportunum remedium ijs Sanctimonialibus afflictis; neſciamus adhuc, an aliquid effeciſſe videantur. Neque enim vllum inſtrumentum hactenus habuimus, ex quo id colligi poſsit.

190 Verum læva omnia accidiſſe ſuſpicamur à ſimili alterius nominationis cuiuſdam extraneæ Abbatiſſæ pro Parthenone Charonnenſi Diœceſeos Pariſienſis. Quid ibidem acciderit, innoteſcet ex alijs litteris eiuſdem Innocentij Papæ, quas ſubiungo.

DILECTIS IN CHRISTO FILIABVS MONIALIBVS, ſeu Canoniſsis Regularibus, Congregationis B. MARIAE VIRGINIS nuncupatis, Monaſterij loci de Charonne, Pariſienſis Diœceſis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Inſtitutionis Serui Dei Petri Fourier,

INNOCENTIVS PP. XI.

191 DILECTAE in Chriſto Filiæ, Salutem, & Apoſtolicam bene-

nedictionem. Allatum ad nos eſt, Monialem quandam Ciſtercienſis, ſeu alterius, non tamen veſtri Ordinis, Mariam Angelicam le Maiſtre de Grandchamp nuncupatam, prætextu Regię nominationis, ad perpetuam, ſeu temporalem iſtius Præfecturam, ſe in eiuſdem poſſeſsionem effractis violenter Clauſtri veſtri foribus, dum vos ad divinã opem implorandam, preces ad aram ſuppliciter funderetis, immiſiſſe.

192 Eam ſanè ex huiuſmodi facto cepimus intimi doloris amaritudinem, quam rei ipſius attrocitas, & grave ſcandalum, quod exinde profectum eſt, repoſcebat; neque minori commiſerationis ſenſu proſecuti vos fuimus, qui cognitam, & perſpectam habemus pietatem atque egregiam diſciplinam, quam iuxta inſtituti veſtri, præſertim in gratuita ac fideli puellarum inſtructione, normam, tenetis. Speramus non defutura vobis veriora ſolatia à Patre miſericordiarum, qui virtutem veſtrã ita exercet, & quaſi per ignem probat, vt ornet, & illuſtret magis, & ampliore mercede ſuo tempore coronet.

193 Præcipimus interim vobis, ne præfatæ Mariæ Angelicæ vllum obedientiæ actum exhibeatis, aut quodquam faciatis, quod trahi aliquomodo poſsit in approbationem, & conſenſum eorum, quæ hac occaſione à quoquam ſub quovis colore peracta, & patrata ſunt; quæque nos Apoſtolica authoritate nulla, atque irrita declaramus, & quatenus opus ſit, caſſamus; omniaque, & ſingula tam à dicta Maria Angelica, quàm ab eius fautoribus attentata, annullamus, revocamus, atque abrogamus: ſed procedatis iuxta regularum veſtrarum præſcriptum, ad eligendam de gremio veſtro Matrem Superioriſſam triennalem, ex charitate, & prudentia, vt Monaſterio veſtro præeſſe cum laude poſsit.

194 Cæterùm mandamus, vt Sorores, ſeu Matres veſtræ antiquæ Moniales dicti Veſtri Monaſterij, quæ auſu temerario relegatæ aſſeruntur, ad veſtrum Monaſterium quanto citiùs redeant, & inibi voce activa, & paſsiva frui, potiri, & gaudere poſsint; vobiſque & ipſis, totique Congregationi Beatæ Mariæ Virginis inſtituti præfati ſervi Dei Petri Fourier, & præſertim veſtro Monaſterio, Pontificium noſtrum patrocinium ex animo pollicemur, dum accuratis, & iugibus precibus veſtris neceſsitates Eccleſiæ, & nos ipſos commendamus, quibus Apoſtolicam benedictionem paternè impertimur. Datum Romæ apud Sãctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die 7. Auguſti 1680. Pontificatus noſtri anno quarto.

195 Cùm SS.D.N. Innocentius expediſſet has Litteras in forma Brevis, quibus ſanè deterrendi videbantur auctores prædictæ inrruſionis, cum tanto ſcandalo peractæ; omnia in deterius abierunt. Etenim menſe ſequẽti, id eſt, Septembris 24. eiuſdem anni 1680. prodijt Arreſtum quoddam, vt vocant, Curiæ Parlamenti, cui initium, *Ce jour le Procureur General du Roy eſt entré en la Chambre, &c.* Pontificiæ ſanctioni contrarium & adeò

adeò durum (nequid ampliùs dixerim) vt idem Romanus Pontifex eodem anno 1680. die 18. Decembris, præmiſſa conſultatione S. R. E. Cardinalium, & Magiſtrorum in ſacra Theologia, auditiſque eorum ſententijs, motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prohibuerit omnino eius impreſsionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & vſum, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica & individua mentione dignis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nequeant abſolvi, præterquam in mortis articulo, niſi à Romano Pontifice: ac prætereà mãdaverit, vt folia, ſeu quælibet eius Arreſti exemplaria, ſtatim tradantur locorum Ordinarijs, vel Inquiſitoribus, qui ea flammis illico aboleri curent. Adduntur præterea in eo decreto aliæ formulæ obligandi vbique terrarum, hoc ſolo quòd Romæ publicatum fuerit, vt moris eſt, &c. Ex prohibitione autem adeò ſevera, colligitur qualitas eius Arreſti. Neque enim tam graviter à Pontifice Romano interdictum eſſet eius lectione, retentione, aut vſu, niſi illud eſſet graviſsima nota dignũ. Subiungo κατὰ πόδας Diploma ipſum.

INNOCENTIVS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM Ad Apoſtolatus noſtri notitiam perveniſſent quędam folia Gallico idiomate Typis impreſſa, ſub titulo, *Arreſt de la Cour du Parlement ſur vn Bref du mois d'Aouſt mil ſixcens quatre vingt, du* 24. *Septembre* 1680. in vulgus circumferri: Nos quam plures ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, alioſque in ſacra Theologia Magiſtros, ad illorum examen delegimus: qui poſt maturá eorundem foliorum diſcuſsionem, quid ſibi ea ſuper re videretur Nobis retulerunt. Auditis itaque memoratorum Cardinalium, & in ſacra Theologia Magiſtrorum ſententijs, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, folia prædicta, tàm impreſſa, quàm etiam manuſcripta legi, ſeu retineri, tenore præſentium prohibemus, illorúmque impreſsionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & vſum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſsione dignis, ſub pœna excommunicationis per contra facientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, à qua nemo à quoquam præter quam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, & authoritate Apoſtolica mandantes, vt quicũque folia huiuſmodi penes ſe habuerint, illa ſtatim atque præſentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinarijs, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur: Hi verò ea ſibi ſic tradita illico flammis aboleri curent: in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Vt autem eædem præſentes litterę ad omnium notitiam faciliùs perveniant, nec quiſquam illarum ignorantiam allegare

poſ-

poſsit, volumus, & authoritate præfata decernimus, vt illæ ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie campi Floræ de Vrbe, per aliquem ex Curſoribus noſtris, vt moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; & ſic publicatæ omnes & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi vnicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: vtque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in iudicio, quàm extra illud, vbique locorum habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 18. Decembris 1680. Pontificatus noſtri anno quinto.

Die 21. Decembris 1680. ſupradictæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij S. Officij, & in Acie Campi Floræ ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me Franciſcum Perinum SS. D. N. PP. & ſanctiſsimæ Inquiſitionis Curſorem.

197 Quis non crederet, poſt adeò ſeveram & minacem Summi Pontificis Conſtitutionem abolendum illico, & flammis tradendum Arreſtum illud, ſeu Decretum Parlamenti? Sanè ita eventurum facilè ſibi polliceretur, quiſquis mediocriter pius eſt erga Apoſtolicam Sedem. Vix autem oculis meis credo, dum lego Arreſtum aliud eiuſdem Parlamenti, Conſtitutioni eidem Pontificię nominatim & ex diametro contradicens, die 21. Ianuarij eiuſdem anni 1681. quod ad litteram exſcribo, quamvis horrori futurum ijs omnibus, quos Religionis Catholicæ ardens zelus & cura tangit.

ARREST DE LA COVR DE PARLEMENT,

Sur vne Feuille imprimèe à Rome, en forme de Bulle de nòtre ſaint Pere le Pape, du 18. Decembre dernier. Du 24. Ianvier 1681.

Extrait des Regiſtres de Parlement.

CE jour les Gens du Roy ſont entrez, & ont dit, Maiſtre Denis Talon Avocat dudit Seigneur Roy, portant la parole: Qu'ils ont eu avis qu'il ſe debite en cette ville de Paris une feuille imprimèe à Rome, en forme de Bulle de nòtre ſaint Pere le Pape, dattèe du dix-huitieme Decembre dernier, au ſujet del' Arreſt rendu en la Cour en la Chambre des Vacations, le vinge-quatrième Septembre precedent; Requerant y eſtre prourvù: eux retirez, veu ladite Feuille imprimèe en forme de Bulle, la matiere miſe en deliberation.

LA COVR fait dèfenſes à toutes perſonnes d'imprimer, copier, debiter, lire, & retenir ledite Feuille imprimèe en forme de Bulle. Enjoint

joint à tous ceux qui en ont des exemplaires, de les apporter au Greffe de ladite Cour pour eſtre ſupprimez; Et ſera le preſent Arreſt leu, publié, & affichè par tout où beſoin ſera. Fait en Parlement le 24. Ianvier 1681. Signè, DONGOIS.

198 Si Parlamentum humiliter rogaret Summum Pontificem, vt dignaretur examinare iterum cauſam, auditis partibus, & interim ſuſpenderet promulgationem alicuius Bullæ, cum ſerio propoſito parendi tandem Apoſtolicæ Sedi; tolerandum forſitan id eſſet, ſaltem ex benigna voluntatis Pontificiæ interpretatione. Sed enim Bullam Pontificiã ex motu proprio, certa ſcientia, & de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis editam Romæ, cũ voluntate expreſſa vt ibidem publicata omnes vbique terrarum exiſtentes afficiat & obliget ſub pœna graviſsimi anathematis, nolle recipere, eiuſque editionem, retentionẽ, lectionem, & vſum prohibere in Gallia; quid, quæſo, aliud eſt, quàm erigere caput contra Pontificem Romanum, directè prohibendo quod ipſe præcipit, & præcipiendo quod prohibet? Quis non timeat initiũ aliquod Schiſmatis, immo & hæreſeos ex tali Decreto? Cùm Vrbanus II. Papa Gaufredum Carnotenſem in Gallia Epiſcopum gradu deiecisset, & Richerius Archiepiſcopus Senonenſis eum tueretur, ac per vim quoddammodo honori priſtino reſtituere vellet; S. Ivo Carnotenſis his verbis invectus fuit adverſus Richerium Epiſtol. 8. *CONTRA APOSTOLICAM SEDEM CAPVT ERIGITIS, DVM QVOD ILLA AEDIFICAT, VOS, QVANTVM IN VOBIS EST, DESTRVITIS; ET QVOD ILLA DESTRVXIT, VOS AEDIFICARE CONTENDITIS. CVIVS IVDICIIS ET CONSTITVTIONIBVS OBVIARE, EST HAERETICAE PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE: CVM SCRIPTVRA* (id eſt, Dictatum S. Gregorij VII. Papæ) *DICAT*: HÆRETICVM ESSE CONSTAT, QVI ROMANÆ ECCLESIÆ NON CONCORDAT. Hæc ille, In Gallia olim ſcribens, atque in ſimili cauſa huic, quam tractamus. Vrbanus enim Papa excluſerat ab Epiſcopatu Gaufredum, ſicuti nunc Innocentius Mariam Angelicam le Maiſtre à Præfectura Monaſterij Charonenſis. Quid diceret nunc S. Ivò de ijs Conſiliarijs Pariſienſibus, qui nõ ſolùm illam per vim tueri conati ſunt Decreto edito die 24. Septembris adeò irreverenti in Romanum Pontificem: ſed etiam huius Conſtitutionem adeò ſeveram & minacem, illud prohibentẽ ſub anathemate, ſupreſſerunt, & illius editionem, venditionem, lectionem retentionem, vſumque prohibere auſi ſunt; ac ſi Parlamentum eſſet Apoſtolica Sedes, Romanus autem Pontifex vnus aliquis ſcriptor cenſura dignus, qui in ea Conſtitutione graviter erraſſet? Sed hæc lacrymis digniora ſunt, quàm verbis: nec credo hactenus ad tanti Pontificis aures perveniſſe tam periculoſam (vt mitiſsime loquar) Parlamenti deliberationem. Videamus autem quid ille præterea ſtatuerit circa Parthenonem Charonenſem.

AD SANCTIMONIALES CHARONNENSES.

INNOCENTIVS PP. XI.

DILECTAE In Chriſto Filiæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Libenter cognovimus quæ vos, acceptis Litteris noſtris ſeptima Auguſti datis, pro tuenda præclari Ordinis, atque Inſtituti veſtri diſciplina non minùs prudentèr, quàm piè & fortitèr egiſtis, eligendo meliori, quà per rerum & temporis difficultates vobis licuit, forma: & inhærendo, quoad etiam fieri potuit, regularum Ordinis veſtri, & votorum à vobis emiſſorum præſcripto, Matrem Superiorisſam triennalem. Ac ſanè ſicuti nos non dubitavimus, quin invictæ cõſtan-

tiæ veſtræ in tot moleſtijs ac vexationibus, propter iuſtitiam ferendis, ſecundus rei exitus, Dei adiutrice gratia reſponderet: ita ſperare nunc iuvat, Ciſtercienſem illam, ſeu alterius, non tamen veſtri Ordinis Monialem, Mariam Angelicam Lemaiſtre de Grandchamp, quæ tam ſævæ tempeſtatis author fuit, cùm tamen ex votorum ſuorum debito, neque extra clauſtra Monaſterij ſuę profeſsionis vagari, & multò minùs in veſtrum Monaſterium diſparis habitus, ac profeſsionis, ſe violentèr intrudere debuiſſet; nùnc tandèm ſuſceptæ impietatis pudore, vel divinæ vltionis metu & exemplo deterritam, ab incepto deſtituram; neque fautores eius, qui ſimilia audentibus reſiſtere tenebantur, auſuros in poſterum quietem veſtram, & Monaſticæ diſciplinæ regulas, Ordinemque turbare. Vt autèm omnis eis occaſio, ac prætextus novarum moleſtiarũ ſubtrahatur; cùm ad aures noſtras pervenerit, non deeſſe, qui electioné à vobis bona fide factam, invalidam ac nullam eſſe contendant, quaſi omiſſæ fuerint aliquæ ſolemnitates, quæ tamen vel ex caſu neceſſariæ non erant, vel ab aliqua neceſsitate, aut periculo, iuſtam habebant excuſationem; Nos omnes & ſingulas omiſsiones, & veriorem præfatæ intruſionis modum, pro expreſsis habentes, eãdem electionem ab omni, & quocunque defectu, etiam ſubſtantiali, ſiquis in ea intervenerit, Apoſtolica auctoritate ſanamus & confirmamus; vel etiam, quatenùs opus ſit, dilectam in Chriſto filiam Catharinam Angelicam Levèque, quam in veſtram Matrem Superioriſſam triennalem elegiſtis, ex integro pro hac vice ad triennium proximum eligimus, & in eo munere iuxta inſtituti veſtri regulas vobis pręeſſe volumus, & mãdamus. Propterea monere debetis, ea tamen, quà præditæ eſtis charitate, præfatam Mariam Angelicam, tanto cum ſcandalo iſthic intruſam, vt ſi corde indurato adhuc è veſtro Monaſterio non receſsit, ſub indignationis noſtræ, & alijs arbitrio noſtro pœnis, nulla interpoſita morà, diſcedat; & ad clauſtra illius Ordinis redeat, in quo legitimè profeſſam conſtet. Divinam interim bonitatem impensè precamur, vt aſsiduo ſuæ gratiæ incremento, in ſpectatæ fidei & conſtantiæ virtute vos roboret, omniaque velit vobis, atque vniverſo Ordini veſtro felicia evenire; quibus Nos Apoſtolicam benedictionem intimo paternæ charitatis affectu impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Octobris 1680. Pontificatus noſtri anno quinto.

200 Ex litteris hiſce Pontificijs conſtat, adhuc poſt priores illas datas 7. Auguſti 1680. in quibus adeò ſeverè Innocentius reprehendit & damnavit intruſionem illam violentam Mariæ Angelicæ le Maiſtre in Superioriſſam Monaſterij Charonnenſis, perſtitiſſe hanc in propoſito ſeu prætenſo iure ad illud regendum; fultam abſdubio favore Aulæ, & decretis Parlamenti, illo præſertim edito 24. Septembris eiuſdem anni, & poſtea fulgurito ab eodem Pontifice 18. Decembris. Conſtat præterea ex vtraque Epiſtola, Moniales reſi-

reſiſtentes eidem intruſioni, propterea ſubiiſſe vexationes plures, quaſdam verò etiam exiliũ. Vlteriùs, electionem ab ijs factam, vtcumque illam peragere potuerunt in medio tantę perſecutionis, exiſtimatam fuiſſe irritam ab ijs, qui contrariæ parti favebant, & priori Pontificio decreto adverſabantur. Denique, defectus omnes, ſiqui intervenerunt in electione, etiã ſubſtantiales, ſuppletos fuiſſe à Romano Pontifice de plenitudine pòteſtàtis Apoſtolicæ: ac tandem, Mariam illam Angelicam, tot tumultuum diſcordiarumque cauſam, aut occaſionẽ, iuſſam redire ad ſuum Monaſterium, in quo antea profeſsionem emiſſerat.

201 Quid autem poſtea factum ſit, non poſſum certò affirmare. Nihil enim eiuſmodi accepi, nec narratu aliorum, nec per epiſtolas quorundam Roma ad me miſſas, etiamſi in omnibus ijs plura habeantur circa ea quæ in Gallijs geruntur; nec denique id detegere hactenus potui ex libro nuperrimè Pariſijs edito apud Federicum Leonardum annis 1681. & 1682. in quo habentur Decreta omnia Regis Chriſtianiſsimi, Curiæ Parlamenti, & Cleri Gallicani, circa has controverſias, partim Gallicè, partim Latinè edita; ac prætetea Bullæ Pontificię in ſuperioribus exſcriptæ, & aliæ forſan in progreſſu exſcribendæ. Quorum omnium inſtrumentorum exemplaria mihi amicè communicavit excellenti Vir ingenio, doctrina, comitate, & integritatè morum, Reverendiſs. P. Magiſter Fr. Bartholomæus Echenique, Præmonſtratenſis Ordinis, in hac Salmanticenſi Academia Theologiæ Profeſſor Laureatus, & olim Philoſophicæ Cathedræ Anteceſſor.

SECTIO DECIMA SEXTA.

Epilogus totius huius Diſputationis quoad ſumma capita. Gregorium VII. alioſque Pontifices, & Epiſcopos, iure damnaſſe Inveſtituras laicas, etiam ſub nota hæreſeos, & longè aliter ſe geſsiſſe in tuenda libertate Eccleſiæ; quàm Præſules modernos Galliarum. Porro Innocentium XI. in ijs controverſijs recentibus iuſtè & prudenter ſe geſsiſſe, immò & conſuluiſſe bono Regis Chriſtianiſsimi, ac felicitati Galliarum.

202 EX Diſputatione hac, longiori ſanè, quàm initio ſtatueramus, ſed tamen in qua ſeries ipſa rerum occurrentium nos in plura & varia ad Regaliam ſpectantia duxit, nonnulla propemodum ſponte ſua fluunt, quæ hoc loci preſsiùs obſervare, & de cætero meminiſſe oportet.

203 Colligitur I. Pontifices illos Romanos ſæculi vndecimi, præſertim S. Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. & Paſchalem II. ſuffraganeibus Epiſcopis, Patribus, & Scriptoribus eiuſdẽ ſæculi, præſertim Gallicanis, iure merito inſectatos fuiſſe, & indicto anathemate damnaſſe inveſtituras laicas Epiſcopatuum, & Abbatiarum, ac quarumlibet Dignitatum Eccleſiaſticarum, Beneficiorumque, etiam relatè ad Reges & Imperatores. Quodlibet enim ius Principum ſæcularium, etiam ex Privilegio Apoſtolicæ Sedis proveniens in Eccleſiam, adverſatur quoddammodò eius libertati, & diſpoſitioni ſacrorum Canonum circa electiones: quin & plura alia incommoda ac mala ſecum afferre ſolet, quæ ſemel inducta, difficillimè extirpari poſſunt Principes enim ſæculares, præſertim ſupremi, ſive nullum in rebus politicis ſuperiorem agnoſcentes, Privilegia Eccleſiæ initio ſibi conceſſa gratis, poſtea convertunt facile in ius hæreditarium, atque in cenſu proprio computant. Quare tam procul eſſe ſolent ab eo exuendo, vt potius tota vi & conatu ſtudeant illud extendere vltra terminos ſibi ab Eccleſia præſcriptos. Quòd malum vt vitarent ſancti illi Pontifices, plurimas eo ſæculo & ſequenti Synodos coegerunt, præſertim Romæ, & in Gallijs: quibus omni iure in Eccleſiam, omnique functione in Prælaturas illius, interdictum fuit laicis, cuiuslibet qualitatis ſint, etiam Regibus Imperatoribuſque, ſub gravíſsimis pœnis.

204 COLLIGITVR II. Gregorij VII. Definitionem, damnantis inveſtituram laicam veluti hæreſim (ſi fortè ab illo edita fuit, vt Patres & ſcriptores eius temporis teſtantur) nihil abſurdi continere, ſed potius veriſsimam fuiſſe. Non enim accipienda eſt de inveſtitura *facti*, ſed *iuris*, vt ita loquamur. Nimirum, non debet intelligi de inveſtitura, quam laici aliquot præſtabant eo tempore exiſtimantes bona fidè, aut ignoratione quadam, etiam improbabilũ (quam vincibilem appellant) ſibi licere, ſive ex Privilegio Eccleſiæ, ſive ex conſuetudine ab ea vltro permiſſa, quamvis in vtroque fallerentur. Nimirũ, ea pervaſio inveſtiturarum dũtaxat, vel ſummùm prohibita fuit ſub anathemate in Conſtitutionibus Pontificijs, & Concilijs prædictis. Accipienda itaque eſt ea definitio Gregorij, immo & ſententia eadem Patrum eius ſæculi, Inveſtituram appellantium hæreſim, de inveſtitura *iuris*, nimirum de illa quam Principes ſæculares, ſive laici quilibet, exiſtimant ſibi competere ex iure fundato in ipſo dominio temporali, aut Imperatoria, vel Regia dignitate.

nitate. Cumque eo inani titulo Henricus III. aliàs IV. Imperator invaderet ſacras inveſtituras, nominationeſque Epiſcoporum & Abbatum, in varijs Concilijs, & ſcriptis Patrum eius temporis, anathemate notatus fuit, tanquã ſchiſmaticus & hæreticus: immo tanquã ſucceſſor Neronis aut Iuliani Apoſtatæ, vt loquitur S. Anſelmus Cantuarienſis lib. Epiſt. 3. epiſt. 134. quin & Abbas Vſpergenſis in Chronico ad annum M. CVI. illum ex ſenſu Catholicorum omnium appellat, *Archipiratam, ſimul & Hæreſiarcham, necnon & Apoſtatam, perſecutoremque plus animarum, quam corporum.* Cumque præterea ipſius tempore invaſio inveſtiturarum comites haberet frequenter Simoniam, & defectionem à fide; meritò, etiam ex hac parte graviſsimâ notâ hæreſeos inuſta fuit. Vide pleraque huc ſpectantia ſupra ſectione quarta, à num. 40. vſque ad finem. Quare non eſt quòd ex hoc capite vocetur in dubium auctoritas infallibilis definitionum Pontificiarum. Si enim prædicta definitio à Gregorio VII. Papa edita fuit, vera & certa eſt illa, iudicio omnium Patrum eius ſæculi, quos eo loco laudavimus & antea ſectione prima teſtes adduximus. Porrò Paſchalem II. ab hæreſis nota liberum reverà extitiſſe, quamvis præter ius & fas inveſtituras conceſſerit Henrico V. iam ſupra loc. citat. oſtenſum fuit.

205 Colligitur III. Illuſtriſsimos Galliarum Præſules, quotquot hoc anno M.DC.LXXXII. Comitia Pariſijs celebrarunt (cuiuſcumque demum auctoritatis & eruditionis ſint) quemadmodum in Declaratione illa edita 19. Martij deſciverunt à Deceſſoribus ſuis in neganda auctoritate infallibili definitionum Sedis Apoſtolicę ſeorſim ac per ſe ſpectatę, vt vidimus Diſp. II. III. IV. & V. ita etiã longè aliter ſe geſsiſſe in ordine ad tuendam conſtanter, & apertè libertatem Eccleſiarum. Quod ſatis fusè oſtenſum fuit paulo antè, ſectionibus 5. 6. & 7. Et sanè conſtanter ſe gerentes, non ſolùm impleviſſent numeros officij, quo ſe obſtrinxerunt Romano Põtifici in ipſa conſecratione, ſed etiam Regis Chriſtianiſsimi partes egiſſent, ſi res ſeriò expendatur. Tantus enim & tam glorioſus Princeps Catholicæ ditionis propagator, Heterodoxorum reductor, Sarracenorum maſtyx (vt alia plurima ornamenta taceam) nullo ex capite videbatur invidiam aut dedecus nomini ſuo conflare poſſe, quàm invaſione alienorum iurium, præſertim Eccleſiæ, idque dehortante toties Romano Pontifice, nec qualicumque, ſed Innocentio XI. ob inſignem vitæ integritatem, pietatemque, celeberrimo. Itaque vel ex hoc capite, vt alia nunc omittamus, cauſam ſui Regis agerent, ſi impavido & conſtanti animo veritatem ipſi aperirent, & tandem perſuaderent, glorioſiorem futurum, etiã apud homines, ex ceſsione iurium in Eccleſiam inſtar S. Ludovici, quàm ex invaſione qualicumque inſtar Caroli Martelli. Sic certè non modò nullam tanti Regis offenſionem incurrerent, ſed potiùs laudem & gratiam apud ipſum mererentur. Ita enim quibuſdam eorum contigiſſe olim memorat SS. D. N. Innocentius in Reſcripto ad ipſos ſuprà exſcripto ſectione 8. num. 88. & nominatim Bertrando Cardinali, Epiſcopo Auguſtodunenſi in Gallia accidit: vt videbimus *infrà* Diſp. XIV. num. 20. & 21.

206 Colligitur IV. SS. D. N. Innocentium XI. pluribus & vrgentiſsimis rationibus innixum fuiſſe ad impediendum prætenſa iura Chriſtianiſsimi Regis in Eccleſias vacantes adhuc liberas, præſertim dum ea ſibi vindicare nititur, tanquam congenita & coæva Coronæ Regiæ. Id enim non modò eſt contrarium Eccleſiaſticæ libertati, ſed etiam adverſum fidei, iuxta ſenſum Romanorum Pontificum, & Patrum, præſertim Gallicanorum, ſæculi vndecimi, quos allegavimus ſect. 1. & 4. Eſt etiam pernicioſum florentiſsimo Galliarũ Regno, & extremam ipſi ruinam, omniumque malorum colluviem afferens: vt teſtimonio gravium Scriptorum eiuſdem Nationis, ſimulque communi experimento, oſtẽſum fuit ſectione ſeptima à num. 81.

207 Colligitur V. Innocentium XI. non aliter ſe debuiſſe gerere cum Rege Chriſtianiſsimo, quàm de facto ſe habuit. Ita enim oportuit tueri Eccleſiaſticam libertatẽ & cavere periculum fidei palam violandæ nuper indicatum, etiam imminente quolibet diſsidio. Sic enim cum laude totius Eccleſiæ Catholicæ ſe geſſerunt graviſsimi Pontifices Romanæ Eccleſiæ, & Præſules Italiæ ac Galliæ, ſæculis vndecimo & duodecimo, etiam in temporibus aſperrimis, & aperto ſchiſmate, non tam imminente, quàm graſſante iam plurimis annis. Quare incuſandus non eſt tãtus Pontifex quòd accepta Epiſtola Illuſtriſſimi Cleri Gallicani die tertia Februarij 1682. ſcripta in gratiam Regis ſui, immotus manſerit, & Reſcriptum dederit ſeverum aculeatumque die 11. Aprilis, cuius copiam fecimus ſectione octava. Deinde in nona ſequenti, excurſione facta per præcipua eiuſdẽ Diplomatis capita, multipliciter oſtenſum fuit, quàm iuſtè reſtiterit prætenſo iuri Ludovici XIV. & ſtylum exacuerit in eoſdem Præſules Galliarum: quantum denique oportuerit tueri Eccleſias, Epiſcopos illarum, & Monaſteria Virginum, à ſæculari potentia:

randum, niſi Deus ſpeciali Providentiâ erga Eccleſiam ſuam Catholicam, cuius pars ingens & vna ex præſtantiſſimis eſt Gallicana, ea procul averat.

220. Sed certè, quò tandem concludam Diſputationem hanc ſatis prolixam, indignum apparet, vt occaſione litis, ſeu diſſidij inter Pontificem Romanum & Regem Chriſtianiſſimum circa bona quarundam Eccleſiarum vacantium, quod pacificè diſcuti, & dirimi, aut componi ex bono & æquo potuiſſet, Illuſtriſſimi Præſules Gallicani in publicis Comitijs protulerint Declarationem illam, adeò contrariam auctoritati Sedis Apoſtolicæ, vt à nullo hominum Catholicorum cœtu acriùs impeti potuerit. Et certè adhuc permiſſo quòd theſes in ea prolatæ non eſſent graviſſimâ notâ dignæ iuxta communem ferè omnium Doctorum, etiam Gallorum (ſi paucos excipias) ſenſum, ſed probabiles, aut nulli cenſuræ obnoxiæ; nihil conferrent ad rem de qua agitur inter Chriſtianiſſimum Regem & Romanum Pontificem. Illorum enim controverſia ſolùm pendet ex intenta conſideratione iuris communis, aut privilegiorum ſpecialium Sedis Apoſtolicæ, vel antiquæ conſuetudinis receptæ in Gallia, ex conſenſu illius, ſaltem tacito. Quæſtio autem eiuſmodi pacificè exagitari & dirimi potuit ac poteſt, ſine recurſu ad eas invidioſas controverſias, & theſes, quæ in dicta Declaratione proferuntur, & præter rem ab Illuſtriſſimis Galliæ Præſulibus editæ ſunt. Quare non tam eo conſilio illas protulerunt, vt iure aliquo aut ratione Regium ius promoverent, quam vt terrorem incuterent SS. D. N. Innocentio XI. ſed incaſſum vt ipſe teſtatur ſupra ſect. 8. num. 85. Egregiam porrò agendi rationem, quam metuin in ſeipſis fuerant experti, transferre velle in ſinum tanti Pontificis, non ſua quærentis, ſed quæ Dei ſunt! Deinde, dato, & nullatenus conceſſo, ius ipſius in ea parte non eſſe exploratum, ſed incertum, aut etiam minùs probabile, quàm contrariæ partis; in quo propterea peccavit Apoſtolica Sedes, vt theſibus publicis per totum Orbem Chriſtianum ſparſis nomine graviſſimi Cleri Gallicani, convellatur illius auctoritas tam multipliciter, tam apertè, quantum à nullo hactenus cœtu Catholicorum Præſulum convulſa fuit? Sed hæc lacrymis, quàm verbis digniora ſunt. Diſſideant itaque itaque Pontifex Romanus & Rex Chriſtianiſſimus pacato animo, & civili ſolùm litigio circa iura propria vnuſquiſque. Vos autem, *GENS SANCTA, REGALE SACERDOTIVM*; non debuiſtis propterea vllam invidiam conflare, aut offenſionem inferre Apoſtolicæ Sedi, cuius filij præſtantiſſimi eſtis.

DISPVTAT. DVODECIMA

AN EADEM AVCTORITAS INFALLIbilis Romanorum Pontificum credita & tradita fuerit in Eccleſia ſæculo duodecimo.

MVLTI Ex Patribus allegatis Diſput. præcedenti pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ, in dirimendis fidei controverſijs, præſertim S. Anſelmus Cantuarienſis, illuſtrarunt ſæculum vndecimũ circa finem, & duodecimum, in quod ingredimur, circa initium. Quare cùm iam protulerimus eorum teſtimonia in ſuperioribus, non eſt quòd hoc loci iterum ea exhibeamus. Oportet itaque excurrere per hæreſes tunc ortas, illarumque damnationem à Romanis Pontificibus prolatam extra omne Concilium Oecumenicum, ſtatimque à tota Eccleſia Catholica receptam, nemine, niſi ſchiſmatico aut hæretico, contradicente. Nonnullas quoque hæreſes recenſebimus, quibus præcidendis aut extinguendis, nec Synodo Generali, nec Provinciali, nec Pontificia definitione opus fuit; ſed ſola combuſtione auctorum.

SECTIO PRIMA.

De hæreſibus quibuſdam initio ferè duodecimi ſæculi ortis aut ſuſcitatis, & de earum damnatione extra omne Concilium Oecumenicum.

2 PRIMA Hæreſis *earum*, quæ duodecimo ſæculo ortæ, aut ab Orco *excitatæ* fuerunt, adſcribitur Durando de Vvaldach *in* Aragonia: qui inter plures alios errores, cum quodam alio affectatore ſuo, diſſeminavit, matrimonium nihil aliud eſſe, quàm occultã quãdam fornicationem. Cumque traductus ob *eam* *inſaniam*, olim à Marcioniſtis, Tatianiſtis, Adamitis, & Manichæis traditam, nollet illam deponere, ſed pertinaciter tueretur; cum ſuo illo comite igni traditus fuit, anno circiter M C.XVII. Vide Prateolum verbo *Durandus de Vualdalch, numer.* 18. Nec *e*nim alius *e*o antiquior rem commemorat. Porrò ad eam hæreſim proſcribẽdam, olim in Marcioniſtis, alijſque hæreticis ſæculi ſecundi ac tertij, & poſteà *in* Durando, nemo cogitavit de indicendo Concilio, præſertim Generali. Ideoque præſente Iacobo Aragonum Rege, Epiſcopus Gerundenſis, & Arnoldus Burgenſis Inquiſitor Fidei, examinata cauſa, vtrumque de ea hæreſi convictum & pertinacem, igni tradendum iudicarunt. Reliquos errores ab ijs traditos non commemorat in ſingulari Prateolus.

3 Eodem circiter tempore Marſilius quidam Paduanus plures errores tradidit, prçſertim contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ; prçtermiſſos quidem à Baronio, ſed tamen memoratos ab Alvaro Pelagio lib. 1. de Planctu Eccleſiæ artic. 68. & Prateolo verbo *Marſilius num.* 17. Primus error fuit, Papam poſt Chriſti Domini Aſcenſionem non permanſiſſe ipſius Vicarium in Eccleſia, ideoque hanc ſine Vicario Chriſti relictam. Secundus, Papam ſubiacere iudicio Imperatoris, & hunc Summo Pontifici ſuccedere, Sede vacante. Tertius, viros Eccleſiaſticos eſſe incapaces poſsidendi divitias, agros, & quælibet alia bona externa. Quartus, nihil *e*ſſe diſcriminis inter Sacerdotes, *i*mmo nec inter Epiſcopum Sacerdotemque. Eæ verò hçreſes, multò poſtea à Sectarijs noſtrorum temporum magna ſui parte ſuſcitatç, ſçculo illo duodecimo potiùs ſpretæ, quàm examinatæ fuerunt: ideoque nullum Concilium, adhuc Provinciale, contra illas coactum invenio, nequidem in Labbeana editione omnium vberrima.

4 Similiter circa annum Chriſti M. C.XVIII. quo Gelaſius II. Pontifex renuntiatus fuit, & Alexius Imperator in Oriente dominabatur, igni traditus fuit nequiſsimus quidam Hæreſiarcha, Baſilius nomine, auctor nefariç Bongomilorum ſectæ, de quo hæc habet Zonaras: *His temporibus ſecta nefaria Bongomilorum extitit, cuius præco, Doctorque primarius fuit quidam Baſilius Medicus, habitu Monachus, ſed ipſo potiùs Satana indutus. Qui cùm annis quindecim erroris illius pernicioſa dogmata didiciſſet, quinquaginta duobus docuiſſet, totum ferè orbem ſua peſte impleVit. Tandem etiam Vrbem Imperatricem ingreſſus, in manifeſto crimine eſt Veritatis inimicus deprehenſus: Nam Imperator eius impietate cognita, ſimulaVit ſe fidem habere homini infelici, & Magiſtrum appellaVit, & Saluatorem errantium animarum. His & pluribus alijs egrè quidem, & tardè, ſed tamen effecit tandem, Vt homo peſtifer eVomeret Virus ſuæ improbitatis. Sed fera caſsibus irretita doctrinam eius VulgaVit, & dogmata contempſit, communique ſuffragio in equeſtri theatro impoſtorem comburi iuſsit.* Hæc ille.

5 Porrò errores eius nebulonis ab Euthymio memoratos, hiſce verbis prçſtringit Baronius ad prædictum annum: *Reijcit libros Moyſi, ſeptem'que tantùm diuinæ Scripturæ libros recipit. Deum humana forma præditum dixit. Mundum creatum ab Angelis malis; ſcilicet Michaelem Archangelum fuiſſe incarnatum. Iconoclaſtiã amplexus, ſanctarum cultores Imaginum reprobos, & idololatras eſſe affirmaVit. Crucem deſpexit quòd in ea Saluator occiſſus ſit, quam dæmones fictè timere, atque fugere Viderentur. Baptiſmum Eccleſiæ eſſe Baptiſmum Ioannis, ſuum Verò eſſe Baptiſmum Chriſti. Incruentum ſacrificium contemnendum. Euchariſtiam eſſe Dominicam orationem: omnes orationes præter Dominicam, Vaniloquia eſſe. Inſuper delirans dixit, ſuos omnes concipere Verbum Dei, & parere ſicut Beata Virgo peperit, nullamque aliam eſſe reſurrectionem præter pœnitentiam, & Vitam Euangelicam,*

6 Alias præterea hæreſes ab eo traditas fuiſſe obſervat Gaulterius Sæculo XII. cap. 3. Primam, qua myſterium Trinitatis negabat: ſecundam, qua Eccleſias Catholicæ Religionis proſcindebat maledictis, appellans eas domicilia dçmonum, & effutiens, magnum Sathanam in Templo Heroſolymitano ad ſuum vſque tempus ſediſſe; poſtmodum verò Eccleſiam Conſtantinopolitanam S. Sophiæ occu-

occupaſſe: tertiam, licere vnicuique pro tuenda vita fidem ſimulare.

7 Cum verò tot & tanti errores ab eo nebulone diſſeminati fuiſſent, nemo cenſuit ad eos proſcribendos opus fuiſſe Concilio: ſed ſat viſum flammis vltricibus homuncionem illum tradere. Quare, nec in vllo Concilio Provinciali eius temporis, nec in Nono Generali, id eſt, Lateranenſi I. quod Romæ à Calliſto II. Papa cum trecentis & ampliùs Epiſcopis celebratum fuit anno M. CXXII. vel proximè ſequenti, vlla earum hæreſeon memoria, vel damnatio apparet. Nimirum, quędam hæreſes combuſtò earum auctore ſtatim corruunt: quędam decreto Concilij alicuius Provincialis evaneſcunt: quædam à Romanis Pontificibus ex Cathedra S. Petri definientibus proſcribuntur: quædam denique famoſiores, & longè ac latè graſſantes, ad maiorem iudicij ſolemnitatem, in Concilijs Oecumenicis auctoritate Apoſtolica coactis damnatæ inveniuntur.

8 Tempore eiuſdem Calliſti II. circa annum M. CXXVI. prodijt in Germania homo nequiſsimus, Tandemus, ſeu Tandelinus nomine: qui, teſte Continuatore Sigeberti ad annum 1124. cùm eſſet laicus, ſed Clericis ſubtilior, & copioſior in diſſerendo, plurimos varijs erroribus imbuit. Incedebat pretioſo habitu, crinibus triplici funiculo intortis: lautiſsimè epulabatur, & trium millium armatorum comitatu inſtructus, in reſiſtentes ſibi illatis cædibus ſæviebat, præſertim circa Antuerpiam. Inter alias verò hæreſes, teſte Hugone eius temporis ſcriptore, quem laudat Baronius, omnibus Eccleſiæ Sacramentis bellum indixit. Quare effutiebat, miniſterium Epiſcoporum Sacerdotumque ad nihil deſervire, perceptionem Euchariſtiæ inutilem eſſe; è contrà, fructuoſum, ſeu ſpirituale, virgines fœminas in oculis matrum ſuarum ſtupro violare, & coniugatis ſe admiſcere ſpectantibus maritis. Nec docebat ſolùm tam execrabiles hæreſes, ſed etiam exequebatur illata vi hominum armatorum, quibus ſtipatus incedebat. Poſtea verò poſt eos errores longè ac latè diſſeminatos, pluresque hominum cædes illatas, percuſſus in cerebro à quodam Preſbytero, miſerrime interijt. Nec verò tam apertis & nefarijs hæreſibus proſcribendis vllo Concilio opus fuit. Etenim Sanct. Norbertus, qui iam tunc florebat in Eccleſia, Apoſtolico ſpiritu præditus, eas prædicatione ſua exterminavit; & magnam virorum fœminarumque multitudinem, ab illo impuriſsimo Hæreſiarcha ſeductam, reduxit, vt Corpus Dominicum, quod in ciſtris & foraminibus per decem annos, & ampliùs abſconderant, reſtituerent, & Eccleſiæ Catholicæ reconciliarentur.

9 Circa idem tempus graſſata fuit hæreſis Petro-bruſsianorum, denominata à Petro de Bruis, aliàs Bruſsino, qui per ſpatium circiter viginti annorum in Provincia Arelatenſi Galliæ peſtilentes errores diſſeminavit, adeò pertinaciter, vt ob eorum defenſionẽ apud S. Ægidiũ vivus exuſtus fuerit. Imprimis aiebat parvulos decedentes ante vſum rationis non poſſe ſalvari per Baptiſma Chriſti. Deinde, nullam Templorum aut Eccleſiarum ſtructuram fieri debere, ſed potiùs ſolo æquandas eſſe quotquot exſtructæ invenientur. Prætereà, Cruces omnes eſſe confringendas, quoniam inſtrumentum netis Chriſto illatæ potiùs dedecore, quàm veneratione dignum cenſeri debet. Ad hæc, Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia non eſſe: nec vllum Miſſæ ſacrificium Deo offerendum: nec pia opera pro defunctis, vtpote ijs inutilia. Ijs verò peſtibus profligandis, Eccleſia nullo Concilio opus habuit. Sat enim fuit, vt Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, ſcriptis & prædicatione ſua, ac ſuorum, eas reprimendas curaret, vltricibus flammis tradito ipſarum auctore. Idipſum penè dictum accipe de Secta Adamitarum, qui inſorduere iiſdem ferè erroribus ac ſpurcitijs Tandemi paulò antè memoratis; & nullo Concilio coacto, inſtar Adamitarum veterum tertij ſæculi, ab Eccleſia proſcripti fuerunt. Quemadmodum enim tunc Eccleſia ad damnandos eos hæreticos nulla Synodo Oecumenica opus habuit, vt ſuo loco obſervavimus; ita nec poſtea ad eandem inſaniam, quæ ab Orco revocata fuerat, denuo abolendam.

SECTIO SECVNDA.

De hæreſibus Petri Abailardi, & Arnaldi de Brixia, impugnatis eodem ſæculo à S. Bernardo Abbate Claræ-vallenſi, & damnatis ab Innocentio II. Papa extra omne Concilium Oecumenicum.

11 CIRCA Annum Chriſti 1138. non vulgarem ingenij, eruditionis, & eloquentiæ famam aſſecutus fuit Petrus Abailardus, donec deprehenſum fuit, plures ab eo hæreſes tradi, quà verbo, quà ſcripto, infrà ſubijciendas. Inter alios diſcipulos habuit Arnaldum de Brixia, qui erroribus à magiſtro ſuo acceptis plures addidit, valde exitiales & ſeditioſos, ob quorum pertinatem defenſionem igni traditus fuit. Conſuluit autem

tem Deus Eccleſiæ ſuæ, vt quo tempore ab ijs duobus Hæreſiarchis infeſtabatur intra Galliam, floreret in ea S. Bernardus Abbas Clarævallenſis, Vir ſummus, ſive ingenium, ſive eloquentiam, ſive ſanctitatem conſideremus. Qui ſanè Epiſt. 189. memorans quomodo poſt extinctum ſchiſma Petri Leonis opus habuerit congrediendi cum Abailardo, ita loquitur: *Stultè mihi dudum requiem promittebam, ſiquidem Leonina rabies quieviſſet, & pax Eccleſiæ redderetur. Sed ſecus accidit; nam Leonem evaſimus, ſed incidimus in Draconem, qui non minùs forſan noceat ſedens in inſidijs, quàm ille rugiens de excelſo. Quanquam non iam in inſidijs, cuius virulenta folia vtinam iam laterent in ſcrinijs, & nõ in trivijs legerentur. Volitant libri, & qui oderunt lucem, quoniam mali ſunt, impegerunt in lucem.* Et poſt pauca. *Procedit, inquit, Golias (nempe Abailardus) procero corpore, nobili illo ſuo apparatu circummunitus, antecedente quoque eius Armigero Arnaldo de Brixia: ſquamma ſquammæ coniungitur, & nec ſpiraculum incedit per eas. Siquidem ſibilavit apis, quæ erat in Francia, api de Italia, & venerunt in vnũ aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, &c.* Nimirum, Arnaldus Brixienſis ex Italia redijt in Galliam, ſuppetias laturus magiſtro ſuo Abailardo, iam de hæreſi poſtulato.

12 Porrò errores communes Abailardo & Arnaldo, quantum colligi poteſt ex ipſo S. Bernardo Epiſt. 192. Petro Bergomenſi in Tabula S. Thomæ, ac Prateolo, & Alphonſo de Caſtro, ſunt: Imprimis quòd circa myſterium Trinitatis conſenſerint Arianis, circa gratiam divinam Pelagianis; circa perſonam Chriſti Neſtorianis. Deinde aliquam in Deo compoſitionem adſtruxerunt. Inſuper dixere, Beatos non videre Deum, ſed aliquam ſolùm claritatem ex ipſo derivatam: Deum neceſsitate naturę agere, neque quidquam facere poſſe, niſi quæ propter ordinem iuſtitiæ & ſapiẽtiæ ſuæ facit: quin nec omnium bonorum auctorem eſſe. Angelis vim creandi aſſeruerunt, & inter Deum ac creaturam aliquid medium commẽti ſunt, idque æternum. Negarunt, Verbum divinum aſſumpſiſſe carnem humanam ob redemptionem noſtram, & in Chriſto extitiſſe ſpiritum timoris Dei. Adſcripſerunt poteſtatem Patri, ſapientiam Filio, & bonitatem Spiritui ſancto, nõ per appropriationem, vt Theologi omnes Catholici accipiunt; ſed per proprietatem. Ipſum Spiritum ſanctum dixere animam mundi. Hominibus eripuere liberum arbitrium, negata omni contingentia, & inducta fatali neceſsitate. Negabant vllum Dei timorem permanſurum in futuro ſæculo, cùm tamen Regius Pſaltes palam dicat: *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.*

13 Præter hæreſes prædictas vtrique communes, Arnaldus de ſuo addidit, bona omnia temporalia eſſe propria laicorum, & Clerum malè agere dum fit eorum particeps. Qui error, cùm apud plures è populo plauſibilis eſſet, plurimas Romæ alijſque locis turba concitavit. Præterea, vt Baronius conijcit ad annos 1139. & 1141. quædam ſiniſtrè docuit circa Euchariſtiam, & Baptiſmum parvulorum.

14 Cum Abailardus reſciviſſet dogmata ſua palam traduci à S. Bernardo Abbate, auſus fuit illum ad publicam diſputationem provocare: atque vt res ſolemniùs & cum maiore ſui honore perageretur, comparere voluit coram Archiepiſcopo Senonenſi, & Epiſcopis ſuffraganeis, Abbatibuſque ad Synodum convocatis. Ingreſſus Bernardus, quamvis imparatus, & extempore dicturus, vſque adeò præſentia ſua, & prioribus verbis terruit Abailardum, vt ſtatim obmutuerit, & mutato conſilio diſſerendi appellaverit Sedem Apoſtolicam. Cumque ei optio à Præſulibus daretur, vt vel negaret eſſe ſuos errores, qui in ſcriptis eius apparebant, vel humiliter eos corrigeret, vel tandem reſponderet argumentis & teſtimonijs SS. Patrum ſibi obijciendis; noluit aſſenſum præſtare, eam excuſationem obtendens, quòd tunc vacillaret memoria; quamvis vera cauſa fuerit (vt ipſe apud ſuos dixiſſe fertur) quòd mens & ratio eius coram Bernardo caligaſſet, & interior ſenſus fugiſſet.

15 Interpoſita appellatione Abailardi ad Sedem Apoſtolicam, S. Bernardus plures ſcripſit Epiſtolas, tùm ad Innocentium II. Papam, tum ad S.R.E. Cardinales, & in his ad Guidonem de Caſtello, qui antea fuerat diſcipulus eiuſdem Abailardi in Philoſophia: vt perſpecta haberent prava ipſius dogmata, & nullum ei patrocinium ferrent. Scripſere pariter Præſules ij, qui ad Synodum convenerant, veluti iudices futuri diſputationis ineũdæ. Sed ò mira Dei pietas! Dum Abailardus pervicax & obſtinatus Romam pergeret ad ea impia dogmata defendenda, divertit ad Monaſterium Cluniacenſe, toto Orbe Chriſtiano celeberrimum, cui tunc præerat Petrus Venerabilis, Abbas ſanctitate & doctrina clariſsimus: eiuſque hortatu, & quod præcipuum eſt, oborta divinitus luce inter denſiſsimas mentis ſuæ tenebras, & auxilijs gratiæ voluntatem duram emollientibus, paulatim eò deductus fuit, vt & omnes errores abiuraret, & monaſticam vitam ibidem amplecteretur. In quâ ſanè

ne perſtitit inſigni pœnitentiæ, humilitatis, & obſervantiæ regularis exemplo vſque ad ſupremum vitæ ſpiritum. Cuius rei plenam fidem faciunt Epiſtolæ eiuſdem Petri Venerabilis, præſertim ad Innocentium II. & litteræ S. Bernardi, ac teſtimonia Goffredi Monachi Clarevallenſis lib. 3. cap. 5. Vitæ eiuſdẽ Bernardi, pluraque alia apud Baronium ad annum M.C.XL.

16 Arnaldus verò longè aliter ſe geſsit, & in erroribus pertinax fuit. Cumque Guido Cardinalis eius diſcipulus, paulo antè memoratus, legationem obiret nomine Innocentij Papæ, ad illum confugit. Cumque aliquod inde præſidium habiturus timeretur, S. Bernardus zelo Catholicæ Religionis inflammatus, aliquantò acrius ſcripſit ad Cardinalem ipſum Epiſtolam, quæ inter reliquas S. Doctoris eſt num. 196. vbi, præter plura alia, ſic loquitur: *Arnaldus de Brixia, cuius cõverſatio mel, & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt; quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult accipere, fertur eſſe vobiſcum. Videte, quæſo, ne veſtra auctoritate plus noceat. Nam cùm & artem habeat, & voluntatem nocendi, ſi acceſſerit favor veſter, erit funiculus triplex, qui difficilè rũpitur, ſupra modum (vt vereor) nociturus. Et vnum exiſtimo de duobus (ſi tamen verum eſt quod vobiſcum hominem habeatis) aut minùs ſcilicet notum vobis eſſe illum, aut vos (quod eſt credibilius) de eius correctione confidere, & vtinam id non fruſtra. Quis det de lapide hoc ſuſcitare filium Abrahæ!* Legendus præterea Otto Friſingenſis lib. 2. cap. 10. vbi latè genium, dogmata, & mores eius depingit. Nec tamen Arnaldus propterea ſupercilium poſuit, aut errorem aliquem correxit: quin potiùs audacior & pernicioſior evaſit.

17 Innocentius Pontifex, viſa delatione vtriuſque Hæreſiarchæ, facta à S. Bernardo, & cæteris Patribus congregatis in Synodo ſuperiùs memorata, rebuſque omnibus maturè diſcuſsis, in vtrumque eorum ſententiam tulit, & ſcripta ac dogmata impia damnavit edito diplomate tenoris ſequentis: *INNOCENTIVS Servus ſervorũ Dei Samſoni Rhemenſi Archiepiſcopo, Henrico Senonenſi, & Bernardo Abbati Claravallenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Per præſentia ſcripta fraternitati veſtræ mandamus, quatenus Petrũ Abailardum, & Arnaldum de Brixia, dogmatis fabricatores, ET CATHOLICÆ FIDEI IMPVGNATORES, in Religioſis locis, vbi vobis melius viſum fuerit, ſeparatim faciatis includi; & libros eorum, vbicumque reperti fuerint, igne cõburi. Datum Laterani 17. Kalendas Auguſti. Inſuper ſcripta iſta nolite oſtendere cuipiã, donec litteræ ipſæ in Pariſienſi colloquio, quod propè eſt, præſentatæ fuerint ipſis Archiepiſcopis.* Edidit præterea Innocentius aliud Diploma, cuius verba proferemus infrà ſectione quinta.

18 Vides quomodo ad proſcribendum hæreſes Abailardi & Arnaldi ſæculo duodecimo nullus deſideraverit Concilium Oecumenicum: ſed ſatis viſum fuerit quòd Innocentius II. ijs examinatis ferret iudiciũ, & ſententiam diceret, toto Orbe Chriſtiano ſtatim acquieſcente, & obſequium mentis exhibente Sedi Apoſtolicæ: vt proinde iam cum ijs Hæreſiarchis nulla diſputatio de cætero habenda eſſet, ſed actum cenſeretur de eorum erroribus. Quare tunc dici iure potuit, quod olim ſcripſit S. Proſper libro contra Collatorem cap. 41. poſtquam alter Innocentius Papa, eius nominis primus, in Pelagianos ſententiã tulerat: *Non ergo cum iſtis nova acie dimicandum eſt, nec quaſi contra ignotos hoſtes ſpecialia ſunt ineunda certamina. TVNC ISTORVM MACHINÆ FRACTÆ SVNT, TVNC IN SVPERBIÆ SOCIIS AC PRINCIPIBVS CORRVERVNT, QVANDO BEATÆ MEMORIÆ INNOCENTIVS NEFANDI ERRORIS CAPITA APOSTOLICO MVCRONE PERCVSSIT.* Si autem vltra definitionem aut ſententiam Pontificis damnantis aliquam doctrinam veluti hæreticam, recurſus eſſet ad Generale Concilium, vel ad conſenſum vlteriorem Eccleſiæ; machinæ hæreticorum non eſſent fractæ, nec omnino corruiſſent per damnationẽ ſolam Romani Pontificis, contra quàm Proſper docet. Quare ſtatim ſubdit: *Vnde & venerabilis memoriæ Pontifex Cœleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium, multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt; ſciens damnatis non examen iudicij, ſed ſolùm pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum; Cœleſtiũ, quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſsit extrudi. Adeò & Prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, vt quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.* Itaque nec Pelagij, nec Cœleſtij, nec Abailardi, nec Arnaldi, nec alterius cuiuslibet doctrina, poſt debitam diſcuſsionẽ damnata à Pontifice Romano ex cathedra loquen-

quente, debet iterum ad examen vocari, mul-tò minùs autem defendi poteſt.

19 Quomodo autem idem Arnaldus poſt eam damnationem adierit Romam, Innocentio vita functo, ibique manſerit ſub Pontificatu Eugenij III. & Anaſtaſij IV. per annos plures, ſub protectione quorundam Senatorum, qui clam illum ſervabant, fovebantque, excitatis inde turbis, & ſeditionibus multis; & quomodo tandem tempore Adriani IV. Papæ comprehenſus fuerit, ac ligno adactus, & combuſtus; legere eſt apud Othonem Friſingenſem, eius temporis ſcriptorem gravem, lib. 2. cap. 20. ex quo plura deprompſit Baronius ad annum M. C. LV. nec vacat hoc loci exſcribere. Satis itaque ſit oſtendiſſe, tot illius hæreſes, tum communes Abailardo, tum peculiares, cùm primùm damnatæ fuerunt à Romano Pontifice Innocentio II. ſtatim à tota Eccleſia reiectas fuiſſe, abſque vllo recurſu ad Concilium Oecumenicum. Fruſtra autem aliquos texere Apologias pro doctrina Abailardi, quaſi præpoſterè intellecta fuerit à delatoribus, aut damnata ab Innocentio II. inaudita parte, oſtendit eruditè ex Noſtris Ioannes Mavillon in Notis ad Epiſtolam 187. S. Bernardi: vbi & res omnes Abailardi ordine ſuo memorat.

SECTIO TERTIA.

De hæreſibus à Gilberto Porretano traditis, & ab Eugenio III. damnatis extra omne Concilium Generale, auctore ipſo acquieſcente, & diſcipulis refragantibus: vt propterea ij hæreticorum notam ſubierint, quàm Magiſter declinavit.

20 EX Dicendis in hac ſectione apparebit, quomodo fieri poſſit vt aliquis hæreſes doceat, nec tamen ſit hæreticus. Nimirum circa mediū ſæculi duodecimi ita contigit Gilberto Porretano: qui nonnulla voce & ſcripto tradidit fidei quidē contraria; ſed ſub cenſura Sedis Apoſtolicæ, vt iuxta eius iudicium ſtarent aut caderent. Quare licèt quædam ipſius dogmata hæreſeos nota fuerint inuſta, ille Catholicus ab Eccleſia habitus fuit, & in Epiſcopali dignitate permanſit.

21 Qualis fuerit eius indoles, conditio, & doctrina, narrat Otho Friſingenſis in Hiſtoria Friderici Imperatoris lib. 1. cap. 46. & 47. hiſce verbis; *Fuit illis in diebus in Aquitania Galliæ Civitate Pictavis, Epiſcopus Gilbertus nomine. Hic ex eadem Civitate oriundus, ab adoleſcentia vſque ad ſenectutem in diverſis Galliæ locis Philoſophiæ ſtudium colens, re, & nomine Magiſtri officium adminiſtravit, noviterque ante hos dies ad culmen Pontificale in præfata Civitate ſublimatus fuerat, conſuetus ex ingenij ſubtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cùm quadam vice Conventum de ſua Diœceſi Clericorum magnum celebrans, ſermoni, quem fortè gratia exhortandi habebat, quædam de fide ſanctæ Trinitatis interſereret; à duobus Archidiaconis ſuis, Arnaldo, & Calone, tanquam contra Catholicæ normam Eccleſiæ doctrinam inſtituens, ad Summi Pontificis, Romanæque Sedis examen, interpoſita appellatione, vocatur.*

22 Cum verò Eugenius III. qui eo tempore Eccleſiam regebat, tunc in Gallias Roma proficiſceretur, prædicti Archidiaconi obviam ei fuerunt, accuſantes Gilbertum de hæreſi. Pontifex reſpondit, eam cauſam à ſe examinandam intra Gallias, vbi copia eſſet doctorum virorum: è quibus duo delecti ſunt, Otto Friſingenſis nuper allegatus, qui Gilberti partes ageret; & Bernardus Claravallenſis, qui ex oppoſito argueret. Porrò S. Doctor Eugenium Papam, olim diſcipulum ſuum, hortatus eſt vt iuberet Gilbertum comparere in varijs Conventibus ad examen eius cauſæ indictis, primùm Antiſiodori, dein Pariſijs, ac tandem Rhemis. vbi coacta Synodo introductus Gilbertus coram ipſo Pontifice, & Patribus congregatis, adeò vehementem impugnatorem expertus fuit S. Bernardum, vt apertè conſtaret, eius dogmata eſſe contraria Catholicæ fidei, nec haberet quid reponeret argumenti. Eugenius autem Papa conſulens famæ tanti Præſulis, noluit illum palam notare de hæreſi; ſed rem dirimendam ſtatuit poſt ſolutam Synodum.

23 Porrò errores traditi euſque à Gilberto fuerunt ſex: quatuor priores circa myſterium Trinitatis: duo reliqui circa meritum hominis, & effectum Baptiſmi. Placet illos exſcribere ordine ſuo, prout colliguntur ex Othone lib. 1. cap. 50. & 51. atque ex quodam codice Gallicano apud Baronium memorato ad annos 1147. & 1148. PRIMVS error: Quòd divina natura, quæ Divinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma qua Deus eſt: quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma, qua homo eſt. SECVNDVS: Quòd cùm Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnum eſſe dicuntur, non niſi vna Divinitate eſſe intelliguntur; nec converti poſſit, vt vnus Deus, vel vna ſubſtantia, vel vnum aliquid Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſſe dicātur.

TER-

TERTIVS. Quòd tres perſonæ tribus vnitatibus ſint tria, & diſtinctæ proprietatibus tribus, quæ non ſint ipſæ perſonæ; ſed ſunt tres res æternæ, & ab invicem à divina ſubſtantia in numero differentes. QVARTVS: Quòd divina natura non ſit incarnata. QVINTVS: Quòd meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret, niſi Chriſtum. SEXTVS: Quòd Eccleſiæ Sacramenta evacuando, nullū baptizari diceret, niſi ſalvandum.

24 Ex ijs erroribus priores ſpectantes ad myſterium Trinitatis damnati fuerunt communi conſenſu Patrum decem Provinciarum, & reliquorum Epiſcoporum, pluriumque Abbatum, ab Eugenio Papa, qui contra dogmata illa Gilberti hoc Symbolum, ſeu formulam Fidei Catholicæ edidit: *CREDIMVS, & confitemur ſimplicem naturam Diuinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholicè poſſe negari, quin diuinitas ſit Deus, & Deus diuinitas. Sicubi vero dicitur Dominū ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, diuinitate Deum eſſe, & alia huiuſmodi: credimus non niſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe: non niſi ea magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe: non niſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe: non niſi ea vnitate vnum, quæ eſt ipſe: non niſi ea diuinitate Deum, quæ eſt ipſe: id eſt, ſe ipſo ſapientem, magnum, æternum, vnum Deum. Cùm de tribus Perſonis loquimur Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ipſas vnum Deum vnam diuinam ſubſtantiam eſſe fatemur. Et è conuerſo, cùm de vno Deo, vna diuina ſubſtantia loquimur, ipſum vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam eſſe tres Perſonas confitemur. Credimus, & confitemur ſolum Deum Patrē, & Filium, & Spiritum ſanctum æternū eſſe, nec alias omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, ſiue vnitates dicantur, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno & non ſint Deus. Credimus, & confitemur ipſam diuinitatem, ſiue ſubſtantiam diuinam, ſiue naturam diuinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in Filio.*

25 Hucuſque definivit Eugenius III. adverſus dogmata Gilberti. Et licèt ad eam regulam fidei proferendā nullum coegerit Generale Concilium, ſed Provinciale ſolùm apud Rhemos, vel etiam Nationale; doctrina tamen ab eo definita ſtatim à tota Eccleſia fuit habita ſecundùm fidem Catholicam certa. Porrò Goffridus ſuprà allegatus in Vita S. Bernardi lib. 5. narrata condemnatione dogmatum Gilberti, facta ab Eugenio, ſubdit: *Epiſcopus Gilbertus an eidem damnationi conſentiat, interrogatur: conſentiens, & publicè refutans, quæ prius ſcripſerat, & affirmaverat, indulgentiam ipſe conſequitur; maximè quod abinitio cautus fuiſſet ea lege eam ingredi diſceptationem, vt promitteret ſine vlla ſe ſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum, liberè ſuam opinionem.* Et ſanè in ea mentis ſubiectione ad Eccleſiam comprobavit præclaras animi ſui dotes, quas Otho Friſingenſis vbi ſuprà his verbis deſcripſerat: *Iſte, ab adoleſcentia magnorum virorum diſciplinæ ſe ſubijciens, magiſque illorum ponderi, quàm ſuo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictavienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad vltimum Anſelmus, & Radulphus Lugdunenſis, germani fratres; non levem ab eis, ſed gravem doctrinam hauſerat, manu non ſubitò ferulæ ſubductâ; ſcientiæ haud cenſura morum vitæque gravitate diſcordante, non iocis, vel ludicris, ſed ſerijs rebus mentem applicarat. Hinc erat, vt tam geſtis, quàm voce pondus ſervans, ſicut in factis; ita in dictis ſe oſtenderet difficilem: vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis, & exercitatis, quæ ab eo dicebantur, paterent animis.* Itaque licèt Gilbertus initio hæreſes tradiderit, non propterea fuit hæreticus: quia ad labem hanc contrahendam exigitur pertinacia, iuxta Auguſtinum Epiſt. 162. quem allegat & ſequitur S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 2. ac Gratianum 24. q. 3. cap. 14. quæ non invenitur in ſentiente aut docente aliquid fidei contrarium, dum ſubijcit ſenſum ſuum ex animo correctioni S. Eccleſiæ, paratuſque eſt errorem ſuum dediſcere & emendare quoties illa per definitionem Summi Pontificis, aut Concilij Generalis ritè congregati, oppoſitum docuerit. Sic Facundus Hermianenſis lib. 10. pro tribus Capit. cap. 2. Theodorum ſuum defendit, veluti immunem à nota hæreſeos, quòd ſemper fuiſſet paratus corrigi ab Eccleſia. Cùm itaque Gilbertus eodem animo fuerit, & ſuorum dogmatum Pontificiæ damnationi ſtatim conſenſerit, liber prorſus eſt ab ea graviſſima nota, qua alij pertinaces in ſuis erroribus inuruntur. Quare Archidiaconos illos, à quibus denuntiatus fuerat, in gratiam recepit, & retenta dignitate atque honore Sedi Epiſcopali Pictavienſi reſtitutus fuit.

26 Cæterum longè aliter ſe habuere nonnulli ex diſcipulis eius: qui ſapientiores magiſtro ſuo videri volentes, dogmata ab ipſo ritè anathematizata tueri perrexerunt; ideoque à tota Eccleſia hæretici habiti ſunt. Quare S. Bernardus Sermone 80. in Cantica diſſe-

differens contra eaſdem errores, ſub fine addit: *Sed hæc minimè iam contra ipſum loquimur Gilbertum (quippe qui in eodem Conventu ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens, tam hæc, quàm cætera digna reprehenſione inventa proprio ore damnavit) ſed propter eos, qui adhuc librum illũ contra Apoſtolicum vtique promulgatum ibidem interdictum tranſcribere, & lectitare feruntur, contentioſius perſiſtentes, ſequi Epiſcopum, in quo ipſe non ſtetit, & erroris, quam correctionis magiſtrum, habere malentes.* Vt proinde adverſus illos locum habeat invectiva illa Vincentij Lirinenſis in Commonitorio capite 11. contra ſequaces opinionis illius primùm à S.Cypriano traditæ, deinde ab Eccleſia & ab ipſo fulguritæ circa rebaptizandos hæreticos, quam ij audebant ſuſcitare, malentes ſequi Cyprianũ aliquando errantem, quàm de errore pœnitentem: *O rerum mira converſio*, inquit. *Auctores* (nimirum, S.Cyprianus, S.Dionyſius Alexandrinus, & S.Firmilianus Cæſareenſis) *Catholici, conſectatores hæretici iudicantur. Abſolvuntur Magiſtri, condemnantur diſcipuli. Conſcriptores librorum, filij Regni erunt: aſſertores verò gehenna ſuſcipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium & Epiſcoporum Martyrum lumen, Beatiſsimum Cyprianum, cum cæteris collegis ſuis, in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis contra tam ſacrilegus, qui Donatiſtas & cæteras peſtes, quæ illius auctoritate Concilij rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum Diabolo?*

27 Hæc norent qui prætextu cuiuſdam auctoritatis Concilij Baſileenſis (veriùs Conciliabuli) & alterius Synodi Conſtantienſis nondum ritè congregati, ſiniſtrè intellecta, negant auctoritatem infallibilem definitionibus Sedis Apoſtolicæ in controverſijs fidei, traditam ab Eccleſia Catholica à tempore Apoſtolorum, perenni ſæculorum curſu ad hæc vſque tempora, vti hactenus demonſtratum fuit, & de cæterò ampliùs conſtabit. Fortaſſe ij, qui occaſione ſchiſmatis graviſsimi in Concilio Conſtantienſi arbitrati ſunt è re Eccleſiæ eſſe illius opinionis fundamenta iacere, id bona fide præſtiterunt, vt propterea ipſorum æternæ ſaluti non obſtiterit. At poſt tot doctiſsimos tractatus in contrarium editos, & oſtenſum totius Antiquitatis Chriſtianæ, ac SS. Patrum ſenſum vnanimem pro infallibili auctoritate Sedis Apoſtolicæ; periculoſum valde eſt eam opinionem ſuſcitare aut tueri: vt propterea timere debeant, ne auctoribus eius ſalutem aſſecutis, ſuffragatores & aſſertores æternam illius iacturam patiantur.

SECTIO QVARTA.

Excurritur per varias aliorum hæreſes, eodem ſæculo ortas, aut ſuſcitatas, quæ vix in vllo ex tribus Concilijs Generalibus intra illud coactis examinatæ, aut ſingillatim proſcriptæ inveniuntur: ſed extra illa, præſertim à Pontificibus Romanis, aut ipſorum Legatis.

28 PLACET Hoc loco breviter ac tranſitu quodam excurrere per alias hæreſes, eodem ſæculo ortas, aut ſuſcitatas: quarum pleriſque reprimendis aut extirpandis non fuit opus vllo Generali Concilio, licèt aliquæ earum fulguritæ fuerint in ijs generatim.

29 Circa annum M.C.XLVII. eodem tempore, quo Gilberti ſcripta examinabantur, prodiere quidam hæretici dicti Henriciani, ſive quoniam ab Henrico III. aliàs IV. Imperatore ab Eccleſia ſæpe fulgurito nomen capiebant, ſive quòd præterea ab Henrico quodam hæretico Petrobruſsiano Toloſſanam Provinciam erroribus ſuis infeſtante: adverſus quem Eugenius III. Papa miſsit Albericum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Epiſcopum Oſtienſem: qui, comitante S.Bernardo Abbate, & apertiſsimis miraculis veram fidem comprobante; eas hæreſes exterminavit. Itaque ad eas excindendas ſatis fuit vt Legatus Romanæ Eccleſiæ ſuam auctoritatem interponeret. Eorundem Henricianorum fœtus fuere Patareni, ſeu Patrini, aliàs Cathari, aut Publicani: qui ex varijs aliorum hæreſibus ſuam conſarcinarunt, vix diſsidentem ab ea, quæ Albigenſium dicta eſt, de quibus præcipuè legendus Cardinalis Turrecremata in Summa de Eccleſia lib. 4. cap. 25. & præterea ſententia à Giraldo Albigenſi Epiſcopo in eos lata apud Binium ad annum M.C.LXXVI. Similiter ipſe damnaverat in Concilio Lumbarienſi plurium Epiſcoporum alios hæreticos, qui dicebantur Boni-homines, & Bonoſij, & Bonomij: vt legere eſt apud Rogerium ab Hovedem parte ſecunda Annalium pag. 551. & Philippum Labbè in editione noviſsima Conciliorũ ad annũ M.C.LXV. Alij quoque ex Orco emerſerunt dicti Brevantiones, Baſculi, & Coterelli, inſtar veterum Circumcellionum crudeliſsimi, qui in omnium hominum vtriuſque ſexus & conditiones ætatiſque genus deſæviebant, nulli Eccleſiæ aut Monaſterio parcentes. Præterea ij, qui ſe *Apoſtolicos* cognominabant, quòd glo-

gloriarentur doctrinam ſuam à nullo homine puro didiciſſe, ſed ἀμέσως hauſiſſe ab ipſo Chriſto, inſtar Apoſtolorum; ideoque in ijs ſolis ſitam eſſe Catholicam Eccleſiam. Re tamen vera doctrina eorum erat mutuata ab antiquis Manichæis, quorum errores aliquos delibavit, & dogmatizavit Eon de Stella Pſeudopropheta, damnatus ab Eugenio III. in Concilio Rhemenſi Porrò illos ſic depingit S. Bernardus Serm. 66. in Cantica: *Non ignoro quod ſe & ſolos Corpus Chriſti eſſe glorientur: ſed ſibi hoc perſuadeant, qui illud quoque perſuaſum habent, poteſtatem ſe habere quotidie in menſa ſua Corpus Chriſti & Sanguinem conſecrandi, ad nutriendum ſe in Corpus Chriſti & membra. Nempe iactant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Apoſtolicos nominant: nullum tamen Apoſtolatus ſui ſignum valentes exhibere.* Præmiſſerat verò Sermone 65. in quibus ij cum Manichæis convenirent. Nullum tamen Concilium Generale ad eos damnandos coactum fuit.

30 Vvaldenſes hæretici nomen ſumpſere ab Vvaldone quodam, cive Lugdunenſi, qui divitijs ſpretis, & in egenos diſtributis, cùm ignarus omnino eſſet, Concionatorem egit, & plurimos errores diſſeminavit, à ſectatoribus ſuis avidè exceptos. Labitur autem, etiam in hoc, miſer Theodorus Beza, dum in Iconibus, verbo *Vualdenſes*, exiſtimat eos ſic appellatos fuiſſe ab Alpium anfractibus, & vallibus, vbi morabantur: cùm ea, quæ nuper diximus, omnium Hiſtoricorũ fide conſtent. Porrò eorum Prodromus cùm reprehenderetur in ijs, quæ auſus fuerat prædicare, & ſcribere evulgatis libris, nec vllo modo acquieſceret, tandem anathemate iuſtus Lugduno pulſus fuit. Legendus ea de re Æneas Sylvius (poſtea Pius II. Papa) libro de Origine Bohemorum cap. 35. Prateolus lib. 14. verbo *Pauperes de Lugduno*, & Gaulterius Sæculo 12. cap. 15. Nulla Synodo Generali opus fuit ad eam hæreſim debellandam.

31 Albigenſes, licèt ex Manichæis potiorem errorum ſuorum partem decerpſerint, aliunde famoſi eodem ſæculo fuere. In Toloſſana Provincia præcipuè initium duxerunt à quodam ſceleratiſſimo nebulone, Oliverio nomine, & gregalibus eius. in quos omnes Giraldus Epiſcopus ſententiam dixit, paulo antè memoratam. Quin & ad eos reprimẽdos opus fuit bello & vi armorum illata, quoniam ferè innumeri erant, & non tam argumentis, quàm gladijs perfidiam ſuam muniebant. Occaſione eius hæreſis excitata fuerunt S. Inquiſitionis Tribunalia plura, quibus nihil vtilius Catholicæ Religioni ſtabiliendæ excogitari potuit. Porrò in ijs profligandis feliciſſimus fuit Simon Comes de Monteforti: qui exiguo planè exercitu octo aut novem millium hominum, centum millia Albigenſium proſtravit, cæſis eorum ſeptuaginta millibus: licèt talis & tantæ victoriæ eventus, non tam pugnatorum dexteritati adſcribatur, quàm orationibus S. Dominici de Guzman, qui admiranda ſanctitate, virtutibus heroicis, & miraculis crebris, eam à Deo aſſecutus creditur. Verùm adhuc quotidie multiplicabatur eorum ſecta, vſque adeò vt Cæſarius Ciſtercienſis teſtetur, imperante Friderico II. & Romanam Sedem gubernante Innocentio III. non ſolùm per Provinciam Toloſſanam longè ac latè graſſatam, ſed etiam mille ferè civitates infeciſſe. Sed & ij vt prævalerent adverſus Catholicos, auxilium petierunt à Memelino Rege Marrochij in Africa: qui ingenti ac pene innumerabili exercitu inſtructus in Hiſpaniam traiecit, non ſine ſpe obtinendi totam Europam, & ſtabulandi Romæ equos ſuos in porticu S. Petri. Verùm ſecus accidit, ea multitudine Agarenorum à Catholicis profligata, & Rege eorum præ triſtitia obeunte in Sicilia. cuius præcipuum vexillum in bello captum, poſtea miſſum fuit ad Innocentium III. & in Eccleſia Principis Apoſtolorum ſuſpenſum. Hæc tamen longè poſtea acciderunt inchoato ſæculo tertiodecimo.

32 Verùm præter ſententiam definitivam à Giraldo Epiſcopo, alijſque Præſulibus, in Albigenſes latam, fuit ſecuta alia ex delegatione Apoſtolicæ Sedis, quam fusè narrat Baronius ad annũ Chriſti M.C.LXXVIII. ex Rogerio in Annalibus Anglorum. Etenim Alexander Papa III. qui eo anno præerat Eccleſiæ, vices ſuas commiſit Petro Cardinali tituli S. Chryſogoni: qui, comitantibus Archieſpiſcopis Bituricenſi & Narbonenſi, Epiſcopis Bathonienſi & Pictavienſi, atque Henrico Claræuallenſi Abbate, alijſque pluribus Eccleſiaſticis viris, curavit eorum hæreticorum reductionem ad Catholicam fidem. Verùm cùm ij ferè omnes reſiſterent, & magis obdurarentur, eos omnes cum erroribus ſuis iuxta ſolemnem Eccleſiæ morem anathemate inuſſit. Sed nec ideo reſipuerunt: quin potiùs conſtat ex Hiſtoricis, vſque ad finem eius ſæculi, & magnam partem ſequentis, innumeros in eodem luto hæſiſſe, atque vberrimam prædicationis, laborum, perſecutionumque materiam dediſſe S. Dominico, alijſque Inquiſitoribus, & Prædicatoribus Apoſtolicis, vſque ad finem circiter Pontificatus Gregorij IX. qui anno M.CC.XLI. vivere deſijt. De quo legendus Leander libr. 2. de Viris Illuſtr. & ex ipſo alijſque Spondanus, ac Bzovius ad

annum

annum M.CC.XXXV. Nec vacat referre ſingillatim omnes errores Albigenſium,qui plurimi, & execrabiles fuerunt, legique poſſunt apud Caſtrum, Prateolum, Bzovium, Gaulterium, & alios, Vnde ad eos inurendos multa Concilia Synodalia, aut Nationalia coacta ſunt, eodem ſæculo, immo & ſequenti, præſidentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis: & in ijs Montilienſe in Provincia Narbonenſi anno M.CC.VIII. Avenionenſe, iuxta editionem Labbei,anno M.CC.X.Vaurenſe quatuor poſt annis, & alia quædam. Id tamen exploratum eſt, quamvis tot errores illorum fuerint, in nullo eius ſæculi Concilio Generali, nequidem in Vndecimo, aliàs Lateranenſi III.infrà num.38 memorando, examinatos ſingillatim fuiſſe, aut in ſpecie proſcriptos. quod paulo attentiùs oſtendere placet.

33 Videamus itaque ex tot & tantis hæreſibus ſæculo duodecimo graſſantibus, quænam damnatæ fuerint inGeneralibus Cōcilijs intra illud coactis. Primum ex ijs, aliàs Nonum Generale,fuit Lateranenſe I. ſub Calixto II Papa, ad quod Sugerius Abbas, qui eidem interfuit, conveniſſe teſtatur nongentos & nonaginta ſeptem, partim Epiſcopos, partim Abbates. In eo potiſſimùm curæ fuit pax inter Sacerdotium & Imperium,quæ tandem firmata eſt. Viginti duo Canones editi fuerunt: ſed in nullo eorum invenitur damnata hæreſis aliqua ex ortis aut excitatis eo ſæculo, niſi ſummùm illa, quæ ſita erat in iure prætenſo Henrici V. ad ſacras inveſtituras Epiſcoporum Abbatumque: ob quam Henricus ipſe toties à Romanis Pontificibus Paſchali II. Gelaſio II. & ipſo Calixto II. anathematizatus fuerat, inſtar parentis ſui Henrici IV.Sed tandem inſigni Dei beneficio factum eſt, vt filius reſipiſceret, & depoſito conatu invadendi Eccleſiæ iura,tandem ad illius communionem rediret. Quare poſt id Concilium celebratum Henricus ipſe coram Legatis Pontificijs hoc Diploma edidit.

34 *Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & ſanctis eius Apoſtolis Petro,& Paulo, & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, omnem inveſtituram per annulum, & baculum; & concedo in omnibus Eccleſijs fieri electionem,& liberam conſecrationem. Poſſeſſiones, & regalia beati, quæ a principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernam diem,ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo, oblata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo; quæ autem non habeo,vt reſtituantur, fideliter adiuvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum,& Principum, & aliorum, tam Clericorum, quàm laicorum, conſilio Principum, & iuſtitia, quas habeo vt reddantur, fideliter iuvabo. Et do veram pacem D. Papæ Calixto,S.R.Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt. Et in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter iuvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi iuſtitiam faciā.* Hactenus Imperator.

35 Similiter Calixtus II. hoc aliud Diploma edidit: *Ego Calixtus, ſervus ſervorum Dei, dilecto ſuo filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo. electiones Epiſcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque ſimonia, & aliqua violentia: Vt ſiqua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani, & Provincialium conſilio, vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum, & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex alijs vero partibus Imperij conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniā feceris, & auxilium poſtulaveris, ſecundùm officij mei debitum auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt, vel fuerunt temporè huius diſcordiæ. Data anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, nono Kalendas Octobris.*

36 Sic itaque diſcordiæ illæ graves, & ſchiſmata, quæ tot annis à tempore S. Gregorij VII. Papæ Eccleſiam longè ac latè vexaverant, & innumera mala ac ſcelera induxerant, optatum finem habuerunt. Nulla tamē hæreſis ex ijs,quas ortas eo ſæculo indicavimus in hac ſectione, in ea Synodo inuſta fuit, immo nec mentio alicuius earum facta apparet.

37 Deinde tempore Innocentij II. Papæ anno M.C.XXXIX. habitum eſt Concilium II. Lateranenſe, id eſt Decimū Generale, cui interfuere ferè mille PP. In eo editi ſunt triginta Canones,præſertim adverſus Simoniacos, Clericos concubinarios, percuſſores Clericorum, vſurarios,&c. Vix autem aliqua ex hæreſibus eo ſæculo diſſeminatis palam proſcribitur, niſi ſummùm,quam tradidit Arnaldus Brixia contra bona & poſſeſſiones Clericorum,quibus conſulitur ibidem Canone decimo, & nonnullæ aliæ, quæ indicantur

Ca-

Canone 23. vbi dicitur: *Eos qui religioſitatis ſpeciem ſimulantes, &c.*

38 Præterea, Alexandro III. Pontifice anno M.C.LXXIX. coactum eſt Concilium Lateranenſe III. id eſt, Vndecimum Generale, cui interfuere trecenti Epiſcopi adverſus hæreticos & ſchiſmaticos, vt teſtatur Rogerus, qui eidem Concilio adfuit, & præterea Hugo Pictavinus libro quarto Hiſtoriæ Vezebiacenſis, ſimiliterque ad reformandos varios abuſus, & reſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam. In eo editi fuerunt viginti ſeptem Canones, è quibus ſolus poſtremus Inurit hæreticos eius temporis, dum dicitur: *Quia in Gaſconia, Albegeſio, & partibus Toloſſanis, & alijs locis, ita hæreticorum, quos alij Catharos, alij Patrinos, alij Publicanos, alij alijs nominibus vocant, invaluit damnata perverſitas, vt iam non in occulto, ſicut aliqui, nequitiam ſuam exerceant, ſed ſuum errorem publicè manifeſtent, & ad ſuum conſenſum ſimplices attrahant & infirmos: Eos, & defenſores eorum, & receptores, anathemati decernimus ſubiacere, &c.* Idem paulo pòſt decernitur *de Brabantionibus, & Aragoneſibus, Navarijs, Baſcolis, Coterellis, & Triaverdinis*, qui in omnes alios Chriſtianos immanitatem exercebant, ibidem fuſiùs explanatam.

39 Nullus tamen eorum errorum, qui ab ijs hæreticis omnibus diſſeminabantur, memoratur aut proſcribitur ſingillatim in eo Concilio: ſicut, nec ferè in duobus alijs Generalibus nuper memoratis. Quod argumento eſt, hæreſes ferè omnes eo ſæculo duodecimo ortas, ſuſcitataſve, iam antea ritè damnatas fuiſſe à Romanis Pontificibus, vel immediatè, vel per Legatos ipſorum, præſertim in Concilijs Provincialibus aut Nationalibus eiuſdem ſæculi, nemine ex Catholicis contradicente. Quare vbi tria prædicta Concilia Generalia fuerunt coacta Romæ in Laterano, nulla apparuit neceſsitas examinandi, aut ſingillatim proſcribendi eos errores, iam antea legitimè damnatos: ſed ſatis viſum eſt proferre anathemata in eorum auctores, defenſores, & ſectatores. Fuit itaque eo ſæculo explorata auctoritas ſumma & infallibilis Romanorum Pontificum ad dirimendas quaslibet fidei controverſias extra omne Concilium, præſertim Oecumenicum.

(?)

SECTIO QVINTA.

Illuſtria quædam teſtimonia Patrum, præſertim Gallicanorum, eiuſdem ſæculi pro auctoritate infallibili Romani Pontificis ad dirimendas fidei controverſias, nulla penitus facta mentione Concilij, præſertim Oecumenici.

40 AVDIENDVS Imprimis Goffridus Abbas Vindocinenſis, qui initio ſæculi duodecimi floruit in Gallia, Epiſt. 17. quæ eſt ad Goffridum Epiſcopũ Carnotenſem, dicens: *Si cuilibet retractare placet quod Romanus Pontifex facit, & in eum, qui ſoli cœlo innocentiam debet, os ponere præſumit; & illud retractare placet; quod illum magis intuitu miſericordiæ, quàm cenſura iuſtitiæ reſpexit: Acephali non ſumus: quia Chriſtum Salvatorem Caput habemus; & poſt ipſum, Romanum Pontificem. Hoc Caput habuit Monaſterium noſtrum in initio ſuo, & habebit, Deo auxiliante vſque in finem ſæculi.* Et Epiſt. 30. ad eundem: *Eodem Spiritu, quo dictante & Lex prima per Moyſen data eſt, & per Chriſtum ſecunda; ſancta Apoſtolica Sedes, Leges, quas Canones appellamus, dedit, & ipſo inſpirante expoſuit. Si quis igitur Apoſtolicæ Sedi, quæ Leges Canonum dedit in Canonum expoſitione contrarium ſentit, non ſapit, quicumque eſt ille, ſed deſipit: & quia ſuo ſpiritu loquitur, non cultor, vel expoſitor diuinæ Legis, ſed inſidiator, & oppreſſor indubitanter agnoſcitur.* Videant & legant verba hæc illuſtris in Gallia ſcriptoris, quicumque aiunt, retractari ſeu reformari poſſe ſententiã Romani Pontificis, quaſi Catholicos velint eſſe acephalos. Viderint etiam quicumque ad ſacros Canones tertio quoque verbo provocant, quaſi in eorum interpretatione potiùs ijs auſcultandum ſit, quàm Romano Pontifici. Viderint, inquam, & patienter ferant notam à Goffrido inuſtam.

41 S. IVO Carnotenſis eodem ferè tempore ſcribens ad Paſchalem II. Pontificem ait: *SICVT ROMANA ECCLESIA OMNIVM ECCLESIARVM MATER EST ET MAGISTRA: ſic etiam decet filiorum iniurias propulſare, & contemptorũ inobedientiam vindicare: vt & filius ſe fuiſſe ſubditum gaudeat, & contemptores in obedientes ſe fuiſſe pœniteat.* Ac præterea Epiſt. 83. ait: *QVONIAM IVDICIA ROMANÆ ECCLESIÆ A NEMI-*

MINE FORIS RETRACTARI POSSE, EADEM ROMANA ECCLESIA DOCENTE DIDICIMVS; ſi qui aliquando ſe prægravatos ipſius Eccleſiæ auctoritate conquerantur, hoc eis conſilium damus, vt non deſcendant in Ægyptum propter auxilium; ſed ab ipſa ad ipſam confugiant, & inde expectent levamen, vnde ſe conqueruntur accepiſſe gravamen: quia quæ aliquando corripit paterna ſeveritate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quam doctrinam ſi præ oculis haberent qui hiſce annis de quibuſdam decretis Pontificijs conqueſti ſunt apud Gallias; nullatenus ad Ægyptum Curiæ ſæcularis deſcendiſſent: nec Miniſtri ipſi, aut Conſiliarij Pariſienſes tot & talia Arreſta edidiſſent contraria ſanctionibus Romani Pontificis; cui palam adverſari, & nolle acquieſcere, iuxta ſacras litteras, genus quoddam idololatriæ eſt.

42 Eandem mentis ſubiectionem ad Romanum Pontificem docet Hugo Victorinus, eodem ſæculo Gallias illuſtrans, lib. 1. Eruditionis Theologicæ de Sacramentis Eccleſiæ, dum ait: *PAPA dicitur, quia Pater Patrum. Hinc VNIVERSALIS dicitur, quia vniverſæ Eccleſiæ præeſt. Hic quoque APOSTOLICVS vocatur, quia Principis Apoſtolorum vice fungitur. Hic etiam SVMMVS PONTIFEX nuncupatur, quia Caput eſt omnium Epiſcoporum.* Vix autem, aut ne vix quidem ea omnia cohærere poſſunt ſine auctoritate ſuprema & infallibili ad vniverſam Eccleſiam docendam ex cathedra Sedis Apoſtolicæ.

43 Verùm illuſtriùs cæteris eodem ſæculo eandem veritatem tradit S. Bernardus, longè clariſsimum Galliarum immo & totius Eccleſiæ lumen, varijs locis ſparſim allegatis ſuprà in decurſu huius Operis; tum etiam pluribus alijs, quorum aliqua ſolùm delibabo. Epiſtola 131. inquit: *PLENITVDO POTESTATIS SVPER VNIVERSAS ORBIS ECCLESIAS* (notent, quæſo, hæc Illuſtriſsimi Galliarum Præſules nuper Pariſijs congregati, & videant qualiter cum ijs cohæreat recens ipſorum Declaratio, & variæ expoſtulationes de decretis Pontificijs) *SINGVLARI PRÆROGATIVA SEDI APOSTOLICÆ DONATA EST. QVI IGITVR HVIC POTESTATI RESISTIT, ORDINATIONI DEI RESISTIT. Poteſt, ſi vtile iudicaverit, novos creare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt: poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit; ita, vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è converſa, ſi neceſſe viſum fuerit.* Quiſquis autem vel definitionibus Pontificijs circa doctrinam, vel decretis circa res Eccleſiaſticas non vult acquieſcere; is planè reſiſtit poteſtati Sedis Apoſtolicæ. Vnde & ordinationi Dei reſiſtit, iuxta Bernardum.

44 Sed audiendus eſt prætereà in Epiſt. 190. ad Innocentium II. Papam, vbi non ſolùm tradit apertè, doctrinam in hoc Tractatu à nobis ſtabilitam, ſed inſuper confirmat ex verbis & promiſsione Chriſti Domini ad Apoſtolum Petrum: *Oportet, inquit, ad Veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſsimum reſarciri damna fidei, VBI NON POSSIT FIDES SENTIRE DEFECTVM. Hæc quippe huius prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt; Ego pro te rogavi PETRE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA? Ergo quod ſequitur, à Petri Succeſſore exigitur: ET TV ALIQVANDO CONVERSVS, CONFIRMA FRATRES TVOS: id quidem modo neceſſarium. Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſsime, Principatum, probetis zelum, Miniſterium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis & Sedem; ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis fidei corruptores.* Vbi S. Doctor non ſolùm agnoſcit in Romano Pontifice auctoritatem ad reſarciendum quælibet fidei damna ſine periculo violandi fidem, id eſt, ſine periculo erroris; ſed etiam illam demonſtrat ex verbis & pollicitatione Chriſti Petro facta, de non defutura ipſius fide, & virtute ad confirmandum in ea fratres ſuos. Quo eodem teſtimonio vſos plurimos alios ex Patribus in ſidem probandum, ſæpe in ſuperioribus oſtenſum fuit.

45 Huc etiam ſpectat Epiſtola quorundam Galliæ Præſulum, Sanſonis Archiep. Rhemorum, Iosleni Epiſcopi Sueſsionenſis, Gaufridi Catalaunenſis, & Albyſi Attrebatenſis, ad Innocentium II. Papam, quæ eſt CXCI. inter reliquas S. Bernardi. In ea deſcribentes breviter genium Petri Abailardi, hæreſes generatim memorant à ſe reprobatas: &, quoniam appellaverat Sedem Apoſtolicam, rogant vt ibidem auctoritate Pontificia penitus abſcindantur: *Petrus Abailardus*, inquiunt, *Chriſtianæ fidei meritum evacuare nititur, dum totū quod Deus eſt humana ra-*

ratione arbitratur ſe poſſe comprehendere: Aſcendit vſque ad cœlos, & deſcendit vſque ad abyſſos. Nihil eſt quod lateat eum, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. Homo eſt magnus in oculis ſuis, de fide contra fidem diſputans, ambulans in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe; ſcrutator maieſtatis, hæreſum fabricator. Iam dudum fecerat librum de ſua Trinitate, ſed ſub Legato Romanæ Eccleſiæ, igne examinatus eſt, quia inventa eſt in eo iniquitas. Maledictus qui reædificavit ruinas Iericho. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreſes, quæ dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis. Iam iam extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad Romam propagines eius. Hæc gloriatio hominis illius: quod liber ſuus in Curia Romana habet, vbi caput reclinet. Hinc confirmatus, & confortatus eſt furor eius. Propterea cùm in conſpectu Epiſcoporum ſuper his argueret eum Abbas Claravallis zelo fidei, & iuſtitiæ armatus, nec confeſſus eſt, negavit: ſed à loco, & iudice quem ſibi ipſe elegerat, ſine læſione, ſine gravamine, vt ſuam prolongaret iniquitatem, Sedem Apoſtolicam appellavit. Epiſcopi autē, qui propter hoc in vnum convenerant, Veſtræ Reverentiæ deferentes, nil in perſonam eius egerunt, ſed tantummodo capitula librorum eius à ſanctis Patribus condemnata, ne morbus ſerperet, medicinali neceſſitate abiudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit poſt ſe, & populum qui ſibi credat, habet; neceſſe eſt, vt huic contagio celeri remedio occurratis. Serò enim medicina paratur, cùm mala per longas invaluere moras. Proceſſimus in hoc negotio quouſque auſi ſumus. TVVM EST DE CÆTERO, BEATISSIME PATER, NE IN DIEBVS TVIS ALIQVA HÆRETICÆ PRAVITATIS MACVLA DECOR ECCLESIÆ MACVLETVR. TIBI COMMISSA EST SPONSA CHRISTI, amice ſponſi: tuum eſt tandem vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Sentiunt itaque ij Gallicani Præſules, proprium eſſe Pontificis Romani extirpare quaslibet hæreſes tempore ſuo ortas, aut renaſcentes, quin vel leviter indicent neceſsitatem congregandi Generale Concilium.

46 Quapropter idem Innocentius II. Papa certior factus dogmatum Abailardi, tum ex relatione Epiſcoporum illorum, & S. Bernardi, tum ex teſtimonio plurimorum Romæ commorantium, qui illius olim diſcipuli, & auditores fuerant, hanc in eum ſententiam tulit in Reſcripto ad eoſdem Præſules, quod extat apud Binium in Notis ad Concilium Senonenſe habitū anno M.C.XL. in præſentia Ludovici Regis Iunioris: *Nos itaque qui in cathedra Sancti Petri, cui à Domino dictū eſt: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Licèt indigni, reſidere conſpicimur, communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum, Cardinalium, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & vniverſa ipſius Petri dogmata, ſanctorum Canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus, eique tanquàm hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Vniverſos quoque erroris ſui ſectatores, & defenſores, à fidelium conſortio ſequeſtrandos, & excommunicationis vinculo innodandos eſſe cenſemus. Datum Laterani 12. Kalend. Auguſti.* Hucuſque Pontifex. Quapropter Abailardus ſe condemnatum intelligens à Romano Pontifice, quamvis extra Concilium Oecumenicum, noluit illud appellare: ſed potiùs cauſa excidit, hortatu Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis, à quo benignè exceptus fuit; & cuius opera cum S. Bernardo, & deinde cum Innocentio II. in gratiam rediịt. Deinde biennio exacto in Monachatu apud Cluniacum cum magna humilitate, ex beneplacito Abbatis ſui receſsit in Monaſterium S. Marcelli Cabilonenſis, curandi cuiuſdam morbi gratia, ibidemque anno M.C.XLII. ætatis ſuæ LXIII. piè obiịt, atque eximiarum virtutum ſpecimen exhibuit poſtrema illa vitæ periodo: vti narrat idem Petrus Venerabilis lib. 4. Epiſtola 21. ad Heloïſam de quâ, ſicuti & de ipſo Abailardo, plura ſcitu digna invenies apud Mavillonem in recentibus Notis ad Epiſtolam 187. S. Bernardi.

(?)

DISPVTATIO XIII.

QVALIS FVERIT SENSVS ECCLESIÆ ſæculo tertio-decimo circa eandem præcipuam controverſiam.

1. *OPORTET Etiam in hac Diſputatione; quemadmodum & in præcedentibus, oſtendere praxim Sedis Apoſtolicæ in damnandis hæreſibus quibuslibet emergentibus, modò intra Concilium Generale, vbi celebrabatur; modò in Provinciali aut Nationali, ex ipſius delegatione coacto, & ritè probato: modò denique extra omne prorſus Concilium per Diploma aliquod eo fine editum, vt omnes fideles reijcerent doctrinam aliquam tanquam hæreticam. Hoc enim eſt definire ex cathedra Sedis Apoſtolicæ. Hæc omnia videbimus contigiſſe ſæculo tertio-decimo, nemine ex Catholicis contradicente eiuſmodi definitionibus Pontificijs. Deinde proferemus teſtimonia Patrum eius temporis, in quibus eam auctoritatem Romani Pontificis profitentur.*

SECTIO PRIMA.

De varijs erroribus Albigenſium paulo accuratius. Porrò præcipuos eorum fuiſſe quidem damnatos in Synodo XII. Generali, cuius primum caput exſcribitur: alios verò plures prætermiſſos, quoniam Patribus congregatis non eſt viſum neceſſarium vt ij ſingillatim in Generali Concilio proſcriberentur.

2. IMPRIMIS Occurrunt initio ſæculi huius plurimæ & monſtroſæ Albigenſium hæreſes, quæ iam examinatæ & ſæpe reiectæ fuerant ſæculo præcedenti in varijs Concilijs, ſeu Conventibus Provincialibus, aut Nationalibus, per Legatos Apoſtolicæ Sedis: vt dictum fuit Diſputat. præcedente, ſectione 4. Cùm verò ſecta illa adhuc propagaretur, & in varias civitates ac Provincias ſerperet, viſum fuit Innocentio III. Pontifici eius impia dogmata & deliramenta ſolemniùs damnare in Concilio Magno atque Oecumenico Lateranenſi IV. aliàs Duodecimo Generali, omnium numeroſiſsimo, quotquot vnquam celebrata fuerunt. Etenim Mathæus Pariſius, & Abbas Vſpergenſis, eiuſdem temporis ſcriptores, hæc ferè de illo aiunt: *Eodem anno, id eſt Dominicæ Incarnationis 1215. celebrata eſt Romæ facta, & Vniverſalis Synodus in Eccleſia ſancti Salvatoris, quæ Conſtantiniana appellatur, menſe Novembri, præſidente Papa Domino Innocentio III. Pontificatus eius anno 18. In quo fuerunt Epiſcopi quadringenti, & duodecim. Inter quos fuerint de præcipuis Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus. Antiochenus verò gravi languiore detentus, venire non potuit, ſed miſsit pro ſe vicarium ſuum Antidienſem Epiſcopum. Alexandrinus verò ſub Saracenorum dominio conſtitutus, fecit quod potuit, mittens pro ſe Germanum Diaconum ſuum. Primates verò & Metropolitani 77. Abbates, & Priores vltra octingentos: Procuratores quoque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, & Capitulorum abſentium, tantus non fuit numerus. Legatorum verò Imperatoris Conſtantinopolitani, Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Hungariæ, Hieroſolymitani, Cypri, Arragonum, nec non aliorum Principum, & magnatum, civitatum, & aliorum locorum ingens adfuit multitudo.* Quamvis verò nonnulli Scriptores velint, huic Synodo interfuiſſe bis mille ducentos octoginta tres vel quinque Patres, meliùs Severinus Binius cenſet fuiſſe bis mille ducentos duodecim. Nam ſeptuaginta & vnus Metropolitani, duoque Patriarchæ, qui numerari ſolent, computari debent ſub quadringentis duodecim Epiſcopis. Addendi ijs duo incomparabiles Viri eiuſdem temporis, & duarum Religionum clariſsimarum Inſtitutores: alter Sanct. Dominicus de Guzman: alter Sanct. Franciſcus: quorum priorem eidem Concilio interfuiſſe narrat in eius Vita Theodoricus libro primo, capit. vltimo, & de altero idipſum ſcribunt Marianus, Angelus, Clarenus, Gonzaga, Chronicon Bel-

Belgium; Sanct. Antoninus, & Vvaddingus.

3 Itaque congregato eo Concilio primum caput, cui epigraphe, *De Fide Catholica*, videtur editum præcipuè adverſus hæreticos Albigenſes: quoniam in eo præſcribitur formula, ſeu proteſtatio Catholicæ Fidei, continens plurimos articulos contrarios totidem erroribus Albigenſium eo tempore graſſantibus. Illum ſubiungo propter eos, quibus ad manum non ſunt Acta eius Synodi. * FIRMITER CREDIMUS, & ſimpliciter confitemur, quod vnus ſolus eſt Deus, æternus, & immenſus, omnipotens, incommutabilis, incomprehenſibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino. Pater à nullo, Filius autem à ſolo Patre, ac Spiritus ſanctus ab vtroque pariter, abſque initio ſemper & fine. Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus ſanctus procedens: conſubſtantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coæterni, vnum vniverſorum principium, creator omnium inviſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam: diabolus enim & dæmones alij à Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali. Homo verò diaboli ſuggeſtione peccavit.

4 Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta, per Moiſen, & ſanctos Prophetas, alioſque famulos ſuos, iuxta ordinatiſsimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem.

5 Et tandem vnigenitus Dei Filius Ieſus Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria ſemper Virgine, Spiritus ſancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compoſitus, vna in duabus naturis Perſona, viam vitæ manifeſtiùs demonſtravit. Qui cùm ſecundùm divinitatem ſit immortalis, & impaſsibilis, idem ipſe ſecundùm humanitatem factus eſt paſsibilis, & mortalis; quin etiam pro ſalute humani generis in ligno crucis paſſus, & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum. Sed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in vtroque; venturus in fine ſæculi iudicare vivos, & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundùm opera ſua tàm reprobis, quàm electis. Qui omnes cum ſuis proprijs corporibus reſurgent, quæ nunc geſtant, vt recipiant ſecundùm merita ſua, ſive bona fuerint, ſive mala; illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

6 Vna verò eſt fidelium vniverſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos, & ſacrificium, Ieſus Chriſtus, cuius corpus & ſanguis in Sacramento Altaris, ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divina, vt ad perficiendum myſterium vnitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc vtique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſsit Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, Ieſus Chriſtus.

7 Sacramentum verò Baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, conſecratur in aqua, tàm parvulis, quàm adultis, in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem.

8 Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari. Non ſolùm autem virgines, & continentes, verùm etiam coniugati, per fidem rectam, & operationem bonam, placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire. * Hucuſque habetur Canone primo, ſeu capite eius Concilij.

9 Quamvis verò, vt dixi, multi, aut præcipui Albigenſium errores in ea definitione Synodica proſcribantur totidem ferè articulis in contrarium editis; adhuc tamen plures ab ijs hæreticis diſſeminati fuerunt, qui ibidem non reijciuntur: vt apparebit conferenti omnes eorum inſanias cum articulis eo Canone contentis. Poſſem id latè hoc loco demonſtrare; ſed breuitati ſtudens ſolùm curabo ex plurimis Albigenſium erroribus ibidem prætermiſsis, indicare paucos aliquot, quorum articuli oppoſiti non traduntur in ea profeſsione Fidei edita à Concilio; alijs hæreſibus omiſsis, quæ pariter intactæ fuerunt.

10 *Primò* aiebant, Deum nullam rationalem animam novam creare, aut infundere: vt patet ex Prateolo lib. 1. verbo *Albigenſes*, Bzovio ad annum 1199. num. 33. Gaulterio Sæculo XII. cap. 17. poſt Rogerium Hovedium in Annalibus Anglicanis; immo & ex publicis Actis à Conventu Epiſcoporum & Nobilium contra Albigenſes, coacto anno M.C.LXXVIII. quanquam in editione Conciliorū Binij & Labbei collocetur triennio antè, id eſt, Chriſti M.C.LXXV. apud Vveſtmonaſterium in Anglia, Præſide Richardo Archieſpiſcop. Cantuarienſi. *Secundò*, non admittebant Legem Moyſi, nec Prophetas, nec Pſalmos, nec Vetus Teſtamentum, neque Doctores Novi Teſtamenti; niſi ſolummodo Evangelia, Epiſtolas Pauli, ſeptem Canonicas Epiſtolas, Actus Apoſtolorum, & Apocalypſim. Ita ijdem Auctores, & Baronius ad annum 1176. num. 5. *Tertiò* aiebant, licitum eſſe negare exteriùs fidem, quam quis corde tenet, nec ad illius profeſsionem obligari, quantumvis legitimè interrogetur. Ita laudati Baronius & Bzovius. *Quartò*, negabant Purgatorium: ideoque irridebant quælibet ſuffragia à fidelibus offerri ſolita pro defunctis. Sic Prateolus & Caſtro verbo *Suffragia defunctorum*, teſtantur. *Quintò*, actum coniugalem eſſe ſaluti animæ pernicioſum, nec poſſe ſalvari coniuges, ſi carnaliter commiſceantur, cùm matrimonium ſit mera ſcortatio. Ita Gaulterius cum Baronio & Bzovio: quos tres ſcriptores, cum Prateolo & Caſtro, ſubintellige circa errores ſequentes, ne cantilenam eandem repetamus. *Sextò* effutiebant, omne iusiurandum eſſe illicitum. *Septimò*, milites in prælio lethaliter vulneratos, eſſe incapaces ſalutis æternæ.

11 Præterea addendi ſunt quidam alij ex Petro Vallis Sarnenſis, qui præſens fuit, & ſcripſit hiſtoriam Albigenſium. *Octavo* (iuxta ordinem quem ſervamus) aiebant, omnes Patres Veteris Teſtamenti fuiſſe damnatos, & Ioannem Baptiſtam fuiſſe vnum ex maximis dæmonijs. *Nonò*, Mariam Magdalenam fuiſſe mulierem illam, iuxta Evangelium, deprehenſam in adulterio. *Decimò*, Eccleſiam Romanam eſſe inſignem illam meretricem memoratam in Apocalypſi. *Vndecimò*, ſibi, poſt peccata quælibet commiſſa, ſufficere ſi in articulo mortis recitarent orationem Dominicam, & manuum impoſitionem adipiſcerentur à ſuis Miniſtris. Vnde audentiùs & effrænatiùs perpetrabant homicidia, adulteria, rapinas, vſuras, periuria, & alia eiuſmodi. *Duodecimò*, non peccare graviùs, qui cum matre, aut ſorore commiſcetur, quàm qui cum alia fœmina. Mitto, vt dixi plurima alia errorum portenta, ab ijs palam tradita & diſſeminata.

12 Hæc autem, quæ protuli, prætermiſſa fuerunt in ea Profeſsione Fidei edita à Synodo Lateranenſi. Et quamvis poſtea Canone tertio ipſius condemnētur generatim hæretici, *quibuſcumque nominibus cenſeantur*; nulla tamen hæreſeon mox à nobis indicatarum notetur ſpeciatim, neque in editione Latina, neque in exemplari Græco Bibliothecæ Mazarinæ, in quo Canoni tertio epigrapha eſt, περὶ ἀφορισμοῦ καὶ καταδικασμοῦ αἱρετικῶν. *De excommunicatione & condemnatione hæreticorum.* Nimirum, Innocentio III. & Patribus congregatis certum, & exploratum fuit, hæreſibus quibuslibet ritè abſcindendis non eſſe opus Concilio Oecumenico ſingillatim eas referente aut damnante; quamvis famoſiores illarum in eo notari ſoleant ad ſolemnitatem ampliorem. Cenſuerunt itaque ſufficere, vt eæ examinentur & proſcribantur à Pontificibus Romanis, vel ipſorum nomine à Legatis Sedis Apoſtolicæ in Concilijs Provincialibus, aut Nationalibus ab ea probatis. qualia fuiſſe multa eodem ſæculo, ac præcedenti, contra eoſdem Abigenſes, iam monuimus Diſputatione XII. ſectione 4. & palam eſt ex recentibus Conciliorum editionibus, præſertim Labbeana, omnium vberrima. Quare nequidem in ea ipſa Synodo Oecumenica, in qua Albigenſium errores inurebantur, operæ pretium arbitrati ſunt omnes ſingillatim referre aut configere.

SECTIO SECVNDA.

De errore Abbatis Ioachimi, & hæreſibus Almarici, Davidis Dinanti, Guillelmi de Sancto Amore, & Deſiderij Longobardi: quarum plures damnatæ fuerunt à Sede Apoſtolica extra Concilium.

13 CANONE Secundo eiuſdem Concilij notatur erroris Abbas Ioachimus, quòd dixiſſet inſanum & hæreticum Magiſtrum Sententiarum Petrū Lombardum, dum docuit eſſe in divinis ſummam quandam rem, quæ ſit Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, quæque non ſit generans, nec genita, nec procedens. qua ex propoſitione, veriſsima quidem & Catholica, idem Ioachimus præpoſterè colligebat, ex mente Lombardi in divinis non eſſe Trinitatem,

ſed

ſed quaternitatem; nimirum, trium perſonarum, & illius communis eſſentię, ſive quartæ rei. Nec contentus tribuiſſe Magiſtro hæreſim in eo quod Catholicè docuerat, impegit in aliam veram hæreſim, adſtruens inter divinas perſonas vnitatem, non eſſentialem, & eiuſdem numero naturæ, ſed ſolùm collectivam & ſimilitudinariam, qualem habent plures homines conſtituentes vnum populum, & plures fideles in ordine ad vnam Eccleſiam conſtituendam. Quin & ad eam abſurditatem ſuadendam abutebatur locis Scripturæ. Quare ad reijciendū Ioachimi errorem PP. Concilij aiunt: *Nos autem credimus & confitemur cum Petro* (ſcilicet, Lombardo, quæ ſanè eximia viri laus eſt) *quòd vna quædam ſumma res eſt, & incomprehenſibilis ſimul, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul Perſonæ, & ſingillatim quælibet earundem. Et ideo Trinitas ſolùm eſt in Deo, non quaternitas: quia quælibet illarum perſonarum eſt illa res, videlicet natura, ſubſtantia, eſſentia diuina, quæ ſola eſt vniverſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt. Et illa res non eſt generans, neque genita, neque procedens; ſed eſt Pater qui generat, Filius qui generatur, & Spiritus qui procedit: vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura. Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud: ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus ſanctus, idem omnino, vt ſecundùm Catholicam, & orthodoxam fidem, conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando ſuam ſubſtantiam ei dedit, iuxta quod ipſe teſtatur: Pater quod mihi dedit, maius omnibus eſt. Ac dici non poteſt quòd partem ſuæ ſubſtantiæ ei dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi; cùm ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, vtpote ſimplex omnino. Nec dici poteſt quòd Pater transtulerit ſubſtantiam in Filium generando, quaſi ſic dederit Filio, vt non retinuerit ipſam ſibi. Alioqui deſiiſſet eſſe ſubſtantia. Patet ergo quòd ſine vlla diminutione Filius naſcendo Patris ſubſtantiam accepit, & ita Pater, & Filius eamdem ſubſtantiam habent: & ſic eadem res eſt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus ab vtroque procedens. Cùm ergo Veritas pro fidelibus ſuis orat, Volo, inquiens, vt ipſi vnum ſint in nobis, ſicut nos vnum ſumus: Hoc nomen VNVM pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia; pro perſonis verò diuinis, vt attendatur identitas, atque in natura vnitas. Quemadmodum Veritas alibi ait, Eſtote perfecti ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt: ac ſi diceret manifeſtiùs, Eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ, vtraque videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin maior ſit inter eos diſsimilitudo notanda.* Hactenus ibi.

14 Verùm licèt doctrina Ioachimi eo loco damnetur tanquam fidei contraria, nulla eidem auctori nota inuritur; quoniam eam tradidit ſine pertinacia, paratus ſubire correctionem Eccleſiæ: ac proinde quemadmodum plures alij eadem animi præparatione tradentes doctrinam Hæreticam, adhuc cenſentur Catholici, ita & Ioachimus. Vide quædam huc ſpectantia à ſimili Diſput. XII. ſect. 3. Quin & non deſunt qui exiſtiment, errorem illum inventum in eius libro, non fuiſſe germanum eius fœtum, ſed centonem aſſutum aliena & fraudulenta manu ad conflandam Ioachimo invidiam: præſertim cùm alijs eiuſdem Opuſculi locis extent aperta teſtimonia, in quibus agnoſcit in tribus perſonis *vnam, & ſummè vnam, & ſupra quam dici poſsit ſimplicem naturam*: quin & cùm ipſe præcipua integritate morum, prophetiæ ſpiritu, & miraculis effulſerit, incredibile eſſe quòd in adeò craſſum errorem circa myſterium Trinitatis lapſus fuerit. Videſis Apologiam doctiſsimi Bivarij ea de re ad finem Commentariorum Dextri, præſertim pagin. 6. à num. 12.

15 Nec ideo cenſeas Patres Lateranenſis Concilij arbitratos, eum errorem in libro Ioachimi deprehenſum, ritè damnari non poſſe extra eam Oecumenicam Synodum: cùm iam ſuprà num. 12. oppoſitum conſtiterit. Quare ſolùm vſi ſunt opportuno tempore & loco ad illum proſeribendum: quoniam Ioachimus paucis annis ante ipſum Concilium obierat, & ſub eius initium liber denuntiatus fuit coram Summo Pontifice Innocentio. Quare oportuit, vt, occurrente tunc magnæ & Oecumenicæ Synodi celebritate, ferretur iudicium de doctrina illius, & præſcriberetur modus loquendi, ac ſentiendi circa adeò ſublime myſterium.

16 Ob eandem rationem fuerunt damnati generatim in eodem Concilio errores Almarici, ſeu Amorrici, natione Galli, patria Carnotenſis, profeſsione Doctoris

P 3 Pa-

Pariſienſis : qui ſectam peculiarem inſtituit, & pravis dogmatibus infecit plures alios, atque in ijs Davidem Dinantium de quo poſtea. Verùm poſtulatus de hæreſi, & de ea convictus à cæteris Theologis Pariſienſibus, nec vllo modo ad ſanum ſenſum revocatus, ſimul cum alijs quibuſdam diſcipulis extremo judicio traditus fuit.

17 Porrò errores Almarici referunt, poſt Cæſarium libro Dialogorum diſt. 5. Bzovius ad annum Chriſti 1215. Alphonſus de Caſtro verbo *Adam* hæreſi 3. verbo *Beatitudo* hæreſi 1. verbo *Euchariſtia* hæreſi 4. verbo *Infernus* hæreſi 1. & verbo *Reſurrectio* hæreſi 1. Prateolus verbo *Almaricus* num. 29. Gaulterius Sæculo XIII. cap. 1. & Salleles Regula 274. Binius in Scholijs ad prædictum Concilium Lateranenſe columna 3. hoc ordine colligendos curavit ex Prateolo I. ERROR. *Dicebat* (Almericus) *Corpus Chriſti non aliter eſſe in pane Altaris, quàm in alio pane, & in qualibet alia re, tranſubſtantiationem denegans. II. Deum ſic loquutum fuiſſe in Ovidio, ſicut in Auguſtino. III. Negabat præterea reſurrectionem corporum, Paradiſum ſimiliter, & Infernum; ſed qui in ſe Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in ſe Paradiſum. Qui contrà peccatum mortale haberet, eundem Infernum habere in ſe, non aliter quàm dentem putridum in ore. IV. Altaria Sanctis dicata, & Imagines thurificare, ſanctorumque invocationes, idololatriam eſſe aſſerebat. V. Non ſolùm cum Almenis Adam, & Evam nunquam carnali copula iungendos, ſi in ſtatu, in quo Deus illos condidit, permanſiſſent; verùm etiam ſexuum differentiam nullam, ſed hominum multiplicationem æquè atque Angelorum futuram affirmabat. Contra illud, quod in Geneſi ſcribitur: Creavit Dominus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum; maſculum, & fœminam creavit illos. VI. Aſſerebat rurſus, Deum non videri in ſe, ſed in creaturis, ſicut lumen in aere. VII. Item illud, quod aliàs eſt peccatum mortale, factum in charitate, non eſſe peccatum: impunitatem peccatorum promittens. VIII. Affirmabat denique, ideas, quæ ſunt in mente diuina, & creare, & creari poſſe: cum contrà, teſte Auguſtino, in mente diuina nil niſi æternum, & incommutabile ſit. IX. Somniabat quoque, mentem contemplatiui, vel beati, perdere ſuum eſſe in proprio genere, & redire in illud eſſe ideale, quod habuit in mente diuina. X. Docebat deinde, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipſum converti, vt ſint vnum indiuiduum cum ipſo: vnde per conſequentiam in reſurrectione duplicem fore ſexum negabat.*

18 Nec ideo exiſtimes Almericum eos ſolùm errores tradidiſſe. nam Prateolus, & poſt ipſum Bzovius num. 2. teſtantur, illum multipliciter aliàs inſanijſſe contra Catholicam fidem. Ex illis verò ſolus ferè primus, tertiuſque in ea Generali Synodo ſingillatim proſcripti fuerunt totidem articulis contrarijs circa Euchariſtiam, reſurrectionemque. Cæteros non fuit viſum operæ pretium reijcere in ſingulari: ſed ſatis exiſtimarunt Patres dicere generatim Canone ſeu capite vltim. *Reprobamus & condemnamus perverſiſſimum dogma impij Almerici, cuius mentem pater mendacij ſic excæcavit, vt eius doctrina non tam hæretica, quàm inſana ſit cenſenda.* Quare Innocentius III. poſtea illum hæreticum pertinacem & excommunicatum declaravit: vt propterea eius oſſa, quæ à Pariſienſibus tumulo profano, ſeu non ſacro, commiſſa fuerant ex quadam indulgentia inde eruta & vltricibus flammis tradita fuerunt. Itaque videtur, manifeſtum fuiſſe Patribus Lateranenſis Concilij, nullo iure exigi ad quaslibet hæreſes exterminandas vltimo iudicio, vt intra Synodum Oecumenicam examinentur ſingillatim aut proſcribantur.

19 David Dinantius, præter inſanias prædictas, quas ab Almerico didicerat, aliam edidit ſolùm homine extremè ſtupido aut deliro dignam: nempe, Deum eſſe materiam primam rerum omnium. immanem profectò errorem, & contrarium primæ Dei notioni apud omnes homines, quibus aliqua rationis ſcintilla affulget. Nec verò hæreſis hæc damnata legitur ſpeciatim in eo Concilio: quamvis pluribus poſt illud annis exagitata fuerit à Div. Thoma libro 2. contra Gentes cap. 17. & 1. part quæſt. 2. articulo 8. Vide quæ diximus Tomo I. Theologiæ Sancti Anſelmi Diſput. XXIX. ſectione 1. vbi plura invenies ad eruditionem ſacram, & profanam ea de re ſpectantia.

20 Notandum præterea, cùm Albigenſes memorati in ſuperioribus plures novas hæreſes procudiſſent à tempore Concilij Lateranenſis IV. aliàs XII. Generalis vſque ad Concilium I. Lugdunenſe, aliàs XIII. Generale, id eſt ab anno M. CC. XV. vſque ad M. CC.XLIV. (vt patet ex Auctoribus ſuprà allegatis, & ex Concilijs Synodalibus

bus vtrique Synodo prædictæ interiectis contra hæreticos illos apud Binium & Labbeum) nullam tamen eorum inveniri damnatam in dicto Concilio Lugdunenſi, quantùm ex omnibus eius Actis colligere potui. Sciebant enim Patres congregati; & Innocentius IV. Papa, qui præerat, aliter everti omnino poſſe & ritè proſcribi hæreſes, quàm per definitionem Generalis Concilij.

21 Quapropter Alexander IV. Papa paucis pòſt annis (non tamen Chriſti M.CC.L. vt Salleles refert ex Prateolo, cùm ille vſque ad annum Chriſti M.CC.LIV. non fuerit renuntiatus Pontifex) editâ Bulla, cuſ initium, *Romanus Pontifex*; extra omne Concilium damnavit errores Guillelmi de Sancto Amore: qui ſpecialem ſectam inſtituerat ſub idem tempus contrariam ſtatui Religionum, præſertim Mendicantium. Docebat enim imprimis, neminem in iſs ſalvari poſſe; Deinde, Monachos ex eleemoſyna in otio viventes, nimirum, in exercitijs vitæ contemplatricis, eſſe incapaces ſalutis aſſequendæ; Demum, licitam eſſe paupertatem habitualem, qua homo paratus ſit ad omnia relinquenda pro Deo ſi quando vrgeat neceſsitas; non tamen actualem, qua aliquis rebus renuntiat omnibus quæ poſsidet, vt liberiùs Deo ſerviat. Librum verò Guillelmi ea dogmata impia continentem Alexander damnavit tanquam hæreticum, & ſub pœna excommunicationis præcepit vt quiſquis illum haberet, ſtatim combureret. Scripſere quoque doctiſsimè in confutationem illius duo clariſsimi Eccleſiæ Doctores tunc florentes, Thomas & Bonaventura. Legendus Alphonſus de Caſtro lib. 10. adverſus hæreſes verbo *Monachus*.

22 Simili œſtro excitatus fuit adverſus paupertatem Religionum Deſiderius Longobardus effutiens, non modò inutilem rem eſſe, ſed illicitam quoque, omnia propter Ieſum Chriſtum relinquere. Deinde, & conſequenter, nefas eſſe in Religionem illam ingredi, quæ nec poſſeſsiones non habeat, ſaltem in communi, vel certè non profiteatur laborem manuum, ex quo victitet. Quam impietatem ſolidè refellit Sanct. Thomas Opuſculo 19. inſcripto adverſus impugnatores Religionis. Eaque iam ſatis fulgurita fuit in Bulla citata Alexandri IV. quin ad eam proſcribendam opus fuerit Concilio aliquo Generali. Immo nec facilè forſan erit invenire aliquod Provinciale aut Nationale, coactum tempore eiuſdem Pontificis, in quo ij errores damnati fuerint. Nullum enim omnino celebratum interea alicubi terrarũ memorat Binius in editione ſua. Deinde in Regia vnum apparet anno 1257. in Dania ab Epiſcopis ad tuendã libertatem Eccleſiaſticam coactum; alterum Colonienſe anni 1260. ad extirpationem vitiorum, & bonorum germinum plantationem. Denique in Labbeana omnium inſtructiſsima, quamvis quinque exhibeantur, & nominatim Albienſe Nationale in Tomo II. Spicilegij Dacheriani; non invenio aliquid in iſs tractatum aut definitum contra prædictos errores.

SECTIO TERTIA.

De erroribus Raymundo Lullio adſcriptis, & ipſius diſcipulis, quos Gregorius XI. Papa extra Concilium Generale damnaſſe fertur, alijs contrà ſentientibus, & pro illius honore pugnantibus.

23 PROLIXAM Litem nobis excitarunt dogmata Raymundi Lullij, eodem ſæculo tertiodecimo viventis, vtpote nati anno Chriſti M. CC.XXX. ni iam ſatis de iſs egiſsimus Tomo II. Theologiæ Sanct. Anſelmi Diſput. LI. quæ eſt prima de Myſterio Trinitatis. Quare pauca ex iſs breviſsimè perſtringemus, & adijciemus nonnulla alia, quæ poſtea obſervare licuit. Plerique, ex antiquioribus præſertim, & in iſs maximè Nicolaus Eymericus in Directorio Inquiſitorum parte ſecunda quæſt. 9. illum inter Hæreſiarchas referunt, veluti qui plures hæreſes excogitaverit, & ſectam peculiarem earum inſtituerit. Addit ipſe, Gregorium XI. Papam (qui plurimis poſt Raymundum annis electus fuit Pontifex, nimirùm anno M. CCC. LXX.) illius dogmata quingenta damnaſſe, non quidem habito Generali Concilio, ſed Conſiſtorio, ſive Conſilio Fratrum, vt ipſe loquitur.

24 Sed audiamus Eymerici verba loco allegato: *Poſtea*, inquit, *Dominus Papa Gregorius XI. in Conſiſtorio, etiam de Concilio Fratrum, interdixit & condemnavit doctrinam cuiuſdam Raymundi Lulli Catalani mercatoris de Ciuitate Maioricarum oriundi, laici, phantaſtici, imperiti, qui quamplures libros ediderat in vulgari Catalanico, quia totaliter grammaticam ignorabat. Quæ doctrina erat plurimùm divulgata; quam creditur habuiſſe à Diabolo, cùm eam non habuerit ab homine, nec humano ſtudio, nec à Deo; cùm Deus non ſit auctor hæreſum, nec errorum.*

Licèt ipſe Raymundus aſſerat in libris ſuis, quòd eam habuit in quodam monte à Chriſto, qui ſibi (vt dixit) apparuit crucifixus: qui putatur fuiſſe Diavolus, & non Chriſtus. Quæ doctrina duravit ferè per octoginta annos, quouſque ſcilicet Fr. Nicolaus Eymericus Ordin. Prædicatorum Aragoniæ Inquiſitor ex certis cauſis habens eandem multùm ſuſpectam de hæretica pravitate, illã multo cum labore transcurrit, poſtea præſentavit prædicto Domino Papæ Gregorio viginti volumina: & cauſa commiſſa Domino Cardinali Oſtienſi, de eius mandato fuerunt per viginti & vltra magiſtros in Theologia diligentes examinata. Et tandem de Fratrũ conſilio, vt verè hæreticalia condemnata, & tota doctrina generaliter interdicta; quæ doctrina continebat pluſquam quingentos articulos erroneos, de quibus, vt prolixitati parcatur, centum præſentibus inſeruntur.

25 Itaque addit; quamvis in libris Raymundi continerentur quingenti errores, ſe illos ad centum præcipuos redegiſſe, vt prolixitati parceret, qui apud ipſum in Directorio citato videri poſſunt; præter duodecim alios peculiares diſcipulorum aut ſequacium, quos etiam refert. Verùm Prateolus in Elencho lib. 16. verbo *Raymundus Lullus* num. 2. & Gaulterius Sæculo XIII. cap. 5. quamvis cenſeant illum fuiſſe Hæreſiarcham, & tradidiſſe errores ab Eymerico memoratos; ſolos quinque præcipuos memorant. *Primus* eſt, in Deo eſſe plures eſſentias. *Secundus*, Deum Patrem extitiſſe antequam Filius eſſet. *Tertius*, divinam eſſentiam, cùm non ſit otioſa, eſſentiare; naturam, naturificare: bonitatem, bonificare: & ſic de reliquis perfectionibus abſolutis Dei. *Quartus*, Spiritum ſanctum eſſe conceptum de Patre & Filio. (Debuiſſet dicere procedentem, non autem conceptum. Hoc enim proprium Verbi, ſeu Filij eſt, ſicuti eſſe genitum, & natum.) *Quintus*, iniuſtam eſſe punitionem hæreticorum.

26 Sed & poſt damnatas propoſitiones omnes ac ſcripta Raymundi triplici Bulla eiuſdem Gregorij XI. extante in Appendice citati Directorij Romæ editi anno M.D.LXXXVII. pag. 67. cum Notis Franciſci à Pegna; addidiſſe dicuntur illius diſcipuli hunc alium errorem ordine vndecimum, qui in eodem Directorio habetur pag. 261. *Vndecimus error: Quòd Dominus Papa Gregorius XI. qui doctrinam Raymundi Lullij in viginti voluminibus eius contentam, vt hæreticalem in ducentis articulis Auctione in Conſiſtorio damnavit, totamque generaliter vt ſuſpectam de hæreſi cunctis fidelibus interdixit; ſacrum Collegium, quod conſenſit; Cardinalis Hoſtienſis, qui Comiſſarius in illa cauſa fuit, Magiſtri in Theologia vltra viginti, qui ad condemnationem prædictam conſilium præſtiterunt; iſti doctrinam iſtam non intellexerunt, decepti ſunt, & turpiter erraverunt.* Mirum ſanè, ſi verum, Lullij ſectatores adeò irreverenter locutos in Roman. Pontificem, eiuſque Conſiliarios. Itaque, iuxta eam narrationem, erroris nota inuſta fuit expoſtulatio Lulliſtarum adverſus iudicium Gregorij XI. Papæ, damnantis dogmata illa Raymundi, tanquam hæreticalia; quaſi Pontifex cum Cardinalibus & Theologis ad eam cenſuram convenientibus turpiter erraſſet. Et certè ſi verè Lulliſtæ id dicere auſi ſunt, meritò erroris in ea parte arguuntur. Conſtatque præterea (quòd maximè ad inſtitutum noſtrũ attinet) eo tempore tam certam & exploratam fuiſſe auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in quæſtionibus fidei dirimendis, quamvis extra Concilium Oecumenicum, ſive Generale, vt quicumque definitionem ipſorum impugnaſſe dicuntur ad defendendum doctrinam Lullij, peſſimè in Eccleſia audierint, veluti errantes in materia ſpectante ad fidem. Quod nobis ſat fuerit collegiſſe ex ea narratione Eymerici, probata à Franciſco de la Peña Rotæ Auditore, Prateolo, Gaulterio, Bzovio, aliiſque pluribus, ex hypotheſi quòd vera ſit.

27 Alij tamen multi, quos tit. Diſp. II. allegavimus, Raymundum Lullium ab ea nota vindicare conati ſunt, quaſi Eymericus in odium ipſius ea Diplomata Pontificia Gregorio XI. ſuppoſuerit: vtpotè quæ ſemel & diu conquiſita Romæ, & Avenione, vbi primùm edita dicuntur, nunquam inventa fuerint. Præter Auctores ibidem à nobis allegatos, editum fuit Memoriale quoddam Palmæ Balearium anno M.DC.XXVII. à R. P. Ioanne Riera Franciſcano, Romæ agente cauſam Lullij, quem cum pluribus alijs, pium Eremitam, & Martyrem fuiſſe contendit, & præterea oſtendere conatur in doctrina ipſius, ſi ſeriò expendatur, nullum errorem contineri. Plurium etiam inſignium Virorum nomina profert, qui idem iudicium ea de re tulerint. Vide Sallelles Regula 176.

28 Nos verò, quemadmodum eo loco, ita & nunc non audemus quidquam pro alterutra partium definire. Id autem conſtanter aſſerimus, ſi hypotheſis recipi Gregorius XI. ex cathedra declaravit, doctrinam Raymundi eſſe hæreticalem, eam cenſuram omninò certam

tam & iuſtam fuiſſe, ac nimiùm audenter incuſatam à defenſoribus Lullij; qui propterea iure merito erroris notati fuerint. Quod ſufficit ad comprobandū doctrinam, in qua ſtabilienda verſamur. Semper enim ratum manet, iudicia Apoſtolicæ Sedis in quæſtionibus fidei, quamvis extra Concilium Generale prolata, eſſe prorſus vera, & nulli obnoxia errori. Abſolutè autem, vt aiunt, & ſimpliciter loquendo, nolumus quidquam dedecoris irrogare, vel nomini, vel vitæ, vel doctrinæ Lullij; præſertim cùm plurimi in Maiorica Inſula, & non pauci alijs locis *Beatiſsimum Martyrem* appellent, hodieque. Itaque eius cauſæ definitionem remittimus Iudicio Sedis Apoſtolicæ, prout etiam Salleles fecit lib. 3. Regula CC LXXVIII. poſt rem latiſsimè & recenter diſcuſſam.

SECTIO QVARTA.

De Sectis Fratricellorum, Pſeudo-Apoſtolorum, & Flagellantium, earúmque erroribus, damnatis à Sede Apoſtolica, extra omne Generale Concilium.

28 EODEM Sæculo labente, circa annū M. CC. LXXVII. initium habuit ſecta Fratricellorum, cognominatorum *de paupere vita*, quorum auctor creditur fuiſſe Hermannus Pongilupus, Natione Italus, qui cum dogmatibus ſuis, viginti circiter annis poſt obitum condemnatus fuit à Bonifacio Octavo Papa, nulla ad id coacta Synodo; eiuſque corpus exhumatum, & igni traditum. De quo legendi Bernardus à Lutzemburgo lib. 2. verbo *Hermannus*, Prateolus lib. 6. verbo *Fratricelli*, Sanderus de viſibili Monarchia ad annum 1303. Angelus de Paz tomo 1. in Symbolum lib. 9. cap. 10. Cardinalis Bellarminus 2. parte Chronologiæ ad annum 1386. & Dermitius Thadæi in Nitela Franciſcana cap. 2. vbi palam oſtendit, Hermannum prædictum fuiſſe quidem auctorem ſectæ Fratricellorum, eiuſque gregales, aut ſectatores extitiſſe poſtea plures; alienos autem eos omnes fuiſſe à ſacro S. Franciſci Ordine, quidquid aliqui affirment, invidiam ipſi conflare tentantes.

29 Antequam Bonifacius VIII. damnaret Hermannum cum hæreſibus ſuis, Honorius IV. Papa anno M. CC. LXXXV. ſententiam tulerat adverſus illius Sectam ſub ſpecie cuiuſpiam Religionis introductam; & hæretica labe infectam. Illius Diploma extat apud
„ Cherubinum Tom. I. his verbis: OLIM
„ Felicis recordationis Papa Gregorius X,
„ Prædeceſſor noſter in Concilio Lugdunen-
„ ſi omnes Religiones, & Ordines Mendican-
„ tium adinventos poſt Generale Lateranen-
„ ſe Concilium, qui nullam confirmationem
„ Sedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ pro-
„ hibitioni ſubiecit; & quatenus proceſſe-
„ rant, revocavit. Verùm ſicut ad noſtri Apo-
„ ſtolatus auditum fama querula deferente,
„ pervenit, quidam, qui poſt Generale, &
„ ante Lugdunenſe prædicta Concilia ſub
„ nomine Ordinis Apoſtolorum, habi-
„ tum novæ Religionis aſſumpſerunt, quam-
„ quam nullam aliquando confirmationem
„ Sedis Apoſtolicæ meruiſſent, prohibitionis,
„ ac revocationis prædictæ temerarij præ-
„ ſumptores, eundem habitum, ſeu ei conſi-
„ milem ſub eodem nomine, vſque hodie de-
„ ferentes, quamplures etiam alij aſſumpto
„ poſt dictum Lugdunenſe Concilium, hu-
„ iuſmodi habitu, per diverſas Mundi partes
„ mendicando diſcurrere non verentur, fa-
„ cientes ea, quæ non decent, in animarum
„ ſuarum periculum, & grave ſcandalum plu-
„ rimorum: præſertim cùm nonnulli pravi-
„ tatis hæreticæ vitio laborantes, ſub huiuſ-
„ modi habitu ſint inventi. Nos igitur volen-
„ tes talium prævaricatorum inſolentem au-
„ daciam refrenari, & prædictam non tam
„ Religionem, quàm pernicioſam Sectam pe-
„ nitus aboleri, ne fortè fideliū ſimplices fal-
„ ſa ſanctitatis eorum imagine ſeducantur;
„ Vniverſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta
„ mandamus, quatenus quoſcumque de præ-
„ dictis in veſtris Civitatibus, & Diœceſibus
„ invenire contigerit, eos ad deponendum
„ huiuſmodi habitum monitione præmiſſa,
„ per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione
„ poſtpoſita, compellatis. Monentes eoſdem,
„ vt ſi religioſam vitam ducere cupiunt, ad
„ aliquam ſe transferant de Religionibus ap-
„ probatis. Quòd ſi aliqui eorum cenſuram
„ prædictam contempſerint, vos contra ipſos
„ ad pœnam carceris, ſeu aliam, prout expe-
„ dire videbitis, procedatis, invocato adver-
„ ſus eos, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcu-
„ laris. Cæterum, vt prædicti eò faciliùs à ſuâ
„ inſolentia compeſcantur, quò magis à Chri-
„ ſti Fidelibus adijci ſe viderint, & contem-
„ ni: Volumus nihilominus, quòd huiuſmo-
„ di proceſſum noſtrum in veſtrarum Civi-
„ tatum, & Diœceſum terminis, iteratis vi-
„ cibus publicantes, ac facientes per aliquos
„ publicari; eoſdem populos auctoritate no-
„ ſtra moneatis, & inducatis attentè, ne ali-
„ quem de prædictis præfatum habitum defe-
„ rentibus recipere præſumant in hoſpitio,
„ vel eis aliquas eleemoſynas largiantur, nec
„ ad deferendum habitum illum, ſeu ei conſi-

„ milem, impendant conſilium, auxilium, vel
„ favorem. Datum Romæ apud Sanctam Sa-
„ binam quinto idus Martij, Pontificatus
„ noſtri Anno primo, ſub anno Dominicæ In-
„ carnationis 1285. *

Hucuſque Pontifex: qui ſanè nullo Concilio ad id coacto, pſeudo-religionem illam extinxit, non modò quòd intruſa eſſet, ſive introducta contra decreta Concilij Generalis Lateranenſis ſub Gregorio X. ſed etiam quoniam in ea erant aliqui *pravitatis hæreticæ vitio laborantes*. Eius autem ſceleris iudicium ad Pontificem Romanum propriè ſpectat.

30 Nec mirum damnati fuerint Hermannus & ſequaces, primùm ab Honorio IV. deinde à Bonifacio VIII. cum hæreſibus ſuis, abſque interventu alicuius Concilij: tum quia id non exigi vt Sedes Apoſtolica ferat vltimum & irreformabile iudicium in quæſtionibus fidei, perpetua ſeculorum doctrina & praxis in Eccleſia tulit: tum præterea quòd pleræque eorum inſaniæ & turpitudines palam opponerentur fidei, rationi, & honeſtati morum: *Imprimis* enim aſſerebant, vxores eſſe omnibus communes: ideoque in ſuis nefarijs congreſsibus, quos agebant in ſpeluncis & cavernis, poſt expletas qualeſcumque preces, extinctis luminibus, ſe immiſcebant viri fœminis, nullo habitu delectu. *Secundò*, vbi ex illo nefario coitu fœmina aliqua concipiebat infantem, is in ſpelunca per manus omnium deferebatur, tradebatur, recipiebaturque, quoad vſque animam efflaret. Ille verò in cuius manibus expirabat, ſtatim inaugurabatur Summus Pontifex. *Tertiò* negabant, Rempublicam ab vllo homine Chriſtiano adminiſtrari poſſe. Ita Prateolus ſuprà allegatus, & Gaulterius Sæculo XIII. cap. 7. *Quartò* denique affirmabant, viſionem Dei ſanctis animabus differri vſque ad diem iudicij, qui error poſtea confixus fuit ſæculo ſequenti à Ioanne XXII. vt videbimus Diſp. ventura.

31 Pſeudo-Apoſtolorum ſecta initium duxiſſe creditur à Gerardo Sagarello Parmenſi, & Dulcino Novarienſi, qui circa finem eiuſdem ſæculi varijs hæreſibus infecerunt Parmam, & plures alias Italiæ vrbes. Appellabant ſe Apoſtolos, & ſoli Deo ſubiectos: ideòque ſub nullius obedientia vivebant. Amicti tunica alba longa, capillos nutriebant, detecto ſemper capite incedentes, nudis pedibus. Prædicabant publicè, & in plateis, ipſis parca menſa vtebantur, & cibo vivido. Ex ijs Gerardus cum ſequacibus ſuis palam combuſtus de hæreſibus diſſeminatis, cum iis damnatus fuit imperante Adolpho Cæſare Germano, & Bonifacio VIII. Romanæ Sedis Antiſtite, anno M.CC.XC.VI. vt teſtatur Prateolus lib. 14. verbo *Pſeudo-Apoſtoli num. 41.* Nec tamen vllum Concilium legitur coactum ad errores dicti Gerardi damnandos. Illorum octo ſolùm enumerat idem Prateolus; Bzovius verò ad annum M CC.LXXXV. ſimul cum Eymerico 2. part. Directorij quæſt. 12. viginti recenſet. Ex ijs ſolos illos, qui quoddammodo impugnant auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romani Pontificis, quam aſſerendam ſuſcepimus in hoc Opere, placet ad verbum exſcribere, prout referuntur à Bzovio.

32 Primus error. Tota auctoritas à Domino Ieſu-Chriſto tradita, & collata Eccleſiæ Romanæ, eſt omnino evacuata, & iam dudum ceſſavit propter malitiam Prælatorum. *Secundus*, Eccleſia Romana, quam tenent, Papa, & Cardinales, & Clerici, & Religioſi, non eſt Eccleſia Dei, ſed reprobata Eccleſia, quæ perſeverat hodie ſine fructu. *Tertius*, Romana Eccleſia eſt illa meretrix, quæ à fide Chriſti apoſtatavit, de qua ſcribit Ioannes in Apocalypſi. *Quartus*, tota illa poteſtas ſpiritualis, quam Chriſtus dedit Eccleſiæ ab initio, eſt tranſlata in ſectam illorum, qui dicuntur Apoſtoli, ſeu de ordine Apoſtolorum; quam ſectam illi vocabant congregationē ſpirituale, à Deo miſſam, & electā in iſtis diebus noviſsimis. Et ipſi, & nulli alij, ſe habere poteſtatem, quam habuit B. Petrus Apoſtolus, dicebant. *Quintus*; Gerardus Sagarellus Parmenſis, Princeps, & auctor huius ſectæ, fuit nova planta, pullulans in radice fidei, in qua Deus cœpit reducere Eccleſiam ſuam ad converſationem, & perfectionem, & vitam, & ſtatum, & paupertatem Eccleſiæ primitivæ in illo ſtatu, in qua Chriſtus commiſit Eccleſiam B. Petro Apoſtolo. *Sextus*, ipſi ſoli, qui dicuntur Apoſtoli de prædicta ſecta, ſeu congregatione, ſunt Eccleſia Dei, & ſunt in illa perfectione, in qua fuerunt primi Apoſtoli Chriſti. Et ideo non tenentur alicui homini obedire, nec Summo Pontifici, nec alicui alteri, quia eorum Regula, quæ fuit à Chriſto immediatè, libera eſt, & perfectiſsimam vitam habet. *Septimus*, nec Papa nec aliquis alius poteſt eis præcipere, vt deſerant ſtatum illum, ſeu vitam tantæ perfectionis nec etiam poteſt eos excommunicare. *Octavus*, de quolibet ſtatu, & ordine poteſt quilibet licitè tranſire ad eorum vitam, & ſtatum, ſeu ordinem, ſive ſit religioſus, ſive ſit ſecularis, ita quòd vir ſine conſenſu vxoris, & vxor ſine conſenſu viri poteſt relinquere ſtatum matrimonij, & advolare ad ordinem ipſorum. Et quòd nullus Prælatus Eccleſiæ Romanæ poteſt ſeparare matrimonium, ſed ipſi

ipſi poſſunt. *Nonus.* Nullus Papa Romanæ Eccleſiæ poteſt aliquem abſolvere à peccatis, niſi ſit ita ſanctus, ſicut fuit B. Petrus Apoſtolus, vivens in omnimoda paupertate, ſine proprio, & in humilitate, non faciendo bella, nec aliquem perſequendo, ſed permittendo vivere quemlibet in ſua libertate. *Decimus.* Omnes Prælati Romanæ Eccleſiæ, tam maiores, quam minores, à tempore S. Sylveſtri, poſtquam declinaverunt à modo vivendi priorum Sanctorum, ſunt prævaricatores, & ſeductores, excepto Fratre Petro de Murono, qui fuit Papa Cœleſtinus appellatus. *Vndecimus.* Omnes Ordines Religioſorum, Sacerdotum, Diaconorum Subdiaconorum, & Prælatorũ, ſunt ad fidei Catholicæ detrimentum. *Duodecimus.* Laici non tenentur, nec debent dare decimas alicui Sacerdoti, ſeu Prælato Romanæ Eccleſiæ, qui non ſit in tanta perfectione, & in tanta paupertate, in quanta fuerunt primi Apoſtoli. Nec debent dari decimæ, niſi ipſis qui dicuntur Apoſtoli, & ſunt pauperes Chriſti.

33 Omnes itaque ij errores contrarij auctoritati Eccleſiæ, ſive Sedis Apoſtolicæ, & Pontificum Romanorum, ſimul cum alijs, qui videri poſſunt, apud Prateolum & Bzovium nuper allegatos, damnati fuerunt cum auctoribus ſuis à Bonifacio VIII. Papa anno M.CC.XC.VI. extra omne Concilium, tota Eccleſia conſentiente ſtatim in ijs hæreſibus & impietatibus reijciendis.

34 Denique ſecta dicta Flagellantium initium habuit eodem ſæculo circa annum M.CC.LXX.V & incrementum aliquod ſubinde vſque ad M.CCC.XIII. Eam denominationem habuerunt à conſuetudine flagellandi ſe virgis, & nodoſis flagellis, in quibus erant infixi aculei ad oſtentationẽ: quam percuſſionem aiebant eſſe potiorem confeſſione ad quælibet peccata delenda. Multi eorum ad vrbem Spiram concurrerunt diebus ipſis Comitiorum, ſpeciem religionis admodum piæ & auſteræ exhibentes. Rudes erant: cruces in ſuis veſtimentis ferebant: vrbes gregatim mœſto vultu ingrediebantur: ſcapulas præferentes livore plenas ex crebris ictibus. Non petebant eleemoſynam, ſed accipiebant ſponte ſibi oblatam. Sub hac ſpecie pietatis auſteritatiſque plures tradebant errores. Imprimis enim flagellationem illam non modò aiebant potiorem eſſe confeſſione Sacramentali ad quælibet peccata delenda, ſed etiam Martyrio æquiparandam, aut præferendam. quin & Baptiſmum aquæ iam finem habuiſſe, & commutatum fuiſſe in Baptiſmum flagellationis: ac per conſequens neminem eſſe poſſe verum Chriſtianum, aut ſalvũ, niſi ſuo ſanguine per verberum ictum baptizatum. Denique & Evangelium iam finitum effutiebant per adventum eius novæ religionis. Cùm ijs erroribus alium conciliabant craſſiſſimum, aſſerentes, licitum eſſe periurium, iuxta illud:

Iura, periura: ſecretum prodere noli.

De ijs omnibus vide Alphonſum de Caſtro verbo *Aqua*, hæreſi 2. & verbo *Baptiſmus*, præter Prateolum, & Gaulterium ſuprà allegatos.

35 Ad extirpandos prædictos errores cum auctoribus ſuis, ſicuti & alios eiuſdem ſæculi iam relatos, nemo cenſuit Concilio opus eſſe, præſertim Generali. Omnes itaque tum Pontificia definitione, aut decreto per Legatos edito; tum etiam igne & ferro conſumpti ſunt.

SECTIO QVINTA.

Proferuntur illuſtria quædam teſtimonia Patrum aliquorum eiuſdem ſæculi, præſertim SS. Thomæ, & Bonaventuræ, pro auctoritate infallibili Romani Pontificis.

36 CLAVDAMVS Diſputationem hanc illuſtribus quibuſdam teſtimonijs Patrum eiuſdem ſæculi, in quibus traditur eadem auctoritas ſumma Sedis Apoſtolicæ in determinandis quæſtionibus fidei, nulla Concilij Generalis mentione facta.

37 Imprimis non parum momenti confert in rem noſtram auctoritas Concilij Lateranenſis IV. aliàs XII. Generalis ſub Innocentio III. vbi Canone ſive capite quinto dicitur: *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, ſacra Vniverſali Synodo approbante ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam, QVÆ, DISPONENTE DOMINO, SVPER OMNES ALIAS OBTINET PRINCIPATVM, VTPOTE MATER VNIVERSORVM CHRISTI FIDELIVM ET MAGISTRA, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineat, ſervata cuilibet dignitate propria: ita, quòd poſtquam earum Antiſtites à Romano Pontifice acceperint Pallium, quod eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ij ſuis ſuffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem.* Hactenus ibi: in quibus ſanè condiſtinguitur Romana Eccleſia

ab omnibus alijs Patriarchalibus, & ab vniverſo fidelium cœtu, tanquam Princeps & & Magiſtra omnium. Quare conſequens eſt, vt definitiones, dogmata, & decreta Eccleſiæ Romanæ (id eſt, Pontificis Romani ex cathedra loquentis) excipi debeant reverenter, & abſque tergiverſatione vlla, tum à quatuor Patriarchalibus Eccleſijs Orientis, tum ab illarum ſuffraganeis, tum ab Occidentalibus Eccleſijs, in quibus par aut potior ratio eſt, tum denique à toto fidelium.

38. Et ſanè ita oportuit definiri in ea Magna Synodo, atque Oecumenica tempore ad quam non Occidentales modò Præſules, ſed & Orientales convenerunt, ac nominatim Patriarchæ prædicti, & Imperator ac Reges Orientis, per Legatos ſuos. Græci enim ſchiſmatici hunc Primatum Eccleſiæ Romanæ in reliquas Patriarchales Orientis, & auctoritatem ſummam docendi ac definiendi, frequenter inſectati ſunt; vt videbimus infrà Diſput. XLI. Quapropter in Magna ea Synodo ex Latinis pariter & Græcis conſtante, iure optimo id definitum eſt, ne Græculi rebellantes poſtea, & ad ſuum ingeniũ redeuntes, poſſent aliquam excuſationem obtendere.

39. Et ſanè idipſum docuerunt Græci Patres, vt in ſuperioribus oſtenſum fuit, & obſervat S. Thomas eodem ſæculo tertiodecimo ſcribens libro primo contra errores Græcorum, cap. 32. his verbis: *Habetur ex Græcorum Doctorum auctoritatibus, quòd Romanus Pontifex habeat in Eccleſia plenitudinem poteſtatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Theſaurorum; ſicut Chriſtus accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ Gentium ex Iſrael egrediens ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curventur: ſic & Petro, & eius Succeſſoribus pleniſſimam poteſtatem pleniſſime commiſit, vt etiam nulli alij, quàm Petro, Chriſtus quod ſuum eſt plenum ipſi ſoli dedit, &c. Hoc etiam traditur auctoritate Scripturæ; nam Dominus Matth. 16. vniverſaliter Petro dixit: Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. Oſtenditur etiam quod Petrus ſit Chriſti Vicarius, & Romanus Pontifex Petri Succeſſor in eadem poteſtate ei à Chriſto collata.* Non poteſt autem conſiſtere in Petro, & Succeſſoribus eius plenitudo poteſtatis Chriſti pleniſsimè commiſſa, niſi auctoritatem plenam habeat docendi & erudiendi cæteros omnes in fide, ac definiendi vltimo & irreformabili iudicio quidquid ad illam ſpectat. Quare ſubdit S. Doctor, *ad eundem Romanum Pontificem pertinere, quæ fidei ſunt determinare: ipſum Patriarchis Prælatum eſſe.* Indeque paulò pòſt colligit, *ſubeſſe Pontifici Romano, eſſe de neceſſitate ſalutis.* Et in Opuſc. 5. quod ſcripſit in Symbolum Apoſtol. prope finem, tractans verba illa Chriſti apud Mathæum cap. 16. v. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam,* ſic loquitur: *Quaſi dicat: Bellabunt adverſus te, ſed non prævalebunt. Et inde eſt quòd ſola Eccleſia Petri, in cuius partem venit tota Italia, dum Diſcipuli mitterentur ad prædicandum, ſemper fuit firma in fide. Et cùm in alijs partibus, vel nulla fides ſit, vel commiſta multis erroribus; Eccleſia tamen Petri, & fide viget, & ab erroribus munda eſt. Nec mirum: quia Dominus dixit Petro Lucæ 22. v. 32. EGO ROGAVI PRO TE, PETRE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA.* Si autem Succeſſores Petri in eadem cathedra definire poſſent, aut vnquam definijſſent, (vt quidam ex Adverſarij aiunt) aliquid fidei contrarium; omnia alia de Eccleſia Petri dicere oporteret, contra quàm S. Thomas docet, & ex verbis Chriſti colligit.

40. Quod idem S. Doctor non ex ob aliquo ſolùm, aut ſubobſcurè; ſed palam ac ſæpiſſimè tradit, agnoſcens in Romano Pontifice ſolo, aut ſine interventu aliorum, vel Concilij, ſupremam & infallibilem auctoritatem ad definiendum quaslibet fidei controverſias, ita vt omnes Chriſtiani teneantur ad exhibendum ipſi mentis obſequium. Poſſemus paginas implere teſtimonijs eius luculentiſſimis in idem demonſtrandum: ſiquidem Ludovicus Bail, inſignis Doctor & Propœnitentiarius Pariſienſis, nuper in Summa Conciliorum Tract. de triplici verbo Dei collegit octoginta illorum in idem probandum; quorum aliqua, & nonnulla alia, ad litteram dedimus ſuprà Diſput. VI, ſect. 2. nec repetere oportet, ne canere videamur cantilenam eandem. Videſis ibi, nec pœnitebit. Et quidem in hac controverſia graviſſima ferè omnium, quæ ad fidem & vnitatem Eccleſiæ ſpectant, magno nobis ſolatio, nec ſolùm præſidio eſt, habere D. Thomam ex inſtituto & ſæpiſsimè decertantem pro auctoritate infallibili Summorum Pontificum. Scimus enim quanti ponderis ſit & fuerit ſemper in Eccleſia illius doctrina, præſertim ſæpe & ex profeſſo tradita. Nec dubium, ſi quæſtio hæc in terminis, vt aiunt, definienda fuiſſet à Concilio Tridentino, conſulendam attentiſſimè fuiſſe S. Doctoris mentem ad illam dirimendam, quemadmodum ad finiendas cæteras de fide controverſias ibidem conſulta fuit. Quod vnum (quamvis deeſſent alia innumera teſtimo-

monia Conciliorum & Patrum à nobis producta, & in progreſſu exhibenda) ſufficeret Illuſtriſsimis Antiſtibus Galliarum hoc anno Lutetiæ congregatis, vt more Prædeceſſorum ſuorum in eandem ſententiam pedibus irent, nec paterentur doctrinam S. Thomę, Clariſsimi Eccleſiæ totius, ſimul & Pariſienſis Academiæ Doctoris, in re adeò gravi, & omnium ferè fidelium à tempore naſcentis Eccleſiæ mentibus altè infixa, tam apertè novis Declarationibus deſeri & impugnari.

41 Eodem ſæculo & tempore in ipſa florentiſsima Academia Pariſienſi docuit eandem ſententiam alter totius Eccleſiæ Doctor S. Bonav. Etenim in Breviloquio p. 6. c. 13. & præterea initio expoſitionis Regulæ S. Franciſci, inter plura alia huc ſpectantia, illam probat hoc ineluctabili argumento: *Si partibus diſcordantibus non eſſet qui manum poſſet mittere in ambabus, fuiſſet Synagoga facilior quam Eccleſia: quia illa habebat vnum Summum Pontificem, qui omnes diſcordias poterat terminare: vt patet ex Deuteron. cap. 17.* Itaque iudicio Bonaventuræ, quotquot nuper in Gallia nolunt controverſias fidei (immo nec cauſas Epiſcoporum, vt hoc obiter dixerim) terminari iudicio Romani Pontificis, ſed adhuc deſiderant conſenſum Eccleſiæ accedentem, ſive (quod perinde eſt) Vniverſalis Concilij; feliciorem faciunt Synagogam, quàm Eccleſiam Chriſti. Quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt.

42 Idem S. Bonav. loco laudato reddit quaſi rationem à priori eiuſdem doctrinæ, dicens: *Quia excellentia quanto magis aſcendit, tanto magis vnitur: Hinc eſt, quòd plures ſunt Epiſcopi, pauciores Archiepiſcopi, paucisſimi Patriarchæ, & vnus Pater Patrum, qui Papa meritò appellatur, tanquam vnus primus & Summus Pater ſpiritualis omnium Patrum, immò & omniũ fideliũ, & Hierarcha præcipuus, Sponſus vnicus, Caput indiuiſum, Pontifex Summus, Chriſti Vicarius, fons, & origo, & regula cunctorum Principatuum Eccleſiaſticorũ, à quo tanquam à Summo deriuatur ordinata poteſtas, vſque ad infima Eccleſiæ membra, ſecundum quod exigit præcellens dignitas Eccleſiæ in Eccleſiaſtica Hierarchia.* Vix autem aut ne vix quidem eſſe poteſt talis, tantus, & tam ſupremus Hierarchiæ gradus vltra omnes alios, nemine excepto, tanquam Capitis, fontis, originis, & regulæ cunctorum Principatuum Eccleſiæ, ſine auctoritate ſumma & infallibili ad derivandum in eos omnes doctrinam ſanam in materia fidei & morum.

43 Vterque S. Doctor, Thomas, & Bonaventura, vocatus fuit à Gregorio X. Romano Pontifice ad Concilium Generale Lugdunenſe anno M.CC.LXXIV. quamvis prior ex ijs in itinere deſiderium ſui toti Eccleſiæ reliquerit; poſterior verò initio ferè eiuſdem Synodi communi omnium planctu diem clauſerit extremum. Inquiro, ſi controverſia, quam præ manibus habemus, tunc tractaretur, præſente vtroque S. Doctore, quid ambo dicerent? Sanè idipſum, quod in ſcriptis ſuis ſæpe & conſtanter tradiderant. Quid cæteri Patres congregati? Nihil aliud, quàm vterque: immo nihil aliud, quàm quod euſque Eccleſia Gallicana, Academia Pariſienſis, immo & tota Antiquitas Chriſtiana docuerat: vt in ſuperioribus abundè oſtenſum eſt. Neque enim tunc, immo nec niſi iam labente aut inclinate ſæculo ſequenti inter viventes computabatur Ioannes Gerſon, qui longè poſtea ſæculo quintodecimo occaſione ſchiſmatis in Concilio Conſtantienſi opinionem contrariam tradere auſus fuit. Vide Raymundũ in Opuſculo inſcripto, Αὐτὸς ἔφα, puncto 11. Itaque cenſendum abſdubio eſt, Patres omnes eius Generalis Concilij Lugdunenſis, ſi tunc excitata fuiſſet controverſia hæc, ſimul cum vtroque S. Doctore, auctoritatem infallibilem ad finiendas quæſtiones fidei Romano Pontifici aſſerturos.

44 Henricus Gandavenſis, eodem ſæculo cognominatus *Doctor Solemnis* in Academia Pariſienſi, Quodlib. 13. ſatis indicat eandem veritatem dum inquit: *In Eccleſia militante ſub Deo Chriſtus, ſecundùm quòd homo, Caput eſt & Monarcha. Hierarcha primus poſt Chriſtum Petrus erat, cui ambas claves tradidit, & duos gladios commiſsit. VNDE PAPA HABET VTRVMQVE GLADIVM, SPIRITVALEM, ET TEMPORALEM, IN AVCTORITATE QVADAM PRIMA ET SVPERIORE.* Auctoritas autem prima, & ſuperior in ſpiritualibus à Chriſto Domino commiſſa Petro, & cuilibet Pontifici Romano, tanquam primo Hierarchæ, nec eſſe, nec intelligi poteſt expoſita errori in tradenda doctrina fidei.

45 Clariùs idipſum exprimit Guillelmus Tornacenſis eodem ſæculo ſcribens lib. de Officio Epiſcopi cap. 3. *SOLA ROMANA ECCLESIA, cuius fides in nulla tentatione deficit, vtpote ſupra petram ſtabilem ſolidata, NVLLIS HÆRESIBVS, NVLLIS ERRORIBVS POTEST VEL*

PO-

POTVIT, VEL POTERIT IN-QVINARI. Licèt enim prora vacillet in mari, licèt carina elidatur fluctibus, puppis tamen permanebit immobilis. Aurea ſunt hæc, quibus abſdubiò eſt ſermo de Romana Eccleſia prout condiſtincta à quibuſlibet alijs, quo ſenſu vnum & idem eſt, ac Sedes Apoſtolica, ſeu cathedra S. Petri.

46 Claudo Diſputationem celebri teſtimonio Græcorum in Concilio Lugdunenſi Generali II. alias XIV. Generali profitentium in Romano Pontifice, quam pleriſque eorum Schiſmatici euſque negabant, poteſtatem ſupremam & auctoritatem ad definiendum controverſias fidei. Sic enim aiunt in Epiſtola Michaelis Imperatoris ipſorum miſſa ad Gregorium X. Papam eidem Synodo Præſidentem, columna tertia: Αὐτὴ ὡσαύτως ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τ῀ Ῥωμ. Ἐκκλησία, &c. id eſt: *Ipſa quoque ſancta Romana Eccleſia ſummum & plenum Primatum, & Principatum ſuper vniuerſam Eccleſiam Catholicam obtinet; quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe ſeu vertice, cuius Romanus Pontifex eſt Succeſſor, CVM POTESTATIS PLENITVDINE recepiſſe, veraciter & humiliter recognoſcit. Et ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, SIC ET SI QVÆ DE FIDE FVERINT SVBORTÆ QVÆSTIONES, SVO DEBENT IVDICIO DEFINIRI.* Vbi palàm ſermo eſt de Eccleſia Romana, prout condiſtincta à reliquis Eccleſijs, quibus illam Græci tum ijs verbis, tum in toto Epiſtolæ eiuſdem contextu præferunt. Vnde & paulo poſt ſubdunt: καὶ ταύτῃ αἱ ἐκκλησίαι ὑποτάσσονται. *Et eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubiectæ.* Eccleſiæ autem Romanæ nomine, prout condiſtinctæ à cæteris Eccleſijs, nihil aliud intelligitur, quàm Sedes Apoſtolica, cui præeſt Romanus Pontifex. Dum igitur Græci fatentur, Eccleſiæ Romanæ præ alijs omnibus eſſe, vt *ſi quæ de fide fuerint subortæ quæſtiones, ſuo iudicio definiat*; planè agnoſcunt eiuſmodi auctoritatem in Sede Apoſtolica, cui præeſt Romanus Pontifex. Mitto plura alia eiuſdem Epiſtolę ſeu Profeſsionis Græcorum verba, quæ ſæpe in hoc Opere locum opportuniorem habebunt.

DISPVTATIO XIV

AN SÆCVLO QVARTODECIMO CREDITA & fuerit in Eccleſia auctoritas infallibilis Romanorum Pontificum.

IN Toto Sæculo XIV. quo iam acceſſit Tractatio hæc noſtra, nullum aliud Concilium Generale fuit, quàm Viennenſe in Gallia, XV. omnium Vniverſalium euſque in Eccleſia coactorum, celebratum à Clemente V. Papa cum Cardinalibus, & ampliùs trecentis Epiſcopis, atque alijs Prælatis, anno M.CCCXI. Fuit potiſſimùm congregatum ad extirpandas hæreſes Petri Ioannis, Beguardorum & Beguinarum, ac quorundam aliorum, & ad dirimendam Templariorum cauſam, qui iam tum variorum criminum poſtulati fuerant; ac denique ad ſtabiliendum aut reformandam diſciplinam Eccleſiaſticam. Ex dicendis verò tota Diſputatione hac conſtabit, quamvis eæ hæreſes intra id Concilium damnatæ fuerint, non tamen alia poteſtate, quàm Romani Pontificis; cæteras verò poſteà ortas intra idem ſæculum à Sede Apoſtolica ritè extra omne Concilium fuiſſe proſcriptas, tota Eccleſia ſtatim conſentiente Pontificijs definitionibus.

SECTIO PRIMA.

Hæreſes Petri Ioannis, Beguardorum & Beguinarum, damnatas quidem fuiſſe à Concilio Generali Viennenſi; teſtante tamen palam, id iudicium ad ſolam Sedem Apoſtolicam pertinere.

CIRCA Initium eius ſæculi, quidam perverſi homines, atque in ijs Petrus Ioannis, varias hæreſes diſſeminarunt: quas omnes viſum fuit Clementi V. extirpare in Concilio Generali Viennenſi ad maiorem iudicij ſolemnitatem. Porrò quæ potiſſimùm tradebantur à Petro Ioannis erant tria. Primum, Chriſtum adhuc viventem in Cruce fuiſſe lancea perforatum. *Secundū*, animam rationalem non eſſe verè & per ſe, humani corporis formam. *Tertiū*, gratiam & virtutes nulla-

nullatenus infundi à Deo in Sacramento Baptiſmi.

3 Contra primum ex iſs erroribus, tanquam contrariũ teſtimonio expreſſo Evangeliſtæ Ioannis, ita definiunt Patres Concilij, prout habetur initio Clementinarum titulo 1. vnico de Summa Trinit. & Fide Cathol. * In hac natura aſſumpta ipſum Dei Verbum pro omnium operanda ſalute, non ſolùm affigi Cruci, & in ea mori voluit: *SED ETIAM EMISSO IAM SPIRITV PERFORARI LANCEA SVSTINVIT LATVS SVVM*: vt ex inde profluentibus vndis aquæ & ſanguinis, formaretur vnica & immaculata, ac virgo ſancta, mater Eccleſia, coniux Chriſti. Sicut de latere primi hominis ſoporati, Eva ſibi in coniugium eſt formata: vt ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundùm Apoſtolum eſt forma futuri) in noſtro noviſſimo Adam, id eſt, Chriſto veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas, illius prægrandis aquilæ vallata teſtimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris Evangelicis tranſvolantem, beati Ioannis, videlicet Apoſtoli, & Evangeliſtę, qui Sacramenti huius rem geſtam narrans, & ordinem in Evangelio ſuo, dixit: Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua: & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius: & ille ſcit, quia vera dicit: vt & vos credatis. Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac ſanctorum Patrum & Doctorum communem ſententiam *APOSTOLICÆ CONSIDERATIONIS (AD QVAM DVMTAXAT HÆC DECLARARE PERTINET) ACIEM CONVERTENTES*, ſacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apoſtolum & Evangeliſtam Ioannem rectum in præmiſsis factæ rei ordinem tenuiſſe: narrando, quòd Chriſto iam mortuo, vnus militum lancea latus eius aperuit. * Hucuſque Synodus, ita declarans doctrinam fidei ab Evangeliſta Ioanne traditam, & contrarium errorem paulo antè excitatum damnans, vt tamen initio profiteatur, eiuſmodi declarationem, proindeque & alias ad fidem ſpectantes, dumtaxat pertinere ad Apoſtolicam conſiderationem; nimirum, ad iudicium Sedis Apoſtolicæ. Quare idipſum intelligi debet de definitionibus reliquis ibidem editis adverſus dogmata Petri Ioannis, ſubindeque de quibuſlibet definitionibus prolatis intra Concilia Generalia.

4 Contra ſecundum errorem ſic cavetur, §. immediatè ſequenti. * Porrò doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ, verè ac per ſe humani corporis non ſit forma; velut erroneam, ac veritati, & Catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante Concilio, reprobamus: Definientes, vt cunctis nota ſit fidei ſyncetæ veritas, ac præcludatur vniverſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quòd quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis, ſeu intellectiva, non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter; tanquam hæreticus ſit cenſendus. * Idem ipſum longè poſtea pariter definitum fuit in vltimo Lateranenſi Concilio Generali ſub Leone X. contra aliquos in ea parte ſuſcitantes opinionem Platonis & quorundam aliorum aientium, animam rationalem ſolùm eſſe formam aſſiſtentem corpori, veluti motorem mobili, aut nauclerum navi; non autem intrinſecùs informantem. ex quo errore longè antea Pythagoras occaſionem ceperat ad comminiſcendam fabulam illam, ſeu inſaniam de animarum μετεμψυχώσει. quam latè reiecimus diſput. 81. de Anima.

5 Circa tertiam propoſitionem Petri Ioannis aliter ſe habuit Concilium. Non enim illam notâ aliquâ inuſsit quatenus negabat gratiam & virtutes infundi hominibus in Baptiſmo: ſed ſolùm tradit contrariam opinionem affirmantem eſſe probabiliorem & conformiorem Patribus ac Theologis. Verba Concilij ſunt: * Hoc Baptiſma vnicum, baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſt (ſicut vnus Deus ac fides vnica) ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filij, & Spiritu ſancti, credimus eſſe tam adultis, quàm parvulis, communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verùm, quia quantum ad effectum Baptiſmi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe; quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri; alijs è contra aſſerentibus, quòd & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur, quò ad habitum, & ſi non pro illo tempore, quò ad vſum: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit, tam parvulis, quàm adultis conferri in

Bap-

,, Baptiſmo informantem gratiam & virtutes)
,, tanquam probabiliorem,& dictis Sanctorũ,
,, ac Doctorum modernorum Theologiæ ma-
,, gis conſonam,& concordem ; ſacro appro-
,, bante Concilio, duximus eligendam. *
Hactenus ibi. Itaque omnes eiuſmodi definitiones
ita proferuntur nomine totius Concilij, vt
tamen initio teſtatũ fuerit, judicium ad fidem
ſpectans, nimirum ex auctoritate factũ, dum-
taxat eſſe *Apoſtolicæ conſiderationis*, id eſt,
Sedis Apoſtolicæ, quæ in ſolo Romano Pon-
tifice viget.

6 Veniamus ad alteram hæreſim
famoſiorem Beguardorum & Beguinarum, in
eodem Concilio memoratam quoad præcipua
capita ipſius,& pariter damnatam, prout ha-
betur lib. 5. earundem Clementinarum tit. 3.
qui eſt *de Hæreticis*, cap. 3. hiſce verbis:
,, * Ad noſtrum (qui deſideranter in votis
,, gerimus, vt fides catholica noſtris proſ-
,, peretur temporibus, & pravitas hære-
,, tica de finibus fidelium extirpetur) non
,, ſine diſplicentia grandi pervenit audi-
,, tum, quòd ſecta quædam abominabilis,
,, quorundam hominum malignorum, qui
,, Beguardi, & quarundam infidelium mulie-
,, rum, quæ Beguinæ vulgarìtèr appellantur
,, in regno Alemaniæ (procurante ſatore ma-
,, lorum operum) damnabiliter inſurrexit:
,, tenens & aſſerens doctrina ſua ſacrilega &
,, perverſa inferiùs deſignatos errores. *Pri-*
,, *mò* videlicet, quòd homo in vita præſenti
,, tantum & talem perfectionis gradum poteſt
,, acquirere, quòd reddatur penitus impecca-
,, bilis,& ampliùs in gratia proficere non va-
,, lebit: nam (vt dicunt) ſiquis ſemper poſſet
,, proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior
,, inveniri. *Secundò*, quòd ieiunare non opor-
,, tet hominem; nec orare poſtquam gradum
,, perfectionis huiuſmodi fuerit aſſecutus: quia
,, tunc ſenſualitas eſt ita perfectè ſpiritui &
,, rationi ſubiecta, quòd homo poteſt liberè
,, corpori concedere quidquid placet. *Ter-*
,, *tiò*, quòd illi, qui ſunt in prædicto gradu
,, perfectionis & ſpiritu libertatis, non ſunt
,, humanæ ſubiecti obedientiæ, nec ad aliqua
,, præcepta Eccleſiæ obligantur: quia (vt aſ-
,, ſerunt) vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.
,, *Quartò*, quòd homo poteſt ita finalem bea-
,, titudinem, ſecundum omnem gradum per-
,, fectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in
,, vita obtinebit beata. *Quintò*, quòd quæ-
,, libet intellectualis natura in ſe ipſa natu-
,, ralitèr eſt beata; quòdque anima non indi-
,, get lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum
,, videndum, & eo beatè fruendum. *Sextò*,
,, quòd ſe in actibus exercere virtutum, eſt
,, hominis imperfecti, & perfecta anima li-
,, centiat à ſe virtutes. *Septimò*, quòd mu-
,, lieris oſculum (cùm ad hoc natura non
,, inclinet) eſt peccatum mortale: actus au-
,, tem carnalis (cùm ad hoc natura incliuet)
,, peccatum non eſt, maximè cùm tentatur
,, exercens. *Octavo*, quòd in elevatione cor-
,, poris Ieſu-Chriſti, non debent aſſurgere,
,, nec eidem reverentiam exhibere: aſſeren-
,, tes, quòd eſſet imperfectionis eiſdem, ſi à
,, puritate & altitudine ſuæ contemplationis
,, tantum deſcenderent, quòd circa miniſte-
,, riũ ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, ſeu circa
,, paſſionem Humanitatis Chriſti aliqua co-
,, gitarent. Nonnulla etiam alia ſub ſimulata
,, quadam ſanctitatis ſpecie dicunt, faciunt,
,, & committunt, quæ oculos divinæ maie-
,, ſtatis offendunt: & grave in ſe continent
,, periculum animarum. Cùm autem ex debi-
,, to commiſsi nobis officij huiuſmodi ſectam
,, deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execran-
,, dos errores (ne propagentur vlteriùs, &
,, per eos corda fidelium damnabilitèr cor-
,, rumpantur) extirpare ab Eccleſia Catholica
,, neceſſariò habeamus:

7 Nos, ſacro approbante Conci-
,, lio, ſectam ipſam cum præmiſsis erroribus
,, damnamus & reprobamus omninò: inhi-
,, bentes diſtrictiùs, nequis ipſos de cætero
,, teneat, approbet, vel defendat. Eos autem
,, qui ſecus egerint, animadverſione canoni-
,, ca decernimus puniendos. Porrò Diœceſa-
,, ni, & illarum partium Inquiſitores hæreti-
,, cæ pravitatis, in quibus Beguardi & Begui-
,, næ huiuſmodi commorantur, ſuum officiũ
,, circa eos diligentèr exerceant, inquirentes
,, de vita & converſatione ipſorũ, qualitervè
,, ſentiant de articulis fidei,& Eccleſiæ Sacra-
,, mentis. In illos verò, quos culpabiles repe-
,, rerint (niſi abiuratis ſpontè prædictis erro-
,, ribus pœnituerint, & ſatisfactionem exhi-
,, buerint competentem) debitam exerceant
,, vltionem. Hactenus ibi.

8 In quibus verbis nota, quamvis errores Beguardorum & Beguinarum præcipui intra Concilium Generale Viennenſe referantur ſingillatim & proſcribantur; adhuc tamen Clementem V. Papam teſtari, toto Concilio ſubſcribente, eam declarationem & definitionem incumbere Romano Pontifici *ex debito commiſsi officij*, iuxta ea quæ præmiſſa fuerant cap. 1. eiuſdem tituli. Itaque teſtatur hoc & illo loco Synodus, damnationem hæreſum, ſive definitionem quamlibet in materia fidei, etiam dum intra Concilium Generale profertur, ſpectare ad ſolum Pontificem Romanum ex debito officij. Solus ergo Romanus Pontifex, prout diſtinctus à Generali Concilio, habet ſupremam auctori-

ritatem definiendi & terminandi quaslibet fidei controverſias.

9 Plura alia de ijs hæreticis videſis apud Prateolum lib. 2. Caſtro verb. *Beatido* hæreſi 4. & 5. verb. *Eccleſia* hæreſi 3. verb. *Ieiunium* hæreſi 3. verb. *Opera* hæreſi 3. Gaulterium Sæculo 14. cap. 1. Bzovium ad annum M.CCC.X. Salleles Regula 279.

10 Id tamen ex ijs Auctoribus obſervandum eſt in rem noſtram, eoſdem hæreticos tradidiſſe,& longè ac latè diſſeminaſſe plures alios errores, etiam poſt definitionem & damnationem prædictam in Concilio Viennenſi editam anno M.CCC.XI. Etenim triennio pôſt, Iacobus Iuſtus Beguardorum anteſignanus, gubernante Eccleſiam Ioanne XXII. Succeſſore Clementis V. cùm ſoeijs ſuis errores alios addidit, præſertim contra auctoritatem Romani Pontificis. Deinde cùm videret ſuos gregales paſſim traduci & damnari, eò perfidiæ & audaciæ progreſſus fuit, vt effutiret, omnes eius Sectæ profeſſores, ſive Religioſos, ſive laicos, damnatos à Romano Pontifice, ſive ab Inquiſitoribus, eſſe beatos, & veros Chriſti martyres. Verùm prædicto Hæreſiarchæ, & Guillermo Gilberto, ac Bartholomæo Fauſto, præcipuis ſectatoribus eius, reprimendis, non fuit opus Concilio aliquo: ſed ſat viſum vt Ioannes XXII. Papa expediret Bullam, quæ incipit, *Sancta Romana*, de Religioſis domibus in Sexto, in qua Beguini ipſi damnantur; quamvis ſub nomine Fratricellorum: qui & præterea Valentiæ damnati fuere per Nicolaum Roſellium Ordinis Prædicatorij Inquiſitorem Apoſtolicum. Ex prædictis verò Hæreſiarchis, Iacobus Iuſtus aliorum prodromus, ſeptis murorum incluſus miſerrimè vitam finivit: alij duo paulò antè nominati iam vita functi, declarati fuere hæretici; vtpote qui impœnitentes,& anathemate inuſti obijſſent. Bonanatus denique in eodem luto hærens eo tempore, nolens eaſdem hæreſes abiurare, vltricibus flammis traditus fuit. Cumque altero ſui latere ambuſtus horrore ſupplicij pœnitentiam ſimularet, deinde relapſus depoſitâ larvâ, vivus igne conſumptus fuit.

11 Denique plures aliæ ſectæ ex eadem Beguardorum ortæ ſunt poſt idem Concilium: qualis fuit Bertholdi de Borbach, & Turelupinorum, ſeu Cynicorum, de quibus Gaulterius cum Sandero agit loco indicato, & Prateolus verbo *Turelupini*, numero 28. Illæ tamen abſque vllo Concilio fulguritæ, & extinctæ fuerunt à Gregorio XI. Papa circa annum Domini M. CCC.LXXII.

SECTIO SECVNDA.

Alias Sectas, hæreſeſque fuiſſe eodem ſæculo damnatas à Sede Apoſtolica ſub tempus Concilij Viennenſis. Vbi de Templarijs an ab eadem Synodo, an potiùs à Clemente V. abrogati fuerint.

12 DVLCINVS Hæreſiarcha, cuius in ſuperioribus obiter meminimus, homo ſceleſtiſſimus, circa annum M. CCC. IX. incubuit totis viribus ad innovandam & ab Orco ſuſcitandam Fratricellorum Sectam, iam antè ab Apoſtolica Sedem damnatam: cui innumeros pene ſectatores adiunxit, eo verborum artificio ad perſuadendum vtens, vt ad eos in officio continendos, aut deterrendos, opus fuerit Romano Pontifici omnes Eccleſiæ vires adhibere; præſertim cùm ij potiſſimùm auctoritati Sedis Apoſtolicæ bellum indicerent, illamque de medio tollere ſatagerent. Quare Bzovius ad annum M.CCC.X. poſt Prateolum & Gaulterium, inquit: * Ad „ novos ritus nefariaque inſtituta tollenda, „ Clemens V. Pontifex primùm per nun- „ cios, nefandi facti auctores, & peſtiferæ „ ſectæ magiſtros, & diſſeminatores admo- „ nuit: Item gravius increpare cœpit, & „ propoſitis diris exeerationibus ad ſanita- „ tem reducere conatus eſt: vt ſcilicet reli- „ ctis propudioſis ſacris Romano Pontifi- „ ci ſe obnoxios, & deditioſos profiteren- „ tur. Ingens erat turba, atque eò vecordiæ, „ & temeritatis ventum, vt niſi vi & ar- „ mis coacti, ad reverentiam Romani Pon- „ tificis, Patrumque recta Inſtituta, con- „ verti vix poſſent. Quare iuſſu Pontificis „ ſublata Crux fuit, ad quod ſignum innu- „ merabilis multitudo arma continuò ce- „ pit. Nàm pleriquè omnes Alpini, qui- „ que Padum, ac Ticinum accolunt, Chri- „ ſtianam fidem pollui, nefandoſque ritus „ induci, & maieſtatem Pontificiam viola- „ ri indignè ferebant. * Hæc ille, & plura alia.

13 Similiter Prateolus libro 4. verbo *Dulcinus* numero 17. allegato eam in rem Bernardo Lutzemburgo in Catalo- „ go Hæreticorum, inquit de illo: * Hic „ tam pudendæ, & effrenatæ libidinis ex- „ titit, vt ad ſexmillia vtriuſque ſexus ſub „ charitatis ſpecie cohabitare docuerit, & „ blandiloquentia quadam, atque ſuadela „ impulerit: qui Alpes incolentes in omnem „ luxuriam prolabebantur. Adeò quidem,

„ vt hæc peſtis per duorum, aut trium anno„ rum ſpatium multos corruperit, tanta qui„ dem vi, vt Summus Pontifex Clemens V. „ coactus fuerit Ordinis Prædicatorum In„ quiſitores illuc mittere, qui hunc Dulei„ num, & ſuos complices, à tam nefario ſce„ lere, aut revocarent, aut diligenti, & accura„ ta diſquiſitione facta ad eum referrent, num „ ita res haberet, vt compluribus nuntijs in„ audierat. Qui vbi redierunt, & retuliſſent, „ quæ viderant, & audierant, adverſus tan„ tam impietatem Cruciata ab eodem Sum„ mo Pontifice indicta fuit; indulgentię pro„ mulgatæ, quas conſequerentur, qui ſe præ„ lio contra tam nefandos homines accinge„ rent: & exinde collectus, & illuc miſſus „ exercitus cum Apoſtolico Legato. Qui tam „ alacri, & repentino bello eos partim inedia, „ & frigore, partim armis oppreſſerunt, vt „ Dulcinus cum Margarita vxore ſua itidem „ hæretica, & maxima pars huius ſceleratæ „ factionis capti fuerint. Qui priùs membra„ tim conciſi, ad poſtremū exuſti ſunt, & in „ cineres redacti.* Ita ille. Quare Sedes Apoſtolica eos hæreticos non ſolùm cenſuris, ſed etiam armorum vi profligavit. Nec tamen ſic extingui potuit ſecta illa. nam in Tridentinis montibus, vbi initium habuerat, eius reliquiæ permanſerunt. Nec tamen ad eas funditus extirpandas quiſquam prudens in animum induxit, Generali Concilio opus eſſe.

14 Hoc loco diſſerendum breviter de multiplici hæreſe adſcripta Templarijs militibus, qui pariter à Clemente V. Papa & Concilio ipſo Viennenſi damnati & extincti communiter dicuntur, citatis in eum ſcopum Clementina de Summa Trinitat. & cap. *Ad noſtrum* de Hæreticis, cuius verba paulo antè exſcripſimus. Quin & plerique Auctores moderni de ijs ſcribentes, veluti rem exploratam tradere videntur, illos decreto Viennenſis Concilij extinctos fuiſſe, ob hæreſes & ſcelera graviſsima, de quibus accuſati fuerant.

15 Verumtamen præcipui ſaltem eorum quatuor annis ante congregatum Concilium Generale Viennenſe in Iudicium vocati, examinati, & damnati, deinde fuerunt, curante imprimis Philippo Pulchro Galliarum Rege, anno Epochæ Chriſtianæ M. CCC. VII. in quo rem ipſam geſtam teſtatur Petavius, in Chronologia omnium, qui ante ipſum ſcripſerunt, facilè Princeps. Vide ipſum in Rationario ad eum annum, vbi id palam teſtatur hiſce verbis: *Huius decreto* (loquitur de Clemente V.) *damnati Templarij, deque ijs ab Philippo Rege ſumptum ſupplicium anno* 1307. *& eorum fortunæ partim Hoſpitarijs, vt vocant, adiudicatæ; partim in Fiſcum relatæ.* Idipſum refert Spondanus in continuatione Baronij, cum alijs ſcriptoribus eiuſdem ferè temporis ad eundem annum: in quo etiam conſtat, plurimos alios ex Templarijs per varias Nationes diſperſos, admonitis ea de re per nuntios 17. Kalendas Novembris, vt habet Zurita lib. 2. Indicis, ipſorum Regibus à Philippo Pulchro (ſeu zelo iuſtitiæ & Religionis, vt ipſe teſtatur in litteris ad Clementem V. ſeu æſtu avaritiæ, vt alij malunt) pariter comprehenſos & extinctos fuiſſe, ob horribilia ſcelera, nefandam turpitudinem, & varias hæreſes ijs adſcriptas, & multorum teſtimonijs comprobatas. At verò Iacobus Maguntinus, Nauclerus, Sabellicus, Boccatius (allegato in id patre ſuo qui ſupplicij ipſorum teſtis fuit) Trithemius, & alij quam plurimi, quibus videtur accedere Sanct. Antoninus 3. parte Hiſtoriæ ſuæ cap. 21. arbitrantur, eos immeritò damnatos fuiſſe, & vltimo ſupplicio iniquè addictos: eiuſque iniuſtitiæ originem, avaritiæ Philippi Pulchri Regis adſcribunt. quem præterea reprehenſum fuiſſe à Clemente V. anno eodem 1307. quòd propria auctoritate Templarios, cùm Religioſi eſſent, conieciſſet in carcerem, & bona eorum apprehendiſſet, idem Spondanus ibidem num. 14. ex veteribus monumentis teſtatur. Qui & præterea ſtragem illam, cum ijs omnibus, quæ præceſſerunt, & ſubinde ſequuta ſunt, ſatis accuratè ennarrat, tum eo anno, tum ſequenti 1311. Alij verò multi è contrà volunt, pleroſque ſaltem illorum tam horrendo ſupplicio dignos fuiſſe ob immania ſcelera, & abominandas hæreſes tam diligenter examinatas, & comprobatas teſtimonijs plurimorum: nec putari debere, vel Clementem V. vel omnes ipſius Legatos, & Inquiſitores per totum Orbem Chriſtianum diſperſos, vel tandem Generalem Synodum Vienenſem, tot Patribus Theologis, & Iuriſperitis graviſsimis conſtantem, ſubijſſe errorem aliquem in illa tam gravi controverſia & quæſtione facti. Itaque non ſolùm volunt, ſententiam in Templarios latam fuiſſe iuſtam ſecundùm allegata, & probata; ſed etiam attentis illorum ſceleribus, quæ tantò ſupplicio digna fuerint. Vide poſt alios, Cabaſſutium in Notitia Eccleſiaſt. circa idem Co ncil. pag. 487

16 Vt vt ſit (neque enim noſtrum eſt iudicium ferre de ea re, iuxta multorum opinionem generali & vltimo omnium mortaliū iudicio reſervatā) id certum videtur ante annum 1311. quo coactum fuit Concilium Ge-

Generale Viennenſe, Templarios cum hæreſibus ſibi adſcriptis, vltimo iudicio damnatos fuiſſe poſt rem accuratiſsimè examinatam à Clemente V. per Legatos ſuos & Inquiſitores. Quare damnatio & extinctio Ordinis illius in Concilio Viennenſi ſequuta videtur fuiſſe ſolemnior quædam declaratio ſententiæ Pontificiæ, quæ iam præceſſerat. Quin & obſervanda ſunt verba Spondani ad eundem annum num. 6. vbi ait ex teſtimonio Continuatoris hiſtoriæ Martini Poloni, eodem tempore ſcribentis, Clementem V. anno ſequenti, nimirum 1312. menſe Martio, vndecimo Kalendas Aprilis *IN PRIVATO CONSISTORIO ORDINEM TEMPLARIORVM ABOLEVISSE, ET ANTIQVASSE, perſonis & bonis diſpoſitioni ſuæ & Eccleſiæ reſervatis. Sequenti verò menſe Aprilis, SECVNDA SYNODI SESSIONE (tertio Nonas dies Lunæ poſt Quaſimodo habita) promulgatam eſſe prædictam Ordinis abolitionem & abrogationem, ſacro approbante Concilio factam: NON TAMEN, vt in ea dicitur, PER MODVM DIFFINIVÆ SENTENTIÆ, cùm ea ſuper hoc ſecundùm inquiſitiones & proceſſus ſuper his habitos non poſſet ferri de iure: SED PER VIAM PROVISIONIS SEV ORDINATIONIS APOSTOLICÆ.*

17 Itaque Templarij imprimis cum hæreſibus ſibi adſcriptis, ſecundùm allegata & probata, ritè iam damnati fuerant à Sede Apoſtolicà per Legatos & Inquiſitores ſuos & traditi brachio ſæculari aliquot annis ante Concilium illud Generale. quod & reliqui ferè Hiſtoriici teſtantur. Deinde extinctio ſeu abolitio eiuſdem Ordinis generatim fuit ab eodem Pontifice Clemente V. facta, idque *in Conſiſtorio priuato*, habito die 22. Martij; non autem in Concilio Generali & publico. Denique poſtea Seſsione 2. eiuſdem Synodi habita menſe Aprilis ſequentis, eadem abrogatio ſeu extinctio Ordinis illius facta fuit; non per modum definitivæ ſententiæ, quæ iam præceſſerat circa plurimos Templariorum antea vltimo ſupplicio traditos iuxta formam iuris, ſed *per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ*; quæ planè ad ſolùm Pontificem attinet: vt propterea approbatio Concilij Viennenſis non fuerit requiſita ad illius valorem, ſed dumtaxat ad maiorem ſolemnitatem. Itaque idipſum dicendum de hæreſibus, quorum poſtulati & iuridicè convicti fuiſſe dicuntur plerique Templariorum; damnatas fuiſſe primùm auctoritate Apoſtoſtolica per Legatos ipſius, & deinde ab ipſo Clemente V. Pontifice, cuius iudicium, per ſe ratum ac firmum, poſtea maioris ſolemnitatis gratia à Synodo Viennenſi confirmatum fuerit. Id verò diſcriminis eſt inter Templarios, & hæreſes iis adſcriptas: quòd in harum condemnatione, vtpote ad ius ſpectante, Pontifex definiens è cathedra, nec ſolus, nec intra Synodum errare potuerit: circa Templarios verò ipſos, an reverà in eos errores, & alia plura graviſsima ſcelera prolapſi fuerint, prout teſtes depoſuerunt, potuerit falli, cùm ſit quæſtio ſolius facti. Verior tamen longè videtur ſententia eorum, qui nequidem in hoc Pontificem aut Synodum erraſſe volunt: cùm cauſa Templariorum diligentiſsimè examinata fuerit vbique terrarum, & plerique eorum deprehenſi ſint iis flagitiis execrandis inſorduiſſe, quamvis plurimi etiam innocentes inventi legantur, in quos proinde mitiùs & benigniùs actum fuit.

SECTIO TERTIA.

Excurritur per varias hæreſes poſteriores Concilio Generali Viennenſi, damnatas à Romanis Pontificibus extra Synodum, tota Eccleſia illorum definitiones excipiente, veluti certas ſecundùm fidem. Quædam obiter obſervata circa Clerum Gallicanum illius temporis & noſtri.

18 VENIAMVS Ad alias hæreſes eiuſdem ſæculi, poſt dictum Concilium Viennenſe adinventas, quæ ſine vlla Synodo Generali à Pontificibus Romanis definitiva ſententia damnatæ, & æterno ſilentio traditæ ſunt. Secta Lolhardorum emerſit in Germania circa annũ M.CCC.XV. id eſt, quatuor poſt Viennenſe Concilium annis, inſtituta à quodam Lolhardo Vvaltero, & partim conſarcinata ex erroribus Petrobruſsianorum, Vvaldenſium, Henricianorum, & Albigenſium; partim ex proprijs ac peculiaribus. Inter hoc poſteriores memorantur I. Quòd Lucifer cùm ſocijs iniuſtè è cœlo deturbatus fuerit, & ſit tandem aliquando cum iis in beatitudinem recipiendus. II. Quòd S. Michael, & Angeli eius ſectatores, æternis ſupplicijs ſint deputandi. III. Quòd Beatiſsima Virgo ſtatim à partu virgo eſſe deſierit. alioqui enim non hominem peperiſſet, ſed Angelum. IV. Quòd ſcelera, quæ ſub terram perpetrantur, fugiant oculos Dei, vel ſaltem vltrice manus. Quapropter ſpe impunitatis turpitudines ſuas

in ſubterraneis locis exercebant. Cumque ex ijs puella quædam Gliſla nomine à iudicibus proiecta in ipſos ignes interrogaretur, an eſſet virgo; reſpondit, *Super terram virgo ſum, non ſub terra.* Quibus verbis eam perfidiam ſapientiæ & iuſtitiæ divinæ contrariam, pertinaciter tuebatur. Lolhardus autem eius ſectæ inſtitutor ſexennio pòſt, nimirum circa annum M.CCC.XXI. Coloniæ Igni traditus fuit, tempore Ioannis XXII. Papæ, qui nullo coacto Concilio hæreſes ab eo inductas, tum alijs ſectarijs communes, tum peculiares, è medio abſtulit. Vide noſtrum Genebrardum in Chronico ad id tempus, Sanderum de viſibili Monarchia Hæreſi 163. Gaulterium Sæculo XIV. cap. 7.

19 Ioannes de Poliaco, Doctor Pariſienſis, ſub idem tempus, nimirum circa annum M.CCC.XIII. ſub eodem Papa Ioanne XXII. Ludovico Bavaro imperante, triplicem errorem circa confeſsionem Sacramentalem tradidit I. Irritam eſſe confeſsionem factam Sacerdotibus Ordinum Mendicantium, & proinde ex neceſsitate repetendam. II. Stante Canone, *Omnis vtriuſque ſexus, &c.* nec Summum Pontificem, immo nec ipſum Deum diſpenſare poſſe cum Parochianis, vt confiteantur alteri, quàm proprio Parocho: quoniam in eò implicaretur contradictio. III. Quòd nec Papa, nec Deus quidem poſsit cuiquam Sacerdoti concedere poteſtatem generalem excipiendi confeſsiones: ac proinde quemlibet illi confeſſum adſtringi ad confeſsionem cum Parocho proprio iterandam. Has verò propoſitiones tantopere derogantes ſummæ potentiæ divinæ, & auctoritati Romanæ Sedis, nulla coactâ Synodo damnavit idem Ioannes XXII. edita Bulla extravagante, *Vas electionis* de Hæreticis in Sexto. Vide Sanderum hæreſi 164. Prateolum libro 9. verbo *Ioannes de Poliaco* num. 26.

20 Eodem Pontifice Eccleſiam gubernante vixit Petrus de Cugnerijs Procurator Generalis Senatus Pariſienſis, vel potiùs Conſiliarius, vt alij malunt: qui præſente Philippo Valeſio Rege, ac Prælatis & Baronibus Galliæ, propoſuit 66. articulos contrarios iuriſdictioni & libertati Eccleſiaſticæ, eóſque palam tuendos ſuſcepit, & inſtitit vt ad praxim redigerentur. Verùm Cardinalis Bertrandus, Epiſcopus Auguſtodunenſis, ſumma vir doctrina & auctoritate, qui fortè aderat, extempore occurrit erudita & eleganti oratione, oſtenditque, iuriſdictionem & libertatem Eccleſiaſticam eſſe iure naturali & divino ſtatutam in ipſo Evangelio, nec ſolùm poſitivo humano innixam: & adeò manifeſtè Cugnerium ipſum erroris convicit, vt inde perpetuam infamiam reportaverit, teſtibus Genebrardo & Gaulterio, nobilibus eiuſdem Galliæ ſcriptoribus. Addit poſterior ex Ijs, eius notæ Cugnerio inuſtæ ſupereſſe adhuc veſtigia in ridendo quodam ſimulachro informi & ſimo, quod ad angulum chori B.V. Mariæ Pariſienſis poſitum, obvius quilibet pugnis & cultellis impetit; quod & ipſi erectum infamiæ causâ Genebrardus conteſtatur: vt omnium poſterorum ludibria ſubeat. Quin & nomen ipſum Petri de Cugnerijs propterea tráſijſſe in irriſionis & opprobrij nomen, veluti alicuius hominis deliri aut fatui. nam aliquē huius generis Galli vulgò vocant *Maiſtre Pierre de Cugner.* Quare Ioannes XXII. nullo Concilio opus habuit ad errores Illius confutandos, qui per infamiam in ipſa diſputatione cum Bertrando Cardinali illatam auctori ſtatim evanuerunt.

21 Obſervent, quæſo, hæc quicumque ex Illuſtriſs. Galliarum Præſulibus verè, & non in ſpeciem ſolùm, amant Glorioſiſsimum Regem Ludovicum XIV. & ſtudeant, inſtar Bertrandi Cardinalis, Epiſcopi Auguſtodunenſis, iuriſdictionem ac libertatem Eccleſiaſticam tueri palam contra quoslibet ex Conſiliarijs Regijs Cugnerium imitantes. Certè ex huiuſmodi conſtantia (vt SS. D. N. Innocentius XI. obſervat in quadã Epiſt. ſupra Diſp. XI. exſcripta) potiùs ſperare poſſent ampliſsimum honorẽ apud Ludovicum XIV. quã timere dedecus: quemadmodum in ſimili cauſa orans Bertrandus coram Philippo Valeſio victor & glorioſus è conſpectu Regio diſceſſit. Fortè præter maximos Senatus Regij libelliones, & Conſultos primæ notæ, non deerunt in eo rabulæ forenſes, & captatores, qui inſectantes adhuc libertatem & iuriſdictionẽ Eccleſiaſticam, præſertim Romani Pontificis, aliud ſimulachrum à parte altera chori Pariſienſis B Mariæ promereantur: vt quiſquã eorum apud poſteros audiat, *Maiſtre Pierre de Cugner.* Sed & obſervandum maximè eſt, ſub idem tempus anno M.CCC. XXIX. habitum fuiſſe Pariſijs Concilium à Prælatis Galliæ pro libertate & iuriſdictione Eccleſiæ: quorum præcipui fuerunt Bertrandus ipſe, Guillelmus de Brucia Bituricenſis, Auſcenſis, Turonenſis, & Rhotomagenſis. Eodẽ anno coactũ fuit Compendienſe in eadem Gallia die Veneris ante exaltationẽ S. Crucis, cõtra impediẽtes libertatem Eccleſiarum, præſide Guillelmo de Tria Archiepiſcopo Rhemenſi. Vtrumque Conciliũ affert noviſsima editio Labbeana. Sic Clerus Galliarũ eo ſęculo pugnabat pro libertate & iuriſdictione Eccleſiaſtica.

Quid autem hodie faciat, iam ſatis obſervatum fuit ſuprà Diſp. XI. Vide infrà à num. 34. plura ex laudato Bertrando.

22 Sub idem tempus Michael de Ceſena, & Guillelmus de Okam, tradiderunt, Chriſtum D. & Apoſtolos, ac veros imitatores, nihil habuiſſe ſuum, nec peculiariter, nec communiter. Hanc doctrinam idem Ioannes XXII. Papa damnavit, & extra omne Concilium declaravit hæreticam, vt legere eſt in Extravaganti *Cùm inter* de verborum ſignific. in Sexto: nec tamen propterea eius auctores hæreticos haberi voluit: vti ſæpe aliàs factum eum ijs qui ſine pertinacia errarunt. Quod autem aliqui contendunt, Nicolaum IV. Papam definijſſe oppoſitum, fruſtrà eſt. nam inter vtriuſque Pontificis definitiones nullam prorſus contradictionem eſſe, oſtendit palam Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 14. & nos in progreſſu aliquid libabimus. Sanè eam Okami doctrinam iure notatam fuiſſe conſtat ex Sancto Antonino 4. parte Summæ titulo 12. cap. 4. 5. 23. & 3. part. Chronici titulo 24 cap. 9. 5. 15. vt omittam Veteres Patres, & in ijs Bedam lib. 4. in Lucam cap. 54.

23 Nonnulli olim docuerant; nec pauci eodem ſæculo in ea opinione erant, vt animæ hominum iuſtorum, quamvis ſufficienter purgatę à ſordibus quas ex hac mortali vita contraxerant, non videant divinam eſſentiam vſque ad generalis iudicij diem: cæteris è contra affirmantibus. Huic controverſiæ dirimendæ Eccleſia non cenſuit opus eſſe cógregandi Generale Concilium. Quare Benedictus XII. Papa, aliàs XI. electus anno M.CCC.XXXIV. illam definivit per Epiſtolam Decretalem, in qua declarat, animas ſufficienter purgatas clara Dei viſione frui. Quod ſtatim à tota Eccleſia, veluti doctrina Catholica, receptum fuit. Deinde Clemens VI. qui clavũ Eccleſiæ tenuit ab anno M. CCC.XLI. alia Epiſt. Decretali damnavit ſectam Flagelantium memoratam Diſp. præced. ediditque præterea celeberrimam aliam Extravagantem *Vnigenitus* de Pœnitentijs & remiſsionibus, in qua definivit quamlibet guttam ſanguinis Chriſti propter vnionem ad Verbum eſſe infiniti valoris; ideoque non eſſe quòd aliquis timeat theſaurum Eccleſiæ per conceſsionem Indulgentiarum eſſe exhauriendum. Quæ pariter definitio, quamvis extra Conciliũ prolata, ſtatim à tota Eccleſia recepta fuit, veluti certa ſecundùm fidem.

24 Inclinante iam eodem ſæculo circa annum M.CCCLX. ſub Carolo IV. Imperatore, & Innocentio VI. Summo Pontifice, prodijt hæreſis Richali Armacani, natione Hiberni; infenſiſsimi hoſtis Religionis S. Fràciſci. Docebat enim turpe eſſe viro Chriſtiano vltro & ſponte amplecti ſtatum mendicitatis. Aſſerebat præterea, abſente Epiſcopo, poſſe Sacerdotes inferiores obire munia Epiſcopalia: veluti, conſecrare Altaria, oleum & chriſma benedicere, & conferre ſacros Ordines. Nemo tamẽ cenſuit opus eſſe Synodo Generali ad extirpandum eos errores, qui ſtatim Pontificia auctoritate damnati fuerunt. Secũdus autem illorum proſcriptus fuit in Hiſpania in Concilio Hiſpalenſi II. cuius decretum in eum ſcopum affert Caſtro libro 13. verbo *Sacerdotium* hæreſi 5. & Salleles Regula CCLXXXIII.

25 Nicolaus Calaber ſub idem tempus varias hæreſes evomuit memoratas ab Eymerico 2. p. Directorij q. 11. & à Bzovio ad annum M.CCC.LIX. num 7. Erat natione Calaber, ſed Barcinone errores diſſeminabat. I. Gondiſalvum quendam oriundum ex Diœceſi Lonxenſi (qui erat inſignis Hæreſiarcha) licèt videretur patrem & matrem in terris habuiſſe, reverà eſſe Dei filium ex æternitate in cœlo genitum. II. Gondiſalvum ipſum nunquam moriturum. III. Spiritum ſanctum futuris temporibus carnem aſſumpturum: eoque facto mundum convertendum iri prædicatione Gondiſalvi. IV. eundem in die Iudicij orantẽ liberaturũ à pœnis omnes damnatos. Mitto alia hominis deliramenta. Porrò ille ſine vllo Synodi interventu ab Inquiſitoribus Apoſtolicis, & nominatim ab ipſo Eymerico, convictus, & nolens deponere errores; traditus fuit Magiſtratui ſæculari, & veluti relapſus, igne demum extinctus fuit.

29 Eiuſdem Innocentij VI. tempore ſuas hæreſes procudit Ioannes Vvicleff, Profeſſor ſæcularis in Academia Oxonienſi, & prodromus impijſsimæ Vvicleffitarum ſectæ, quæ poſtea plurimùm graſſata fuit, præſertim in Bohemia, & duravit vſque ad tempus Martini V. Papæ, qui Pontificatum geſsit ſæculo ſequenti. Porrò errores ab illo & ſequacibus traditi, fuere plurimi. Quadraginta quinque illorum refert Prateolus libro 9. Elenchi verbo *Ioannes Vvicleffus*. Bzovius, & Gaulterius, cum Caſtro alios ſexdecim addunt. Omnes numero ſexaginta & vnum collegit Salleles libro 3. Regula CC. LXXXIV. vbi videri poſſunt. Ex iis omnes, qui vivente ipſo prodierant, delati fuerunt ad Gregorium XI. Papam: qui eos perlectos damnavit per litteras miſſas ad Archiepiſcopum Cantuarienſem Angliæ Primatem, & Epiſcopum Londinenſem, quibus iniunxit, vt Vvicleff m

ipſum comprehenderent, & examinarent, an verè illos errores tradidiſſent, quos hæreticales eſſe nullum dubium appareret. Præſules ij examine facto dumtaxat ſilentium indixere Vvicleffo & ſequacibus. qui tamen paulo poſt virus ipſum evomuere. Quapropter idem Gregorius XI. Bullam aculeatam edidit, & miniſterio Magiſtri Edmundi Stafford miſsit ad Doctores eiuſdem Academiæ Oxonienſis, increpans eos ob deſidiam, qua tandiu toleraverant opiniones erroneas Vvicleffi, quem diſcipulum Antichriſti cognominat; quin fuiſſet in iis, qui ferrum Catholicæ doctrinæ aſſumere laboraret ad extirpandam tam peſtiferæ plantationis radicem. Vide totam Bullā apud Bzovium ad annum 1359. & pariter litteras paulo antè memoratas eiuſdem Gregorij XI. in quibus præterea exoravit Regem Angliæ Eduardum, vt faveret duobus Præſulibus, Cantuarienſi, & Londinenſi, ad comprimendū illum Hæreſiarcham & gregales. Neque quiſquam ex Catholicis eo tempore arbitratus invenitur, opus fuiſſe Concilio præſertim Generali, ad eas peſtes errorū ritè atque vltimo iudicio damnādas: ſed ſat viſum quòd Gregorius XI. poſt debitū examen illas ex cathedra cum auctore ipſarū ſub nota hæreſis proſcripſiſſet.

27 At, inquies, Eduardus Rex non annuit precibus Pontificis, nec inſectatus fuit Vvicleffum; ſed potiùs connivere viſus eſt, vt errores ſuos diſſeminaret. Reſpondeo, ea fuiſſe præludia Anglicanæ defectionis à Catholica fide. Etenim, teſtante Polydoro Virgilio lib. 19. Hiſtoriæ eius nationis, inter plura alia quæ effutiebat impijſsimus ille nebulo, vnum fuit, res ac bona Eccleſiæ ſub dominio Regum & Principum ſæcularium eſſe, nulla habita ratione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Quod intelligebat gratum dictu fore Eduardo Regi, quemadmodum & Deceſſoribus ipſius in eodem Regno, præſertim Vvillelmo Ruffo, & duobus Henricis, ſæculo vndecimo & duodecimo, cordi fuerat invaſio bonorum Eccleſiæ, & ſacrarum inveſtiturarum. Nihil itaque mirum ſi Eduardo eiuſdem avaritiæ atque ambitionis hæredi, ſicuti & dignitatis Regiæ, non diſpliceret impietas Vvicleffi in ea parte, quā deprimebat Eccleſiaſticā libertatem, & ſacra munia ac iura ſæculari poteſtati ſubijciebat. Quin & fortaſſe inde ortum fuit, vt Profeſſores Academiæ Oxonienſis remiſsè admodum ſe gererent cum Vvicleffo ipſo, adhuc poſt Bullam memoratam Gregorij VI. à Nuncio Apoſtolico exhibitam. Quòd enim aliquandiu in pendulo hæſerint, an illam exciperent, an potiùs cum dedecore refutarent, vt Hiſtorici teſtantur; videtur ortum fuiſſe ex ſtudio placendi Eduardo Regi, & captandi gratiā ipſius inhiantis iuribus & bonis Eccleſiæ. Nimirum defectio publica ab obedientia Romanæ Eccleſiæ, invaſio aperta, & omnimoda iuriū & bonorum quorumlibet ſacrorum, & tandem totius Angliæ Apoſtaſia à fide, quæ futura tandē erat tempore impijſsimi Henrici VIII. & ſequentiū Angliæ Regum, iam ijs præludijs parabantur. Non ſubitò devenitur ad ſumma. Eſt gradatio quædam ſcelerum, non in perſonis ſolùm, ſed in Regnis quoque, antequam ruant in vltimum malorum, & impietatem extremam. Sed poſtea, quamvis ægrè, admiſſa fuiſſe videtur Bulla Gregorij XI. in Anglia, eiuſque definitiones contra Vvicleffum receptæ: ſiquidem ipſe timens capiti ſuo, aut dedecori, inde in Bohemiam ſe recepit, iam tunc aliqua hæreſis labe infectam, vt liberè ibi errores ſuos diſſeminaret, neminemque contradictorem experiretur. Conſule ſis laudatū Polydorū de his omnibus loco indicato, niſi quòd aliquid ex ipſo ad præcedentem narrationem comprobandam exſcribere oporteat.

28 * Extitere, inquit, hoc tempore alij qui viri infamia inſigniti, quorum caput, & princeps fuit Ioannes Vvicleffus. Is (vt fama eſt) à primo indignatus, quòd non potuiſſet ad ſummos Sacerdotalis Ordinis aſcendere honores, factus inde Sacerdotibus cunctis inimicior, cœpit divina ſcripta perversè interpretari, atque novam inſtituere ſectā, vſque eò, vt in nobili Oxonienſi Gymnaſio publicè ſit in Sacerdotes, quaſi legis everſores eſſent, debacchatus. Et vt impunè tantum facinoris, fautore pariter atque audacia armatus faceret, Regi antè omnes ſummum in cunctos Ordinis Præfectos imperium tribuit. Præterea homo nocendi cupidus, certum habens non facilè viros doctos veneno infici, vtpotè, qui rationes admittant, cogitavit imperitum vulgus in ſuam imprimis ſectam ſibi trahendum, quòd illud ſoleat pertinaciùs, id quod ſemel imbuerit, modis omnibus retinere. Non contentus itaque impleviſſe codices latinè ſcriptos de ſua hæreſi, etiam ex illis commentarios patria lingua conſcriptos fecit, atque protinus edidit, vt etiam agreſtes maleficæ ſuperſtitionis peritos redderet. Ad extremum homo nimiùm confidens, cùm rationibus veris cogeretur ad bonam redire frugem, tantum abfuit, vt pareret, vt etiam maluerit voluntarium petere exilium, quàm mutare ſententiam: qui ad Bohemos, nonnulla hæreſi antea inquinatos, profectus, à rudi gente magno in pretio habitus, eos in ea remanere ſententia, hortatus eſt, vt Ordini Sacerdotali patū honoris, & ad Ro-

ma-

manum Pontificem nullum reſpectum haberet. Hucuſque Polydorus, ex cuius verbis colliguntur pleraque nuper à nobis dicta.

29 Cùm verò Vvicleffus in Bohemia peſtes hæreſeon ſuarum longè ac latè diſſeminaſſet, & tandem impiiſſimæ vitæ periodum clauſiſſet; tranſactis pluribus annis ab eius obitu, Concilium Conſtantienſe, habito priùs diligenti examine impœnitentiæ finalis, & proterviæ, denuo ipſum declaravit hæreticum Seſſione VIII. & oſſa, ſi quoquo modo poſſent ab alijs diſcerni, iuſsit exhumari, & proijci extra Eccleſiam, quam ille tam imprudenter fuerat inſectatus. Itaque nihil novum in hac re definivit Conſtantienſis Synodus: ſed ſolùm cum aliqua maiori ſolemnitate publicavit definitionem ipſam, quam pluribus retro annis contra hæreſes Vvicleffi tulerat Gregorius XI. Papa extra omne Concilium, tota Eccleſia ſubſcribente, & iudicio Sedis Apoſtolicæ plenum mentis obſequium exhibente. Denique poſtea anno M.CCC.LXXXII. Londini in Anglia celebratum fuit Concilium à Guillelmo Archiepiſco Cantuarienſi adverſus eundem Vvicleffum, eiuſque errores: quod ab Vrbano VI. Papa tunc regente Cathedram S. Petri confirmatum fuit; ac proinde certam prorſus & irrefragabilem auctoritatem obtinuit. Illud affert Labbè in noviſsima Conciliorum editione. vt omittam aliud poſtea anno M.CCC.XCVI. coactum à Thoma Arondellio Archiep. Cantuarienſi Londini pariter coactum in eundem Hæreſiarcham, quod pariter extat in laudata editione.

SECTIO QVARTA.

Exſcribuntur teſtimonia præcipuorum Patrum & Theologorum eiuſdem ſæculi quartidecimi, vnanimiter agnoſcentium in Sede Apoſtolica auctoritatem ſupremam iudicandi & finiendi controverſias fidei.

30 AVGVSTINVS Triumphus, aliàs de Ancona, de quo plura Bellarminus & Labbeus tractantes de Scriptoribus Eccleſiaſticis, initio eius ſæculi florebat inter Auguſtinianos inſigni pietatis ac doctrinæ opinione: & vixit vſque ad annum M.CCC.XXVIII. Inter alia verò opuſcula, quæ ſcripſit, librum edidit inſcriptum, *Summa de Poteſtate Eccleſiæ*: in quo ſæpe; quam hactenus docuimus, aſſerit Romano Pontifici auctoritatẽ. Etenim, vt plura alia loca omittã, in Epiſtola nuncupatoria eius Operis ad Ioannem XXII. Papam ait: *Error eſt pertinaci mente non credere Romanum Pontificem Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem, Petri Succeſſorem, & Chriſti legitimum Vicarium, ſupra ſpiritualia & temporalia legitimũ non habere Primatum.* Si autem Romanus Pontifex in dirimendis fidei controverſijs errare poſſet, corrigique ab Eccleſia, vel à Concilio Generali non haberet legitimum in ſpiritualia Primatum, ſed hic vnicè reſideret in reliqua Eccleſia, vel Concilio. Deinde q. 6.
„ art. 1. ratione 2. inquit: * Solus Papa dicitur
„ eſſe Vicarius Dei, quia ſolùm quod ligatur,
„ vel ſolvitur per eum, habetur ſolutum &
„ ligatum per ipſum Deum. Sententia igitur
„ Papæ, & ſententia Dei, vna ſententia eſt:
„ ſicut vna ſententia eſt Papæ, & Auditoris
„ eius. Cùm igitur appellatio ſemper fiat à
„ minori Iudice ad Superiorem, ſicut nullus
„ eſt maior ſe ipſo, ita nulla appellatio tenet
„ facta à Papa ad Deum: quia vnum Conſi-
„ ſtorium eſt ipſius Papæ, & ipſius Dei: cuius
„ Conſiſtorij Claviger & Oſtiarius eſt ipſe
„ Papa. Nullus ergo poteſt appellare à Papa
„ ad Deum, ſicut nullus poteſt intrare ad Cõ-
„ ſiſtorium Dei, niſi mediante Papa, qui eſt
„ æternæ vitæ Conſiſtorij Claviger & Oſtia-
„ rius. Et ſicut nullus poteſt appellare ad ſe
„ ipſum: ita nullus poteſt appellare à Papa ad
„ Deum, quia vna ſententia eſt, & vna Curia
„ Dei & Papæ. * Hactenus ille. Sententia autẽ Dei nulli errori obnoxia eſt, nec ab ea ad quamquam alium appellari poteſt. Cùm igitur ſententia Dei & Papæ iudicantis ex cathedra ſit vna & eadẽ, vt laudatus Auctor docet; ſententia Papæ nulli obnoxia eſt errori, neque ab ea ad quemquã aliũ appellari poteſt. Deinde: omnis appellatio eſt ab inferiori iudice ad ſuperiorem. Papa autem quatenus vnã ferens cum Deo ſententiã, nullum alium iudicẽ ſuperiorẽ habet. Non ergo à ſententia Papæ vllus eſt appellationi locus. Idem clariùs adhuc infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ in ſuis definitionibus circa quæſtiones fidei tradit q. 10. dicens: *Ad ipſum Papam ſimiliter ſpectat implicita & occulta in fide pro temporum & ætatũ congruentia explicare & declarare; vt quod inferiores Eccleſiæ filij credebant; poſtmodum publicè & explicitè confiteantur: Et hoc, vel propter alicuius hæreſis inſurgentis extirpationẽ, aut propter ipſorummet fidelium in fide augmentationem.* Et q. 17. art. 3. *ECCLESIA MINIME ERRARE POTEST, ET POTISSIME ROMANA, QVÆ NVLLIS HÆRESIBVS VNQVAM SVCCVBVIT.* Quæ verò paulo antè ex eodẽ Auctore diximus de ſententia Pontificis Romani, nulli errori abnoxia; ſaltẽ aut præcipuè accipi debent de ſententia Papæ circa ius, ſive quod perinde eſt, circa doctrinam ge-

neralem in fide aut moribus. Nam in ſententia quæ verſatur circa factum, poſſe Papam errare, & nonnunquam Pontifices erraſſe, nemo dubitat. At ne tunc quidem appellatio eſſe poteſt, niſi ad ipſum meliùs informatum, vt aiunt, & monet S. Ivo Carnotenſis Epiſtola 83. quoniam nullum omnino in terra ſuperiorem habet.

31 Durandus de S. Portiano, inſignis & præſtantiſsimus Theologus ſui ævi (cuius cathedra in hac inſigni Academia nobis à Regio Senatu commiſſa fuit anno M.DC.LXXXI. poſt alias Scoti,& S.Thomę ſuperioribus annis obtentas, quæ iuxta ſtatuta Scholæ inferiorem locum habent) initio eiuſdem ſæculi iam florebat, & circa annum M.CCC.XX. ſenex obijt. Is porrò in 4. diſt. 24. quæſt. 5. eandem doctrinam confirmat hiſce verbis: * Poteſtas iuriſdictionis, quæ eſt ad regendam populum, *TOTA ET IN SVO FONTE DATA FVIT SOLI PETRO ET SVCCESSORIBVS EIVS*, quando cura Eccleſiæ ipſi fuit commiſſa, dicente Domino Ioannis vltimo capite: Paſce oves meas. Hoc enim nulli aliorum Apoſtolorum dictum eſt, nec tunc, nec antè, nec pòſt. Ergo talem poteſtatem plenā & perfectam habet ſolùm Succeſſor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quaſi Pater Patrum. In alijs autem non eſt, niſi derivata & limitata, prout Papæ placet. Et paulò pòſt: Supra autem ſimplices Sacerdotes ſunt Epiſcopi, qui habent Iuriſdictionē ordinariam ſuper totam Diœceſim. Super hos autem ſunt Archiepiſcopi, qui non ſolùm habent iuriſdictionem in ſua Diœceſi, ſed ſuper totam provinciam in quibuſdam caſibus. Super omnes denique Papa collocatur, penes quem reſidet plenitudo & Primatus huius poteſtatis. Et hoc eſt rationabile: quia optimum regimen vnius multitudinis eſt, quando regitur per vnum ſupremum, à quo deſcendit authoritas regendi in medios & vſque ad infimos. Et propter hoc regimen eſt optima politia ſecundùm Philoſophum ſecundo libro Politicorum: Sed regimen ſanctæ Eccleſiæ eſt optimè à Chriſto inſtitutum: Ergo in tota Eccleſia debet eſſe vnus Vniverſalis Rector, à quo deſcendat authoritas regendi in medios vſque ad rectores infimos: & hic eſt Papa. Et propter hoc ſtat vnitas Eccleſiæ, quòd omnia membra ſunt ſub vno Capite: qua de cauſa illi qui hanc poteſtatem negant, ſchiſmatici dicuntur, quaſi vnitatis Eccleſię diviſores * Quomodo autē eſſe, aut intelligi poteſt *TOTA ET IN SVO FONTE* poteſtas iuriſdictionis data ſoli Petro, eiuſque Succeſſoribus; niſi clandar in ſe auctoritatem docendi, definiendi, & obligandi fideles omnes ad credendum, quacumque oborta controverſia circa fidem aut mores? Sine hac enim auctoritate poteſtas illa nec tota in ſuo fonte, nec plena eſſet, ſed mutila & imperfecta. Deinde nec regimen Eccleſiæ eſſet optimum politiæ genus, ſive Monarchicum, nec Papa Vniverſalis & Supremus, Eccleſiæ Rector, ſi ab eius definitionibus præſertim in materia fidei, quæ eſt ſumma rerum, locus eſſet appellationi ad Concilium Oecumenicum, vt Gerſo & alij pauci dicere auſi ſunt.

32 Ludolphus Carthuſianus in Vita Chriſti parte 2. cap. 1. loquens de præclara illa S.Petri confeſsione, quæ habetur Math. 16. v. 16. inquit: * Reſpondit Petrus pro ſe & pro alijs: quia omnes vnum ſciebant, & vnum ſentiebant: licèt alij Apoſtoli etiam ſcirent, iſte tamen tanquam ſenior, ac princeps & Caput aliorum, *FIT OS TOTIVS COLLEGII*, ac præ omnibus & pro omnibus reſpondit, qui omnibus præeſſe & prodeſſe debuit. *EX QVO PATET QVOD PRÆCIPVE AD PETRI SVCCESSOREM PERTINET CERTIFICATIO DVBITATIONVM DE FIDE, ET PERTINENTIBVS AD EANDEM*. Et infrà: Deinde Claves Regni Cœlorum ſe Petro daturum Dominus promiſsit: ſed tunc non dedit: quia ſi ſtatim dediſſet nunquam in Petro pravitas confeſsionis, vel error negationis locum inveniſſet. Et paulò pòſt ex Beda: Claves autem ei non modò dantur, ſed promittuntur: nec dum enim fabricatæ ſunt ſuper incudem Crucis: nec in eo ſanguine temperatæ. Ego quoque earum miniſterio, cùm in actu perfectionis fuerint, adhuc in ardentis Paſsionis fornace, primò latroni & homicidæ aperiam ianuam Paradiſi: vt & tu in eo exemplo publicanos & meretrices intrare permittas. Tu enim ſuper eos iudicium exercebis, qui confitebuntur culpam & expectabunt pœnam. Et ideò habebis ordinariam iuriſdictionem, & iudiciariam poteſtatem: ad quod duo requiruntur; authoritas cognoſcendi, vel arbitrandi de culpa, & poteſtas abſolvendi, vel etiam iudicandi: quæ duo ſub nomine Clavium tibi dabo. Hæc ille ex Beda. Et poſtea: Specialiter eam poteſtatem Dominus Petro conceſsit, vt ad vnitatem nos invitaret. Ideò enim eum Principem Apoſtolorum conſtituit, vt Eccleſia vnum principaliter Chriſti haberet Vicarium, ad quem di-

„ diverſa membra Eccleſiæ recurrerent, ſi „ fortè inter ſe diſſentirent. Quòd ſi diver- „ ſa Capita eſſent in Eccleſia vnitatis vincu- „ lum rumperetur. * Hucuſque Ludolphus, non ſolùm perſpicuè tradens, ſed etiam multipliciter & ſolidè probans auctoritatem ſolius Petri, & ſubinde Succeſſorum ipſius in cathedra Sedis Apoſtolicæ, *ad certificationem dubiorum de fide, & pertinentibus ad eandem*: ſimiliter ad diverſa membra Eccleſiæ in vnum ſenſum colligenda, & vnienda quoties circa res fidei diſſentire contigerit.

33 Petrus Paludanus, natione Burgundio, in 4. diſt. 24. quæſt. 6. ſimiliter ferè ac Durandus ſuprà, idipſum tradit, inquiens: *Poteſtas iuriſdictionis, quæ ad regendum populum TOTA IN SVO FONTE DATA FVIT SOLI PETRO, ET IN EO SVCCESSORIBVS EIVS, quando cura Eccleſiæ ſibi ſoli commiſſa fuit, dicente Domino Ioannis 21. v. 17. PASCE OVES MEAS: Hoc nulli aliorum dictum fuit, nec nunc, nec antè, nec poſt. ERGO TALEM POTESTATEM PLENAM AC PERFECTAM HABET SOLVS SVCCESSOR PETRI, qui ob hoc PAPA dicitur, quaſi Pater Patrum.* Vide quæ ſuprà obſervavimus num. 31. poſt exſcripta verba Durandi, ne idem repetere cogamur.

34 Denique illuſtria eiuſdem veritatis teſtimonia habemus apud Cardinalem Bertrandum, Epiſcopum Auguſtodunenſem in Gallia, ſuprà num 20. & 21. laudatum, virum ſanè doctiſsimum: tum in libro de Iuriſdictionibus Eccleſiaſticis contra Petrum de Cugnerijs: tum præterea in Tractatu de Origine & vſu Iuriſdictionum, hoc eſt, de Poteſtate ſpirituali & temporali quæſt. 2. vbi ex divinis litteris palam colligit, datam fuiſſe Petro & Succeſſoribus eius à Chriſto immediatè poteſtatem pleniſsimam ſimul cum regimine Vniverſalis Eccleſiæ: vtpote quod ſine illa conſiſtere non poſſet. Et quæſt. 3. cùm præmiſiſſet, inter Chriſtianos eſſe duplicem poteſtatem; alteram temporalem ſive ſæcularẽ, alteram ſpiritualem ſive Eccleſiaſticã; ſubdit: *Vtraque eſt à Deo ſecundùm modum in præcedentibus expoſitum; & ideò vtrique poteſtati ſubſunt Chriſtiani, ſed differenter: quia poteſtati temporali vel ſæculari ſubſunt Chriſtiani, quia inter Chriſtianos poteſt eſſe, & eſt, & fuit poteſtas illa legitima; ſed ſolùm vt cives: Poteſtati autem ſpirituali & Eccleſiaſticæ ſubſunt, vt Chriſtiani & Fideles. Viri & mulieres, Clerici, & Laici, Reges & Principes, ſubſunt Iuriſdictioni ſpirituali & Eccleſiaſticæ. Et cùm prædictam Iuriſdictionem habeat Papa, ſine limitatione loci & perſonarum; ideò omnes Chriſtiani, vbicumque ſint, debent ei obedire: cæteris verò Prælatis, Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & Patriarchis, in territorijs ſeu Diœceſibus ſibi commiſsis, tenentur obedire omnes Chriſtiani manentes in eis.* Hinc autem conſequens eſt, vt ſi Pontifex ſecundùm poteſtatem pleniſsimam ſibi à Chriſto commiſſam definiat ex cathedra aliquam veritatem, veluti ſpectantem ad fidem, & præcipiat illam vbique tradi ac doceri; omnes prorſus Chriſtiani, nullo habito diſcrimine loci aut perſonarũ, teneantur ipſi aſſenſũ præſtare & obedire. Pergit laudatus Auctor: *Chriſtus commiſit Beato Petro iura cæleſtis Imperij & terreni: & qui hoc privilegium Romanæ Eccleſiæ detrahit, in hæreſim labitur, & hæreticus eſt dicendus.* Vide quomodo Præſul ille Eccleſiæ Gallicanæ, & Cardinalis doctiſsimus Romanæ Eccleſiæ, graviſsima hæreſeos nota inurat negantes Romano Pontifici iura terreni Imperij, & per conſequens poteſtatem in Regna, ſaltem indirectam: quam tamen nuperus Clerus Gallicanus in Declaratione edita 19. Martij huius anni 1682 palam negat. Quin & de ſtudio Regum & Regni Franciæ eouſque erga libertatem Eccleſiæ ſubdit non multò poſt: *In Regno Franciæ Chriſtianiſsimo, in quo Reges fuerunt Eccleſiæ devoti, à principio quo fuerunt Chriſtiani, Eccleſia liberiùs vſa eſt iure ſuo; & tantò liberiùs, quantò plus appropinquat Sedi Regni.* An autem hodie Eccleſia Gallicana libera ſit, eiuſque libertati conſulatur eodem ſtudio à Chriſtianiſsimo Rege, & præſulibus Galliarum, ac tempore Bertrandi; ſatis vidimus Diſput. XI. ſectione 5. & ſequentibus. Sed hæc obiter indicata fuerint. nam impræſenti ſolùm curæ fuit ſtabilire auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ad definiendum de fide, & exprimendum mentis obſequium ab omni homine Chriſtiano.

(?)

DISPVTATIO XV.

AN FVERIT IDEM SENSVS ET PRAXIS Eccleſiæ Sæculo XV. ac in præcedentibus, circa auctoritatem Papæ nulli errori obnoxiam.

Vbi plura obiter tanguntur circa tria Concilia Generalia, Conſtantienſe, Baſileenſe, & Florentinum, eo ſæculo celebrata, in ordine ad Poteſtatem Papæ, & Concilij, contra nuperam Declarationem Illuſtriſsimi Cleri Gallicani nomine editam.

1. *HACTENVS Oſtenſum fuit diuturno ſæculorum quatuordecim decurſu, nihil certius, ſicut nec antiquius, Catholicis omnibus fuiſſe, quam auctoritatem ſupremam Apoſtolicæ Sedis ad finiendum quaslibet controverſias de rebus fidei, iudicio vltimo & irreformabili. Nunc ingredimur iam periculoſa tẽpora. Nimirum, occurrit nobis Sæculum XV. quod ferreum quoddammodo appellare fas ſit: tum ob diuturnum illud Schiſma Eccleſiæ in tria Capita tot annis diviſæ: tum ob hæreſes peſtilentiſsimas in eo graſſantes, quæ viam ſtruxere alijs tetrioribus ac virulentioribus Lutheri, Caluini, & ſimilium peſtium Sæculi XVI. ſequentis, quarum prodromi fuere Vuicleffus & Huſsius: tum denique ob vocatam in dubium ab aliquibus Catholicis Doctoribus, occaſione prædicti Schiſmatis, auctoritatem prædictam Romanorum Pontificum, vſque firmiter in Eccleſia creditam, & communiter traditam; ſimiliterque poteſtatem Papæ ſupra Concilium. Verùm adhuc in medio tot malorum eandem veritatem permanſiſſe inconcuſſam, patebit ex dicendis. In quibus certè occurrent multa circa tria Concilia Generalia eodem Sæculo celebrata, & præcipuè circa Conſtantienſe, cui nunc innititur Declaratio Cleri Gallicani ad minuendam aut extenuendam poteſtatem Sedis Apoſtolicæ.*

SECTIO PRIMA.

Hæreſes Vuicleffi & Ioannis de Huſs fuiſſe proſcriptas à Sede Apoſtolica priuſquam damnarentur in Concilio Generali Conſtantienſi: huius verò iudicium contra illas non fuiſſe prorſus irreformabile, donec à Martino V. Papa confirmatum fuit.

2. PRIMVS Hæreſiarcha eius ſæculi communiter cenſetur fuiſſe Ioannes Huſs, genere Bohemus. Hic circa annum M.CD.VII. poſtquam aliè imbiberat impiam Vvaldenſium & Vvicleffiſtarum doctrinam, in ſuperioribus memoratam, & toties à Sede Apoſtolica fulguritam, non ſolùm illam tueri, & longè ac latè diſſeminare auſus fuit; ſed etiam plures alios errores addidit, & diſſeminavit, vſque adeò; vt teſte Ænea Sylvio, Scriptore eius temporis (qui poſtea fuit Pontifex Pius II.) in Opere de Origine Bohemorum cap. 35. omnes pene Bohemos infecerit. Cùm verò libri ab eo ſcripti, & hæreſibus pleni, fuiſſent plurimùm evulgati, atque in pretio habiti, præſertim Pragæ; Archiepiſcopus eius vrbis Sbinco appellatus, vir magni nominis & auctoritatis, ducenta circiter exemplaria illorum colligenda curavit, eaque igni tradidit, & vetuit vt Ioannes Huſs deinceps conciones ad populum haberet. Quare ille, relicta Praga, confugit ad oppidum Huſſinetz, vnde oriundus erat, & ibidem ex Toparchæ permiſsione ad vſum prædicandi rediens, magnæ auditorum multitudini, peſtem ſuorum dogmatum indidit. Cùm autem virulentiorem eius partem in Eccleſiam, Pontificem Romanum, Epiſcopos, Sacerdotes, & quoslibet demum ſacros homines evomeret, frequenter iactare ſolebat, *ſe eiuſmodi colaphum Romanæ Eccleſiæ impacturam, vt livorem eius, ne poſt centum quidem annos aboleret.*

3. Cùm verò indies audentior fieret, res delata fuit ad Alexandrum V. qui electus in Seſsione XIX. Concilij Piſani, anno 1409. Pontificatum inijt à die 26. Iunij vſque ad 3. Maij anni ſequentis, & illum Romæ comparere iuſsit. Sed cùm impius Hæreſiarcha nollet obedire, aut excuſationes obten-

tenderet, Pontifex Bullam ſcripſit ad Archiep. Pragenſem, duo iniungens: alterum, ne quenquam prorſus hominem ſineret prædicare aut docere publicè vel occultè articulos Vvicleffi: alterum, vt adſcitis quatuor Magiſtris in Theologia, & duobus Doctoribus in Iure Canonico, diligenter examinare faceret, quiſnam ea impia dogmata traderet; & quemlibet de eo ſcelere convictum, declararet hæreticum. Verùm Ioannes Huſs nihilo melior factus, ſed quotidie obſtinatior, pluribus obiectis in eandem Bullam, & potiſsimùm, eſſe factis ac verbis Chriſti Apoſtolorumque contrarium, quod ſibi in ea præcipiebatur, frivolè ab ea Papam ipſum appellavit. Alexander verò cùm decem ſolùm menſibus, & octo diebus tranſactis ab electione ſui, humana poſuiſſet; non potuit nebulonem illum acriùs perſtringere. Quare Ioannes XXIII. aliàs XXI. dictus antea Balthaſar Coſſa, creatus Pontifex Bononiæ die 17. Maij anno 1410. ſtuduit frænare eundem Hæreſiarcham: & tandem compertis hæreſibus ipſius, tum peculiaribus, tum ab Vvicleffo mutuatis, habuit Romæ Concilium anno 1413. adverſus vtrumque, & quoslibet eorum ſequaces: & ipſo anno aliud Londini in ſcopum eundem celebratum fuit ab Henrico Chichelcio Archiep. Cantuarienſe. Vtrumque id Concilium habes in editione Labbeana: nam in cæteris deſiderantur ambo. Itaque hæreſes adinventæ à Ioanne Huſs primò omnium iudicatæ & damnatæ fuerunt à Sede Apoſtolica, ſive à Pontifice Romano, probabiliter credito, qualis erat Balthaſar Coſſa, antequam Concilium Generale Conſtantienſe celebraretur. Neque enim in aſperrimis illis temporibus, & diuturno ſchiſmate Eccleſiæ, vllum erat invenire Papam certum omnino & exploratum. Quod ſufficit ad ſcopum nobis in hoc Tractatu præfixum, de auctoritate Sedis Apoſtolicæ ad finiendum quaslibet controverſias fidei extra Concilium Generale.

4 Eo autem congregato apud Conſtantiam anno 1414. & quatuor ſequentibus, Sigiſmundus Imperator curavit vt Ioannes de Huſs coràm ſe ſiſteret, rationem ſuæ doctrinę redditurus, datis ipſi litteris ſecuritatis. Verùm ille neſcius Imperatorij edicti, & impunitatis oblatæ, Conſtantiam ſe contulit, & eidem Synodo adfuit, ad manifeſtandum, vt aiebat, ſe inſontem eſſe, & ab omni hæreſeos nota liberum. Sed inita cum eo diſputatione à viris doctiſsimis, præſertim à Stephano Paletz, inſigni Theologo, ſtatim ferè deprehenſus & convictus fuit de multiplici hæreſe. Cùmque nollet reſipiſcere, nec acquieſcere exhortationibus multorum Concilij Patrum, nec ipſius Imperatoris Sigiſmundi, tandem Seſsione XV. habita die. ſexto Iulij anno 1415. à tota Synodo, veluti hæreticus pertinax Curiæ ſæculari traditus, & vivus igne conſumptus fuit. In eadem verò Seſsione lecti publicè fuerunt omnes articuli erronei amborum Hæreſiarcharum, Ioannis Vvicleffi, qui iam diu perierat, & Ioannis de Huſs: qui omnes extant in Actis einſdem Seſsionis, ſicuti & ſententia Concilij adverſus poſteriorem ex ijs lata, quæ certè obſervatu digna eſt, nec tamen hoc loci exſcribenda, cùm ad manum cuique ſit in obvijs editionibus eiuſdem Concilij. Solùm obiter notare iuvat, cùm impius ille interpoſuiſſet appellationem ad Chriſtum Dominum, omiſsis Eccleſiaſticis medijs, vt perſiſteret in ſuorum errorum defenſione; Patres, inter plura alia, hæc contra illum protuliſſe: *Propter præmiſſa, & alia plura, præfatum Ioannem de Huſz hæreticum fuiſſe & eſſe hac Sancta Synodus pronunciat, & tanquam hæreticum iudicandum & condemnandum fore iudicat & condemnat per præſentes: dictamque appellationem, tanquam iniurioſam, & ſcandaloſam & illuſoriam iuriſdictionis Eccleſiaſticæ reprobando.* Deinde ſingillatim referuntur & configuntur omnes peculiares errores ipſius, præter illos communes cum Vvicleffo, qui iam notati fuerant.

5 Eodém anno 1415. die 23. Septembris, Seſſ. XIX. eiuſdem Concilij, Hieronymus de Praga, qui poſtulatus fuerat de hæreſi, & propterea carceri addictus, cùm dixiſſet ſe abiurare velle errores, ambonem conſcendit, recitavitque publicè è papyro profeſsionem fidei, & abiurationem, prout habetur ibidem. Verùm cùm poſtea ad vomitum rediſſet, pertinaciterque tueretur errores Vvicleffi, & Huſsij; anno ſequenti 1416. die 30. Maij, Seſsione XXIV. ſententia totius Synodi in ipſum, veluti hæreticum pertinacem, lata eſt, & ipſe traditus poteſtati ſæculari, pariter ac Ioannes de Huſs, quem per omnia ſequebatur, vivicomburio perfidiæ ſuæ pœnas luit. Extat ſententia ipſa in eâdem Seſsione.

6 Vt verò redeamus ad inſtitutum & ſcopum huius Operis, notandum imprimis eſt, omnes hæreſes Vvicleffi, quæ in eo Concilio Generali damnantur, iam antea ritè à Sede Apoſtolica damnatas fuiſſe, vt vidimus Diſp. XIV. ſect. 3. à num. 26. Quapropter in Concilio Conſtantienſi ſolùm fuit edita quędam maior ſolemnitas damnationis. Idem ferè dicendum de erroribus peculiaribus Ioannis de Huſs, qui antea notati fuerant ab Alexandro V. & Ioanne XXIII. Pontificibus,

vt

vt vidimus num. 3. Quare non videtur ea Synodus aliquid novi definiſſe ad fidē ſpectans contra vtrumque Hæreſiarcham; ſed dumtaxat ſolemniùs publicaſſe quod ij Pontifices iam antè definierant.

7 At, dices, ij Pontifices explorati non fuerunt, ſed dubij; vtpote electi tempore illius diuturni ſchiſmatis, quod multis retro annis incœperat. Reſpondeo, Pontifices illos titulo probabili dignitatis Papalis munitos, & magnam totius Eccleſiæ partem pro ſe habentes, iudicaſſe & damnaſſe errores vtriuſque Hæreſiarchæ. quo remedio nullum aliud maius ſupererat eo tempore adverſus hæreſes graſſantes, cùm tota Eccleſia in tres factiones diviſa eſſet. Ne autem dicamus, Deū reliquiſſe illam tot annis ante Concilium Conſtantienſe ſine vllo ſufficienti præſidio adverſus hæreſes emergentes; videtur aſſerendum, definitiones illas bona fide editas ab vtroque Pontifice, proceſsiſſe ex auctoritate ſufficienti, vt poſtea à Synodo exciperentur, præſertim cùm propoſitiones per eos damnatæ eſſent abſdubiò erroneæ & hæreticæ.

8 Verùm fingamus, definitiones eorum Pontificū vacillaſſe quodammodo eouſque; ob auctoritatem eorum dubiam, aut non exploratam. An non dici ferè idipſum poterit de definitione ipſa Synodi Conſtantienſis contra errores Vvicleffi & Huſſij quoadvſque per Martinum V. legitimum Papam electum anno 1418. die 11. Novembris confirmata fuit? Nimirum ambo cum ſuis dogmatibus damnati fuere anno 1415. die 6 Iulij, Seſsione XV. quo tempore certè ex tribus factionibus, ſeu Obedientijs (ſic enim dicebantur) non aderat Concilio illa, quæ Benedicti XIII. partes ſequebatur, eratque admodum numeroſa, præſertim in Hiſpania. Neque enim eouſque vel S. Vincentius Ferrerius, vel Reges Aragoniæ, alijque innumeri, illum deſeruerant. Deficiente autem vna ex tribus præcipuis Eccleſiæ partibus, & contrà annitente, non videtur fuiſſe adhuc in ea Synodo auctoritatem omnino exploratam ad definiendum aliquid de fide iudicio prorſus irreformabili, donec definitio ipſa confirmaretur à Pontifice Romano ritè & indubiè electo, qualis fuit triennio poſt Martinus V deſerta iam omninò cauſa Petri de Luna, cum paucis quibuſdam ſolùm reſiſtente, & propterea iuſtè anathematizato. Quapropter idem Martinus poſtea recens electus, ad tribuendum robur inconcuſſum definitionibus præcedentibus eiuſdem Synodi, doctrinam in ijs traditam circa fidem auctoritate Apoſtolica confirmavit.

9 Nimirum Martinus V. poſtquam ritè electus fuerat, cùm ante diſſolutionem Concilij Conſtantienſis, iuxta Seſsionem ipſius XXXIX. deſignaſſet locum alterius futuri Concilij, rogatus fuit de confirmandis decretis Conſtantiæ editis. Reſpondit verò, tum verbo, tum poſtea per Advocatum Concilij, ſe omnia & ſingula eius decreta in materia fidei Conciliariter edita, tenere, & inviolabiliter obſervare velle, & non aliter, nec alio modò. Etenim in primis Seſsione XLV. habita 22. Aprilis M.CD.XVIII. Ambaſſiatores Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lithuaniæ, rogaverunt Papam, vt in Seſsione publica ante diſſolutionem Concilij pronuntiaret publicè damnatum, tanquam *crudeliſsimos errores & hæreſes continentem*, libellum quendam Fr. Ioannis Falkemberg, iam antea examinatum & reprobatum per deputatos in cauſa fidei, ac etiam per omnes Nationes Cōcilij, ac per Collegium Cardinalium concluſum. prout conſtabat ex publicis inſtrumentis. Alioquin proteſtabantur nomine ſuorum Principum de gravamine, & de appellando futurum Concilium. *Quibus ſic factis* (verba ſunt Actorum dictæ Seſsionis) *Sanctiſsimus Dominus noſter Papa dixit reſpondendo ad prædicta, quòd omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materijs fidei per præſens Concilium conciliariter, tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contraire quoquo modo. IPSAQVE SIC CONCILIARITER FACTA APPROBAT ET RATIFICAT, ET NON ALITER, NEQVE ALIO MODO. Et illud idem iteratò fecit dici per organum domini Auguſtini de Piſis Fiſcalis, & ſacri Conſiſtorij Aduocati prædicti, qui nomine Papæ a Protonotarijs, & Notarijs ad ſcribendum acta Concilij ordinatis, & deputatis, petijt inſtrumenta publica fieri.* Itaque Martinus V. ritē electus & conſecratus Pontifex, Seſsione XLV. coram Patribus eius Concilij Generalis iuridicè *confirmavit, & ratificavit* omnia, quæ in illo *Conciliariter* definita fuerant circa fidem, non verò alia quælibet in eo decreta. Vnde videtur colligi, etiam definitiones circa fidei controverſias, & damnationem variarum hæreſeon in ea Synodo proſcriptarum, non habuiſſe omnimodam auctoritatem, nec vim iudicij prorſus irreformabilis, donec acceſsit confirmatio & ratihabitio Sedis Apoſtolicæ, ſive Romani Pontificis, ad quem ſolùm ſpectat vltimò terminare controverſias fidei.

10 Et certè, adhuc in Concilijs Oecumenicis ritè congregatis iuſſu Pontificis

cis Romani, quidquid definitur circa controverſias fidei non cenſetur prorſus irreformabile, ſeu habens ſummam certitudinem, donec à Sede Apoſtolicâ confirmetur: vt conſtabit ex progreſſu. Ergo multò minùs definitiones Concilij Conſtantienſis eam ſummam certitudinem habuiſſe cenſendæ ſunt, donec à Romano Pontifice confirmarentur. Nimirum, id Concilium toto eo tempore quo edidit definitiones circa fidem, id eſt; quando damnavit hæreſes Vvicleffi & Huſsij Seſs. XV. non erat tam certæ & exploratæ auctoritatis, ac quodlibet aliud Concilium Generale auctoritate Papæ ritè coactum: non modò quia tunc nullus erat certus Pontifex; ſed etiam quia ex tribus præcipuis Eccleſię partibus, ſeu Obedientijs, vt aiebant; deerat vna admodum numeroſa, & repugnabat eidem Concilio. Quapropter quamvis iuſtè & prudenter damnaverit eas hęreſes (præſertim iam antè proſcriptas ab Alexandro V. & Ioanne XXIII. probabili titulo regentibus Cathedram S. Petri) non tamen videtur eius iudicium per ſe ac ſeorſim fuiſſe prorſus irreformabile, donec poſtea à Martino V. ſolemniter confirmatum fuit.

SECTIO SECVNDA.

Celebre argumentum Aduerſariorum ex auctoritate quadam eiuſdem Concilij deſumptum, quam enerve ſit, & nullius momenti; contra infallibilitatem definitionum Papæ, eiuſque poteſtatem ſupra Concilium.

11 OPPONVNT Adverſarij (id eſt, quicumque negant Romano Pontifici definienti ex cathedra ſeorſim ac per ſe, iudicium irreformabile in rebus fidei) & præſertim Illuſtriſsimi Galliarum Præſules Lutetiæ congregati in Declaratione edita 19. Martij hoc anno 1682. auctoritatem illam celebrem eiuſdem Concilij Conſtantienſis Seſs. IV. aientis: *Generale hoc ipſum Concilium legitimè in Spiritu ſancto congregatum pro extirpatione præſentis Schiſmatis poteſtatem a Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus vel dignitatis, ETIAMSI PAPALIS exiſteret, obedire tenetur IN HIS QVÆ PERTINENT AD FIDEM, ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS, &c.* Quibus verbis evinci videtur, tum Concilium Generale habere poteſtatem ſupra Papam; tum præterea auctoritatem prorſus infallibilem ad definiendum fidei controverſias, cui Pontifex ipſe teneatur exhibere mentis obſequium. Vnde & conſequens deinum videtur, auctoritatem Summi Pontificis in definiendo non eſſe ſupremam, nec prorſus infallibilem; ſed potiùs inferiorem Concilio Generali, eiuſque correctioni ſubiacere. Idem habetur Seſs. V. ad verbum.

12 Sed enim quàm multa peccent, qui hoc arundineo fulchro nituntur, ſive vt convellant auctoritatem infallibilem Apoſtolicæ Sedis, ſive vt Pontificem Romanum ſubijciant Concilio Generali, iam multi, & gravisſimi Scriptores tàm apertè oſtenderunt, mirum vt ſit non pudere Adverſarios eo vti. Paucis itaque rem expediam, alijs relictis, aut opportuniori loco ſervatis. Imprimis, cùm ea Seſsio IV. habita fuit; nimirum die 30. Martij 1415. ac deinde cùm Seſsio V. celebratur die 6. Aprilis eiuſdem anni, nondum erat Concilium Generale ritè coactum, quidquid contrà aſſerant Patres Conſtantienſes. Quippe ex tribus Eccleſię partibus pręcipuis, ſive Obedientijs, ſola tunc intererat, quæ ſpectabat ad Ioannem XXIII. reliquis duabus Synodo adverſantibus, idque titulo probabili duorum aliorum Pontificum, quorum iura tuebantur. Quomodo ergo tunc poterat eſſe Synodus Generalis ritè coacta, aut aliquid circa fidem definire vltimò, & irreformabili iudicio? *Deinde*, in ea definitione qualicumque non eſt ſermo de omni Generali Concilio; ſed de illo Conſtantienſi ſolùm: quod planè denotat pro nomen illud demoſtrativum, *hoc ipſum Generale Concilium*; in vtraque ea Seſsione repetitum, & inſuper particula: *Hæc ſancta Synodus*: atque vlteriùs demonſtrativa illa: *Ipſa Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata.* Deinde, nec loquitur in ordine ad quodlibet tempus; ſed ad illud determinatum in quo Schiſma graſſabatur. Id enim apertè oſtendit particula, *pro extirpatione præſentis Schiſmatis*; ac deinceps: *Ad extirpationem dicti Schiſmatis.* Nec denique ſermo eſt in ordine ad Papam certum & exploratum, ſed incertum, & dubium, quales erant tunc tres Pontifices prętenſi. Dato autem quòd in ijs circunſtantijs peculiaribus, & quæ rarò in Eccleſia contingunt, aliquod Concilium Generale ſit ſupra Papam dubium, posſitque compellere illum ad obediẽdum in rebus fidei, & ad renunciandum iure incerto ad Pontificatum ſiquod habet; peſsimè, & cõtra omnem ſeveram diſputandi methodum colligitur idipſum de quovis Concilio Generali in ordine ad Papam certum exploratumque. A particulari enim propoſitione, & peculiaribus circunſtantijs indutâ, qualis eſt illa, colligere aliam vniverſalem, puerile piaculum eſt, quod vel tyrones in ſtudio Dialecticæ

ſticæ vitandum ſciunt; vt proinde pudeat rem exemplis oſtendere. *Denique*, Martinus V. noluit poſtea id decretum Seſsionis IV. & V. confirmare, nequis, vel in ſpeciem, inde colligere tentaret, aut Papam legitimum & exploratum eſſe inferiorem Generali Concilio; aut huius definitiones in rebus fidei independenter ab illo habere ſummam certitudinem; aut denique illum poſſe à Concilio deponi. Quin potiùs in ipſa Synodo Conſtantienſi anno primo ſui Pontificatus, 16. Idus Martij ita definivit in oppoſitum: *Tam iure divino, quam etiam humano, quibus ſacrorum Canonum auctoritas innititur, nulli fas eſt à Supremo Iudice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice, IESV-CHRISTI Vicario in terris, appellare, aut illius iudicium IN CAVSIS FIDEI, quæ tanquam maiores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt, declinare.* Quæ definitio palam contradicit illi alteri Concilij Conſtantienſis intellectæ de poteſtati Synodi ſupra Papam omnino certum. Deinde idem Martinus ſolùm confirmavit quæ in ea Synodo decreta & definita fuerant cõtra impia dogmata Vvicleffi & Huſsij: inter quæ nonnulla erant contraria ſupremæ auctoritati Pontificis Romani in totam Eccleſiam, eû plenitudine poteſtatis. Quare Martinus confirmans damnationem eorum dogmatum palam, aſſeruit eam Romani Pontificis auctoritatem poteſtatemque, veluti fide divina certam: quæ quidem vix, aut ne vix quidem cohærere poteſt cum nupera Declaratione Cleri Gallicani ſubijcientis Papam Concilio, etiam in cauſis fidei.

13 Nimirum, non modò Concilium Generale mutilum, quale erat Conſtantienſe dum celebravit Seſsiones illas, verùm nec plenum & ritè coactum, habet poteſtatem ſupra Papam, vel illum deponere poteſt, niſi cùm conſtiterit (quod certè nunquam accidit, nec continget) illum eſſe manifeſtum & pertinacem hæreticum. Tunc enim deſinit eſſe Papa, cùm ſit extra Eccleſiam; & amittit rationem capitis ac membri myſtici ipſius. Quapropter S. Bonifacius Archipræſul Moguntinus, & Martyr (communiter dictus APOSTOLVS GERMANIÆ) ſapienter aiebat: *Huius*, nimirum Romani Pontificis *culpas iſtinc redarguere præſumit mortalium nullus: quia cunctos ipſe iudicaturus, A NEMINE EST IVDICANDVS, NISI DEPREHENDATVR A FIDE DEVIVS.* Referturque in cap. *Si Papa* diſt. 40. Vnde cùm Paſchalis II. Papa ob inveſtituras per vim conceſſas Henrico V. in ſuſpicionem hæreſeos veniſſet, cui illę obnoxiæ credebantur; Goffridus Abbas Vindocinenſis in Gallia id vitium eidem Pontifici exprobravit, colligens non iam eſſe Paſtorem Eccleſiæ, ſed lupum; veluti qui in hæreſim cecidiſſet. quamvis in hoc deceptus fuerit, vt ſuprà vidimus Diſp. XI. ſect. 4. Similiter Patres Concilij Viennenſis in Gallia coacti anno M.CXII. à Guidone eius vrbis Archiepiſcopo, & Legato Sedis Apoſtolicæ (cui interfuere, præter alios, S. Godefridus Ambianẽſis, & S.Hugo Gratiapolitanus, Epiſcopi) iudicantes in laicis inveſtituris eſſe hæreſim manifeſtam, ſcripſerunt ad eundem Paſchalẽ II. aculeato ſtylo vt corrigeret Privilegium illud Henrico datum *ex ſimplicitate*, circa inveſtituras. alioquin ſe receſſuros ab eius obedientia & ſubiectione, veluti qui iam per manifeſtam hæreſim Pontifex eſſe deſineret. Vnde & aiunt: *Si aſſertiones prædictas* (nimirum, in quibus profitebantur, inveſtituram laicam eſſe hęreſim, iuxta definitionem latam à Gregorio VII. Papa, & proinde Privilegiũ per vim conceſſum Henrico fuiſſe iniquum, ac revocandum) *roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus, quia nos a veſtra ſubiectione & obedientia repelletis.* Quoniam tunc cenſebant Paſchalem ipſo iure amiſſurũ dignitatem Papalem. E contrà verò S. Ivo Carnotenſis in Gallia ipſa Epiſcopus, qui cẽſebat Paſchalem in eo facto, vtcumque malè egiſſet, non propterea aliquid fidei adverſum perpetraſſe; vocatus ad id Concilium ire noluit: quoniam reliqui Patres in eo volebant iudicium ferre in Romanum Põtificem, quod nullo modo licet dum non invenitur palam à fide devius. Vnde & inquit: *Non videtur nobis vtile conſilium ad illa Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare, vel iudicare: quia nec noſtro, nec vllius hominum probantur ſubiacere iudicio. Vnde nos conſtat eſſe immunes, ſi eorum facta oris gladio ferire formidamus: cùm ipſe Mediator obedire eis præcipiat; etiamſi tales ſint, quales erant Phariſæi, ſi ea, quæ ad cathedram pertinent, rectè præcipiant, ea verò minimè faciant.* Itaque ſolùm licet Concilio aut Eccleſiæ iudicare ac deponere verum Papam, vbi palam & pertinaciter hæreticus invenitur.

14 Similiter cùm nullus eſt certus Papa, ſed plures dubij (qualiter contingebat tempore Concilij Conſtantienſis, cum ingenti malo Reipubl. Chriſtianæ in illo pertinaci Schiſmate) Synodus Generalis habet auctoritatem præferendi, aut reijciendi quemlibet illorum, vel eligendi alium, prout expedire iudicaverit communi bono Eccleſiæ, ex volun-

lun-

luntate pręſumpta Chriſti Domini, ob neceſſitatem adeò vrgentem aut extremam. Et in hoc ſenſu admitti poteſt, atque intelligendum eſt decretum illud Seſsionis IV. num. 11. exſcriptum. quod meritò obſervat Cardinalis Turrecremata in Summa de Eccleſia lib. 2. cap. 99. plurimique alij poſt ipſum. Quare dubitari non poteſt, Concilium Conſtantienſe, ſaltem poſtquam duæ præcipuæ partes totius Eccleſiæ in tria capita diviſæ convenerãt, auctoritatem habuiſſe ad cogendum Petrum de Luna vt ſe abdicaret qualicumque iure ad Papatum; & renuentem id facere, inurendum notâ ſchiſmatici. quod & præſtitum fuit. Neque enim aliter conſuli poterat Eccleſiæ tandiu extremè laboranti. Extra duos verò caſus prędictos hæreſis in Pontifice, & Schiſmatis in Eccleſia diviſa in plures Papas dubios, nemo prorſus, nec Concilium Generale quidem, habet poteſtatem ſupra Summum Pontificem, præſertim coactivam. Sic quippe olim in vetuſtioribus Concilijs, præſertim in Sinueſſano ſub Marcellino I. & in Romano ſub Symmacho Papa, dictum legimus: PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR. Deinde nullum Concilium Generale ritè convocari aut celebrari, niſi auctoritate Romani Pontificis conſtans eſt Apoſtolicæ Sedis doctrina; pręſertim iuxta Epiſtolam S. Marcelli Papæ & Martyris ad Epiſcopos Antiochenę Provincię, & alteram Iulij I. laudatam à S. Athanaſio Apolog. 2. ad Epiſcopos Orientales, in qua illos reprehendit, quòd abſque conſenſu ſuo Antiochiæ Synodum celebraſſent. Et in Concilio Calcedonenſi Generali Actione I. Dioſcorus Alexandrinus à conſenſu Epiſcoporum extruſus fuit: *Quia ſine auctoritate Apoſtolicæ Sedis Synodum facere auſus eſſet. quod nunquam licuit, nec vnquam factum eſt.* Quin & cap. *Significaſti* de Electionibus citantur verba hæc Paſchalis Papæ ad Archiep. Panormitanum: *Aiunt in Concilijs non reperiri ſtatutum: quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & facta ſint & robur acceperint; & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Sed de hoc vberiùs aliàs.

15 DICES, ſi potuit Synodus Conſtant. deponere Papas dubios iudicio irreformabili; cur non ſimiliter definire controverſias fidei vltimo iudicio? RESPONDEO. Circa definitiones in rebus fidei ſatis conſulebatur neceſsitati Eccleſię per hoc vt Concilium haberet auctoritatem damnandi hæreſes emergentes, quamvis non vltimo iudicio, & irreformabili, ſed dependenti à confirmatione Sedis Apoſtolicæ, cùm primùm electus fuiſſet verus & indubitatus Papa, qualis fuit Martinus V. in caſu quęſtionis. Etenim durante Schiſmate illo, omnes prorſus Chriſtiani, etiam ij, qui incerto titulo contendebant de Pontificatu, tenebantur ſtare doctrinæ definitæ à Concilio Generali: cùm in tota Eccleſia militãte non eſſet tunc alia regula ęqualis auctoritatis ad credendum circa doctrinã controverſam in fide, & eouſque nondum ritè definitam. Itaque ſatis conſulebatur neceſſitati Eccleſię ad tempus ſolùm duranti, & præter communem curſum, per definitiones à Concilio latas, quamvis poſtea ſimpliciter reformari poſſent à Pontifice ritè electo. At verò circa abrogationem dubiorum Pontificum opus erat Eccleſiæ vt Concilium Conſtantienſe haberet auctoritatem omnino certam, & à nullo prorſus infra Deum dependentem, ſicuti & circa electionem novi Pontificis: nam alioqui nullus eſſet terminus Schiſmati, & Eccleſia videretur prorſus deſtituta à Deo, contra pollicitationem illam Chriſti: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Si enim abrogatio trium Pontificum incertorum, & electio alterius, à Concilio factæ fuiſſent ſine explorata auctoritate; à quonam ſub cęlo firmitatem habere poſſent? Certè à nullo. Neque enim Pontifex recèns electus poſſet confirmare, ſeu conciliare ſuæ electioni maiorem fidem, aut auctoritatem, quàm illa initio habuiſſet. Itaque ad extirpãdum radicitus id Schiſma pernicioſiſsimum & inveteratum, Eccleſiæ non ſuppetebat remedium aliud, quàm abrogatio trium Pontificum incertorum, & electio alterius certi atque explorati in eo Generali Concilio. Alia verò ratio eſt definitionum circa fidem, ſive damnationis hęreſeon emergentium, quę non potuit habere rationem iudicij vltimi, ſeu prorſus irreformabilis, donec à Sede Apoſtolica confirmaretur, prout à Martino V. factũ fuiſſe vidimus. Quod & ipſa Synodus agnovit, dum confirmationem decretorum ad fidẽ ſpectantium ab ipſo petitam, quà verbo, quà ſcripto, publicè excepit.

16 Quamvìs autem doctrina hucuſque tradita circa Canonem illum Concilij Conſtantienſis trita admodum ſit, & quæ paſſim tradatur à Theologis, & Iuris Pontificij Profeſſoribus, placet in eius confirmationem adducere verba Scriptoris nuperrimè in media Gallia ſcribentis, non ſine eruditionis & eloquentiæ laude. Is eſt Ioannes Cabaſſutius, Præsbyter Congregationis Oratorij, in Opere inſcripto *Notitia Eccleſiaſtica*, Lugduni edito anno M.DC.LXXX. paulo antequam Clerus Gallicanus Declarationem illam 19.

Martij

Martij 1682. protuliſſet, vel de eâ quidquam cogitaſſet. Porrò ille in Hiſtorica Synopſi Sęculi XIV. pag. 508. hęc habet: * Martinus V.
„ ante Concilij (Conſtantienſis) diſſolutio-
„ nem, iuxta Decretum Seſs. 39. factum pro-
„ ximè futuri Concilij locum civitatem Pa-
„ pienſem deſignavit, ad quam cunctis tem-
„ pore indicto eſſet conveniendum. Rogatus
„ de Concilij decretis confirmandis, reſpon-
„ dit ore proprio, poſteaque per Concilij ad-
„ vocatum iterari iuſsit, ſe omnia, & ſingula
„ Concilij in materia fidei conciliariter de-
„ creta tenere, & inviolabiliter obſervare vel-
„ le, & non aliter nec alio modo. Quam in
„ rem obſerva, noluiſſe Martinum approbare
„ Decretum Seſsionis 4. Conſtantienſis, Con-
„ cilium iſtud poteſtatem habere ſupra Pon-
„ tificem, cui ipſe obedire teneatur, & cogi
„ per pœnas ad hoc poſsit. Quam doctrinam
„ Petrus de Alliaco Cardinalis, & Epiſco-
„ pus Camaracenſis, eiuſque diſcipulus Ioan-
„ nes Gerſon, viva voce in hac Synodo, & ex-
„ tra Synodum ſcriptis propugnarunt. Sed
„ ſi prout oportet intelligantur vnà cum illa
„ 4. huius Concilij Seſsione, definitio illa nō
„ eſt abſolutè ſumenda, ſed ſecundùm præ-
„ ſentem materiam, ac ſubiectum. Pręterquā,
„ quod enim nondum erat Generalis Syno-
„ dus cùm Seſsio illa quarta vertebatur, cùm
„ liquidò conſtet ex tribus EccleſiæObedien-
„ tijs ſolam tunc interfuiſſe Ioannis XXIII.
„ Obedientiam, reliquis duabus Concilio ad-
„ verſantibus; mens præterea Concilij ex ip-
„ ſiuſmet verbis concipienda eſt ſecundùm
„ præſentem ſtatum: *Generale hoc ipſum*
„ *Concilium legitimè in Spiritu ſancto cō-*
„ *gregatum pro extirpatione præſentis*
„ *Schiſmatis, &c.* In his nanque circunſtā-
„ tijs verum eſt Conſtantienſe decretum, vt
„ ſapienter diſputat ſapientiſsimus Cardina-
„ lis Turrecremata, &c. * Deindeque cum ipſo & alijs docet, probatque, Concilium dūtaxat habere poteſtatem ſupra Papam, vbi plures ſunt incerti omnino, aut vbi certus quidem eſt Pontifex, ſed palam & pertinaciter hæreticus. Quare extra eos caſus è contrà Pontifex ſupra Concilium Generale poteſtatem habet, & auctoritatem ad ferendas definitiones fidei vltimo & irreformabili iudicio. Hęc palam in Gallia tradebantur, & in publicam lucem edebantur biennio antequam Clerus Declarationem illam proferret à vero & antiquo ſenſu Gallicanæ Eccleſię alienam.

17 Itaque ex auctoritate illa Concilij Conſtantienſis nullo modo infirmatur vel auctoritas ſuprema & infallibilis Romani Pontificis ad dirimendas fidei controverſias, vel poteſtas ſupra Concilium. Quę duo ampliùs confirmabuntur ſect. ventura.

SECTIO TERTIA.

An eadem auctoritas Romani Pontificis in definiendo, & poteſtas ſupra Concilium, fuerit ritè reiecta in Concilio Generali Baſileenſi eodem ſæculo. Obijcitur aliud argumentum Aduerſariorum inde petitum, & refutatur multipliciter.

18 OPPONVNT Adverſarij teſtimonium aliud ſimile præcedenti, deſumptum ex Concilio Generali Baſileenſi Seſsion. II. §. 3. vbi hęc habentur: *Et primo declarat quòd ipſa Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, Generale Concilium faciens, & Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem immediatè à Chriſto habet, cui quilibet cuiuſcūque dignitatis, ETIAMSI PAPALIS, exiſtat, OBEDIRE TENETVR IN HIS QVÆ PERTINENT AD FIDEM, ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS, &c.* Quæ verba κατὰ πόδας ferè exſcripta ſunt ex Seſs. IV. Concilij Conſtantienſis, §. 2. laudati & confirmati ab eiſdem Patribus. Deinde §. 3. Pontifici nolenti obedire eidem Declarationi coactionem & pœnam indicunt. quod & pluribus alijs Seſsionibus eiuſdem Synodi vſque ad finem acriùs & vehementiùs proſequuntur. Hinc autem effici duo videntur. Primum eſt, auctoritatem Romani Pontificis in definiendo controverſias fidei non eſſe ſupremam & irreformabilem, ſed potiùs ſubordinatam auctoritati Cōcilij Generalis, eiuſque correctioni ſubiectam. Alterum eſt, Papam non eſſe ſupra, ſed infra Concilium, etiam quod vim coactivam: ideoque ab ipſo compelli poſſe ad excipiendum quoſlibet Canones Synodales in rebus fidei & morum.

19 Hęc obiectio eiuſdem farinæ eſt, ac præcedens; immo eadem prorſus, cùm verba illa pariter in vtraque Synodo Conſtantienſi, & Baſileenſi proferantur. Vnde quęcumque diximus ſectione præcedenti ad convellendum primum ac potiſsimum Adverſariorum fundamentum; hoc etiam loco ſedem habere poſſunt. Itaque vt rectum ſenſum habeant verba vtriuſque Concilij (dato quòd ritè, & cum legitima authoritate edita fuiſſent, de quo poſtea) intelligi debent in caſu Schiſmatis, vbi nullus eſt certus Papa, ſed plures dubij aut prorſus incerti; ſimiliterque vbi certus Papa eſſet palam hæreticus: non autem aliàs.

20 Verùm & obſervare oportet prędictam Synodum Generalem Baſileenſem à

Marti-

MartinoV.Papa extremo vitę ſuę anno Chriſti 1431. indictam initio fuiſſe, licet habita ſub Eugenio IV.fuerit.Martinus enim die 20. Februarij eiuſdem anni Romę obijt:Eugenius autē pauló pòſt die 3.Martij electus eſt. In litteris verò, quibus Martinus indicit Conciliū, & Legatum ſuum nominat Iulianum S. R. E. Diaconum Cardinalem, ipſi poteſtatem præſtat palá,vt nomine & auctoritate Sedis Apoſtolicę præſideat,proponat,deliberet,ordinet, ſtatuat,& decernat poſt maturam conſultationem, quæcūque intellexerit expedire ad laudē & honorem Dei, conſervationem & augmentum Religionis,& fidei Chriſtianæ;ſtatū quoque Eccleſiæ, & reformationem Cleri totius, atque Eccleſiaſtici ſtatus in moribus & vita, &c. ac denique de quibuſlibet prædictarū hæreſum, alijque cauſis fidem Catholicam concernentibus,quomodolibet cum conſilio dicti Concilij cognoſcat,aliaque per ſe,vel per aliū, aut alios à ſe deputandos, audiat, decidatque, quin teneatur ea terminare cum pręfato Concilio, vt poſtea patebit.

21 Ex quibus duo colliguntur, maximè in rem noſtram. Alterū eſt totam illam poteſtatem datā Iuliano Cardinali ad præſidendū Concilio Generali, & in eo iudicandum, & definiendum,fuiſſe delegatā nomine & auctoritate Sedis Apoſtolicę, ad quam ſolam id ordinario iure ſpectat. Alterum fuiſſe poteſtatem delegatam ad terminandum quaſlibet cauſas, etiam ad fidem ſpectantes, independenter ab ipſo Concilio. Sed exhibeamus verba ipſius Pontificis in Bulla prędicta : * Dedimus operam efficacē tibi nomine,& auctoritate noſtris,ipſi Concilio præſidendi,ac in illo pro tua ſapientia illa proponendi, deliberandi, ordinandi, ſtatuendi, & decernendi, quæ ad laudem, & honorem Dei, & conſervationem, & augmentum religionis, fidei Chriſtianę, ſtatum Eccleſiæ reformationem quoque totius Cleri, & Eccleſiaſtici ſtatus in moribus & vita, necnon reductionem Orientalis Eccleſię, & quorumlibet aliorum oberrantium ad gremium Eccleſiæ militantis, ac conſervationem Eccleſiaſticæ libertatis, ſalutem quoque, quietem & pacem regnorum, Regum, Ducum, Principum, & quorumlibet fidelium populorum, noveris pertinere; ac etiā cū ibidem debita maturitate, & deliberatione, prout in tanta re convenit,ea omnia proponendi,decernēdi,concludendi,& exequendi,per quæ hęreſes,& errores tam deBohemia,quàm de alijs quibuſcumque regnis, provincijs, terris, & locis,in quibus ſunt,penitus extirpentur. Et nihilominus de pręmiſsis hæreſum, & quibuſcumque alijs cauſis, fidem Catholicam concernentibus,quomodolibet cum conſilio dicti Concilij cognoſcendi,aliaque per te,vel per alium,ſeu alios à te deputádos,audiendi, decidendi,& ſine debito cū præfato Concilio terminandi. Et contradictores quoſlibet, & rebelles,cuiuſcumque ſtatus,gradus,præeminentię,vel conditionis exiſtant,& quavis Eccleſiaſtica, vel mundana, etiamſi regali, vel pontificali præfulgeant dignitate, authoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticá, & alia iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi. *

22 Ex quibus in primis colligitur,etiā vbi Conciliū Generale indicitur iuſſuRomani Pontificis abſentis; poteſtatē ad definiendum controverſias fidei, ſolú eſſe ab ipſo delegatá: vtpotè quæ nihil operetur,niſi nomine, & auctoritateSedis Apoſtolicę.Vnde palā ſequitur, ſolius Pontificis Romani eſſe auctoritatē, ſive poteſtatē ordinariā ad illas definiendas. Quod iam in ſuperioribus oſtenſum fuit ex doctrina Conciliorū aliorum,præſertim GeneralisViēnenſis, Diſp.XIV.ſect.1. Deinde infertur,Martinum V. tum ad exercendam plenitudinem poteſtatis ſibi à Deo commiſſæ, tum præterea ob ſpecialem & exactā notitiam quam habebat inſignis pietatis, doctrinæ, ac prudentiæ Iuliani Cardinalis (vt in ipſa Bulla exprimitur) dediſſe ipſi peculiarē quandā poteſtatem, vt cum debita maturitate & deliberatione, *prout in tanta re convenit*, proponeret, decerneret, concluderet, & exequeretur ea omnia, per quæ hæreſes & errores extirparentur (nimirum, vt ante præmiſſerat,nomine & auctoritate eiuſdemPontificis) Denique & poteſtatē facit eidem Cardinali de hæreſibus, & alijs cauſis, & quibuſcumque alijs cauſis fidem Catholicā concurrentibus,quomodolibet *cum conſilio dicti Concilij cognoſcendi, aliaque per ſe,vel per aliū,aut alios à ſe deputādos audiendi,decidendi,&* (quod maxime mireris) *ſine debito cum præfato Concilio terminandi*: id eſt, vt quamvis deberet conſulere reliquos Patres Concilij,& ipſorum ſuffragia expenderes non tamen teneretur cū ijs terminare prædictas cauſas fidei, & controverſias. Quaſi dicat,poteſtatē terminandi cauſas fidei, quæ iure ordinario competit ſoli Apoſtolicæ Sedi, delegari eidem Iuliano ſoli, tanquam Præſidi Concilij, nomine Sedis Apoſtolicæ.

23 Cùm verò Martius V.eodem an. 22. Februarij,vt ſuprà diximus, deſideriū ſui reliquiſſet,Eugenius IV.qui paucis pòſt diebus renuntiatus fuit Pontifex,edito alioDiplomate, *ſecundo* (forſan pridie) *kalendas Iulij*, ratam in Iuliano eſſe voluit poteſtatē commiſſam à Martino V.vt præſideret *auctoritate Apoſtolica in Concilio Generali, in ciuitate Baſileen-*

leenſi celebrando, & cætera exequeretur, quæ ab eodē Pontifice iniuncta fuerant. Cùque dubitari nequeat, vtriuſq; Pontificis Bullas lectas fuiſſe initio, & cū debita veneratione exceptas à toto Concilio; conſequens eſt, vt Patres in eo congregati agnoverint in ſolo Romano Pontifice, ſive Apoſtolica Sede, auctoritatem ad controverſias fidei terminandas, ſaltem initio Synodi.

24 Iam quod Adverſarij obijciunt, in eodē Concilio Baſileenſi poſtea definitā fuiſſe poteſtatē Concilij Generalis ſupra Papā & huius obligationē ad excipiendum definitiones Concilij in controverſijs fidei; inane eſt. de quo fortaſſe plura opportuniùs proferemus alibi. Nunc dicimus obiter, quāvis id Conciliū initio fuiſſet legitimū, quatenus auctoritate Apoſtolicæ Sedis coactū fuit; poſtea ex multiplici capite transiiſſe in Conciliabulū. Hac enim notā inuſtū fuit poſtea in Concilio Generali Lateranenſi ſub Leone X. Papa, Seſs. XI. vbi appellatur *Conciliabulū ſchiſmaticū, ſeditioſum, & nullius prorſus auctoritatis.* Nimirū, vt omittā plures nullitatis cauſas poſtea attingendas, Eugenius IV. vetuit eius continuationē apud Baſileā, & transferri Ferrariā iuſsit, irrita declarans, quæcumque Baſileæ acta fuiſſent contra Pontificiam auctoritatē, aut de cætero in quavis materia decernerentur. Omnis autē res, per quaſcūque cauſas naſcitur, per eaſdē diſſolvitur, vt iura clamant. Cùm ergo auctoritas congregandi Concilium Baſileenſe eſſet apud ſolā Sedē Apoſtolicā; eiuſdem quoque diſſolvendi, aut alið transferendi, ius apud ipſam fuit. Quare Iulianus Cardinalis, qui initio ab vtroque Pontifice, Martino & Eugenio, auctoritatē delegatam habuerat præſidendi in Concilio Baſileenſi, & terminandi ibidē cauſas fidei, aliaque id genus, vt ſupra vidimus, poſtea illā habere deſijt per revocationē factā ab Eugenio IV. præcipiēte & vrgente ne quidquā aliud decerneretur Baſileæ, ſed Synodus Ferrariā transferretur. Ad hæc, quamvis Iulianus generatim accepiſſet à Martino auctoritatem delegatā ad definiendū in Concilio, non tamen ad definiendū aliquid contra doctrinā Sedis Apoſtolicæ, & expreſſam ipſius Martini. Nimirum, *in generali conceſsione*, inquit regula trita iuris, *non veniunt ea, quæ non creditur quis in ſpecie veroſimiliter conceſſurus.* multò autem minùs, quę creditur palam negaturus. Poteſtas autem Concilij Oecumenici ſupra Papam, quæ ſubobſcurē aut illegitimē definita fuerat in Concilio Conſtantienſi Seſs. IV. palam negata fuit à Martino V. qui propterea doctrinā eius Seſsionis confirmare noluit. Quin potiùs occaſione appellationis Polonorū in ipſo Concilio anno 1. ſui Pontificatus 16. Idus Martij ita definivit: *Tam iure diuino, quam etiam humano, quibus ſacrorum Canonum auctoritas innititur, nulli fas eſt à Supremo Iudice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice, IESV-CHRISTI Vicario in terris, appellare, aut illius iudiciū in cauſis fidei, quæ tanquam maiores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam referendæ ſunt, declinare.* Itaque, vt ad ſcopū redeamus, Iulianus in ea conceſsione generalī nullam accipit poteſtatem ad definiendam poteſtatem Concilij ſupra Papam.

25 Et hoc dixerim, dato quòd Iulianus adfuiſſet Concilio Baſileenſi cùm ea Seſs. II. habita fuit, ſubijciens Papam Concilio. Reverà autem ibi non aderat Iulianus Legatus Pontificis, omneſque præcipui Epiſcopi diſceſſerant: Cardinalis verò Arelatenſis ſibi munus præſidendi aſſumpſerat. Cumque Epiſcopi pauciſsimi eſſent, ad augendū numerum, introduxerunt multitudinē ingentem Præsbyterorum, ita vt potiùs horum, quàm Præſulum Synodus videretur, contra formam in Concilijs ſervarī ſolitam. Deinde eādem durante celebrabatur Florētiæ aliud Conciliū, in quo præerat Summus Pontifex, & aderant Epiſcopi Latini ac Græci abſque comparatione plures, quàm Baſileæ; ac prætereà Imperator Græcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum. Quis itaque audeat conferre Baſileenſe Conciliū cum Florentino quoad auctoritatē? *Rurſus.* Patres Concilij Baſileenſis noluerunt recipere Præſides deputatos ab Eugenio IV. iuxta morem Romanorum Pontificum in omnibus Generalibus Concilijs. Quare vel ex hoc ſolo capite nullius roboris eſſent quæ in eo definita ſunt, præſertim contra auctoritatē Pontificis ſolius in definiendis controverſijs fidei, & poteſtatem ſupra Concilium. *Vlteriùs.* Nullum decretum Concilij Baſileenſis vnanimi Patrum aſſenſu concluſum fuit: tùm quoniam multi Præſules & Doctores vtriuſque iuris reſtiterunt ijs decretis: tum prætereà, quia cùm reſciviſſent appropinquare Legatos miſſos à Regibus Caſtellæ & Angliæ, quos ſciebant reſtituros ſe in eorum fraudem plura feſtinanter definierunt Seſs. XVIII.

26 Quin & Seſs. VI. habita 6. Septembris 1432. cùm Promotores Concilij Magiſter Nicolaus Amici, & Hugo Berardi, auſi fuiſſent Eugeniū Papam arguere de contumacia, quòd pretenſam diſſolutionē Concilij non revocaſſet, nec citatus per ſe aut per Legatos cōparuiſſet (vtpotē quem inferiorē Concilio exiſtimabant) Archiepiſcopi Tarantinus & Coloſenſis, atque Epiſcopus Magalanenſis, & Antonius de S. Viro, alijque, pro Romano Pontifice reſpōdentes allegarunt exceptionē iudicis, & iudicij

dicij incōpetentis, quo Pontificis cauſa agitaretur. Mitto plura alia eiuſdē Synodi decreta planè irrita in eundē Eugeniū: præſertim Seſs. 16. 17. & 18. habitis anno 1434. etiam poſtquam ille Diplomate quodam palam declaraverat irrita fuiſſe quæcumque Baſileæ decreta & acta fuerant contra poteſtatē Romani Pontificis, & libertatē Sedis Apoſtolicæ. Quin & Seſs. XXXIII. habita anno 1438. 9. kal. Aprilis has tres propoſitiones fide divina certas definire auſi ſunt. I. Conciliū eſſe ſupra Papam, & quēlibet alterū. II. Papam non poſſe Conciliū legitimè coactum diſſolvere, aut aliò transferre, ſine eius aſſenſu. III. Hæreticū eſſe quiſquis pertinaciter impugnat prędictas aſſertiones. Quare Eugenium Papam eas irridentē, & damnantē, poſtea deponere auſi ſunt, ſubrogato in eius locum Amadæo Duce Sabaudiæ, quē Felicē V. appellarunt, inducto, quantū in ipſis fuit, alio peſtifero Schiſmate in Eccleſiam. Vſque adeò Patres Baſileenſes exceſſere: vt propterea pudori eſſe debeat ex illorum inani auctoritate velle Pontificiam deprimere, quam Chriſtus D. ſupremam eſſe voluit, & Eccleſia eouſque omnibus Concilijs ſuperiorē venerata eſt. Teſtatur præterea Æneas Sylvius (poſtea Pius II.) qui eidē Concilio interfuit primū, & poſtea eius Acta refutavit, ex peſte illa Baſileæ exorta, maiorē partē congregatorū Patrū aut ibidē extinctam fuiſſe, aut exire compulſam quaſi Deus immiſſa ea clade denotaret, non placere ſibi eā Synodū, nec ritè congregatā eſſe, contra expreſſam voluntatē Romani Pontificis. Denique Seſs. XXXII. habita an. 1438. recedēte Ludovico Arelatenſi, qui ſolus è Cardinalibus aderat; & ad partes Eugenij migrāte, Iulianus Cardinalis ſupradictus ingreſſus eſt ad præſidendum Concilio qualicumque. Deinde videns ex ibidē decretis oriturum graviſſimum Schiſma, ſe inde cum alijs Prælatis ſubduxit, & Eugenio IV. ceſsit.

27. Quare eodē anno, iuxta præceptum Eugenij cęptū eſt Generale Conciliū Ferrarię, cui præfuit tāquam Legatus Apoſtolicus Nicolaus Albergatus ex Carthuſianorum Ordine, Cardinalis tituli S. Crucis, Vir eximię ſanctitatis, & prudentiæ, expeditioniſque in rebus agendis. In eius verò prima Seſs. declaratū fuit, Eugeniū Papam iuſtis ex cauſis & neceſſarijs, atque ex conſilio Senatus Cardinalium, Synodum Baſileenſem tranſtuliſſe Ferrariam: cuncta verò, quæ in eo Concilio, aut cætu, geſta vel decreta fuerant, irrita prorſus fuiſſe ac fore, niſi in Synodo Ferrarienſi confirmarentur. omnes etiam illos, qui ſe iuramēto obſtrinxerant ad ſervanda decreta Baſileenſia, liberos eſſe ab eo vinculo. Siqui autē adhuc Baſileæ ſupererāt intuitu celebrandæ Synodi, abſcedere iuſsi ſunt intra triginta dies ſub pœna anathematis, & privationis omnium dignitatum, beneficiorum, officiorūque. Quo demum diſſipatus fuit ille cætus, initio quidem auctoritate Apoſtolica indictus; poſtea verò ob prætermiſſam formā iuris, & privata congregatorum Patrum ſtudia, ac violatum Eugenij Papæ præceptum de Synodo Ferrariam transferenda, mutatus in Conciliabulū. Itaque ex eius auctoritate, quę nulla demum eſt, nihil confici poteſt, vel contra auctoritatē infallibilē Papæ ad dirimendas fidei controverſias, vel pro poteſtate Concilij ſupra Papam. Plura alia vidē Diſp. ſeq.

SECTIO QVARTA.

Mirum eſſe quòd Illuſtriſs. Clerus Gallicanus tueatur doctrinam illam à Concilijs Generalibus indubitatis poſtea reiectam: id eſt, Florentino, Lateranenſi, & Tridentino.

28 HÆC cùm ita ſint, admirationi eſt quòd Illuſtriſsimi Galliarum Præſules in Comitijs Pariſienſibus huius an. M.DC.LXXXII. inter alias theſes Declarationis illius editæ die 19. Martij illā protulerint num. 2. *Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicarijs rerū ſpiritualiū plenam poteſtatē, vt ſimul valeāt, atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica cōprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ vſu cōfirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua Religione cuſtodita decreta de Auctoritate Conciliorū Generalium, quæ Seſs. IV. & V. continentur, nec probari à Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, at minùs approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant.*

29 Admirationi, inquam eſt, quòd ij graviſsimi Pręſules tam infirmo fundamento inniti, & millies convulſo à Theologis, & Iuris Pontificij Doctoribus, inane illud & nullius momenti reputantibus, Romanū Pontificem immediatè à Chriſto habentem poteſtatem Monarchicam cum plenitudine omnimoda in totam Eccleſiam, Concilio Oecumenicō aut eius definitionibus circa controverſias fidei, nondum probatis ab Apoſtolica Sede, ſubijcere tentaverint. Patet enim ex dictis ſectione pręcedenti, & pariter in alia quæ eam anteceſsit, irritas fuiſſe definitiones illas Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis: ſi quam vero auctoritatem habent, intelligendas eſſe iuxta ſubiectam materiam, in caſu Schiſmatis; non autem vbi eſt certus aliquis

Papa in ſingulari. Hunc enim eſſe tota reliqua Eccleſia & Synodo ſuperiorem, tam in definiendo controverſias fidei, quàm in edendis Canonibus, & decretis morum, ac denique quoad omnem iuriſdictionem Eccleſiaſticam, evidentiſsimum eſt & fuit ſemper ex doctrina Conciliorum, Patrumq́ue ac DD. Eccleſiæ omnibus ſęculis: quorum teſtimonia plurima in ſuperioribus allegavimus, & non pauca in progreſſu exhibebimus. Sed & antequam à Concilio ipſo Conſtantienſi diſcedamus, nota, in eo damnatos fuiſſe varios Vvicleffi errores contrarios auctoritati & poteſtati ſupremæ Pontificis, quibus non parum favere videtur ea CleriGallicani Declaratio. Etenim Seſs. VIII. configitur illa Vvicleffi propoſitio: *Papa non eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti.* Et Seſs. XV. ſeptimus error dãnatus eſt huiuſmodi: *Petrus non fuit, nec eſt Caput ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ.* Similiter error 13. *Papa non eſt manifeſtus & verus ſucceſſor Petri.* Deinde error 27. *Non eſt ſcintilla apparentiæ quod oporteat eſſe vnũ Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia cõverſetur, & conſervetur.* Vnde & in Bulla Martini V. præſidentis eidem Cõcilio prçſcribitur interrogatio illa: *Vtrũ credat quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ſit SVCCESOR B. PETRI HABENS SVPREMAM POTESTATEM IN ECCLESIA DEI.* Ea vero omnia difficilè cohęrent cum Declaratione illa.

30. Verùm vt proſequamur ſeriem ſęculorum hucuſque continuatam, placet in medium proferre teſtimonia Conciliorum Generalium, Florẽtini, quod eodem ſęculo quintodecimo, & Lateranenſis ac Tridentini, quæ poſtea decimo ſexto celebrata ſunt. Apparebit ſanè ex iis ſuprema Papæ poteſtas in totã Eccleſiam, & auctoritas ſumma definiendi in rebus fidei ac morum, quarum vtramque in ea Declaratione videntur impetere aut extenuare velle illuſtriſs. Gallicani Præſules.

31 IMPRIMIS Dignum eſt memoratũ teſtimonium Concilij Generalis Florentini ſub Eugenio IV. coacti eodem ſæculo anno M.CD.XXXVIII. prçſente ipſo Pontifice, Imperatore Orientis Ioanne Palæologo, Ioſepho Patriarcha Conſtãtinopolitano, & tribus locum tenentibus Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, ac Hieroſolymitani, pluribuſque Orientalibus & Occidẽtalibus Epiſcopis: qui omnes vno animo & voce, tum Gręcè, tum Latinè, Seſs. vlt. protulerunt, & ſubſcriptionibus ſuis munierunt, pulcherrimam Catholicę fidei profeſsionem, cui initium, ΕΥΓΕΝΙΟΣ ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων Θεοῦ, &c. *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorũ Dei, &c.* Ac poſt plura alia, quæ inibi habentur, ritè definita in eodẽ Concilio, ſubdunt columna vltima: Ἔτι ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, &c. id eſt: *Item definimus ſanctam Apoſtolicam Sedẽ, & Romanum Pontificẽ, IN VNIVERSVM ORBEM HABERE PRIMATVM, & ipſum Pontificem Romanũ Succeſſorẽ eſſe beati Petri Principis Apoſtolorũ, & verum Chriſti Vicariũ, TOTIVSQVE ECCLESIÆ CAPVT, ET OMNIVM CHRISTIANORVM PATREM ET DOCTOREM EXISTERE; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi Vniverſalem Eccleſiã a Domino noſtro IESV-CHRISTO traditã eſſe PLENAM POTESTATEM, quẽadmodũ etiam in geſtis OEcumenicorũ Conciliorũ, & in ſacris Canonibus continetur.* Deinde, vt dixi omnes, qui aderant, Patres Latini, & Gręci, ſimul cum Eugenio Papa, & Ioanne Palæologo, num. 142. nominatim ſubſcribunt per omnia eidem Profeſsioni, tanquã Catholicæ fidei formulæ. Idẽque feciſſent plurimi, qui iã inde diſceſſerant, ſi adeſſent tẽpore ſubſcriptionis: ſed vt moris eſt, iã abierant.

32 Expendant, quæſo verba prædicta Synodi abſque vllo prçiudicio, quicũque ſe veritatẽ amare profitentur. Invenient certè clariorẽ meridiana luce poteſtatẽ pleniſsimã Romani Pontificis ſupra totã prorſus Eccleſiam, atque adeò ſupra Conciliũ Oecumenicũ, prout ab ipſo diſtinctũ. Deprehendent pariter auctoritatẽ ſummam ipſi à Chriſto D. commiſſam ad definiendũ controverſias fidei, indepẽdenter à reliquo Eccleſię corpore. Hoc enim palã denotant verba illa, in quibus Patres Florẽtini Papam appellant, *Chriſti Vicariũ, totiuſq́ue Eccleſiæ caput, & omniũ Chriſtianorũ Patrem & Doctorem, &c.* allegatis prçterea in eundem ſcopum alijs Concilijs Oecumenicis, & ſacris Canonibus, in quibus eadem doctrina perpetuo tradita fuit.

33 Vnde vix oculis meis credo, cùm video, & lego, ac relego in nupera illa Declaratione CleriGallicani verba illa ſuprà n. 28. exſcripta: vbi teſtatur, decreta Concilij Conſtantienſis Seſs. IV. & V. in quibus (modo ibidem expreſſo, & à nobis iam explicato n. 12. & ſeqq.) Papa ſubijcitur poteſtati Concilij, eiuſque definitionibus circa res fidei, fuiſſe à *Sede Apoſtolica cõprobata, ipſoq́ue Romanorũ Pontificũ, ac totius Eccleſiæ vſu confirmata.* Inquiro enim, quãdo aut quomodo à Sede Apoſtolica, aut Romanis Pontificibus, aut totius Eccleſię vſu, fuerint confirmata decreta illa. Martinus enim V. & Eugenius IV. qui fuere duo legitimi & immediati Pontifi-

ces à

ces à tẽpore ipſius Concilij Cõſtantienſis, palã
reſtitere & irritã prorſus habuere doctrinam
vtriuſque illius Seſsionis, quã & præterea in
ſeipſa nulllus valoris fuiſſe, & ſolũ tẽpore veri
Schiſmatis, in quo nemo certus, & exploratus
Papa, eſt intelligi debere, iam ſuprà ſectione
ſecunda demonſtratum fuit. Deinde tota Flo-
rentina Synodus in Spiritu ſancto legitimè
cõgregata & finita, in vltima Seſsione doctri-
nã tradidit manifeſtã pro poteſtate Papę ſupra
totã Eccleſiam, & auctoritate ſumma ad docẽ-
dam illam. Reliquorum Pontificum à tempore
eiuſdem Eugenij IV. vſque ad Innoc. XI. nunc
ritè ac ſanctè regnantem, nemo invenitur, qui
vel in ſpeciẽ in ea parte à Martino aut Euge-
nio diſcordaverit. Nominatimque Pius II. Pa-
pa, electus anno M.CD.LVIII. qui in minori-
bus conſtitutus pro Baſileenſi Concilio, & cõ-
tra Eugeniũ IV. ſcripſerat, poſtea totum id re-
tractavit, ampliſsima Bulla edita, & ad Colo-
nienſem Academiam miſſa & ante illã edidit
aliam anno 1459. cuí initiũ, *Execrabilis*, con-
tra appellantes à Papa ad Conciliũ. Idem fecit
poſtea Iulius II. anno 1509. & omnes poſterio-
res Pontifices in art. 2. Bullæ Cœnæ: quorum
præterea 27. teſtimonia exſcribit Hieronymus
Albanus lib. de Dignit. Pontificis part. I. Deni-
que poſt Concilium Florentinum, duo ſolùm
Generalia in Eccleſia celebrata ſunt: Nimirũ
Lateranenſe vltimum ſub Leone X. & tandem
Tridẽtinum. Videamus ergo an in aliquo eo-
rum quidquã inveniatur, quod aliqua veri ſpe-
cie faveat decretis illis Concilij Conſtantiẽſis.
Sed enim nihil minùs: quin potiùs
alia omnia. Porrò in Concilio Generali Late-
ranẽſi vltimo, quod inchoatũ fuit ſub Iulio II.
Papa anno M.D.XI. & finitũ ſub Leone X. an-
no M.D.XVII. poteſtas ſuprema Papæ in totã
Eccleſiã, & nominatim ſupra Conciliũ Oecu-
menicũ, palam definita fuit Seſs. XI. tanquam
certa & explorata iuxta doctrinã præcedentiũ
Cõciliorum Generalium, quorum multa ibidẽ
allegantur, & Patrum ac Doctorum Eccleſiæ.
Verba eiuſdẽ Seſsionis ſubiungo, in quibus ab-
rogatur ſanctio Pragmatica olim in Bituricẽſi
Conventu edita, & poſtea in Baſileenſi confir-
mata, tanquã impia & nullius roboris.* Et ſi-
„ cut piæ memoriæ Leo Papa I. prędeceſſor no-
„ ſter, cuius in hoc libenter quoad poſſumus,
„ veſtigia imitamur, ea quæ in ſecunda Ephe-
„ ſina Synodo temerè cõtra iuſtitiã, & Catho-
„ licã fidẽ geſta fuerunt, poſtmodum in Chal-
„ cedonenſi Concilio mandavit, ac fecit pro
„ dicta fidei firmitate revocari: ita & nos à tã
„ nefariæ ſanctionis, & cõtentorum in ea re-
„ vocatione, retrahi aut deſiſtere, ſalva conſ-
„ cientia, ac noſtro, & ipſius Eccleſię honore,
„ non poſſe aut debere cenſemus. Nec illud
„ nos movere debet, quòd ſanctio ipſa, & ĩn
„ ea contenta, in Baſileenſi Concilio edita, &
„ ipſo Concilio inſtante, à Bituricenſi congre-
„ gatione recepta, & acceptata fuerunt; cùm
„ ea omnia poſt tranſlationẽ eiuſdem Baſileẽ-
„ ſis Concilij per Reverendæ memorię Euge-
„ nium Papam IV. etiam prædeceſſorẽ noſtrũ
„ factam à Baſileenſi conciliabulo, ſeu potiùs
„ conventiculâ, quæ præſertim poſt huiuſmo-
„ di tranſlationẽ Concilium ampliùs appellari
„ nõ merebatur, facta extiterint, ac propterea
„ nullum robur habere potuerint: cùm etiam
„ ſolum Romanum Pontificem pro tempore
„ exiſtentem, tanquã authoritatem ſupra om-
„ nia Concilia habentem, Conciliorum indi-
„ cendorum, trasferendorum, ac diſſolvendo-
„ rũ plenũ ius & poteſtatẽ habere, nedum ex
„ ſacræ Scripturę teſtimonio, dictis Sancto-
„ rum Patrum, ac aliorum Romanorum Ponti-
„ ficum etiam Prędeceſſorum noſtrorum, ſa-
„ crorumque Canonum decretis, ſed propria
„ etiam eorundẽ Conciliorũ confeſsione ma-
„ nifeſtè conſtet: quorũ aliqua referre placuit,
„ reliqua verò vt potè notoria, ſilentio pręte-
„ rire. In Alexãdrina enim Synodo, Athanaſio
„ ibidem exiſtente, Felici Romano Pontificĩ
„ ab eadem Synodo ſcriptum fuiſſe legimus,
„ Nicænã Synodum ſtatuiſſe, non debere abſ-
„ que Romani Pontificis auctoritate Cõcilia
„ celebrari: Neque nos latet, etiã eundẽ Leonẽ
„ Pontificem Epheſinã ſecundã Synodum ad
„ Chalcedonenſem traſtuliſſe. Martinum etiã
„ Papã V. præſidentibus ſuis in Concilio Se-
„ nenſi poteſtatem trasferendi Conciliũ, nul-
„ la conſenſus ipſius Concilij mentione habi-
„ ta, dediſſe. Epheſinã quoque primã Synodum
„ Celeſtino, ac Chalcedonenſem eidem Leoni,
„ Sextã Agathoni, Septimã Hadriano, Octavã
„ Nicolao, Octavã etiam Conſtantinopolitanã
„ Synodũ Hadriano Romano Pontifici, Pręde-
„ ceſſoribus noſtris, maximã reverentiã exhi-
„ buiſſe, eorundẽque Pontificum inſtitutioni-
„ bus, & mandatis, in ſacris Concilijs per eos
„ editis, & factis, reverenter & humiliter ob-
„ temperaſſe. Vnde Damaſus Papa, & cæteri
„ Epiſcopi Romę cõgregati, ſcribentes de Cõ-
„ cilio Ariminenſi Epiſcopis Illyrico conſti-
„ tutis, præiudiciũ aliquod per numerũ Epiſ-
„ coporũ Arimini congregatorũ fieri non po-
„ tuiſſe teſtantur: quandoquidem conſtat, Ro-
„ manum Pontificem, cuius ante omnia dece-
„ bat expectari decretũ, talibus non præbuiſſe
„ conſenſum: eundemque Leonem Pontificem,
„ vniverſis Siciliæ Epiſcopis ſcribentem, idẽ
„ voluiſſe apparet. Cõſueveruntque antiquorũ
„ Conciliorũ Patres pro eorũ, quæ in ſuis Cõ-
„ cilijs geſta fuerũt, corroboratione, à Roma-
„ no Põtifice ſubſcriptionẽ, approbationẽque

„ humiliter petere,& obtinere,prout exNicę-
„ na,& Epheſina, ac Chalcedonenſi huiuſmo-
„ di,& ſextaCõſtãtinopolitana & ſeptima ea-
„ dẽNicęna,&Romana ſub Symmacho,Syno-
„ dis habitis,earumq; geſtis,necnon inAimari
„ libro de Synodis manifeſtè colligitur, quod
„ etiã noviſsimè Conſtãtienſes Patres feciſſe
„ conſtat: quã laudabilẽ conſuetudinẽ ſi Bitu-
„ ricenſes,& Baſileenſes ſecuti fuiſſent,huiuſ-
„ modi moleſtia proculdubio careremus,&c.

35 Hæc & plura alia memoratu digniſsima,ac planè decretoria, proferuntur in ea Seſs.XI. Concilij Lateranenſis V.Generalis,id eſt XVII.Oecumenici, prorſus legitimi, præſente ipſo RomanoPontifice indubitato Leone X. quę poſtea lecta fuit corã tota Synodo, & ab omnibus Patribus probata, niſi quòd Epiſcopus Terdonenſis dixit,ſibi non placere revocationẽ illorũ,quæ habuerunt originem à Baſilienſi & BituricenſiConcilijs ſeu conventiculis.Sed hoc nihil refert, tum quòd isEpiſcopus ſolũ reſtitiſſe videatur quoad abolitionẽ Pragmaticæ ſanctionis,alioqui verò per omnia ſubſcripſerit: tum præterea quia quãvis palã refragaretur, nihil obeſſet auctoritati & infallibilitati eius definitionis à reliquis omnibus Patribus Concilij probatæ: ſicuti quòd in Florentina Synodo Generali Marcus Epheſius contradiceret definitioni proceſsionis Spiritus ſancti ex Patre & Filio, à cęteris omnibus ſubſcriptæ, nihil obfuit vt illa ſecũdũ fidem certam haberetur. Videant autẽ quicunque oculos habẽt, & minutatim expendãt definitionem præiactam Lateranenſis Concilij. Invenient planè definitũ,& comprobatum ex perenni ConciliorumGeneralium,Patrumque Eccleſiæ doctrina, longiſsimo ſæculorum curſu preſcripta, Romanũ Pontificem certum & indubitatũ eſſe ſuperioremConcilio quolibet,etiã Generali,pleniſsimamque poteſtatem ſupra illud habere; & per conſequens nullatenus illi ſubeſſe, neque quoad vim coactivã, neque quoad definitiones in ipſo editas circa fidem, niſi eiuſdem Pontificis auctoritate proferantur & confirmentur. Siquid verò contrà definitum fuit inConcilio Baſileenſi (idemque eſt de Conſtantienſi) irritum & inane fuiſſe.

36 Quid autem ad hęc Illuſtriſsimi Galliarum Præſules? Aiunt ipſi, poteſtatem Concilij ſupra Papam, etiam extra tempus Schiſmatis,definitam fuiſſe in Concilio Conſtantienſi. quod ſuprà à num. 12. falſum eſſe conſtitit; & præterea decretum illud ſine legitima auctoritate editum. Aiunt,fuiſſe confirmatum à Sede Apoſtolica, ipſoque Romanorum Pontificum; ac totius Eccleſiæ vſu. Vidimus autem, illud palam reprobatum fuiſſe à Martino V. Eugenio IV. Leone X. Concilijs Generalibus Florentino & Lateranenſi: ab illo generatim,ab hoc ſpeciatim, prout editum fuit eodem tenore verborum in Concilio Baſileenſi, quod proinde Conciliabulum appellatur. Vidimus denique Lateranenſem Synodum teſtari, poteſtatem Papæ ſupra Conciliũ fuiſſe traditã in Eccleſia ſemper,comprobatãinCõcilijs Generalibus, & certam teſtimonijs Patrum. Qua igitur ratione Illuſtriſs. Clerus Gallicanus oppoſitum affirmare potuit?

37 Cùm verò definitiones Conciliorũ Generaliũ ritè coactorũ & confirmatorũ à Sede Apoſtolica ſint certæ ſecundùm fidem,iuxta omnes Catholicos; videtur eundem certitudinis gradum habere poteſtas pleniſsima & auctoritas Papę ſupra Conciliũ,tã apertè definita in Synodo Generali Lateranenſi. Sed audiamus etiã Tridentinũ ſpeciatim circa definitiones fidei in Decreto de Recipiendis,&c. *Tanta fuit horum temporum calamitas, & inveterata hæreticorũ malitia, vt nihil tã clarũ in fide noſtra aſſerenda vnquã fuerit, aut tã certò ſtatutũ, quod non humani generis hoſte laudante, illi errore aliquo contaminaverint: ea propter SanctaSynodus id potiſsimũ curavit, vt præcipuos hæreticorũ noſtri tẽporis errores damnaret,& anathematizaret; verãque & Catholicã doctrinã traderet, & doceret, prout damnavit, anathematizavit,& definiuit. Cũque tã diu tot Epiſcopi ex varijs ChriſtaniOrbisProvincijs evocati,ſine magna gregis ſibi commiſsi iactura,& vniverſali periculo ab Eccleſijs abeſſe non poſsint,nec vlla ſpes reſtet hæreticos,toties fide, etiã publica, quã deſideraruunt, invitatos, & tandiu expectatos, huc ampliùs adventuros; ideoque tandẽ huic ſacroCõcilio finẽ imponere neceſſe ſit: ſupereſt nunc, vt Principes omnes,quod facit in Domino,moneat ad operã ſuã ita præſtandã, vt quæ ab ea decreta ſunt,ab hæreticis depravari,aut violari non permittant; ſed ab his, & omnibus devotè recipiantur,& fideliter obſervẽtur. Quod ſi in ijs recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationẽ (quod non credit) aut definitionẽ poſtulent; præter alia remedia in hoc Concilio inſtituta,cõfidit Sancta Synodus,Beatiſsimũ Romanũ Pontificẽ curaturũ, vt vel evocatis, ex illis præſertim Provincijs, vnde difficultas orta fuerit, ijs quos eidẽ negotio tractãdo viderit expedire, vel etiam Concilij Generalis celebratione,ſi neceſſarium iudicaverit; vel cõmodiore quacumque ratione ei viſum fuerit,Provinciarum neceſsitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ tranquillitati conſulatur.*

38 Hæc inibi Tridentina Synodus in De-

in Decreto de recipiendis, & obſervandis decretis Concilij. Dum enim cōfidit, ſi fortè declaratione aut definitione aliqua circa fidem opus fuerit, vt Pontifex Romanus illā edat, ſive in Concilio alio Generali, ſive poſt cōſultationē habitā cum ijs quos huic negotio tractādo viderit expedire, ſive tandē COMMODIORE QVACVMQVE RATIONE EI VISVM FVERIT, apertè agnoſcit in Romano Pontifice auctoritatē infallibilē ad definiendū controverſias fidei extra Conciliū. Si enim auctoritas, quā in eo profitetur, nō eſſet infallibilis ſeu irreformabilis omnino; non eſſet talis, vt per illā *Provinciarū neceſsitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ trāquillitate cōſulatur.* Adhuc enim eſſent qui dicerent, Pontificē definientē extra Concilium Oecumenicū errare poſſe: proptereaque à definitionibus illius appellarent futurū Conciliū, veluti ſuperiorē Pōtifice, etiā in cauſis fidei. Quare nec Provinciarū earū neceſsitati, nec Eccleſiæ tranquillitati conſuleretur. Cùm igitur Trident. Synodus agnoſcat in Romano Pontifice eā definiēdi auctoritatē, per quā *Provinciarū neceſsitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ trāquillitati conſulatur;* agnoſcit planè in eo auctoritatē infallibilē omnino ad definiendū controverſias fidei. Præterea & ſubinde, iiſdē verbis declarat, nullā eſſe validam appellationē à definitionibus fidei ad futurū Conciliū Generale: nam alioqui nec Provinciarū neceſsitatibus, nec tranquillitati Eccleſiæ conſuleretur, quin potiùs per eiuſmodi appellationes pateret via ad ſcandala & ſchiſmata publica in Eccleſia. Si autē, vt Gerſo olim dixit, & nūc Clerus Gallicanus profiteri videtur, Conciliū haberet poteſtatē ſupra Papā, & corrigere poſſet ſeu reformare illius definitiones in materia fidei; nulla eſſet ratio interdicendi appellationibus à Papa ad Generale Conciliū; quia nemini impediri poteſt appellatio ad legitimum ſuperiorem, quoties ſe gravatum ſentit ab inferiore.

39\. Itaque poſt Concilium Baſileenſe erraticū, tria Generalia, & prorſus legitima, Florentinum ſub Eugenio IV. Lateranenſe ſub Leone X. & Tridentinum ſub Pio IV. definierunt Papā habere plenā poteſtatē in totā Eccleſiam, & ſupra Concilia: primū ex ijs, generatim: ſecundū ſpeciatim & ex inſtituto, cum reiectione Seſsionis illius ſecundæ Baſileēſis Synodi, quæ ad verbū exſcripta & mutuata fuerat ex Seſs. IV. Concilij Conſtantienſis: tertiū denique per atteſtationē manifeſtā ſeu declarationē Pontificiæ auctoritatis ad edēdas, *quacumque ratione commodiore ei viſum fuerit* definitiones in rebus fidei, quibus Provinciarū neceſsitatibus pro Dei gloria & Eccleſiarum tranquillitate conſulatur. Quam auctoritatem debere eſſe in Pontifice prorſus infallibilem, & nullo modo ſubiectam correctioni Synodi Generalis, nuper demonſtratum fuit ex ipſis verbis & ſenſu Tridentini Concilij. Præmiſerat verò ſatis eam ipſam doctrinam in alijs Decretis, præſertim 2. de Reformatione, verbis illis: *Statuendum cenſuit, ſalua ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate, &c.* Atque in Decreto de Indulgentijs ſtatuit vt abuſus ab Epiſcopis *ad Romanū Pontificē ſtatim deferantur: CVIVS AVCTORITATE ET PRVDENTIA, QVOD VNIVERSALI ECCLESIÆ EXPEDIT, STATVATVR.* Denique à tempore Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis omnes Romani Pontifices appellationem quālibet ad Generale Concilium, quoties interpoſita fuit à factioſis quibuſlibet, ſeditioſis, & ſchiſmaticis hominibus (neque enim alij illā tentarunt) execrati ſunt, & ſacro anathematum fulmine inuſſerunt. Quo ergo fundamento aut veritate aſſeritur in Declaratione illa Cleri Gallicani, decretum Conſtantienſis Concilij Seſs. IV. fuiſſe à Sede Apoſtolica cōprobatum, ipſoque Romanorum Pontificum & Eccleſiæ totius vſu confirmatum? Miramur itaque multipliciter, talē à doctiſsimo & graviſſimo Clero Gallicano prodiiſſe Declarationē, quæ non modò in materia iuris, ſed facti, tam patenter falſitatis argui & convinci poſsit. Quod adhuc evidentiùs cōſtabit ex dicendis.

SECTIO QVINTA.

Hæreſes ortæ eodem Sæculo XV. poſt Conciliū Conſtantienſe, & damnatæ extra Generalem Synodum, præſertim a Pontificibus Romanis, aut ex delegatione ipſorum.

40 POST Concilium Conſtantienſe de quo ſupra, feliciter abſolutum anno M. CD. XVIII. plures aliæ ſectæ hæreticorum prodierunt, quæ ſine ope vllius Synodi Generalis extirpatæ ſunt. Occurrit imprimis (præter alias minoris notæ) Secta Pikardorum excitata à Pikardo quodam è Flandria oriundo, qui ſub idem ferè tempus, tranſmiſſo Rheno per Germaniam in Bohemiā penetravit: & præſtigijs quibuſdam ſibi concilians fidem apud Imperitam Bohemorum multitudinem, ſectatores ſuos Adamitas vocari voluit. Se enim Adam nominari iuſsit, & filium Dei haberi. Hæreſes illius, ſeu inſaniæ peculiares, fuerunt: imprimis, Adamitas, & ipſorum filios eſſe liberos; reliquos

verò hominum ſervos. deinde, rata eſſe inter ipſos quælibet connubia, probante tamen Pikardo, ſive Adamo, illis verbis: *Creſcite, & multiplicamini, &c.* Plura de ijs Hoſius libro de vtriuſque ſpeciei communione, & Prateolus lib. 14 verbo Pikardi, Genebrardus in Sixto IV. Gaulterius Sæculo XV. cap. 6. Nec verò ijs exſcindendis Concilio opus fuit. Cũ enim inſulam quandam Luſmitio amne cinctam occupaſſent, & ducentos circiter agricolas circummorantes crudeliter interemiſſent, quòd diaboli filios eos crederent; audito ſcelere Ziſchas, licèt impius, valdè indignatus, direxit in eos exercitum, expugnataque inſula omnes delevit, duobus ſolùm exceptis, vt ex ipſorum narratu Sectæ ſuperſtitionem examinaret. Fuit aut Ziſchas prędictus dux bellicoſiſsimus, præſertim adverſus Teutones, & Bohemos, adeoque felix in præliando, vt omnia ferè ipſi ex animi ſentẽtia proſperè acciderent. ideoque Sigiſmundus Imperator, clam ſibi eum conciliare ſtuduit. Verùm qui ſectam Adamitarum extinxit, aliam virulentiorem Huſsitarum amplexus eſt: vt priorem illam non tam iuſtitiæ zelo ſuccidiſſe videatur, quàm ſtudio propagandi ſuam, ſive ne alia per Orbem Chriſtianum graſſaretur. Plura de illo Aeneas Sylvius lib. 3. Comment. de Rebus geſtis Alphonſi, & Cochleus lib. 5. Hiſtorię Huſsitarum.

41 Paulo póſt Bedricus Hęreſiarcha natione Moravus Sectæ Orebitarum peſtilentiſsimæ auctor fuit: quę iuxta laudatum Gaulterium, non fuit inferior ſuperſtitione Thaboritarum, ſive in diſcerpenda Eccleſia, ſive in corrumpenda doctrina fidei, præcipuè in ijs, quę ad Incarnationem Verbi pertinent. Illam hiſce verbis deſcribit Bzovius ad annũ M.CD.XX. num. 5. * Cùm adhuc Sigiſmun-
„ dus in caſtris ſuis ſe contineret, factus eſt à
„ Cuthnenſibus certior, ingentem promiſcuo-
„ rum hominum multitudinem ad montem
„ non longè à Lipnitia iacentem, conveniſſe,
„ vt orgya ſua cum ſacrificulis ſuis celebra-
„ rent, eumque montem ab illis Oreb, & ip-
„ ſos Orebitas cognominari. Quorum bona
„ pars ex eo numero eſſet, qui paulo antè car-
„ bones mineris conflandis ad officinas ſup-
„ peditare ſoliti fuerant, nunc ſub prætextu
„ Religionis novæ ac prophanæ, rapto vivere,
„ quàm labori operam dare malle; per quę of-
„ ficinæ desererentur, & perfidorum cœtus
„ invaleſceret. Territorium Græcenſe, vici-
„ naſque gentes, ea hęreticorum factio, fra-
„ trum Orebitarum appellata, magnis affecit
„ cladibus. Sanè fuit peſtifera, atque imma-
„ nis, nec Thaboritarum crudelitate vlla ex
„ parte inferior, adverſus quam Martinus V.
„ Pontifex Maximus nominatim Crucem de-
„ crevit; neque tamẽ in plures annos extirpa-
„ ri potuit. Huius ſectæ homines quoties Sa-
„ cerdotes Catholicos intercepere; aut igne
„ cremaverunt, aut nudos rigente hyeme ſu-
„ per glaciem colligatos diviſerunt; quos au-
„ tem parvi momenti exiſtimaverunt, diſſe-
„ ctis virilibus abire permiſſerunt. * Hactenus ille. Itaque Sectam prædictam damnavit quidem Martinus V. Papa extra omne Concilium, conceſſo Privilegio Cruciatæ, vt aiũt, ijs qui contra illam arma ſumerent: quamvis nec ſpiritualibus, nec externis Cruciatorum armis, niſi tandem poſt plures annos, extirpari potuerit.

42 Eiuſdem Martini V. tempore anno M.CD.XX. aut circiter, celebratum fuit Concilium Saliſburgenſe Provinciale, in cauſa fidei, & morum, adverſus hęreſes tunc graſſantes, Præſide Eberardo Archiepiſcopo Apoſtolicę Sedis Legato. Extant Capitula LIX. quorum poſtremũ ſpeciatim perſtringit Vvicleſiſtas, & Huſsitas, eorumque receptatores, & fautores. Deinde in Concilio Senenſi, ex Ticinenſi vrbe Senam tranſlato ob peſtem graſſantem anno M.CD.XXIII. idem Martinus edidit Decretum de approbatione proceſſuum, & continuatione in futurum contra Huſsitas hæreticos: inſuperque indulgentias conceſsit perſecutoribus hęreticorum. eodemque anno coacta eſt aduerſus illos Synodus Gneznenſis, quæ in editione Labbeana videri poteſt. nam à Binio & reliquis prętermiſſa eſt. Sed antequam diſcedamus ab eodem Martino V. nota ipſum In fine Concilij Conſtantienſis hæc protuliſſe: *Sacro approbante Concilio, mandamus Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. Vt qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, vel de Baptiſmate, ſeu peccatorum confeſsione, pœnitẽtiæ pro peccatis iniunctione, vel reliquis Eccleſiæ Sacramentis, SEV FIDEI ARTICVLIS, aliter ſentit ac docet, QVAM SACROSANCTA ROMANA ECCLESIA DOCET ET OBSERVAT; eos tanquam hæreticos iudicetis.* Ergo iudicio Concilij Generalis Conſtantienſis hęreticus eſt qui circa quoſlibet fidei articulos aliter ſentit ac docet, quàm Romana Eccleſia. Hæc autem ſentit & docet quidquid Sedes Apoſtolica definit circa fidem.

43 Eugenio IV. Pontifice, qui electus fuit die 3. Martij M. CD.XXXI. prodijt ex Orco Nicolaus quidam Galecus, vnus ex ijs, quos Bohemi trienio póſt, id eſt anno 1434. aut ſequenti potiùs, vt conijcio ex recenſione Actorum eiuſdem Synodi, delegerunt ad Concilium Baſileenſe. Is, præter alios erro-

errores, aſſerebat neminem in lege gratiæ; etiam iudicis ſententiâ iuſta, morte mulctari poſſe, cùm id non ſtatuatur in Teſtamento Novo. Ad hæc, Ioannem Huſsium, & Hieronymum de Praga iniuſtè damnatos, & combuſtos fuiſſe in Concilio, & civitate Conſtantienſi, veluti qui Doctores Catholici extitiſſent. Nec tamen fuit opus novo Concilio ad eas hæreſes damnandas.

44 Sub Nicolao V. circa annum M. CD. XLIX. Mathæus Palmerius Florentinus; qui Annales Sancti Proſperi integro millenario produxit vſque ad eum annum, cùm edidiſſet librum quendam de Angelis, & in eo de hæreſi convictus fuiſſet, damnatus propterea, & igni adiudicatus fuit, quin vllum Conciliũ ab eodem, aliove Pontifice ad id cõgregaretur. Vide Gaulteriũ Sæculo XV. c. 11.

45 Tempore Sixti IV. qui Pontificatum geſsit ab anno M.CD.LXXI. vſque ad M CD. LXXXIV. Petrus de Oſma in hac ipſa Academia Salmanticenſi Theologiæ Profeſſor librum ſcripſit de Confeſsione: in quo auſus fuit dicere, illam non eſſe ex divina inſtitutione, ſed humana, ſive inventam hominum. Statim verò ac is error ab illo diſſeminatus fuit, cæteri Scholæ eiuſdem Theologi eam opinionem gravi nota inuſſerunt, quin & ad graviorem ſolemnioremque cenſuram, Petrum ipſum compellarunt ad rationem ſui reddendam coram ipſo Summo Pontifice. Is verò examinata cauſa quamvis nullo Generali ad id Concilio coacto, opinionẽ eandem veluti hæreticam proſcripſit, peculiari Diplomate, quod ſtatim ab omnibus Catholicis reverenter exceptum fuit. Vide Alphõſum de Caſtro verbo *Confeſsio*, Genebrardũ in Chronico agentem de Sixto Quarto, Gaulterium Sæculo XV. cap. 14. vt omittam alios rerum Hiſpanię ſcriptores, qui eiuſdem Petri de Oſma meminerunt. Neque quiſquam alius Theologiæ Profeſſor, quem ſciam, præter illum, notatus invenitur alicuius hæreſeos traditę in hac florentiſsima Academia, ex quo inſtituta fuit quatuor integris ſæculis, & quinto iam diu fluente. Quod in tanta Doctorum & Profeſſorum multitudine, ac reliquis Nationibus, & pleriſque Academijs Chriſtiani Orbis, ſępe aut interdum ſubeuntibus varias viciſsitudines circa fidem, in multis Doctoribus ſaltem; videtur adſcribendum miraculo Providentię peculiaris Dei erga Hiſpaniam, Regnum antonomaſticè CATHOLICVM, eiuſque præſtantiſsimam Academiam, & Orbis litterarij oculum. Addit Melchior Cano lib. 6. de locis cap. 7. eundem Petrum de Oſma, quem Oxomenſem appellat, condemnatum fuiſſe hæreſis nomine in Concilio Complutenſi, confirmato à Sixto IV. quòd aſſeruiſſet, Eccleſiam vrbis Romæ errare poſſe: deindeque Sixtum ipſum eandem theſim, veluti hæreticam, proſcripſiſſe In Extravaganti ad Petrum ipſum edita, qui & propterea illam abiurare compulſus fuerit hac verborum formula: *Conſentio ſanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ, & Sedi Apoſtolicæ: & ore ac corde confiteor, illam me fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa auctoritate Apoſtolica & Euangelica tenet. Et omnes qui contra hanc fidem venerint; dignos æterna damnatione pronuntio.*

46 Alexandri VI. tempore circa annum M. CD.XCIV. excitata fuit hæreſis Ruthenorum, quæ & Ruſsiorum, & Moſcovitarum, quam in Chronico refert noſter Genebrardus, & poſt ipſum Gaulterius, alijque recentiores. *Primò*, negabant S. Petrum fuiſſe ſummum Eccleſiæ Paſtorem, & Sedis Romanę Epiſcopum: conſequenterque illud ipſum de Petri Succeſſoribus inficiabantur. *Secundò*, nullius auctoritatis eſſe contendebant Patres Eccleſię Latinę. *Tertiò*, negabant Eccleſiam Romanam eſſe cęterarũ caput. *Quartò*, non recipiebant definitiones Conciliorũ Generalium. *Quintò*, Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Vnctionis, ac Purgatoriũ reijciebant. *Sextò*, excommunicationes ab Eccleſia latas aſpernabantur. *Septimò*, Euchariſtiam non in pane azymo, ſed in fermentato ſolùm, confici aiebant. Hæc illi, quibus tamen damnandis nullum legitur coactũ Concilium eo tempore Alexandri, nec multò poſt, niſi fortè Lancicienſe celebratum anno M.D.VI. Præſide Andræa Roſeo de Boryſzenice Archiepiſcopo Gneznenſi, in feſto S. Michaelis, quod habetur ſolùm in editione Labbeana, nec mihi ad manum eſt.

47 Sub idem ferè tempus Alexandri VI. Ioannes Behaim, homo ſortis abiectæ tympaniſtam & paſtorem pecorum agens, novam ſectam diſſeminare orſus, præter errorem antea traditum ab Vvicleffo negante decimas ſolvendas eſſe Clero, addidit nullam eſſe obligationem ſolvendi vectigalia & tributa; quin & aquas & nemora omnibus eſſe communia. Nec plura de eo profert Gaulterius, ſicuti nec apparet veſtigium alicuius Concilij, in quo fuerit damnatus.

48 Denique ſub eodem Alexandro circa annum vltimum eiuſdem Sæculi XV. id eſt 1499. Hermannus Ruſuich, natione Batavus, plures errores tradidit. Cumque de ijs poſtulatus palinodiam cecinisset, & à Magiſtratu ad perpetuum carcerem damnatus eſſet, inde evadens, & ad ingenium ſuum rediens, mul-

multas alias hæreſes præter priores effutivit. Subiungo indicem illarum, prout texitur à Bernardo de Luxemburgo in Catalogo Hæreticorum, & recentiùs à Gaulterio poſt Pra-
„ teolum. * *Primo*, affirmabat Angelos ſive
„ bonos, ſive malos à Deo creatus non eſſe, eò
„ quòd id nuſquam in Scriptura ſacra (vt ip-
„ ſe ait) teſtatum reperiatur. *Secundò*, aſſere-
„ bat animam hominis per mortem eius ſi-
„ mul cum corpore interire, nullamque poſt
„ hanc vitam aliam fore particularem: vt
„ mortuo Socrate, moritur anima eius, ſicut
„ cum corpore incœpit. *Tertiò*, ſolebat Her-
„ mannus irridere Catholicos, quòd infer-
„ num eſſe crederent, quem non eſſe ipſe per-
„ tinaciter defendebat. *Quarto* teſtabatur
„ item, materiam qua conſtant elementa, non
„ à Deo productam, ſed ipſi coævam eſſe, &
„ conſequenter non incœpiſſe per creatio-
„ nem, vt ſcribit Moyſes, quem ideo ipſe
„ ſtultum vocabat. *Quintò*. ore impijſſimo
„ proferebat adverſus Chriſtum D. inauditas
„ & horrendas blaſphemias. *Sextò*, etiam
„ blaſphemabat hæreticaliter dicens, quid-
„ quid Chriſtus egit, totum id generi huma-
„ no, ac rectæ rationi eſſe contrarium, atque
„ hinc infieiabatur, ipſum Chriſtum eſſe Fi-
„ lium Omnipotentis Dei. *Septimò* defen-
„ debat ſimul hæreſiarcha Riſſuich, fabulam
„ eſſe quod docet fides noſtra, ſtolidas Scrip-
„ turas, ficta Biblia, atque Evangelium deli-
„ rationem omnimodam. *Octavò*, errabat
„ quoque ille affirmans Moyſem non accepiſ-
„ ſe à Deo legem in ſigno aliquo viſibili, nec
„ cum eo loquutum eſſe facie ad faciem, etſi
„ id Scriptura disertè teſtetur. *Nonò*, Evan-
„ gelium tandem noſtrum Hermannus falſi
„ inſimulabat: nam (dicebat ipſe) qui mundū
„ abſque Incarnatione creavit, eum etiam ſi-
„ ne Incarnatione ſalvare potuit. *

49 Hactenus impijſſimus ille Hæreſiarcha, Apoſtata, & Atheus; qui omni pudore excuſſo, & ne ſcintilla quidem fidei aut rationis retenta, tam immaniter debacchatus fuit. Nec tamen ad illum damnandum quiſquam cogitavit de Synodo: ſed dumtaxat curatum fuit quomodo, aut qua via capi poſſet: donec tandem auctoritate Leonis X. Papæ, iam tunc regnantis, ab Inquiſitoribus Apoſtolicæ Sedis Legatis comprehenſus anno 1512. & convictus de ijs hæreſibus ac blaſphemijs impudentia plenis, nec vllo modo ab ijs reſipiſcens, tandem Curiæ ſæculari traditus, eiuſdemque iudicio vivus exuſtus fuit, ea voce ad extremum putido ore prolata: *Ego quidem Chriſtianus natus ſum: ſed iam a Chriſtianiſmo deſcivi, quòd omnes Chriſtianos amentiſſimos eſſe iudicem.* Mitto alias hæreſes minoris notæ eodem Sæculo XV. ortas aut excitatas, quas pariter Sedes Apoſtolica contrivit extra duo, aut tria Concilia Oecumenica illo ævo coacta.

DISPVTATIO XVI.

AN PATRES ET SCRIPTORES GRAVES eiuſdem Sæculi XV. eandem auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiendo, & poteſtatem ſupra Concilia agnoverint, ac tradiderint, contra decreta Synodi Baſileenſis.

OCCVRRIT Imprimis celebre teſtimonium Concilij Generalis Florentini eodem ſæculo celebrati anno M.CD.XXXVIII. in Profeſſione Fidei publicè prolata ab omnibus Patribus, Græcis & Latinis, atque ab ipſo Ioanne Palæologo Imperatore Orientis, ſimul cum Eugenio IV. Papa, qui præſens aderat. Verba præcipua illius iam exſcripſimus ſupra Diſput. XV. num. 31. nec repetere oportet: in quibus Apoſtolicæ Sedis, Romanique Pontificis Primatus, poteſtas ſuprema ac plena, & magiſterium in totam Eccleſiam reliquam, luculenter aſſeritur: quibuſcum minimè cohæret, ſed potiùs repugnat, auctoritas Papæ errori obnoxia in definiendo controverſias fidei, eiuſdemque ſubiectio ad Concilium Oecumenicum: vt ibidem oſtendimus. Quapropter ad alia teſtimonia exhibenda progrediamur.

SE-

SECTIO PRIMA.

Illuſtre teſtimonium Pij II. Papæ, olim Æneæ Sylvij, pro auctoritate ſumma, & poteſtate ſuprema Romani Pontificis, etiam ſupra Generalia Concilia: in quo retractat quæcumque olim pro Synodo Baſileenſi ſcripſerat. Vbi plurima obſervatu digna circa hiſtoriam eius Concilij.

2 PIVS II. Papa, antea dictus Aeneas Sylvius, qui in minoribus conſtitutus ſcripſerat libros duos pro Concilio Baſileenſi, ſubijciente Romanum Pontificem Synodo Oecumenicæ, etiam in definitionibus fidei, vt propterea ab illa corrigi poſſent, poſtea electus Pontifex Romanus retractavit palam doctrinam in ijs olim traditam, & præterea Retractationis ſuæ copiam miſsit ad Colonienſem Academiam. Quamvis verò ij priores libri meritò prohibiti fuerint ab Eccleſia Catholica, tamen hæretici Baſileenſes, qui poſtea illos recuderunt, arbitrati id è re ſua eſſe, intulere ſibi perniciem: ſiquidem ex ipſa Hiſtoria Concilij Baſileenſis ab eodem Ænea Sylvio ſcripta, conſtat, Synodum Baſileenſem initio fuiſſe legitimam: ſed cùm primùm Patres aggreſsi ſunt deponere Eugenium IV. verum Papam, exuiſſe formam legitimi Concilij, non ſolùm quòd acephalum eſſet; verùm etiam quòd contra præſcriptum omnium veterum Conciliorum plures introducti fuiſſent Præsbyteri cum voce deciſiva; quam ne in Provincialibus quidem Synodis habere debent. Quo ſenſu in Concilio Chalcedonenſi Actione I. legitur: *Mitte foras ſuperfluos.* Conſule ſis Bellarminum lib. 5. de Eccleſia cap. 16. Porrò Bulla ipſa Retractationis eorum quæ ſcripſerat Æneas Sylvius pro Concilio Baſileenſi, & contra Eugenium IV. habetur in communibus editionibus Conciliorum. Sed tum in gratiam eorum, quibus eorum Acta ad manū non ſunt; tum quoniam Bulla ipſa imprimis erudita eſt; tum denique quia plurimum momenti confert adverſus ea, quæ in Declaratione Cleri Gallicani continentur, verbis Diſput. præced. num. 28. exſeriptis, viſum fuit Bullam ipſam κατὰ λέξιν hoc loci exſcribere.

3 „ Pius Epiſcopus, ſervus ſervorum „ Dei, dilectis filijs, Rectori & Vniverſitati „ Scholæ Colonienſis, ſalutem & Apoſtoli„ cam benedictionem. In minoribus agentes „ nondum ſacris ordinibus initiati, cùm Ba„ ſileæ inter eos verſaremur, qui ſe Generale „ Concilium facere, & Vniverſalem Eccle„ ſiam repræſentare aiebant, Dialogorum „ quendam libellum ad vos ſcripſimus, in quo „ de authoritate Concilij Generalis, ac de „ geſtis Baſileenſium, & Eugenij Papæ con„ tradictione, ea probavimus vel damna„ vimus, quæ probanda vel damnanda cen„ ſuimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gra„ tiam, nihil ad odium retulimus. Exiſtima„ vimus benè agere, & rectâ incedere viâ: „ nec mentis noſtræ aliud obiectum erat, „ quàm publica vtilitas, & amor veri.

4 Sed quis non errat mortalis? Sa„ pientem inquiunt Philoſophi nunquā erra„ re, verum eſt. At quis ſapiens, niſi bonus? „ quis bonus, niſi ſolus Deus? Omnes decli„ naverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt „ qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, „ inquit Propheta Regius. Declinavimus & „ nos ab vtero matris, erravimus in invio, & „ non in via, ambulavimus in tenebris, & „ procùl à vera luce receſsimus; nec nobis „ tantùm erravimus, alios quoque in præci„ pitium traximus, & cæcis ducatum præben„ tes cæci, cum illis in foveam recidimus.

5 Forſitan & aliquos ex vobis ſcrip„ ta noſtra decepêre, & de via deduxerunt: „ quorum ſanguinem ſi de manibus noſtris „ requiſierit Dominus, non habemus quod „ reſpondere poſsimus, niſi nos, vt homines, „ peccaviſſe, qui arbitrantes rectum iter oſte„ dere, obliquum monſtravimus. In miſeri„ cordia tantùm Dei ſpes noſtra ſita eſt, quæ „ ſuper omnia opera eius elucet.

6 Sed haud quaquam ſatis fuerit „ divinam miſericordiam implorare, & dice„ re, Parce Domine, parce peccatis noſtris; „ niſi pro viribus vulnera, quæ inflximus, „ veritate curare annitamur: & ſicut eſt in „ fabulis, Sagitta, quæ vulneravit, afferat „ opem: ſive vt canit Eccleſia, Medelam inde „ ferat, hoſtis vnde læſerat.

7 Mortem quidam priùs ſibi conſ„ civerint, quàm videri velint aliquando ma„ lè ſenſiſſe: & nonnulli ne vel ad horam vi„ deantur erraſſe, ſemper errant, & dum vel „ minimam tolerare honoris iacturam ne„ queunt, totum abijciunt, & perpetua no„ tantur infamia, & in peſsimas prolabun„ tur hæreſes: qui ne appareant inconſtantes, „ pertinaces efficiuntur. Superbiſsimi hoc „ agunt, qui videri dij, non homines, volunt, „ qualis conſtantiæ combuſti ſunt noſtra æta„ te in magno Conventu Hieronymus & „ Ioannes Hæreſiarchæ.

8 Nos homines ſumus, & vt homi„ nes erravimus: neque imus inficias, multa „ quæ diximus, ſcripſimus, egimus, damnari „ poſſe; verùm non vt Arius, Eutyches, Ma-

cedonius, aut Neſtorius, & alia blaſphemorum turba, ex animo damnatam viam eligimus: ſeducti peccavimus, vt Paulus, & ignoranter perſecuti fuimus Eccleſiã Dei, & Romanam primamque Sedem.

9 Propter quod proſtrati ante oculos divinæ pietatis ſupplices oramus: Delicta iuventutis meæ & ignorantias ne memineris, &c. Pudet erroris, pœnitet malè feciſſe, & malè dictorum ſcriptorumque vehementer pœnitet: plus ſcripto, quàm facto nocuimus.

10 Sed quid agamus? Scriptum & ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum. Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta, quæ multas inciderunt in manus, & vulgò leguntur: vtinã latuiſſent, quæ ſunt edita. Nam ſi futuro in ſęculo manſerint, & aut in malignas mentes inciderint, aut incautas, fortaſſe ſcandalum parient. Qui hæc ſcripſit, inquient, in B. tandem Petri cathedra ſedit, & Chriſti Salvatoris Vicariatum geſsit: ita ſcripſit Aeneas, qui poſtea ſummum Pontificatum adeptus, Pius II. appellatus eſt, nec invenitur mutaſſe propoſitum. Qui eum elegerunt, & in ſummo Apoſtolatus vertice collocarunt, ab iis ſcripta eius approbata videntur. Verendum eſt, ne talia noſtris aliquando ſucceſſoribus obijciantur, & quæ fuerunt Aeneæ, dicantur Pij, atque ab ea Sede authoritatem vendicent, adverſus quam ignoranter latraverunt.

11 Cogimur igitur, dilecti filij, B. Auguſtinum imitari, qui, cùm aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit. Humilis & probatiſsimi vir ingenij, qui ſuas ineptias verecundè confiteri & corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus: confitebimur ingenuè ignorantias noſtras, ne per ea, quæ ſcripſimus iuvenes, error irrepat, qui poſsit in futurum Apoſtolicam ſanctam Sedem oppugnare: nam ſi quem decuit vnquam Romani primique throni eminentiam & gloriam defendere ac extollere, nos illi ſumus, quos ſine vllis meritis pius & miſericors Deus ſola diſpenſatione ſua ad B. Petri ſolium, & dilectiſsimi Filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicariatum evocavit.

12 Quibus ex rebus dilectiones veſtras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis ſcriptis inhæreatis, aut fidem vllam præſteris, quæ ſupremam Apoſtolicæ Sedis authoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid adſtruunt, quod ſacro-ſancta Romana non amplectitur Eccleſia. Suadete omnibus, vt id ſolium præ cæteris venerentur, in quo Salvator Dominus ſuos Vicarios collocavit, & quod B. Apoſtoli Petrus & Paulus ſuo ſanguine dicaverunt.

13 Ne putetis divinam providentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum, quæ creavit, inordinatam reliquiſſe militantem Eccleſiam: quæ, cùm ſit ſponſa Chriſti, profectò à Deo eſt, & ordinem habet, dicente Apoſtolo, quæ ſunt, à Deo ordinata eſſe. Requirit autem ordo, vt inferiora à ſuperioribus gubernentur, & ad vnum tandem perveniatur, tanquam principem & moderatorem cunctorum, quæ intra ſe ſunt. Sicut grues vnam ſequuntur, & in apibus vnus rex: ita & in Eccleſia militanti, quæ inſtar triumphantis habet, vnus eſt omnium moderator & arbiter Ieſu-Chriſti Vicarius: à quo, tanquam capite, omnis in ſubiecta membra poteſtas & authoritas derivatur, quæ à Chriſto Domino Deo noſtro ſine medio in ipſum influit.

14 Nec profectò in alium, tanquam ſui exercitus ducem, ſupremam authoritatem Chriſtus principaliter derivaſſet, quàm in ſuum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commiſſam novimus Dominici gregis curam: nec duos pluresve Petros Evangeliſtæ commemorant, nec duos, aut plures inſtituit Dominus, qui ſuum locum tanquam capita tenerent æqualia: ſed vnum conſtituit, vt verticem ac ducem, & paſtorem vniverſi gregis, Simonem Petrũ dicens, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlo. Et, Paſce oves meas. Quæ nulli alteri ſeorſim dicta leguntur, niſi Petro, vt in Petro vnitas, & ſumma contineretur authoritas: nec alius à petra dictus eſt Petrus, niſi Simon, vt intelligeremus vnicum eſſe veræ, & ſolidæ petræ, id eſt Chriſti (vt Paulus exponit) locum tenentem, Simonem Petrum, qui ſolus pro Domino in periculo conſtituto exemit gladium.

15 Petrus igitur, & Succeſſores eius Romani Pontifices, Primatum in Eccleſia tenuerunt, & nos hodie quamvis indigni, ſola Domini voluntate digni tenemus, & quicumque Romanæ ſecundùm canonicas ſanctiones præficitur Eccleſiæ, quam primùm electus eſt in Sacro Collegio, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, & per ordinem in omnem diffundit Eccleſiam, cuius peccata divino iudicio pu-

„punienda relinquuntur. Si quid adverſus „hanc doctrinam inveneritis aut in Dialo„gis, aut in Epiſtolis noſtris, quæ plures à „nobis ſunt editæ, aut in alijs Opuſculis no„ſtris (multa enim ſcripſimus adhuc iuvenes) „reſpuite, atque contemnite: ſequimini quæ „nunc dicimus, & ſeni magis, quàm iuveni „credite, nec privatum hominem pluris fa„cite, quàm Pontificem. Aeneam reijcite, „Pium recipite: illud gentile nomen paren„tes indidere naſcenti: hoc Chriſtianum in „Apoſtolatu ſuſcepimus.

16 Dicent fortaſſe aliqui, cùm „Pontificatu hanc nobis opinionem adveniſ„ſe, & cum dignitate mutatam eſſe ſententiā. „Haud ita eſt, longè aliter actum. Audite fi„lij converſationem noſtram: brevis narratio „erit, quæ vobis quantum ad rem attinet, ve„ritatem aperiet, & obiectioni faciet ſatis. „Anno ſalutis primo & trigeſimo ſupra mil„leſimum quadringenteſimum cum Domini„co Capranica, quem Martinus V. in ſecretó „Conſiſtorio Cardinalem creaverat, Eugenius „IV. ſpreverat, Baſileam petivimus, ibique „Concilium inchoatum invenimus: verùm ab „Eugenio revocatum, quamvis congregati „noluerant obedire, aſſerentes iam inceptum „Concilium ſine conſenſu Patrum, qui con„veniſſent, haud quaquam diſſolvi potuiſſe.

17 Iulianus aderat ſancti Angeli „Cardinalis, natione Romanus, moribus, & „doctrina conſpicuus. Is cùm cæteris præſta„ret, audita Eugenij revocatione, præſiden„tiam dimiſit, tanquam Summo Pontifici „vellet obedire: ſed cùm augeſceret in dies „(Eugenio vel invito) Concilium, & multi „ex diverſis regionibus Epiſcopi, & Regum „legati adventarent, Cardinales quoque ex „Romana curia profugi in dies nonnulli cō„currerent, præſidentiam reſumpſit, & autho„ritatem Concilij mirum in modum extol„lens, eminentiam Primæ Sedis ſupprimere „cœpit. Venientes Eugenij legatos, & pote„ſtatem Romanorum Præſulum magnifican„tes, apparenter confutavit: & cùm eſſet fa„cundiſſimus, facilè perſuaſit auditoribus quę „cupiebat. Cardinales ex Vrbe profecti Eu„genio infenſi, vitam eius, moreſque carpe„bant: accedebant in horas catervatim novi „curiales, qui (vt eſt omnis multitudo male„dica, & inimica Principi) Eugenij nomen „modis omnibus lacerabant.

18 Nos, qui ex patria iuvenes, non „ex Vrbe illuc migraveramus, & nova tum „primùm avis ex Senenſi Gymnaſio evolave„ramus, rudes, & inexperti, vera eſſe arbitra„bamur quæcumque dicebantur, nec putaba„mus mentiri alios, qui neſciremus ipſi men„tiri: atque vt eſt innatum homini, tetra, & „horrenda crimina odio habebamus, nec Eu„genium diligere poteramus, quem tot tanti„que teſtes indignum Pontificio dicerent. „Aderant legati Pariſienſis Scholæ, cuius eſt „fama percelebris: affuerunt & aliquando ve„ſtri, & aliorū ſtudiorū Germanicæ nationis. „Oratores: & vno cuncti ore Concilij Gene„neralis authoritatem ad cœlum efferebant, „de poteſtate Romani Pontificis pauci erant: „qui loqui præſumerent: omnes qui publicè „loquebantur, prurientes auribus multitudini „applaudebant. Acceſsit & ipſius Eugenij „conſenſus, qui diſſolutionem Concilij à ſe „factam revocavit, & progreſſum eius appro„bavit, cum reconciliata Synodus Eugenio „videretur, & pax Eccleſiæ data. Præterita „enim omnia per ſuas litteras Concilij Pa„tres Eugenio ſe ſe remiſſuros, & pedes eius „tanquam B. Petri exoſculaturos promiſerant, „ſi revocata diſſolutione, Concilio curſum „permitteret, atque illi cohæreret.

18 Novæ interceſſere diſcordiæ, „tum alijs de rebus, tum potiſsimè ſuper „tranſlatione Concilij Græcorum causā in „alium locū. Eugenius in Italia nō ſine ratione „Concilium petebat. Popularitas Synodalis „tranſire montes horrebat, & in Avinione, „aut in Sabaudia locum deſiderabat. Adive„runt per id temporis duo viri ex Italia Baſi„leenſe Concilium, Nicolaus Panormitanus „Archiepiſcopus, & Ludovicus Pontanus „Apoſtolocæ Sedis Notarius, Alphonſi Mag„ni Regis Oratores, qui velut duo orbis Sy„dera, ceu Pontificij iuris, & totius civilis „ſapientiæ duo præcipua lumina, & clariſsi„ma cenſebantur. Hi dictis, ſcriptiſque Con„cilij geſta probabant: Eugenij facta damna„bant: nec erat, qui aut vellet, aut auderet di„cta eorum refellere. Quid ageremus? audire „potuimus, non diſcere? Rude nimis ingeniū „eſt, quod per ſingulos dies audita, & incul„cata non capit. Quales Magiſtri ſunt, tales „diſcipuli evadere ſolent. Paucos invenias „Ariſtoteles, qui Platonica nòrint deſtruere „dogmata. Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrū, „inquit Dominus: nec nos Magiſtrum potui„mus ſuperare. Iulianus nobis, & Nicolaus, & „Ludovicus, & alij complures fuere Magiſtri. „Schola Baſileenſis Conventus, in quo rarò „aliquis Eugenij cauſam defendit. Adverſus „Concilij dignitatem mutire aliquid, crimen „hæreſis fuit. Vna omnium vox Concilium „Eugenio preferebat: de Sedis Apoſtolicæ „præcellentia, aut ſilentium, aut contemptus: „Concilium Concilium cuncta ſonabat.

19 Didicimus ergo quæ audivimus, & „poſt aliquot annos exiſtimantes nos aliquid eſſe

, eſſe, diximus, vt eſt apud Satyricum: *Sem-*
, *per ego auditor tantum? nunquam ne re-*
, *ponam?* Puduit ſemper diſcipulum agere,
, ſubtraximus ferulæ manum, cœpimus loqui,
, & Magiſtri perſonam induimus. Scripſimus
, Epiſtolas,& Opuſcula. Hoc omnibus paſsim
, datur: docti & indocti ſeribunt,& quæ ſcrip
, ſit ipſe, nemo contemnit, niſi editionis fer-
, vorem tempus extinxerit. Nobis placebant
, ſcripta noſtra more poetarum, qui poemata
, ſua tanquam filios amant. Nec Baſileæ quem-
, quam inveniebamus, qui ea damnaret: pro-
, bant enim ſimilia ſimiles: applaudebamus
, nobis ipſis,& in editionibus noſtris gloria-
, bamur:& quamquam poſtea Eugenius Con-
, cilium in Italiam tranſtulerit, & cum Græ-
, cis Ferrariæ, ac demum Florentiæ convene-
, rit; quanquam Iulianus ſancti Angeli, &
, Ioannes ſancti Petri Cardinales, quibus
, plurimum credebamus, ad Eugenium defe-
, ciſſent: quanquam paucisſimi in fide Baſi-
, leenſi remanſiſſent; noluimus tamen credere,
, exiſtimantes, cunctos qui abibant, metu re-
, cedere, ne bona temporalia perderent, &
, cùm nihil haberemus, quod nobis auferri
, poſſet, perſeverandum putavimus, ne par-
, tem, quæ verior nobis apparebat, relin-
, quentes detrimentum animæ faceremus.

20 Manſimus igitur Baſileæ, quoad
, Eugenio, vt credimus, iuſto iudicio depoſi-
, to Amadeus Sabaudienſis ſuffectus eſt,& Fe-
, lix V. appellatus: quem non vt idolum,quod
, erat, ſed tanquam verum Chriſti Vicarium
, venerati fuimus, nihil ad hæc ſiniſtri putan-
, tes interceſsiſſe. At cùm Fridericus Roma-
, norum Rex Aquiſgrani coronatus, domum
, repetens, Baſileâ tranſitum feciſſet; rogatuſ-
, que Felicem illic præſentem accedere, nullo
, pacto perſuaderi potuiſſet, vt honorem ei
, tanquam Romano Pontifici exhiberet, aut
, publicè cum eo verba miſceret: tum primùm
, conſideravimus poſsibile eſſe, quod partem
, erroneam ſequeremur, quando Rex Impera-
, tor Romanorum futurus, in tanto negotio
, dubius eſſet,& ad Eugenium inclinaret ma-
, gis. Multum & ſæpè inter nos ipſos cogita-
, vimus, quis eſſet modus inveniendi verum.
, Nunquam enim volentes erravimus.

21 Rogati in familiam Friderici
, tranſire, non renuimus. Erat tunc ille cum
, tota ferè Germania neutralis. Concilium
, Baſileæ dicebant eſſe Germani, & idolum
, eius reſpuebant: Eugenium Chriſti Vicariũ
, appellabant,& Concilium ab eo celebratum
, recuſabant: nec Eugenio, nec Baſileenſibus
, plenè obediebant. Placuit ad neutrales tran-
, ſire, vt verum apud eos liberiùs audiremus,
, & ſi recedendum eſſet ab vno extremorum,
, per aliquod medium tranſiremus ad alte-
, rum, & eorum iudicium expectaremus,
, qui non eſſent affecti cauſæ. Manſimus in
, aula Friderici pluribus annis, illic varias
, andivimus opiniones. Neutralitatem id cir-
, co Teutones induerant, vt concordia faci-
, liùs inveniretur, non ex conſilio Solonis, qui
, tumultuante civitate extorrem fecit eum,
, qui ſine parte remanſit.

22 . Multa inter neutrales didicimus,
, quæ nos antea latebant: Eugenium falsò de
, multis accuſatum invenimus: Cardinales,
, qui Baſileam venerant, ob privatas inimici-
, tias bono & ſancto viro notam inurere vo-
, luiſſe: qui tamen cuncti poſtea ad eum re-
, dierunt, & veniam errati petierunt.

23 Fortè per id tempus Iulianus
, ſancti Angeli Cardinalis, cuius ſuprà me-
, minimus, ex Vngaria, quæ ſibi decreta cō-
, tra Turcas fuerat Provincia, Flavianum ve-
, nit (quæ hodie Vienna dicitur) præcipuum
, Auſtriæ columen. Sæpè cum eo ſermonem
, pro veteri conſuetudine miſcuimus, ſæpè de
, rebus Baſileenſibus diſputavimus: tuebamur
, antiquam ſententiam; ille novam defende-
, bat; extollebamus Generalis Concilij au-
, thoritatem; ille Apoſtolicæ Sedis authori-
, tatem magnoperè collaudabat: dicebamus
, Conciliū Baſileenſe iure perſeveraſſe, quam-
, vis Eugenius præſidentes revocaſſet, & hoc
, eius factum accuſabamus: ille diſſolutum,
, ſeu translatum ritè Concilium affirmabat,
, & Baſileenſium opera multis modis deteſta-
, batur, Baſileæque non Synodum Eccleſiæ,
, ſed Sathanæ, & miniſtrorum eius ſynagogā
, remanſiſſe dicebat.

24 Diutina fuit inter nos concer-
, tatio, verùm modeſta, & charitate plena: ad
, extremum cùm ſuis ſcriptis, dictiſque, Car-
, dinalem vinceremus, premeremuſque vehe-
, menter, ſubridens ille, Tu, inquit, Aenea,
, tabellis obſignatis agis mecum: & quoniam
, aliquando ſenſimus, vt dicis, idcirco & ho-
, die idem putas debere ſentire, & addi-
, ctos priori ſententiæ cenſes. Verùm prop-
, terea nos ſumus liberi, quia mutare ſenten-
, tiam vſque ad mortem poſſumus. Cur enim
, non liceat omni tempore, relicto falſo, ve-
, rum amplecti? Fateor, me dixiſſe, & ſcrip-
, ſiſſe quæ refers; verùm à vero remotum
, erraſſe.

25 At tu, qui, vt ais, me Doctorē
, Baſileenſibus credere adductus es, errantem
, olim ſectatus es, cur modò non ſequeris re-
, cta monentem? Præſumpſi de me ipſo, dum
, eſſem Baſileæ, nimis, quamvis deceptus, &
, credens prodeſſe, nocui. In medio Eccleſiæ
, docens quæ non didici cæcus erravi, & in
te-

tenebris ambulavi; reliqui tandem Eccleſiã malignantium, & cum impijs ſedere recuſavi. Revelavit Dominus oculos meos, & cõſideravi mirabilia de legẽ ſua: cognovi peiorem errorem, & quantũ à vero procul abijſſent Baſileenſes, planè intellexi: adij Romanam Curiam, & Eugenio, cui fuiſſem rebellis, ſubmiſi cervicem: à quo miſericordiam conſecutus, ad vnionem Græcorum navavi operam, & illis Romanæ Eccleſiæ reconciliatis, adverſus impios Turcas legationem accepi.

26 Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me, ſed humiliatum exaltavit: quia cognito in errore non perſeveravi; ſed mox in viam redij, & ex Magiſtro factus diſcipulus, ex magno parvus, expurgato veteri fermento, novum hominem indui. & veræ matris lacte nutritus, ad fontem veri perveni, quem ſancti Doctores oſtendunt Græci, & Latini, quorum vna vox eſt, *ſaluari non poſſe, qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non tenet vnitatem*, omneſque illas virtutes mancas eſſe ei, qui ſummo Pontifici obedire recuſat; quamvis in ſacco, & cinere iacens, dies & noctes ieiunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia melior eſt obedientia, quam victimæ, & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta eſt, & *Romanum Præſulem in Eccleſiæ vertice conſtitutũ eſſe conſta; à quo nullam ex ovibus Chriſti exemptam novimus*. Ego ad ovile redij, qui diu erraveram extra caulas; & Paſtoris Eugenij vocem audivi: tu ſi ſapias, idem facies: hæſerunt pectori noſtro verba viri, quæ ſæpè ad nos repetijt non ſine charitate ardenti, & amore ſingulari.

27 Interea ex diverſis regionibus homines doctiſsimi Cæſarem adierunt, quibuſcum placidos de eiſdem rebus miſcuimus ſermones, ſemper ad verum intenti, cuius eſt natura hominis avida. Multùm profuit nobis Ioannes Caravaialis Apoſtolici Palatij Auditor, natione Hiſpanus, qui Iuliano defuncto, in titulo Cardinalatus, ac legatione ſucceſsit: quocum ſæpè de Concilio Baſileenſium amicè diſputavimus. Nemo doctus ad Imperatorem venit, quem de ijs rebus in colloquium non adduceremus. Cumque Cæſar ad vnionem Eccleſiæ procurandam in Nurimberga ſuæ nationis Conventum inſtituiſſet, decreviſſetq; Summum Pontificem adhortari, vt Conſtantiæ novum Concilium indiceret, legatumque mitteret, ac Baſileenſes pariter induceret, vt eò ſe transferrent, vt pax Eccleſiæ redderetur; primi Baſileenſes recuſavere. Quod audiens Thomas Aſſelbachius ex Germanis inſignis Theologus, Nunc, inquit, ſcio Baſileenſes Spiritum ſanctum non habere ductorem, quando tam æquam Imperatoris legem effugiunt. Idem multi alij dixere viri doctiſsimi, & opinione ſanctitatis illuſtres.

28 Quibus conſideratis, caligo tandem ab oculis noſtris cecidit, quæ velut aranearum tela verum cernere impediebat. Recognovimus errorem noſtrum, venimus Romam, Baſileenſium dogma reiecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput ſubmiſimus, & reconciliati Eccleſiæ Romanæ doctrinam eius imbuimus, & illud Hieronymi diximus: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam fundatam Eccleſiam ſcio: quicumque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

29 Eramuſque adhuc plenè laici, quando ad Eugenij obedientiam redivimus. Ex Baſilea Clericali tantùm charactere inſigniti receſsimus, nec vnquam ſacros imbuimus ordines, niſi poſt veritatem cognitam, Baſileenſium cæcitate relicta. In Auſtria minores ordines, ad Subdiaconatum, & Diaconatum recepimus: in Vrbe ad Præſbyteratum pervenimus. Hæc eſt converſatio noſtra: per hos gradus è tenebris ad lucem migravimus, ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thom. Sarazenus Theologicæ ſapientiæ celebratus, ac acutiſſimus Interpres, qui poſtea in ſummo collocatus Apoſtolatu, Nicolai V. nomen accepit.

30 His Auctoribus vnam Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam eſſe didicimus, Matrem omnium fidelium, extra quam non invenitur ſalus, ſponſam Chriſti immaculatam, in qua omnes qui militant, finem ſibi proponunt vitam æternam. Idcirco enim in Eccleſia militante laborant homines, & cum dæmonibus tanquam hoſtibus pugnant, vt pacem tandem aſſequantur, & cum Ieſu Magiſtro, ac legifero ſuo, in cœleſti Hieruſalem triumphare, ac regnare poſsint. Hic finis Chriſtiano proponitur, huc omnes Eccleſiæ militantis conatus, omnes leges, omnes regulæ tendunt: & quoniam Eccleſia quidem exercitus eſt Deo militans, terribilis vt caſtrorum acies ordinata dicitur: vni proculdubio Imperatori ſubiecta, ad cuius nutum cuncta referuntur.

31 Cumque plus, ac Maximus, & Optimus Deus in ſuo ſanguine fundaverit Eccleſiã, eamque voluerit ad finem vſque ſæculi

culi perdurare: quis non dixerit in ea id regimen inſtitutnm eſſe, quod optimum cenſeretur? At verò inter genera gubernationum communis Philoſophorum ſententia eſt præſtare Monarchiam: & Romani, quorum toto micuit orbe dignitas, quamvis eiectis Regibus, duos annuos Conſules elegerunt, & modò Tribunos addidere, modò alios Magiſtratus invenere: in adverſis tamen caſibus, belliſque gravioribus, ad vnum aliquem recurrerunt, virtute, & authoritate præſtantem, quem Dictatorem appellaverunt, cuius dicto non liceret adverſari: & quanquam Dictaturam ab initio temporaneam inſtituerunt, in Iulio tamen, & ſucceſſoribus eius perpetua effecta eſt. Nec vnquã Romana res admirabilior, aut celſior fuit, quàm ſub Auguſto Cæſare, quando iam clauſis Iaui portis, totus ferè Orbis ſub vnius hominis gubernatione quievit. Quo tempore natus mundi Salvator Monarchicum regimen cæteris prætuliſſe videtur gubernationibus.

32 Idem probat totius ferè orbis conſuetudo, cuius maximam partem gubernant Reges, ſive Chriſtianos intueamur, ſive Barbaros. Et quamvis civitates aliquot reperiantur, quæ cùm maximè ſerviant, liberas ſeſe vocitant, ſine Rege viventes; non poſſunt tamen effugere, quin vnum præferant alijs, eique tanquam capiti pro tempore obediant. Quid plura? Cœleſtis Aula nos admonet. Quid illa pulchrius? Quid ordinatius? Quid maius, aut durabilius? Quid melius, aut beatius? Quamvis in ea & Angelorum diverſi ſint Ordines, & ſanctorum Spirituum innumerabiles chori; vnus eſt tamen omnium Rex æternus Deus, qui condidit vniverſa, & nihil negligit eorum, quæ condidit, cuius Filius vnigenitus Chriſtus Ieſus, cùm pro noſtra ſalute veniſſet in hunc mundum, ſervili accepta forma, Eccleſiam, de qua loquimur, in cruce patiens, ſuo ſanguine acquiſivit, & in ea vſque in diem aſcenſionis corporaliter præſedit, & tanquam dux verus, & Imperator, cuncta in finem ſuum direxit. At cùm aſcendiſſet in cœlum, eum indubitanter ſui gregis Paſtorem reliquit, cui dixerat: *Paſce oves meas, & Tibi dabo claves Regni cœlorũ.* Neque enim dixit, & non fecit qui ſolus eſt verax. Grex Chriſti Eccleſia eſt. Paſtor primus ipſe Chriſtus fuit, & Paſtor bonus, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis. Secundus Paſtor Petrus extitit, ab ipſo Domino inſtitutus, atque omni poteſtate donatus, quæ ad benè regendas commiſſas oves neceſſaria ducitur. Alioqui Chriſtus, qui ſapientia Patris eſt, & omnino ſapienter egit, Eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter providiſſet: quod eſt nefarium aſſerere. Et quamvis plures per Orbem Eccleſiæ inſtitutæ fuerint, & plures Epiſcopi; id eſt, plures greges, & ovilia plura, & Paſtores plures: omnes tamen ſub vno Paſtore, & vno grege, atque ovili continebantur, ſicut & hodie continentur: quia vnus eſt Chriſti thalamus; vna ſponſa, vnum ovile, & *Vnus Paſtor, & omnium Epiſcoporum Vnus Epiſcopus Romanus Præſul, B. Petri Succeſſor, & Ieſu Chriſti Vicarius.*

33 Petrus enim in Antiochia primùm ſedit, deinde Romam venit: vnde cùm perſecutionem fugiens vellet abire, à Domino prohibitus eſt, & hic glorioſo martyrio vitam finivit, ſucceſſore Clemente ſubſtituto. Atque ita in hanc vſque diem ſervatum eſt, vt qui Romæ ſederit Antiſtes ritè inſtitutus per legitimum electionis tramitem, tanquam Aaron vocatus à Domino, hunc omnes Chriſtianæ plebes, omnes populi, omnes Reges, omnes Clerici, omnes Epiſcopi, *TANQVAM IESV CRISTI VICARIVM, ET B. PETRI SVCCESSOREM, VNIVERSALIS ECCLESIÆ CAPVT, AC RECTOREM ET DVCEM*, venerati ſint. Inter quos plurimi pro Chriſti nomine aſperrimos perpeſſi cruciatus, & morte mulctati, coronam martyrij ſuſceperunt: plurimi confeſſores egregij, vita, moribus, & doctrina fulgentes, quamvis ſine ſanguinis effuſione, non tamen ſine periculis, & labore, at voluntate parata pro conſervanda ſacri Evangelij authoritate moriendi, ad cœleſtem gloriam pervenere: vt Gregorij, Damaſi, Leonis, Innocentij, Bonifacij, Benedicti, & alia nomina, inter quæ Tertius claruit Eugenius, ex Monaſterio S. Anaſtaſij ad ſummum Sacerdotium evocatus, ad quem D. Bernardus Monachorum Pater, non minus doctrinæ fulgore, quàm vitæ ſanctimonia illuſtris, inter multa, huiuſmodi verba conſcripſit: *Indagemus*, inquit, *adhuc diligentiùs quid ſis, quam geras videlicet perſonam pro tempore in Eccleſia Dei. Tu es Sacerdos Magnus, tu Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorũ, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt & alij quidem cœli ianitores, & gregũ Paſtores: ſed*

ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentiùs vtrumque præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſsignatos ſibi greges, ſinguli ſingulos: tibi vniuerſi crediti vni ſumus. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor.

34 Hæc Bernardus ad Eugenium III. ſcribit, cui ſupremá & omnimodá in Eccleſia poteſtatem concedit. Quod ille de Tertio teſtatur Eugenio, hoc nos de Quarto, & omnibus alijs Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis eſt authoritas. Liquet igitur vnum in Eccleſia Caput eſſe, & vnum Principem: quia pax populi ex vno Rectore dependet, & pluralitas Principum diſcordiá parit. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in vltimo teſtamento pacem reliquit, & pacē multis verbis commendavit. Dedit ergo & regimen pacis amicum, id eſt Monarchicum ſub B. Petro, & ſucceſſoribus eius adminiſtrari cuncta præcipiens, clavibus illi commiſsis, & cura gregis demandata. Hæc nos de Romani Pontificis authoritate, & poteſtate ſentimus, *cui & congregare Generalia Concilia, & diſſoluere datū eſt*: qui etſi filius eſt propter regenerationem, propter dignitatem tamē Pater habetur: & ſicuti filiationis causá venerari debet Eccleſiam, tanquam Matrem: ita & prælationis causá præfertur ei, vt Paſtor gregi, Princeps populo, Rector familiæ.

35 Cum his & Generalis Concilij, auctoritatem, & poteſtatem complectimur: quemadmodum & ævo noſtro Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus Vniverſalis, declaratum, definitumque eſt. Veneramur enim Conſtantienſe Concilium, & cuncta quæ præceſſerunt à Romanis Pontificibus noſtris Præceſſoribus approbata: inter quæ nullum invenimus vnquam fuiſſe ratum, quod *ſtante Romano indubitato Præſule*, abſque ipſius authoritate convenerit: quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine Capite, & omnis ex capite defluit in membra poteſtas. Hæc noſtra ſententia eſt, filij: hæc credimus, & profitemur: hæc iam ſenes, & in Apoſtolatus apice conſtituti, pro veritate aſſerimus: ſi quæ vel vobis, vel alijs conſcripſimus aliquandò, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea, & iuvenilis animi parùm penſata iudicio, revocamus, atque omnino reſpuimus. Datum Romæ apud S. Petrum, 6. Kalendas Maias, 1463.

****

SECTIO SECVNDA.

Notæ quædam in eandem Bullam, inſtituto noſtro opportunæ, ad oſtendendum vberiùs, nullam eſſe auctoritatem Synodi Baſileenſis, etiam teſtimonio Regis Galliarum Ludovici XI. & Scriptorum gravium eiuſdem præclaræ Nationis.

36 HVCVSQVE Pius II. Pontifex: cuius Bulla imprimis erudita, elegans, modeſta, & tandem digna eſt Summo Eccleſiæ Doctore ac Paſtore: cuius voci ſanè auſcultare deberent quicumque è Clero Gallicano, quicumque etiam in Belgio, non ratione aut matura deliberatione, ſed præiudicio aut impotēti perturbatione abducti, deploratá illam Concilij Baſileenſis cauſam ſuſcitant, vt Romanum Pontificem à Deo conſtitutum Caput & Magiſtrum totius Chriſtiani Orbis, præcipuè quoad fidē & mores, ſubijciant Synodo Vniverſali, etiam in cauſis fidei: quam doctrinam Romani Pontifices, innumerique Doctores Theologiæ, & vtriuſque Iuris, cenſent ſacris litteris, ac promiſsionibus Chriſti repugnantem, Concilijs Generalibus legitimis & indubitatis adverſam, à perpetua traditione Eccleſiæ diſsidentem, rationibus manifeſtis cōvulſam: & enervē in ſeipſa, nullius, niſi erratici aut acephali, Concilij teſtimonio fultam: non à Patribus traditá, non ab vllo vetere aut recente Romanæ Eccleſiæ Pōtifice toleratá: excogitatam à paucis Theologis contra omnem antiquitatē Chriſtianam, idque aſperrimis ſolùm temporibus graſſantis Schiſmatis, cui extirpando nullū aliud remedium eſſe cogitabant: deſtitutam omni ſolido præſidio auctoritatis & rationis: quæ proinde à principio ſui, aut ſaltem à tempore Concilij Lateranenſis ſub Leone X. Seſs. XI. iam diris & execrationi tradita fuit. Faceſſant igitur quicumque ex Recentioribus, non tam Theologi, quàm Philologi; nec in ſacris litteris, Concilijs, & Patribus verſati ſolido ſtudij genere, ſed in alijs ſolùm ad humaniores litteras, aut hiſtoriam, vel minoris notæ apices ſpectantibus; obtrudere litterario Orbi, aut ſuſcitare volunt opinionem illam, quæ iandiu animam egit, ſiquam habuit; aut poſtliminio in Rempublicam revocare, poſtquam tandiu in Morboniam aut Vtopiam inſulam à Pontificibus Pio II. & Leone X. pulſa fuit.

37 Meliùs certè & conſultiùs facerent pauci ij Galliarum ſcriptores, ſi imitarentur Ludovicum XI. Chriſtianiſsimum Regem eiuſdem præclaræ Nationis: qui ad eundem Pium II. Papam, paulo antè laudatum, ita ſcripſit: *Beatiſsimo Patri*

noſtro Pio Papæ II. obedientiam filialem. Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione proſequimur, vt ſacra, præſertim in Eccleſiaſticis rebus, tua monita, VELVT VOCEM PATORIS, audire, illiſque parere prompta mente velimus. Te Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitẽ Sacrorum, te Dominici gregis Paſtorem profitemur, & ſcimus te, qui iubentẽ ſequimur: tibi, & Beatiſsimi Petri Cathedræ conſentimus. Itaque ſicut mandaſti, Pragmaticam ſanctionem (tuæ Sedi infenſam, vtpote quæ ſchiſmatis tempore, atque per ſeditionem mota ſit) à noſtro Regno, noſtroque Viennenſi Delphinatu, & omni ditione noſtra, per præſentes pellimus, deÿcimus, ſtirpituſque abrogamus.

38 Aurea ſunt hæc: in quibus Rex ille Chriſtianiſsim⁹, ſe per omnia auſcultare profitetur Romano Pontifici, tanquam Vicario Chriſti, Principi totius Eccleſię, ac Paſtori Dominici gregis, ſedenti in Cathedra B. Petri. Et ſanè nõ potuit ea omnia ex animi ſententia proferre, niſi qui vocem Romani Pontificis ex Cathedra pronuntiantis de fide & moribus, pro eodẽ reputaret, ac vocẽ Criſti, quę irreformabilis eſt: qui etiã illum cenſeret ſuperiorẽ Concilio Oecumenico. Nã alioqui quomodo illũ appellaret *PRINCIPEM TOTIVS ECCLESIÆ*? Denique in ijs planè reijcit, ſeu potiùs nullius momenti cenſet auctoritatem Concilij, tum Bituricenſis, tum Baſileenſis, in quibus ſanctio Pragmatica fuit ſtabilita: quoniã eæ Synodi habitę ſunt tempore Schiſmatis, & ſeditionis. Sed ô mira rerum converſio! Tunc Rex Galliarũ Ludovicus XI. ex animi ſententia vocẽ Pontificis Romani tanquam vocẽ Chriſti nulli errori obnoxiã venerabatur, illumq; ſuperiorẽ Concilio agnoſcebat, reputans pro nihilo Synodũ Baſileenſem contrà ſentientẽ Nunc autem multi in Gallia, vt captent, vel adulentur Glorioſiſsimo Regi Ludovico XIV. ex oppoſito vocem Pontificis Romani pronuntiãtis de fide & moribus, obnoxiam errori contendunt: illũ Concilio Generali inferiorem volunt: & denique doctrinã Synodi Baſileenſis Seſsione II. id docentis (quę eſt ipſa ferè ac Conſtantienſis Seſs. 4. & 5.) quaſi definitionem alicuius legitimi Concilij Generalis tuentur.

39 Quàm aliter paucis retrò annis Andręas Duvallius, Doctor Pariſienſis celeberrimus! Nimirum Tom. II. p. i. de Suprema Põtificis poteſtate in Eccleſiam, in Anteloquio pag. *699*. & ſeqq. ex inſtituto demonſtrat, Synodum Baſileenſem ſolùm fuiſſe Oecumenicã *ſecundùm quid*, ratione convocationis ſolemniter indictę à Romano Pontifice: alioqui verò & de cętero carentẽ conditionibus neceſſarijs ad legitimũ & Generale Conciliũ. Quare invehitur adverſus Paulum Langium in Chronico Citirenſi, ac Guimerium Senatorẽ Pariſienſem in Pragmaticã ſanctionem, quoniam prędictæ Synodo fidem & auctoritatem Concilij Generalis conciliare tentarunt.

40 Quàm aliter quoque diſertiſsimus ſcriptor Henricus Spondanus Appamiarũ in Gallia Epiſcopus! Vide ipſum in Annalibus Eccleſ. ad annum Chriſti 1431. n. 10. vbi inter alia plura, ita loquitur de geſtis eius Sy-
, nodi. * Cùm igitur Baſileenſe Concilium
, originem, & auctoritatem primam trahens
, à Synodis Conſtantienſi, & Senenſi inchoa-
, tum eſſet; paucis initio convenientibus, &
, quædam contra Romani Pontificis poteſta-
, tem moliri viſis, Eugenius Papa illud anno
, primo diſſolvere tentavit: nec tamen præ-
, valuit, tribus circiter annis in altercatione
, elapſis: donec Sigiſmundi Romanorum Re-
, gis operâ concordia facta, per annos fermè
, quatuor ea vtcumque perſeveravit: quo tem-
, pore multa ſalubria ſunt ſtatuta. Sed cùm
, nimis multa ſibi Conciliares arrogarent, &
, diviſione inter ipſoſmet facta in omnibus
, Concilium Pontifice maius eſſe contende-
, rent; qui ſequioris fuere partis adverſus Eu-
, genium proceſſus redintegrare cœperunt.
, Quorum conatus, vt is perfringeret, Conci-
, lium de plenitudine poteſtatis Ferrariam
, tranſtulit. Vnde illi ipſum primò ſuſpende-
, runt, deinde quantum in ijs fuit depoſue-
, runt, ſubrogato Felice Sabaudo: paucis ta-
, men eis adhærentibus, quamvis initio mul-
, tos viderentur habere fautores, quorum prę...
, cipui fuere Alphonſus Rex Aragoniæ, &
, Philippus Dux Mediolani, quouſque de-
, mum poſt ceſsionem Felicis factam Nicolao
, V. Pontifici anno Domini 1449. diſsidium
, finem accepit. Fuit autem Synodus poſt pri-
, mam cum Eugenio reconciliationem ſatis
, frequens, adſtantibus aliquando Prælatis
, circiter centum infulatis, in quibus ſeptem
, Cardinales connumerabantur. Sed creſcen-
, te diſſenſione, adeò diminutus eſt eorum nu-
, merus, vt cùm iudicium in Eugenium in-
, tentarent, vix triginta adfuerint, & in
, eius depoſitione ſeptem tantum Epiſcopi.
, Admittebanturque ad definitiones non mo-
, dò Epiſcopi, & Abbates, verùm etiam
, Theologiæ, Iuris vtriuſque, & aliarum
, ſcientiarum profeſſores, quos graduatos
, appellant: tum Eccleſiarum Canonici, &
, Parochialium Rectores; ita vt non mi-
, noris eſſet auctoritatis ſimplicis Canoni-
, ci, quàm Epiſcopi cuiuſquam ſuffragium,
, & contra omnem formam Conciliorum,

non

non tam Epiſcoporum, quàm Præsbyterorum Synodus eſſet. *

41 Hucuſque ſacer ille Hiſtoriographus, ſatis luculenter notans nigro theta Synodum illam, veluti notham & erraticam. Deinde n. 14. obſervat, Eugeniũ IV. litteris datis pridie Idus Novembris, de conſilio Cardinalium, quos penes ſe habebat, poteſtatem feciſſe Iuliano Cardinali, Legato ſuo, diſſolvendi Concilium Baſileenſe, & intra annum cum dimidio novum Bononiæ indicendi. Cæterum Iulianus conſiderans, in eo Reſcripto Pontificio ſibi non præcipi vt Concilium diſſolveret, ſed ſolùm poteſtatem conferri ad illud diſſolvendum, atque aliò transferendum; & præterea verſans animo plura incommoda gravia exinde ſecutura; proceſsit ad celebrandam Seſsionem I. quæ habita fuit die Veneris 14. Decembris eiuſdem anni. Deindeque rationem ſuæ deliberationis Eugenio Papæ reddidit: qui tamen inſtitit priori conſilio, & iuſsit vt ſtatim diſſolveretur ea Synodus, ob plures cauſas, & præſertim quòd ſubaudiret, iam *aliqua ibi tractari cœpiſſe, quæ verebatur fore in præiudicium ſuum, ac Sedis Apoſtolicæ*. Inter hæc verò cenſebat eſſe quòd Bohemi iam antea damnati in Concilio Generali Conſtantienſi, confirmato palam à Martino V. Papa, invitarentur à Patribus Baſileenſibus ad conferendos articulos. Quod hiſce verbis refert Spondanus loco allegato num. 20. * Eugenius occaſione arrepta invitationis Bohemorum ad Concilium Baſileenſe pro collatione articulorum controverſorum; quòd id diceret eſſe in iniuriam Apoſtolicæ auctoritatis, ſacrorumque Conciliorum Conſtantienſis, & Senenſis, à quibus ijdem Bohemi fuiſſent ſolemniter damnati; & poſtea publicis bellis, vti perfidi, & pertinaciſsimi hæretici impetiti, quibus propterea iuxta Patrum decreta, & Legum ſtatuta, omnis audientia deneganda eſſet: tam ex hac cauſa, & periculis atque ſcandalis, quæ ex eiuſmodi collatione imminerent, quàm ex illis alijs, quas inſeruiſſe vidimus litteris de revocatione Synodi Baſileenſis ad Iulianum Legatum ſcriptis: publico edicto de conſilio, & aſſenſu decem Cardinalium, quos penes ſe habebat 15. Kalendas Ianuarij (quatriduo poſt celebratam prædictam Concilij Seſsionem, ac proinde antequam reſcire potuiſſet, quæ in ea geſta fuiſſent) promulgato; de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, Concilium, ſi quod Baſileæ congregatum videretur, omnino diſſolvit; aliudque poſt annum cum dimidio Bononiæ cui ipſemet intereſſet, rurſumque aliud in decennio decreti Conſtantienſis Avenione celebrandum indixit. *

42 Ex hiſce patet, ad ſummum Seſsionem primam eius Synodi fuiſſe auctoritate Apoſtolicâ celebratam: quoniam die 14. Decembris, quo habita fuit, nondum Eugenius Papa vſus fuerat plenitudine poteſtatis ad illam diſſolvendam, ſed quatriduò poſt, nimirum die decimo octavo eiuſdem menſis, qui incidit 15. Kalendas Ianuarij. Quare quidquid poſteà Baſileæ geſtum fuit contra expreſſam prohibitionem Romani Pontificis, irritum planè fuit. Cùm igitur Seſsio II. eiuſdem Concilij, in qua definitur, Papam eſſe inferiorem Concilio, etiam in ijs quæ ad fidem pertinent, fuerit habita longè poſtea anno ſequenti 1432. 15. Kalendas Martij, ſicuti & multò poſt Conventus Bituricenſis in Gallia, qui cauſam Baſileenſium ſuſcepit contra Eugenium Papam, eiuſque decretum expreſſum; conſequens eſt, vt doctrina definita in ea Seſsione II. & in Conventu Bituricenſi, fuerit omnino irrita & ſchiſmatica. Quapropter Concilium Generale Lateranenſe prorſus legitimum ſub Leone X. Seſs. XI. non dubitavit vtrumque cœtum, Baſileenſem, & Bituricenſem, appellare Conciliabulum, & conventiculam.

43 Porrò Spondanus in eundem annum 1432. num. 7. referens, quæ in ea Seſsione II. decreta fuere, præſertim de poteſtate Concilij ſupra Papam, etiam quoad decreta circa fidem in illo edita aut edenda, ſubdit: * Quæ quantæ auctoritatis fuerint quantum ad Concilium Conſtantienſe (in quo nimirum idem definitum fuerat Seſs. IV. & V.) iam tunc oſtendimus, cùm de illo egimus: quantum verò ad præſens Concilium Baſileenſe, etiam olim diſputavit Cardinalis Turrecremata, cùm eadem examinavit, *IMPROBAVITQVE EX DEFECTV POTESTATIS, ET VNIONIS PATRVM, QVI CONCILIO ADERANT.* * Quibus verbis Spondanus non obſcurè ſuffragatur ſententiæ Cardinalis Turrecrematæ, reprobantis idem Concilium, veluti acephalum & ſchiſmaticum, lib. 2. Summæ de Eccleſia cap. 100. quo loco illum citat.

44 Quia verò Spondanus circa doctrinam eius Seſsionis Baſileenſis ſubijcientis Papam Concilio, etiam quoad decreta fidei, ſe remittit ad ea quæ dixerat ad annum 1415. circa eandem doctrinam definitam in Concilio Conſtantienſi Seſs. IV. & V. videamus quidnam ibidem premiſiſſet. Porrò eo loci num. 21. referens verba illius

Seſsionis IV. deternentis, *Generale hoc ipſum Concilium legitimè congregatum pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite, & in membris, Eccleſiam Catholicam militantē repræſentans, poteſtatē à CHRISTO immediatè habere; cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exſterent, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & ex ırpationem dicti ſchiſmatis, & prædictam reformationem:* ſic ea interpretetur: Non enim de quocumque Concilio Vniverſali locutam Synodū, ſed de ipſo tantùm Conſtantienſi collecto ad prædicta, cùm nullus eſſet certus Pontifex, & ipſa eius verba indicant; & fusè diſputavit olim Ioannes de Turrecremata Cardinalis: præterquamquòd eùm non poſſet tunc dici hæc Conſtantienſis Synodus planè Vniverſalis, quæ ex ſola Ioannis Obedientia conſtabat, impugnantibus adhuc eam Obedientijs Gregorij, & Benedicti; ac proinde quamvis omnino voluiſſet decernere Papam in omnibus ſubeſſe Concilio Generali, non poſſet hoc dici decretum Concilij Generalis. * Hæc ille, quæ mirè conſonant dictis ſuprà Diſputatione XV. ſect. 2. & planè repugnant nuperæ Declarationi editæ nomine Illuſtriſsimi Cleri Gallicani.

45 Deinde num. 54. referens quæ acta fuerunt Seſs. XVI. die Iovis 11. Iulij eiuſdem anni, poſt nonnulla quædam, inquit: * Factaque prima ſupplicatione, ſeu proceſsione generali, die Dominica 21. Iulij, Ioannes Gerſonius ſermonem, ſive orationem habuit: qua nonnullis propoſitionibus, quas Directiones vocat, egit de Auctoritate Concilij Generalis, etiam ſupra Pontificem. Quod tamen accipiendum de tempore ſchiſmatis, cùm dubitaretur quis eſſet verus Pontifex, iam antea ſimili occaſione monuimus. Non enim alioqui hæc quæſtio vnquam introducta fuiſſet, quæ acriter poſtea hinc inde tractata eſt. De qua ſemel dicimus, cùm apud diverſos, pluresque eius temporis Auctores, reperitur aſſertum Concilium eſſe ſupra Papam, aut Papam ſubeſſe Eccleſiæ, intellexiſſe omnes (ſe diligenter verba eorum expendantur) intelligendumque omnino eſſe, quando agitur de fide, aut tempore ſchiſmatis: qnoniam ſi Papa fieret fortè hæreticus, deſineret eſſe Papa; tempore verò ſchiſmatis, incertus eſt: Eccleſia autem nec vnquam in errorem labi poteſt, nec eius auctoritas eſt inquam incerta. * Quid illuſtrius, vt appareat mentem Concilij Conſtantienſis, & auctorum, qui iis aſperrimis temporibus demiſſerunt Romanum Pontificem Concilio Vniverſali, ſolùm debere accipi de Romano Pontifice dubio, tempore ſchiſmatis graſſantis: non autem de Romano Pontifice certò & explorato in ordine ad quodcumque Generale Concilium? Faceſſant itaque quotquot eam doctrinam generatim & abſque vllo delectu interpretantur.

46 Denique ad annum Chriſti 1418. num. 5. narrans ea quæ facta ſunt Seſs. XLV. vltima eiuſdem Concilij Conſtantienſis, celebrata die Veneris 22. Aprilis, & referens qualiter Nuntij Regis Poloniæ, & Ducis Lithnaniæ, peterent à Martino V. Papa vt damnaret palam tanquam hæreticum Ioannem Falchemberg, cuius errores crudeliſsimi iam antea notati fuerant per deputatos Concilij iudices in cauſa fidei, ſubdit: * Ad quæ reſpondit Pontifex ore proprio, & poſtea per Concilij Advocatum iterari iuſsit, ſe omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materia fidei per Concilium conciliariter, tenere, & inviolabiliter obſervare velle, & non aliter, nec alio modo. Quam prædictorum Nuntiorum petitionem putamus de induſtria, Martini nutu ad vltimam Seſſionem reſervatam; vt ea occaſione ſignificaret, quæ Concilij decreta ipſe auctoritate Apoſtolicâ, ac ſupremâ probaret, quæ verò non; ne ſi antea quidquam de iis agere voluiſſet, murmur aliquod, tumultumvè in Patribus excitaret, ob ea quæ ambiguè decreta fuiſſent de auctoritate Concilij ſupra Pontificem, & de poteſtate reformandi Eccleſiam, tam in capite, quàm in membris: quas abſolutè, vt ſonare videntur, ſumptas (de quo dictum eſt ſuperiùs) nullo modo Martinus agnoſcere, aut approbare voluit; vtpote contrarias exiſtimatas, & praxi antiquioris Eccleſiæ, & collatæ à Chriſto Domino Petro, eiuſque Succeſſoribus auctoritati, ac poteſtati; ipſique demum naturæ rei, quâ caput debet membra regere, non regi à membris: ſicut plurimis eſt ſæpè commentarijs, atque diſputationibus probatum ab huius dogmatis aſſertoribus. Quamquam (vt iam ibidem explicatum eſt) & poſsint hæc ita intelligi, vt duobus caſibus de quibus tunc agebatur, emineret abſque vlla dubitatione Concilium ſuper tres illos, qui de Pontificatu contendebant: nimirum quòd incertum eſſet, quis eorum exiſteret verus Pontifex; & quòd ſinguli eorum ſeſe abdicationi Pontificatus ſubieciſſent, quoties-

cum-

, cumque ritè deliberatũ eſſet quis verus exi-
, ſteret : ità vt tunc Sedes Apoſtolica vacare
, cenſeretur; ac proinde ritè Conciliũ vel vnũ
, contendentium confirmandi, vel alium eli-
, gendi auctoritatem haberet.* Hucuſque cla-
riſsimus ille ſcriptor, non ſolùm communem & certam ſententiã de poteſtate Pontificis ſuprema in totam Eccleſiam, & in Conciliũ Generale tradens; ſed etiam præcipua eius fundamenta ſummatim proponens. Quem certè pacato animo ſcribentem, & abſque vllo præiudicio, in re tanti momenti, & plurimos alios Galliarũ Epiſcopos in ſuperioribus laudatos, debuiſſent potiùs imitari cæteri Præſules nũc Lutetiæ congregati, quàm paucos quoſdam ſuſcitantes deſperatam illam cauſam, & millies contritam, de poteſtate Concilij ſupra Papam, etiam quoad decreta fidei.

47 Sed & audiendus eſt ex eadem florentiſsima Galliarum Natione Ioannes Cabaſſutius in Notitia Eccleſiaſtica edita Lugduni anno 1680. pag. 531. vbi loquens de Synodo Baſileenſi, in cuius Seſ. II. idem definitũ fuit, quod in Conſtantienſi Seſ. IV. ait:* Nec vlli dubiũ,
, fuiſſe initio legitimam, ſed ex quo ſibi ſupra
, Pontificem Romanũ auctoritatem indebitã
, arrogavit, plenamque iuriſdictionẽ iubendi,
, cõpellendi, ipſumq; ſuis iuſsionibus nõ obe-
, dientẽ deponendi, aliumq; eius viventis loco
, Pontificẽ obtrudẽdi, quod demũ ab ipſa per-
, actum eſt, deſijt eſſe legitima, ſibique grando
, vituperiũ, fœdamque maculã accerſivit, tur-
, bas in omnem Eccleſiã concitando, novum-
, que ſchiſma obtrudendo, quo tempore reſpi-
, pirare incipiebat à teterrimo annorũ quin-
, quaginta ſchiſmate, quo Chriſtiana Reſpu-
, blica conflictata fuerat. Priores Cõcilij Seſ-
, ſiones circa conſueta præliminaria, & præ-
, paratoria tranſactæ ſunt. Cumque pauciſsi-
, mi Præſules, qui Baſileam conceſſerant, iam
, olim Canonicè inſtituto indubitato, & vni-
, co Pontifici Eugenio, eius in privatũ ordinẽ
, reductionẽ comminarentur, debitamq; hære-
, ticis pœnam, ni ſe inferiorem & ſubditũ iu-
, riſdictioni Synodi profiteretur, eiuſque mã-
, datis obtemperaret; tunc cœpit Concilium
, pernitioſi ſchiſmatis iactare ſemina, quãvis
, Conſtantienſis decretũ prætexeret, ſed in di-
, verſa, longeque diſpari cauſa. Illud enim iu-
, ſtam ſibi attribuebat poteſtatẽ in plures Põ-
, tifices invicem contendentes, & vniverſam
, iam pridem Eccleſiam lacerantes, quorum
, ius obſcurum admodũ, & ambiguum erat, nec
, aliud ſupererat remediũ extinguendi diuturnum incendium, quo Eccleſia conflagrabat,
, etiam poſtquam ſinguli contendentium Pon-
, tificum fidẽ iureiurando aſtrinxerant depo-
, nendæ ſuæ dignitatis propter Eccleſiaſticam
, vnionem & pacem. Itaque Conſtantienſe de-
, cretum felici exitu terminatum eſt, remoto
, ſchiſmate. At ex adverſo cùm nulla eſſet in
, Eccleſia conſciſsio, ſoluſque Eccleſiæ præeſ-
, ſet Eugenius, quem fideles omnes legitimum
, agnoſcebant & colebant Pontificẽ, eo viven-
, te novum Baſileenſes Pſeudopontificem ob-
, truſere.* Hucuſque Cabaſſutius nuperrimè in media Gallia ſcribens, paulo antea, quàm Declaratio illa ab Illuſtriſ. Præſulibus Lutetiæ cõgregatis proferretur, præter expectationem reliqui totius Chriſtiani Orbis. Notandum verò qualiter laudatus Auctor improbet Baſileenſem Synodum ex quo incepit caput attollere ſupra Romanum Pontificem, etiam quoad decreta fidei; & probet Conſtantienſem; exponatque, tanquam ſolùm loquentem tempore ſchiſmatis, in quo nullus agnoſcitur certus Pontifex. Plura etiam addit eo loco ſatis opportuna, quæ apud ipſum videri poſſunt.

48 Paulo antea Ioſeph Gibalinus in eadẽ Gallia ſcribens lib. 5. de Iure Canonico c. 3. ſatis clarè refellit decretũ illud Concilij Baſileenſis Seſs. II. editum, & alia pòſt ſecuta, dum
, ait pagina 63. * E contrariò vero ipſa etiã
, Generalia Concilia ſine ſententia Pontificis
, erraſſe conſtat, etiam præſentibus eius Le-
, gatis, quoties eius commonitoriũ, aut inſtru-
, ctionem ſequuti nõ ſunt: vt vides in Epheſi-
, na Synodo, quæ latrocinans dicta eſt, in Cõ-
, cilio Ariminenſi, Sirmẽſi, & alijs. Vnde col-
, ligas, definitionẽ Pontificiam & per ſe ſo-
, lam ſufficere, & auctoritatem ac vim Syno-
, dis, tum Provincialibus, tum Vniverſalibus
, addere, quam ex ſeſe ſola, & ſecluſo Ponti-
, fice minimè haberent.* Quid illuſtrius, non ſolùm pro auctoritate infallibili Pontificiarum definitionum ſeorſim ſpectatarum, ſed etiam pro nulla Conciliorum, in quibus non ſervatur commonitorium, aut inſtructio Romani Pontificis, quamvis eius Legatus adſit. Videbatur autem laudatus Scriptor præ oculis habere Seſsionem illam ſecundã Concilij Baſileenſis, in qua licet adeſſet Cardinalis Iulianus, Eugenij IV. Legatus (qui tamen reipſa aberat,) nihil rite decerni potuit contra expreſſam inſtructionẽ & prohibitionem eiuſdẽ Romani Pontificis. Mitto plura alia, quæ idem Gibalinus eodem loco proſequitur, valde opportuna ſtabiliendæ eidem doctrinæ.

49 Claudo ſectionem hanc luculento alio teſtimonio Theophili Raynaudi in Opuſculo inſcripto Αὐτὸς ἔφα puncto 14. initio, vbi argumento obiecto ex auctoritate illa Concilij Conſtantienſis Seſs. IV. reſpondet, veram eſſe definitionem illam *agendo de electione certi Pontificis, & depoſitione Pontificis dubij, vt contigit tempore Concilij*

Conſtantienſis. Erant enim multi, qui ſe gerebant pro Pontificibus, & de nullo eorum certum erat, quod verè eſſet Pontifex. Itaque cùm omnis alia via ſedandi turbas, & Eccleſiæ pacem curandi, præcluſa eſſet, agnovit Concilium, poteſtatem ſibi eſſe à Chriſto factam providendi Eccleſiæ Catholicæ, caput legitimum indubitatum, atque ita iudicavit de illis dubijs Pontificibus, eoſque exturbavit. De Pontifice autem indubitato, aliud eſſet, nec de eo agebat Concilium Conſtantienſe, vt rectè notavit Hieronymus Albanus in aditu operis de Poteſtate Papæ, ac Concily & Suarez contra Iacobum Britannũ lib. 3. c. 18. n. 7. & 8. Vſque adeò ipſi Galliarum Scriptores agnoſcunt exilitatẽ eius argumenti, quod Adverſarij millies inculcant ex auctoritate Concilij Conſtantienſis, ſeu etiam Baſileenſis. Pudeat itaque illos inutiliter & ad nauſeam vſque eandem ſerram reciprocare.

SECTIO TERTIA.

Selecta loca aliorum Patrum eiuſdem Sæculi, ſcribentium poſt tempus vtriuſque Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis, pro auctoritate Papæ in definiendis rebus fidei, & ſuprema poteſtate in totam Eccleſiam, proindeque ſupra Concilia.

50 POST Pium II. occurrit B. Laurentius Iuſtinianus ex Canonico Regulari Cõgregationis Cæleſtinorum Epiſcopus Venetiarum, & primus eius vrbis Patriarcha: qui temporibus Eugenij IV. & Nicolai V. circa medium eiuſdem Sæculi XV. floruit ſanctitate, doctrina, & miraculis. Is igitur lib. de Obed. c. 12. ſimul poteſtatem ſupremã Sedis Apoſtolicæ in reliquam Eccleſiam, & auctoritatem definiendi, cui omnes fideles aſſenſum præſtare teneantur, ſatis dilucidè declarat, dicens: * Huius ſiquidem Apoſtolicæ Sedis arcem, huiuſque Catholicæ Eccleſiæ Monarchiã Apoſtolus Petrus primus accepit, quando Dei Filium eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum confeſſus eſt, &c. Et iterum: Hanc Petro datam poteſtatem, quotquot poſt illum electi Canonicè in ipſa reſederunt, ſortiti ſunt, qui reſpectu cæterorum Summi ſunt nuncupati Pontifices. Iſtis vtique tanquam Chriſti Vicarijs, totius Eccleſiæ eſt attributa facultas, conferendi videlicet beneficia, peccata ſolvendi, præſtandi gratias, Eccleſiæ ſpiritualis theſauros dividendi, inſtituendi per civitates Epiſcopos, & per Provincias Metropolitas ordinandi, congregandi Concilia, Decreta faciendi, infringendi, atque modificandi. Ipſis profectò Summis Pontificibus omnis deferendus eſt honor, ſingularis reverentia, obedientia ſumma. Quicquid indixerint peragendum, quiequid prohibuerint cavendum, pro lege ſuſcipiendum eſt. Cæteri Præſules certis deputati ſunt præeſſe in locis: iſtis verò vniverſalis Eccleſiæ incumbit regimen, &c. * Huc uſque clariſsimus ille Venetorum Patriarcha teſtimonio ſuo complectens aſſerenſq; Romano Pontifici omnia illa iura, quæ recens Cleri Gallicani Declaratio in litẽ aut controverſiam vocat; præſertim verò auctoritatem congregandi Concilia, edendi Decreta, infringendi, ac modificandi; & denique ſupremam poteſtatem in totam Eccleſiam, abſque exceptione vlla.

51 Thomas Vvaldenſis ex Carmelitarũ Ordine, præcellens Theologus eiuſdẽ ſæculi, qui Opera ſua Martino V. dicavit, & obijt Rhotomagi in Gallia anno Epochæ Chriſtianæ M.DC.XXX. multus eſt in ſuprema Pontificũ poteſtate, & auctoritate definiendi tuẽda, præſertim contra Vvicleffum Hæreſiarcham, cuius confutationem apud ſe recepit. Etenim Tomi I. Doctr. fidei lib. 2. art. 1. omnia 7. cap. priora impendit in ea veritate demonſtranda adverſus nebulonẽ illũ. Deinde art. 3. c. 31. ſic in illum invehitur: *Cur ergo contra Romanũ Primatũ inſurgis? cur ſic iraſceris audiens quòd Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ præemineat capitaliter ſuper omnes Epiſcopos? Sãctiſsimi Chriſti Pontifices hunc Primatum in Vniverſa Eccleſia confeſsi ſunt. B. Auguſtinus Epiſcopus fuit: & huic Primatui non invidit, ſed eum humillimè recognovit.* Et exſcriptis verbis S. Auguſt. ad Bonifacium Papã modeſtia & humilitate plenis, tanquã ad preeminentẽ in celſiore dignitatis Epiſcopalis faſtigio, ſubdit: *Ecce Papa Bonifacius ſecũdum confeſsionem ſinceriſsimã Auguſtini; non alia ſapuit, quamvis altius præſidebat, erat amicus Auguſtini humilis Antiſtitis. Et omnes Epiſcopi habent aliquid cõmune, quamvis Papa in Epiſcopatus officio præemineat celſiore faſtigio, ſpecula Paſtorali. Omnes æqualiter Epiſcopi: ſed inter omnes, & ſuper omnes Romanus Epiſcopus celſitudinem habet faſtigij: & ſecundum locum præeminet in ſpecula Paſtorali.* Deinde introducit eundem Auguſt. conferentem S. Irenæum Epiſcop. Lugdunenſem, S. Cyprianum Epiſcop. Carthaginenſem, Reticium Epiſcop. Auguſtodnnenſem, Olympiũ Epiſcop. Hiſpanum. S. Hilarium Epiſcop. Pictavienſem, & S. Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem cum S. Innocentio I. Romano Epiſcopo, quem

ait

ait fuiſſe tempore quidem ijs poſteriorem, dignitate autem & pręeminentia ſuperiorem, ſubdit laudatus Auctor in eundem Vvicleffum: *Quid ergo inſtatur ſuperbus hæreticus contra præeminentiam Primæ Sedis? Humilis Auguſtinus cùm Romanum Innocentiũ in Conventum tantorum Primatum & Epiſcoporũ induxit, CVM HIS, inquit, IPSE CONSIDET, ETSI POSTERIOR TEMPORE, PRIOR LOCO: SEDE MAIOR, PRÆSTANTIOR DIGNITATE. Non eſt nova iſta præeminentia, quæ tunc temporis Auguſtino, & ſanctis Patribus fuit ſine omni dubitatione certiſsima.* Patet verò cum eadem pręeminentia connexam eſſe poteſtatem Romani Pontificis ſupra omnes alios Epiſcopos, totamque Eccleſiam partitò ipſorum curæ commiſſam: ſubindeque & auctoritatem docendi omnes, & definiendi quidquid ad ſtabiliendã fidem Catholicam oportere intellexerit.

52 Quia tamen Melchior Canus, Vir ſanè doctiſsimus, lib. 6. de Locis cap. 1. ad finem indicat, Vvaldenſem prędictum lib. 2. Doctrin. exiſtimaſſe, definitiones Pontificias eſſe errori obnoxias, quamvis lib. de Sacrament. doctr. 10. aliter ſentiat; monendus eſt Lector, in frequẽti Operũ ipſius editione illud prius eo loco non inveniri: ſed potiùs vbicũque tractat controverſiam hãc, ſuffragiũ ferre pro auctoritate infallibili definitionũ Pontificiarũ. Etenim lib. 2. Doctr. Fidei ſupr. cit art. 3. c. 46. & ſeqq. refellit ex inſtituto Vvicleffum negantẽ Pontifici auctoritatem ad definiendũ quidquam velut fide divina certum, vel ad notandum aliquid tanquã hęreſim: & oppoſitum latè comprobat, confirmatq; plurimis Sanctorum Patrũ teſtimonijs. quibus prolatis, vrget erronẽ illum, vt confugiat ad tricas & ſophiſmata ſua de ſenſu compoſito & diviſo: nihil enim inde eliciet, quo reſpondere poſsit argumentis ineluctabilibus pro ea Pontificis auctoritate. Vide pręterea Theophilũ Raynaudũ in Opuſc. inſcripto Αὐτὸς ἔφα, puncto 11. & Hieronym. Rubeum in calce tertij Tomi eiuſdem Vvaldenſis, vbi ambo illũ purgant à nævo illius opinionis, quam pauci aliquot Catholici, bona fide, vt videtur, tempore Concilij Conſtantienſis, induxerunt, occaſione illius diuturni & graviſsimi Schiſmatis, à nullo antea, niſi hęretico aut ſchiſmatico propugnatæ. Vnde idem Raynaudus in media Gallia ſcribens eodem loco inquit: *Non, niſi à tempore Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis revocata eſt in controverſiam hæc veritas apud Catholicos: SED OMNES ANTERIORES VNA VOCE DOCVERVNT, DEFINITIONES PONTIFICIAS; ETIAM ABSQVE GENERALI CONCILIO EDITAS, FACERE REM DE FIDE, ET OMNE IVDICIVM DE FIDE FINALITER PERTINERE AD SEDEM APOSTOLICAM.* Ita ille librorũ helluo, & πολυγραφώτατος, quem ἔμψυχον βιβλιοθήκην appellare fas ſit.

53 B. Ioannes de Capiſtrano, Ordinis S. Franciſci, & amiciſsimus S. Bernardini Senenſis, eiuſdem ſententiæ palam fuit, nec ſe abduci paſſus eſt contraria quarundam opinione ſuo tempore exorta. Vide ipſum in varijs Opuſculis: veluti de Dignitate Eccleſiaſtica ad Nicolaum V. Papam, de Poteſtate Papæ & Concilij. & in Speculo conſcientiæ, præſertim parte 1. num. 73.

54 Accedat illuſtriſsimum teſtimonium Gregorij Hieromonachi, Magni Protoſyncelli, qui Florentinæ Synodo interfuit, & poſtea creatus Patriarcha, ac Romæ ſepultus, coruſcavit miraculis. Is ergo in Diſp. Græcolatina, quæ habetur poſt Acta eiuſdẽ Concilij, contra Marcum Epheſium Epiſcopũ, qui ſolus è PP. Gręcis reſtitit definitioni proceſsionis Spiritus S. ex Filio, plura depromit ex ſenſu pręcedentiũ Conciliorum Patrumque pro ſuprema poteſtate Romani Pontificis in totam Eccleſiam, & auctoritate infallibili ad definiendum controverſias fidei.

55 Aiebat Marcus ibidem col. 43. id eſt tribus ante finem: Καὶ ἡμεῖς μὲν τὸν Πάπαν ὡς ἕνα τῶν πατριαρχῶν λογιζόμεθα, &c. *Et nos quidem* (ſcilicet, Græci) *Papã veluti vnũ ex Patriarchis habemus, idq; ſi rectè de fide ſentiat. Iſti verò* (nimirũ Latini) *illũ Chriſti Vicariũ, Patrẽ, ET DOCTOREM OMNIVM CHRISTIANORVM, magna gravitate pronũtiant.* Sic ille expoſtulabant adverſus communem Latinorũ de Pontificia auctoritate ſententiã à qua ſe alienũ profitebatur cum Græculis factionis ſuæ.

56 Verùm huic criminationi reponit Gregorius Scholarius plura & planè concludentia, pro ſuprema Romani Pontificis poteſtate in totam Eccleſiam, & auctoritate irrefragabili ad dirimendum controverſias fidei: eaque omnia munit teſtimonijs Conciliorum, & Patrum Græcorum. Ait itaque: Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἡμεῖς ὡς δύο καὶ τρεῖς αὐτὸν λέγομεν, &c. *Nec nos dicimus duos aut tres eſſe ipſum* (*Papam*) *ſed vnum Patriarcharum: eſt tamen inter eiuſdem Ordinis plures vnus Primarius. Ait enim ſanctus Pater Chryſoſtomus homilia decima ſeptima in Acta Apoſtolorum: Vide, vt etiam inter illos ſeptem vnus fuerit præpoſitus, & primas tenens: nam & ſi com-*

munis erat Ordinatio, maiorem tamen ille aſſequutus eſt gratiam. Cæterum omnem Epiſcopum dicimus Chriſti eſſe ſucceſſorem & in Cathedra Ieſu Dei mei ſedentem. Ipſe enim dicit: Qui recipit vos, me recipit; &, Qui vos audit, me audit. Et hæc quidem communia ſunt: æqualiter enim eſt in omnibus Sacerdotium, quod attinet ad conferendum Baptiſmum, & faciendam ſacrificium, & peccata confitentibus dandam abſolutionem, & ſacrum Chriſma conficiendum, & Monachum tondendum, & oleum benedicendum, vngendumque, ad maculas peccatorum delendas, & Sacerdotem per gradus promovendum. Eandem enim vim & eaſdem vires habet vnuſquiſque ad functiones rerum Eccleſiaſticarum obeundas: & hoc pro certo habemus, quippe vt accepimus à Patribus. Sed etiam quod de Papa dicimus, non ex nobis dicimus. Nam Theodorus Studita ſcribens ad Michaelem Imperatorem nomine omnium Hegumenorum, in Epiſtola, quæ ſic incipit: Nos omnes in vnum congregati iuſſu veſtri à Deo coronati imperij, humillimi Epiſcopi & Hegumeni: Si quid verò, *inquit*, dubitat, aut minùs ſolutum credit, ſacra tuæ mentis excellentia à religioſo Præſule; iubeat magnâ ſuâ & à Deo confirmatâ potentiâ, vt quæ ad vniverſorum vtilitatem zelo rerum divinarum flagrat, à Seniore Roma mitti ſibi huius rei declarationem, vt per antiquam traditionem ab initio ſervatum eſt. Hæc eſt, imitator Chriſti Imperator, ſupremus apex Dei Eccleſiarum, cui primus præſedit Petrus, ad quem Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Idem Theodorus in alia epiſtola ad Naucratium; cuius initium eſt:* Non complebuntur aures meæ vocibus auditionum: Deum, *inquit*, homineſque in præſenti conteſtor; ſeiunxerunt ſe à corpore Chriſti, à coryphæa Sede, in qua Chriſtus poſuit fidei claves, adverſus quam non prævaluerunt per omne ſæculum, nec prævalebunt, vſque ad finem ſæculi inferi portæ, ora videlicet hæreticorum, ſicut promiſsit ille qui non mentitur. *Et in Tertia Sancta Synodo Archadius Epiſcopus dixit:* Præcipiat veſtra Beatitudo litteras Sancti & omni cum veneratione nominandi Papæ Cœleſtini, Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi, vobis allatas recitari, ex quibus veſtra Beatitudo perſpicere poterit, quali omnes Eccleſias cura ille complectitur. *Proiectus quoque ijſdem eſt vſus verbis: Et paucis interpoſitis*, Cyrillus, *inquit*, Alexandrinus dixit: Suſcepta Sanctiſsimi, & per omnia ſacratiſsimi Cœleſtini Epiſcopi ſanctę Apoſtolicę Eccleſię Romanę epiſtola cum honore condecente recitetur. *Similiter in ſancto Concilio Quarto, in ſacris Valentiniani ad Theodoſium litteris, hæc ſcripta leguntur:* Vt Beatiſsimus Romanæ Vrbis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum & facultatem habeat de fide, & Sacerdotibus iudicandi. Ἐπεὶ οὖν περὶ πίστεως καὶ ἱερέων τὴν ἐξουσίαν ἔχει τοῦ ἀνακρῖναι, δίκαιος καὶ διδάσκαλος τῶν χριστιανῶν ἁπάντων ἐν τῷ ὅρῳ γράφεται. id eſt, *CVM ERGO FACVLTAS ILLI SIT EXERCENDI IVDICIVM DE FIDE ET DE SACERDOTIBVS, IVRE CHRISTIANORVM OMNIVM DOCTOR IN DEFINITIONE INSCRIBITVR.* Quid illuſtrius, tam pro auctoritate Pontificis Romani in definiendis controverſijs fidei, quàm pro poteſtate ſuprema in totam Eccleſiam; idque iuxta ſenſum ac teſtimonia Conciliorum, Patrumque, quæ hoc loco allegantur? Mitto Cardinalem Turrecrematam, Capreolum, innumeroſque alios Theologos eiuſdem Sæculi, idipſum tradentes poſt Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe.

SECTIO QVARTA.

Quid circa eandem controverſiam ſenſerint & docuerint duo eiuſdem Sæculi XV. lumina, Nicolaus Tudeſchus, vulgo Abbas Panormitanus; & Alphonſus Toſtatus, Hiſpaniarum Salomon.

57 VELLEM Silentio præterire quæ ſpectant ad hos duos graviſsimos Viros circa controverſiam de poteſtate Papæ ſupra Concilium, aut è contrà, etiam in cauſis fidei. Sed tamen ne Adverſarij expoſtulent, prætermiſſam à nobis duorum luminum eius Sęculi auctoritatem, quam pro ſe habere gloriantur, aliquid breviter de eorum opinione tangam.

58 Multi volunt Nicolaum Tudeſchum, communiter dictum Abbatem Panormitanum, quòd priùs Abbas S. Agathę Ordinis Benedictini, deinde verò Archiepiſcopus Panormitanus fuerit, ſcripſiſſe librum quendã pro Concilio Baſileenſi, in cuius Seſsione ſecunda, initio ferè, declaratur, Synodum illam habere poteſtatem, cui omnes, cuiuſlibet dignitatis exiſtant, etiam Papalis, obedire teneãtur in ijs quę ſpectant ad fidem, & reformationem morum. Qui autem id Opuſculum Abba-

Abbati Panormitano adſcribunt, innituntur teſtimonio Forſteri ita aſſerentis.

59 Verùm difficile eſt, aut incertum, quòd Abbas eam lucubrationem ſcripſerit, edideritve. Non enim extat in Operibus ipſius variarum editionum, nequidem in Veneta anni 1617. apud Iuntas, quæ omnium optima eſt. Nec præterea duo Scriptores infinitæ propemodum lectionis, Bellarminus & Labbeus aliquod eius Opuſculi veſtigium invenerunt; ſicuti nec Simlerus, Poſſevinus, Draudius, Miteus, aut Voſius, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ex profeſſo agunt, inveniſſe videntur.

60 Dato tamen quòd Abbas Panormitanus pro Concilio Baſileenſi ſcripſerit, neſcimus quo ſenſu illius auctoritatem defenderit. Potuit enim tueri illud prout à principio coactum fuit ex conſenſu & iuſſu Pontificum Romanorum Martini V. & Eugenij IV. quo ſenſu non negamus legitimum fuiſſe. Verùm acephalum fuit quo tempore Seſsio illa ſecunda celebrata eſt, ob abſentiam Iuliani Cardinalis Legati Pontificij, Præſidiſque nominati: tum prçterea illegitimum, quòd contra voluntatem & definitionem expreſſam Martini V. in Concilio Conſtantienſi, immo & contra doctrinam plurimorum Conciliorum, Patrumque omnium, voluit ſe extollere ſupra Pontificem Romanũ indubitatum, qualis tunc erat Eugenius IV. tum denique quia cùm eſſent tunc Baſileç pauciſsimi Epiſcopi, vt eſſet ſpecies aliqua Concilij Generalis, introducti fuere plurimi ſimplices Prçsbyteri, prorſus expertes voti deciſivi. Vnde & Abbas Panormitanus, qui prçſens erat, palam contradixit illorum introductioni, veluti exorbitanti à iure: vt teſtatur Aeneas Silvius, aliàs Pius II. in ipſa Hiſtoria eius Concilij.

61 At dices, Abbatem ſediſſe in eo Concilio, etiam poſtquam acephalum fuit. Sic enim videtur conſtare ex Hiſtoria allegata, & prçterea ex Bulla eiuſdem Pij II. verbis ſuprà exſcriptis num. 18. Ad hçc non habeo quid reponam, niſi, Panormitanum Abbatem fuiſſe quidem virum doctiſsimum, ſed tamen hominem fuiſſe, & veluti talem erraſſe tunc, ſicut & Ludovicum Pontanum (quos duos Pius eodem loco duo Orbis ſidera appellat) & Iulianum Cardinalem, & ipſum Æneã Sylvium. Sed tamen ex ijs quatuor tres poſteriores errorem ſuum agnoviſſe, & indicta voluiſſe quç antea dixerant, & ſcripſerant, ex eodem teſtimonio conſtat, ſicuti & pauciſsimos Baſileç manſiſſe. Vnde ſatis vero ſimile videtur, Abbatem Panormitanum pariter, relictâ eâ ſiniſtrâ opinione, ad partes Eugenij IV. tranſiiſſe cum ijs ſocijs prçcipuis. Quod ſi id non fecit, erraſſe veluti homo putandus eſt, idque eâdem bona fide, qua olim Iulianus Cardinalis, atque Æneas Sylvius, vt vidimus in eius Bulla.

62 Maior difficultas eſt circa Alphonſum Toſtatum, Hiſpaniç Salomonem, & Oraculum litterarij Orbis, Virum omni laude maiorẽ, & iure mundi ſtuporem appellatum, quò ſolo (quamvis alia ornamenta deeſſent) gloriari poſſet Academia hæc Salmanticenſis, cuius Doctor, Profeſſor, & Cancellarius celeberrimus fuit; ac inſigne Collegium S. Bartholomæi, cuius Sodalem & Rectorem egit. Is ergo ob quaſdam Theſes exoticam doctrinã prçſeferentes impugnatus integro Opuſculo à Cardinali Turrecremata (altero eius Sæculi lumine) & deinde ab aliquibus traductus apud Eugenium IV. compulſus fuit ſcribere Defenſorium illarum. In cuius prima parte ad finem eſt ſchedula ipſius, quâ ſubijcit ſe & doctrinam ſuam determinationi Eccleſiç ac Pontificis. Cumque coram eo Theſes viginti & vnam ex intima Theologia erutas defendiſſet in publicis certaminibus apud Senas, omneſque in admirationem ſui traxiſſet; adhuc in quibuſdam earum notatus fuit ab ipſo Eugenio, edito Diplomate ea de re, vt inquit Mariana in fine libri 20, de Rebus Hiſpaniæ, & Spondanus ad annum 1443. num. 10. Indignatus autem Toſtatus auxit Defenſorium: *& præ ſtudio tuendi placita; in Pontificum auctoritatem invectus iniuriuſque extitit*, vt inquit cit. Mariana. Quare in ſecunda parte cap. 30. 36. 68. 69. & ſeqq. multa diſputavit de Summo Pontifice, propter quæ Bellarminus ait, *Defenſorium id cautè legendum eſſe.* Nimirum cap. 30. citato, vbi docet, Papam errare poſſe, ſubdit: *Non ſolùm accidit hoc circa accidentia, & particularia, factaque humana, quæ Papa ignorat, ſicut quilibet alius ſimplex homo; ſed etiam circa fidem poſt Papa ignorare, & errare, & effici hæreticus, aliquãdo per ignorantiam, aliquando per aliam affectionem. Sic patet in Decret. di. 40. cap. ſi Papa. vbi ſi Papa deprehenditur à fide devius, deponitur. Ex quo apparet, quòd iura ſupponunt Papam poſſe effici hæreticum. Et confirmatur experimento. Nam Papa Marcellinus fuit hæreticus, immò hæretico deterior, qui cùm eſſet Summus Pontifex, obtulit thura idolis, vt patet in Decret. diſt. 19. cap. Nunc autem. Item patet de Papa Liberio, quem alij vocant Papam Leonem, qui factus eſt Arianus. Item etiam de Papa Ioanne XXII. qui tenuit hæreſim circa viſionem beatificam, poſtea coactus eſt publicè illam revo-*

revocare, vt patet in Geſtis Summorum Pōtificum. Ex quo apparet, quòd dato quod Papa damnat aliquam concluſionem tanquam hæreticam, vel aliquem auctorem dicat hæreticè ſenſiſſe, non ſequitur neceſſario, illam concluſionem eſſe hæreticam, vel auctorem illum hæreticè ſenſiſſe: quia poteſt eſſe quod Papa erraverit, immò quod ipſe Papa fortè ſit hæreticus, & per ignorantiam, vel per affectionem aliquam paſſionalem, damnet concluſionem, ſiue dictũ aut auctorem: ſicut aliquos Summos Pontifices legimus hæreticos factos per ignorantiam, & per timorem; vel per alias paſsiones. Non ergo accipitur Eccleſia pro Papa vel aliquo Prælato alio. Deinde cap. 38. toli Eccleſiæ in Concilio Generali congregaſæ videtur tribuere infallibilitatem in definiendis quæſtionibus fidei: ſicuti & cap. 54. Denique à cap. 68. vſque ad 76. latè contendit, Concilium Generale eſſe ſupra Papam, tam in rebus fidei, quàm morum.

63 Hæc ille magnus Vir in Defenſorio, ſeu Apologetico quarundam propoſitionum, ob quas accuſatus fuerat coram Eugenio IV. Papa. Præmiſſerat verò Mariana id ab ipſo iuniore prodijſſe. Nimirum, cùm certũ ſit ex epitaphio pulcherrimi ſepulchri apud Abulenſem Eccleſiam, & ex conſenſu omniũ, ipſum obijſſe anno Chriſti 1455. ætatis ſuæ quadrageſsimo, vt Poſſevinus vult; vel quinquageſsimo primo, vt habetur in Hiſtoria Maioris Collegij S. Bartholomæi pag. 87. neceſſum eſt vt illas propoſitiones, earumque defenſionem ediderit iuvenis adhuc: cùm id fecerit circa annum 1440. quo in Italia fuit, & attingebat viginti quinque, aut ſummùm triginta quinque ętatis annos. Itaque potiùs mirandum eſt, & inſtar prodigij habendum, iuvenem adhuc tam multa, tam varia, tam vtilia, & ſacra atque humana eruditione plena euſque didiciſſe, ſcripſiſſe, & docuiſſe, quàm in vno aliquo ſpectante ad auctoritatem poteſtatemque Romani Pontificis à vero aberraſſe.

64 Accedit, quòd eo tempore, quo propoſitiones illæ Toſtati ab æmulis traductæ, à Cardinali Turrecremata impugnatæ, & ab Eugenio IV. notatæ ſunt, celebrabatur Synodus Baſileenſis, cui Toſtatus ipſe interfuit, habitâ ibidem diſputatione cum Ioanne Capreolo Dominicano, Theologo magni nominis, dicto anno 1440. Porrò Patres eius Concilij à tempore Seſsionis ſecundę, vſque ad finem Synodi (quæ duravit ſexdecim ferè annis, tempore inchoata 1431. & ſoluta 1447.) tenaciter aſſeruerunt, Concilium Generale eſſe ſupra Papam, etiam in definitionibus fidei: ideoque Eugenium IV. citare, compellare, vrgere indicto anathemate, & tandem deponere auſi ſunt, ſubrogato in eius locum Amadæo Duce Sabaudiæ, quem Felicem V. appellarunt. Quamvis verò ea Synodus erratica fuerit ab ipſo tempore Seſsionis ſecundę vſque ad finem, vt in ſuperioribus vidimus; multi tamen Cardinales, Epiſcopi, & viri doctiſsimi, qui in ea erant, legitimam diu arbitrati ſunt, eamque opinionem de poteſtate Concilij ſupra Papam, arbitrabantur certam, & ritè antea definitam in Concilio Generali Cōſtantienſi Seſs. IV. & V. Quid ergo mirum, quòd Toſtatus præſens eidem Synodo Baſileēſi, tam tenaciter & tandiu tuenti eam opinionem, pariter illam indueret, inſtar Iuliani Cardinalis, Nicolai Tudeſchi, Ludovici Pontani, & Æneæ Sylvij? Quid ſi fortè ob prohibitionem illarum Theſium, & repulſam, quam Romæ paſſus fuit apud Eugenium IV. ſibi iratum, nec ſinentem vt coram ipſo ſe ſiſteret (vt in citata Hiſtoria habetur pag. 85.) acriùs eandem opinionem defenderit, quà verbo, quà ſcripto?

65 Itaque mirandum non eſt, Virum illum incomparabilem, ſicuti & Abbatem Panormitanum, ijs difficilibus temporibus, & in media acri contentione, cruentoque diſsidio inter Patres Baſileenſes ex vna parte, & Eugenium IV. ex altera, humani aliquid paſſum fuiſſe. Nimirum ea eſt conditio generis noſtri, vt nemo omnia norit, nemini omnis veritas comperta ſit, felicior & ſapientior cęteris habeatur qui plura ſcit & pauciora neſcit, quamvis adhuc multa hęc ſint, immo innumera. Quare nihil gloriæ propterea imminuitur Alphonſo Toſtato: quem poſt tam multa & ingentia volumina ſcripta in breviſſima vitæ periodo, ſolùm in ea parte aberraſſe bona fide, more aliorum Virorum inſigniũ eiuſdem temporis, nec in vlla alia gravi materia lapſum fuiſſe, potiùs videtur miraculoſum, quàm humanum. Claudamus itaque Diſputationem hanc verbis Facundi Hermianenſis lib. 6. aientis; quoties nævi aliquot apparent in ſcriptis clariſsimorum quorundam Eccleſiæ Doctorum, *luminarium eſſe defectus: quæ licèt nonnunquam ſplendoris detrimenta ſuſtineant, non tamen amittunt luminaria eſſe quod ſunt.*

DIS-

DISPVTATIO XVII.

AN AB INITIO SÆCVLI XVI. AD HÆC vſque tempora credita fuerit in Eccleſia Catholica eadem auctoritas infallibilis Romani Pontificis.

ACCEDIMVS Denique ad tempora omnium maximè periculoſa, in quibus Eccleſia Chriſti maiorem longe, quàm vllo alio tempore, perſecutionem paſſa eſt, erumpentibus ex Orco innumeris hæreſibus, quarum anteambulones fuerant Vuicleffus & Huſsius; auctores verò præcipui, Martinus Lutherus, & Ioannes Caluinus. Alij quam plures ex horum hæreſibus capitalibus deduxerunt & adinvenerunt plurimas alias, invicem inter ſe digladiantes. quibus, non dico refutandis, verùm nec nominandis quoad ſingula Sectarum capita, plures paginæ ſufficerent. Quemadmodum verò S. Cyprianus olim obſervavit, omnium hæreſum, & ſchiſmatum ortorum vſque ad ſuum tempus, nimirum vſque ad annum Chriſti CCL. fomitem & cauſam fuiſſe receſſum ſuperborum hominum à decretis, ſeu definitionibus Pontificum, Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ: ita etiam vtroque hoc poſtremo Sæculo experti ſumus. Omnes enim Hæreſiarchæ initium apoſtaſiæ ſuæ duxerunt à ſuperbia & contemptu definitionum Sedis Apoſtolicæ, ſubindeque Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ. Nos verò qui cum ijs in hoc Opere non contendimus, ſed cum ijs ſolùm, qui intra Catholicæ Eccleſiæ ſinum ſunt; oſtendamus in hac diſputatione, quemadmodum Sæculis XV. prioribus, ita & in ijs duobus poſtremis, morem Apoſtolicæ Sedis fuiſſe, quaſlibet hæreſes emergentes damnare, matura quidem conſultatione, & deliberatione præmiſſa, verùm extra omne Concilium Oecumenicum, tota Eccleſia Catholica ſtatim Pontificum Definitionibus exhibente mentis obſequium. Quare viſum fuit initio exſcribere Bullam Leonis X. contra errores Lutheri recèns ortos, quod graviſsima ſit, & non parum confirmet, quæ in hoc tractatu tradita ſunt, ac deinceps tradentur.

SECTIO PRIMA.

Bulla Leonis X. Pontificis Maximi extra omne Concilium edita aduerſus impia dogmata, errores, hæreſeſque Martini Lutheri, cùm primùm emerſerunt. Veſtigatur an nupera Declaratio Cleri Gallicani nomine edita habeat quidquam affinitatis cum quibuſdam articulis damnatis Lutheri.

2 LEO Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Exurge Domine & iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum quę ab inſipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces noſtras, quoniam ſurrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcâſti ſolus, & aſcenſurus ad Patrem, eius curam, regimen, & adminiſtrationem Petro tanquam Capiti, & tuo Vicario, eiuſque Succeſſoribus, inſtar triunphátis Eccleſię commiſiſti. Exterminare nititur eam aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſcitur eam.

3 Exurge Petre, & pro Paſtorali cura præfata tibi (vt prefertur) divinitùs demandata, intende in cauſam Sanctæ Romanę Eccleſię, *Matris omnium Eccleſiarum, ac fidei Magiſtræ*, quam tu, iubente Deo, tuo ſanguine conſecrâſti: contra quam, ſicut tu præmonere dignatus es, inſurgunt magiſtri mendaces, introducentes ſectas perditionis, ſibi celerem interitum ſuperducentes: quorum lingua ignis eſt, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum habentes, & contentiones, in cordibus ſuis gloriantur, & mendaces ſunt adverſus veritatem.

4 Exurge tu quoque quæſumus Paule, qui eam tua doctrina, ac pari martyrio illuminâſti, atque illuſtrâſti. Iam enim ſurgit novus Porphyrius: quia ſicut ille olim ſanctos Apoſtolos iniuſtè momordit, ita hic ſanctos Pontifices Prædeceſſores noſtros contra tuam doctrinam, eos non obſecrando, ſed increpando, mordere, lacerare, ac vbi cauſæ ſuę diffidit, ad convicia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum (vt inquit Hieronymus) vltimum prȩſidium eſt, vt cùm conſpiciant cauſas ſuas damnatum iri, incipiant virus ſerpentis lingua diffundere: &

cum ſe victos conſpiciant, ad contumelias proſilire. Nam licèt hæreſes eſſe, ad exercitatione in fidelium, tu dixeris oportere, eas tamen, ne incrementum accipiant, nève vulpeculę coaleſcant, in ipſo ortu, te intercedēte, & adiuvante, extingui neceſſe eſt.

5 Exurgat denique omnis Sanctorum, ac reliqua vniverſalis Eccleſia, cuius vera ſacrarum litterarū interpretatione poſthabita, quidam, quorum mentem pater mendacij excæcavit, ex veteri hæreticorum inſtitutó, apud ſemetipſos ſapientes, Scripturas eaſdem aliter quàm Spiritus ſanctus flagitet, proprio dumtaxat ſenſu, ambitionis, auręque popularis cauſa, teſte Apoſtolo, interpretantur, imó veró torquent, & adulterant: ita vt iuxta Hieronymum iam non ſit Evangelium Chriſti, ſed hominis, aut quod peius eſt, diaboli.

6 Exurgat, inquam, præfata Eccleſia ſancta Dei, & vnà cum beatiſsimis Apoſtolis pręfatis, apud Deum omnipotentem intercedat, vt purgatis ovium ſuarum erroribus, eliminatiſque à fidelium finibus hæreſibus vniverſis, Eccleſię ſuæ ſanctę pacem & vnitatem conſervare dignetur. Dudùm ſiquidem (quod præ animi anguſtia, & mærore exprimere vix poſſumus) fide dignorum relatu, ac fama publica referente, ad noſtrum pervenit auditum: immó vero, proh dolor, oculis noſtris vidimus, ac legimus multos, & varios errores, quoſdam videlicèt iam per Concilia, *ac Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones* damnatos, hæreſim etiam Græcorum, & Bohemitam expreſsè continentes: alios veró reſpectivè, vel hæreticos, vel falſos, vel ſcandaloſos, vel piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, à falſis fidei cultoribus, qui per ſuperbam curioſitatem mundi gloriam cupientes, contra Apoſtoli doctrinam plus ſapere volunt, quàm oporteat: quorum garrulitas (vt inquit Hieronymus) ſine Scripturarum auctoritate, non haberet fidem, niſi viderentur perverſam doctrinam, etiam divinis teſtimonijs, malè tamen interpretatis, roborare: à quorum oculis, Dei timor receſsit, humani generis hoſte ſuggerente, noviter ſuſcitatos, & nuper apud quoſdam leviores in inclyta natione Germanica ſeminatos.

7 Quod eó magis dolemus ibi eveniſſe, quód eandem Nationem, & Nos; & Prædeceſſores noſtri; in viſceribus ſemper geſſerimus charitatis. Nam poſt trāſlatum ex Græcis à Romana Eccleſia in eoſdem Germanos imperium, iidem Prædeceſſores noſtri, & nos, eiuſdem Eccleſiæ advocatos, defenſoreſque ex ijs ſemper accepimus, quos quidem Germanos, Catholicę veritatis verè germanos, conſtat hæreſum acerrimos oppugnatores ſemper fuiſſe, cuius rei teſtes ſunt laudabiles illæ Conſtitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Eccleſię, proque expellendis exterminandiſque ex omni Germania hæreticis, ſub graviſsimis pœnis, etiam amiſsionis terrarum, & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & à noſtris Prædeceſſoribus confirmatę: quę ſi hodie ſervarentur, & Nos & ipſi vtique hac moleſtia careremus. Teſtis eſt in Concilio Conſtantienſi Huſsitarum, ac Vvicleffiſtarū, necnon Hieronymi Pragenſis damnata, ac punita perfidia. Teſtis eſt toties contra Bohemos Germanorum ſanguis effuſus. Teſtis denique eſt prædictorum errorum, ſeu multorum ex eis per Colonienſem & Lovanienſem Vniverſitates, vtpotè agri Dominici pijſsimas, religioſiſsimaſque cultrices, non minùs docta, quàm vera, ac ſancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare poſſemus, quæ ne hiſtoriam texere videamur, prætermittenda cenſuimus.

8 Pro Paſtoralis igitur officij divina gratia nobis iniuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus peſtiferum vlteriùs tolerare, ſeu diſsimulare, ſine Chriſtianæ religionis nota, atque orthodoxæ fidei iniuria, nullo modo poſſumus. Eorum autem errorum aliquos præſentibus duximus inſerendos, quorum tenor ſequitur, & eſt talis.

j. Heretica ſententia eſt, ſed vſitata, Sacramenta novæ legis iuſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

ij. In puero poſt Baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.

iij. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingreſſu cœli.

iv. Imperfecta charitas morituri, fert ſecum magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam Purgatorij, & impedit introitum regni.

v. Tres eſſe partes pœnitentiæ, contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem, non eſt fundatum in ſacra Scriptura, nec in antiquis ſanctis Chriſtianis Doctoribus.

vj. Contritió quę paratur per diſcuſsionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſsionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem; hęc contritio facit hypocritam, immò magis peccatorem.

vij. Veriſsimum eſt proverbium, & om-

omnium doctrina de cõtritionibus hucuſque data præſtãtius, de cœtero non facere, ſumma pœnitentia: optima pœnitentia, nova vita.

v i i j. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſsibile eſt, vt omnia mortalia cognoſcas. Vnde in primitiva Eccleſia, ſola manifeſta mortalia confitebantur.

i x. Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.

x. Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti: immò peccatum maneret, niſi remiſſum crederet: non ſufficit remiſsio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

x j. Nullo modo confidas abſolvi propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti, Quodcumque ſolveris &c. Hic inquam confide ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus verè eris, quidquid ſit de contritione.

x i j. Si per impoſsibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſeriò, ſed ioco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſsimè eſt abſolutus.

x i i j. In Sacramento Pœnitentię, ac remiſsione culpæ, non plus facit Papa, aut Epiſcopus, quàm infimus Sacerdos: immò vbi non eſt Sacerdos, æquè tamen quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier, aut puer eſſet.

x i v. Nullus debet Sacerdoti reſpondere, ſe eſſe contritum, nec Sacerdos requirere.

x v. Magnus eſt error eorum qui ad Sacramenta Euchariſtię accedunt, huic innixi, quòd ſint confeſsi, quòd non ſint ſibi conſcij alicuius peccati mortalis, quòd præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria, omnes illi ad iudicium ſibi manducant, & bibunt: ſed ſi credãt, & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros, & dignos.

x v j. Conſultum videtur quòd Eccleſia in communi Concilio ſtatueret laicos ſub vtraque ſpecie communicandos: nec Bohemi communicantes ſub vtraque ſpecie ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

x v i j. Theſauri Eccleſiæ, vnde Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti, & ſanctorum.

x v i i j. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſsiones bonorum operum: & ſunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quę expediunt.

x i x. Indulgentiæ his qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſsionem pœnæ pro peccatis actualibus debitę apud divinam iuſtitiam.

x x. Seducuntur credentes indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus vtiles.

x x j. Indulgentiæ neceſſariè ſunt ſolùm publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus.

x x i j. Sex generibus hominum indulgentię non ſunt neceſſariæ, nec vtiles: videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non commiſſerunt crimina, his qui crimina commiſſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.

x x i i j. Excomunicationes ſunt tantum externę pœnę, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſię orationibus.

x x i v. Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excomunicationem, quam timere.

x x v. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor non eſt Chriſti Vicarius ſupra omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in Beato Petro inſtitutus.

x x v j. Verbum Chriſti ad Petrũ, quodcumque ſolveris ſuper terram, &c. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.

x x v i j. , Certum eſt in manu Eccleſiæ, ; aut Papę, prorſus non eſſe ſtatuere articu; los fidei, immò nec leges morum, ſeu bono; rum operum.

x x v i i j. , Si Papa cum magna parte Ec, cleſię ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum aut hęreſis, contra; rium ſentire, pręſertim in re non neceſſaria ; ad ſalutem, donec fuerit per Concilium , Vniverſale alterum reprobatum, alterum , approbatum.

x x i x. , Via nobis facta eſt enervandi ; auctoritatem Conciliorum, & liberè con; tradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorũ , decreta, & confidenter confitendi quidquid , verum videtur, ſive probatum fuerit, ſive re, probatum à quocumque Concilio.

x x x. , Aliqui articuli Ioannis Huſs, con, demnati in Concilio Conſtantienſi, ſunt , Chriſtianiſsimi, veriſsimi, & Evangelici, ; quos nec vniverſalis Eccleſia poſſet dam; nare.

x x x j. , In omni opere bono iuſtus pec, cat.

x x x j. , Opus bonum optimè factum, , eſt veniale peccatum.

x x x i j. , Hæreticos comburi, eſt con, tra voluntatem Spiritus.

x x x i v. , Pręliari adverſus Turcas, eſt , repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras , per illos.

x x x v. , Nemo eſt certus, ſe non ſemper

per peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

xxxvj. Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo: & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

xxxvij. Purgatorium non poteſt probari ex ſacra Scriptura, quæ ſit in Canone.

xxxviij. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de eorum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt vllis aut rationibus, aut ſcripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.

xxxix. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

XL. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragijs viventium, minùs beantur, quàm ſi per ſe ſatisfeciſſent.

XLI. Prælati Eccleſiaſtici, & Principes ſeculares non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

9 Qui quidem errores reſpectivè quàm ſint peſtiferi, quàm pernicioſi, quàm ſcandaloſi, quàm piarum & ſimplicium mentium ſeductivi, quàm denique ſint contra omnem charitatem, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris omnium Fidelium, & Magiſtræ fidei reverentiam, atque nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet, quæ fons eſt, & origo omnium virtutum, ſine qua facilè vnuſquiſque infidelis eſſe convincitur, nemo ſanæ mentis ignorat.

10 Nos igitur in præmiſſis, vtpote graviſſimis, propenſiùs (vt decet) procedere, necnon huiuſmodi peſti, morboque canceroſo, ne in agro Dominico tanquam vepris nociva vlteriùs ſerpat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus, & eorum ſingulis, diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaque deliberatione, omnibuſque ritè penſatis, ac ſæpiùs ventilatis cum Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Prioribus, ſeu Miniſtris Generalibus, pluribuſque alijs ſacræ Theologiæ, necnon vtriuſque Iuris profeſſoribus, ſive Magiſtris, & quidem peritiſſimis; reperimus eoſdem errores reſpectivè (vt præfertur) aut articulos non eſſe Catholicos, nec tanquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ſive traditionem, atque ab ea veram divinarum Scripturarum receptam interpretationem, cuius authoritati ita acquieſcendum cenſuit Auguſtinus, vt dixerit, ſe Evangelio non fuiſſe crediturum, niſi Eccleſiæ Catholicæ interveniſſet authoritas. Nam ex eiſdem erroribus, vel eorum aliquo, vel aliquibus palàm ſequitur, eandem Eccleſiam, quæ Spiritu ſancto regitur, errare, & ſemper erraſſe. Quod eſt vtique contra illud quod Chriſtus diſcipulis ſuis in aſcenſione ſua (vt in ſancto Evangelio Mathæi legitur) promiſit dicens: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſeculi.* Necnon contra ſanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque, & *Summorum Pontificum expreſſas ordinationes, ſeu Canones*: quibus non obtemperaſſe, omnium hæreſum, & ſchiſmatum, teſte Cypriano, fomes, & cauſa ſemper fuit.

11 De eorundem itaque Venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac omnium & ſingulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, *auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Noſtra*, præfatos omnes, & ſingulos articulos, ſeu errores, tanquam (vt præmittitur) reſpectivè hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, & veritati Catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reijcimus, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis, ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus, & declaramus, &c.

12 Hucuſque, & plura alia, Leo Pontifex ex Cathedra Sedis Apoſtolicæ protulit ac definivit contra hæreſes ſuo tempore ortas aut ſuſcitatas, præſertim ab impijſſimo illo & bipedum impudentiſſimo Martino Luthero: qui, veluti Anti-Chriſti prodromus, Eccleſiæ Catholicæ tunc, & poſtea, immo vſque modò, & fortaſis per futura ſæcula, tam ingentem perniciem attulit, affert, afferetque, vt nullam ſimilem intulerint Arius, Pelagius, Macedonius, Neſtorius, aliæque eiuſmodi peſtes. Porrò Bulla præiacta fuit Romæ expedita anno M.D.XX. Pontificatus Leonis octavo, 17. kal. Iulij. Poſt quod tempus homuncio ille putidus plura alia errorum portenta effutivit, quotidie in peius ruens, donec graveolantem animam iam diu maturam ad æterna ſupplicia diris & furijs infernalibus tradidit.

13 Notandum verò, eſt qualiter Leo X. imitatione Deceſſorum ſuorum, nullo Concilio Generali coacto, ſed ſolùm matura diſcuſſione & conſultatione habita cum Cardinalibus, ac viris gravibus, doctiſque in Theologia & vtroque Iure, proceſſerit ad definiendum & damnandum ex cathedra, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ, omnia prædicta dogmata, veluti hæretica, erronea, ſcandaloſa

daloſa, &c. reſpectivè, ſive iuxta meritum vniuſcuiuſque eorum. Præterea obſervandũ, qualiter Leo num. 9. ad præferendam definitionem imprimis meminerit SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ MATRIS OMNIVM FIDELIVM, ET MAGISTRÆ FIDEI: vt proinde tanquam Summus Pontifex illius rectum omnino & irreformabile circa res fidei iudicium ferat. Deinde ſingulari obſervatione dignum eſt quomodo inter cætera Lutheri impia dogmata damnetur vigeſsimũ quintum, in quo dicebatur: *Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſupra omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in Beato Petro inſtitutus.* Nimirum, id eſt contra Primatum Romani Pontificis, Sediſque Apoſtolicæ, in totam Eccleſiam, innixum manifeſtis & pollicitationibus Chriſti, teſtimonijs Conciliorum, doctrinæ communi Sanctorum Patrum, & perpetuæ traditioni totius Eccleſiæ. Deinde damnatur articulus 27. in quo habetur: *Certum eſt, in manu Eccleſiæ, aut Papæ, prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei, immo nec leges morum, ſeu bonorum operum.* Vide qualiter damnata fuerit auctoritate Apoſtolica opinio negans Romano Pontifici auctoritatem infallibilem ad definiendum aliquid de fide. nam ſola auctoritas, quę infallibilis verè ſit, *articulos fidei* ſtatuere poteſt. Præterea damnatur articulus 28. in quo dicitur: *Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret; adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis, contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium Vniverſale, alterum reprobatum, alterum approbatum.*

14 Expendant, quæſo, Illuſtriſsimi Galliarum Præſules, eos tres articulos; & depoſito omni præiudicio conſiderent, an ipſorum nupera Declaratio Pariſijs edita hoc anno M.DC.LXXXII. ſit ab ijs aliena. Certè primo eorum videntur præſtare aſſenſum, dum Eccleſiam Gallicanam neſcio quibus privilegijs munitam eripere tentant auctoritati Romani Pontificis, & appellationes ad ipſum intercludere, quaſi non eſſet *Chriſti Vicarius ſupra omnes Chriſti Eccleſias ab ipſo Chriſto in Beato Petro inſtitutus*: vti effutiebat auctor illius articuli. Deinde ſecundum probare videntur, dum negant Romano Pontifici poteſtatem ſtatuendi articulos fidei. Hoc enim aiunt, dum dicunt, iudicium definitivum illius in rebus fidei non eſſe irreformabile, donec Eccleſię conſenſus acceſſerit. Si enim nihil ab ipſo ſolo definitum eſt articulus fidei; adhuc non habet auctoritatem infallibilem omnino; ſed obnoxium eſt errori. Denique manifeſtum apparet, Declarationis illius defenſores impingere in tertium illum articulum damnatum: ſiquidem Innocentius XI. *Papa cum magna parte Eccleſiæ* (ne dicam cum tota, quæ eſt, & fuit) immo cum toto cœtu Catholicorum omnium aliarum Regionum, & longè maiori eiuſdem Gallię (quamvis multi metu abducti diſsimulent) ſentit & docet Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilium, etiam Oecumenicum, habereque extra illud auctoritatẽ omnino infallibilem ad definiendum controverſias fidei, dominiumque in Regna temporalia, ſaltem indirectum, & ius ad plura alia, quę negantur in illa Declaratione. Id totum affirmat Papa *cum magna parte Eccleſiæ*, aut cum tota illa ferè. At Præſules Gallicani contrà omnino ſentiunt: & tamen aiunt, ſe in eo nullum committere peccatum, aut hęreſim. Ergo ipſorum iudicio verus eſt ille articulus à Sede Apoſtolica damnatus: *Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret; adhuc non eſt peccatum, vel hæreſis, contrarium ſentire.* Credo, non facilè extricandum nodum hunc, & quamlibet exceptionem aut evaſionem occurrentem, nullo negotio pręcludendam.

SECTIO SECVNDA.

Adrianum VI. qui olim cenſuerat Papam in iudicio de rebus fidei extra Concilium errare poſſe, poſtea in Pontificatu oppoſitum docuiſſe, & damnationem errorum Lutheri extra omnem Synodum confirmaſſe. Exſcribitur eius Bulla ad Fredericum Saxoniæ Ducem contra illum hæreſiarcham, lectu & veneratione digniſsima.

15 LEONI X. in Summo Pontificatu, pariter & in zelo fidei Catholicę tuendæ, præſertim adverſus impudentiſsimum Lutherum, ſucceſsit Adrianus VI. vitæ integritate, contemptu honorum, & doctrina clariſsimus. Qui, cùm cerneret, feram illam immanem & indomitam quotidie in peius ruere, ac virus ſuum longè & latè evomere, præſertim in Saxonia, vbi Fredericum Ducem invenit perfidiæ ſuæ ſectatorem, protectoremque; Bullam ad hunc ſcripſit graviſsimam, & doctiſsimam, vt reſipiſceret; agnoſceretque innumerabilia mala in Eccleſiã inducta ab illo Hæreſiarcha, quorum Dux ipſe particeps & cooperator eſſet; nec ſineret peſtilentiſsimum hominem vlteriùs debacchari, ſed compeſceret, ac ſuorum deni-

deniſque ſcelerum pœnitentiam ſeriò ageret.

16 In ea verò maximè obſervandum eſt, pro inſtituto huius Operis, Pontificem Adrianum, quamvis olim in minoribus conſtitutus Lovanij docuiſſet, ſcripſiſſetque in 4. Sentent. de Confirm. q. vltima, Papam in iudicio de rebus fidei extra Concilium Generale eſſe expoſitum errori; poſtea tamen mutâſſe ſententiam. Etenim cùm primùm Pontifex renuntiatus fuit, damnationem errorum Lutheri à Leone X. Deceſſore ſuo editam extra Concilium Generale, ratam omnino habuit, eoſque iterum damnavit, nulla Synodo ad id coacta, veluti contrarios Catholicę fidei. Quoniam verò extrema illius nebulonis impietas ortum duxit potiſsimùm à contemptu Sedis Apoſtolicę, ſive Cathedrę Pontificię, quam criminabatur, veluti erraticam, nec verebatur appellare ore putido *cathedram peſtilentiæ*; conatur Adrianus Fredericum Saxoniæ Ducem omnibus modis, & ſolida Scripturarum eruditiune hortari, vt eam veneretur, & definitionibus ipſius fidem pręſtet, neglectis blaſphemijs atque effręni impudentia homuncionis illius. Quin & in id ſuadendum vtitur exemplò cathedrę Moyſi; in qua Princeps Sacerdotum pronuntiabat de fide & moribus, toto cœtu Iſraelitico eius iudicium ſequente iuxta præceptum Dei. Eadem autem, aut vrgentior ratio eſt, vt Summo Sacerdoti in lege gratiæ, longè maiori auctoritate prædito, & à Deo conſtituto Capiti totius Eccleſiæ, ac Vicario Chriſti, fides & obedientia deferatur in omnibus ijs, quæ ex cathedra docet circa fidem & mores. Hæc & plura alia Adrianus. Quamvis verò Bulla ipſius extet in communibus editionibus Conciliorum, viſum fuit illam hoc loco exſcribere; non ſolùm quia continet doctrinam prædictam, inſtituto & ſcopo huius Operis valde opportunam; ſed etiam quòd gravitate, eruditione ſacra, & zelo Catholicæ fidei plena ſit. Itaque ſic in ea loquitur Adrianus Pontifex:

17 Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Satis, & plus quã ſatis ſuſtinuimus, dilecte in Chriſto, ſi forte Dei pietas tuam animam dignetur inviſere, ac dare pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, vt reſipiſceres à diaboli laqueis, à quo captivus detineris. Novimus te paternè monitum à felicis recordationis Prædeceſſore noſtro, vt à te ſeparares perniciem illam Chriſtianę Religionis Martinum Lutherum: & cùm iam toti orbi manifeſtę eſſent ſceleſtiſsimę machinationes illius, ſperavimus & te ad cor pœnitens reverſurum.

18 Sed quoniam expectavimus vvas, & ecce quia fruſtrà conflavit conflator (malitiæ enim tuę non ſunt conſumptę) coegit nos miſeratio tui; coegit paternus amor, quo te & tibi ſubditos Saxones in Domino ſemper fuimus proſequuti, ſalutaribus, & paternis monitis adhuc convenire, vt vel tandem reſipiſcatis, antequam planè in vos conveniat, quod mox ſubdit Propheta: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos*: Et quid dicemus vobis quam quod Galatis ſuis Paulus? *O inſenſati, quis vos faſcinavit veritati non obedire? Currebatis benè.* Interrogate patres ac dicent vobis: maiores veſtros veſtros, & annunciabunt vobis.

19 Quod Adrianus Romanus Pontifex, & Carolus ille Magnus Imperator, Saxonię fidei plantatores, ad noſtra vſque & chariſsimi in Chriſto filij noſtri Caroli tempora, avi, & proavi veſtri, atque adeo Saxones omnes, ſemper habiti eſtis veluti pacis amatores, fidei propugnatores, per omnia obedientiæ pacifici filij: taleſque, vt non immeritò Gregorius V. natione Saxo, olim Romanus Pontifex, Saxoniæ Ducem in Romani Imperatoris conſtituerit electorem. Quomodo ergo tam citò mutatus eſt color optimus? Cur tam facilè transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt quidam, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. *Quis vineam Domini Sabaoth tam pulchrè plantatam eſt demolitus?* Certè exterminavit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Sed vę illud à vobis, à domeſticis, & amicis, à cruciatu præcordiorum.

20 Obſecramus te, fili dilecte in Chriſto, leva oculos tuos in directum; & vide vbi ſis proſtratus. Conſidera quantam Eccleſię Chriſti, tot malis vndique circumvallatæ, ac penè oppreſſæ, pro opera qua illi ſubvenire debueras, cladem inſuper intuliſti. Oppugnatur foris ab infeſtiſsimo illo, ac potentiſsimo Chriſtiani nominis hoſte. Diſsident intus Principes Reipublicæ Chriſtianæ, & in mutuam armati perniciem, cruentiſsimis inter ſe odijs conflictantur, & in fraterna viſcera ferrum ſtringunt, vt vix Ethnici inter ſe crudeliùs. An hęc ita tibi viſa ſunt non ſatis gravia, niſi contritionem inducere ſuper contritionem, nutriens ac fovens ſerpentem illum in ſinu tuo, qui veneno linguæ ſuę Eccleſiam & terras infecit adeò, vt nunc pervenerit gladius, etiam vſque ad animam? Quantò autem pluris eſt anima, quàm corpus: tantò gravius eſt prædictis

dictis omnibus horrendum illud, & pluſquam tartareum venenum, quo hæreſum, ac ſchiſmatum contagione tot myriades animarum interierunt, intereuntque.

21 Ita tibi debemus omnes, quòd nunc paſsim ab vnitate Matris Eccleſiæ recedatur: Quòd avertatur vulgus indoctum, ac bis mille præſtigijs, & faſcinationibus retrahatur à fide, quam ſuxit ab vbere materno. Quòd baſilicæ ſint ſine plebibus, plebs ſine Sacerdotibus, Sacerdotes ſine debita reverentia, & fide Chriſto denique Chriſtiani: Quòd Sacramenta fidei, non ſacra cenſeantur: Quòd Sanctuarium Chriſti, ſanctū eſſe negetur: Quòd dies feſti, feſtivis fruſtrentur ſolemnijs: Quòd moriantur homines in peccatis ſuis, rapiantur animæ ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliata, nec ſacra cōmunione munita: Quòd pulcherrimus ille tabernaculi ordo confuſus ſit; & pro Chriſtiana pace, ac tranquillitate, ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia cum magno ac manifeſto Chriſtianæ Reipublicę diſcrimine, veluti claſſico paſsim excitatus. Pro quibus egregijs tuis in Eccleſiam Chriſti meritis, quo te præmio, immò quo non ſupplicio dignum cenſebimus.

22 At dices fortè, *Serpens me decepit.* Dignam certè recepiſti mercedem, qui illum nutrivisti in ſinu tuo. Sed ita ne ſtultus es, ac ſine corde, vt in eis maximè rebus, in quibus errare, damnari eſt, vnî homuncioni cooperto peccatis, quàm tot ſanctiſsimis ab initio Patribus, qui in lege Dei meditati ſunt die, ac nocte; & quàm tot Vniverſalibus Concilijs, adverſus quę impudens os illud velut ſepulchrum patens ſe aperire non erubeſcit; ſanctę denique, & Catholicæ Eccleſiæ, cuius ritum, conſuetudinem, & decreta, à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque inviolabiliter obſervata, vnus iſte ſacrilega temeritate damnare præſumit, plus credere potueris? O cæcam dementiam, ac pluſquam Iudaicam cæcitatem!

23 At fortaſsis hoc tibi impoſuit, quòd veterator ille Martinus & eius ſequaces, de capitulis Scripturarum viſi ſunt, ſua confirmare. Et quis tandem hæreticorum ita non fecit? An non ſunt hę veteris ſerpentis aſtutiæ, qui hac veluti eſca obducto hamo miſeris animabus mille technis, & verſutijs ſemper eſt inſidiatus: quique, quò angularem infringeret verę fidei lapidem, ac Chriſtianam ſcinderet vnitatem, in Scripturarum agrum, ſuum ſeminare ſemen, & perverſam Scripturarum intelligentiam iam pridem eſt aggreſſus? Cùm itaque maxima ſemper pars Eccleſiarum imperita turba ſit, & vix vnus reperiatur aut alter, qui ſpiritualibus oculis de Scripturarum intelligentia dignè valeat iudicare: ſiquidem librum ſignatum legimus quem ſolus Leo de tribu Iudà dignatus eſt aperire, ac ſolvere ſignacula eius: quæ tandem eſt iſta diabolica excæcatio, vni carnali homuncioni ſemper eructanti crapulam, & potum, quàm reliquo orbi vniverſo, quàm tot ſpiritualibus Patribus, quorum voluntas ſemper fuit in lege Domini, qui vitæ ſanctimonia, oſtenſione ſpiritus, ac virtute, glorioſo denique martyrio ſuam doctrinam comprobaverunt, in Scripturarum intelligentia plus te fidei habere potuiſſe? O cęcitatem novam, & inauditam!

24 Vnus apoſtata tibi potuit perſuadere, fefelliſſe priores vniverſos, errare poſteros, & in ſolum ſe, & quos decepit, perveniſſe regnum Dei, perveniſſe totas miſerationum Dei divitias, ac gratiam vniverſitatis? Et quid non dicimus cum Propheta Hieremia c. 4. *Heu, heu, heu Domine: ergo ne decepiſti populum tuum?* Quin potiùs cur non devitatis (ſecundum Apoſtolicum præceptum primo Timoth. 6.) quęſtionibus, ac pugnis verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & ſubvertunt corda audientium, ex operibus ſuis, iuxta Dominicam deſignationem, ſtuduiſtis cognoſcere filium prophanum iſtum, qui ad vos venit primùm in veſtimentis ovium, lupus intrinſecùs rapaciſsimus? Siquidem non ex folijs, ſed ex floribus, ſed ex fructibus arbor cognoſcenda erat.

25 An non manifeſti ſunt nequiſſimi fructus eius? Siquidem ſacrilegus hic adverſus Deum, imagines ſacras, atque adeò ipſam crucem Chriſti ſceleratis manibus confringere, & pollutis conculcare pedibus non formidat: contra Sacerdotes Dei furore impio temerariè debacchans, non deſinit laicos, ad lavandas ſibi in eorum ſanguine manus ſedulò concitare: Eccleſiam Chriſti parricidalibus armis oppugnans, hoc agit aſsiduò, vt ſuffocentur homines in peccatis ſuis: hoc vnum elaborat, ne divina miſericordia ſuis Sacramentis, quæ peccatorum remedia efficacia eſſe voluit, vulneratos in Eccleſia ſua curet. Ita enim ea aut ſuſtulit vniverſa, aut hæreſeos ſuæ peſtifero in-

, fecit veneno, vt toxicum magis requirat,
, quàm animarum medicinas.
, 26 Præcepit ſuis, ne indignanti Deo
, quis ſatisfaciat: ne ieiunijs, orationibus, la-
, mētationibus peccata redimat: ne hoſtia il-
, la placens Deo, Corpus & Sanguis Domini
, noſtri Ieſu-Chriſti, à Sacerdotibus offeratur,
, quotidie pro peccatis noſtris. Vota docet nō
, reddere Domino Deo ſuo. Et cùm ipſe ſit
, apoſtata ac profeſsionis ſuę deſertor, vt plu-
, rimos ſui faciat ſimiles, ſacta illa Deo vaſa
, polluere non veretur, conſecratalque Chri-
, ſto Virgines, & vitā monaſticam profeſſas,
, extrahere à monaſterijs ſuis, & mundo, imò
, diabolo, quem ſemel abiuraverunt, reddere.
, Quod in veteri lege in vmbraticis Sacerdo-
, tibus Dominus non tulit, quod Ethnici in
, idolorum ſuorū flaminibus, omnes ſunt abo-
, minati, Chriſti Sacerdotes etiam viliſsimis
, copulat meritr cibus.
, 27 Sanctos Patres illos, quorum vita
, & doctrina illuſtravit vniverſum mundum,
, non ſolùm debito honore non proſequitur,
, ſed multò quàm Cain ſceleſtiùs deſpicit, de-
, ridet, contemnit, inſectatur. Sacroſanctis
, omnibus Vniverſalibus Concilijs impuden-
, ti ore palàm contradicit, ac ſacrilega lin-
, gua detrahit: libertatis ſpecie licentioſam
, quandam vitam, nullis conſtrictam legibus,
, ac verè ferinam inducere conatur. Vnde &
, exlex homo, contemptor, ac violator legū
, omnium in tantam erupit mentis veſaniam,
, vt ſanctiſsimorum Patrum decreta & Eccle-
, ſiaſticos Canones igne publico concremare
, non formidarit. Et breviter Chriſtianā ve-
, ritatem, omnem rerum ordinem, pulcher-
, rimam denique Eccleſiæ faciem, à Chriſto,
, ab Apoſtolis, Apoſtolicisque viris, ac ſan-
, ctiſsimis Patribus ab initio conſtitutam,
, vnus hic poſt tot centenos annos diſcinde-
, re, invertere, ac deformare molitur.
, 28 Quod ſi nondum ſatis etiam in-
, ternoſcis, de Chriſtiano magiſterio, an de
, Anti-Chriſti ſpiritu iſta proficiſcantur: ſi
, ita faſcinavit te præſtigiator ille, vt credere
, poſsis vnum hunc perfidiſsimum apoſtatam,
, veluti alterum Heliſæum habere duplicem
, ſpiritum Heliæ, aut alterum eſſe (quem ſe
, iactitat) Danielem, in quo ſit ſpiritus am-
, plior, & intelligentia Scripturarum maior,
, quàm in omnibus olim ſanctiſsimis illis,
, doctiſsimiſque viris, quàm in ſacroſancta
, Eccleſia Catholica; quid eſt te vno cæcius?
, Aut ſi iam ex fructibus arborem cogno-
, ſcens, in errore perſiſtis tamen; quid te mi-
, ſerius?
, 29 Sed eſto: transfiguratus ſit co-
, ram te Satanas ille in Angelum lucis, &
, quæ manifeſta ſunt opera carnis, ac diabo-
, lica, ſpiritus eſſe, & Chriſti opera, venena-
, ta ſua facundia perſuadere potuerit. Num-
, quid non vbique vel hoc ipſo prodidit cu-
, iuſnam ſpiritus ſit, quòd omnis eius ſermo
, amarus eſt, virulentus, arrogans, ac male-
, dicentiſsimus, nuſquam non ſcatens convi-
, cijs, blaſphemijs, ac ſcommatibus pluſquam
, venenatis, adverſus omne Chriſtianę pieta-
, tis, modeſtiæ, manſuetudinis, ac benigni-
, tatis officium? Nunquid ita docuit Paulus,
, cuius ſe iactitat ſpiritum habere, cùm nulla
, eius extet Epiſtola, quę non pacem, & vni-
, tatem, ac alias id genus virtutis redoleat?
, An non cap. 12. Romanos ſuos hortatur in
, Domino, vt in charitate fraternitatis ſe dili-
, gant, invicē ſectentur, quæ ſunt pacis, & quę
, ædificationis cuſtodiant? Corinthijs an nō
, teſtatur ſe docere in Eccleſijs, Deum non
, diſſenſionis, ſed pacis Deum eſſe? Et brevi-
, ter, nunquid non vbique clamat, vbique
, docet Evāgelica illa tuba, vt dignè ambule-
, mus in omni humilitate ac manſuetudine,
, cum patientia ſupportantes invicem in cha-
, ritate, ſolliciti ſervare vnitatem ſpiritus in
, vinculo pacis, vtque deponamus omnem
, iram, indignationem, malitiam, blaſphe-
, miam, turpem ſermonem? Quo igitur pa-
, cto maledicentiam, amaritudinem, iram, in-
, dignationem, blaſphemiam, inflationem,
, iactationē, quę ita huic peculiaria ſunt, vt il-
, la Paulo, ac illius diſcipulis vniverſis, qui
, mitis, ac eſt humilis corde: non Paulini,
, non Chriſtiani, ſed diabolici ſpiritus eſſe
, certiſsima iudicia, vel cęco nō clariſsimè
, appareat.
, 30 Ex verbis illius quomodo non in-
, tellexiſti, Chriſtū in corde ſuo, an verò An-
, ti-Chriſtū haberet, ſecundū quod ipſa Veri-
, tas in Evangelio ait Math. 3. *Progenies vi-*
, *perarū, quomodo poteſtis bona loqui, cùm*
, *ſitis mali? De abundantia enim cordis, os*
, *loquitur.* Et cùm ſcriptū ſit, quòd *maledici*
, *regnū Dei non poſsidebunt*: Item, cùm in
, Evangelio dicat Dominus Math. 5. *Quicum-*
, *que dixerit fratri ſuo Racha, reus erit*
, *Concilio: qui autē dixerit, fatue, reus erit*
, *gehennæ incendio*: illumne eſſe Anti-Chri-
, ſti Apoſtolū, cuiquam obſcurum eſſe poterit?
, Qui non modò Sacerdotes Dei, ſed & Prin-
, cipem Sacerdotū Petri ſucceſſorē Ieſu-Chri-
, ſti in terris Vicariū, tā nefandis, infamibuſ-
, que nominibus, tā inauditis contumelijs, cō-
, vicijs, ac blaſphemijs, nuſquā nō lacerat, diſ-
, cerpit, & inſectatur, vt ea cōmemorare pudi-
, ca refugiat lingua, & audire horreant aures
, caſtæ: QVI APOSTOLICAM CATHE-
, DRAM, IN QVA PRÆSIDET CAPVT
APOS-

APOSTOLORVM PETRVS, cui præfuerunt tot Sancti Pontifices, quam ECCLESIAM PRINCIPALEM, VNDE SIT ORTA VNITAS SACERDOTALIS, ſanctus ille & glorioſus Martyr Cyprianus non dubitat aſſerere, impio ac peſtilenti ore *cathedram peſtilentiæ*, *Anti-Chriſtianam*, *diabolicam*, & ſiquę potuit excogitare nefandiora, toties appellare non ceſſat: Qui Scholas Chriſtianas, quæ tam multos doctiſsimos, ſanctiſsimoſque viros, tam egregias in Eccleſia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua ſua, lupanaria, Sodomas, & Gomorrhas vbique vocare non verecundatur.

31 Qui non ſatis habet, omnipotentis Dei Sacerdotes probris omnibus, convicijs, contumelijs, ac blaſphemijs horrendis, & inauditis, nunquam non publicè, ac privatim inſectari, quibuſvis viliores facere, niſi etiam laicos concitet ad lavandas ſibi manus in ſanguine ipſorum: Cùm tamen quanto honore habere velit Sacerdotes ſuos, maximè autem Principem Sacerdotum, idem ipſe Dominus in Deuteronomio teſtatus eſt cap. 17. dicens: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & nõ lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.*

32 Et Samuel cùm ſperneretur à filijs Iſrael, an non dicit Dominus 1. Regum 8. *Non enim te ſpreverunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*: manifeſtè oſtendens, inviſibilem ſe contemni, cùm viſibilem quis ſpernit Sacerdotem? Quare & Moſes murmuranti adverſus ſe populo, reſpondit Exodi decimo ſexto, *Non aduerſus me murmuraſtis, ſed aduerſus Dominum Deum veſtrum.* Quod ſi Leviticos illos Sacerdotes tanta honoris prærrogativa pręcellere voluerit Dominus, qui exemplari tantùm, ac vmbræ deſerviebant cœleſtium, in vmbrarico illo tabernáculo ſacrificiorum officia conſummantes: quo tandem honoris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claves regni cœlorum? tantáque tribuit poteſtatem, vt quæ ligarent ſuper terram, ligarentur & in cœlis: vtque quorum ipſi dimitterent peccatum, dimiſſa forent: quorum retinerent, forent & retenta? Qui non ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed hoſtiam vivam, ſanctam, immaculatam Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu-Chriſti offerunt quotidie pro peccatis noſtris, conficiunt verbo ſuo, ac manibus tractant; breviter, Sacramenta omnia, quibus hominibus vita, ſaluſque tribuitur animarum, ſuis perficiunt orationibus.

33 Quanto, inquam, honore hos pręcellere voluerit Dominus, quis tandem dubitabit, quod nec ipſe tacuit in Evangelio, cùm dicit ad eos Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit & eum qui miſsit me?* Et quid conſequitur? Quòd in eundem Chriſtum blaſphemus eſſet, & maledicus, qui Sacerdoti Chriſti blaſphemat, aut maledicit. An non hoc primum mandatum in retributione Exodi 20. & Deuter. 5. *Honora patrem, & matrẽ, vt ſis longævus ſuper terram? Qui autem maledicit patri aut matri, morte moriatur.* Nunquid ad carnales tantum parentes illud eſt referendum? Et num minùs ad eos, qui nos in Chriſto regeneraverunt, per quos Chriſtiani ſumus, qui nobis peccata dimittunt, qui cœleſtibus nos paſcunt Sacramentis? Quid ſi peccatores ſunt, & mali Sacerdotes? Quid ſi & parentes? Nunquid proptereà eos non honorare, aut eis maledicere licebit? Nunquid non & Iudas erat inter eos, quos Dominus miſsit ante faciẽ ſuam, & ad quos dicebat: *Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, aut ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabiliùs erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati.*

34 An non pręcipit ita Apoſtolus, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis?* Quòd ſi malis, & peccatoribus non ſit obediendum, quibus tandem? Quoniam ſi dixerimus, peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Ovis es, noli diſcutere paſtorem. Noli te iudicẽ Dei conſtituere, & Chriſti. An non ita

præcepit Dominus in Evangelio dicens: *Super cathedrā Moſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia quæcumque dixerint vobis, ſervare, & facite: ſi quæ autē fecerint malè, facere nolite*: manifeſtè ſignificans, habere eos dignitatem, rametſi vitę eſſent perditę.

35 Nunquid idem Dominus, cùm poſtea tempore paſsionis alapam accepiſset à ſervo Sacerdotis, dicenti ſibi. *Sic reſpondes Pontifici?* adverſus Pontificē quidquam dixit contumelioſe? quin magis innocentiam ſuam aſſerens, & oſtendens, *Si male*, inquit, *locutus ſum, exprobra de malo: ſin benè, quid me cedis?* An non & Paulus cū cederetur in Concilio iuſſu Ananiæ, Actorū 23. diceretque ad eum, *Percutiet te Deus, paries dealvate: Et tu ſedens iudicas me ſecundū legem, & contra legem iubes me percuti*: Audiens ab adſtantibus, *Sic inſimulas Sacerdotē Dei*, maledicendo ipſum, tamen inane nomen, & vmbram quandā Sacerdotis cogitans, expaveſcit? *Neſciebam*, inquit, *fratres, quia Princeps eſt Sacedotum*. Scriptum eſt enim: Principi populi tui non maledices.

36 Quo magis miramur, quòd ex iſtis diabolici ſpiritus operibus, veluti fructibus nequiſsimis, arborē peſsimam nondum cognoviſtis. Et quis tandem eſt ita hebes animo vt non videat quò nunc prorumpant furioſiſsimi conatus iſtius, cùm vt quiſque eſt facinoroſiſsimus, deſperatiſsimus, aut perditiſſimus latro aut homicida, ſub iſtius vexillis, ac ſignis conveniant? Eccleſiam eam Chriſti parricidalibus armis, ac ſacrilegis manibus, non clam, ſed palam opugnantes, conſecrata Deo loca, templa, & monaſteria exurunt, & prophanant: Chriſto dicatas virgines, Sacerdotes Chriſti, & Monachos crudeliſsimè perſequuntur: Eccleſiarū bona diripiunt: & breviter, rapinis, latrociniis, cædibus, incendiis, confundunt vniverſa: excæcante nimirum eos iuſto Dei iudicio, & in inſaniam tam manifeſtam erumpere permittente, neminem vt iam latere poſsint ſceleſtiſsimæ machinationes iſtius.

37 Atque hi, qui peſtifera contagione ipſius infectos ſeſe nunc tandem cognoverunt, ſchiſmatico errore depoſito, ac hæretico furore deſerto, vnitatis ac veritatis domiciliū fidei ſanitate repetunt. Inter quos, dilecte nobis in Chriſto Ieſu, cùm & non ex poſtremis reverſurum ad ſalutem matris ſinum ſperaſſemus, quem revertētem libenter, & obviis excepiſſemus manibus, bona ſpe tandem noſtra fruſtrati, videmus ſupra petrā induraviſſe te faciem tuam: videmus perniciem illam animarum Lutherum ſub tuo patrocinio latitātem ſuum adhuc virus longè, lateque ſpargere. Sed quoniam adhuc potens eſt Dominus Deus etiam de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, antequam egrediatur vt ignis indignatio eius, & ſuccendatur, nec ſit qui extinguat. ideo te, Fili dilecte, in Chriſto obſecramus per viſcera noſtri Redemptoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, per Chriſtianam vnitatem, per patriæ charitatem, per tuam denique ipſius, tuorumque ſalutem, miſerere Eccleſiæ Chriſti, & tot iam malorum procellis vndique exagitatæ, ac penè oppreſſæ tua maximè culpa, aliquando fer opem: miſerere patriæ noſtræ, quę ſyncerę olim fidei, eximiæ religionis, ſanctæ ſub iugo Domini ac religioſæ obedientiæ inſigni pręcellens gloria, perniciem iſtam religionis Chriſtianę, & fidei, ac pietatis publicum hoſtem Martinum, in ſuis ſe peperiſſe, ac foviſſe viſceribus nunc erubeſcit.

38 Miſerere denique tui ipſius, tuorumque miſerè ſeductorum Saxonum. Quos, niſi reſipiſcatis, & quidem citò, manet præſens & certa vltio divina, quam neque in hoc ſæculo effugietis, neque in futuro. *Hæc dicit Dominus Deus: Audi popule ſtulte, audi princeps, qui non habes cor: qui habetis oculos, & non videtis: aures, & non auditis*. Me ergo *non timebitis, & à facie mea non dolebitis? Nunquid non audiſtis quæ fecerim in diebus antiquis?*

39 Legite Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, & invenietis, quàm gravis ſemper fuerit, & quàm terribilis divina vindicta in illos, qui in populo Dei ſchiſma concitaverunt. Nunquid non legiſtis horribilem divinam vltionem adverſus Datham, & Abiron, quòd multitudinem adverſus Moſen concitaviſſent, quos dehiſcens ſub pedibus terra, & aperiens os ſuum, deglutivit, & omnia quę ad eos pertinuerunt, ita vt deſcenderent viventes in infernum? Et adverſus Core, quem eandem ob cauſam cum ducentis, & quinquaginta viris cœleſtis flamma devoravit. Quòd ſi ob durius imperium fortaſsis, aut quorundam paſtorum, ſeu ignaviam, ſeu malitiam, ſchiſmata excitanda putatis: Nunquid non ex libro Regum audiſtis, adeò indignatum fuiſſe Dominum adverſus decem tribus filiorum Iſrael, & in omne ſemen eorum, vt dimoverit eos, & tradiderit in direptionem, donec proiiceret eos à facie ſua? Ob quam tandem culpam, niſi quòd ob durius imperium Salomonis, & imprudentius, arrogantiuſque

ſi quę reſponſum Roboam Regis Hieruſalem, ſciſſæ fuerunt à tribu Iudà, & Benjamin? Quam præſens ſemper fuerit Domino vindex Sacerdotibus ſuis, an non Saul ab regio abiectus honore, & Oſias Rex Iudà percuſſus lepra, propterea quod quę Sacerdorum erant contra Sacerdotes Domini ſunt auſi vſurpare, ſufficienti vobis potuerunt eſſe argumento? Et breviter: An non omnes teſtantur hiſtorię, vniverſos vltrice Domini manu infelici periiſſe exitu, qui in Chriſtos Domini ſacrilegas manus iniicere non formidaverunt? Contrà autem felicia omnia, & longam illis contigiſſe vitam, qui Chriſtum in Sacerdotibus ſuis venerati ſunt? Moveant ergo vos exempla aliorum, & cogitate quid vobis ſit expectandum, qui venerabilem Dei chorum, in manus tentatis tradere prophanas.

40 Proinde quod Dominus per Moſem præcepit vniverſo populo Iſrael, vt ſeparentur à tabernaculis Core, Datham, & Abiron, nec tangerēt quidquam quod ad eos pertineret, ne involverentur in peccatis eorum: hoc & vobis, pręcipuè autem tibi, dilecte Fili, eiuſdem Domini noſtri authoritate pręcipimus, & obſecramus in Chriſto Ieſu, vt ſeparemini à Martino Luthero, auferatis à vobis petram illam ſcandali; neque tangatis quod illius eſt, ne & vos divina vltio involvat ſubitò in peccatis illius. Expurgate quam primum fermentum illud, quod reliquam fidei veſtrę maſſam corrupit, vt ſitis nova conſperſio, novaque creatura.

41 Non dedigneris, Fili dilecte, Paulum imitari, quem ſicut viciſti in Eccleſię Dei perſecutione, tam gravem animarū perniciem ſub tuo nutriens patrocinio: ita reverſus ad cor, effice vt omnes intelligant tuam converſionem: vtque qui per te ſunt ſcandalizati, in te rurſus glorificent Deum. Maximè autem hoc præſta quam primùm, vt impurum os illud obſtruatur, vt capuletur blaſphema lingua, quæ contra Deum, ac ſanctos eius loqui non ceſſat, & virus ſuum vndique ſpargit. Et vt propheticis vos verbis admoneamus Hier. 6. *ſtate ſuper vias, & videte, ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.* State, inquam, *& doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci.* Interrogate de ſemitis antiquis, quę ſit via bona, per quam ambulaverunt Patres veſtri, quam demonſtraverunt tot myriades Martyrum, docueruntque tot millia Confeſſorum, & ambulate in ea.

42 Quod ſi à vobis impetraverimus, ſicut & ſyncerè ſperamus, erit quod gaudeamus cum Angelis de peccatore pœnitentiam agente, & perditam rurſus inventam ovem humeris noſtris ad ovile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, ſtolam vobis priſtinam reſtituemus. Quod ſi dixeritis: Non ambulabimus; & paternè ſalubriterque vos monenti reſpondebitis, Non audiemus: *Ideo audite gentes, dicit Dominus, & cognoſcite congregationes, quanta ego faciā eis. Ecce ego adducā mala ſuper populum iſtū, fructum cogitationū eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt.*

43 Sed & hoc tibi denuntiamus in virtute omnipotentis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius in terris Vicarius ſumus, nec te in pręſenti ſæculo hoc laturum impunè, & in futuro æterni te ignis expectare incendium. Vivunt vnà Pontifex Adrianus, & religioſiſſimus Imperator Carolus, meus chariſsimus in Chriſto filius, & alumnus. Cuius tu edictum verè Chriſtianū adverſus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non ſine gravi offenſa, ac vilipenſione Cæſareę Maieſtatis, violare non timuiſti. Non committemus, vt quos olim cum Magno Carolo Adrianus Pontifex in Chriſto genuerunt, nunc Adrianus Pontifex, & Imperator Carolus ſub ſchiſmatico, ac hæretico tyranno, hæreſum, ac ſchiſmatū ſinamus interire contagione. Quare revertimini ad cor, & reſipiſcite tu, tuique miſerè ſeducti Saxones, niſi vtrūque gladium, Apoſtolicum ſimul, & Cæſareum, olim velitis experiri. Scripta Romę anno Domini 1522.

44 Hucuſque Adrianus: in cuius aureo Diplomate notanda maximè ſunt in rem noſtram quæ habentur num. 30. & 31. pro auctoritate Sedis Apoſtolicę, & Summi Pontificis, olim in Synagoga, & nunc in Eccleſia Chriſti, dum ex cathedra pronuntiat aliquid de fide ac moribus: vt omnes eius iudicio ſtare debeant, idque ex præcepto Dei. Porrò locum illum Deuteronomij 17. cui innititur Adrianus Papa, alio loco latiùs expendemus. Notandum denique ex verbis illius num. 40. quàm terribilem vindictam Dei experti fuerint Saul & Ozias Reges, quod auſi fuiſſent vſurpare ea quæ Sacerdotum erant. Confer, quæſo, hęc cum ijs, quæ ſuprà Diſp. XI. potiſsimum ſect. 11. & 17. dicta ſunt de Principibus invaſoribus bonorum Eccleſiæ, toties vltricem Dei manum expertis.

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur denique, eundem fuiſſe ſenſum Eccleſiæ à tempore Adriani VI. vſque ad Innocentium XI. nunc regnantem. Vbi plura ex Concilijs Senonenſi, ac Tridentino: nonnulla etiam circa definitiones à Pontificibus toto eo tempore editas extra Generale Concilium. Clauſula harum trium poſtremarum Diſputationem contra Declarationem nuperam Cleri Gallicani.

54 POSTQVAM Leo X. & Adrianus VI. ediderunt Diplomata hactenus exſcripta adverſus dogmata Lutheri, quamvis extra omne Concilium Oecumenicum, ſtatim totus Orbis Catholicus ea execratus fuit cum ſuo auctore. Vnde Adriano vivis ſublato anno ſequenti M D. XXIII. & renuntiato Pontifice Clemente VII. Laurentius Cardinalis Sanctę Anaſtaſiæ, Legatus à Latere ipſius in Germania, edidit Conſtitutionem gravem & doctam imprimis, in qua, præter plura alia, Lutherus veluti manifeſtus Hæreſiarcha cum ſequacibus ſuis tetrâ notâ inuſtus fuit.

46 Deinde anno M. D. XXVIII. celebratum fuit graviſſimum & doctiſſimum Concilium Senonenſe (ſeu potiùs Pariſienſe, vt Labbè appellat, quoniam Lutetiæ inchoatum eſt die tertio Februarij anni præcedentis M. D. XXVII.) Pręſide Antonio à Prato Cardinali Sanct. Anaſtaſię, Archiepiſcopo Senonenſi, Galliarum & Germaniæ Primate, Franciæque Cancellario: in quo dogmata impia Lutheri ac ſequacium, nominatimque Melanchtonis, Caroloſtadij, Lamberti, Zuinglij, & Oecolampadij, iam antea fulgurita à Leone X. & Adriano VI. iterum notantur magis diſtinctè. Porrò præfatio eius Synodi digniſſima lectu eſt, & multiplici ſacra eruditione dives, ad originem, progreſſum, & qualitatem hæreſeon quarumlibet dignoſcendam; præcipuè verò, vt appareat, Lutherum ac gregales ſectam ſuam conſarcinaſſe ex erroribus plurium aliarum olim ab Eccleſia proſcriptarum, & ſpeciatim ex impietatibus Vvicleffi, atque Huſsij. Deinde in Decreto Generali, quod immediatè ſequitur præfationem, paulo poſt initium, inter varia Lutheri & ſequacium ſcelera, erroreſque, illud indicatur: *Romanorum Pontificum decreta, decretales epiſtolas, etiam & Canones Conciliares enervare contendunt.* Quo ipſo Patres Senonenſes ſummam venerationem profitentur definitionum Romani Pontificis, etiam extra Concilia editarum. Deinde aliquantò poſt ſubiungunt: *Vniverſos inſuper, qui aliter quam ROMANA CREDIT ET PRÆDICAT ECCLESIA, credere & pertinaciter aſſerere attentant, eiuſmodi Concilij (nimirum Lateranenſis) auctoritate, velut hæreticos & pertinaces, a communione fidelium ſeparatos declaramus.* Romana autem Eccleſia non ſolùm credit & prædicat quod à Sede Apoſtolica, ſive Romano Pontifice intra Concilia Generalia pronuntiatur de fide & moribus: ſed etiam quidquid è cathedra traditur extra omne Concilium. Præterea columna vltima Epiſcopi ſuffraganei vrgentur ad obſervantiam Conſtitutionum Vrbani V. Clementis V. & Bonifacij VIII. adverſus hæreticos, quamvis extra Concilium editarum. Denique in eodem Decreto interdum allegatur cum ſumma veneratione Concilium Lateranenſe paulo antè celebratum à Leone X. tanquam *SACRVM ET GENERALE.* vt propterea non dubites, doctrinam Seſs. XI. illius, in qua definitum fuit, Papam eſſe omni Concilio ſuperiorem (vt vidimus ſuprà Diſp. XV. num. 34.) eſſe Catholicam, veluti traditam ab Eccleſia in Synodo legitima & Generali. Quare dum Illuſtriſsimi Præſules Galliarũ hoc anno 1682. tradunt Papam eſſe inferiorem Concilio, etiam quoad definitiones fidei, videntur proſſus obliti eius doctrinę in Synodo Lateranenſi definitæ, exuiſſeque venerationem, qua Patres Concilij Senonenſis illam execeperunt & coluerunt.

47 Inſuper in Indice Decretorum Fidei Decreto tertio iidem Patres, allegato capite decimo ſeptimo Deuteronomij, in quo demandata olim fuit Summo Sacerdoti auctoritas definiendi controverſias de fide & moribus, vt eius arbitrio res tota finiretur; abſurdum dictu exiſtimant, quòd Deus *Eccleſiam Synagoga potiorem ita neceſſarijs deſtituat auxilijs, vt prorſus non habeat, qui ſuborta de fide quæſtione, tuto ſatis inniti poſsit.* Hæc autem argumentatio à minori ad maius, non ſolùm probat infallibilem auctoritatem Synodi Generalis, vbi iam ritè congregatum eſt, aut congregari facilè poteſt: ſed etiam Romani Pontificis, præſertim vbi aut nullatenus, aut difficulter illud congregari poteſt. Preterea ibidẽ Decreto 4. notatur *veluti ſchiſmaticus, & hæreſum omnium incentor ac fautor*, qui non admiſerit enumeraveritque libros Canonicos Scripturæ iuxta decreta Pontificum Inno-

Innocentij I. & Gelaſij. Atque ea decreta extra omne Concilium Oecumenicum prolata ſunt. neuter enim eorum Synodum aliquam Generalem celebravit. Profitentur ergo Patres Concilij Senonenſis, ſchiſmaticum eſſe & hæreſeon omnium incentorem fautoremque, quiſquis reſpuit decreta ſeu definitiones Summorum Pontificum, etiamſi editæ fuerint extra omne Concilium Generale.

48 Mitto plura alia Concilia Provincialia ab eodem anno M. D. XXVIII. habita adverſus prædictos Lutheranos, quæ in editione Labbeana videri poſſunt, & eidem ſcopo noſtræ Diſputationis deſerviunt, vſque ad annum M. D. X X X X V. in quo cæptum fuit Concilium Generale Tridentinum tempore Pauli III. & continuatum ſub Pontificibus Iulio III. Marcello II. Paulo IV. ac Pio IV. cuius tandem tempore feliciter concluſum fuit anno M. D. LXIII. In eo verò iam vidimus ſuprà Diſput. XV. numero trigeſsimo ſeptimo & trigeſsimo octavo, quantum auctoritatis pondus acceſſerit Pontificijs definitionibus extra Concilium editis, nec repetere opus eſt: vt propterea mirum ſit quòd aliqui ex Catholicis etiamnum illas errori obnoxias eſſe contendant. Vide dicta eo loci à nobis, & in Decreto ipſo de recipiendis decretis Concilij habito die quinto Decembris anno M. D. LXIII. in fine eiuſdem Synodi. Quo etiam loco ſtatutum de more fuit, vt confirmatio eiuſdem Concilij à Romano Pontifice peteretur: tanquam ij Patres certum haberent, etiam in Synodis Generalibus ritè coactis & celebratis, quale abſdubio erat Tridentinum, nihil obtinere vim vltimi & irreformabilis iudicij aut legis pro tota Eccleſia, donec à Romano Pontifice confirmetur. Vnde & duo planè colliguntur. Alterum eſt, definitiones in rebus fidei & morum vltimam & ſupremam infallibilitatem non tam habere à Concilio Generali, quàm à Sede Apoſtolica, ſeu Romano Pontifice illud confirmante. Alterum, Pontificem eſſe ſuperiorem Concilio: vtpote cuius auctoritas in quibuſlibet definitionibus & decretis non ſit omnino rata & firma, niſi & illius iuſu vel conſenſu fuerit congregatum, & tandem iudicio ac decreto confirmatum. Porrò Pius IV. eam confirmationem præſtitit 7. kalendas Februarij anno 1564.

49 Notanda verò ſunt quædam Pij IV. verba in Bulla eius confirmationis, quæ dilucidè eam auctoritatem Romani Pontificis teſtantur in Concilijs antiquis agnitam, & Sedis Apoſtolicę propriam.* *Cùm autem, inquit, ipſa ſancta Synodus pro ſua erga Sedem Apoſtolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum veſtigijs inhærens, decretorum ſuorum omnium, quæ noſtro, & Prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in publica Seſsione facto: Nos ex Legatorum litteris priùs, deinde poſt reditum eorum, ex ijs quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, poſtulatione ipſius Synodi cognita, habita ſuper hac re cum Venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, ſanctique Spiritus imprimis auxilio invocato, cùm ea decreta omnia Catholica, & populo Chriſtiano vtilia, ac ſalutaria eſſe cognoviſſemus, ad Dei omnipotentis laudem de eorundem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, in Conſiſtorio noſtro ſecreto illa omnia & ſingula auctoritate Apoſtolica hodie confirmavimus, & ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda, ac ſervanda eſſe decrevimus, ſicut harum quoque litterarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & ſuſcipi, obſervarique decernimus.* * Subſcribunt deinde viginti ſex Cardinales, qui aderant.

50 Paucis annis poſt peractum Concilium Tridentinum, regente Eccleſiam Beato Pio V. (Viro ſanè inſignis ſanctitatis, magnanimitatis, prudentię, & doctrinę, ipſis quoque Heterodoxis venerando, & nominatim Franciſco Baccono Angliæ Cancellario, ſuo tempore miranti quòd tam excellens Pontifex nondum in Sanctorum Faſtos relatus fuiſſet) delatę fuerunt ad Sedem Apoſtolicam plura & varia dogmata Michaelis Baij, Profeſſoris Theologiæ in Academia Lovanienſi. Quæ maturè diſcuſſa, tandem ab eodem Pio V. & deinde ſolemniùs à Gregorio XIII. eius Succeſſore damnata fuerunt, variâ ac multiplici notâ, pro qualitate ſingulorum ex ijs, nullo Concilio coacto ad id iudicium ferendum. Extat Bulla ipſa damnationis, non modo inter reliquas Pontificum apud Cherubinum, ſed etiam apud Suarez Tomo primo de Gratia Prolegomeno ſexto cap. ſecundo. & Ripaldam initio Tomi contra eundem Baium. Porrò Bulla ipſa à Pio V. edita fuit 7. kalend. Octobris anno 1567. poſtea verò publicata à Gregorio XIII. quarto kalendas Februarij anno M. D. LXXIX. Statim verò ab omnibus Catholicis cum omni

veneratione recepta fuit, & præſertim ab ipſo Baio, & tota Academia Lovanienſi, vt videbimus vtraque Diſp. ſequenti, quin vllus recurreret ad Generale Concilium, vel dubitaret de auctoritate eius damnationis eo quod extra Synodum Oecumenicam concepta aut edita fuiſſet.

51 Deinde tempore Clementis Papę VIII. cùm mota fuiſſet inter Catholicos acri partium contentione celebris illa controverſia de concordia præſcientiæ, prædeſtinationis, & gratiæ Dei cum libero arbitrio, ac tandiu examinata; nemo tot doctorum & eruditorum hominum vtriuſque partis, qui eò convenêre, dubitavit illius definitionem & iudicium irreformabile ad Sedem Apoſtolicam pertinere, quamvis nullum Cōcilium Generale cogeret ad eam dirimendam. Quare Clemens non ideo eam indefinitam reliquit, quòd exiſtimaret ſibi deeſſe auctoritatem ad eam terminandam: ſed quoniam vtràque ex parte occurrerunt difficultates graviſsimę, ob quas viſum ipſi eſt conveniētius vnicuique earum poteſtatem liberam facere tuendi ſuam opinionem, quam alterutram damnare, donec eius falſitas, & contrariæ ſententiæ veritas, pleniùs innoteſcat Romano Pontifici, vti oportet ad pronuntiandum de fide in re tanti momenti.

52 Noſtro ſæculo & tempore, cùm Cornelius Janſenius tribus vaſtis voluminibus editis multa ex dogmatibus Baij ſuſcitaſſe videretur, & alia inſuper deterioris notæ addidiſſet; eius ſcripta ad Sedem Apoſtolicā delata fuerunt tempore Vrbani VIII. qui poſt accuratum examen quinque eorum præcipua damnavit; verùm indefinito cenſuræ genere circa ſingula eorum. Cùm verò plurimi ex ſectatoribus Ianſenij tergiverſarentur, & contenderent in nullo eorum hæreſim contineri, neque id eatenus à Romano Pontifice declaratum fuiſſe; Illuſtriſsimi Galliarum Pręſules, numero octoginta quatuor ſcripſere communi conſilio anno 1653. ad Innocentium X. Vrbani Succeſſorem, vt in ſingula eorum cenſuram ferret ſub propria & peculiari nota. Quod ille poſt diuturnam Spiritus ſancti invocationem, accuratum examen, & maturam deliberationem, præſtitit eodem anno, gratulantibus ipſi eiſdem Galliarum Epiſcopis, & vocem Romani Pontificis excipientibus, tanquam vocem ipſius Chriſti: vt vidimus Diſput. II. exſcriptis κατὰ λέξιν ipſorum Epiſtolis. Neque quiſquam eorum, aut Præſulum aliarum Nationum, aut denique vlla Academia Catholica obiecit, definitionem Pontificiam prodijſſe extra Concilium Generale, ideoque obnoxiam errori exiſtere. Solùm aliqui Ianſeniano fermento imbuti eam excuſationem aliaſve ſimiles obtenderunt, in progreſſu examinandas: propter quas poſtea ab Alexandro VII. *pluries iniquitatis* appellati fuerunt, & notati de hæreſi.

53 Mitto Bullas eiuſdem Alexandri VII. & SS. D. N. Innocentij XI. nunc regnantis, adverſus varias propoſitiones diverſorum auctorum, præſertim in Theologia Morali. Etenim omnium manibus circumferuntur, nemoquè ex Catholicis eſt, qui ea Diplomata Pontificia non exceperit ſumma animi veneratione: nemo qui deſideraverit auctoritatem Concilij Generalis, vt ea vim irrefragabilem habeant: nemo denique qui Synodum Oecumenicam appellare auſus ſit.

54 Vnde demum conſtat, iuxta ea quæ hactenus diſputata ſunt ab initio huius Tractatus, perpetuum ſenſum & praxim Catholicæ Eccleſiæ fuiſſe à tempore Apoſtolorum vſque ad hunc annum 1682. vt omnes definitiones Romanorum Pontificum ex cathedra prolatæ, in controverſijs fidei & morum ad omnes fideles ſpectantium, exceptæ fuerint, veluti Oracula cœleſtia omnino certa & irreformabilia, quamvis nullum Concilium Generale fuerit coactum ad eiuſmodi definitiones edendas. Verùm quoniam multi, pręſertim in Belgio, Baianæ & Ianſenianæ doctrinæ dediti, videntur idipſum vocare in dubium; oportet vt nonnihil de vtroque ipſorum Anteſignano dicamus, & deinceps in amborum ſectatores convertamus ſtylum.

54 Nunc pro lacinia Diſputationis, expende Chriſtiane Lector, quàm certū ſit & manifeſtum, doctrinam illam Concilij Conſtantienſis Seſs. IV. & V. ſicuti & Baſileenſis Seſs. II. intellectam etiam extra tempus Schiſmatis, & de poteſtate Concilij Generalis ſupra Papam certum & indubitatum, adhuc in rebus fidei (prout Clerus nuperus Galliarum intelligendam vult, quamvis contra omnem rationem) nullatenus fuiſſe confirmatam in Concilijs Generalibus poſterioribus, nimirum Florentino, Lateranenſi, & Tridentino; ſed potiùs refutatam & exarmatam, pręſertim in ſecundo ex ijs Seſs. XI. Cōſtat præterea à nullo ex Pontificibus Romanis vſque modò probatam fuiſſe: quin potiùs reiectam à Martino V. Eugenio IV. Pio II. & reliquis eorum Succeſſoribus vſque ad Innocentium XI. aut per definitionem contrariam, aut vſu ipſo ſententiæ veræ aſſerentis Sedi Apoſtolicæ auctoritatem infallibilem pronuntiandi de fide & moribus extra omnem Synodum Generalem. Conſtat denique, Catholicos omnes ab illo ipſo tempore vſque hodie quaſlibet definitiones Pontificum in

ſingu-

ſingulari excepiſſe ſumma animi veneratione, & mentis obſequio; præſertim verò illuſtriſſimum Clerum Gallicanum, vbi dogmata præcipua Ianſenij ab Innocentio X. damnata fuerunt. Adde plura eiuſdem Cleri recentiora teſtimonia in litteris ad Alexandrum VII. exſcribenda infrà Diſp. XX. num. 14. & 16. Quomodo ergo, aut quo fundamento ſolido, proferri potuerunt verba illa nuperæ Declarationis, apud Lutetiam, in quibus dicitur: *Sic ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicarijs rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, vt ſimul valeant, atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ vſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana, perpetua Religione cuſtodita decreta de Auctoritate Conciliorum Generaliũ, quæ Seſſione quarta, & quinta continentur; nec probari à Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minùs approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant.* Quando enim decretum illud Conſtantienſis Synodi, præſertim eo ſenſu intellectum, fuit ab Apoſtolica Sede comprobatum? Quando etiam ipſo Romanorum Pontificum, & totius Eccleſiæ vſu confirmatum? Quomodo denique perpetua Gallicanæ Eccleſiæ Religione cuſtoditum? Certè alia omnia tribus hiſce poſtremis Diſputationibus palam demonſtrata ſunt, adeò luculentis teſtimonijs Conciliorum, Pontificum, Scriptorum, & ipſius Cleri Gallicani (præter plurimos Auctores Gallos à tempore Concilij Conſtantienſis ſcribentes vſque modò, ſuprà Diſput. VI. & Diſput. XVI. ſect. 2. allegatos) vt mirum ſit, Illuſtriſsimos eiuſdem Nationis Præſules nunc in tanta eruditionis luce, in re adeò manifeſta, minimè veritos facere ſuæ opinionis periculum.

DISPVTATIO XVIII.

AN MICHAEL BAIVS ET IANSENIVS negaverint Romano Pontifici auctoritatem infallibilem ad dirimendum quæſtiones fidei extra Concilium Oecumenicum.

CVM Plerique eorum, qui Baij & Ianſenij dogmata etiamnum amplectuntur, aut amplecti videntur, poſt tot Pontificias definitiones in oppoſitum; eam excuſationem obtendant, quòd adhuc in nullo Concilio Oecumenico damnata fuerint, quaſi abſque illo Romanus Pontifex ex Cathedra definiens controverſias fidei, & morum, errare poſsit; viſum fuit hoc loci examinare, an ij duo Anteſignani ipſorum in eadem opinione fuerint; an potiùs Sedis Apoſtolicæ ſummam & infallibilem auctoritatem cum cæteris Theologis hactenus ſtabilitam agnoverint, independenter à Concilio. Profiteor autem initio, & de cætero intellectum volò, me non loqui aut diſſerere cum Academia Lovanienſi, quam Catholicam, & vnam è clariſsimis Chriſtiani Orbis agnoſco, ac ſummopere veneror: nec cum eius Doctoribus Theologis aut Profeſſoribus generatim: ſed cum ijs tantùm, qui propoſitiones Baij & Ianſenij damnatas docere aut quoquomodo tueri videntur. Quin nec animus eſt, ijs ipſis notam aliquam inurere: cùm ſciam id ad ſolum Romanum Pontificẽ ſpectarè, præſertim poſt Diploma editum à SS. D. N. Innocentio anno 1679. Quod ſi verò aliqui eorum inveniantur tradere quaſdam ex propoſitionibus damnatis, ipſi ſe prodent, & nota inuſtos oſtendent: noſque in eo indicando non cenſebimur iudicium Apoſtolicæ Sedis antevertere, ſed ſolùm ſequi.

SECTIO PRIMA.

Michaëlem Baium humiliter ceſsiſſe Pontificum definitionibus extra Concilium, neque vnquam illarum infallibilitatem in dubium vocaſſe.

2 CVM Pius V. Romanus Pontifex, ob inſignem pietatem & heroicas virtutes meritò iam pridem Beatorum Faſtis adſcriptus, eiuſque ſucceſſor Gregorius XIII. poſt maturam diſcuſsionem, & accuratum examen doctiſsimorum Theologorum, damnâſſent ſeptuaginta novem propoſitiones Michaelis Baij, Doctoris Theologi & Profeſſoris ac Cancellarij Lovanienſis, aliorumque

ſque quorundam, *in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, veluti hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectiuè* (prout ad litteram habetur in litteris Pontificijs, datis Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M.D.LXXIX. quarto Kalendas Februarij) Baius ipſe, curante & adhortante Franciſco Toleto, poſtea Cardinali, è Societate IESV, in id muneris Romā Lovanium miſſo, eas omnes propoſitiones publicè, ſed ſubmiſsâ voce, retractavit, humillimè acquieſcens Romani Pontificis iudicio ſibi per intec nuntium expoſito. Cuius retractationis ſcripto etiam authenticum teſtimonium dedit, & chirographo ſuo coofirmavit, hiſce verbis:

☞ *Ego MICHAEL DE BAII, Cancellarius Vniverſitatis Lovanienſis, agnoſco & profiteor, me ex varijs colloquijs, & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto Concionatore S. Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper diverſis ſententijs, & propoſitionibus iam olim à Sanctiſsimo Domino Noſtro Pio V. felicis recordationis ſub data Kalendarum Octob. Anno M.D.LXVII. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo ſub data quarto Kal. Feb. Anno M.D.LXXIX. iteratò damnatis, & prohibitis, ita motum, & eò perductum eſſe, vt planè mihi habeam perſuaſum, earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem, iure, meritoque, ac non niſi maturo iudicio, & diligentiſsima excuſsione præmiſsis factam, atque decretam eſſe. Fateor inſuper, plurimas ex iiſdem ſententijs, in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper ijs Cenſuram conſcriptis, & in lucem editis contineri, & defendi, ETIAM IN EO SENSV IN QVO REPROBANTVR. Denique declaro, me in præſentiarum ab ijs omnibus recedere, & damnationi à Sancta Sede factæ acquieſcere, neque poſt hac vllas docere, aſſerere, aut defendere velle. Actum die vigeſima quarta Maij, anno 1680. MICHAEL DE BAII.*

3 Itaque Baius, cùm eſſet vir *ſpectatæ alioqui probitatis & doctrinæ* (vt loquitur Pius V. in Diplomate contra eius doctrinam edito) territus Pontificio anathemate intorto adverſus quoslibet earundem propoſitionum defenſores, retractavit illas, quà viva voce, quà ſcripto. idq; ex animi ſententia, & cū laude iudicij ac cenſuræ in ſuam ipſius doctrinam prolatæ. Tam procul fuit ab eo, vt vel criminaretur Romanorum Pontificum cenſoriam virgam, vel dubitaret de illorum auctoritate ad definiendas eiuſmodi cōtroverſias extra Synodum, vel de illorū ſententia appellaret Generale Concilium. Nempe ipſi altè perſuaſum erat, quod toti Eccleſiæ Catholicæ à priſcis ſæculis certiſsimum fuit, Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem eſſe ſupremum Doctorem & Iudicem omnium fidei controverſiarum, vt ad eius definitionem ex cathedra ſtent aut cadant quælibet dogmata. Quin & Nicolaus Magnien. ex relatione Toleti addidit, dixiſſe Baium, malle ſe porcos paſcere, & ſubulcum agere, quàm vlla in re Romani Pontificis iudicio contradicere. Quapropter dubitare non licet, Baium vſque ad ſupremum vitæ ſpiritum in ea abiuratione proſcriptarum opinionum perſtitiſſe, atque in fidei Catholicæ profeſſione, & obedientia Romanæ Eccleſiæ, clauſiſſe diem extremum.

SECTIO SECVNDA.

De propoſitionibus præcipuis Janſenij ab Innocentio X. damnatis. Porrò ipſum, dum viveret, non ſemel teſtatum, ſe & totam doctrinam ſuam iudicio Sedis Apoſtolicæ ſubmittere, nulla facta mentione Concilij.

4 MORTVO Baio non defuêre alij qui ex auditoribus, aut diſcipulis, qui veteres opiniones à Sede Apoſtolica, & ab ipſo notatas nigro thetâ, retinerent, aut ſuſcitarent, quanquam ijs coloribus depictas, vt viderentur quoddammodo aliæ à proſcriptis. Illorum exemplo abductus poſtea Cornelius Ianſenius hoc ipſo ſæ-

ſæculo, non modò aliquas earum acerrimè tuendas ſuſcepit; ſed & alias addidit deterioris notæ, tribus vaſtis voluminibus ſparſas. Quibus nondum editis vt poſtea conciliaret auctoritatem, luſtravit præcipuas aliquot Academias, & hanc ipſam Salmanticenſem, anno circiter M.DC.XXX. publicè teſtatus coram lectiſsimo Doctorum omnium cœtu, ſibi nihil antiquius eſſe, quàm vt puram & germanam SS. Auguſtini & Thomæ doctrinam in Scholis omnibus promovendam curaret. In eum ſcopum latè ſatis & eleganter locutus fuit intra Academiæ Clauſtrum, Oratione meditatâ & excultâ. Aderat inter alios, qui nuper totius Hiſpaniæ communi iactura diem clauſit extremum, & honeſtiſsimæ vitæ periodum terminavit, Illuſtriſs. *D. D. FRANCISCVS RAMOS DEL MANZANO*, tunc Iuris Cæſarei celeberrimus Anteceſſor, poſtea Catholici Regis Noſtri *CAROLI II.* Magiſter, & Conſiliarius in Supremis Cameræ & Caſtellæ Senatibus, Francorum Comes, & variorum librorum ſcriptor ad miraculum vſque eruditus: qui, iubente Rectore Academiæ, vt moris eſt, extemporanea gratulatione Latinè reſpondit Ianſenio, atque eâ verborum elegantiâ, & dictionis ornatu, vt nemo adſtantum crederet, id abſque feriâ præmeditatione fieri potuiſſe, niſi iam antè omnibus compertum eſſet, atque experimentis pluribus comprobatum, eidem ſummo Viro facilia eſſe & in promptu, quæ aliјs, etiam doctis & eruditis, plurimum negotiј faceſſerent. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν παρέργῳ, vt optimo Magiſtro meo in Iuriſprudentiâ à primis annis hanc qualemcumque gratiam & obſequium rependam.

5 Poſt reditum in Belgium Ianſenius edidit libros illos, iam antè magna ex parte conceptos aut elaboratos, in quibus & Baiana dogmata, vt diximus, ex parte ſuſcitavit, & quædam alia è ſua penu adiecit, quæ pluribus annis ab eius obitu tranſactis, poſt imploratam Spiritûs ſancti opem, & conſultationem diuturnam accuratiſsimamque præſtantiorum Eccleſiæ Theologorum, ac S. R. E. Cardinalium, tandem ab *INNOCENTIO X.* damnata ſunt. Quamvis autem decretum ipſum apud varios Scriptores editum legatur, placuit illud hoc loco exſcribere: cùm ſæpe in decurſu Operis allegatum ſit, & ex ipſo pēdeant plurima à nobis tradita & tradenda.

CONSTITVTIO SS. IN CHRISTO PATRIS AC D. N. INNOCENTII, divina Providentia Papæ X.

Qua declarantur & definiuntur quinque Propoſitiones in materia Fidei.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei,

Vniverſis Chriſti fidelibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CVM Occaſione impreſsionis libri, cui titulus, AVGVSTINVS CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS, inter alias eius opiniones orta fuerit, præſertim in Gallijs, controverſia ſuper quinque ex illis; complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, vt eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

PRIMA: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Se-

vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: falſam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quintam: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*; falſam, temerariam, ſcandaloſam: & intellectam eo ſenſu, *vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*; impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

10 Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expreſsis.

11 Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque locorum Ordinarijs, necnon hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vt contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij Sæcularis, omnino coerceant, & compeſcant.

12 Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionē ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Ianſenij. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kalend. Iunij, Pontificatus noſtri anno nono.

HI. DATARIVS.

G. GVALTERIVS. P. CIAMPINVS.

Anno à Natiuitate D.N. IESV Chriſti M.DC.LIII. Indict. VI. Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto Patris, & D.N.D. INNOCENTII, diuina Prouidentia Papæ X. anno nono, die verò nona menſis Iunij, ſupradicta conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſiæ Lateranenſ. ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valluis, ac in acie Campi Floræ, per me Hieronymum Macellam, Sanctiſsimi D.N. Papæ Curſorem.

Pro D. Mag. Curſorum, P. PAVLVS DESIDERIVS Curſor.

13 Quid feciſſet Ianſenius poſt intimatum ſibi diploma Pontificium, ſi ſuperſtes eſſet, & an ex animi ſententia retractaſſet prædictas propoſitiones ſacro Sedis Apoſtolicæ fulmine palam inuſtas, non poſſumus omnino certò definire. Quippe timeri quodammodo poteſt, quemadmodum ille poſt decreta Pontificum PII V. & GREGORII XIII. contra propoſitiones Michaelis Baij, auſus fuit quaſdam earū inſtaurare, & luci committere: ita etiam poſt editam ſanctionem *INNOCENTII* tergiuerſaturum, aut non ſerio reuocaturum. Sed hæc mera ſuſpicio eſt. Credendum potiùs, ceſſurum humiliter, & reipſa executurum, quod viuens teſtatus fuit tomo 2. lib. 1. cap. 29. hiſce verbis: *Mihi conſtitutum eſt, quam ab inſantia ſecutus ſum, ſenſuum meorum ad extremum*

vſ-

vſque ſpiritum ducem ſequi Romanam Eccleſiam, & Beatiſsimi Petri in Romana Sede Succeſſorem: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque cum illo non colligit, ſpargit: apud eum ſolum incorrupta Patrum ſervatur hæreditas. Quodcumque ab iſta Petri cathedra, in cuius communione à teneris vixi, & porrò vivere ac mori fixũ eſt, AB ISTO CHRISTI D.N. VICARIO, AB ISTO ECCLESIÆ CHRISTIANÆ VNIVERSÆ CAPITE, MODERATORE, PONTIFICE, PRÆSCRIPTVM FVERIT, TENEO: QVIDQVID IMPROBATVM, IMPROBO; DAMNATVM, DAMNO; ANATHEMATIZATVM, ANATHEMATIZO. Quod luculentius teſtimonium Ianſenius ferre potuit de ſui animi ſummiſsione in iudicium Apoſtolicæ Sedis, nulla facta Concilij alicuius mentione? Sed & præterea lib. 10. de Gratia Chriſti in Epilogo inquit: *Quidquid de rebus tam multiplicibus, tam arduis, non iuxta meam mentem, ſed iuxta mentem S. Auguſtini, pronuntiavi, DE APOSTOLICÆ SEDIS, ECCLESIÆQVE ROMANÆ MATRIS MEÆ IVDICIO, SENTENTIAQVE SVSPENDO: VT ILLVD IAM NVNC TENEAM, SI TENENDVM; REVOCEM, SI REVOCANDVM; DAMNEM ET ANATHEMATICEM, SI DAMNANDVM ET ANATHEMATIZANDVM ESSE IVDICAVERIT.* Hactenus ille. Quin & octoginta quinque Galliarum Epiſcopi in Epiſtola ad Innocentium X. ſcripta anno 1653. teſtantur, Ianſenium ipſum inſtante iam morte ſua ſcripta ſubieciſſe Apoſtolicæ Sedis iudicio. Subditus ergo permanſit in in præparatione animi cuilibet iudicio ſupervenienti Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romani Pontificis, nulla mentione facta Concilij, ne in ſpeciem quidem.

14 Et certè mirum eſſet quòd Ianſenius vbique prædicans & conteſtans, ſe totius ferè vitæ tempus exegiſſe in crebra & iterata lectione omnium operum S. Auguſtini, nihilque ſapere aut tradere niſi ab ipſo S. Doctore mutuatum, fœdiſsimè ab eo deſciſceret in declinando Romani Pontificis iudicio per appellationem Generalis Concilij. Auguſtinus enim hoc effugij genus reprehendit & arguit, veluti ortum ex effræni & intolerabili ſuperbia, lib. 4. contra duas Epiſt. cap. 12. vbi Pelagianos appellantes Concilium Generale, vt ferretur legitimum de ipſorum doctrina iudicium, ſic reiJcit: *An verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione, damnata ſit: cùm potiùs rariſsimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſsitas talis extiterit; multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantũ ſe extollit aduerſus Deum, vt non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, VT PROPTER ILLOS ORIENTIS ET OCCIDENTIS SYNODVS CONGREGETVR. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cùm prius vigilantia & diligentia Paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium, vbicumque apparuerint iſti lupi, conterendi ſint; ſiue vt ſanentur atque mutentur; ſiue vt ab aliorum ſalute atque integritate vitentur, adiuvante Paſtore Paſtorum.* Similiter Serm. 2. de Verbis Apoſtoli S. Doctor, cùm in Africam miſſum fuiſſet quoddam Reſponſum Pontificis Romani in cauſa fidei, illico cenſuit diremptam controverſiam, nec fas fuiſſe retractandi illam. *A SEDE APOSTOLICA*, inquit, *RESCRIPTA VENERVNT. CAVSA FINITA EST. Vtinam finiatur aliquando error.* Et lib. 2. Operis Imperfecti: *Quid adhuc quæris examen, quod iam factum eſt apud Sedem Apoſtolicam? Ergo hæreſis non adhuc examinanda, ſed coercenda poteſtatibus ſæcularibus.* Mitto plura alia eiuſdem Auguſtini teſtimonia, præſertim in litteris ad S. Innocentium Papam, de quibus in progreſſu. Quâ verò fronte Ianſenius, ſe tertio quoque verbo prædicans Auguſtini per omnia ſectatorem, auderet in doctrina adeò capitali ab ipſo deſciſcere, & palam reluctari iudicio Sedis Apoſtolicæ per recurſum ad vlterius examen in Generali Concilio?

15 Neque eſt quòd aliquis dicat, prædicta Auguſtini teſtimonia non fuiſſe lecta à Ianſenio, aut lecta fuiſſe ſolùm tranſitu quodam, & abſque reflexione vlla. In oppoſitum enim eſt quòd ipſe de ſe teſtatur libro Prœmiali cap. 10. dicens: *Itaque venerabilem ſtilum eius* (Auguſtini) *arripui, nulliſque tædijs aut laboribus territus, VOLVTATIONI ET LECTIONI ASSIDVÆ VNIVERSORVM LIBRORVM EIVS, ITERVM*

ITERVMQVE SÆPIVS REPETITÆ, PER VIGINTI DVORVM ANNORVM SPATIVM IMMERSVS FVI, hoc vnicum ſpectans, vt vltima primis DILIGENTISSIME conferendo, diſperſaſque ſententias, quas hic illic in Scholaſticorum libris legeram, corpori, vnde avulſæ erant, reſtituendo, genuinam doctrinam eius, quantùm mihi Deus daret luminis, radicitus intelligerem, & medullitus imbiberem. Quin etiam, vt habetur in Synopſi Vitæ eiuſdem Ianſenij, quæ præfixa eſt eius Operi, gloriari ipſe ſolebat, *ſe decies & ampliùs VNIVERSA OPERA AVGVSTINI, ATTENTIONE ACRI, ADNOTATIONE DILIGENTI; LIBROS VERO CONTRA PELAGIANOS FACILE TRIGESIES A CAPITE AD CALCEM EVOLVISSE.* Sanè qui toties, tam intentè, tam moroſè, vniverſos S. Auguſtini libros tot annis lectitavit, præſertim ſcriptos contra Pelagianos; quomodo putandus eſt raptim aut tranſitu quodam ſolùm percurriſſe teſtimonia nuper à nobis exſcripta, & præſertim prius illorum, quod directè ſcriptum fuit contra duas Pelagianorum Epiſtolas? Si autem ea loca legit, ac relegit, vti indubium apparet; qualiter, aut quo auſu non adquieſceret omnino Pontificum Romanorum definitionibus, prout Auguſtinus acquieſcendum cenſuit ijs omnibus, quibus pudor aliquis eſt?

16 Suſpicio autem in oppoſitum ſuperiùs indicata num. 6. ex eo quòd Ianſenius aliquas Baij propoſitiones à Pontificibus fulguritas inſtauraverit, fortaſsis quoddammodò elui poteſt. Imprimis cenſura Pij V. & Gregorij XIII. in illas indefinita fuit, quin ij Pontifices ſingulis earum propriam notam inurerent. Deinde ambo ij declararunt, quaſdam earum *in aliquo ſenſu ſuſtineri poſſe*, quamvis in rigore & proprio ſenſu ab aſſertoribus intento eſſent reſpectivè dignæ variâ ac multiplici notâ ibidem expreſsâ. Potuit itaque falli Ianſenius, & credere, quamvis ex privato errore, ſe nullam earum docere in rigore & proprio ſenſu ab aſſertoribus intento: quod ſufficit ne palam refractarius fuerit Pōtificijs definitionibus, & ne putetur contradicturus, ſi viveret, Diplomati Innocentij X. contra quàm aſſeruerat ſe facturum locis ſuprà indicatis. Quippe aliter ſe gerens, apertè perfidiæ, & ſplendidi mendacij à quolibet argui poſſet. Saltem ijs coniecturis efficitur, Ianſenium in ijs propoſitionibus hæreticis, quas ſcripto tradidit, non fuiſſe ita obfirmatum, vt damnatis ijs à Sede Apoſtolica, declinaret eius iudicium, & provocaret ad Generale Concilium. Quin potiùs illas antegreſſo iudicio & deliberatione damnavit, ex hypotheſi damnationis Pontificiæ. Id enim palam præferunt verba ipſius in ſecundo illo teſtimonio ex libro 10. de Gratia Chriſti in Epilogo, quæ ſuperiùs exſcripſimus. Quapropter quinque illæ propoſitiones iam non ſunt Ianſenij, ſed potiùs damnatæ, & anathematizatæ à Ianſenio.

DISPVTATIO XIX

QVID CIRCA CONTROVERSIAM HANC, & quæſtionem iuris, tradiderint DD. Clariſsimæ Scholæ Lovanienſis poſt damnatam doctrinam Baij: quid etiam poſt tempus Ianſenij.

VIDIMVS Diſputatione præced. qualiter Baius & Ianſenius iudicium Sedis Apoſtolicæ in controverſijs fidei venerati fuerint, vt ad eius arbitrium ſtent aut cadant quæcumque ij in ſcriptis ſuis docuerunt. Nunc oportet inquirere, an Doctores poſteriores eiuſdem florentiſsimæ Academiæ Lovanienſis, præſertim ij, qui vtriuſque partes agunt, aut agere videntur, eandem animi ſubiectionem in Romanos Pontifices profiteantur, idque ſpeciatim quoad quæſtionem iuris. Nimirum, an fateantur, an potiùs negent auctoritatem Pontificis Romani ad definiendum ſine Concilio Generali controverſias fidei.

SECTIO PRIMA.

Academiam Lovanienſem generatim, eiuſque Doctores ſpeciatim à tempore Baij vſque ad poſtremum tempus vitæ Ianſenij, nimirum vſque ad annum 1640. ſtetiſſe pro auctoritate infallibili Romani Pontificis in definiendo.

1 ACTVM Videbatur de opinionibus Baij poſt ſacrum fulmen Pontificij anathematis, quo inuſtæ fuerunt; terrore eodem incuſſo quibuslibet eas ſuſcitare, aut quoviſmodo tueri audentibus. Poſt damnatas enim omnes illas propoſitiones ſeptuaginta ſeptem ſubiungit Gregorius XIII. *Quæcumque ſuper ijs verbo ſcriptoque emiſſa præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus, deque eiſdem, & ſimilibus, poſt hac quocumque pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs, & officijs perpetuò priuamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, VINCVLO QVOQVE ANATHEMATIS EO IPSO INNODAMVS, A QVO NVLLVS ROMANO PONTIFICE INFERIOR VALEAT IPSOS, EXCEPTO MORTIS ARTICVLO, LIBERARE.* Quapropter ſtatim totus Orbis Catholicus eâ divinæ iræ comminatione territus, omnia illa dogmata execratus eſt. Sed & nominatim Academia Lovanienſis, cuius Cancellarius erat idem Michael Baius, id decretum Pontificium ſuſpexit & amplexata eſt, ac lege publica ſancivit *ad perpetuã rei memoriam, vt ſtudiosè omnes prædictos articulos (in Bulla damnatos) in Graduum ſuſceptione abiurare, & Magiſtri, Profeſſoreſque omnes, ab ijs docendis, defendendis, aſſerendiſque abſtinere, & diuerſam atque oppoſitam doctrinam tradere iubeantur.* Eidemque conſtitutioni omnes Lovanienſes Doctores, nullo dempto, ſubſcripſere propria manu: & res in publicæ Academiæ inſtrumenta ac codicillos relata eſt. Vnde & ab eo tempore quicumque Gradum accipiunt in ea Academia, ſanctè iurant, ſe fideliter ſervaturos id ſtatutum. Nec mirum ita fecerint abſque renitentia aliqua, aut recurſu ad Generale Concilium: ſiquidem olim eadem Academia inter articulos, quos edidit ad occurrendum hæreticæ peſtis contagio, hunc numero vigeſimum quintum propoſuit: *CERTA FIDE TENENDA SVNT, QVÆ DEFINITA SVNT SVPER FIDEI ET MORVM NEGOTIIS, PER CATHEDRAM PETRI.* Vide Patricium Duffium in Theologia Baio-Ianſeniana num. 21.

3 Prætermiſsis verò plurimis Doctoribus eiuſdem Scholæ; qui à tempore Baij eandem auctoritatem Romani Pontificis in definiendo propugnarunt, placet aliquos noſtræ ætatis exprimere. Inter Theſes propoſitas Lovanij 17. Iulij 1638. Præſide Doctore Rampea, hæc edita fuit de Romano Pontifice: *Propter infallibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam eſt ſupremus & ordinarius iudex in controverſijs fidei & morum iudicandis: cuius iudicium vnà cum Concilio Generali, in definiendis fidei controverſijs, certiſsimum, ac omnino infallibile eſt; idque non tantùm cum Concilio Generali, ſed etiam quandocumque aliquid ex Cathedra ſub obligatione ſervandum definit. Iudicium quoque in decretis morum, quæ toti Eccleſiæ ſub præcepto præſcribit, planè infallibile eſt.*

4 Similiter inter alias Theſes eodem anno propoſitas die 9. Octobris, eodem Præſide, hæc habetur: *Tanta verò Pontificis huius ex divina dignatione eſt authoritas, vt in controverſijs fidei, & morum determinandis ex Cathedra, Iudex ſit numeris omnibus abſolutus; licèt Oecumenicum Concilium non accedat; quod infra Pontificem eſſe, non è converſo, fidei proximum cenſemus* Vide quomodo non ſolùm aſſerat Romano Pontifici auctoritatem prorſus infallibilem, dum ex Cathedra definit circa fidem aut mores; verùm etiam tueatur Illius poteſtatem ſupra Oecumenicum Concilium: idque eo certitudinis gradu, vt cenſeat fidei proximum. Quo eodem modo, etiam quoad hanc poſteriorem partem, communiter loquuntur Theologi.

5 Guillelmus Taſſelon in Theſibus editis ad Doctoratum in eadem Academia obtinendum, hanc præmiſsit: *Eius tamen* (nempè Pontificis) *iudicium certum omnino & infallibile eſt in controverſijs fidei definiendis, non ſolùm cum Concilio, ſed etiam quandocumque ex Cathedra loquitur, & vniverſam Eccleſiam docet.*

6 Eodem anno 1638. Præſide Doctore Schenckelio, inter alia, id Aſſertum habetur: *Iudicium Romani Pontificis cum Concilio Generali in definiendis fidei controverſijs, aut quæſtionibus morum, omnino infallibile eſt & certum. Idemque dicendũ in quæſtionibus fidei determinandis,*

non

non tantùm cum Concilio Generali, ſed etiã quandocumque ex Cathedra loquitur, & Eccleſiam totam docet, cum obligatione ad ita credendum & docendum. Iudicium quoque in decretis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribit, omnino eſt infallibile; ſicuti fieri non poteſt, quod lege vniuerſali, quæ totam Eccleſiam concernat, mandet quippiam per ſe malum, aut ſaluti contrarium, vel prohibeat aliquid, quod eſt neceſſarium ad ſalutem. Firmiter etiam tenendum eſt, eum nunquam errare in Sanctorum Canonizatione. Illuſtris ſanè Aſſertio, quæ totam ferè partem controverſiæ præcipuæ, in qua hactenus verſati fuimus, luculenter ac per partes proponit.

7 Ipſo anno, Præſide certaminis Doctore Mercero, hæc Theſis propoſita fuit: *Poteſtatem indicendi Generale Concilium ſoli Pontifici attribuimus: idemque ab alijs inferioris ordinis Eccleſiaſticis, Imperatoribus, Principibuſque ſæcularibus removemus. Tanta eſt Conciliorum authoritas, vt erroneum ſit dicere Concilium particulare à Pontifice approbatum poſſe errare in definienda fide, vel moribus, hæreticum autem idem ſentire de Concilio Generali confirmato.* Nota inter cætera quæ comprehenduntur ea Theſi, notari erroris opinionem docentium Concilium Provinciale à Papa confirmatum poſſe in fide errare. Idem verò diceret idem auctor de opinione aſſerente, Pontificem poſſe errare dum definit aliquid in materia fidei extra omne Concilium, etiam particulare. nam eadem ratio vtrobique eſt. Quo modo loquutus eſt etiam Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 2. fine, dum loquens de eadem opinione ait: *Videtur omnino erronea & hæreſi proxima.*

8 Doctor ab Angelis, qui poſtea Epiſcopus Ruræmundenſis fuit, Præſes erat anno 1640. dum hæc Theſis aſſerebatur: *Iure merito in controverſijs fidei, & quæſtionibus morum, ſupremus exſtitit Iudex: in quibus iudicium eius cum Concilio quidẽ eſt prorſus infallibile: quinimo ipſius ſolius illibata eſt authoritas, quoties ex Cathedra, quidquam definit, totamque Eccleſiã cum obligatione ad credendum docet.*

9 Eodem quoque anno, ipſo Præſide, vberiùs adhuc, hæc propoſita fuerunt: *Romanus Pontifex eſt Supremus Iudex in controverſijs fidei & quæſtionibus morum: nunquam cum aliquo errore deprehẽditur cum Concilio Generali: immo definitiones ipſius ex Cathedra loquentis, ſine Concilio DD. editæ, ſunt infallibilis veritatis. Concilia, quantumvis Generalia, ABSQVE CONFIRMATIONE ET APPROBATIONE PONTIFICIS, errare poſſunt; cum approbatione ipſius, non poſſunt, etiam particularia.* Præclara ſanè Theſis, è regione contradicens nuperæ Declarationi nomine Cleri Gallicani editæ, quoad præcipua eius capita, præſertim quoad illud, in quo prædicat auctoritatem Concilij Conſtantienſis Seſs. 4. & 5. quarum doctrina, adhuc præpoſterè intellecta de omni Concilio Generali, & extra tempus Schiſmatis, nullatenus ab aliquo Romano Pontifice confirmata fuit, ſed potiùs palam reprobata invenitur ab omnibus Pontificibus, qui exinde Sedẽ Apoſtolicam rexerunt: vt vidimus ſuprà latè Diſp. XV. & XVI.

10 Hæc erat DD. Lovanienſiũ communis doctrina vſque ad annum circiter quadrageſimum huius ſæculi, donec Cornelius Ianſenius Epiſcopus Iprenſis, tria illa volumina ſcripſit, quibus multa Baij dogmata damnata inſtaurantur, & alia adhuc deterioris notæ adduntur. Statim verò ac edita fuerunt, nonnullos ex DD. eiuſdem Academiæ traxere in aſſenſum ſui, repugnantibus alijs, quà ſcripto, quà verbo, ingenti partium contentione, & plurimis ea de re Theſibus, Opuſculis, Apologijs, Tractatibuſque editis, donec res ad Apoſtolicam Sedem delata eſt, tempore Vrbani VIII. qui ſevero & minaci Diplomate omnia ea Opuſcula prohibuit, & nominatim defenſionem quarumlibet opinionum damnatarum Baij, atque excitatarum à Ianſenio. Cùm verò nec id Decretum Pontificium ſatis fuiſſet vt ipſorum ſectatores ſe in officio continerent, LXXXV. Illuſtriſs. Galliarum Præſules ſcripſere ad Innocentium X. tunc regnantem, vt de quinque præcipuis propoſitionibus Ianſenij, quæ iam generatim damnatæ fuerant ab Vrbano VIII. diſtinctè ac ſingillatim ſententiã ferret, & vnicuique earum peculiarem notã inureret. Præſtitit id Innocentius X. anno M. D. LIII. Pridie Kalendas Iunij Bulla edita, quam Diſp. præced. ſect. 2. exſcripſimus. Porrò Epiſcopi Galliarũ viſâ illâ, & cum ſummo honore excepta, eidem Pontifici gratulati ſunt in alia Epiſtola doctiſsima, quam pariter ad litteram exhibuimus ſupra Diſp. II. ſect. 2.

11 Porrò in ea Epiſt. notandum eſt, quomodo Epiſcopi Galliarum teſtentur, & exemplis confirment, Pontificias definitiones in controverſijs fidei habere, ac ſemper habuiſſe ſummam, & irrefragabilem auctoritatem in Eccleſia Catholica, ſeorſim à Concilio Oecumenico. Propterea enim aiunt,

Epiſtolis, tum Innocentij I. tum Zozimi Pontificum, damnantium hæreſim Pelagianam, abſque cunctatione ſubſcriptum fuiſſe ab Eccleſia Catholica illius vetuſtæ ætatis: quippe cui perſuaſum erat, tũ ex promiſsione Chriſti Petro facta, tum ex Actis priorum Pontificũ, & ex Anathematiſmis S. Damaſi Papæ contra Appollinarẽ, & Macedoniũ, nondum damnatos ab vlla Synodo Oecumenica; iudicium à Summis Pontificibus latũ in controverſijs fidei, *diuina æquè ac ſumma per vniuerſam Eccleſiã auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mẽtis obſequiũ præſtare teneantur.* Quâ ipſa fide Epiſcopi Galliarum ſe imbutos profitentes, & Romanæ Eccleſiæ auctoritatẽ, tunc vigentem in Innocentio X. debitâ obſervantiâ colentes, Conſtitutionẽ ipſius *Diuini Numinis inſtinctu* conditam agnoverunt & exceperunt.

12 Quare, vt in ipſa ſectionis huius epigrapha monui, mirum erit, ſi quiſquã ex Catholicis palam aut ſubobſcurè audeat tergiverſari, cavillari, aut diſſentire ijs definitionibus Pontificijs, ab vniverſa Eccleſia receptis, veluti Oraculis prolatis *Diuini Numinis inſtinctu*, vel ab ijs appellare Generale Concilium. Nimirũ, cuilibet refractario eiuſmodi meritò adaptabitur illud Hormiſdæ Romani Pontificis in Epiſt. ad Poſſeſſorẽ Epiſcopũ: *Contra iſtã clariſsimæ laudationis tubam, contra iſtã ſacratiſsimi teſtimonij dignitatẽ, audet quiſquã malignæ interpretationis murmur emittere? & perſpicuæ ſinceriſsimæq; ſententiæ nubẽ obliquæ ambiguitatis obtendere?*

SECTIO SECVNDA.

Quinam in Belgio, ac præſertim Lovanij, contra ſtatuta Academiæ iuramento confirmata, videantur nolle acquieſcere Pontificijs definitionibus, & appellare Generale Conciliũ, à tempore damnatæ doctrinæ Ianſenij.

13 SED Quãvis adeò periculoſum ſit nolle acquieſcere definitionibus Sedis Apoſtolicæ in qualibet controverſia ad fidem vel mores ſpectante, per appellationem Generalis Concilij (vt vidimus Diſput. præcedente num 7. ex S. Auguſtino) non deſunt noſtro tempore, qui contra ſenſum cæterorũ fidelium, contra publicã illam Epiſcoporũ Galliæ vocem ad Innocentiũ X. & Clariſsimæ Lovanienſis Academiæ ſtatuta iuramento ſingulorũ Profeſſorum firmata, in animũ inducere auſi ſint vt eludant decreta Summorum Pontificũ circa propoſitiones Baij & Ianſenij, per recurſum ad Generale Conciliũ.

Imprimis Petrus vam Buſcum Sacræ Theologiæ Licentiatus, Lovanienſis alumnus, Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis Canonicus, & Pœnitentiarius Gandavenſis, in Inſt. ad Tyrocinium Theologiæ, approbata à I Guillemans Archipræsbytero librorum Cenſore 8. Februarij 1672. eodemq́ue anno varijs typis excuſâ, & iam celebri (quod mirêre) inter Lovanienſes, ita loquitur ad propoſ. 8. pag. 24. *Certus non eſt, ſed dubius modus infallibilitatis Eccleſiæ; quando ſolus Pontifex abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit.* Quin & id confirmare pergit: *Quia illum modum non admittunt graviſsimi Pontifices, & Doctores, & contrarium ſenſerunt PP. Concilij Baſileenſis; prætereundus eſt, nec annumerandus modis infallibilitatis Eccleſiæ.*

14 Certè Auctor prædictus ijs verbis palam denotat, dubiam eſſe infallibilitatem decretorum Sedis Apoſtolicæ contra Baium & Ianſenium, nec ijs deberi exploratã fidem: quoniã promulgata ſunt extra Conciliũ Generale, quod PP. Concilij Baſileenſis (meliùs dixiſſet Conciliabulum) cenſuerunt eſſe ſuperius Romano Pontifice. Deinde per conſenſum & approbationem aliorum Antiſtitum, quam requirit vt Pontifex ſit infallibilis in ſuis definitionibus, non intelligit exiguum aliquem illorum numerum: quoniam Innocẽtius X. in Bulla adverſus Ianſenium teſtatur, *ſe pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id ſpecialiter ſæpiùs congregatis, à pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, eaſdẽ quinque propoſitiones feciſſe diligenter examinari, &c.* Et tamen licèt aliquot Cardinales ſuffragio ſuo intervenerint ad illud decretum edendum, is Auctor non vult illud eſſe infallibile. Sed nec iudicat ſufficere ad infallibilitatem definitionis Pontificiæ conſenſum & approbationem plurimorum Antiſtitum: ſiquidẽ novit, octoginta quinque Epiſcopos Galliarũ inſtanter egiſſe apud Innocentium X. vt ſingulæ ex ijs propoſitionibus ſingulari & propriâ notâ afficerẽtur. Reliquum ergo eſt vt idem Auctor nomine *aliorum Antiſtitum*, intelligat Conciliũ Generale, ſive Oecumenicum.

15 Sed clariùs adhuc eundẽ ſenſum aperuit Auctor Theſium Lovanij publicatarum anno 1670. die 16. Auguſti, theſi 3. hiſce verbis: *Cùm id quod Catholicum eſt, conſtet à nullo particulari (qualiſcumque ille fuerit) vt tali petendũ eſſe; ad eradicãdos errores mediũ efficaciſsimũ eſt Synodus Oecumenica.* Sic ille eludere conatus eſt decreta Põtificia contra propoſitiones Baij & Ianſenij, quaſi inſufficientia ſint ad definiendũ aliquid,

quod

quod fide Catholicâ credi debeat, niſi accedat Oecumenica Synodus.

16 Multò autem audentiùs loquitur Vindex Anonymus Inſtructionis Petri vam Buſeum nuper allegatæ, ad propoſitionem octavam pag. 3. decens: *Futilis, & totties cõvulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.* Ita ne mi homo? Futilis eſt doctrina, quam Concilium Generale Lateranenſe ſub Leone X. Seſsione vndecima tradit palam, veluti contentam in ſacris litteris, à Sanctis Patribus, & ab Oecumenicis Concilijs, quorum longa ſeries ibidem citatur, aſſertam? Sed de hoc aliàs. Nunc ſolùm ſubit animum mirari quomodo inter alumnos Lovanienſes ſint qui non ſolùm negent, ſed & ludibrio habeant, ſententiam omnino certã, & vel ſola antiquitate venerabilem de auctoritate Romani Pontificis ſupra Concilium Generale, & de illius infallibilitate in dirimendis quæſtionibus fidei.

17 Nimirum Lovanienſes Doctores, quemadmodum à priſcis temporibus pietate, ac doctrina inſignes fuerunt, & eximiè benemeriti de Eccleſia: ita etiam decreta Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. recèns edita & intimata adverſus 79. propoſitiones Baij ſtatim ſumma veneratione exceperunt, veluti divinum Oraculum: ac ſuo & poſterorũ nomine ſe obſtrinxerunt ſtatuto Academiæ, & iuramenti religione, ad obſervanda illa, quà voce, quà ſcripto. Similiter poſt publicatũ vtrũque Diploma Innocentij X. & Alexandri VII. damnantiũ hæreſeos quinque præcipuas Ianſenij propoſitiones *in ſenſu ab ipſo intẽto*, Facultas Theologica Lovanienſis die 20. Martij anno 1660. ſcripſit ad Alexandrũ ipſum, ſe ſtatuiſſe, neminẽ admittere ad Gradus Academicos, niſi priùs promittat & iuret religioſam obſervantiã eorũ decretorũ vtriuſq; Pontificis, iuxta ipſorũ tenorẽ. Vnde & Alexander ijs gratiã rependit litteris datis Romæ 7. Auguſti eodẽ anno: atque, inter alia, inquit: *Obedientiã & zelũ veſtrũ vnicè commẽdamus atque adeò ſperamus, vos nedum egregiè id præſtanterq; impleturos; verùm etiã omnibus in hanc Sanctam Sedẽ obſervantiæ & obediẽtiæ documẽtis effecturos, vt omni rerũ præteritarũ ex hominũ animis evulſa & penitus abolita memoria, priſtinũ decus exiſtimationi, & laudi antiquæ reſtituatur.* Quare non poſſumus non mirari, ſiqui è Lovanienſibus, nõ modò immemores ſint eorũ decretorũ, & iuramenti præſtiti de ijs obſervandis; ſed etiam radicitus ea convellere moliantur, negatâ Summis Pontificibus authoritatẽ ſupra Concilium Generale, & infallibilitate ad dirimendas fidei controverſias. Vnde Cornelius Zegens in Scrupulis Novis & Antiquis nuperrimè recuſis Matriti §. 33. contra P. Ægidium Gabrielis, iam iam accepturum Lovanij Lauream Magiſterij in Theologia, quamvis certus ſit, ipſum iuraturum obſervantiam eorum decretorũ; non propterea illã ἀναμφισβητήτως ſibi aut nobis polliceri audet. Quamvis enim præmiſiſſet, ſe confidere Ægidiũ Gabrielis religione iuramenti tactũ, ea obſervaturum; ſubdit ſtatim pag. 143. *Hæc ipſa tamẽ ſpes mea multùm minuitur, dum cogito, tam multos hodie Lovanij promoveri ad Gradus Academicos, qui an & quomodo iurent obſervantiam prædictarũ conſtitutionũ, nemo facilè poteſt aſſequi: ITA VT IVRAMENTVM ILLVD DICATVR NEGOTIVM ESSE AMBVLANS IN TENEBRIS. IPSI ACADEMICI DICVNTVR IGNORARE, QVID IVRENT.* Verùm abſit vt de Doctoribus clariſsimæ Academiæ Lovanienſis vniversè id accipiatur, vel vt credam eſſe in ea aliquos.

> Οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔτ' ἔρανος μένει.

vt quidam veterum Græcorum cecinit.

18 An eiſdem Auctoribus negantibus infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ in decidẽdis quæſtionibus fidei, accenſendus ſit Macarius Havermans, dubitabit quiſpiam. Porrò accenſendum eſſe, videtur colligi ex ijs quæ tradit in Diſſertatione Theologica de Auctoritate SS. Patrũ, & præſertim Auguſtini, editâ Coloniæ Agrippinæ anno 1677. vbi §. 6. pag. 7. inquit: *Vnde clarè deduco quòd, vbi quis invenit doctrinam clarè in Auguſtino fundatã, illam abſolutè poſsit tenere & docere, NON RESPICIENDO AD VLLAM PONTIFICIS BVLLAM.* Vnde & videtur conſequens eſſe, vt ſi fortè Pontifices ex cathedra & ſine Generali Concilio definierint aut definiant (quod factum fuiſſe negamus) aliquid contra doctrinã *clarè in Auguſtino fundatam*; poſsit illud abſolutè teneri & defendi, *non reſpiciendo ad vllam Pontificis Bullam.*

19 Verùm quoniã idem Auctor poſtea §. 9. videtur moderari hanc doctrinam, & ſupponere verum omnino id, quod Pontifices tradunt; nõ audeo ipſi inurere notã animi refractarij contra definitiones Pontificias. Immo quamvis editas contra Baium & Ianſeniũ peſſum daret, veluti infallibilitate deſtitutas, non ideo Macarium exiſtimarẽ periurum adverſus ſtatuta Academiæ Lovanienſis. Quippe

ipſum in Tyrocinio Theologiæ varijs locis in progreſſu obſervandis video adeò malè affectũ erga Theologos Scholaſticos, & ita abhorrentem ab eorũ communi ſenſu, vt facilè credá, illũ nunquá fuiſſe inter alumnos Lovanienſis Academiæ relatũ, nec in ea florẽtiſsima Schola emiſsiſſe iuramentũ ſupradictũ parẽdi & ſubſcribendi per omnia Conſtitutionibus Pontificijs contra Baium & Ianſeniũ. Denlq; quá ſæpe in Tyrocinio ipſius deſideretur notitia Theologiæ Scholaſticæ, deprehendent facilè quicumq; paulo attentiùs id legerint. Inter eos teſtes ſunt duo Salmanticenſes DD. & Theologiæ ac Philoſophiæ Profeſſores clariſsimi, eiuſdẽ Inſtituti, vt plures alios diverſorũ Ordinũ miſſos faciá. Alter eſt RR.P.M. Fr. Ioſephus Tellado & Heneſtroſa, nunc Pręmonſtratenſiũ in Hiſpania meritiſsimus Generalis; alter R. P. M. Fr. Bartholomæus de Echenique. Definitor eiuſdẽ Ordinis: quorum laudes vberiores de induſtria prętermitto. Nimirũ ambo ij exoſam habentes Baij, & Ianſenij doctriná à Pontificibus fulguritá, & dolẽtes in Macario exiguá doctrinæ Scholaſticæ notitiá, ſcripſerunt ad ſuos in Belgio commorantes, vt eius ſtudiũ accuratiùs promoveri faciant, & aliquot ex adoleſcentioribus in hanc Academiá ſtudiorũ causâ mittant, quemadmodũ alij Religioſi Ordines ex Belgio, Germania, & Gallia facere conſueverunt. Itaque ex ijs capitibus reor Macarium immunem à ſcelere violati eius iuramenti, quidquid ſit, an ille quaſdá ea Baianis aut Ianſenianis propoſitionibus tradiderit in ſcriptis, & Theſibus publicis. de quo ſuo loco.

SECTIO TERTIA.

Deſperatam eſſe cauſam ſequaciũ Baij & Ianſenij, & longè deteriorẽ quam vtriuſque, dum reluctantur iudicio Sedis Apoſtolicæ, & indicant appellationẽ ad Generale Concilium. Effugium ipſorum multipliciter præcluſum.

10 VERVM Sive Auctores indicati ſectione pręcedenti, ſive alij quilibet in Clariſsima Lovanienſi Academia, palam aut clam nolint acquieſcere definitionibus Pontificijs contra Baium & Ianſeniũ, interpoſitá appellatione Concilij Oecumenici; imprimis innodátur vinculo anathematis reſervati Apoſtolicæ Sedi, & pręſcripti in eiſdẽ Conſtitutionibus: deinde diſcedũt ab ipſo S. Auguſt. immo & à duobus Prodromis ipſorũ Ianſenio & Baio, vt vidimus Diſp. pręc. Nam Auguſtinus locis ibidem exſcriptis n. 7. eiuſmodi tergiverſationes à decretis Romani Pontificis, & appellationes Concilij Generalis, extremæ ſuperbiæ notavit: ac duo ij Pręcurſores, alter in re, alter in pręparatione animi, ſummam profeſsi ſunt obſervantiá definitionum Apoſtolicæ Sedis, vt ad eius nutum ſtarent, aut caderent, quæcumque docuerunt. Quapropter eiuſmodi refractarij dùm obloquuntur aut reſiſtunt ijs Conſtitutionibus, indicunt plenè apertum bellum Auguſtino, & duobus Anteſignanis ſuis: quorum tamen doctrinam vſque ad apices ſe tueri gloriantur.

11 Cum verò Pius V. ac Gregorius XIII. quaſdam ex propoſitionibus Baij indefinitè hæreticas cenſuerint, Innocentius autem X. & Alexander VII. quinque Ianſenianas pręcipuas ſingillatim hæreſeos notâ infames declaraverint; indubium apparet, omnes eos qui aliquam aut plures earum tuentur, aut inſtaurant, ſeu voce, ſeu ſcripto, ſive recurrentes ad Concilium Oecumenicum, ſive non, cenſeri debere hæreticos iuxta mentem expreſſam Sedis Apoſtolicæ. Ideoq́ue idem Alexander in Bulla *Ad ſacram*, referens & confirmans Bullam Innocentij, *Cùm occaſione*, expeditam contra Ianſenium, & ſuperiori Diſputatione integrè exſcriptam, *filios iniquitatis* appellat quoſdam noviter id decretum eludere conantes varijs coloribus: & adverſus quoslibet ea impia dogmata defendẽtes aut adſtruẽtes, *publicè vel priuatim, palã vel occultè*, veluti contra hęreticos procedẽdũ decernit. Similiter Epiſcopi Galliarum in Epiſt. ad Innocentium X. quam Diſp. II. exſcripſimus, aiunt: *Neque verò deerunt pœnæ aduerſus temerarios illius* (diplomatis) *violatores, QVÆ A IVRE HÆRETICIS INFLIGVNTVR*. Omnes ergo ij, qui fortè id facinus aggreſsi ſunt, aut aggredientur, hæretici declarantur ab Apoſtolica Sede, & proinde tales ab omnibus Catholicis exiſtimari debent.

12 Dices: Non eſt hactenus damnata ab Eccleſia Catholica opinio docens, Pontificem Romanũ ſine Concilio Generali errare poſſe in ſuis definitionibus, nec etiá quæ aſſerit, eſſe inferiorem Concilio. Nimirum vnamquamque ex ijs docuerunt graves Theologi, & non pauci hodie tueri pergunt: cùm tamen nemo ex ijs notam aliquam ſubierit à Romanis Põtificibus, nec hæreticus audierit. Quin & Ioannes Gerſon, vnus aut præcipuus eorum, ſemper fuit & eſt magnæ auctoritatis inter Theologos, ac de eximia pietate commendatus. Ergo multò minùs debet exiſtimari hæreticus qui iuxta eandem ſententiam negat exploratam fidem deberi Conſtitutionibus Pontificijs contra doctrinam Baij & Ianſenij, edi-

editis extra Generale Concilium. Si enim hæreticus non eſt qui negat vniversè Pontificem in definitionibus ſuis eſſe omnino infallibilem; multò minùs affici debet eâdem notâ, qui id negat ſingulariter de vna aut altera definitione. Quin potiùs dum appellat Concilium Generale, eo ipſo teſtatur ſe fidem Catholicã habere: cùm paratus ſit obedire communi conſenſui totius Eccleſiæ, qui ſolùm in Generali Concilio tradi poteſt; non autem ab homine ſingulari quantumcumque magnæ auctoritatis ſit.

23 Exhibui fundamentum præcipuum, cui innituntur, aut inniti exiſtimantur omnes ij, qui, ſive palã, ſive occultè, Indificati ſunt, aut auctoritatem elevare conati prædictis Conſtitutionibus adverſus Baium & Ianſenium. Nimirum, vt teſtabatur Caramuel in litteris ad Petrum Gaſſendum (quæ habentur Tomo 6. huius pag. 465). *hanc opinione videmur ſupponere Lovanienſes Doctores, cùm Ianſenij in Baio olim à duobus Pontificibus condemnatas opiniones defendunt: hanc cùm Vrbano VIII. Ianſenianam doctrinã condemnanti, hoc vel illo fundamento quæſito, non acquieſcunt.* Quod quidem ex ijs palam nôſſe potuit Caramuel, tunc Doctor Lovanienſis. Sed quàm ruinoſum illud ſit, & cõtrarium ſacris litteris, doctrinæ Conciliorum Generalium, ac perpetuæ Patrum traditioni, ſatis manifeſte oſtenſum fuit Diſp. XV. XVI. & XVII. huius Tract. & præterea conſtat ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſ. 11. vbi latè & ex inſtituto damnatur opinio ſubijciẽs Pontificẽ Romanũ indubitatũ Cõcilio Oecumenico, veluti cõtraria ſenſui Eccleſię, & praxi Conciliorũ Generaliũ, quorũ multa eo loco allegantur. Deinde quidquid ſit de ea opinione ab omnibus ferè Catholicis reiectâ, & quam vix vnquam ſequutos in re ac facto ipſo conſtat, niſi Schiſmaticos, aut perduelles à fide, ſive transfugas manifeſtos ad hæreticorũ caſtra; adhuc illa nihil prodeſt. Vt enim tolerabilis ſit, & piè accipiatur mens quorũdam ex Doctoribus Catholicis, qui illam tradiderunt, intelligi debet de poteſtate Concilij Oecumenici ſupra Papam dubium, ſive nondum exploratũ, & in caſu Schiſmatis inter plures Pontifices. qualiter accidebat tempore Ioannis Gerſonis, & Cardinalis Petri Alliaci in Concilio Conſtantienſi: qui in ijs aſperrimis temporibus & diuturno ſchiſmate Eccleſiæ in tria capita diviſæ, potuerunt ritè ſubijcere Pontificem dubium Vniverſali Eccleſię in Synodo Oecumenica cõgregatę. Verùm ea doctrina prorſus extra rem adducitur in hac controverſia: cùm Pontifices, qui Baij & Ianſenij dogmata nigro thetâ notârunt, fuerint, indubitati, & à tota Eccleſia recepti. De qua re plura in progreſſu.

24 Deinde Pontifices prędicti, pręmiſsâ diuturnâ Cardinaliũ S.R.E. Epiſcoporũ Galliæ, & Theologorum plurium conſultatione, poſt privatas & publicas preces ad implorandam Spiritus S. opẽ, declarant hæreticas quinque illas Ianſenij propoſitiones, & proinde hęreticos exiſtimari debere omnes, qui eas, aut illarũ aliquam adſtruxerint, *publicè vel privatim, palã vel occultè*; atque eos ſubijciunt anathemati, & cæteris hęreticorũ pœnis. Cõſtitutiones ipſæ cùm primũ prodierunt, in tota Eccleſia, cum ingenti plauſu exceptæ ſunt, & nominatim ab Epiſcopis Galliarum, atque ab ipſa Academia Lovanienſi, cuius alumni fuerant Baius, & Ianſenius. Idem ipſum de cæteris Academijs Catholicis, & de hac noſtra Salmãticenſi dictũ accipe. Quod ergo dubium eſſe poteſt, hęreticos eſſe, & refractarios à fide, paucos illos, qui eiſdẽ conſtitutionibus contradicunt, per confugiũ ad illam obſoletam & ſiniſtrè intellectam opinionẽ? Pontifices Summi, Epiſcopi, Academię, & Doctores omnes Catholici, etiã ij, qui fortè aliàs opinionẽ illam Gerſonis tuentur, cenſent hęreticas illas propoſitiones, & hęreticos, qui eas tuentur. Ergo indubiè ſunt hęretici, quibuſcumque coloribus ſe tueri aut perfidiã ſuam palliare velint, pręſertim per appellationẽ Generalis Cõcilij.

25 Certè eodem modo Pelagiani olim damnati ab Innocentio I. nolebant abiurare ſuum errorem recurrentes ad Generale Conciliũ. Vide autem quid ijs reponat S. Auguſt. lib. 4. contr. duas Epiſt. c. 12. *An verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernities damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi cõgregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſsimæ inveniãtur, propter quas damnãdas neceſſitas talis extiterit.* Similiter, vt refert S. Ambroſ. in Epiſt. ad Imperatores ſcripta nomine Synodi Aquileienſis; Palladius & Secundianus, duo Epiſcopi Ariani, noluerunt acquieſcere ſuę ipſorũ damnationi, nec fateri ſe erraſſe, donec id definiretur in Concilio Oecumenico. Vnde & aiebant: *Nos diximus, probaturos nos Chriſtianos, ſed in Cõcilio pleno. Nõ vobis reſpõdemus omnino, in præiudiciũ Concilij futuri.* Verùm PP. Concilij Aquileienſis inſtiterunt contrà dicentes: *Quã grave autẽ, ſi propter duos in fide carioſos, toto Orbe eſſent Eccleſiæ deſtitutæ?* Vnde appellatio interpoſita ad Generale Conciliũ nihil ijs profecit quo minus damnarentur, tanquã hæretici, & exauctorarẽtur. Sed quid opus eſt veteres hiſtorias recenſere? Superiori ſæculo Lutherus & Calvinus, duo nefarij, & peſtilentiſsimi Hæreſiar-

thæ, non aliter meliùs Pontificum damnationem in eos latam declinare ſibi viſi ſunt, quàm per appellationem Generalis Concilij. Cùm enim ſit congregatu difficillimum, & negotiũ pluriũ annorũ: volebant interim diſſeminare errores ſuos impunè, vt poſtea nullatenus eradicari poſſent. Eam fuiſſe Calvini & aliorum ex Sectarijs mentem, poſtea experimento deprehenſum fuit. Coacta enim Tridentinâ Synodo Oecumenicâ, & factâ hæreticis poteſtate liberâ eò adeundi, vt dubitationes aut argumenta ſua impunè proponerent, noluerunt adeſſe, exigentes aliã Concilij formam, nuſquam auditam aut viſam. Itaque familiare hæreticis fuit & eſt, vbi à Pontificibus Romanis damnantur impia eorum dogmata, appellare Concilium Generale, ſaltem vt moras nectant, & interim virus ſuum longè ac latè diffundant. Quid ergo mirum, ſi fortè eodem animo ſint, qui obloquuntur definitionibus Pontificijs adverſus Ianſenium & Baium, provocantes ad Generale Conciliũ?

16 Vnde colligitur, meliorem longè eſſe cauſam Baij & Ianſenij, quàm ſequacium. Etenim ij duo nihil adverſus Pontificias definitiones moliti inveniuntur, neque appellationis ad Concilium Generale meminerunt: ſed alter eorum ſtatim decretis Pij V. & Gregorij XIII. paruit: alter ſe ipſum, & omnia ſua ſcripta ſubiecit iudicio Sedis Apoſtolicæ: vt latè vidimus Diſputat. præcedenti. Quæ animi præparatio excuſat à labe hæreſis formalis, ſicuti & à pertinacia requiſitâ ad illam contrahendam: quod meritò obſervârunt, poſt Gerſonem in Opuſculo de Retractatione, Caſtro p. 1. Simancas lib. 1. de iuſta Hæretic. punitione cap. 11. & alij apud Pegnam in quæſt. 12. primæ partis Directorij Inquiſitorum. Atque ita obſervatum fuit in Concilio Oecumenico Lateranenſi ſub Innocentio III. cum Abbate Ioachimo: in cuius ſcriptis tradebatur aperta hæreſis contra myſterium Trinitatis, ſeu Homoüſij, aut identitatis eiuſdem numero ſubſtantiæ aut eſſentiæ, inductâ ſolùm vnitate collectivâ aut ſimilitudinariâ. Verũ quoniã idem Abbas vivens palam ſubiecit iudicio Eccleſię librũ illum: Patres Concilij excuſandũ illum putârunt à labe hæreſis formalis. Quod ipſum alijs Catholicis Scriptoribus contigiſſe exploratum eſt. Quin & idem dicendum eſſe, licèt fortè in quibuſdam eorum fuerit aut interveniat ignorantia craſſa, aut facili negotio ſuperabilis, quam *vincibilem* appellant, quæque nullatenus excuſet à culpa gravi, tuentur idem Caſtro, Melchior Canus, Martinus Navarrus, Vazquez, Azor, & alij quos laudat & ſequitur Sanchez libro 2. in Decal. cap. 7. num. 20.

17 Quapropter nec Michael Baius, nec Ianſenius, qui ſcripta ſua Apoſtolicæ Sedis iudicio ſubieciſſe cenſentur verâ animi præparatione, in libris ipſorum teſtatâ, cenſeri debent aut poſſunt hæretici: cùm in ijs non fuerit pertinacia, quæ eſt propria notio hæreſis formalis: vt monent Auctores pauló antè laudati, & ante illos tradiderunt Etherius & Beatus lib. 1. adverſus contra Eliſpandum. Similiter D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 2. ad 3. allegato S. Auguſtino Epiſtola 162. & Gratiano 24. q. 3. cap. 14. excuſant à labe hæreſis formalis eos, qui bonâ fide aut ſine contumaciâ, tradunt aliquam opinionem hæreticam; ſubijcientes illam ſenſui & correctioni Eccleſiæ. ex quo capite Facundus Hermianenſis lib. 10. pro tribus capitibus cap. 2. excuſat Theodorum ſuum.

18 Verùm ille ipſe error, qui in Prodromo aut Myſtagogo ipſius eximitur notâ hæreſis formalis, poteſt in ſequacibus eius illam ſubire, & abſdubiò ſubit, vbi poſt damnatam ſententiam iudicio Sedis Apoſtolicæ adhuc illam tueri audent. Quod olim eveniſſe partiarijs S. Cypriani ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis conſtat. Docuerat ille S. Martyr, & clariſsimus Scriptor, non ex pervicaciâ, ſed lapſu quodam humano, & bonâ fide, hæreticos denuo baptizandos eſſe: quod poſtea Sedes Apoſtolica damnavit, & proſcripſit. Certè hinc ille nullam hæreſis notam ſubijt. quin potiùs quoties eum errorem refutant alij ex Patribus, honorificè admodũ de Cypriano ipſo loquuntur. Vnde Auguſtinus, inter alios, lib. 6. contra Donatiſtas cap. 2. inquit: *Reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, perſoluens pacifico Epiſcopo, & glorioſo Martyri Cypriano; audeo tamen dicere, eum aliter ſenſiſſe de ſchiſmaticis vel hæreticis baptizandis, quàm poſtea veritas prodidit.* Sed cùm longè poſtea aliqui eundem errorem, iam antea à Sede Apoſtolica damnatum, tueri pergerent, ſic illos refellit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio c. 11. *O rerum mira converſio! Auctores eiuſdẽ opinionis Catholici; conſectatores verò, Hæretici iudicantur. Abſoluuntur Magiſtri; condemnantur diſcipuli. Conſcriptores librorum, filij regni erunt; Aſſertores verò gehenna ſuſcepiet. Nam quis illud Sanctorum omnium, & Epiſcoporum, & Martyrũ lumen, Beatiſsimũ Cyprianũ, cum cæteris collegis ſuis, in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis cõtrà, tam ſacrilegus, qui Donatiſtas, & cæteras peſtes, quæ illius auctoritate Cõcilij rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternũ neget ar-* ſu-

ſuros eſſe cū Diabolo? Timeant igitur ſectatores Baij & Ianſenij, quicumq; ij ſint, ne forte vtroque ipſorum Prodromo labe hæreſis formalis exempto ob quandam bonam fidem, aut ſubiectionem animi erga iudicium Romani Pontificis, ipſi è contrà eam notam ſubeant inſtar Donatiſtatum, & æterno igne ardeant.

29 Denique adhuc iuxta ſententiam Gerſonis, cui Scriptores ij vnicè fidunt, prorſus nequeunt evadere fulmina Pontificiorum anathematum, quibus percelluntur ij, qui propoſitiones Baij & Ianſenij qualitercumque tuentur. Ipſe enim Gerſo, vtcumque ſenſerit de infallibilitate definitionum Pontificis Romani in controverſijs fidei, latatum extra Concilium Oecumenicum, & de auctoritate alterius ſupra alterum; adhuc fatetur, Pontificem Romanum, quoties declarat aliquam propoſitionem aut definit, tanquam fide divina certam, poſſe adſtringere omnes ſubditos indicto anathemate, ne dogmatizent oppoſitum tali determinationi, donec accedat definitio Concilij Vniverſalis. Ita ille palam Tomo I. in eo Opuſculo, cui titulum poſuit, *Quomodo, & an liceat in cauſis fidei appellare à ſummo Pontifice, ſeu eius iudicium declinare.* Vide Raynaudum in Opuſculo cui epigrapha, Αὐτὸς ἔφα, puncto 2. vbi latè exponit ſententiam Gerſonis. Cùm igitur Pontifices Romani Pius V. Gregorius XIII. Vrbanus VIII. Innocentius X. & Alexander VII. toties ſub pœna anathematis tam ſeriò, tam graviter prohibuerint, defenſionem cuiuslibet ex iis propoſitionibus; quicumque illas tuentur, quolibet colore quæſito, nequeunt evadere fulmen anathematis Pontificij, adhuc iuxta Gerſonis opinionem.

DISPVTATIO XX.

QVALITER ALII EX SEQVACIBVS BAII & Ianſenij eludere conentur iudicium Romani Pontificis, quoad quæſtionem facti.

SEQVACES Baij & Ianſenij, quos impugnavimus Diſp. præced. negarunt auctoritatem infallibilem Romani Pontificis ſeorſim a Concilio ad definiendum controverſias fidei, quod ſpectat ad quæſtionem iuris. Nunc oporte inquirere, quinam aut quomodo illius definitiones, præſertim aduerſus Baium & Ianſenium, eludere conentur per recurſum ad quæſtionem facti: quaſi aut illi non tradiderint hæreſes ipſis adſcriptas, aut non protulerint illas propoſitiones in eo ſenſu, in quo damnantur à Sede Apoſtolica. Hæc, nimirum, eſt controverſia, quæ à triginta circiter annis in Belgio & Gallijs antonomaſticè dicitur, QVÆSTIO FACTI.

SECTIO PRIMA.

Refertur & refellitur ſolemnis cavillus eorum, qui contendunt, propoſitiones Baij non fuiſſe damnatas in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, Vbi de commate, aut interpunctione quadam eius Bullæ.

1 IMPRIMIS Nota eſt evaſio quorundam ex partiarijs Baij, qui præpoſterè interpretati ſunt verba illa Conſtitutionis Pij V. & Gregorij XIII. contra 79. propoſitiones illius: *Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem imittentes reſpectiuè, ac quæcumque ſuper ijs verbo ſcriptoque emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus & abolemus, deque eiſdem & ſimilibus poſthac quocumque pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs, & officijs perpetuò priuamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipſos, excepto mortis articulo, liberare.* Nimirum, dixerunt, verba illa, *quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, coniungi debere immediatè, & abſque vlla interpoſitione commatis, cum verbis ſequentibus,

in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento. Itaque ſenſum eſſe, vt in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento quædam illarum propoſitionum defendi poſsint.

3 Hanc exceptionem, ſeu potiùs cavillationem, invenit primus omnium ipſe Baius, qui tamen poſtea illam retractavit in ſua palinodia ad Gregorium XIII. Verùm eam inſtauravit poſtea Ianſonius eiuſdem Baij auditor, quem laudat & ſequitur Ianſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 17. Eidem cavillationi ſubſcripſerunt Faſti Academici Lovanienſes, editi à Valerio Andræa pag. 366. Quin & ipſa Academia Lovanienſis in eo ſenſu Conſtitutionem illam interpretata eſt, tum olim ab initio ferè, tum poſtea in Actis die 4. Decembris 1641. vt habetur in Atteſtationibus editis pro Ianſenio pag. 65. & ſeqq. Quibus per omnia ſubſcribunt alij, & præſertim Macarius in Tyrocinio Theologiæ, ſecundæ editionis (quâ ſolâ vtor, & quæ de cætero in allegationibus intelligenda erit) tract. 2. cap. 6. num. 64. pag. 159. vbi inquit: *Quædam ex propoſitionibus ibidem proſcriptis in rigore ſunt veræ, & vt aiunt Pontifices in illa Bulla, nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento.* Ita ille, abſque vlla interpoſitione commatis, vel virgulæ inter τὸ *poſſent*, & τὸ *in rigore*. Sed ne putemus fuiſſe erratum typographi, qui recuſit Antuerpiæ Tyrocinium, idem Macarius in Defenſione eiuſdem Tyrocinij pag. 72. ait: *Pontificum Romanorum mens non eſt propoſitiones vulgò Baianas in ſenſu ab auctoribus intento proſcribere; ſed è contra, declarare, nonnullas ex illis propoſitionibus condemnatis, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento, ſuſtineri poſſe.* Ac præterea pag. 73. inquit: *In Bulla Pij V. quæ incipit:* Ex omnibus afflictionibus, *non eſt ponendum comma inter*, ſuſtineri poſſent, *&* in rigore; *ſed ponendum eſt poſt verba illa*, ab aſſertoribus intento. Hæc ille, & ſimiliter ferè alij.

4 Sed enim frivolam & abſurdam eſſe evaſionem hanc, luce clarius eſt. Imprimis enim, cùm Baius primus omnium eâ vſus fuiſſet, poſtea illam retractavit in ſua palinodia ad Gregorium XIII. Vnde in teſtimonio à ſe edito, & propria manu ſubſcripto die 24. Maij anno 1580. quod ſuprà Diſp. XVIII. num. 2. κατὰ πόδας exhibuimus, ſic ad finē teſtatus eſt: *Fateor inſuper, plurimas ex eiſdem ſententijs, in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Apoſtolicæ Sedis ſuper ijs cenſuram conſcriptis, & in lucē editis, contineri, & defendi, ETIAM IN EO SENSV, IN QVO REPROBANTVR. Denique declaro, me imprætentiarum ab ijs omnibus recedere, & damnationi à Sancta Sede factæ acquieſcere, neque poſthac vllas docere, aſſerere, aut defendere velle.* Vides quomodo ipſe Baius palam fateatur, plurimas earum propoſitionum damnatas fuiſſe ab Apoſtolica Sede, *ETIAM IN EO SENSV*, quo à ſe antè ſcriptæ, editæ, & defenſæ ſunt. Nemo autem melior eſſe poteſt Baij interpres, quàm ipſe ſui.

5 Deinde Ripalda diſp. 1. adverſus Baium num. 10. teſtimonium fert indubium eius cavillationis hiſce verbis: *Apud me extat Bulla originaria Gregorij XIII. impreſſa Romæ anno 1579. 4. Februarij tradita P. Petro de Arrubal à Cardinali Toleto, qui ex commiſsione Gregorij XIII. concluſit cauſam Michaëlis Baij, & primùm Bullam vulgavit, in qua manifeſtum & genuinum eſt comma (,) dividens verba Bullæ, ALIQVO MODO SVSTINERI POSSENT, à ſequentibus, IN RIGORE ET PROPRIO VERVORVM SENSV AB ASSERTORIBVS INTENTO, eoque rigorem & proprium verborum ſenſum referens ad verba, DAMNAMVS ABOLEMVS, ET CIRCVMSCRIBIMVS. Quare mirari nō deſino audaciam Baianorum, qui fallere volunt in re, in qua apertæ falſitatis, & fallaciæ convinci poſſunt.* Plura alia quæ ſpectant ad incuriam, tum Notarij Romani, qui exemplar quoddam originariæ Bullæ Lovanium tranſmiſſum ſcripſit ſine interpunctione vlla, tum typographorū Belgij & Coloniæ, qui eandem prætermiſſerunt, lege apud eundem Ripaldam ibid. num. 11.

6 Similiter Suarez, Vazquez, Poſſevinus, & alij Scriptores, teſtati ſunt, ſe in exemplari eius Bullæ auctoritate Pontificiā edito, vidiſſe illud comma ſtatim poſt verba *ſuſtineri poſſent*: ideóque cum commate Bullam ipſam ſuis libris inſeruerunt. Multò autem poſtea Cardinalis Lugo die 2. Octobris 1644. teſtatus eſt ſe vidiſſe primum autographum originale Bullæ Pij V. non in Regeſto, in quo à ſcriptoribus Apoſtolicis Bullæ deſcribuntur, & nullæ ſolent interpunctiones adhiberi; ſed in ipſomet autographo eius Cardinalis, qui iuſſu Pij V. Bullam concepit, & extendit ſecundùm mentem Pontificis: atque in eo inſpexiſſe diligenter quomodo ſe haberent interpunctiones in contextu ipſius cenſuræ; & deprehendiſſe, poſt illa verba, *quan-*

quam

quam nonnullæ earum aliquo pacto ſuſtineri poſſent, ante alia quę immediatè ſequſitur, *in rigore & proprio verborum ſenſu*, interpoſitum eſſe commá, ſeu virgulam diſiunctivam eorundem verborum. Quod ipſum tandem authenticè comprobatum fuit publico Inquiſitiunis Vniverſalis Romanæ Decreto edito die 16. Iunij anno eodē 1644. coram Vrbano VIII. Et iam antè, id eſt, anno 1640. Pridie Nonas Martij idem Vrbanus in alio Diplomate, cui initium, *In eminenti Eccleſiæ militantis Sede*, quod ad verbum exſcribit Del-Bene tom. 2. de Officio S. Inquiſitionis pag. 649. Pontifex ipſe inſeruit totam Bullam Pij V. & Gregorij XI. cum commate interlecto verbis illis: vt proinde mirum ſit quòd multi è Lovanienſibus, & nominatim Macarius, tam pervicaciter adverſus veritatem adeò manifeſtam auſi ſint eandem cavillationis ſuæ crambem recoquere.

7 Denique idipſum reijcitur conſiderationibus manifeſtis. *Primo*, quia verbá illa: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, præſeferunt manifeſtè particulam adverſativam, ideoque debent contraponi alicui ex verbis ſequentibus. At non alijs certè, quàm iis *in rigore & proprio verborum ſenſu*. neque enim alia verba ſequuntur, quibus adverſentur. Senſus ergò planus & legitimus eſt, quamvis nonnullæ ex iis propoſitionibus poſſent aliquò pacto ſuſtineri, adhuc tamen illas damnari *in rigore & proprio verborum ſenſu*, ab aſſertoribus intento. *Secundo*: Quoniam ſi aliquæ ex propoſitionibus Baij ſuſtineri poſſent aliquo pacto in rigore ac proprio ſenſu ab aſſertoribus intento, immeritò Pontifices ſtatim adiecisſent illarum damnationem ſub pœna anathematis Sedi Apoſtolicæ reſervati. Quippe iniuſtum eſt damnare & ſub anathematis pœna proſcribere illas propoſitiones, quę aliquo pacto ſuſtineri poſſunt in rigore & proprio ſenſu ab aſſertoribus intēto. Et certè in eiuſmodi propoſitiones non potuit iure cadere vlla ex cenſuris ſive notis, quibus Pontifices indefinitè quaſlibet ex illis 79. inuſſerunt, appellantes eas, *hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectivè*. Nimirum, nulla propoſitio vera, aut quæ defendi iure poſsit aliquo pacto in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, digna eſt aliquâ eiuſmodi notâ, aut tam acerbâ pœnâ, quanta eſt anathematis Pontificij. *Tertiò*: Quia iuxta eam interpretationem nulla ex propoſitionibus Baianis in ſingulari eſſet, quę impunè defendi non poſſet in rigore & proprio verborum ſenſu: cùm iuxta Bullam nulla determinata ex iis 79. ſit ſupra quam ea verba cadere non poſſent. Vnde irrita prorſus, & incaſſum lata eſſet ea Conſtitutio. *Quarto*: Quoniam iidem Auctores volunt, ſeu potiùs iactant, plures aut præcipuas propoſitiones à Baio traditas totidem verbis ac ferè apicibus extàre apud S. Auguſtinum. Abſurdum verò eſt dicere, immo & impium credere, Romanos Pontifices poſt accuratum rei examen (quale & quantum fuit duodecim aut eo ampliùs annis) damnaſſe ſub anathemate propoſitiones aliquas S. Auguſtini, quæ aliquo pacto in rigore & proprio ſenſu ſuſtineri poſſent.

SECTIO SECVNDA.

Quomodò alij dicere audeant, propoſitiones à Pontificibus damnatas, aut non extare in Ianſenio, aut non fuiſſe traditas ab ipſo in ſenſu quo damnatæ ſunt, tanquam Pontifex ea in re errare potuerit, & reipſa erraverit.

8 SECVNDO Alij audent negare factum ipſum. nimirum, in Ianſenio extare quinque propoſitiones ipſi adſcriptas, & fulguritas ab Apoſtolica Sede, quidquid ipſa in oppoſitum teſtetur. Atque, vt rem ab ovo ordiantur, præmittunt generatim hanc Theſim: *In iis quæ facti ſunt, haut dubiè Pontifex errare poteſt.* Deinde in ſpecie: *An verò quaſdam propoſitiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatas renovet & defendat Ianſenius, facti quæſtio eſt.* Ita habet libellus, cui epigraphas *Rationes ob quas Illuſtr. Archiepiſcopi Mechlinienſis, &c.* anno 1649. pag. 23. Teſtatur præterea Duffius In Theologia Baio-Ianſeniana num. 26. eam hodie eſſe communem & indubitatam ſententiam novę factionis, pręſertim Lovanij.

9 Deinde anno 1680. prodijt liber inſcriptus, *Strena Veritatis*, auctore Ioanne Luca Veronenſi S. Theologię Baccalaureo, in cuius pagina 48. dicitur: *Propoſitiones illæ quinque famoſæ Ianſenij, in Gallia fuerunt partim confictæ, partim infideliter ex libro Ianſenij excerptæ.* Deinde eodem loco: *Nulla ex quinque propoſitionibus hactenus oſtendi potuit in Ianſenio integra, niſi prima, quæ, capite caudaque avulſis, aliter planè, quàm in libro, ſonat.* Vlteriùs pag. 49. *Si in Ianſenio habeantur, in Ianſenio oſtendantur. Hoc non poterunt viri illi omni quo erunt tempore.* Inſuper ibidem. *Si Pontifex illas viderit in*

rit in Opere Janſenij, videris certè in exemplari eum ob finem corrupto. Prçtereà: *Idem debet eſſe iudicium de propoſitionibus Baio attributis, & earum defenſoribus, non niſi Auguſtinum & veritatem ſonantibus.* Vnde & concludit: *HÆRESES BAIANÆ, ET IANSENIANÆ, OPTIME VOCANTVR IMAGINARIÆ.*

10 Similiter Paulus Irenæus, cuius liber Lovanij in pretio eſt, diſq. 6. fine, inquit: *Confidenter; quia verè, aſſerendum, quamlibet multis Epiſcoporum, Summique Pontificis decretis definiatur, propoſitiones* (damnatas, nimirum) *eſſe in Janſenio, nulla ab eruditis impetrabitur fides.*

11 Sed vberiùs adhuc id perſuadendum ſuſcepit Dominus de Sancto Victore in libello Gallico, cui titulus; *Le pretendu ennemi de Dieu*, edito, vt præfertur, Inſulis anno 1680. quamvis credatur clam prælo datus Lovanij, vbi primùm apparuit, & palam vænijt conſcio Cenſore N. (inquit Duffius num. 31.) Nimirùm ibidem pag. 10. hçc habeutur: *Non eſt certum quod Janſenius docuerit hæreſes: & non eſſe hoc certum (quidquid rumoris in cõtrarium ſparſerint eius aduerſarij) clarè apparet per oppoſitionem formalem, quæ reperitur inter quinque propoſitiones damnatas à Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. & eam quam iam producam ex Auguſtino, vbi dicitur eas docuiſſe.*

12 Deinde id in ſingulari oſtendere pergit dicens: *PRIMA propoſitio, quã Pontifices condemnarunt, hæc eſt*, Aliqua Dei prçcepta, &c. *Sed Janſenius è contrà dicit cap. 3. de gratia Chriſti Salu. cap. 15. §. Ad argumentum. Et ſi Papa Alexander dixerit contrarium, eſt quia malè fuit informatus. Idem pag. 11. & 14. SECVNDA propoſitio condemnata habet*, Interiori gratiæ numquam, &c. *Sed qua conſcientia imponitur hic error Domino Iprẽſi, qui in contrarium dicit expreſsis terminis, l. 8. de Grat. c. 2. §. 3. Idem pag. 14. TERTIA propoſitio condemnata comprehenditur terminis ſequentibus*, Ad merendum, & demerendum, &c. *Certum verò eſt, quod hæc propoſitio numquam a Janſenio docta fuerit in eo ſenſu, quo cenſurata eſt a Pontifice; cùm Prælatus ille in contrarium dicat, l. 6. de Grat. Chriſti c. 34. §. Ita idem pag. 16. & 17. QVARTA propoſitio condemnata à Pontificibus, exprimitur his verbis*, Semipelagiani admittebant, &c. *Sed Dominus Iprenſis tantùm abeſt, vt doceat hanc propoſitionem, vt ſatis expreſſe contrarium dicat, l. 8. de Grat. cap. 21. §. Secundum eſt. Idem pag. 20. QVINTA propoſitio habet*, Semipelagianum eſt dicere, &c. *Sed Dominus Iprenſis ſatis oſtendit, quod non habeat partem in hac doctrina; vt patet; l. 3. de Grat. Chriſti cap. 21.* Idẽ p. 22. Concludit denique prædictus auctor pag. 25. *Qui accuſantur Janſeniſmi, & hæreſis, poſſunt ne eſſe Janſeniſtæ; cùm Janſenius nullam docuerit hæreſim? Poſſunt nè eſſe hæretici, cũ hæreſis, quæ illis imponitur, non ſit niſi imaginaria, & effectus quorundam ingeniorum erraticorum, ignorantium, & paſsionatorum?* Et prætetea ſubdit: *Si ſcire cupis, an propoſitiones damnatæ à Pontificibus reperiantur in Janſenio, cùm ſit quæſtio facti, in qua totus mundus agnoſcit, Pontificem & Eccleſiam ipſam errare poſſe, nihil eſt quod te magis certum faciat, quam oculi proprij. Non ſunt primæ vices, quibus maligni circumvenerunt Pontifices Romanos.* Hactenus ille: circa cuius cavillationem in ſingulas propoſitiones vide plura Diſp. ſequenti per totam, prçſertim à num. 3. vbi ſingillatim oſtendemus, vnamquamque ex ijs propoſitionibus traditam fuiſſe luculẽter à Janſenio, neque oppoſitum haberi locis à Sancto Victore indicatis.

13 Addunt alij in Belgio, & nominatim Lovanij, dato quòd extent in libris Janſenij propoſitiones illç, non propterea eſſe damnatas eo ſenſu, quo traditç ab ipſo ſunt, ſed longè alio: nec Pontificem potuiſſe aut poſſe infallibile iudicium ferre circa ſenſum auctoris Catholicum vel hæreticum. Hæc cavillatio excogitata fuit ſtatim ferè ab ipſa publicatione Conſtitutionis Innocentij editæ die 9. Iunij anno 1653. & vſque in diẽ hodiernum continuatur. Nam Vindex Anonymus Inſtructionis Petri van Buſcum ad propoſitionem 25. pag. 3. nuperrimè dicere audet: *Aſſertio de infallibilitate Romani Pontificis in iudicando aut definiendo ſenſu libri Catholico vel hæretico, vix ſibilo meretur excipi.* Vbi licèt ſolùm ſit ſermó generatim circa quçſtionem facti, nemo in Belgio aut Gallia dubitare poteſt, Vindicem Anonymum loqui de quæſtione celebri circa ſenſum Janſenij: præſertim cùm impugnet Diatribam, de hac ſola agentem, & propugnantem Infallibile iudicium Pontificis. Eòdèm ſpectat quod Lucas Veronenſis Baccalaureus Lovan. vbi ſupra pag. 50. inquit: *Damnari in ſenſu ab auctore intento, eſt damnari in ſenſu obvio, ſiue ille ſit Janſenij, ſiue non.* Ac prçterea pag. 51. *Certum eſt & clarum quòd propoſitiones illæ quinque*

que tam artificioſè, & æquiuocè ſint conflatæ, vt ſenſum habeant hæreticum obvium, habeant & Catholicum. Propoſitiones ergo duplicis ſenſus boni malique damnantur abſolutè: quia malum ex ſingulis defectibus. Hęc ille: quæ certè eo fine excogitavit, vt impunè defendi poſsint quinque illa dogmata iuxta Ianſenij ſenſum, veluti Catholicum, penes obviam & tritam ſignificationem: quamvis addat, ineſſe quoque illis alium ſenſum obvium & hæreticum, iuxta quem ſolum damnata fuerint à Pontifice. Quod poſterius videtur addidiſſe, ne Pontificiæ conſtitutioni palam adverſari credatur.

SECTIO TERTIA.

Reijciuntur omnes ij cavilatores ex ſeverò Diploma e Alexandri VII. eos damnantis, veluti filios iniquitatis: & plura exinde colliguntur. Porro Clerum Gallicanum conſtanter ſtetiſſe pro Cathedra S. Petri, etiam tunc.

14 ADVERSVS Cavillationes ſectione præcedenti memoratas poſſemus meritò exclamare cum Auguſtino Serm. 2. de Verbis Apoſtoli: *A SEDE APOSTOLICA RESCRIPTA VENERVNT. CAVSA FINITA EST. VTINAM FINIATVR ALIQVANDO ERROR.* Nimirum, paulo poſt editum Diploma Innocentianum, tam diſtinctè ac luculenter damnans quinque illa dogmata Ianſenij, ea duo effugia excogitata ſunt: alterùm negantium, illa extare in libris Ianſenij; alterum aſſerentium, non fuiſſe proſcripta iuxta ſenſum illius: tanquam circa vtrumque errare potuerit Pontifex, aut de facto erraverit. Novit ea inania Ianſenianorum effugia Illuſtriſs. Clerus Gallicanus: ideoque ad Romanum Pontificem ſcripſit die 28. Martij anno 1654. *Ad munus Epiſcopale pertinere putavimus recèns excitatas à Clericis Gallicanis numero paucis contentiones, definitione noſtra compeſcere, qua Conſtitutionis Apoſtolicæ integra executio, quæ nobis commiſſa eſt, aduerſus alienas à vero ſenſu illius expoſitiones ſanciatur. E VETERE FIDEI DEPOSITO, CVIVS CVSTODIA CATHEDRÆ PETRI A CHRISTO CONCREDITA EST, partem adimere tentant, Decreti Apoſtolici maieſtatem ad fictas controverſias dirimendas, turpiter deijciendo.* Sic loquebantur Pręſules Gallicani, agnoſcentes vetus fidei depoſitum, eiuſque cuſtodiam à Chriſto commiſſam Romano Pontifici, vt ex Cathedra illud diſpenſet, etiam nullo Concilio coacto. Loquebantur enim de Decreto Innocentij X. contra Ianſenium edito extra omnem Synodū. Deinde electo iam Alexandro VII. anno 1655. ijdem Præſules Gallicani adverſus omnes infidos Bullæ Innocētianæ interpretes conſtanter perſtiterunt: verùm ferè abſque fructu.

15 Cùm verò id denuntiatum fuiſſet Alexandro VII. Pontifici iam ſedenti in Cathedra S. Petri; ille die 17. Novembris anno 1656. aliam conſtitutionem edidit, in qua ad verbum refert Diploma Innocentianum contra Ianſenium, idque confirmat: ac ſubdit: * Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij prędictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto eiuſdem Cornelij Ianſenij non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident: Nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt ſufficienter, & attentè perſpeximus, vtpotè qui eiuſdem Innocentij Prædeceſſoris iuſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congreſsibus interfuimus, in quibus Apoſtolica auctoritate, eadē cauſa diſcuſſa eſt, eâ profectò diligentiâ, quâ maior deſiderari non poſſet, quamcumque dubitationem ſuper præmiſsis in poſterum auferre volentes; vt omnes Chriſti fideles eiuſdem fidei vnitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis officij, ac maturâ deliberatione, præinſertam Innocentij Prędeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas Propoſitiones ex libro præmemorati Cornelij Ianſenij Epiſcopi Ipreniſis, cui titul⁹ eſt, Auguſtinus, EXCERPTAS, ET IN SENSV AB EODEM CORNELIO IANSENIO INTENTO DAMNATAS FVISSE, DECLARAMVS, AC DEFINIMVS, & vti tales, inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prędicta declaratione, & definitione vnicuique illarum ſingillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum ſępè dicti Cornelij Ianſenij, cui titulus, Auguſtinus, omneſque alios tam manuſcriptos, quàm Typis editos, & ſi quos forſan in poſterum edi contigerit, in quibus prædicta eiuſdem Cornelij Ianſenij doctrina, vt ſuprà damnata defenditur, vel adſtruitur, aut defendetur, & aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus ne prædictam

, dictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in ſcriptis exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, ſub pœnis, & cenſuris contra hęreticos in iure expreſsis ipſo facto, abſque declaratione incurrendis. Pręcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinarijs, ac hæreticę pravitatis Inquiſitoribus, ac Iudicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, vt præinſertam eiuſdem Innocentij Prædeceſſoris Conſtitutionem, Declarationem, ac Definitionem, iuxta pręſentem noſtram Determinationem ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, alijſque iuris, & facti remedijs, invocato etiam ſi opus fuerit brachij ſæcularis auxilio, omnino coerceant.

, Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Duminicæ, 1656. 17. kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno 2. * Hactenus ibi.

16 Exhibui Diploma Alexandri VII. ex quo plura colligere licet, eaque omnino certa & explorata. Primum eſt, Innocentium X. antequam conderet decretum illud celebre contra Ianſenium curâſſe attentè, & *ea profecto diligentia, qua maior deſiderari non poſſet*, in varijs congreſsibus ſeu conſultationibus; teſte ipſo Alexandro VII. tunc Cardinali, vt excerperentur illę propoſitiones ex libro ipſo Ianſenij, & examinarentur iuxta illius ſenſum; in eo verò damnatas fuiſſe. Quod idem Alexander iam ritè electus Pontifex declarat, & iterum definit, probans notam propriam vnicuique earum propoſitionum ſigillatim adhibitam. Quapropter ſine ingenti temeritate & ſuperbia negari non potuit à tempore ipſo decreti Innocentij X. aut propoſitiones illas extare in Ianſenio, aut damnatas fuiſſe iuxta ſenſum ab ipſo intentum. Propterea enim Alexander alterutrũ in ijs, aut vtrumque effutientes, non dubitat appellare FILIOS INIQVITATIS. Si autem ante Diploma Alexandri extiterunt digni eâ infami appellatione; quantò magis poſt illud? Viderint ergo quicumque ab anno 1656. vſque modò eiuſmodi cavillationes inſtaurârunt; & ſcriptis aut voce tueri pergunt, quàm iuſtè ab omnibus Catholicis putari & dici poſsint FILII INIQVITATIS. Vnde Illuſtriſsimi Galliarum Præſules, qui toto tempore Innocentij X. & Alexandri VII. Ianſenianos inſectati ſunt, Pontificiarum Conſtitutionum prævaricatores, ſic ſcripſerunt ad eundem Alexandrum die 20. Februarij anno 1661. *Poſtquam ſupra montem illum, qui eſt in vertice montium, aſcendiſti, vt evangelizares Sion; vox Domini in manu forti. Quippe dedit Deus voci ſuæ vocem virtutis in tua Beatitudine, quæ loquuta eſt ſicuti poteſtatem habens: clamavit, & quaſi tuba exaltavit vocem ſuam, ad retundendum omnes impetus Ianſenianæ ſectæ.* Vide qualiter vocem Domini in voce Alexandri agnoverint. Vox autem Domini nequit incuſari erroris, niſi ab aliquo filio iniquitatis, perditioniſque. Vnde Præſules omnes & Præsbyteri Galliarum Declarationi Alexandri, ad maiorem doctrinæ ſolemnitatem, chirographo cuiuſque proprio ſuffragati ſunt; quaſi cœleſti cuidam Oraculo. Quare ibidem dicitur; *Fidem explicatam in illis quinque propoſitionibus, NON A TE INVENTAM, SED TIBI A DEO CREDITAM, cuius exaltatio fuit tua provectio, proprijs ſubſcriptionibus firmaverunt; & ab omnibus Epiſcopis, eorumque mandato ab omnibus Præsbyteris, & inferioris gradus Clericis, tam exemptis, quàm non exemptis, firmandam cenſuerunt: & hoc, inſtituto maiorum, qui AD VINDICANDAM VERAM FIDEM Sanctionibus Summorum Pontificum, & Decretis Conciliorum ſubſcribebant. Sic Eccleſiæ vnius conſtitutionis iura commiſcebant, vt pateret (ex Irenæo) Chriſtianos omnes eſſe vnius labij, & vnius oris; &c.*

17 Secundum eſt, omnes illos qui aliquam ex dictis propoſitionibus Ianſenij tenent, prędicant, docent, verbo, aut ſcripto, vel interprætantur publicè aut privatim, vel palam aut occultè imprimunt, eo prætextu quòd vel illæ non extent revera in libro Ianſenij, vel damnatæ non fuerint iuxta ſenſum ab ipſo intentum, incurrere pœnas & cenſuras contra hæreticos in iure expreſſas, *ipſo facto, abſque declaratione alia.* Sic enim ad litteram definit Alexander. Quapropter quiſquis, ab eo ſaltem anno, invenitur, aut inventus fuerit, tradidiſſe qualitercumque aliquam ex ijs propoſitionibus, etiam ſub vtroque aut altero ex ijs duobus prætextibus; iure merito ab omnibus exiſtimari poteſt & debet hæreticus: vtpote declaratus talis Apoſtolicæ Sedis iudicio.

18 Id autem veriſsimum eſt, adhuc permiſſo generatim quòd Pontifex in ſuis definitionibus aliquando errare poſsit circa quæſtionem facti, immo & iuris. quod abſurdiſsimum eſſe hactenus conſtitit quoad poſteriorem partem. Quidquid autem ſit de ea controverſia; certum eſt, ſaltem moraliter,

Pon-

Pontificem nullatenus errare quoties maturè rem examinat, invocata privatim & publicè Spiritus ſancti ope, adhibito conſilio S.R.E. Cardinalium, conſultatione diuturna graviũ Doctorum, & inſpectione attenta eorum omniũ quę circunſtant materiam, de quâ agitur. Omnia autem hæc, teſtantibus id Innocentio X. & Alexandro VII. præſtita fuerunt circa propoſitiones Ianſenij in eius libro, & circa mentem ac ſenſum germanum, in quo editæ ſunt: immo Alexander addit, fuiſſe eam diligentiam adhibitam, *qua maior deſiderari non poſſet*. Ergo quidquid ſit de alijs quęſtionibus, certum eſt, ſaltem moraliter, Pontifices illos in hac quęſtione non erràſſe circa ius, neque circa factum. Quod idem obiter dictum eſto de Pio V. & Gregorio XIII. circa propoſitiones ab ijs damnatas poſt longiſſimum examen & moram pluſquam duodecim annorum, auditâ parte, & poſtea acquieſcente prorſus Conſtitutioni Pontificię. Quare nemo abſque intolerabili pertinacia & ſuperbia contendere poteſt, laudatos Pontifices in hac materia erraſſe, ſive circa ius, ſive circa factum, adhuc permiſſo, & nullatenus conceſſo, quod Pontifex Romanus poſsit definire aliquid ex Cathedra errante clave. Sed de hoc vberiùs in ſuperioribus egimus.

19 Id autem nunc obiter monerę placet, veteres hęreticos ſimiles in gratiam ſuorum anteambulonum exceptiones aut evaſiones excogitaſſe. Euſebius enim Nicomedienſis, & Theogius Epiſcopus Nicęnus, Arij damnationem criminabantur, quaſi ille ſolis vocibus, non ſenſu declinaſſet ab Eccleſiæ doctrina. De Marcello Ancyræ Epiſcopo errãte verbis & ſenſu inquit Hieronymus in Catalogo: *Ille ſe defendit, non eſſe eius dogmatis, cuius accuſatur*. Et de Priſcilliano ait: *Defendunt quidam non ita eum ſenſiſſe, vt arguitur*. Eodem modo Ioannem Hieroſolymitanum errores ſuos fucare ſolitum, monent multi ex Scriptoribus. De Vvicleffo res notior eſt: ideoque Gregorius XI. Papa eius *concluſiones & propoſitiones de bonis operibus & fide malèſentientes* damnavit adiecta hac clauſula, *licèt eas propoſitiones ſub quadam verborum ſeu terminorum curioſa implicatione conentur defendere*.

20 Ne autem vel apparens effugiũ in hac parte ſuperſit Adverſarijs, oſtendamus nunc breviter quomodo quinque illę propoſitiones damnatę verè extent in libris Ianſenij: è quo pauca ſolum libabimus, quę ſufficiant ad rem demonſtrandam, relictis innumeris alijs videndis apud ipſum. Oſtendemus etiam quomodo multi ex Belgis, pręſertim Lovanienſibus, tum poſt Bullam Innocentij, tum poſt Decretum Alexandri VII. eaſdem omnino Ianſenij propoſitiones fulguritas inſtauràſſe aut ab Orco revocaſſe videantur. Id autem pręſtabimus Diſp. ſequenti.

DISPVTATIO XXI.

AN INNOCENTIVS X. ERRAVERIT tribuens Ianſenio propoſitiones, quæ in eius ſcriptis non extent. Vbi de illarum inſtauratoribus in Belgio.

VIDIMVS Diſp. præced. quomodo multi in Belgio, ac præſertim Lovanij, conati fuerint eludere Conſtitutionem Innocentij X. aduerſus Ianſenium, eo prætextu, quòd propoſitiones ibidem proſcriptæ aut non extent in eius ſcriptis, aut non fuerint traditæ iuxta eum ſenſum, in quo Pontifex eas reprobat veluti hæreticas. Quamvis autem vtrumque evaſionis genus fuerit graviſsimè damnatum ab Alexandro VII. & reiectum a nobis ibidem ſect. 3. oportet nunc id vberiùs reijcere, & oſtendere, prædictas paopoſitiones verè extare in libris Ianſenij, & iuxta ſenſum, in quo ab ipſo traditæ ſunt: immo & ab ipſis eius defenſoribus traditas poſtea fuiſſe, ac paſſim tradi, quantum conijcere poſſumus ex recentibus ſcriptis & verbis ipſorum, fideliter allegantis, præſertim iuxta teſtimonium Patritij Duffij, Theologi Regis Catholici ad Innocentium XI. miſsi, parte 2. Claſsi 2. & ſeqq.

SECTIO PRIMA.

Oſtenditur, Innocentium X. iure merito tribuiſſe Ianſenio primam ex quinque propoſitionibus damnatis; ac præterea exhibentur loca, in quibus multi Auctores illam poſtea ſuſcitaſſe videntur in Belgio.

2 PRIMA Propoſitio ex quinque Ianſenianis, inuſta ab Innocentio X. veluti temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata & hæretica, eſt: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſsibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſsibilia fiant.*

3 Vt autem erubeſcant Dominus de Sancto Victore, & alij audentes negare, propoſitionem hanc extare in Ianſenio, accipe illam ferè κατὰ πόδας, atque eodem prorſus ſenſu ex libro 3. ipſius de ſtatu naturæ lapſæ cap. 13. vbi primò aſſerit *eſſe quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſsibilia.* Deinde affirmat, *hinc impotentiam reperiri, non ſolùm in excœcatis, & obduratis, & infidelibus, ſed etiam in fidelibus, & iuſtis, qui & fidem Chriſti, & charitatem iuſtitiæ ſuſceperunt.* Denique ſubdit, *hanc impoſsibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt.* Quin & lib. 4. eiuſdē argumenti cap. 24. addit, quamvis homines hoc in ſtatu eâdem neceſsitate peccarent, quâ Beati ſummum bonum clarè viſum diligunt, Deum nihilominus iuſtè imperaturum ne peccarent; atque huic impoſsibili præcepto non obtemperantes meritò damnaturum ad æterna ſupplicia. Hæc ille fuſiùs ijs locis, omnino cohærentia propoſitioni illi damnatæ. Verùm vt totam illam continuato verborum filo habeas ex Ianſenio, accipe eā, prout exſcribitur à Duffio num. 32. ex libro (numerum libri non aſsignat, fortaſſe ob iniuriam typographi) de gratia Chriſti cap. 13. *Nihil certi ac fundatius*, inquit Ianſenius, *quàm eſſe præcepta quædam, hominibus, non tantum infidelibus, excœcatis, & obduratis, ſed fidelibus quoque, & iuſtis, volentibus, conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, impoſsibilia, deeſſe quoque gratiam, qua poſsibilia fiant?* Quid ad hæc ementitus aut larvatus Sancto Victore? Quod verò ille in oppoſitum allegat ex Ianſenio ex lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 15. 5. *Ad argumentum*, ſolùm evincit, ipſum conceſiſſe homini poteſtatem quandam remotam ad implendum præcepta Dei, quam nequidem Lutherus, Calvinus, Beza, Zanchius, Molinæus, & Pareus, iurati Eccleſiæ Catholicæ & liberi arbitrij hoſtes, negarunt: vt palam oſtendit eruditiſsimus Dechamps lib. 2. de Hereſi Ianſeniana cap. 1. & 2. prolatis in medium verbis ipſorum. Quin & novus ille Ianſenij defenſor, quem Theophilus Raynaudus integro tractatu exagitat Tomo 18. ſub nomine Arnaldi de Brixia Lutetiæ redivivi, ex ipſius Ianſenij mente aiebat: *Sunt ſanè iuſtis quandoque impoſsibilia Dei mandata, ſi gratia efficaci deſtituantur; neque gratia efficax ſemper præſtò eſt. Et hoc tantùm ait Ianſenius.* Satis certè, vt quotcumque oculos habent, videant eius doctrinam eſſe eandem cum illa fulgurita ab Innocentio. Nec mirum, damnaret illam Pōtifex veluti hæreticam: cùm ſit ſacris litteris planè contraria, divinæ pietati ac miſericordiæ repugnans, & anathemate inuſta à Sanctis Patribus, quorum plura teſtimonia exſcripſimus Tomo 3. tract. 5. Nunc ſufficiat in medium proferre verba Tridentini Concilij Seſs. 6. cap. 11. aientis: *Deus impoſsibilia non iubet: ſed iubendo monet facere quod poſsis; & petere quod non poſsis; & adiuvat vt poſsis.* Deinde, vt ibidem definitur; hominem iam iuſtificatum Deus non deſerit, niſi priùs ab eo deſeratur. Si autem homo iam iuſtificatus deſtitueretur auxilio neceſſario vt poſsit ſervare præcepta, ideoque peccaret, priùs deſereretur à Deo, quàm Deum desereret, vt patet.

4 Videamus nunc an eandem propoſitionem tradant, & in eodem ſenſu, Nov-Auguſtiniani Belgæ, præſertim Lovanienſes: Ioannes Lovlnus pro Laurea Doctorali anno 1676. Theſi 1. Macarius Havermans die 10. Maij 1675. Theſi 7. & Gregorius Van Goorlaekem 1. Iunij 1676. hanc propoſitionem tuendam ſuſceperunt: *Iuſtis non ſemper adeſt auxilium ad implenda mandata divina neceſſarium, aut verè ſufficiens, aut ſine quo ea ſervare nequaquam poſſint.* In quo, quæſo, differt hæc propoſitio ab illa Ianſenij damnata? Similiter Gerardus Van Vverm Doctor Lovanienſis 11. Auguſti 1673. Theſi 1. *Gratiam, ſine qua nihil boni facere poſſunt, aliquibus etiam iuſtis, defuiſſe & deeſſe, nihil mali eſt aſſerere.* Andræas Laurentius pariter Doctor Lovan. 7. Maij 1676. Theſi 1. atque eodem anno, 24. Ianuarij hanc Theſim numero tertiam edidit: *Gratia, ſine qua non poſſunt ſervari præcepta, iuſtis quandoque denegatur.* Idem Doctor 13. Octobris 1670. Theſi 1. præmiſerat: *Subtrahit quandoque Deus, etiam*

San-

Sanctis & fidelibus ſuis, auxilia ad cuſtodiendam iuſtitiam neceſſaria. Auctor Schediaſmatis, cui titulus, *Propoſitiones duæ clariſsimè demonſtratæ*, ita loquitur: *Deeſt interdum alicui iuſto gratia; ſine qua nec tentationem ſuperare poteſt in ea occaſione in qua peccat, nec orare ſicut oportet ad obtinendam à Deo gratiam contra illam tentationem.* In quonam, quęſo, ij Auctores recedunt ab illa propoſitione Ianſenij damnata? aut quod ovum alteri ovo ſimilius, quã theſes ipſorum, & doctrina Ianſenij? Prętaret certè illam malè imbibitam, bene & ex animi ſententia corrigere; atque ob oculos habere illud Auguſtini lib. 3. contra Creſconem cap. 3. aientis: *Sententiam falſam nũquam tenere, prima laus; ſecunda, mutare.* Similiter & illud Caſsiani lib. 1. de Incarn. cap. 4. *Primum eſt, errorem penitus non incurrere; ſecundum, bene repudiare.*

SECTIO SECVNDA.

Id ipſum demonſtratur quoad ſecundam propoſitionem Ianſenij, pariter inſtauratam à pleriſque Lovanienſium.

5 SECVNDA Ianſenij propoſitio damnata ab Innocentio X. velut hęretica, eſt hæc: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Vidimus Diſp. præced. num. 12. quomodo larvatus ille ſcriptor Dominus de S. Victore nuperrimè auſus fuerit dicere: *Qua conſcientia imponitur hic error Domino Iprenſi, qui contrarium dicit expreſsis terminis* lib. 8. de Gratia cap. 2. §. 3. Verùm potiùs mirandum, aut ſciſcitandum, quâ fronte is Recentior ita loquutus ſit: cùm ea propoſitio palam tradatur pluribus locis à Ianſenio. Etenim lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 1. docet *nullum adiutorium ſufficiẽs dari poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit.* Et cap. 24. ait: *Gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit, vt non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere.* Ac pręterea cap. 25. *NVLLA OMNINO GRATIA CHRISTI SVO EFFECTV CARET; SED OMNIS EFFICIT, VT VOLVNTAS VELIT, ET ALIQVID OPERETVR.* Deinde lib. 4. eiuſdem Operis cap. 8. & 9. docet, medicinalem gratiam eſſe eiuſmodi, vt per eam voluntas neceſſariò velit bonum, eoque ſenſu pronuntiat: *Ipſum adiutorium beneficæ ſuavitatis facit vt voluntas bonum velit.* Vide præterea Dechamps lib. 2. diſp. 8. c. 1.

6 Itaque manifeſtum eſt ex mente Ianſenij, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſę nunquam reſiſti: cùm aſſerat, in hoc ſtatu, omne adiutorium ſufficiens eſſe efficax, cui certè nemo reſiſtit; & præterea, Deo operanti per gratiam neminem reſiſtere poſſe; ac denique, nullam omnino gratiam Chriſti ſuo effectu carere; ſed omnem eſſe eius conditionis atque efficacię, vt voluntas hominis velit, & aliquid operetur. De quo præterea legendus idem Ianſenius lib. 1. nuper citato cap. 27. Longiſsimum tandem eſſet ac fruſtraneũ exſcribere innumera illius loca, in quibus bellum indicit gratiæ purè ſufficienti, veluti cuidam monſtro; ſolam admittens in hoc ſtatu efficacem, cui nemo reſiſtit. Nemo igitur negare poteſt ex mente Ianſenij, nunquam reſiſti interiori gratiæ in ſtatu naturę lapſæ, niſi qui negare audeat ſolem mero meridie lucere. Neque oppoſitum tadit lib. 8. de Gratia cap. 2. §. 3. quoniam ibi non adſtruit veram reſiſtentiam, ſed defectum gratię, aut ſolam vincentis luctam. Immò permiſſo quòd oppoſitum alicubi indicaret, tribuendum id eſſet oblivioni aut ἀνακολουθίᾳ doctrinę alibi ex profeſſo traditæ. Lepidum autem eſt quod illius ſectatores inculcare ſolent, hanc etiam eſſe Thomiſtarum doctrinam, dum tradunt, homines ad ſingulas actiones prædeterminari à Deo phyſicè, quin poſsit reſiſtere prędeterminationi. Sanè hæc evaſio extra rem eſt, cùm non ſolùm multi ex ijs negent eiuſmodi prædeterminationes; ſed etiam qui illas tradunt, profiteantur gratiam interiorem purè ſufficientem, cui ſępe voluntas humana reſiſtit. Nec mirum id tradant ex magiſterio D. Thomę 1. 2. q. 106. art. 2. ad 3. aientis: *Siquis poſt acceptam gratiam Teſtamenti Novi peccaverit, maiori pœna eſt dignus, tanquam maioribus beneficijs ingratus, & AVXILIO SIBI DATO NON VTENS: quia quantum eſt de ſe lex nova SVFFICIENS AVXILIVM DAT AD NON PECCANDVM.* Quid magis contrarium doctrinæ Ianſenij?

7 Sed & Recentiores multos è Belgis, ac potiſsimùm Lovanienſibus, in eodem luto hęrere, adhuc poſt Conſtitutionem Innocentij, & metuendum illud anathematis fulmen, videtur palam conſtare, ex innumeris teſtimonijs aut Theſibus ipſorum, quas ſubiungo, prout allegantur à Duffio parte 2. claſsi 2. & 3.

8 *Nulla datur gratia proximè ſufficiens, quæ non ſit efficax.* Laurentius Neeſem tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 58. Author Theſis in Seminario Archiep. Mechliniæ 1675. 4. Aprilis Th. 2. & Antonius le Chaſſe

20.

20. Feb. 1671. Th. 16. Eandem propoſitionem multò antea tradiderat Libertus Fromōdus Doctor Lovan. 28. Martij 1645 hiſce verbis: *Nulla planè datur in lapſo homine gratia proximè & completè ſufficiens, quæ non ſit efficax.*

9 *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam vtilis, quam pernicioſa eſt, ſic vt proinde merito poſſimus petere: A gratia ſufficiente libera nos Domine.* Ioannes Sinnich. D. Lov. 16. Octob. 1649. Th. 4. Et anno 1650. Februarij 26. Theſi 4. *Imaginaria eſt & inutilis in hoc ſtatu gratia ſufficient.* Eius veſtigia premens Laurentius Neeſem tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 528. ait: *Damnoſa eſt talis gratia. Quia enim damnabilius, quam abundare tali gratia?*

10 *Nullum omnino a Deo datur auxiliū, quin ſemper ſit aliquouſque efficax, & efficiat ſemper in homine, id quod ei vult Deus.* Andræas Laurent. D. Lov. 18. Martij 1675. Th. 4. Et 2. Maij 1672. Th. 2. *Omnis gratia habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo.* Conſonat Laurentius Neeſem tract. 18. q. 1. d. 5. pag. 523. hiſce verbis: *Gratia Chriſti ſemper eſt efficax, quia producit ſemper effectum, quem Deus vult producere per illam.*

11 *Sine auxilio efficaci nunquam habetur completum poſſe ab actu ſeparatum.* Philalethes in Triumpho Thomiſt. Opuſc. 1. c. 2. num. 133. pag. 157.

12 *Talis ad ſingulos actus gratia neceſſaria eſt, quæ ipſum velle, & agere indeclinabiliter, inſeparabiliter, & invictiſsimè inferat, quæ niſi detur, nunquam poterit voluntas quidquam boni ſalutaris velle, vel operari.* Gregor. Van Goorlaeken 1. Iunij 1676. Th. 16.

13 *Maſsilienſium error eſt, Deum velle ſic omnes homines ſalvos facere, vt quantum in ſe eſt, paratus ſit omnibus ſufficientia dare ſalutis remedia.* Facultas Lovan. in iuſtif. cenſ. propè finem.

14 *Fieri poſſe, & de facto ſæpè fieri, vt quis auxilium habeat præveniens omnino ſufficiens in genere auxilij prævenientis ad conuerſionem, & tamen non conuertatur, quia non vult, doctrinæ Auguſtini, Apoſtoli, & Prophetæ Ezechielis non eſt conſentaneum.* Facultas Lovan. in iuſtif. cenſuræ c. 11.

15 *Non eſt in quoquam gratia ſufficienter operans ad credendum niſi in eo, qui vult credere.* Eadem Facultas ibidem.

16 *Gratia Chriſti ſufficienter præparans, non ſolùm ſuadet, verùm etiam perſuadet: nec ſtat modo ad cordis ianuam pulſans, ſed ipſum etiam cor aperit, rebellemque, ac adverſam ſibi ſubiugat voluntatem.* Ibidem.

17 *Neque illuminatio dumtaxat ſuaſoria, neque metus, ſeu terror, etiam pœnarum poſt hanc vitam luendarum, incuſſus, ſufficit ad inchoandum converſionem. Etenim quidquid intus eſt quod ſuadet tantùm, & non perſuadet, allicit, non adducit, terrore concutit, non amore afficit; ad legem pertinet, atque doctrinam; de qua dici non poteſt, quod cuiquam ad inchoandam converſionem, ingrediendamque ſalutis viam ſufficiat.* Ibidem c. 12.

18 *Sequitur, iis, qui bonum gratiæ vſum non habent, necdum gratiam eſſe ſubminiſtratam, quæ ad illum vſum plenè ſufficiat: gratia enim ad converſionem ſufficiens, ipſa convertit; quæ verò non convertit, non ſufficit.* Gerardus Van Vverm. D. L. 11. Aprilis 1679. Th. 2. Idem quoque triginta retro annis, id eſt, 1649. die 21. Aprilis Theſi 3. præmiſſerat: *Nunquam eſt ſine effectu vera Chriſti gratia.*

19 *Apage gratiæ ſufficientis propriè dictæ inventum, Auguſtino contrarium.* Lambertus Vincent. 12. Martij 1676. Th. 2. Conſonat Hroſnata Van Saſtinguen 2. & 3. die Septembris eodem anno 1676. Th. 22. dicens: *Illa gratia non eſt Chriſti, quæ non dat actum.*

19 Hæc & ſimilia iis, & pleriquè illorum valde recenter, ac pluribus annis poſt diplomata Innocentij X. & Alexandri VII. Sanè, ſi nulla datur gratia interior purè ſufficiens, ſive carens effectu ad quem datur; nunquam ergo interiori gratiæ reſiſtitur. Manifeſtum enim eſt, neminem reſiſtere gratiæ, dum hæc obtinet effectum ad quē præſtatur. Mitto nunc plura alia abſurda, quæ ex dictis Theſibus palam colliguntur, & ſuo loco indicabimus, ac nominatim quod iuxta nonnullas earum homines obligentur ſub reatu mortis æternæ ad agendum impoſſibilia, & peccent in eo, quod ſimpliciter vitare non poſſunt, defectu auxilij ſufficientis, ſeu conferentis proximam poteſtatem. Mitto ea, inquam: nam hoc loci ſolùm curæ fuit eas Theſes Nov-Auguſtinianorum exſcribere, quæ videantur prorſus eædem cum ſecunda illa propoſitione fulgurita, & hæreſeos notatā ab Innocentio.

(**)

SEC-

SECTO TERTIA.

De tertia propoſitione æquè tradita à Ianſenio, & pariter, quantum apparet, innovata a Lovanienſibus.

20 TERTIA Ianſenij propoſitio damnata ab Innocentio veluti hæretica, eſt: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſsitate; ſed ſufficit libertas à coactione.* Vidimus Diſput. præced. quomodo perſonatus ille D. de Sancto Victore negaverit illam fuiſſe traditam à Ianſenio, dicens: *Certum eſt quod hæc propoſitio nunquam docta fuerit à Ianſenio in eo ſenſu, quo cenſurata eſt à Pontifice: cum Prælatus ille in contrarium dicat. lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 34. §. Itaque.*

21 Sed enim propoſitionem ipſam tradi in eo ſenſu à Ianſenio, non ſolùm teſtatus fuit Alexander VII. in ſuo Diplomate anno 1656. appellans *filios iniquitatis* aſſerentes oppoſitum, ſed etiam evincitur ex Ianſenio ipſo libro ſexto de Gratia Chriſti capite ſexto, cui hanc epigrapham adhibet: *Duplex neceſsitas Auguſtino, coactionis, & ſimplex, ſeu voluntaria. Illa, non hæc, repugnat libertati.* Deinde in eodem cap. inquit: *Sola neceſsitas coactionis adimit libertatem: Omnis omnino voluntas* (ac proinde etiam voluntas hominis merentis aut demerentis in ſtatu naturæ lapſæ) *quantumcumque ad vnum determinata, nulla tali neceſsitate, qua dicitur neceſſe eſſe vt velit, deſinit eſſe libera.* Et capite octavo clariùs eundem ſenſum exprimit, dicens: *Paradoxum eſt quòd aliquis actus voluntatis propterea ſit liber, quia ab illo deſiſtere voluntas, & non agere poteſt.* Ergo actus voluntatis merentis aut demerentis in ſtatu naturæ lapſæ eſt liber independenter ab eo vt voluntas poſsit ab illo deſiſtere, & non agere. Quapropter iuxta Ianſenium, vt actus voluntatis merentis aut demerentis ſit liber, non exigitur in homine libertas à neceſsitate determinante ad vnum, ſed ſufficit libertas à coactione, vt ipſe palam in alijs locis mox citatis præmiſſerat.

22 Neque obſtat quòd idem novus hyperaſpiſtes Ianſenij opponit ex libro eodem ſexto capite trigeſsimo quarto. Ibidem enim, teſte Duffio, ſolùm tradit indifferentiam mutatis prærequiſitis, & ſublatâ gratiâ, quam nec heterodoxi negant. Quod ipſum confirmatur ex libro ipſius quarto de ſtatu naturæ lapſæ capite vigeſsimo quarto vbi inquit: *Etiamſi peccatum non ſolùm ſpecificatione, vt nunc eſt; ſed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus, eſſet neceſſarium, non deſineret eſſe liberum.* Nimirum ea libertate (ſubdit quaſi ex mente Ianſenij Dechamps libro ſecundo diſput. quarta capite quarto numero ſecundo, omnino videndus circa doctrinam huius ſectionis) quæ in peccato requiritur, vt iuſtè Deus æternas illi pœnas infligat. Et capite vigeſsimo quinto ſequenti differens de Conſtitutione Pij V. & Gregorij XIII. damnantium illam Baij propoſitionem; *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod neceſſariò facit*; non dubitat idem Ianſenius dicere: *Etiamſi hominum peccatu neceſſariò fieri etiam exercitij neceſſitate traderentur, iuxta modum quo capite præcedenti diximus*, (nimirum, qualiter beatificus amor neceſſarius eſt) *non videretur doctrina iſta Pontificum cenſuris eſſe perſtricta.* Cùm igitur amor beatificus ſolùm ſit liber à coactione, non à neceſsitate; conſequens eſt, vt ex mente Ianſenij ad peccandum, ſeu ad demerendum, non exigatur libertas à neceſsitate, ſed ſufficiat libertas à coactione. quod Innocentius X. vt hæreticum damnat.

23 Eidem propoſitioni palam conſentire videtur Libertus Fromondus Doctor Lovanienſis Theſi ſecunda die 10. Iunij anno 1653. dicens: *Peccatores, qui potentiſsima graviſsimaque tentatione pulſantur, & ad ei quocumque demum modo reſiſtendum OMNI PRORSVS AVXILIO DIVINO DESTITVTI SVNT, liberrimè ſuccumbunt peccando & conſentiendo, non peccare aut non conſentire nullatenus valentes.* Hęc ille: iuxta cuius apertam ſententiam poteſt dari peccatum ſeu demeritum, immò datur de facto in ſtatu naturæ lapſæ, cum ſola libertate à coactione. Nimirum hanc ſolam habet, non autem libertatem à neceſsitate, qui deſtitutus eſt omni prorſus auxilio divino ad reſiſtendum tentationi graviſsimę, nec poteſt vllo modo non peccare, aut non conſentire.

24 Deinde illam generatim videntur tueri quicumque docent, nullam exiſtere gratiam purè ſufficientem ad merendum, ſive demerendum: aut, quod idem eſt, ad bene agendum, vel non peccandum; ſed omnem prorſus Chriſti gratiam eſſe efficacem. quæ eſt communis doctrina Nov-Auguſtinianorum, vt vidimus ſectio-

ne præcedenti prolatis in medium ipſorum verbis. Inde enim palam coligitur, hominem lapſum, per gratiam Chriſti ſeipſa collatam eſſe neceſſariò determinatum ad merendum ſine poteſtate proxima ad non merendum; deſtitutum verò gratia Chriſti, eſſe neceſſariò determinatum ad demerendum, ſive peccandum, abſque poteſtate proxima ad oppoſitum: proptereaque dari meritum & demeritum ſine libertate à neceſsitate, per ſolam libertatem à coactione.

25 Sed audiamus hoc ipſum paulo luculentiùs à quibuſdam eorum. Laurentius Neeſſen tract. 5. de Actibus humanis dub. 4. pagin. 84. inquit: *Chriſti gratia infallibiliter infert actum, vtpote ab eo inſeparabilis. Cum illa proinde non conſiſtit proxima potentia ad agendum, & non agendum.* Præmiſſerat verò pagina octuageſsima tertia. *In ſtatu naturæ lapſæ liberum arbitrium habet ſolam remotam indifferentiam: & hæc ſententia eſt conformior Scripturæ ſacræ & Sanctis Patribus.* Subditque: *Vnde qui deſtitutus eſt diuina gratia poteſt bene facere: NON QVIDEM PROXIME, quaſi gratia ſufficiente ſemper præmunitus: ſed quia, quacunque tandem peccandi voluptate trahatur, remanet nihilominus in illo naturalis capacitas ad credendum, ſperandum, & amandum Deum.* Deinde tract. 18. dub. 8. pag. 532. in margine habet: *Vt præcepta dicantur poſsibilia homini, ſufficit potentia remota in illo.* Atque in obiectione quinta per totam: *Præceptum cuiuis eſt poſsibile, in quantum habet liberum arbitrium adhuc flexibile ad bonum & malum; cui proinde Deus poteſt dare gratiam: & ſufficit ad libertatem & poſsibilitatem implendi præceptum talis potentia remota, etſi deſit proxima.* Idipſum tradit dub. 9. eiuſdem tractatus pag. 565. Similiter Ioannes Lovinus in Theſibus pro Laurea Doctorali anno 1676. Theſi tertia ait: *Sine auxilio gratiæ diuinæ faciente vt faciamus, nullum bonum, nullum opus quantumcumque bonum, aut qualecumque facere poſſumus.* Quare quoties homini negatur gratia divina efficax ad agendum opus bonum ſive præceptum, nulla eſt potentia, ſaltem proxima, ad illud agendum. Itaque omiſsio eius operis demeritoria & æternam pœnam inferens, non eſt libera à neceſsitate, ſed ſummùm à coactione.

26 Verum adhuc clariùs, & paſſim ferè plerique Lovanienſium hanc propoſitionem tuentur: *Potentia libera libertate ſufficienti ad meritum & demeritum, nihil aliud eſt quàm deliberata voluntas; ſeu ex prævio rationis iudicio agendi & determinandi ſe facultas. Vnde ibi ſemper libertas, vbi deliberata reperitur facultas.* Ita, inter alios, Hroſnata Van Saſtinguē tertio Septembris anno 1676. Theſi ſeptima, Florentius de Cocq. decimo Martij 1677. Theſi decima quinta. Similiter Gerardus Van Vverm. ſecundo Aprilis anno 1678. Theſi prima. *Liberum arbitrium ſitum eſt in deliberato rationis & voluntatis motu. Hinc & Chriſtus voluntatem Patris, non obſtante præcepto ſibi impoſito, liberè adimplevit; & Sancti in cœlis non minùs liberè, quàm libenter, amant: & ſic non libertatis defectus impedit quominus probi mereantur in cœlis, & reprobi demereantur in infernis.* Hęc ille conſequenter ad ea, quę multò antea tradiderat Lovanij, id eſt, anno 1651. die 11. Februarij dicens: *Indifferentia quam gratia non permittit, ad voluntatis libertatem impertinens eſt: ad quam ſufficit rei placitæ ſpontaneus appetitus.* Mitto plurima aliorum loca, in quibus eandem doctrinam inculcant. Iuxta illam verò, ad meritum & demeritum non exigitur libertas proxima ad agendum vel non agendum pro arbitrio voluntatis; ſed ſufficit voluntas deliberata, ſeu motus voluntatis amantis, aut odio habentis ex antegreſſo rationis iudicio: qualiter exiſtit amor Dei in Beatis. Itaque ad merendum & demerendum non exigetur libertas à neceſsitate, ſed ſufficiet libertas à coactione, qualis eſt quę in Beatis exiſtit. Quomodo autem hæc doctrina non ſit illa ipſa, quę notatur in Ianſenio, veluti hęretica, difficile explicatu apparet.

SECTIO QVARTA.

Vindicatur cenſura quartæ propoſitionis Ianſenij, pariter etiamnum traditæ, quantum apparet, ab eiſdem Nov-Auguſtinianis.

27 QVARTA Propoſitio Ianſenij falſitas & hæreſeos notata ab Innocentio, erat: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

27 Mirum autem eſt quo auſu nuperus ille Ianſenij defenſor neget eam doctrinam fuiſ-

fuiſſe ab Anteſignano ſuo traditam, cùm illam apertè proferat libro octavo de Hæreſi Pelagiana hiſce verbis: *In hoc ergo propriè Maſsilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primævæ libertatis relictum putant, quo, ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo credere poſſet, ſi vellet: neuter tamen abſque interioris gratiæ adiutorio, cuius vſus vel abuſus relictus eſſet in cuiuſque arbitrio vel poteſtate.* Quid clarius? Similia habet cap. 7. ſequenti, & lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 12. & 25. alijſque locis. Nec mirum ita loquatur conſequenter ad doctrinam à ſe traditam lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 3. 15. & 19. vbi ex profeſſo docet, gratiam Chriſti non eſſe eiuſmodi, cui voluntas aſſentiatur, ſi velit, & non aſſentiatur, ſi nolit; ſed quæ volendi & aſſentiendi neceſsitatem imponat. Vnde oppoſitum aſſerentes cenſuit deſipere eum Semipelagianis, quaſi hi agnoverint quidem neceſſitatem gratiæ interioris ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; addiderint tamen, eam eſſe gratiam Chriſti, cui poſsit voluntas hominis reſiſtere, aut obtemperare. Vide Dechamps lib. 1. diſp. 3. cap. 1.

29 Neque obſtat quod Recentior ille in oppoſitum allegat ex lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 21. Ibidem enim ſolùm aſſerit, voluntatem hominis ſub gratia retinere potentiam radicalem ſeu remotam ad reſiſtendum. Quod nec Lutherus, nec Calvinus, nec aliæ peſtes eiuſmodi negant: quorum teſtimonia plurima congeſſit laudatus Dechamps ibidem capite ſecūdo, alijſque pluribus locis.

30 Nunc verò oſtendamus quomodo Nov-Auguſtiniani eam ipſam propoſitionem apertè tradere videantur. Hroſnata Van Saſtinguen die 2. & 3. Septembris anni 1675. Theſi 24. ita dixit: *Non ideo Semipelagiani dicebant initium fidei eſſe ex nobis, quia ad illud non prærequireretur gratia: ſed quia ad illud non putabant neceſſariam gratiam voluntatis determinatricem, hoc eſt de ſe efficacem, dantem ipſum primum actum fidei.* Nomine autem gratię determinatricis, & ex ſe efficacis, ſolùm intelligit idem Auctor, & omnes illius partiales, gratiam indeclinabiliter & inſuperabiliter, vt ipſi loquuntur, determinantem, cui voluntas humana non poſsit pro libito obtemperare, aut contradicere. Hæc enim eſt veluti fundamentalis regula Lovanienſium in Iuſtificatione cenſurę, pręſertim cap. 11. Ibidem enim numero 115. ita loquuntur: *Pelagius admiſsit & aſſeruit Chriſti ſpecialem & interiorem gratiam ſuaſionis & excitationis: ſed in hoc differebat ab eo Auguſtinus, quòd nullam talem cenſeret ſufficere, niſi quæ perſuadet, ſecumque afficit animi conſenſum & obedientiam, vt non debeat gratia ſufficienter excitans à conſenſione disiungi; ſed omnino talis & tam efficax indicari; vt nos etiam faciat conſentientes.* Deinde ſubdunt: *Vt à Pelagij dogmate recedatur, oportet vt gratia Dei ſufficienter præparans ponatur in eo ipſo, quod nobis perſuadeatur, in eoque quod credimus & amamus.* Denique ibidem circa finem aiunt: *Maſsilienſium* (id eſt Semipelagianorum) *ſententia eſt fidem hactenus eſſe Dei donum, quia non modo liberum arbitrium dederit Deus, quo credere poſſumus; ſed interiùs etiam illuminet, moveat, excitet, pulſet, vt prædicatæ veritati acquieſcamus; acceptationem vero liberi arbitrij eſſe.* Vide ſi doctrinam hanc poſsis vllo modo internoſcere aut quoquomodo diſtinguere ab illa Ianſenij fulgurita.

31 Sed & Laurentius Neeſſen in hoc ipſo, ſicuti & in alijs, videtur continere Ianſenio tract. 5. dub. 4. §. 83. dum ait: *Chriſti gratia infallibiliter infert actum, vtpote ab eo inſeparabilis: CVM ILLA PROINDE NON CONSISTIT POTENTIA PROXIMA AD AGENDVM ET NON AGENDVM.* Et pręterea tract. 18. quæſt. 7. dub. 7. pag. 513. inquit: *Quæcumque interiores illuminationes, aut inſpirationes, ſi ipſis non coniungatur ipſum velle, vel bonæ voluntatis initium, removentur à gratia Chriſti.* Itaque iudicio huius Auctoris, ſicuti & aliorum ex partialibus, excluditur à notione gratiæ Chriſti omnis interior illuminatio & inſpiratio, quæ non infert infallibiliter operationem bonam, vel eius initium; eo genere coniunctionis, vt non relinquat in voluntate humana potentiam proximam ad agendū & non agendum. Quare volunt, omnem gratiam Chriſti eſſe eius conditionis, vt voluntas humana non poſsit, ſaltem proximè, ei pro libito reſiſtere, vel obtemperare.

32 Denique eandem eſſe doctrinam & ſenſum novæ eiuſdem factionis, videtur palam conſtare ex plurimis teſtimonijs Lovanienſium congeſtis à Duffio Claſ. 2. 3. & 4. quorum multa exhibuimus in ſectionibus præcedentibus. Et ſanè dum ij omnes negant gratiam omnem Chriſti purè ſufficientē, neque vllam admittūt, niſi ab intrinſeco efficacē, quę non patiatur ſecum poteſtatem proximā ad oppoſitū; debent cōſequenter aſſere-

aſſerere, immo aſſerunt, non eſſe gratiam Chriſti eius conditionis, vt voluntas humana poſsit ipſi reſiſtere, aut obtemperare.

SECTIO QVINTA.

Quintam denique ex propoſitionibus damnatis traditam fuiſſe a Ianſenio, in eodem ſenſu, quo inuritur ab Innocentio X. Illam porrò paſſim ferè à Nov-Auguſtinianis videri traditam.

33 QVINTA Denique ex propoſitionibus Ianſenij, quam Innocentius proſeribit, hęc eſt: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Hanc Pontifex damnat, vt falſam, temerariam, & ſcandaloſam: ſi autem intelligatur eo ſenſu, vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, reprobat illam, veluti impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ gratiæ derogantem, & hæreticam.

34 Porrò Ianſenium tradidiſſe eam propoſitionem quoad vtramque partem, videtur manifeſtum. Quoad priorem quidem libro tertio de Gratia Chriſti cap. 21. vbi inquit: *Neque enim pro omnibus omnino Chriſtus paſſus aut mortuus eſt.* Quod fuſiùs tradiderat cap. 20. Quoad poſteriorem verò libro octavo de Hæreſi Pelagiana cap. 26. dum ait: *CHRISTVS NON PRO TOTIVS MVNDI REDEMTIONE CRVCIFIXVS ET MORTVVS EST, SED TANTVM PRO IIS QVI SALVANTVR.* Præmiſſerat quoque cap. 21. Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis preces fudiſſe, id ſubiungens: *Non magis Patrem pro æterna ſalute reproborum, quàm pro Diaboli liberatione, deprecatum fuiſſe.*

35 Quare extra rem eſt quòd defenſor ille Ianſenij allegat ex ipſo libro tertio & cap. 21. Ibidem enim ſolùm tradit pretium redemptionis Chriſti ſufficiens fuiſſe ad redemptionem omnium omnino infidelium, immo etiam dæmonum, omniumque damnatorum: negat tamen id ſufficere vt Chriſtus verè dicatur fuiſſe paſſus & crucifixus pro omnibus. Verba exhibeo Ianſenij à Duffio omiſſa: *Non nego pretium iſtud infinitum eſſe ſufficiens ad redemptionem omnium omnino infidelium, immo etiam dæmonum, omniumque damnatorum. Sed quia Chriſtum eſſe paſſum & crucifixum pro omnibus, plus aliquid dicit, quàm nudè pretium ſufficiens obtuliſſe, quod eis applicari nolit; nego, Chriſtum pro omnibus nullo excepto ſe dediſſe redemptionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum.* Itaque opinione Ianſenij; non magis Chriſtus pro infidelibus, & damnatis hominibus, quàm pro dæmonibus, dici poteſt paſſus & crucifixus fuiſſe: quatenus pretium paſsionis & mortis eius ſit ſufficiens pro ijs omnibus: non tamen fuerit ab ipſo oblatum aut applicatum pro reprobis, magis quàm pro dæmonibus, pro quibus certum eſt Chriſtum mortuum vel paſſum non fuiſſe. Vide Dechamps lib. 1. diſp. 7. cap. 1.

36 Videamus modò an nuperi Scriptores in Belgio, præſertim Lovanienſes, adhuc poſt iudicium Sedis Apoſtolicæ tam luculentum, & formidabile, eandem hæreſim tueri pergant. In hac re verò, ſicuti & in cæteris huc ſpectantibus, nolo iudicem agere, ſed ſimplici narratione profero Theſes aut teſtimonia ipſorum *κάτα ῥέδαι*, prout exſcribuntur à Duffio vbi ſupra Claſsi 4.

37 Florentius de Cocq. 10. Martij anno 1677. Theſi 21. ſic habet: *Deus, quantum in ſe eſt, non vult omnium hominum ſalutem.* Auctor libelli inſcripti, *Eclairciſſement de la Grace*, pag. 44. clariùs adhuc: *Deus non vult ſaluare, niſi prædeſtinatos: nulli autem ſunt prædeſtinati, niſi electi.* Modò ſic diſputo. Deus vult ſalvare omnes & ſolos eos homines, pro quibus mortuus eſt Chriſtus: vt fide ſanctum eſt. Atqui, iuxta hos Auctores, Deus non vult ſalvare, niſi ſolos prædeſtinatos. Ergo iuxta eoſdem Auctores pro ſolis prædeſtinatis mortuus eſt Chriſtus. Eadem collectio ſponte ſuâ fluit ex Theſi 3. Andreæ Laurentij 20. Auguſti anno 1660. & Theſi ſecundâ Iacobi Pontani 20. Iannuarij 1661. hiſce verbis prolata: *Cùm plurimi homines ad ſalutem æternam non perveniant, perperam exiſtimamus verè Deum voluntate beneplaciti velle, ET QVANTVM EST EX PARTE SVA DESIDERARE, vt omnes omnino homines ad æternam ſalutem perveniant.* Similiter & ex doctrina Lamberti le Drou in Triade c. 12. §. 1. pag. 81. aiétis: *Nulla eſt inefficax Dei volitio, & quæ omnimodè nõ impleatur.* Nimirùm, inde colligitur, circa omnes eos homines, qui reipſa non ſalvantur, nullam eſſe voluntatem ſalutis illorum in Deo, nequidem *quantum eſt ex parte ſui*, ſive *volitionem inefficacem.*

38 Sed & Laurentius Neeſſem, vti

in

In alijs, ita in hoc ipſo ſuæ factioni ſubſcribit tract. 18. q. 1. dub. 8. pag. 530. dicens:* Scriptura Iſaię 5. *Quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* & Mathęi 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*; non ſignificat in Deo verum aliquod ſtudium aut voluntatem, ſeu velleitatem: ſed locutiones ſunt figuratę, metaphoricę, improprię, & per tropum: prout dũ tribuit illi brachium, pedes, iram, pœnitentiam, aliaſque humanas paſsiones.* Hæc ille, omnem à Deo excludens voluntatem, etiam illam, quæ velleitas dici ſolet, erga ſalutem reproborum. Vnde & conſequens eſt, nec Deum ex vero ſtudio, ſeu voluntate vlla ſalutis ipſorum, miſiſſe Filium ſuum in mũdum: nec Chriſtum ex eodem fine fuiſſe paſſum & mortuum, ſed pro electis, ſive Prædeſtinatis dumtaxat.

39 Verum proferamus clariora teſtimonia quorundam ex ijs, quę ſubiungo ipſorum verbis: *Pro electorum æterna ſalute (non item reproborum) rectè dicitur mortuus eſſe Chriſtus.* Andræas Laurent. Doct. Lovan. 11. Auguſt. 1671 Th. 3. *Semipelagianorum dogma eſt, vniverſis hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam.* Hroſnata Van Saffighen 2. Septemb. 1676. Th. & Iuſtific. cenſur. Lovan. cap. 3. pag. 62. *Satis manifeſtat ipſe Dominus pro ſolis electis, & prædeſtinatis, ſe redemptionem dediſſe.* Gerardus Van Vverm. Doct. Lovan. 9. Martij 1652. Theſi 3. *Malè dixeris pretioſum Chriſti ſanguinem pro vllius reprobati æterna ſalute Patri oblatum.* Libi Fromondus 2. Octobr. anno 1647. Theſi 3. *Chriſtus propriè tantùm pro peccatis Electorum finaliter abolendis ſacrificium propitiatorium Patri obtulit.* Iac. Pontanus. Doct. Lovan. 10. Februar. anon 1645. Theſi 3. *Textus ſacræ Scripturæ quibus dicitur, Deum velle omnes ſalvos fieri, Chriſtum mortuum pro nobis, pro mundo, pro omnibus, &c. reſtringendi ſunt ad ſolos Electos.* Communis Lovanienſium, qui in quotidianis Theſibus ſic reſpondent.

40 Itaque Nov-Auguſtinianorum iudicio, *Deus idcirco ſolùm vult omnes ſalvos fieri, vel quia quotquot ſalvi fiunt, non niſi Deo volente ſalvi fiunt, aut quia ex omnibus, ſeu omni hominum conditione, aliquos vult ſalvare. Sic, & non aliter explicant, Deum velle omnes ſalvos fieri.* Quapropter nullus videtur ſupereſſe locus, ne exiſtimemus, ipſorum opinione: Chriſtum pro ſolis Prędeſtinatis mortuum fuiſſe, aut Deum illorum dumtaxat ſalutem velle.

41 Nominatim autem circa parvulos ſine Baptiſmo morientes idipſum cenſent. Etenim in Iuſtificatione Cenſuræ Lovanienſis cap. 3. §. 49. aiunt: *Dici non poteſt quod Deus, quantum in ipſo eſt, Baptiſmo pro omnibus inſtituto, regenerari voluerit parvulos non præſeſtinatos. nam ſi tantum eis bonum voluiſſet, nulla omnino res tam propenſam eius impediuiſſet voluntatem.* Præmiſſum verò fuerat in Cenſura eorundem Lovanienſium ad aſſertionem 17. *Manifeſtum eſt quorundam parvulorum Baptiſma mortis celeritate impediri: nec dubium videtur quin mors talis Deo ſit imputanda, & tale ſalutis impedimentum.* Vide, quomodo omnia hæc coeant in id, vt Deus Prędeſtinatorum ſolam ſalutem velit, nec Chriſtus pro reprobis mortuus ſit. Dum autem tot Lovanienſis Academię Doctores, & Profeſſores video detrectantes plenam ſubiectionem erga tot Pontificum decreta contra morem prædeceſſorum ſuorum, ſubit animum recordatio alterius Diplomatis Gregorij Papæ XI. contra dogmata impij Vvicleffi, quod miſſum à Pontifice ipſo per Magiſtrum Edmundum Staffdrop non receperunt vti par erat Profeſſores Academiæ Oxonienſis in Anglia: ideoque de ijs inquit Thomas Vvalſinghamenſis ad annum 1378. *Vniverſitatis moderni rectores quantùm degeneraverint à prudentia ſeu ſapiẽtia antiquorum, per hoc facilè conijci poterit, quod audita cauſa adventus Papalis Nuntij diu in pendulo hærebant, vtrum Papalem Bullam deberent cum horrore* (forſan honore) *recipere, an omnino cum dedecore refutare. Oxonienſe ſtudium Generale, quàm gravi lapſu à ſapientiæ & ſcientiæ culmine cecidiſti! Quot quondam inextricabilia atque dubia toti mundo declarare conſueviſti, iam ignorantiæ nubilo obſuſcatum dubitare non vereris quæ quemlibet ex laicis Chriſtianis dubitare non decet.* Hæc ille, vtinam pręter rem à nobis adducta. Optandum autem eſt, neſcio an magis quàm ſperandum, vt exitus harum controverſiarum in Lovanienſi Academia ſit ſimilis ac illarum in Oxonienſi. Etenim Guillielmus Archiepiſcop. Cantuarienſis tunc toti Angliæ perſuaſit ad damnandos omnes Vuicleffi articulos, PROVT VERBA SONANT, *tanquam erroneos & hæreticos.* Si Lovanienſes hactenus allegati, & reliqui ex partiarijs idipſum pręſtent circa

quinque illa dogmata Ianſenij, & alia Baij, PROVT VERBA SONANT (quod certè Pontifices præcipiunt) finientur lites & ſcandala.

SECTIO SEXTA.

Qualiter in hac re Nov-Auguſtiniani conveniant cum Heterodoxis, vel ab ijs differant: & quomodo aduerſus illos diſſerere oportrat.

42 VIDIMVS Hucuſque quàm verè & iuſtè Innocentius X. adſcripſerit Cornelio Ianſenio, Iprenſi Epiſcopo quinque illas propoſitiones anathemate iuuſtas; & quanto iure Alexander VII. perſtrinxerit, veluti *filios iniquitatis*, omnes illos, qui poſt id Pontificium Diploma auſi ſunt dicere, aut eas propoſitiones in ſcriptis Ianſenij non extare, aut alio, quàm ipſius, ſenſu fuiſſe damnatas. Nec ſolùm hoc vidimus; ſed etiam, plurimos è Belgis, præſertim Lovanienſibus, adhuc poſt decretum Alexandri VII. eadem fulgurita dogmata, quantùm apparet, totidem ferè verbis tueri, quaſi non fuerint proſcripta à Sede Apoſtolica in ſenſu Ianſenij aut ipſorum.

43 Certè hoc pacto poſſent tueri propoſitiones ab Eccleſia inuſtas notâ hæreſeos in Luthero, Calvino, alijſque Sectarijs recentibus, per effugium ad alium ſenſum, quàm quo illæ damnatæ ſunt ab Eccleſia. Immo non tam ſimilis, quàm eadem cauſa videtur: cùm quinque illę Ianſenij propoſitiones totidem ferè verbis traditæ fuerint ab eiſdem hæreticis: vt ad ſenſum oſtendit Dechamps toto ferè libro primo de Hęreſi Ianſeniana: nec ſolùm hoc, ſed Sectarios ipſos eiſdem fundamentis & teſtimonijs S. Auguſtini innixos fuiſſe, quibus Ianſenius & ſequaces abutuntur ad eandem dogmata confirmanda.

44 Solùm itaque videtur eſſe duplex ratio diſcriminis inter vtroſque. Heterodoxi enim non ſolùm agnoſcunt, ſed fatentur, theſes ſuas ab Eccleſia Romana fuiſſe proſcriptas in ipſorum ſenſu: ideoque palam contra illam pugnant, immeritò damnatas fuiſſe. Vnde & præfricta fronte non dubitant eas tueri contra ſenſum Romanæ Eccleſiæ. Nov-Auguſtiniani verò, quamvis ignorare nequeant, teſte conſcientiâ ipſorum, dogmata Ianſenij iuxta ſenſum Illius fuiſſe confixa à Sede Apoſtolica, adhuc ea tueri pergunt, quaſi verè non fuerint damnata in eodem ſenſu, ſed in alio ab ijs conficto, quem varijs technis, effugijs, & coloribus exprimere ſolent, ne palam à cæteris Theologis Catholicis traducantur, veluti auctoritatis Pontificię impugnatores. *Sed Deus non irridetur.*

45 Altera ratio diſcriminis eſt, quod Calvinus, Lutherus, alijque ex Cacodoxis, dum ea impia dogmata legunt in Tridentino confixa, excuſſo omni pudore effutiunt, Concilium illud Oecumenicum erraſſe: quoniam generatim volunt, & pluribus argumentis evincere contendunt, definitiones totius Eccleſię ſub Romano Pontifice congregatæ in Synodo, non eſſe prorſus infallibiles, adhuc in materia fidei & morum; ſed potiùs errori expoſitas, & in quibus illa ſępe erraverit: vt vidimus ex ſenſu ipſorum Tomo I. Diſput. II. ſect. 2. & 3. vbi infallibilitatem Conciliorum Generalium confirmavimus, & Hæreticorum argumenta ſolvimus. Nov-Auguſtiniani verò nolunt, ſaltem palam, agnoſcere aut fateri vllam ex propoſitionibus eiſdem Ianſenij fuiſſe damnatam in Synodo Tridentinâ; ſed ſummùm aut ſolùm à Romanis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Innocentio X. & Alexandro VII. quos omnes in hac re potuiſſe errare, immo & de facto erraſſe, non ſolùm teſte ipſorum conſcientia iudicant, ſed etiam aliqui, aut remotis arbitris, aut etiam ſcriptis in lucem editis, ſuppreſſo pręſertim nomine, dicere non verentur. Nimirum damnatio propoſitionum Baij & Ianſenij, quarum amor altas Lovanij radices miſit, ſectatores earum impulit, vt abiudicarent Pontificibus Romanis auctoritatem infallibilem definiendi quidquam extra Concilium, etiam in materia fidei ac morum. Vide quorundam ex ijs teſtimonia ſuprà Diſp. XIX. ſect. 2.

46 Dixi Nov-Auguſtinianos nolle agnoſcere aut fateri, *ſaltem palam*, vllam ex ijs Ianſenij propoſitionibus, quas tueri pergunt, fuiſſe in Synodo Tridentina proſcriptam. Nam clam ſive ſubobſcurè aliqui eorum de eiuſdem Oecumenici Concilij auctoritatem perperam ſentire, aut etiam ſiniſtrè loqui inveniuntur. Placet de hac re exſcribere teſtimonium eruditiſſimi Dechamps libro ſecundo diſputatione prima capite primo numero ſecundo, ita loquentis:
„ * Audent tamen Ianſeniani Tridentinam „ Synodum, quę inter Generales, non dig„ nitate, ſed ordine dumtaxat poſtremum lo„ cū obtinet, occultis criminationibus impe„ tere: audent tanti Concilij maieſtatem, „ quòd eius decretis novum dogma proſcribi

ſatis

„ ſatis intelligant, petitis ex Lutheri, Calvi-
„ niſque ſchola calumnijs labefactare. Quam-
„ vis enim nondum eò proruperint auda-
„ tiæ, vt Sacræ Synodo auctoritatem omnem
„ palam & apertè detrahant, ſolent tamen
„ privatis in congreſsibus, & apud eos ma-
„ ximè, quos novi dogmatis illecebrâ in-
„ eſcàrunt, Tridentinos Canones crimi-
„ nari & ſugillare. Quis neſcit quàm id
„ protervè ageret, ac inverecundè „ Ab-
„ bas S. Cigirani, quem alterum Parentem,
„ ac veluti ſecundum caput Ianſeniani ag-
„ noſcunt? Extant, atque omnium manibus
„ teruntur Acta Regiâ auctoritate confecta,
„ quibus conſtat, eum, ſi quando Triden-
„ tini Concilij mentio incidiſſet, ſoli-
„ tum fuiſſe caput movere, & ab ijs qui-
„ buſcum agebat percontari, an à Tri-
„ dentini Concilij partibus ſtarent? Im-
„ mò addidiſſe perſæpè: Tridentinam Sy-
„ nodum fabricatam fuiſſe à Papa, & Scho-
„ laſticis Theologis, qui in ea doctrinam
„ Eccleſiæ multùm immutaſſent. Quæ cùm
„ alicui privatim, ac remotis arbitris di-
„ xerat, monebat continuò, id ne per eum
„ emanaret; aliàs negaturum ſe quippiam
„ eiuſmodi, vel incauto excidiſſe. Eadem
„ modo Ianſeniani clanculum ſpargunt, at-
„ que ijs in ſacram Synodum calumnijs
„ pertentare eos ſolent, quos ſuis illigare
„ opinionibus conantur. Notum eſt enim,
„ & ſapientiſsimi, atque doctiſsimi Præ-
„ ſulis teſtificatione notum; quid Pariſijs
„ famoſus partium illarum Concionator
„ apud ſacras Virgines non ita dixerit pri-
„ dem. Negavit vllam eſſe Tridentini Con-
„ cilij auctoritatem, quòd eius edicta non
„ ex Spiritus ſancti afflatu, ſed ex Docto-
„ rum ſententijs decreta eſſent, atque ſan-
„ cita. * Hactenus Dechamps.

47 Verùm cùm eiuſmodi audacia fuerit fortè paucorum ex Ianſenij partiarijs, vtpotè ſolùm digna iuratis Eccleſiæ hoſtibus; reliquum eſt, vt plerique alij ex ijs nolentes detrahere fidem Synodo Tridentinæ, nec agnoſcere in eadamnationem vllius ex quinque propoſitionibus Ianſenij, aut ex pluribus alijs Michaelis Baij, adhuc eas tueri perrexerint, quòd ſentiant, Pontificibus Romanis quidquam definientibus extra Concilium, etiam in materia fidei ac morum, non deberi exploratam omnino fidem: vtpotè expoſitis periculo erroris, & qui de facto erraverint in definitionibus contra Baium & Ianſenium. Quare vt hæc evaſio, iam antè perculſa anathemate ab eiſdem Pontificibus, omnino præcludatur, oportuit vt ipſorum auctoritatem infallibilem ex instituto aſſereremus. quod nos plenè in ſuperioribus præſtitiſſe, & inexpugnabilibus teſtimonijs argumentiſque ſatis confirmaſſe intelligent, quotquot nullo præiudicio occupati ſunt. Sed rem ipſam vrgentiùs adhuc proſequamur.

DISPVTATIO XXII.

QVIBVS TANDEM DECRETORIIS ARmis extorquenda ſit ab Adverſarijs auctoritas infallibilis Romani Pontificis in definiendo, eaque tanquam certa omnino ſecundùm Catholicam fidem.

HACTENVS Prout res exigebat, & mos eſt verſantibus ex inſtituto materiam aliquam iniuſto volumine, ſparſim, atque aliquanto latiùs aſſerere ſtuduimus Sedi Apoſtolicæ, ſeu Romano Pontifici ex cathedra definienti, auctoritatem infallibilem; & iudicium irreformabile in controverſijs fidei, ac morum, independenter à Concilio Generali, & à conſenſu Eccleſiæ accedente. Nunc oportet diſputationis vela contrahere, ac breviori methodo, aptiorique ad diſſerendum, proponere veluti quædam ſumma capita, aut præcipua argumenta, quibus eadem veritas oſtendi poſſet, nec qualitercumque ſed veluti certa ſecundùm Catholicam fidem, quidquid in oppoſitum effutiant Heterodoxi, & ſenſerint nonnulli ex orthodoxis à tempore Concilij Conſtantienſi, iam antea varijs locis ex profeſſo impugnati.

SECTIO PRIMA.

Romanorum Pontificum auctoritatem infallibilem in definitionibus ex cathedra prolatis, eſſe certam ſecundùm fidem; non modo iuxta pleroſque Theologos, aut ferè omnes; ſed etiam iuxta Doctores Eccleſiæ, Concilia, & Patres celebriores Gallicæ, Profeſſoreſque Clariſsimarum Academiarum Pariſienſis, & Lovanienſis.

1 ITA Cenſent omnes ferè Theologi denſo numero à nobis allegati ſuprà Diſp. VI. & VII. pro auctoritate infallibili Romani Pontificis pronuntiantis ex cathedra de fide & moribus: niſi quòd nonnulli ex iis, ac nominatim Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. fine, ne palam traducant illos Scriptores Catholicos & pios, qui à tempore Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis oppoſitum docuerunt, inurendo illos teterrimâ hæreſeos notâ, ſolùm volunt, prædictam auctoritatem infallibilem eſſe proximam fidei, & dogma theologicum; contrariam verò opinionem hæreſi proximam, & omnino erroneam. Nobis certè nec placet, nec licet notam ſive cenſuram ferre directè in opinionem vllam Catholicorum virorum nondum ab Eccleſia damnatam. Sic enim cavit SS. D. N. Innocentius XI. ſevero illo Diplomate edito anno M. DC. LXXIX. adverſus LXV. propoſitiones, in cuius fine dicitur: *Tandem vt ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alij quicumque in poſterum ſe abſtineant, & vt paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſsimus IN VIRTVTE S. OBEDIENTIÆ eis præcipit, vt tam in libris imprimendis, ac prædicationibus, &c. caveat ab omni cenſura, & nota, & a quibuſcumque convitijs contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde côtroverti untur, donec à S. Sede, re cognita, ſuper eiſdem propoſitionibus iudicium proferatur.* Hæc inibi habentur: quæ vtinam omnes exactè obſervemus, quin vllus antevertere audeat cenſuram Apoſtolicę Sedis.

3 At imprimis eo loci nemo prohibetur ſententiæ alicui receptę in tota ferè Eccleſia, veluti fide divinâ certæ (qualem eſſe noſtram luculenter oſtendemus) aſſerere & vindicare eandem certitudinem, abſtrahendo ab omni cenſura directè lata in opinionem contrariam. Hoc enim ad ſolam Sedem Apoſtolicam ſpectat. Deinde, nec videtur religioni ducendum quòd diris & exeerationibus devoveatur opinio, quam Concilia, Pontifices Romani, & Doctores Eccleſiæ; nec ſoli plerique ex Theologis, inuſſerunt iam antè notâ hęreſis, vel erroris in fide. Quippe in eo non prævenitur iudicium Eccleſię, vel Sedis Apoſtolicæ. An autem id impręſentiarum contingat, Lector æquus arbitrabitur ex traditis in toto hoc Opere. Oſtenſum quippe fuit, à tempore naſcentis Eccleſiæ vſque modò, definitionibus Pontificum Romanorum, etiam extra Concilium latis, ſtatim exhibitum fuiſſe ipſius quoque mentis obſequium ab omnibus Catholicis; omnes autem illos, qui pertinaciter oppoſitum docere perrexerunt, habitos fuiſſe hęreticos, aut ſaltem ſchiſmaticos. Verùm adhuc præterea noſtram ſententiam habitam ſemper fuiſſe certam ſecundùm fidem à Concilijs, Pontificibus, & Patribus Eccleſiæ, placet nunc oſtendere, quin à nobis ipſis vllam cenſuram proferamus, contentis referre & exſcribere, quæ in ipſorum teſtimonijs habentur; idque eo animo, vt Sedes Apoſtolica explicatiùs adhuc, ſi fieri poteſt, ea de re iudicium ferat.

4 S. Hieronymus de nomine Hypoſtaſis ad Damaſum Papam inquit Epiſt. 57. *Ego nullum primum, niſi Chriſtum, ſequēs, Beatitudini tuæ, ID EST, CATHEDRÆ D. PETRI, communione conſocior. Super illam fundatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, PROFANVS eſt. Siquis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Itaque iudicio Hieronymi profanus eſt, nimirum extra Eccleſiam, ſivè hæreticus, qui communionem non habet in doctrina cum cathedra S. Petri, ex qua definit R. Pontifex.

5 S. Cyprianus Epiſt. 45. ad Cornelium Papam pro eodem accipit ſequi cathedram S. Petri, ac *radicem & matricem Catholicæ Eccleſiæ*. Et lib. 4. Epiſt. 9. *Qui Cathedram Petri*, inquit, *ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat.* S. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma Petro primò CATHEDRAM EPISCOPALEM eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: IN QVA VNA CATHEDRA VNITAS AB OMNIBVS SERVARETVR, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent. VT IAM SCHISMATICVS ET PECCATOR ESSET, QVI CONTRA SINGVLAREM CATHEDRAM, ALTERAM COLLOCARET.* Quiſquis autem detrectat iudicium ſingularis Cathedræ

thedræ S. Petri, alteram planè collocat. Eſt ergo ſchiſmaticus, & peccator iuxta Optatum.

6 S. Ambroſius in Funebri Encomio fratris ſui Satyri cap. 17. pro eodem penitus habet, Catholicum quenquam eſſe, & cum Romana Eccleſia convenire. Vnde qui cum ea nō convenit, Acatholicus iuxta ipſum eſt. Deinde in litteris ad Imperatores Gratianum, Valentinianum II. & Theodoſium, obſervat, recedentem à Romana Eccleſia cæterarum capite, nullam cum Catholicis habere communionem. Quiſquis autem negat doctrinam definitam ex cathedra à Pontifice Romano, is certè recedit iam à Romana Eccleſia, reliquarum capite. Nullam ergo communionem habet, iudicio Ambroſij, cum Catholicis. Idipſum docet S. Auguſtinus ſcribens ad omnes Donatiſtas lib. 2. de Baptiſmo cap. 6. & 51. vbi docet, cathedræ S. Petri omnes fideles in Catholica vnitate connecti. Quare qui recedit à cathedra S. Petri, nequit cum fidelibus habere Catholicam vnitatem.

7 S. Cœleſtinus I. Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliarũ, referens quaſdã definitiones à nullo Concilio Oecumenico prolatas circa neceſsitatem gratiæ ad ſalutaria opera, concludit: *Satis ſufficere credimus quidquid ſecundùm prædictas regulas APOSTOLICÆ SEDIS nos ſcripta docuerunt: VT PRORSVS NON OPINEMVR CATHOLICVM, QVOD APPARVERIT PRÆFIXIS SENTENTIIS ESSE CONTRARIVM.* Cenſet itaque Acatholicos, quicumque tradiderint doctrinam contrariam definitionibus Apoſtolicæ Sedis. S. Leo Magnus Epiſt. 89. ait Chriſtum Dominum doctrinam ſalutarem humano generi in beatiſsimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaſſe; *Vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in omne corpus diffunderet: VT EXORTEM SE INTELLIGERET MYSTERII DIVINI, QVI AVSVS FVISSET A PETRI SOLIDITATE RECEDERE.* Quod ex verbis Chriſti ad Petrum ſtatim comprobat. Cenſet itaque S. Leo exortem divini myſterij, ac proinde alienum à fide Chriſti, quemlibet à Petri ſoliditate recedentem, nimirum à doctrina definita ex cathedra S. Petri.

8 Gregorius Papa IV. in Epiſt. ad vniverſos Epiſcopos, prout habetur in Decreto 12. diſt. cap. Præceptis 2. inquit: *Omnis ſanctæ Religionis relatio ad Sedem Apoſtolicam, quaſi ad caput Eccleſiarum, debeat referri, & inde normam ſumere, vbi ſumpſit originem, ne caput inſtitutionis videatur omittere. Cuius auctoritatis ſanctionē omnes teneãt Sacerdotes, QVI NOLVNT AB APOSTOLICÆ PETRÆ, SVPRA QVAM CHRISTVS VNIVERSALEM FVNDAVIT ECCLESIAM, SOCIETATE DIVELLI.* Quicumque ergo non acquieſcit definitionibus Romani Pontificis, divellitur ab Apoſtolica Petra, & fundamento Vniverſalis Eccleſiæ, ac proinde hæreticus eſt. Nicolaus II. Papa in Epiſt. ad Mediolanenſes, prout habetur 22. diſt. cap. *Omnes* 1. *Quiſquis Romanæ Eccleſiæ*, inquit, *Privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditũ* (nempe à Chriſto verbis illis, *Super hanc Petrã*, ac præterea, *Ego pro te rogavi*, &c.) *auferre conatur; HIC PROCVLDVBIO IN HÆRESIM LABITVR.* Rationemque ſtatim ſubdit: *Nam fidem violat, qui adverſus illam agit; quæ eſt mater fidei.*

9 S. Gregorius VII. Papa in Dictato Canone 26. ita decernit: *CATHOLICVS NON HABEATVR QVI NON CONCORDAT ROMANÆ ECCLESIÆ.* Quiſquis autem impugnat definitionem aliquam à Summo Pontifice ex cathedra prolatam, is planè non concordat Romanæ Eccleſiæ. Non ergo habendus eſt Catholicus. Vnde idem S. Gregorius eodem loco inquit: *Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, SCRIPTVRA TESTANTE, errabit.* Nimirum teſtante in ipſis pollicitationibus Chriſti Petro factis, & ſubinde eius Succeſſoribus, de non defectura eorum fide ad confirmandum fratres ſuos Quidquid autem contrarium eſt teſtimonio alicui Scripturæ, hæreticum eſt. Mitto teſtimonia omnium ferè Romanorum Pontificum à S. Petro vſque ad noſtra tempora, & in his Innocentij X. & Alexandri VII. hęreticos cenſentium & appellantium eos omnes, qui aliquid docere auſi ſunt contra definitiones Pontificias circa controverſias fidei, quãvis extra Concilium Oecumenicum ſeu Generale prolatas. Omnes itaque ij auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in definiendo exiſtimarunt certam ſecundùm fidem. Alioqui enim immeritò cenſerent hęreticos illam negantes, aut contradicentes ipſorum definitionibus. Solus enim hæreſeos notà dignus eſt qui negat pertinaciter aliquid fide divina omnino certum.

10 Veniamus ad loca Conciliorum, Imprimis Galliæ, & Patrum eiuſdem pręclaræ Nationis. Epiſcopi Galliarum in litteris ad S. Leonem I. Papam, cognomento Magnum, qui paulo antè in Epiſtola ad Flavianũ

crio-

errores Eutychetis damnaverat, quamvis extra omne Concilium, aiunt inter plura alia: *Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta, ITA VT SYMBOLVM FIDEI, quiſquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendavit.* Extat inter Epiſtolas S. Leonis num. 51. iuxta editionem Lugdunenſem anni 1623. quâ vtimur. In ea verò, doctrina à S. Leone Papa extra Concilium definita, aſſeritur ſecundùm fidem certa, inſtar ipſius Symboli; & oppoſita ſatis palam hæreſeos cenſurâ notatur.

11 Concilium Aurelianenſe in Gallia coactum anno 549. die 28. Octobris, Indictione 13. poſt mortem Regis Theodeberti, anno 38. Childeberti & Clotarij fratrum regnantium, Præſide Metropolitano Lugdunenſi, inquit: *Quas etiam Sectas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat: ſimiliter, & cum ſuis auctoribus & ſectatoribus execrantes, præſentis Conſtitutionis vigore anathematizamus, rectum atque Apoſtolicum in Chriſti nomine fidei ordinem prædicantes.* Quibus verbis doctrinam à Sede Apoſtolica definitam profitentur fide divina certam, & oppoſitam, veluti hæreticam, anathematizant, addentes, ſe in hoc rectum & Apoſtolicum in Chriſti nomine fidei ordinem ſervare.

12 In Concilio Trecenſi omnium Epiſcoporum Galliæ, Patres congregati ita loquuntur ad Ioannem Papam, qui paulo antè quoſdam ab Eccleſiæ corpore ſeparaverat: *Iudicium veſtræ auctoritatis (quod privilegio D. Petri, & Sedis Apoſtolicæ, &c. protuliſtis) voto, voce, & vnanimitate noſtra, atque auctoritate S. Spiritus (cuius gratia in Epiſcopali Ordine ſumus cõſecrati) gladio Spiritus ſancti, quod eſt verbum Dei, eos interimentes perſequimur: ſcilicet, quos, ſicut prædiximus, excõmunicaſtis, excommunicatos tenemus: quos ab Eccleſia abieciſtis, abijcimus, &c.* Sequuntur itaque per omnia cenſuram Sedis Apoſtolicæ, vt quos illa hæreticos declarat, & ab Eccleſia proijcit, ipſi pariter hęreticos & extra Eccleſiam pronuntient.

13 Carolus Magnus Francorum Imperator, Concilio habito cum Epiſcopis totius ſui Imperij, conſulens Adrianum Papam circa dogmata Felicis & Elipandi, ita illum alloquitur: *APOSTOLICÆ SEDI, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ, & Catholicis traditionibus, tota mentis intẽtione, tota cordis alacritate coniungor.* Tanta verò & tam ſtricta coniunctio mentis, & cordis ad Apoſtolicã Sedẽ nequit eſſe alia, quàm coniunctio per fidem. Fatetur itaque Magnus ille Imperator, prævio Concilio habito cum Epiſcopis omnibus Franco-Gallicis, quidquid definierit circa controverſias fidei Sedes Apoſtolica, eſſe certum ſecundùm fidem.

14 Concilium Pontigonenſe Epiſcoporum Galliæ celebratum anno Chriſti 876. Can. 1. ſtatuit: *Vt honor Domno & ſpirituali Patri noſtro Ioanni Summo Pontifici* (nimirũ, Octavo) *Vniverſali Papæ ab omnibus conſervetur: ET QVÆ SECVNDVM SACRVM SVVM MINISTERIVM APOSTOLICA AVCTORITATE DECREVERIT, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia ab omnibus conſerventur.* Si autem decreta, ſeu definitiones Sedis Apoſtolicæ extra Concilium prolatæ (quales fuerunt Ioannis VIII. Papæ) non eſſent fide divina certę; non deberent ab omnibus cum ſummâ veneratione ſuſcipi & cõſervari: vtpote quæ non haberent auctoritatẽ prorſus irrefragabilem, ſed adhuc fallibilem, aut errori obnoxiam.

15 Miſſo plura alia Concilia in Gallijs celebrata, tum vetera, tum recentiora, ſuprà allegata Diſp. IV. per totam, in quibus Patres congregati doctrinam à ſe definitam ſubijciunt correctioni Apoſtolicæ Sedis, eiuſque reſponſum expectant, veluti cœleſte oraculum, immo vocem ipſius Dei loquentis per Pontificem Romanum ex cathedra pronuntiantem de fide aut moribus. Verùm quoniam inter Concilia prędicta Gallię inſignẽ auctoritatem habet Concilium Senonenſe (aliàs Pariſienſe, quoniam Lutetiæ inchoatum fuit) celebratum anno 1528. Pręſide Cardinale Antonio à Prato, Archipręſule Senonenſi, & Galliarum Cancellario, placet hoc loco exſcribere vnum ex ſexdecim decretis fidei, quę edidit pręſertim contra hęreſes Lutheri, nondum eouſque damnatas in aliquo Concilio Oecumenico, aut Generali, ſed ſolùm à Leone X. Papa in Bulla ſuprà exſcripta Diſp. XVII. Aiunt itaque Patres Concilij Senonenſis in Decreto Generali Fidei, pręfixo cęteris particularibus, columna 2. *Vniverſos inſuper, qui aliter, quam Romana credit & prædicat Eccleſia, credere & pertinaciter aſſerere attentant, eiuſmodi Concilij auctoritate, VELVT HÆRETICOS, & pertinaces, & à communione fidelium ſeparatos iudicamus.* Vide qualiter graviſsimâ notâ hęreticos inuſti fuerint in eo Concilio quicumque pertinaciter credunt & prędicant aliter, quàm Ro-

Romana credit & prædicat Eccleſia. Hæc autem credit & prædicat non ſolùm quæ in Concilijs Generalibus ritè traduntur, ſed etiã quæcumque à Pontifice Romano ex cathedra pronuntiantur de fide & moribus. Itaque qui eius definitionibus ſic prolatis nõ acquieſcũt, ſed pertinaciter reſiſtunt, iudicio Concilij Senonenſis hæretici ſunt.

16 Denique omnes ij Epiſcopi Galliarum, numero octoginta quinque, qui anno 1653. ſcripſere ad Innocentium X. vt ferret cenſuram diſtinctè ac ſingillatim afficientem ſingulas theſes præcipuas Ianſenij, & ij qui poſtea eidem Pontifici gratulati ſunt ob Bullam in eas expeditam ipſo anno, vnanimiter crediderunt, definitiones editas à Sede Apoſtolica extra Concilium in controverſijs circa fidem excitatis, eſſe certas ſecundùm Catholicam fidem, & oppoſitum deinceps aſſerentes eſſe hæreticos. Id patet ex illorum Epiſtolis ſuprà Diſp. II. exſcriptis, & latè expenſis. Præterea idem teſtati ſunt poſtea anno 1661. in litteris ad Alexandrum VII. die 20. Februarij. Itaque iudicio illorum omnium infallibilitas definitionum editarum à Pontifice Romano, etiam extra Concilium, erat certa ſecundùm fidem, ac per conſequens hæretica opinio quæ illam negat.

17 Porrò Scholam Pariſienſem, & illuſtriores eius Doctores, ſicuti & Scriptores inſignes Galliarum, tum veteres, tum recentes, eandem infallibilitatem Romani Pontificis pronuntiantis de fide & moribus tradidiſſe, tanquam fide divina certam, patet ex ipſorum teſtimonijs allegatis ſuprà Diſp. VI. per totam. Nec certè aliter ſentire aut docere potuiſſent, præeuntibus in eo ſenſu tot Concilijs & Patribus eiuſdem præclaræ Nationis, qui in eodem gradu ſummæ certitudinis amplexi ſunt definitiones Pontificias, etiam extra Synodum Oecumenicam prolatas: vt patet ſpeciatim ex S. Avito Viennenſi Epiſt. 87. Ieſſe Ambianenſi in Epiſt. Encyclica ad ſuos, Hincmaro Remenſi in litteris ad Nicolaum I. Papam, Servato Lupo Epiſt. 103. ad Benedictum III. S. Ivone Carnotenſi Epiſt. 8. (vbi loquens de quodam iudicio prolato ab Vrbano II. Papa extra omnem Synodum, ex cathedra tamen Sedis Apoſtolicæ, inquit: *CVIVS IVDICIIS ET CONSTITVTIONIBVS OBVIARE, EST HÆRETICÆ PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE*) Goffrido Abbate Vindocinẽſi lib. 1. Epiſt. 7. & lib. 3. Epiſt. 11. ad Raynaudum Andegavenſem Epiſcopum; Guidone Viennenſi ſimul cum S. Godefrido Ambianẽſi & S. Hugone Gratianopolitano, cæteriſque Patribus congregatis in Viennenſi Synodo anno M. C.XII. 17. Kalendas Octobris, Indictione quinta; S. Bernardo Claræuallẽſi Epiſt. 190. ac ſæpe alibi: vt plures alios è Patribus Gallicanæ Eccleſiæ omittam in decurſu Operis laudatos. Itaque omnes ij ſententiam hactenus à nobis in hoc Tractatu aſſertam, cenſuerunt omnino certam ſecundùm Catholicam fidem, quæ proinde ſine hæreſi negari non poſſit.

18 De inſigni Lovanienſi Academia conſtat ſatis ex dictis ſuprà Diſput. XIX. ſect. 1. in eadem ſententia fuiſſe, veluti ſecundùm Catholicam fidem certa, cuius defenſionem ſub religione iuramenti profiteantur eius Doctores, & plerique eorum in litterarijs certaminibus præſtiterint vſque ad annum 1640. editis Theſibus ibidem exſcriptis. Itaque in aſſerenda certitudine fidei definitionibus Pontificijs ex cathedra prolatis, (& refutanda opinione id negante, tanquam hæretica; hoc enim ex illo plane ſequitur) tot Concilia, Pontifices Romani, Patres Eccleſiæ, præſertim Gallicanæ; Academiæ Catholicæ, atque imprimis Pariſienſis ac Lovanienſis, conveniunt, tot etiam Doctores in Gallia & Belgio (præter innumeros ex alijs Nationibus & Scholis) vt videatur de eo nullus eſſe dubitationi locus; nec nos in eadem doctrina aſſerenda vllo modo præveniamus iudicium Eccleſiæ, vel Sedis Apoſtolicæ; præſertim cùm ex nobis ipſis nullam directè inuramus notam contrariæ opinioni.

SECTIO SECVNDA.

Oſtenditur eadem doctrina expreſsè tradita in verbis Chriſti ad Petrum Lucæ 22. v. 32. iuxta communem interpretationem SS. Patrum, præſertim Romanæ Eccleſiæ Pontificum, quorum illuſtria teſtimonia proferuntur. Difficultates in oppoſitum expeditæ.

19 CVM Loci præcipui ad oſtendendum doctrinam aliquam eſſe fide divina certam, ſint tres; primus ex ſacra Scriptura intellecta ſecundùm explicationem communem SS. Patrum; ſecundus ex traditione Apoſtolica; tertius ex definitionibus Cõciliorum Generalium ritè coactorum (vt latè aſſeruimus cum omnibus Catholicis Tomo I. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. II.) oportet nunc per ſingulos eorum ordine ſuo palam facere, auctoritatem Romani Pontificis ad definiendum infallibili iudicio controverſias fidei, ratione propriæ dignitatis & muneris, ac proinde ſeorſim à Concilio Oecumenico, vel Generali, eſſe divina fide certam: prout aſſeru-

fuerunt tot Patres & Theologi ſectione ſuperiore laudati.

20 Primo itaque ſuadetur ex Scriptura, in qua Chriſtus D. dedit Petro, tanquã Capiti totius Eccleſiæ in finem mundi permanſurę, & ſubinde legitimis eius Succeſſoribus in eadem Dignitate Suprema, auctoritatem nulli errori obnoxiam ad confirmandum in fide fratres ſuos, id eſt omnes Eccleſiæ filios. Verba pręcipua habentur Lucæ 22. v. 32. vbi Dominus ait: *Simon, Simon: ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Quo loci obſervandum, cùm pręmiſsiſſet Chriſtus, *Satanas expetiuit vos*, numero plurali; poſtea non addidiſſe, *Rogavi pro vobis*; ſed dumtaxat, *Rogavi pro te*, numero ſingulari, *vt non deficiat fides tua*. Deinde, nec adiecisse pluraliter, *Et vos aliquando converſi*; ſed ſolùm, *Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*. Vt, nimirum, oſtenderet, eam orationem Chriſti non pro cæteris diſcipulis, vel Apoſtolis, ſed pro Petro ſolo factam fuiſſe, veluti qui totius Eccleſiæ Caput iam ab ipſo Domino delectus fuerat apud Cæſaream Philippi, Math. 16. v. 18. vbi dixerat ei: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cùm verò aliunde conſtet ex Apoſt. Hebræor. 5. v. 7. Chriſtũ fuiſſe pro ſua reverentia exauditũ à Patre in oratione ſua; certum omnino eſt, impetraſſe Apoſtolo Petro, ſubindeq; ipſius Succeſſoribus in eadem Dignitate Capitis Eccleſiæ, firmitatem prædictam in fide ad confirmandum in eâ fratres ſuos: ita vt quatenus Pontifex, ſive ex cathedra non poſſet docere, aut definire aliquid fidei vel bonis moribus contrarium. Quod ipſi Præſules Gallicani agnoverunt, & teſtati ſunt in litteris ad Innocentium X. datis 19. Iulij 1653.

21 Hæc eſt plana & litteralis expoſitio eius loci iuxta SS. Patres, quorum pleraque loca exſcripta ſunt iam à nobis in huius Operis decurſu. Nunc quædam ex iis, & nonnulla alia luculentiſsima proferemus. Ducat agmen S. Lucius Papa & Martyr, qui Pontificatum geſsit ab anno Chriſti 255. in Epiſtola Decretali ad Galliæ atque Hiſpaniæ Epiſcopos, qui de variis quæſtionibus ipſum conſuluerant. Reſpondet autem, inter plura alia, col. vltima: *Hæc ſancta & Apoſtolica, mater omnium Eccleſiarum, Chriſti Eccleſia, QVÆ PER DEI OMNIPOTENTIS GRATIAM A TRAMITE APOSTOLICÆ TRADITIONIS NVNQVAM ERRASSE PROBATVR; nec hæreticis novitatibus depravanda ſuccubuit: ſed, vt in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit ab authoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti principibus: ILLIBATA FINE TENVS MANET, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem; qui diſcipulorum ſuorum Principi in ſuis fatus eſt Evangeliis: PETRE, inquiens, ECCE SATANAS EXPETIVIT, VT CRIBRARET VOS, SICVT QVI CRIBRAT TRITICVM: EGO AVTEM PRO TE ROGAVI, VT NON DEFICIAT FIDES TVA, ET TV ALIQVANDO CONVERSVS, CONFIRMA FRATRES TVOS.* Et paucis interiectis, ſubdit de eodem Salvatore: *Fidem Beati Petri non defecturam promiſsit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit. Quod Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis Prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum. Quorum & puſillitas mea, licèt impar, & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio, pediſſequa cupit exiſtere.* Quid clarius?

22 S. Felix I. Papa & Martyr, qui anno Chriſti 270. Pontifex renuntiatus fuit, Epiſt. 3. quæ eſt ad Benignum Epiſcopum, inquit de Romana Eccleſia: *Vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata manet, iuxta illud: EGO ROGAVI PRO TE, &c.* Id ipſum adhuc luculentiùs invenies in Epiſtol. S. Marci Papæ & Confeſſoris ad S. Athanaſium, & vniverſos Ægypti Epiſcopos, ſcripta anno 336. quæ edita habetur inter Acta Concilij Nicæni I. & digniſsima lectu eſt.

23 S. Leo I. Papa, cognomento Magnus Serm. 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum ait: *Specialis cura Petri à Domino ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam altioris ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa nõ fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.* Non confert autem Petrus cæteris firmitatem in fide, niſi veram fidei doctrinam exponendo. Porrò idem privilegium docendi ex cathedra ſine periculo erroris tranſiiſſe à Petro ad reliquos ipſius Succeſſores, præmiſerat Serm. 1. de eadem aſſumptione ſua, verbis illis: *Vt in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum ſolicitudo, cum commendatarum ſibi ovium cuſto-*

cuſtodia perſeverat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit. Cùm ergo cohortationes noſtras auribus veſtræ ſanctitatis adhibemus, IPSVM VOBIS, CVIVS VICE FVNGIMVR, LOQVI CREDITE: quia & illius vos affectu monemus, & non aliud vobis, quàm quod docuit, prædicamus.

24 S. Gregorius Magnus lib. 3. Epiſt. 33. ita alloquitur Reginam Theodelindam: *Cùm itaque integritatem noſtram ex aperta mea traditione ſeu profeſsione cognoſcitis; dignum eſt, vt de Eccleſia B. Petri Apoſtolorum Principis nullum vlteriùs ſcrupulum dubietatis habeatis: ſed in vera fide perſiſtite, & vitam veſtram in Petra Eccleſiæ, hoc eſt, in confeſsione B. Petri Apoſtoli ſolidate.* Vbi pro eodem accipit traditionem ſeu profeſsionem editam à ſeipſo, tanquam Romano Pontifice, ac confeſſionem ſeu doctrinam Eccleſiæ B. Petri, quæ nullum ſcrupulum dubietatis permittit. Videamus autem vnde Eccleſia ipſa, & Petrus Apoſtolus tantam in docendo firmitatem & ſecuritatem habuerit, quam ad Succeſſores derivaret. Id ſanè colligit Gregorius ex relatis verbis Chriſti: *Ego pro te rogavi, &c.* Etenim lib. 4. Epiſt. 32. ad Imperatorem Mauritium ante medium ita loquitur: *Cunctis ergo Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica, ſancto, & omnium Apoſtolorum Principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? Paſce oves meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos, ſicut triticum: &, Ego pro te rogavi, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquãdo converſus, confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam: ſoluendi tribuitur cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, &c.* Vide aliud eius teſtimonium infrà ſect. 5. n. 38. fine.

25 S. Agatho Papa in Epiſtol. ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem (quæ graviſsimæ, immò & ſummæ auctoritatis eſt, vtpotè lecta in VI. Synodo Generali Actione IV. & poſtea ab omnibus Patribus probata Actione VIII.) *Hæc eſt*, inquit, *VERÆ FIDEI REGVLA, quam & in proſperis, & in aduerſis, vivaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nũquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus vnquam depravata ſuccubuit, quia dictum eſt Petro, Simon, Simon, ecce Satanas, &c. Ego autem rogavi pro te, &c. Hìc Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe, ſemper cunctis eſt agnitum.*

26 Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaelem: *Privilegia*, inquit, *iſtius Sedis perpetua ſunt, divinitus radicata, atque plantata: impingi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt, evelli non poſſunt. Quæ ante Imperium veſtrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque poſt vos, & quouſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt.* Atque inferiùs vt oſtẽderet quàm firmam ſpem haberet nõ amittendi Privilegia, dixit: *Nam & inter cætera is, per quem nobis præcipuè iſta ſunt privilegia collata, Tu aliquando converſus, audiuit à Domino, confirma fratres tuos.*

27 S. Leo IX. in Epiſt. ad Petrum Antiochenum: *Nimirum*, inquit, *ſolus eſt pro quo ne deficeret fides eius Dominus & Saluator aſſeruit ſe rogaſſe, dicens, Rogavi pro te, &c. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius.* nimirum in cathedrâ Sedis Apoſtolicæ, quoties Succeſſores Petri aliquid circa fidem definiunt.

28 Innocentius III. in Epiſtol. ad Epiſcopum Arelatenſem, inquit: *Maiores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides eius.* Quæ verba habentur cap. *Maiores* Extra. de Baptiſmo & eius effectu. In idem Privilegium & teſtimonium reſpexiſſe videtur S. Gregorius VII. Papa in Dictato dum dixit: *Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, SCRIPTVRA TESTANTE, errabit.*

29 Omnes ij Pontifices Romanæ Eccleſiæ, ſanctitate & doctrina clariſsimi, id teſtimonium Chriſti ad litteram accipiunt de Privilegio conceſſo B. Petro, tanquam ipſius Vicario, & reliquis eius Succeſſoribus in Sede Apoſtolica, vt confirment cæteros fratres in fide, per traditionem ſanæ & orthodoxæ doctrinæ ex cathedra, abſque vllo erroris periculo. Quis verò tam audax ſit aut impudens, vt dicat tot Sanctorum atque illuſtrium Pontificum Romanæ Eccleſiæ interpretationem perpetuam, non fuiſſe legitimam, aut germano ſenſui eorum verborum cohærentem?

Sed

30 Sed & præterea multi alij ex Patribus eodem ſenſu verba illa Chriſti interpretantur: vt S. Petrus Chryſologus in Epiſt. ad Eutychetem, quæ habetur ante Conciliũ Generale Chalcedonenſe, dum ſpectans in eundem locũ inquit: *Hortamur te, frater honorabilis, vt ijs quæ à Beatiſsimo Papa Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quia B. Petrus, QVI IN PROPRIA SEDE VIVIT, præſtat quærentibus veritatem.* Theophylactus in cap. 22. Lucæ idem Privilegium infallibilitatis in docendo agnoſcit datum ijs verbis Petro, & ſubinde illius Succeſſoribus in eodem Eccleſiæ Principatu. Etenim ad illa verba, *Tu aliquando converſus*, ait: τὸ μὲν πρόχειρον νοῆσαι, τῦτ' ἐστιν, &c. *Planus huius intellectus, id eſt: Quia te habeo vt Principem Diſcipulorum, poſtquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros.* τῦτο γὰρ προσήκει σοι ὡς μετ' ἐμὲ ὄντι τῆς ἐκκλησίας πέτρᾳ καὶ στηρίγματι. *Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ Petra es, ac fundamentum.*

31 Illuſtre verò imprimis teſtimonium eſt illud S. Bernardi Epiſt. 190. ad Innocentium II. Papam aientis: * Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei; ea præſertim quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſsimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſsit Fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te Rogavi, Petre, vt non deficiat Fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſoribus exigitur: Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſsime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. *IN EO PLANE PETRI IMPLETIS, CVIVS TENETIS ET SEDEM, SI VESTRA ADMONITIONE CORDA IN FIDE FLVCTVANTIA CONFIRMATIS, SI VESTRA AVCTORITATE CONTERITIS FIDEI CORRVPTOREM.* * Quid illuſtrius? Non tradit modò, ſed cũprobat Bernardus ex ipſis verbis Chriſti ad Petrum, & ſubinde ad illius Succeſſores, magiſterium erga omnes Chriſtianos in rebus fidei, & tale magiſterium, *in quo non poſsit fides ſentire defectum.* qualem certè ſentire poſſet, ſi poſsibile eſſet, vt Romanus Pontifex ea cathedra traderet aliquid à fide devium.

32 Vnde refelluntur imprimis, quot quot ex Adverſarijs locum prædictum Lucæ intellexerunt eo tantũ ſenſu, vt Chriſtus ſolùm oraverit pro Eccleſia Vniverſali, ſive pro Petro quatenus gerebat figuram illius; & hoc impetrarit, vt nunquam deficiat fides in Eccleſia Catholica. Refelluntur, inquam, ex dictis num. 20. nam Chriſtus vnam ſingularemque perſonam alloquebatur verbis illis: *Simon, Simon, &c.* addito ſæpiùs pronomine ſecundæ perſonæ *pro te*, &, *fides tua*, ac tandem, *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Deinde, vt ibidem monuimus, cùm Dominus initio loquutus fuiſſet in plurali, *Satan expetiuit vt cribraret vos*, quibus verbis videri fortè poſſet alloquens totã Eccleſiam; ſtatim mutavit formam loquendi convertens ſe ad ſolum Petrum: *Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua:* Non dixit *pro vobis*, ſed, *pro te.* Non ergo iam cum tota Eccleſia loquebatur, ſed cum ſolo Capite illius. Præterea hiſce verbis ſolùm ſe rogaſſe ait pro illo, qui *aliquando converſus* dicitur ad confirmandum fratres ſuos: At hoc nequit toti Eccleſiæ convenire; vtpote quæ nunquam tota erravit, nec pervertenda eſt, vt proinde poſtea convertatur; nec præterea habet *fratres*, ſed filios.

33 Vlteriùs refelluntur quicumque, ſive ex Pariſienſibus, ſive ex Lovanienſibus, aiunt, Dominum eo loci oraſſe quidem pro Petro; non tamen vt in ſe aut etiam in Succeſſoribus ſuis haberet auctoritatem infallibilem pronuntiandi ex fide; ſed vt perſeveraret ſolus ille in gratia vſque ad finem. Hoc enim falſum eſt: quoniam paulo pòſt legitur Ioannis 17. Chriſtum oraſſe pro perſeverantia omnium Apoſtolorum, immo etiam electorum omnium, verbis illis: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* In loco autem illo Lucæ 22. nulla fit mentio orationis pro alijs, ſed pro Petro ſpeciatim, nominatimque; nec in ordine ad perſeverantiam in gratia, quam poſtea in conſortio aliorum electorum poſtulavit, ſed in fide: *vt non deficiat fides tua*: nec in ordine ad quamcumque fidem, ſed eam per quam confirmaret fratres ſuos in credendo. Deinde, nec oravit Chriſtus ne deficeret charitas Petri, cùm verè illam amiſſerit per trinam negationem Chriſti; ſed ne deficeret fides, quam nunquã amiſsiſſe legitur. Præterea, cùm oſtenſum fuerit id Privilegium impetratum Petro, fuiſſe legitimis eius Succeſſoribus in Sede Apoſtolica communicatum, quibus tamen non eſt annexum perſeverantiæ dunum; conſequens eſt vt verba illa ineptè accipiantur de dono perſeverantiæ. Quapropter accipienda ſunt de fide Petri nunquam in ipſo defectura ad

con-

confirmandum fratres ſuos, nec in ipſius Succeſſoribus: vt quoties aliquid è cathedra Sedis Apoſtolicæ pronunciare vnquā contingerit aut contingat vſque in finem mundi; nunquam errorem aliquem doceant, neque quidquam tradant fidei contrarium. Hoc enim ſenſu tot illi ſanctiſsimi Eccleſiæ Præſules & Doctores vno ſpiritu ſibi concinentes ea Chriſti verba interpretati ſunt, quin vllus ex SS. Patribus in oppoſitum illa exponat. Quare quiſquis eam explanationem reijcit, videtur incurrere excommunicationem latam in Tridentino Seſs. IV. adverſus eos, qui loca Scripturæ interpretantur contra vnanimem ſenſum SS. Patrum. Verba ſunt: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eũ ſenſum quem tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & in erpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrũ, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent.*

34 Contra expoſitionem præiactam duo opponi ſolent, aut poſſunt. Primò occurritur, quia quo tempore Chriſtus promiſsit Petro, non defecturam illius fidem, nondum erat Eccleſia Romana, nec vlla eius mentio tunc facta eſt. Non ergo inde colligi poteſt, Chriſtum promiſiſſe Petro, vt Pontifici Romanæ Eccleſiæ, multò autem minùs eius Succeſſoribus, auctoritatem infallibilem ad docendum illam. Vlteriùs. Si priora verba *Ego rogavi pro te*, non ſolùm dicuntur Petro, ſed etiam ipſius Succeſſoribus; pariter poſteriora verba, *Et tu aliquando converſus*, iis dicta erunt. Quare oportebit, vt omnes Petri Succeſſores, inſtar ipſius, aliquando Chriſtũ negaverint, & poſtea converſi fuerint. Hoc autem patet eſſe falſum abſurdumque. Non ergo verba illius teſtimonij extenduntur ad Romanos quoſlibet Pontifices; ſed ad ſolum Petrum.

35 Sed enim neutra obiectio vrget. Non prior: quia licèt eo tempore nondum eſſet Eccleſia Romana in re fundata, erat tamen definita & conſtituta in mente & propoſito Chriſti, ſicuti & Petrus Pontifex ipſi adſcriptus. Quare locus eſt vt Privilegium tunc Petro conceſſum accipiatur non ſolùm de ipſo, ſed aliis quoque Succeſſoribus eius in Pontificatu Eccleſiæ Romanæ. Non etiam poſterior: quoniam imprimis verbum illud *converſus* non ſignificat fortaſsis eo loco reſipiſcentiam Petri, aut pœnitentiam (nondum enim Dominus prædixerat Petro lapſum, aut peccatum futurum, ſed aliquantò poſt; nec congruus videretur ordo, vt priùs prædicaret converſionem, quàm averſionem; aut reſurrectionem, quàm lapſum in peccatum) ſed converſionem ad ſuccurrendum tentationibus aliorum nutantium & vacillantium in fide, quos Petrus erat in ea confirmaturus. Sic nimirum vox converſus ſæpe accipitur in Evangelio, & præſertim eod. cap. v. 61. vbi dicitur: *Converſus Dominus, reſpexit Petrum.* Converſus nimirum erga ipſum affectu miſerationis, vt ad pœnitentiam & reſipiſcentiam traheret. Hoc autem ſenſu verbum illud etiam convenit omnibus Pontificibus Romanis: quoniam omnium eſt confirmare in fide quoslibet fratres in ea nutantes, idque propriè ad ipſorum munus ſpectat: quod ſpeciatim expreſsit S. Bernardus verbis n. 31. exſcriptis.

36 Quia tamen frequentior & germanior explanatio verbi *Converſus*, quod Græcè eſt ἐπιστρέψας, eo loco illud accipit de pœnitentia, ſeu reſurrectione à lapſu; Reſpondeo, non propterea id debere intelligi de Succeſſoribus Petri, vt aliquando omnes caſuri ſint, & convertantur ad pœnitentiam. Hoc enim de ſola Petri perſona intelligitur: quia converti à peccato commiſſo, eſt donum ſoli peculiari perſonæ conceſſum, non autem communc alicui hominum ſtatui, aut dignitati. Cæterum particula poſterior, *Confirma fratres tuos*, nimirum, in fide, vt paulò antè præmiſſum fuerat, dicta fuit Petro, non vt perſonæ particulari, ſed tanquam Capiti & Principi totius Eccleſiæ; proindeque etiam ipſius legitimis Succeſſoribus in eadem Dignitate & Principatu. Quod adhuc vberius confirmabitur ex aliis Scripturæ locis ſectione ventura.

SECTIO TERTIA.

Idipſum oſtenditur ex verbis Chriſti ad Petrum Mathæi 16. verſ. 18. & 19. adiuncto vnanimi conſenſu Patrum, quorum quædam teſtimonia exſcribuntur, quædam indicantur iam in ſuperioribus exſcripta. Euaſio quædam Adverſariorum multipliciter refutata.

37 SECVNDVS Scripturæ locus pariter decretorius habetur verbis illis Chriſti ad Petrum Mathæi 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccle-*

Eccleſiam meam & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Vbi planè ad litteram, ex communi Patrum conſenſu, Petrus Apoſtolus dicitur à Chriſto Petra & fundamentum Eccleſiæ, quatenus ſupremus Rector illius,& Vicarius Chriſti. Cumque Romanus quilibet Pontifex ritè electus ſuccedat ipſi in eadem Dignitate; conſequens eſt, vt & ipſe quoque ſit Petra ac fundamentum Eccleſiæ. Porrò tam Petrus, quàm quilibet eius Succeſſor, dicitur Petra, ratione conſtantiæ & firmitatis: iuxta quam permanebit ſuo loco, nec circumferetur omni vento doctrinę; ſed ſolidam vbique & conſtanter tradet circa fidem & mores quoties loquatur ex cathedra, quatenus Summus Pontifex eſt. Dicitur pręterea fundamentum Eccleſiæ, quaſi domûs nunquam ruituræ, ſive adverſus quam portæ inferi nunquam prævalituræ ſint. Quo ipſo palam denotatur, fundamentum ipſum,id eſt, Petrum,& quemlibet illius Succeſſorem, ſaltem quatenus talem, firmum ſemper futurum in recta fide ex cathedra tradenda: vt propterea domus ſive Eccleſia ſemper in eâdem fide permaneat. Domus enim ſuam firmitatem habet à fundamento, non è contrà: ac proinde vt Eccleſiæ firmitas in fide perpetua ſit, neque vnquam vacillet, conſtantia Romani Pontificis in definiendo ſeu tradendo ex cathedra fidem, perpetua eſſe debet.

38 Hoc ſenſu,planè obvio & litterali, Patres Eccleſiæ ea verba exponunt: quorum quædam teſtimonia exſcribam,alia verò ſolùm indicabo, vitandæ prolixitatis gratiâ. Audiendus imprimis eſt Origenes in prędictum locum dicens: *Manifeſtum eſt, etſi non exprimatur, quòd nec adverſus Petrum, nec adverſus Eccleſiam, portæ prævalere poterunt inferorum. nam ſi prævalerent adverſus Petram, in qua Eccleſia fundata erat; contra Eccleſiam etiam prævalerent.* S. Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum Papam de nomine hypoſtaſis, & conſulens illû, cùm pręmiſsiſſet verba illa, *Super hanc Petram*, ſubdit: *Obſecro vt mihi litteris tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum trium hypoſtaſeon detur auctoritas: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis.* Vbi planè agnoſcit in Damaſo Papa auctoritatem infallibilem definiendi, veluti traditam ijs Evangelij verbis. S. Cyrillus apud D.Thomam in Catena huius loci: *Secundùm hanc promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & hæretica circumventione manet immaculata, &c.* Secus verò accideret ſi Pontifex Romanus ex cathedra poſſet definire,aut aliquando definijſſet aliquid fidei contrarium,vt Adverſarij contendunt. Theodoretus in Epiſtol. ad Renatum Presbyterum Romanum, ait: *Tenet ſancta iſta Sedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permanſit ſemper.* S. Auguſtinus in Pſalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Sede Petri. In ordine illo Patrum quis cui ſucceſſerit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Nec verò Auguſtinus tam ſecurè ex ijs verbis victoriam aſsiduam Eccleſiæ contra hęreſes colligeret, niſi certus eſſet, Pontifices Romanos euſque nunquam definijſſe aliquid fidei contrarium. Nimirum agnoſcebat in ijs privilegium ſoli Petro datum, quatenus Capiti & Rectori totius Eccleſiæ: ideóque Serm. 28. de Sanctis dixerat: *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum.* S. Gelaſius I. Papa in Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem: *Hoc eſt quod Apoſtolica Sedes magnopere cavet: vt quoniam mundi radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſsio, nulla rima pravitatis, nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi (quod Deus avertat, & quod fieri non poſſe confidimus) tale aliquid proveniret, vnde cuiquam reſiſtere auderemus errori?* Quo argumento planè evincit ex verbis illis Chriſti, Sedem Apoſtolicam in fide errare non poſſe: ſic enim totus Orbis Chriſtianus, ſeu tota Eccleſia erraret, contra promiſsionem Chriſti. S. Gregorius lib. 4. Epiſt. 32. ad Mauritium Imperatorem; qui tuebatur Ioannem cognomento Ieiunatorem, Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſuperbè ſibi adſcribentem titulum Epiſcopi Vniverſalis, proindeque & Capitis totius Eccleſiæ; inde Ioannis ipſius audaciam refellit; quòd multi ex Patriarchis Conſtantinop. fuerint Hæreſiarchæ, vt Macedonius & Neſtorius. Ad providentiam verò Dei, & ſoliditatem Eccleſiæ ſupra Petram, ſpectat, vt nunquam Epiſcopus Vniverſalis,ſive Caput totius Eccleſiæ, ſit Hæreſiarcha, ſeu errores contra fidem tradat: alioqui enim tota Eccleſia erraret, contra promiſsionem Chriſti. Non ergo Patriarcha Conſtantinop. eſt Epiſcopus Vniverſalis, vel Caput totius Eccleſiæ. Deinde lib. 6. Epiſt. 37. ad Eulogium ait: *Quis neſciat, ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam? cui dictum eſt: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et rurſum: Et tu aliquando converſus,*

con-

confirma fratres tuos. Itaque inde probat Gregorius, iuxta promiſsionẽ Chriſti, Eccleſiam errare nõ poſſe, quia fundatur ſupra ſoliditatem Petri, nulli prorſus errori obnoxiam.

39 His teſtimonijs Patrum, adiungo plura alia, in quibus idem traditur; contentus indicare ſolùm, quoniam in ſuperioribus ea exſcripſimus, locis nunc in parentheſi indicandis. Nimirum, eodem ſenſu verba illa Chriſti interpretantur S. Anacletus Papa & Martyr Epiſtola prima (*ſuprà Diſp. VIII. n.13.*) S. Evariſtus P. & Mart. in Epiſt. ad omnes Africæ Epiſcopos (*ibid. n. 14.*) S. Zephyrinus P. & Mart. Epiſt. 1. (*ibid. n. 19.*) S. Lucius P. & Mart. in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ (*Diſp. V. n. 5*) S. Leo Papa Epiſt. 89. (*Diſp. V. n. 18.*) quod ipſum prçterea tradit Serm. 11. de Paſs. Dñi, & Serm. 2. ac 3. in Natali Apoſtolorũ Petri & Pauli. S. Damaſus in Epiſt. ad Archiep. Stephanum & ad tria Concilia Africæ (*Diſp. VIII. n. 44.*) S. Agatho Pap. in Epiſt. ad Imperatorem Conſtantinum Pogonatum, quæ lecta fuit in Sexta Synodo Generali Act. IV. & probata Act. VIII. (*Diſp. IX. n. 12.*) S. Adhelmus Epiſt. ad Geruntbium (*ibid. n. 15.*) S. Damaſcenus Oratione de Transfixione Domini (*ibid. n. 23.*) Abbo Floriacenſis in Epiſt. ad Gregorium Papam (*Diſp. III. n* 12. Conſtantinus Pogonatus Imperator Epiſt. ad S. Leonẽ II. Papam (*Diſp. IX. n. 40.*) Pius II. Papa in Bulla Retractionis (*Diſp. XVI. n. 14. & 15.*) vt interim omittam plurimos alios, & in his S. Maximum Homil. 4. de S. Petro; & Div. Thom. Opuſculo V. prope finem, quorum verba apud vtrumque facilè videri poſſunt.

40 Itaque penè nullus locus litteralior aut expreſsior iuxta vnanimẽ ſenſum SS. Patrum inveniri poteſt ad ſuadendum quodlibet dogma, veluti fide divina certum, quàm præcedens ad ſtabiliendam firmitatem, ſeu auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ, tum in D. Petro, tum in eius Succeſſoribus, quoties aliquid tradunt circa controverſias fidei & morũ. Si enim in eo errare poſſent, nullatenus haberent firmitatem illam Petræ, ſupra quam fundata & ſtabilita eſt Eccleſia; & portæ inferi, id eſt, errorum & hæreſeon contra illam prçvalerent. Quæ omnia ſunt contraria verbis illis & pollicitationibus Chriſti.

41 Verùm prçterea nec myſterio vacant verba, quæ immediatè ſubiunxit Chriſtus Dominus eodem loco Mathæi 16. veſ. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorũ. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatũ & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Vbi, vt obſervat doctiſsimus Melchior Canus lib. 6. c. 3. prop. 2. ex Origene Hom. 6. in Math. Petro peculiari ratione & Privilegio datæ ſunt claves; non vnius cœli, ſed cœlorũ. Cùm ergo claves illæ cœlos aperiant; conſequens eſt, vt tollant impedimenta omnia ingrediendi regnũ cœlorum. Porrò ex parte intellectûs ingreſſus in cœlum impeditur per ignorantiam fidei, ſicuti ex parte voluntatis per pravã affectionẽ. Data igitur fuit Petro poteſtas, non minùs ad tollendã ignorantiã fidei ex parte intellectûs, quàm auferenda peccata commiſſa per pravã affectionẽ voluntatis. Quare quçcumq; ille ſolviſſet ligaſſetque, ſive ad intellectum, ſive ad voluntatẽ ſpectarent, ea ſoluta aut ligata & in cœlis fuiſſe credendum eſt. Poterat itaque Petrus quaslibet difficiles controverſias circa fidem ſolvere, poterat & ligare iudicio ſuo: vt id, ſive affirmãdo, ſive negãdo, tenerent Chriſtiani omnes, quod ipſe definiret. Chriſtiani autem omnes falſo de fide iudicio ligari nequeunt. alioqui tota Eccleſia erraret. Poterant ergo ligari à Petro, proindeque & à quolibet legitimo Succeſſore ipſius in eadem cathedra, vero iudicio circa fidem.

42 Sed ne hæc ratiocinatio Canĩ ſubtilior, quàm verior aut certior appareat, placet obſervare, verba ipſa *Quæcumque ligaveris &c* in eodem ſenſu accipi à graviſſimis Patribus, quorum teſtimonia videre eſt locis inter parentheſes indicandis, in quibus antea ea exſcripſimus. Ij autẽ ſunt S. Zephyrinus Papa & Martyr Epiſt. 1. (*Diſp. VIII. n. 19.*) S. Alexander Papa & Mart. Epiſt. 1. col. 2. (infrà num. 76.) S. Melchiades Papa & Martyr Epiſt. vnica ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos (*ibidem num. 29.*) S. Leo Papa Epiſt. 89. (*ibidem num. 63.*) & præterea Serm. 3. in Aniverſario aſſumptionis ſuæ, vbi coniungens hæc verba, *Quodcumque ligaveris*, cum ijs, *Tu es Petrus*, ita loquitur: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum: & Eccleſiæ meæ cœlo inſerenda ſublimitas, in huius fidei firmitate conſurget. Hanc confeſsionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim iſta, vox vitæ eſt. Et ſicut confeſſores ſuos in cœleſtia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicit beatiſsimo Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Addendus ijs Patribus Hincmarus Archiepiſcop. Rhemenſis in Præfation. ad Nicolaum I. Papam, & S. Cyrillus, quem allegat & ſequitur S. Thomas lib. 1.

X con-

contra errores Græcorum cap. 32. vt alios omittam. Itaque ex omnibus ijs verbis Chriſti ad Petrum extantibus apud Mathæum cap. 16. v. 18. & 19. adiuncta communi expoſitione tot Patrum tota hac ſectione laudatorum eruitur planè auctoritas Infallibilis Sedis Apoſtolicæ, ſive Pontificis Romani, quoties ex cathedra pronuntiat de fide aut moribus tanquam ſufficienter expreſſa in ipſa promiſſione & verbis Chriſti ad Petrum, atque adeò veluti certa ſecundùm Catholicam fidem.

43 Nec verò audiendi ſunt, ſiqui fortè aiunt, id privilegium infallibilitatis ſoli Petro fuiſſe conceſſum, non verò eius Succeſſoribus. *Imprimis* enim Patres vtrâque ſectione allegati palam docent, conceſſum fuiſſe Petro vt Capiti Eccleſiæ, & Vicario Chriſti, itemque Succeſſoribus illius in eadem dignitate. *Deinde*, ijs verbis Chriſtus tribuit id privilegiom Petro in ordine ad bonum totius Eccleſiæ perpetuum, contra quam aſſerit non prævalituras portas inferi, id eſt, hæreſes, & errores, vt omnes Patres exponunt: vtpotè permanſurā in vera & orthodoxa fide. Ad eum verò finem neceſſarium planè eſt, vt Petri Succeſſores in ſupremo regimine eiuſdem Eccleſiæ potiantur eodem privilegio. Alioqui enim, & definientibus ijs è cathedra aliquid contra fidem aut mores; præſertim vbi Concilium Generale aut congregari non poterat (vt tribus primis ſæculis Æræ Chriſtianæ) aut ſolùm difficillimè, & cum ingenti iactura ſingularum Eccleſiarum (vti ſemper accidit) congregari poteſt; iam portæ inferi prævalerent adverſus Eccleſiam. Nimirum, hæc interim pateretur inſignem errorem circa fidem aut mores, & hunc illatum ab ipſo Capite ſuo ac Petri Succeſſore.

44 *Præterea.* Cura Chriſti & ſpecialis providentia erga Eccleſiam ſuam, ijs verbis promiſſa, non erat temporaria, ſed perpetua vſque ad finem mundi. Quod ipſe prærerea alio loco expreſsit Mathæi 28. verſ. vltimo: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Ergo privilegium illud conceſſum Petro in ordine ad regendam Eccleſiam, dirigendamque, & ab erroribus liberandam, non ipſi ſoli datum fuit, qui paucis pòſt annis moriturus erat; ſed etiam ipſius Succeſſoribus duraturis vſque ad finem mundi. Itaque quod Chriſtus initio conſtituens paſtorale munus tribuit Petro, tanquam primo Paſtori, id etiam iure ordinario cenſetur contuliſſe omnibus eius Succeſſoribus in eodem munere. De quo legendus præ alijs Caietatanus in Opuſculo de Primat. Eccleſ. cap. 12. id vberrimè confirmans. *Vlteriùs*, cùm iuxta ſacras litteras Regnum Chriſti futurum eſſet æternum, & ſempiternum Sacerdotium, oportuit vt Eccleſiæ Principatus non eſſet reſtrictus ad certum tempus vitæ S. Petri, ſed perduraret in Succeſſoribus eius cum eàdem plenitudine, tam ad confirmandum fratres in fide per definitionem infallibilem Catholicæ doctrinæ, quàm ad ligandum & ſolvendum, cæteraque præſtanda; ſine quibus Regnum ipſum & Sacerdotium in Eccleſia militante nequit perſiſtere, nec illa conſervari libera à portis inferi. Mitto plurima alia, quibus æquè oſtenditur, privilegium illud S. Petro conceſſum, vt Principi totius Eccleſiæ, pariter ad poſteros, ſive Succeſſores ipſius tranſiſſe, cum omnimoda plenitudine. quod totidem verbis teſtantur Patres Eccleſiæ, allegati ſæpe in decurſu huius Operis.

SECTIO QVARTA.

Demonſtratur eadem veritas ex verbis Chriſti Ioannis 22. ad Petrum, PASCE OVES MEAS, iuxta ſenſum communem Patrum acceptis. Multiplex occurſus Adverſariorum, ſiue Pariſienſium, ſiue Lovanienſium, diverſimodè præoccupatus.

45 TERTIVS Scripturæ locus habetur Ioannis 22. vbi Chriſtus Dominus inſtituturus Petrum in Principem, Rectorem, & Magiſtrum totius Eccleſiæ ſuæ vſque in finem mundi permanſuræ, ſemel & iterum ac tertiò interrogans, an ipſum diligeret, nec qualicumque dilectione, ſed præ cæteris diſcipulis, tandem illi dixit: *PASCE OVES MEAS.* Vbi ſoli Petro totius Orbis Chriſtiani, ſive Eccleſiæ Catholicæ cura demandatur, vt eam paſcat & regat doctrina ſalutari. Quod in littera ipſa planum eſt, & obſervant ibi Eccleſiæ Patres, quorum aliquot ſolùm teſtimonia profero. Chryſoſtomus in eum locum. *Alijs omiſsis*, inquit, *Petrum duntaxat affatus: fratrum ei curam committit.* Et infrà: *Nam cùm magna Dominus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet.* &c. S. Leo Papa Serm. 3. de Anniverſario aſſumptionis ſuæ ante medium: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniverſarum Gentiū vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: vt quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multiq; Paſtores, OMNES TAMEN REGAT*

PE-

PETRVS, QVOS PRINCIPALITER REGIT ET CHRISTVS. Magnum & mirabile, dilectiſsimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio: & ſiquid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negavit. S. Epiphanius in Ancorato pariter de ſolo Petro id intelligit, dicens: *Hic eſt qui audivit, PASCE OVES MEAS, cui concreditum eſt ovile.* Chriſti autē ovile vnum eſt, vt ex Evangelio conſtat, in totam & ſolā Eccleſiam Catholicam ſe porrigens. Theophilactus in eadem verba: *Finito prandio præfecturam ovium totius mundi Petro commēdavit: non autē alijs, ſed huic tradidit.* Et in cap. 22. Lucæ: *Tu, Petre, conversus, bonum exemplū pœnitentiæ omnibus eris, qui cùm Apoſtolus fueris, & negaveris, iterū receperis primatū omnium, & præfecturā Orbis.* Denique, omiſsis alijs, audiendus Bernard. lib. 2. de Conſiderat. ad Eugenium III. Papam inquiens: *Cui, non dico Epiſcoporū, ſed etiā Apoſtolorū, ſic abſolutè & indiſcretè commiſſæ ſunt oves? Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certè regni? Oues meas, inquit* Nimirū, omnes prorſus oves ſuas Chriſtus ſoli Petro, vt Vicario ſuo, quò illas paſceret ſalutari doctrina circa fidem & mores.

46 Hinc autem ineluctabile argumētum conficitur. Dùm S. Petrus, & quilibet eius Succeſſor in eādē cathedra Sedis Apoſtolicæ, conſtituitur à Chriſto Paſtor, Magiſter, & Doctor, qui ſalutari doctrinā paſcat totum ovile, ſeu totam Eccleſiam; huic etiam conſequenter præcipitur, vt vocem eius audiat, & doctrinā amplectatur. Nō ergo ille ex cathedra loquens circa fidē & mores errare poteſt. Alioqui tota Eccleſia erraret, immò & errare præciperetur. Quod planè repugnat promiſsionibus Chriſti, eiuſque providentiæ ſpeciali in totam Eccleſiā, immo & veracitati ſummæ, qua nec per ſe ipſum, nec per Vicarium ſuum in terra, poteſt docere aliquid falſum, aut errori alicui fidem conciliare.

47 Dices I. Chriſtum committentem Petro, eiuſque Succeſſoribus curam paſcendi omnes oves ſuas, conſequenter his præcipere, vt audiant illius vocem quoties tradiderit ſanam doctrinam; non autem vbi erroneam, aut à fide deviantem. tunc enim potiùs Deo, quā hominibus, auſcultandum eſſe.

48 Sed contrà. Dum enim Chriſtus D. Vicarium ſuum inſtituit Doctorem & Paſtorem ſupremum in terra, cuius vocem & doctrinā audire & excipere debeant omnes oves; planè ovibus ipſis interdicit omne iudicium de Paſtore & doctrina ipſius, an ſit vera, an non. Ergo tenentur exhibere ipſi mentis obſequium, & credere imprimis, Vicariū Chriſti, quatenus talē, nihil docere fidei aut bonis moribus cōtrariū. *Deinde*, dato, & nullatenus cōceſſo, quòd aliquis Vicarius Chriſti incidiſſet aut caderet in hæreſim manifeſtā, illamq; traderet quatenus privata perſona; id extra controverſiam noſtrā eſt, quæ ſolùm procedit circa quæſtiones dubias, ſeu nondum definitas circa fidē & mores. In his ergo dum oves omnes à Chriſto iubentur audire vocē & doctrinam Paſtoris; quo iure eam vocare in dubium poſſunt, aut detrectare ipſi mentis obſequium? Nullo certè. Si ergo auſcultent, obſequanturq; & tamen errent, iam tota Eccleſia errabit circa fidē & mores. Cùm igitur hoc pugnet, tum promiſsionibus Chriſti, tum præcepto audiēdi & ſequendi vocem Vicarij ipſius in rebus dubijs; conſequens eſt, vt pariter repugnet ipſi tradere ex cathedra doctrinam aliquam falſam circa fidem aut mores.

49 Dices II. Adhuc in ijs, quæ dubia ſunt, locum eſſe vt oves recurrant ad iudicium Eccleſiæ accedens, vel ad Conciliū Generale, quod eſt ſuprà Papam, etiam quoad decreta fidei, vt in Concilio Conſtantienſi Seſs. IV. & V. ac poſtea in Baſileenſi Seſs. II. definitum fuit. Ita nonnulli ex Pariſienſibus & Lovanienſibus, quorum ſenſum amplectitur & probat nupera Declaratio Cleri Gallicani.

50 Sed enim, quàm inane ſit hoc effugium, & quantis nominibus deplorata cauſa illius opinionis de poteſtate Concilij ſupra Papā, quàm extra rem & preposterè accipiantur ab eius Auctoribus verba Concilij Conſtantiēſis (dato quòd à Concilio Generali iam ritè coacto edita fuiſſent) quàm denique arūdineo fundamento innitantur, qui Baſileenſis Synodi Seſsioni ſecundæ, ſeu potiùs conventiculæ aut Conciliabulo (vt loquitur Lateranenſe Concilium Generale ſub Leone X. Seſ. XI.) fidem præſtant; iam ſatis dilucidè oſtenſum fuit ſuprà Diſput. XV. XVI. & XVII. nec oportet modò inculcare. Quare dum Vicarius Chriſti, dum Paſtor totius Dominici gregis, circa quaslibet controverſias in rebus fidei aut morum inſurgentes, paſcit & docet ex cathedra; temerarius & audax erit recurſus oviū ad alium Doctorem aut Paſtorem, ſive ille dicatur Synodus Generalis, ſive tota Eccleſia conſentiens. Vtrumque autem horum perinde eſſe, nec nomine *conſenſus Eccleſiæ accedentis* intelligi poſſe in Declaratione nupera Cleri Gallicani, niſi Vniverſale Concilium, iam ſuprà latè oſtendimus Diſp. II. præſertim ſectione vltima.

51 Deinde, ſi doctrina præiacta aliquid momenti haberet, licuiſſet ſanè omnibus hæreticis, immo & Hæreſiarchis trium primorum Eccleſiæ ſeculorum vſque ad annum Christi 325. in quo Concilium I. Generale coactum fuit Nicææ, tueri errores ſuos, vtpote ſolùm damnatos à Pontificibus Romanis. Si enim vox illorum è cathedra prolata circa fidem & mores non eſt irreformabilis, nec eiuſmodi, vt ſtatim omnes oves debeant auſcultare, & exhibere mentis obſequium; cur ijs erronibus non licuiſſet reſiſtere, aut detrectare iudicium Paſtoris Eccleſiæ, & appellare Synodum Generalem? Quapropter Cherinthiani, Marcioniſtæ, Appelleiani, & aliæ ſimiles peſtes, quarum ſuprà Diſput. VIII. mentio facta eſt, excuſationem aliquem obtendere potuiſſent ijs tribus primis ſæculis, immò & nunc non deerunt qui excuſent, quoniam illorum dogmata non fuerunt damnata ab vlla Synodo Generali, cuius ſolius, iuxta eam opinionem, iudicium eſt irreformabile & vltimum. Quid? quòd adhuc à tempore Concilij Niçæni Generalis vſque modò omnibus ſeculis Pontifices Romani innumeras fidei & morum controverſias emergentes dirimere ſoliti ſunt, & dogmata plurima damnare, tanquam fidei contraria, ſine ope vllius Generalis Concilij, vt fusè & per ætatum ſucceſsiones oſtendimus in toto ferè hoc Tractatu, totâ Eccleſiâ ſtatim ijs definitionibus exhibente mentis obſequium, nec vllo modo dubitante an iudicium aut vox Supremi Paſtoris, ſeu Vicarij Christi, falleretur vel falleret. Quòd ſi verò aliqui, aut olim, aut poſterioribus hiſce ſæculis, recuſata Paſtoris communis voce appellârunt Synodum Generalem; ſubiêre iuſtam ſchiſmatis vel hæreſeos notam, meritoque à Romani Pontificibus ſacro anathematum igne fulguriti ſunt: vti obſervatum fuit Diſput. XVI. Faceſſant itaque quicumque audent communis Eccleſiæ Paſtoris vocem arguere tanquam errori obnoxiam, aut Synodi Generalis correctioni ſubiectam. Hoc enim non eſt aliud, quàm novarum hæreſeon, vel ſchiſmatis alicuius ova fovere, ex quibus naſcantur pulli alij ſimiles Vvicleffo, Huſsio, & Luthero, qui ex eodem Augiæ ſtabulo ſua ſtercora eruerunt, & defectionem à fide impudentiſsimam auſpicati ſunt, vti Diſp. XVII. dictum eſt.

52 Præterea. Si vox communis Paſtoris & Doctoris ex cathedra loquentis eſt obnoxia errori, & correctioni præſtandæ à Synodo Generali; cuilibet nebuloni facile erit obtrudere nova dogmata fidei adverſantia, & diſſeminare ſpatio multorum annorum, ita vt iam nullo modo amputari poſsint, multò autem minùs extirpari. Nihil enim proderit quòd à Pontifice Romano damnentur poſt accuratum examen, donec in Generali Concilio proſcribantur. Concilium autem ipſum congregatu difficillimũ eſt, tum ob frequentia inter Chriſtianos Principes bella, tum ob ingentes ſumptus, & omniũ pene Eccleſiarũ deſolationẽ, ex abſentia Epiſcoporũ ortam. Dato autem quòd omnia ea incommoda vincantur aut devorentur, multorum annorũ ſpatio opus eſt ad Synodũ Oecumenicam congregandam. Itaque peſtifera novorũ dogmatum tabes iam longè & latè graſſata erit abſque vlla ſpe remedij quando Synodus tandem fuerit congregata, & iudicium tulerit. Sanè de benefica & paterna Dei providentia erga Eccleſiam ſibi dilectiſsimam, meliora credere & ſperare licet. Dum Petrum conſtituit Paſtorem ovium, dum Pontifici Romano totum ſuum ovile paſcendum tradit, dum ovibus præcipit vt eiuſdem Paſtoris vocem & doctrinam ſequentur; planè eidem adſcribit auctoritatem infallibilem in docendo ex cathedra & definiendo. Aliter enim, errante Paſtore, oves omnes errarent, ac proinde tota Eccleſia erraret, cõſentiens voci Paſtoris: aut certè obaudire nolens, pateret incurſibus quarumlibet hæreſeon inſurgentium abſque vllo præſentaneo remedio. Vtrumvis autem eorũ eſſe contrarium pollicitationibus Chriſti ſuprà expenſis, nemo non viderit.

53 Vlteriùs, ſinamus nutu Principum ſæcularium, & interventu Epiſcoporum, congregari Synodum Generalem ad examinandam doctrinam à Paſtore communi, ſeu Pontifice Romano traditam, an ſit conformis, an potiùs contraria fidei. Certè dum Põtifex ipſe renuit, nec conſenſum præſtat, vt Synodus celebretur, hæc nulla & acephala erit. Quare & quidquid in ea fuerit definitũ, nullius erit auctoritatis, aut etiam erroneum. Notum enim omnibus eſt, Concilia iniuſſu Romani Pontificis celebrata, aut eius ſuffragio deſtituta, frequenter erraſſe: vt patet de Epheſino II. & Ariminenſi, alijſque, & ſuprà de Baſileenſi à tempore Seſſionis II. habitæ contra expreſſam voluntatem Eugenij IV. Papæ multipliciter oſtenſum fuit. Verùm adhuc ponamus (quod vix aut ne vix quidem contingere poſſe videtur) Pontificem ipſum vltro permittere, vt Synodus Generalis congregetur, & in eâ examinetur doctrina à ſe definita. Quid ſi Patres Concilij in varias opiniones dividantur, alijs probantibus, alijs è contra improbantibus doctrinâ à Pontifice definitâ? Certè tunc illa perſiſtet, veluti habens pro ſe aucto-
ri-

ritatem Romani Pontificis ; & propterea aliquorum Patrum Concilij. Quid ſi omnes ij illam improbent, ſed tamen Pontifex immotus in ſententia perſiſtat ? Nunquid Patribus Concilij aſſentiendum erit? At quomodo id fiat, niſi contra ordinem à Chriſto Domino conſtitutum, qui ſoli Petro, & cuilibet eius legitimo Succeſſori, dixit : *PASCE OVES MEAS*. Soli etiam Petro dixit : *ORAVI PRO TE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA: ET TV ALIQVANDO CONVERSVS CONFIRMA FRATRES TVOS*. Soli denique Petro: *TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.* Itaque Chriſtus Dominus non Concilio, ſed Petro, ſed Pontifici Romano eius Succeſſori eam auctoritatem paſcendi, confirmandi in fide, & regendi Eccleſiam contulit. Ergo quamtumvis reſiſtant Patres Concilij, & oppoſitum cenſeant in nova aliqua controverſia circa fidem & mores, nihil rite definire poſſunt, diſſentiente & contradicente Romano Pontifice. Si enim nihil ſtatuere, nihil legitimè præcipere aut declarare poſſunt ſine aſſenſu Paſtoris & Magiſtri Vniverſalis Eccleſiæ, quantò minùs poterunt contra eius expreſſam voluntatem ? Si toties Concilia inveniuntur miſerè erraſſe, quia inſtructionem Romani Pontificis non ſunt ſequuta : quantò ampliùs deſipient vbi palam ipſi adverſantur, & quodam idololatriæ genere nolunt acquieſcere ? Nimirum, quidquid eſt firmitatis in Concilio aut auctoritatis, à ſuo Capite & Supremo Paſtore ac Magiſtro totius Eccleſiæ habet. Credo autem nunquam futurum, immò attentâ Dei Providentiâ nec accidere poſſe, vt congregato aliquo Generali Concilio coram Summo Pontifice, aut Legatis ipſius, in controverſia aliqua circa fidem aut mores, Patres omnes diſſentiant à ſententia Romani Pontificis, & hic oppoſitam definiat. Inde enim convinceretur, omnes Epiſcopos, ac proinde totam fere Eccleſiam errare ; & doctrinam orthodoxam in ſolo Papa permanere. quod certè eſſet graviſsimum malum, nec vnquam ſinendum, ſeu permittendum in Eccleſia ab illo qui dixit : *ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT ADVERSVS EAM.*

(?)

****

SECTIO QVINTA.

Expenditur illuſtris locus Deuteronomij 17. Vt conſtet Summum Sacerdotem Eccleſiæ, longè vrgentiori titulo, quàm olim Pontificem Synagogæ, præditum eſſe auctoritate infallibili ad finiendum quæſtiones ambiguas de fide & moribus. Exceptiones Adverſariorum multipliciter refutatæ.

54 O*MNIA IN FIGVRA CONTINGEBANT ILLIS*, inquit Apoſtolus de Hebræis : quoniam, nimirum, generatim Teſtamentũ Vetus fuit typus & figura Novi. Porrò in illo erat ſuprema auctoritas Summi Sacerdotis, ſive Pontificis, in cuius Rationali (quod erat ſacratiſsima pars Ephod, ſive ſuperhumeralis Pontificij, diciturque Hebraicè CHOSEN, Græcè autem ΛΟΓΙΟΝ) iuſsit Dominus Exodi 28. poni *DOCTRINAM & VERITATEM*, quæ Hebraicè *VRIM & TVMMIM* dicuntur. Nimirum, Dominus per Rationale dabat Summo Sacerdoti, atque ipſi populo Oracula plena doctrinæ & veritatis circa ea, quæ credenda & agenda forent. Cur autem δήλωσις καὶ ἀλήθεια, vt Septuaginta etiam vertunt, id eſt, *doctrina & veritas*, geſtarentur à Summo Sacerdote in Rationali ante pectus, explicatur Deuteronomij 17. vbi Dominus ita præcipit populo ſuo : *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram : & iudicum intra portas tuas videris verba variari : ſurge, & aſcende ad locum, quẽ elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicẽ qui fuerit illo tẽpore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quẽ elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legẽ eius: ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexterã, neque ad ſiniſtrã. Qui autẽ ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, QVI EO TEMPORE MINISTRAT DOMINO DEO TVO, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.*

55 In quæ verba audiendus eſt Cornelius à Lapide, qui poſt omnes eius loci Interpretes perlectos, ita ad litteram exponit, iuxta communem ſenſum ipſorum: *Nota : legales cauſæ & quæſtiones erant duplices, ſcilicet primò erant ſacræ, & cæremoniales,*

vti quæſtio de fide, religione, & cæremonijs talis erat controverſia de lepra. Hæ ſpectabant ad Sacerdotes vti per ſe patet. Secundò erant iudiciales, vti de ſanguine, & homicidio. Hæ ſpectabant ad Magiſtratum laicum, & in ſingulis vrbibus erant iudices, ad eas iudicandas conſtituti, vti dictum eſt cap. præc. v. 18. qui ſi non poſſent litem dirimere, tenebantur eam deferre Hieroſolymam ad Sacerdotes, & ad Pontificē, qui eam definiebat. Omnia enim hæc ex lege vel iudiciali, vel cæremoniali definienda erant, legis autem interpres erat Pontifex, de quo mox plura. Vnde ſequitur, Pontificē fuiſſe tum ſummum iudicem controverſiarum, etiam legalium. Itaque voluit Deus, ſupremam auctoritatem definiendi præſertim de fide, religione, & cæremonijs, eſſe apud Summum Pontificem Iſraelitici populi. Quare illas dirimere iubebatur in loco electo à Domino: nimirum, in loco tabernaculi vel templi, vbi Ipſe potiſsimùm habitabat, colebaturque, & illuminabat ac dirigebat Principem Sacerdotum, vt rectum iudicium ferret. Quin & eam poteſtatem ſupremam ipſi non ſolùm commiſſam à Deo fuiſſe in rebus ſacris, ſed etiam in civilibus, quæ ambiguæ & difficiles eſſent, probat planè laudatus Auctor ad verſum 9. contra Lyranum, & Sigonium lib. 6. de Republic. Hebræorum cap. 7. quoniam Deus hoc loci ſimpliciter, & indefinitè voluit recurri ad Sacerdotes in omnibus cauſis dubijs, quæ ex lege divina decidi debent. Legis enim interpretatio pertinebat ad Sacerdotes, & præſertim ad Pontificem, qui erat Hierarcha. Idque ſatis apertè dicitur verbis illis: *Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.* Deinde ex Ezechiele cap. 44. v. 24. conſtat, Sacerdotes fuiſſe iudices non modò in ſacris cauſis, ſed etiam in politicis, immo & in cauſa homicidij. Quod ipſum ſatis indicatur cap. 21. Deuteronom. v. 5. Ideoque Ioſephus lib. 2. contra Apionem ait: *Sacerdotes inſpectores omnium, iudices controverſiarum, & punitores damnatorum, conſtituti ſunt à Moſe, &c.* Ac Philo lib. 3. de Vita Moſis ait, Moſem ipſum ex conſilio Sacerdotum ad mortem damnaſſe hominem colligentem ligna in Sabbato, prout refertur Numerorum 15. v. 35.

56 Verùm inſtituto noſtro ſatis eſt, quòd omnium dubiorum iudicium ſupremum circa res ſacras, id eſt, ad fidem, religionem, & cæremonias ſpectantium, eſſet apud Summum Sacerdotem. Quod ipſum diſertè habetur 2. Paralip. 19. vbi Ioſaphat Rex curavit ea omnia obſervari iuxta legem Domini prædictam: ideòque verſu 11. dicitur: *AMARIAS AVTEM SACERDOS ET PONTIFEX VESTER, IN HIS QVÆ AD DEVM PERTINENT, PRÆSIDEBIT.* Quòd ſi verò Pontifex ex lege & ſcientia ſibi data non poſſet dubia ſibi propoſita, nequidem cum conſilio aliorum Sacerdotum inferiorum, recurrebat ad Oraculum Dei, illudque conſulebat: vt habetur Numerorum 27. v. 21.

57 Præiacto teſtimonio Deuteronomij vſus fuit ferè in rem noſtram Innocentius III. Papa cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſunt legitimi, & deinde S. Bonaventura in Breviloquio 6. part. cap. 13. atque initio explanationis Regulæ S. Franciſci, vbi inter plura alia ſatis opportuna inſtituto huic, concludit: *Si partibus diſcordantibus non eſſet qui manum poſſet mittere in ambabus; fuiſſet Synagoga felicior, quam Eccleſia; quia illa habebat vnum Summum Pontificem, qui omnes diſcordias poterat terminare: vt patet ex Deuteronomio cap. 17.* Similiter Pius II. in Bulla Retractationis ſuprà exſcripta Diſput. XVI. ſectione 1. num. 32. eodem reſpexiſſe videtur dum dixit: *Secundus Paſtor* (Eccleſiæ) *Petrus extitit, ab ipſo Domino inſtitutus, atque omni poteſtate donatus, quæ ad bene regendas commiſſas oves neceſſaria ducitur: Alioqui Chriſtus, qui ſapientia Patris eſt, & omnino ſapienter egit; Eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter providiſſet: quod eſt nefarium aſſererè.* Clariùs verò in rem noſtram eo teſtimonio vſus eſt poſteà Adrianus VI. Papa in Bulla ad Fridericum Saxoniæ Ducem, exſcripta Diſp. XVII. num. 31. & Patres Concilij Senonenſis in Gallia celebrati anno 1528. in Indice Decretorum de Fide, Decreto tertio. Huc etiam ſpectat locus alter Exodi cap. 18. quo vtitur S. Bernardus lib. 2. de Conſiderat. ad Eugenium cap. 6. Nimirum ibidem v. 19. Iethro ſocer Moyſi hoc ſanum conſilium ei dedit: *Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum: oſtendaſque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant: Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam; & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodò iudicent: leviuſque ſit tibi, partito in alios onere. Si hoc feceris im-*

implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris ſuſtentare. Nota maximè verba illa: *QVIDQVID AVTEM MAIVS FVERIT, REFERANT AD TE, &c.* Nimirum, non omnia, ſed ſolùm quæ maioris momenti ſunt, ad Moyſem tunc, & in lege Evangelica ad Papam, referri oportuit. Talia verò imprimis ſunt, quæ ad fidem, religionē, & mores ſpectant.

58 Hinc autem ineluctabile argumentum ſumitur. In Veteri Teſtamento, quod erat typus Novi (*omnia enim in figura contingebant illis*, teſte Apoſtolo) quæſtiones omnes difficiles & ambiguæ de fide & moribus, referebantur ad Summum Sacerdotē, qui illas Dei nomine terminaret vltimo & irreformabili iudicio, vt proinde nō liceret ab eo quēquam aliom appellare; immo quiſquis reſiſteret, eſſet reus mortis. Multò ergo magis in Novo Teſtamento, quoties occurrunt quęſtiones difficiles & ambiguæ de fide aut moribus, referri debent ad Summum Sacerdotē, ſive Pontificē Romanū, qui Dei nomine illas dirimat vltimo & irreformabili iudicio. Quare multò minùs licebit ab eo appellare quemquam aliū iudicem, & quiſquis reſtiterit ipſius definitioni ex cathedra prolatæ, reus erit mortis æternæ. *Deinde.* Non minorē curam habuit Deus Eccleſiæ ſuæ, quàm olim Synagogæ: immo longè ampliorem, quantò plus eam dilexit. Si ergo Synagogæ dedit Summum Sacerdotem, qui irreformabili iudicio omnes controverſias dubias de fide, religione, & moribus, terminaret, propter bonum regimen & ſalutem ipſius: multò magis eandem auctoritatem infallibilem dediſſe putandus eſt Summo Sacerdoti totius Eccleſiæ. Vide præterea ſimilem locum Deuteron. 1. v. 12. & ſeqq. vſque ad 18.

59 Vidit aut præſenſit robur huius argumenti Alphonſus Toſtatus, Hiſpaniæ Salomon meritiſsimè appellatus, quem ſuprà Diſp. XVI. ſect. vlt. obſervavimus occaſione Schiſmatis excitati in Concilio Baſileenſi ſecutum fuiſſe contrariam opinionem: quamvis Spondanus ad annum 1415. n. 45. cenſeat generatim, tam ipſum, quàm Gerſonē, & alios quoſdam, ſolùm locutos in caſu veri Schiſmatis, vbi nullus eſt certus & exploratus Papa, ſed plures dubij. Vidit, inquam, & obiecit ſibi in Secunda Parte Defenſorij ſui: vbi mirum eſt quot quęſtiones præmittat circa modos conſulendi Deū & dirimendi iudicia in lege Veteri, vt tandē argumento occurrat. Nec verò aut ipſe, aut alij poſtea ſcribentes & eandē opinionē ſectantes, potuerunt ſatis ſe expedire ab hoc nodo. Sed attingamus breviter exceptiones, quibus occurrere ſolent aut poſſent.

60 Dices I. Nec Summo quidem Sacerdoti in Veteri Teſtamento fuiſſe commiſſum iudicium ſupremum & irreformabile abſolutè in dubijs ad fidem & religionem ſpectantibus; ſed ſolùm ad pręſcriptū legis divinæ. Quod ſatis indicatur eodē c. 17. Deuter. v. 10. verbis illis: *Facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ET DOCVERINT TE IVXTA LEGEM EIVS.* Poſſet igitur contingere, Principem Sacerdotū aliquid docere in ijs iudicijs contra aut præter legē Dei: proindeque & tunc liceret declinare ipſius ſententiā. Quare idipſum in Novo Teſtamento contingere poſſe cenſendū eſt Romano Pontifice definiēte aliquid contra aut præter ſacram Scripturam, vel divinam legem. Cur ergo tunc non licebit iudicium eius declinare?

61 Sed contrà. Vt enim optimè obſervat idem Cornelius à Lapide, & patet ex ipſa littera, non ea quaſi conditione pręcipit Deus vt in quęſtionibus dubijs omnes acquieſcant iudicio Summi Sacerdoti, ſi videlicet partibus diſceptantibus appareat, ſententiam prolatam eſſe iuxta legem Dei. Sic enim fruſtraneum & evanidū eſſet iudicium, ad quod Deus recurrere præcipiebat. Pars enim damnata facilè poſſet excipere & cauſari, iudicium non fuiſſe latū iuxta legē: proindeq; conſtituendus eſſet iudex alius, qui in ſententiam datam à Principe Sacerdotum inquireret, & examinaret an ipſe erraſſet. Deinde adhuc de hoc ipſo cenſore eſſet eadem quæſtio, an ritè pronuntiaſſet: ac tandem de quolibet alio. Vnde & quæſtiones omnes de fide religione, & lege, fuiſſent interminæ, ſeu in infinitum progredientes. Quapropter id iudicium commiſſum Summo Sacerdoti abſdubio fuit vltimū & irreformabile à quolibet alio: vt proinde ſubditi omnes acquieſcere deberent ſententiæ, ſeu definitioni illius, tanquam prolatæ ſecundùm legē Dei, & doctrinā ab ipſo revelatā. Vnde & ſubditur v. 12. *Qui autē ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis* (nimirum, Pontificis) *imperio, QVI EO TEMPORE MINISTRAT DOMINO DEO TVO, & decreto iudicis, morietur, homo ille, &c.* Quod tamē immeritò ſtatueretur, ſi adhuc poſt iudicium latum à Pontifice Sacerdotū eſſet recurſus, ſeu appellatio ad aliom. Vnde Septuaginta abſolutè verterunt ex fonte Hebraico: *Facies ſecundùm verbum, quod nuntiaverint tibi ex loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et cuſtodies valde, vt facias ſecundùm omnia, quæ ſancita fuerint tibi: ſecundùm legem, & iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies.* Præterea, & Sanctes Pagninus ita reddit:

Facies ſecundùm ſermonem verbi, quod annuntiabunt tibi: & cuſtodies faciendo iuxta omnia, quæ docebunt te. Iuxta ſermonẽ legis, quem docebunt te, & ſecundùm iudicium, quod dicent tibi facies. Vbi non præcipit Dominus per Moſem, vt Sacerdotibus credant ſi iudicaverint ſecundùm legem: ſed potiùs vt quæ iudicaverint Sacerdotes Summi, pro lege habeantur. Eadem autem, immo & longè vrgentior ratio eſt in Summo Pontifice Novi Teſtamenti, poſtquam definivit quaslibet quæſtiones dubias & ambiguas de fide aut moribus, vt omnes eius iudicio acquieſcant, nec ad vllum alium recurrant. Nam de illo ipſo, ad quẽ reccurrerent, poſſet iuſtiùs dubitari an erraret, aut iniurius exiſteret: ſicque demum eſſet in infinitum progreſſio. Multò ergo magis in Teſtamento Novo, quàm in Veteri, tenentur omnes fideles acquieſcere iudicio Summi Sacerdotis in fide & moribus, ſub reatu mortis æternæ.

62 Obiter nota, dum v.9. eiuſdem capitis dicitur, *Veniensque ad Sacerdotes, & ad iudicẽ*, ſicuti & verbis nuper exſcriptis v.12. pro eodem accipi Sacerdotem iudicemque: ſive quia idem erat Pontifex & iudex, vt volunt Vatablus & Abulenſis ibidem: ſive quia iudex ſæcularis tenebatur ſententiã ſuam conformare iudicio Sacerdotum & Põtificis, illudque exequi: vt eiſdem locis iam antè allegatis conſtat.

63 Dices II. Verbis illis, *Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, &c.* prout habetur verſ.9. intelligi Conciliũ dictum Sanhedrim, quod erat ſummum, inſtar Parlamenti, & iudicabat de Rege, lege, ac Propheta; & ad quod erat inſtituta vltima appellatio. Conſtabat verò ſeptuaginta viris, qui tam ex cœtu Sacerdotum, quàm ex primarijs viris cuiuſque Tribûs deligebantur. Ita exponunt ea verba Hebraizantes, qui *iudices* in plurali legunt, ſicut & Chaldæus vertit: quaſi dicatur: *Venieſque ad Sacerdotes, & ad iudices*, id eſt, ad Concilium Sanhedrim, conſtans ex Sacerdotibus & iudicibus ſæcularibus. Hoc autem ſtatuto, nequaquam colligitur, iudicium Pontificis ſolius fuiſſe ſupremum & irreformabile, adhuc in rebus fidei & morum: cùm id ſolùm competeret Concilio LXX. Virorum, qui de ipſo etiam Pontifice, & de cauſis omnibus, ac quæſtionibus dubijs vltimum & irreformabile iudicium ferre poterant. Quare ſimiliter à tempore Novi Teſtamenti nec Pontifex ſolus definire poteſt controverſias de fide & religione vltimo iudicio, niſi cum Concilio Oecumenico, quod æquivalet Sanhedrio Hebræorum, poteſtque iudicare Pontificem ipſum, & iudicium eius corrigere.

64 Sed contrà. Imprimis enim quamvis Dominus præciperet omnibus, quoties difficile & ambiguum de rebus fidei & morum occurrebat iudicium, vt venirent ad Sacerdotes Levitici generis, & *ad iudicem qui fuerit illo tempore*; nomine eius iudicis intelligebatur Pontifex, ſive Sacerdos Summus, vt ſuprà num.55. & 56. præmiſſum fuit, oſtendiſque palam Cornelius laudatus ex hoc & alijs Scripturæ locis. Ideoque in hoc ipſo concluditur verſ. 12. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, QVI EO TEMPORE MINISTRAT DOMINO DEO TVO, & decreto iudicis* (nimirum, eiuſdem Sacerdotis ferentis iudicium) *morietur homo ille.* Itaque quamvis Sanhedrium conſtaret ex LXX. Viris, partim Sacerdotibus, partim primarijs è populo; iudicium Summi Sacerdotis erat ſupremum, vtpotè qui omnibus præerat (de quo legendus Sigonius ſuprà citatus lib.6. de Republ. Hebræorum cap.7.) & ante pectus ſuum portabat Rationale, præſeferens *DOCTRINAM ET VERITATEM*, vnde oracula ipſi Sacerdoti, & ſubinde populo dabantur, quoties id neceſſarium eſſet. Frequenter tamen ſine recurſu ad oraculum Pontifex iudicium de ijs quæſtionibus ferebat, iuxta ſapientiam & notitiam doctrinæ à Deo revelatæ, interpretationemque legis ipſius. Dato autem quòd inter Sacerdotes, vel LXX. Viros eſſent diſſidentes opiniones, prævalebat ita ſententia Pontificis, ſine recurſu ad aliud tribunal, vt quiſquis nollet acquieſcere, pœnam mortis ſubiret: vt verba nuper exſcripta declarant. Alioqui nunquam iudicia illa finem controverſijs imponerent, eſſentque interminæ quæſtiones de fide, religione, cæremonijs, & lege. Similiter ergo dato quòd in lege Evangelica diverſi Doctores, etiam ex ijs qui de iure poſſent ad Concilium convenire, diverſa docerent; ſtandum eſt iudicio Summi Pontificis aliquid è cathedra definientis de fide & moribus: vt propterea nullus ſit locus exceptionis, aut confugij ad aliud tribunal, & qui oppoſitum tentaverit, reus æternæ mortis habeatur. Alioqui pariter in lege Evangelica quæſtiones de fide & moribus eſſent interminæ, & nullo fine clauderentur.

65 Deinde obſervandum, nec ijs verbis præcipi vt ad dirimendas quæſtiones dubias Concilium ex tota Synagoga congregaretur: ſed ſolùm ex Sacerdotibus & Levitis, qui Senatus loco in civitate matricia eſſent ad manum Pontifici loco Senatus. Cùm

enim

enim quæſtiones eiuſmodi eſſent frequentes, oportebat pariter vt exiſteret tribunal paratum, & aditu facile, quale certè non eſſet, ſi omnes Sacerdotes, aut Levitæ, etiam præcipui, per Synagogas diſperſi, forent congregandi à Summo Sacerdote. Itaque vt huius iudicia eſſent fidei prorſus exploratę, & quibus Hebręi omnes aſſenſum præſtare tenerẽtur ſub reatu mortis, ſatis erat vt convocaret Sacerdotes ac Levitas, ſive etiam quos ad manum haberet ex illis LXX. Viris. Et hoc quidem in tam anguſta ditione Hebraici populi, cuius ſpatium in longum & latum ſtrictis limitibus coercebatur. Quantò minùs Pontifex Romanæ Eccleſiæ, & Summus Sacerdos Novi Teſtamenti, ad dirimendas quæſtiones ambiguas, ſeu controverſias recèns ortas de fide & moribus, opus habebit congregãdi Concilium Oecumenicum, id eſt, ex toto terrarum Orbe, quod plerumque nullatenus omnino fieri poteſt; ſi autem interdum poteſt, certè non niſi cum ingenti difficultate, ſumptibus, ac deſolatione Eccleſiarum, ob abſentiam Epiſcoporum, idque poſt plures annos à convocatione facta, graſſantibus interea longè latèque erroribus noviter excitatis. Satis itaque eſt, & fuit ſemper, vt obortis ijs quæſtionibus Romanus Pontifex ex ijs Cardinalibus, Epiſcopis, & viris doctis, quos ad manum habet, Senatum congreget, inſtar Sanhedrij veteris, & ſingulorum ſuffragia audiat, matureque expendat, implorata ſeriò Spiritus ſancti ope, ac Deum ſolum præ oculis habendo. Deinde verò quidquid definierit ex cathedra circa fidem aut mores, pro lege, aut inſtar oraculi divini habendum eſt. Alioqui Synoga in re ſummi momenti, immo omnium præcipua (vtpote ad fidem, religionem, & mores ſpectante) non fuiſſet typus Eccleſiæ. quod planè repugnat ſacris litteris.

66 Quare quod ſuprà num.63. obijciebatur, Sanhedrium æquiparari Synodo Oecumenicæ abſurdiſsimum eſt. Illud enim conſtabat ſolùm LXX. viris, quos, aut ferè omnes, Pontifex Synagogæ ad manum habebat vt omnium ſuffragia audiret & expenderet. quod erat facillimum. Synodus autem Oecumenica conſtat Epiſcopis toto terrarum Orbe diſperſis, qui raró aut nunquam congregari queunt. Quare ſiqua comparatio eſſe poteſt Sanhedrij, ſolùm fieri debet cum Senatu Cardinalium, vel etiam aliorum Pręſulum, quos Pontifex intra territorium Vrbis Romanæ habet. Et quidem illos, ac præterea Doctores inſignes inibi commorantes ſemper conſulit, antequam de fide aut moribus pronuntiet. Et hoc ipſum ſufficere vt definitiones Romanī Pontificis ſint omnino certæ, atque irreformabiles, & à quibus nullo modo liceat appellare Concilium Oecumenicum, videtur agnoviſſe & tradidiſſe palam Ioannes Gerſon, qui contrariæ opinionis Anteſignanus haberi ſolet. Cùm enim Martinus V. Papa recèns electus in Concilio Conſtantienſi edidiſſet Decretalem quandam, in qua definiebat, nulli fas eſſe iudicium Pontificis Romani in cauſis fidei declinare, aut ab eo appellare; reſpondit Gerſo, *non eſſe fas appellare à Papa vel eius iudiciũ in cauſis fidei declinare; non quidem pro omni caſu, ſed quando facit quod in ſe eſt; & quando non apparet devius à fide, & ambulat rectè ad veritatem Evangelij ſine perſonarum acceptione.* Quod debere facere Romanos Pontifices, & à ſe fuiſſe ſervatum, ipſe Martinus V. teſtatus fuerat in prędicta Decretali. Idipſum autem pręſtat Pontifex quilibet, dum orta quæſtione ambigua & difficili de fide, poſt imploratum ritè divinum auxilium, ſine vllo præiudicio conſulit Theologos eruditos ac timentes Deum, & auditis Cardinalium ſuffragijs, tandem è cathedra pronuntiat quod cenſet doctrinę revelatæ & legi divinæ cohærens, quin præterea neceſſum ſit commovere totum Orbem Chriſtianum per convocationem Generalis Concilij, plerumque impoſsibilis congregatu, & ſemper afferentis ſecũ ingentes difficultates ac diuturnam Eccleſiarũ deſolationẽ, ob abſentiã Epiſcop.

67 Maneat itaque ratum ex ſacris litteris, Pontifici Summo legis Evangelicæ, potiori titulo quàm Moſaicę, datam fuiſſe divinitus auctoritatem infallibilem ad dirimendum omnes difficiles & ambiguas de fide, religione, & moribus controverſias, quin teneatur ad id muneris congregare Synodum ex tota Eccleſia. Cùm enim hęc ex pluribus tam varijs Regnis, Nationibus, inſtitutis, linguis, & ingenijs coaleſcat, per totum terrarum Orbem ſparſis; longè plures quæſtiones eiuſmodi in ea paſsim excitari neceſſe eſt, quam in Synagoga, ad anguſtos limites redacta, & quæ tota erat labij vnius, & ſermonum eorundem. Longè etiam difficiliùs Romanus Pontifex congregare poteſt, non dico Epiſcopos omnes, verùm nec decimam illorum partem ex ſingulis Nationibus Orbis terrarum, quàm olim Summus Sacerdus omnes Sacerdotes inferiores & Levitas Synagogæ. Si ergo tunc Summus Sacerdos ad paucas controverſias dirimendas non habebat opus congregandi totam Synagogam, nec omnes Sacerdotes, ſed aliquos ſolùm ſibi proximiores, & conſilio priùs cum ijs habito definiebat illas iudicio vltimo & irreformabili;

quan-

quantò magis Summus Sacerdos in lege Evāgelica eandem auctoritatem infallibilem proportionaliter habere credendus eſt? Alioqui Eccleſiæ Chriſti forma & ſpecies in rebus ſacris, nec Monarchica erit, quam omnium politiarum optimam eſſe, ex divinis & humanis litteris conſtat; nec ęqualis regimini Synagogę, ſed multò deterior. Quod *nefarium dictu* eſt, vt ſuprà num. 57. à Pio II. audivimus. Plura alia Scripturæ teſtimonia alibi proferemus.

DISPVTATIO XXIII.

AN AVCTORITAS INFALLIBILIS Romani Pontificis ſit certa iuxta traditionem Apoſtolicam.

VIDIMVS Diſp. præced. auctoritatem infallibilem Romani Pont. ad pronuntiandum de fide & moribus ex cathedra conſtare ſatis ex ſacris litteris, iuxta communem interpretationem & ſenſum SS. Patrum. Nunc veſtigandum, an pariter illa conſtet ex traditione Apoſtolica. Cùm enim hæc certitudinem fidei pariat, non minùs quàm doctrina in ſacris litteris expreſſa, iuxta Concil. Trident. Seſs. IV. ſi oſtendatur intervenire hoc loco; auctoritas ipſa Romani Pontificis, ex iſto etiam capite erit certa ſecundùm Catholicam fidem. NOS ITAQVE INITIO ASSERIMVS, ET PROBANDVM RECIPIMVS, AVCTORITATEM PRONVNTIANDI DE FIDE ET MORIBVS, IVDICIO VLTIMO ET IRREFORMABILI, CONSTARE EX TRADITIONE APOSTOLICA: IDEOQVE ETIAM EX HOC CAPITE ESSE CERTAM SECVNDVM FIDEM.

SECTIO PRIMA.

Auctoritatem infallibilem Romani Pontificis conſtare palam ex traditione Apoſtolica, ideoque etiam ex hoc capite eſſe divina fide certam non minùs, quam cæteras veritates in ſacra Scriptura expreſſas.

Illuſtre quoddam teſtimonium S. Anacleti Papæ & Martyris ea de re.

a INTER Definitiones varias Reipublicæ Chriſtianæ ſalubres, & ad fidē aſſerendam neceſſarias, quæ in Magna Tridentina Synodo editæ ſunt, iure locū obtinet quę Seſsione IV. habetur circa Canonicas Scripturas ibidē aſsignatas, & Traditiones Apoſtolicas; quas pari cum ijs affectu ac veneratione recipit. Nimirum ibidem Sancta Synodus *Orthodoxorum Patrum exempla ſequuta, omnes libros tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti (cùm vtriuſque vnus Deus ſit auctor) necnon Traditiones ipſas, TVM AD FIDEM, TVM AD MORES PERTINENTES, tanquam vel ore tenus a Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſsione in Eccleſia Catholica conſervatas, PARI PIETATIS AFFECTV AC REVERENTIA SVSCIPIT AC VENERATVR.* Notam verò ſive proprietatem ad internoſcendum Traditiones ipſas, ſeu diſtinguendum ab alijs traditionibus, quæ Apoſtolicæ non ſunt, ſed ſolùm Eccleſiaſticæ, pręmiſſerat immediatè antè per hoc, vt *ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos vſque pervenerint.* Itaque Traditiones illę, quæ in Eccleſia non inveniuntur habuiſſe initium poſt tempus Apoſtolorum, ab ijs ipſis dimanaſſe ad nos vſque cenſendæ ſunt, & eodem venerationis gradu habendæ, ac quidquid in Canonicis Scripturis continetur. Nimirum vt inquit Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cap. 20. *Conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſijs Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem QVOD ECCLESIÆ AB APOSTOLIS, APOSTOLI A CHRISTO, CHRISTVS A DEO ACCEPIT.* Ideo S. Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 26. ad Cypriani ſententiā ſuo nomine adiungit: *Quod autem nos admonet, VT AD FONTEM RECVRRAMVS, id eſt, AD APOSTOLICAM TRADITIONEM, & inde canalem in tempora noſtra dirigamus; optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum.* Præmiſſerat verò lib. 4. eiuſdem Operis cap. 23. hanc Traditionis Apoſtolicæ diſ-

diſcernendę notam, ac veluti κριτήριον *QVOD VNIVERSA TENET ECCLESIA, NEC CONCILIIS INSTITVTVM, SED SEMPER RETENTVM EST, NON NISI AVCTORITATE APOSTOLICA TRADITVM RECTISSIME CREDITVR.*

3 Hæc Tertulliani & Auguſtini teſtimonia, quibus conſonant innumera alia SS. Patrum à Gaulterio exſcripta in Chronologia per ſingula ſecula, habere præ oculis oportet in hac ſectione. Etenim firmiter aſſerimus, auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in dirimendis fidei & morum controverſijs conſtare ex Apoſtolica Traditione, ac proinde etiam ex hoc capite eſſe certam ſecundùm Catholicam fidem. Quod ſi ita eſſe probemus, corruat neceſſe eſt nouo hoc titulo contraria opinio. Quare introductionem hanc claudere placet verbis Tertulliani loco allegato: *Omnem doctrinam de mendacio præiudicandam* (nimirum, conſtar, vt paulo ante dixerat) *quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei: Supereſt ergo vti demonſtremus, an hæc noſtra doctrina, cuius regulā ſupra edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur; & ex hoc ipſo, an cæteræ de mendacio veniant.* Hæc ille, quibus nihil opportunius eſſe poteſt, ſi rem ipſam oſtendamus.

4 Itaque aſſertio propoſita in ipſa Sectionis epigrapha probatur ex dictis toto decurſu huius Tractatus: in quo per omnia & ſingula ſæcula à tempore naſcentis Eccleſię, ſeu à tempore ipſo Apoſtolorum, vſque modò, ex teſtimonijs Pontificum, Patrum, Conciliorum, & Scriptorum grauium, oſtenſum fuit, Sedem Apoſtolicam habuiſſe, & habere auctoritatem infallibilem, ſeu nulli errori obnoxiam, ad dirimendum quaſlibet quęſtiones dubias & ambiguas de fide, religione, & moribus, quotcumque excitari contigit, independenter à Concilio Oecumenico, vel (quod perinde eſt) à conſenſu Eccleſię accedente. Cuius doctrinæ initium non inuenitur in Concilio aliquo, nec in decreto Pontificio, vt proinde exiſtimaretur ad Traditionem Eccleſiaſticam pertinere: ſed longè retro ab ipſis Apoſtolis. Quę eſt regula Auguſtini paulo antè laudata ad internoſcendum & diſcernendum Traditiones Apoſtolicas ab Eccleſiaſticis. Ergo certitudo definitionum Pontificarum conſtat ex traditione Apoſtolica. Alioqui nullus erit locus vt quidquam à tota Eccleſia credatur ex eo capite: ſiquidem nulla veritas omnium earum, quas credimus, veluti acceptas ex traditione Apoſtolorum, habet plura, aut potiora fundamēta ad id certò exiſtimandum, quàm doctrina de auctoritate infallibili Romani Pontificis. Idque clariùs patet euoluendo tria priora ſæcula Æræ Chriſtianæ, in quibus nullum Concilium Oecumenicum fuit: & tamen innumeræ quæſtiones circa fidem, religionem, & mores, excitatę in tanto temporis interuallo, à Sede Apoſtolica, ſiue à Romanis Pontificibus, diremptæ fuerunt ex cathedra, totâ Eccleſia ſtatim exhibente mentis obſequium; nemineque contradicente, niſi qui palam hęreticus, aut ſaltem ſchiſmaticus haberetur. Id palam oſtenſum fuit de ijs tribus ſæculis Diſp. VIII. ſect. 1. 2. & 3. immo & de vetere Eccleſia Catholica indiſcriminatim idipſum teſtatus fuit Illuſtriſsimus Clerus Gallicanus in litteris 19. Iulij 1653 ad Innocentium X. exſcriptis ſuprà Diſp. II. vt mirum ſit in eius nupera Declaratione 19. Martij 1682. alia omnia proferri. Ergo totā Eccleſia ijs tribus ſęculis credidit auctoritatem infallibilem Romani Pontificis, veluti certam ſecundùm fidem: atque adeò tanquam expreſſam in ſacris litteris, vel habitam ex traditione Apoſtolica.

5 Quamvis verò hęc probatio videatur adeò firma & decretoria, vt omnem prorſus euaſionem præcludat, placet adhuc rem ipſam oſtendere luculentis Pontificū teſtimonijs, nec quorumlibet, ſed vicinorum temporibus Apoſtolicis, quique inter Sanctos & Martyres ab Eccleſia relati fuerunt. Cùm enim quæſtio, quam aggreſſi ſumus in hac ſectione, non ſit iuris, ſed facti, An reipſa auctoritas infallibilis Romani Pontificis in definiendo conſtet ex traditione Apoſtolica; non aliunde nec meliùs confirmari poteſt, quàm ex teſtimonijs illorum Sanctorum Patrum, qui viciniores fuerunt Apoſtolis, & ab ijs fidem ac doctrinā toto pectore hauſerunt. Cùm verò primorum Pontificum S. Petri Succeſſorum plurima decreta & definitiones iniuria temporum perierint, & præſertim Epiſtola S. Lini Papæ ſub Romanæ Eccleſię perſona ad Corinthiorum Eccleſiam (quam allegat Euſebius lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 32. & teſtatur omnium conſenſu approbatam) aliaque plura ipſius & S. Clementis ſcripta, aut non ſtent, aut deprauata ab hæreticis inueniantur; ſatis nobis erit ex ſcriptis ſequentium Pontificum, quæ ſuperſunt adhuc, veluti catenam contexere, iuxta ordinem temporis in quo vixerunt.

6 S. Anacletus I. qui Eccleſiam rexit ab anno Chriſti 101. & non ſolùm quoſdam Apoſtolorum videre atque audire potuit, ſed etiam teſtatum reliquit Epiſt. 2. ſe ab Apo-

Apoſtolo Petro inſtructum fuiſſe; & Presbyterum ordinatum; luculentiſsimus teſtis eſt huius veritatis. Nam Epiſtola prima Decretali ad omnes fideles, auctoritatem terminandi vltimo iudicio cauſas difficiliores (quales imprimis ſunt quæ circa fidē & mores excitantur aut tractantur) ait ex Apoſtolorū traditione referri debere ad Sedem Apoſtolicam. Verba ſunt citatę Epiſt. 1. initio ferè col. vltim. *Quod ſi difficiliores ortæ fuerint quæſtiones, aut Epiſcoporum vel Maiorū iudicia, aut maiores cauſæ fuerint, ad Sedem Apoſtolicam (ſi appellatum fuerit) referantur: Quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſsione Saluatoris, vt maiores & difficiliores quæſtiones, ſemper ad Sedem referantur Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuerſam conſtruxit Eccleſiam, dicente ipſo ad B. Apoſtolum Petrum: TV EST PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.* Deinde Epiſt. 2. reſcribens ad Epiſcopos Italiæ, qui circa multa ipſum conſuluerant, reſpondet iuxta ea quæ didicit à Petro Apoſtolo: ideoque ait paulo poſt initium: *Breviter (prout Dominus tribuit, ET VT A B. PETRO PRINCIPE APOSTOLORVM SVMVS INSTRVCTI, A QVO ET PRÆSBYTER SVM ORDINATVS) ſcribere vobis, ſicut petiſtis, non denegavimus.* Pręterea columna quinta ſubdit: *Epiſcoporumque cauſæ, & ſummorum negotiorum iudicia (SALVA APOSTOLICÆ SEDIS AVCTORITATE) iuſtiſſimè terminentur. Hæc ab antiquis, hæc ab Apoſtolis, hæc à Sanctis Patribus accepimus.*

7 Denique Epiſt. 3. ſcripta ad omnes fideles & Epiſcopos, quorum aliqui ipſum conſuluerant, poſt pauca quædam, inquit: *De Primatibus, chariſsimi, ſuper quibus me quidam veſtrùm conſuluerunt, & Apoſtolicæ auctoritatis* (quâ licèt indigni, Domino diſpenſante, fungimur) *decretum poſtulaverunt, aut ſi eſſe deberent, aut non; quantum hactenus de ijs à Beato Petro Apoſtolo, & à reliquis Apoſtolis, ac à Beato Clemente noſtro ſancto Prædeceſſore, & Martyre novimus ſtatutum, denegare vobis minimè poſſumus. Et quis eſt qui quærentibus fratribus denegare poſsit dubitationes, vel neceſsitates eorum, &c.* Quibus planè teſtatur, ſe in eo Reſcripto loqui Apoſtolica Auctoritate, & iuxta traditionem ab Apoſtolis receptam. Deinde circa initium col. 2. ait: *Hæc verò ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniverſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam: & tibi dabo claves regni cælorum: Et quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata, & in cælo: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Vbi primatum Romanæ Eccleſię & poteſtatem ſupra omnes Eccleſias, totumque Domini gregem paſcendum, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro ἀμέσως, ſeu abſque medio aliquo profectum declarat. Tandemque, vt plura alia omittam, col. 3. ait: *Si quæ verò cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius Sanctæ Sedis apicem eas, quaſi ad caput, referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio: quia ſic Dominum velle, ab eoque ita conſtitutum eſſe, antedictis teſtimonijs* (nimirum paulo antè citatis ab ipſo) *declaratur. Hæc verò Apoſtolica Sedes, cardo & Caput (vt præiactum eſt) omnium Eccleſiarum, à Domino, & non ab alio, eſt conſtituta. Et ſicut cardine oſtium regitur: ſic huius Sanctæ Sedis auctoritate omnes Eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur.*

8 Tam illuſtria teſtimonia hæc ſunt, & prolata à Pontifice tantæ auctoritatis, ac diſcipulo immediato, & Succeſſore S. Petri, vt pleniſsimè ex iſs probetur, auctoritatem dirimēdi vltimo iudicio omnes quæſtiones & cauſas graviores & difficiliores (quales imprimis ſunt fidei, religionis ac morum) ſpectare ad Sedem Apoſtolicam, idque ex iuſsione Domini, & traditione Apoſtolorum. Quare videbitur iam opus non eſſe accumulandi teſtimonia aliorum Pontificum Primitivæ Eccleſię idipſum teſtantium. Sed adhuc placet propter ſummam huius controverſiæ gravitatem quædam alia loca attingere, ea tamen lege, vt ſolùm delibem ex ijs verba aliquot præcipua, ne controverſia hæc iuſto prolixior ſit. Eruditus autem Lector ea ipſa pleniùs in ſuo fonte conſulere poterit, vnde nos depromſimus.

***

SECTIO SECVNDA.

Selecta alia teſtimonia SS. Pontificum & Martyrum Primitiuæ Eccleſiæ pro eadem traditione Apoſtolica cathedræ S. Petri in finiendis cauſis maioribus, quales præcertim ſunt ſpectantes ad fidem & mores. Duo quoque alia SS. Pontificum & Confeſſorum Marci ac Iulij I.

9 SEVARISTVS Papa & Martyr, qui Pontificatum geſsit poſt obitum Anacleti ab anno Chriſti 110. in Epiſt. 1. quæ eſt ad omnes Epiſcopos Africanos, refert ſe ab ijs conſultum fuiſſe circa quædam dubia, vt ſcirent quid ſibi viſum eſſet, aut *Quid a beatis Apoſtolis traditum aut cuſtoditum remaneret.* Supponebant itaque Africani Epiſcopi, Pontificem Romanum habere auctoritatem reſpondendi quæſtionibus dubijs & difficilibus (quales ſunt, quibus ibidem reſpondet Evariſtus) ex traditione Apoſtolica. Vnde ſtatim ferè ſubdit: *Dilectio veſtra, normam ſequuta prudentium, ad Sedem Apoſtolicam referre maluit, quaſi ad caput, quid deberet de rebus dubijs cuſtodire, potius quàm vſurpatione præſumere.*

10 S. Alexander Papa & Martyr, Evariſti Succeſſor ab anno Chriſti 119. in Epiſtola 1. quæ eſt ad omnes Orthodoxos col. 1. *Relatum*, inquit, *inſuper eſt ad huius ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitio cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum, ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad caput, ipſo dicente Principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Itaque ſummarum cauſarum diſpoſitiones, & omnia negotia Eccleſiarum) qualia potiſsimùm ſunt quæ ad fidem, religionem, & mores ſpectant) teſtatur ex traditione divina ipſius Chriſti ad Petrum competere Sedi Apoſtolicæ.

11 S. Sixtus Papa & Martyr, qui ſucceſsit Evariſto anno Chriſti 130. Epiſt. 2. quæ eſt ad omnes Epiſcopos, circa medium inquit: *Ab hac enim ſancta Sede, à ſanctis Apoſtolis, tueri, defendi, & liberari, Epiſcopi iuſsi ſunt, vt ſicut eorum diſpoſitione (ordinante Domino) primitus ſunt conſtituti: ſic huius ſanctæ Sedis (cuius diſpoſitioni eorum cauſas & iudicia ſervaverunt) protectione, futuris temporibus ſint ab omnibus perverſitatibus ſemper liberi.* Itaque ordinante Domino Apoſtoli tradiderunt, cauſas Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam pertinere. Eadem autem aut vrgentior ratio eſt de fidei ac morum definitionibus, quæ profectò inter *maiores cauſas* præcipuum locum obtinent. Idem ferè habet Anicetus Papa & M. in Epiſt. ad Galliæ Epiſcopos circa medium: clariùs verò S. Eleutherius, qui anno 177. electus fuit. Etenim in Epiſtola Decretali ad Galliæ Provincias, paulo poſt initium, ait: *De accuſationibus ergo Clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt ad Sedem Apoſtolicam deferre, finitiua Epiſcoporum tantùm iudicia huc deferantur, ſicut ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, multorum conſenſu Epiſcoporum, iam definitum eſt.* Similiter S. Victor Papa Epiſt. 1. paulo ante medium verbis potiſsimùm illis: *Conſtitutum liquet à tempore Apoſtolorum.* Iam verò ſæpe vidimus, & rurſus videbimus, in omnibus ferè teſtimonijs, quibus dicitur iudicia Epiſcoporum ex traditione Apoſtolica ad ſolam Sedem Apoſtolicam pertinere, idipſum generatim aſſeri de *cauſis gravioribus*. quo nomine, definitiones fidei & morum contineri palam eſt, & ipſi Romani Pontifices ſæpiſsimè pronuntiant.

12 S. Zephyrinus P. & M. electus anno 201. Epiſt. 1. ad Epiſcopos omnes Siciliæ in medio, *Iudicia enim Epiſcoporum*, inquit, *maioreſque Eccleſiæ cauſæ, a Sede Apoſtolica, & non ab alia, ſicut Apoſtoli, & ſancti Succeſſores eorum ſtatuerunt, cum alijs Epiſcopis ſunt terminanda: quia licèt in alios transferantur Epiſcopos, Beatò tamen Apoſtolo Petro dictum eſt: Quæcumque ligaveris, &c. & reliqua privilegia, quæ ſoli huic ſanctæ Sedi conceſſa ſunt, & in conſtitutis Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum, alijſque quam plurimis cum eis concinentibus habentur inſerta.*

13 S. Calixtus I. Papa & M. regens Eccleſiam ab anno 219. in Epiſt. Decretali ad Benedictum Epiſcopum initio ait: *Fraternitatis amore, & Apoſtolico moderamine convenimur, vt conſultis fratrum, prout Dominus dederit, reſpondeamus, eoſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate inſtruamus.* Vbi verba illa *Apoſtolico moderamine*, videntur ſignificare, ex ſtatuto aut traditione Apoſtolorum ſpectare ad Romanos Pontifices, vt ex cathedra Sedis Apoſtolicæ tribuant reſponſa ad quæſtiones ſibi propoſitas de fide, diſciplina Eccleſiaſtica, & moribus, quales ſunt quæ dirimuntur in Epiſtola illa, & innumeris alijs Decretalibus aliorum Pontificum à tempore naſcentis Eccleſiæ.

ſiæ. Vnde & poſtea circa medium Epiſtolæ ſubdit. *Non decet enim a capite membra diſsidere, ſed iuxta ſacræ Scripturæ teſtimonium, omnia membra caput ſequatur. Nulli verò dubium eſt, quod Apoſtolica Eccleſia* (nimirum Romana) *mater ſit omnium Eccleſiarum, à cuius vos regulis nullatenus convenit obuiare.* Quibus planè confirmat, definitionibus latis à Sede Apoſtolica, ſive Romana Eccleſia, omnes alias debere caput ſubmittere: atque adeò non pendere ab earum conſenſu, vt nupera Cleri Gallicani Declaratio habet, ſed potiùs illum extorquere, tanquam matrem & caput cęterarum.

14 S. Fabianus P. & Martyr electus anno 236. Epiſt. 1. ad omnes Catholicæ Eccleſiæ comminiſtros, initio: *Diuinis præceptis, & Apoſtolicis monemur inſtitutis, vt pro cunctarum Eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu. Vnde conſequens eſt, debere vos ſcire, quæ apud Romanam aguntur in ſacro ritu Eccleſiam, vt eius ſequentes exempla, eius veri filij inveniamini, quæ veſtra eſt mater vocata.* Quòd ergo Pontifex Romanus auctoritatem habeat docendi omnes Catholicæ Eccleſiæ comminiſtros, ac proinde omnes Chriſtianos, ex divino pręcepto & Apoſtolica traditione ortum ducit. Vnde idem Fabianus ſcribens Epiſt. 2. ad omnes Orientales Epiſcopos, & vniverſos fideles, ait initio: *Exigit dilectio veſtra Sedis Apoſtolicæ conſulta, quæ vobis denegare non poſſumus. Hoc autem & Prædeceſſores noſtros multarum regionum Epiſcopis egiſſe liquet: & Nos, qui in eadem Sede, Domino largiente, collocati ſumus, agere debere fraterna charitas, & obedientiæ debitum compellit. Cura eſt ergò veſtræ ſolicitudini adhibenda, vt ea quæ ſunt ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus ordinata, & inſtigante Spiritu ſancto inſtituta, nec diſsimulatio negligere, nec aliqua præſumptio valeat perturbare.*

15 S. Sixtus II. Papa & Martyr, renunciatus Pontifex anno 257. in Epiſt. 2. ad Fratres per Hiſpaniam conſtitutos, cùm initio præmiſsiſſet, *Flagitamus, vt à tramite Apoſtolicæ inſtitutionis nunquam recedatis, nec à Capite diſsideatis,* (nimirum à Pontifice Romano) *ſed fidem & ordinem, quem Apoſtoli, & Apoſtolici viri ſtatuerunt, abſque hæſitatione teneatis:* ſatis declarat, Apoſtolicam traditionem eſſe, vt omnes fideles plenum mentis obſequium exhibeant doctrinæ, ſive definitionibus prolatis à Capite, id eſt à Romano Põtifice. Deinde, poſt plura declarata iuxta Apoſtolorum traditionem, concludit: *Portemus onera omnium, qui gravantur: quinimmo hæc portat in nobis B. Petrus, cuius vice fungimur legatione, & cuius regula informamur.*

16 S. Dionyſius Papa & Martyr ab anno 258. vſque ad 270. Epiſt. 2. quæ eſt ad Severum Epiſcopum Cordubenſem, qui ipſum conſuluerat, ita loquitur: *Olim, & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuerſali Eccleſiæ, auxiliante Domino, ſubuenire, & quidquid nociuum eſt, auctoritate Apoſtolica corrigere & emendare.* Itaque Pontifices Romani, *olim, & ab initio,* ab ipſo B. Petro Apoſtolorum Principe, proindeque ex ipſius traditione habuerunt fiduciam, & auctoritatem ſubveniendi vniverſali Eccleſiæ, & corrigendi auctoritate Apoſtolica quidquid nocivum eſt. In quonam verò magis ſubvenitur vniverſali Eccleſiæ, quàm in definiendo quæſtiones difficiles emergentes de fide, religione, & moribus? aut quid correctione dignius, quàm errores & falſæ doctrinæ circa eas excitatę à quibuſdã? Habet itaque Pontifex Romanus ex traditione Apoſtolica auctoritatem finiendi eiuſmodi quęſtiones, & damnandi errores. Vnde poſtea inter medium & finem eiuſdem Epiſtolę ſubdit: *Infames omnes eſſe cenſemus, qui ſuam, aut Chriſtianam prævaricantur legem, vel Apoſtolicam aut regularem libenter poſtponunt auctoritatem.*

17 S. Marcellus Papa & Martyr ab anno 304. præſidens Romanæ Eccleſię, in Epiſt. 1. Decretali ad Epiſcopos Antiochenę Provinciæ, referens plura quæ tradita fuerant *à B. Petro Apoſtolo, & à reliquis Apoſtolis & Patribus.*, initio inter ea collocat Primatum Ecleſiæ Romanæ, qui ab Antiochena ad illam traſlatus fuit; & deinde auctoritatem ſupremam atque indeclinabilem, vt ita loquamur, circa directionem & regimen totius Orbis Chriſtiani. Propterea enim ſtatim ait: *Nec ab eius* (Romanæ ſcilicet Eccleſiæ) *diſpoſitione vos deviare oportet, ad quam cuncta Eccleſiaſtica maiora negotia (diuina diſponente gratia) iuſſa ſunt referri, vt ab ea regulariter diſpunantur, à qua ſumpſere principium. Si veſtra vero Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ ceſſit Sedi; nulla eſt quæ eius non ſubiecta ſit ditioni: ad quam omnes, quaſi ad caput, iuxta Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum ſanctiones, Epiſcopi, qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, ſuffugere, eamque appellare debent, vt inde accipiant tuitionem & liberationem, vnde accepe-*

runt

runt informationem atque conſecrationem.

18 Obſervent hæc obiter Conſiliarij, ſeu Miniſtri Regis Chriſtianiſsimi Ludovici XIV. quotquot in Gallia nuper criminati ſunt confugium D. Franciſci Venerab. memorię Epiſcopi Appamienſis, & Capituli eiuſdem Eccleſiæ Sede vacante, ad SS. D. N. Innocentium XI. ob vim & expoliationem bonorum ſibi illatam: vt nihil dixerim de vtroque Parthenone, Tholoſſano, & Charonnenſi, pariter expoſtulante apud Sedem Apoſtolicam. Obſervent, inquam, & videant qualiter eiuſmodi querelæ innitantur Apoſtolicę traditioni. quod ex alijs pluribus SS. Pōtificum & Martyrū hucuſque laudatorū teſtimonijs cōfirmare proclive eſſet, pręter plura alia quæ ſuprà Diſp. XI. diximus, & alibi forſan proferemus. Hęc, inquam, obiter dicta ſunto.

19 S. Melchiades P. & Martyr electus anno 311. in vnica Epiſt. Decretali ad Epiſcopos Hiſpaniæ, qui ipſum conſuluerant de pluribus ſpectantibus ad Sacraméta, proindeque ad fidem, inter plura alia, inquit: *Epiſcopos nolite iudicare, nolite condemnare abſque Sedis huius auctoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim privilegium huic ſanctæ Sedi A TEMPORIBVS APOSTOLORVM ſtatutum eſt ſervare, quod illæſum manet vſque in hodiernum diem.* Deinde oſtendit iuxta divinas litteras ſoli B. Petro, & Succeſſoribus eius in eâdem Sede datum fuiſſe: at poſtea ſubdit, ex iure divino, ſive ordinatione Dei, ſtatutum fuiſſe, *vt maiores cauſæ, & potiorum curæ negotiorum ad vnam B. Principis Apoſtolorum Petri Sedem confluerent, vt inde ſuſcipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium inſtitutionis, ne quando quę à ſuo diſcreparent capite.* Quis autem dubitet, definitionem quæſtionum difficiliū circa fidem & mores cenſeri inter maiores cauſas, & potiorum curas negotiorum; immo & eſſe omnium gravisſimam? Habet ergo ſola Sedes Apoſtolica ex iure divino, & iuxta traditionem Apoſtolorum, auctoritatem ſupremam ad eas finiendas. quam certè non haberet ſi iudicium Romani Pontificis adhuc in ijs eſſet obnoxium errori, aut correctioni præſtandæ per Concilium Oecumenicum, aut reliquam Eccleſiam.

20 Romanis Pontificibus iam laudatis, ſanctitate, & martyrio illuſtribus, adiungo duos alios ſatis vicinos tempori ipſorum, qui licèt ſanguinem pro Chriſto non fuderint, in Sanctorum Confeſſorum album relati ſunt. Prior eorum eſt S. Marcus, qui Pōtificatum geſsit à die 16. Ianuarij 336. vſque ad diem 7. Octobris eiuſdem anni. In eo verò exiguo ſpatio octo menſium & 22. dierum, quo Eccleſiam rexit, inter plura alia ſcripſit Epiſtolam ad S. Athanaſium Alexandrinum, cæteroſque Ægypti Epiſcopos, quæ inter Acta Concilij Nicęni edita invenitur. In ea verò inquit: *Sancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, & Domino providente, & B. Petro Apoſtolo opem ferente, in futuro manebit ſine vlla hæreticorum inſultatione firma & immobilis, &c.* Deinde circa medium, ait: *HÆC APOSTOLORVM VIVA TRADITIO, &c. Hæc ſancta & Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia quæ per omnipotentis Dei gratiam A TRAMITE APOSTOLICÆ TRADITIONIS NVNQVAM ERRASSE PROBATVR, nec hæreticorum novitatibus depravanda ſuccubuit: ſed, vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fine tenus manet, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum Principi in ſuis fatus eſt Evangelijs: Petre, inquit, ecce Sathan expetiuit, vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Conſideret itaque veſtra excellens prudentia, quàm bonum ſit perſiſtere in diſpenſatione vobis credita, & in fide recta, atque hæreticis, & æmulis Chriſti repugnare, & nunquam à veritatis tramite declinare; quoniam Dominus, & Salvator omnium, cuius fides eſt, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos ſuo redemit ſanguine, qui fidem Beati Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit. Quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum; quorum & puſillitas mea licèt impar ſit, & infirma, pro ſuſcepto tamen, divina dignatione, miniſterio, pediſſe qua cupit exiſtere. Væ enim erit vobis, qui huius miniſterij onus ſuſceptum habemus, ſi veritatem Domini Ieſu-Chriſti, quam Apoſtoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus.* Hactenus ibi, & plura alia: ex quibus planè conſtat iudicio S. Marci Papæ, auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, & firmitatem in tuenda ac docenda fide, haberi ex traditione Apoſtolica, innixa verbis & pollicitationi Chriſti D. ad Petrum in

cele-

celebri illo teſtimonio Lucæ 22. quod ſuprà ſect. 2. latè expenſum fuit.

21 Poſterior ex ijs eſt S. Iulius Papa I. eiuſdem Marci Succeſſor ipſo anno 336. qui in Epiſt. 1. Decretali ad Orientales Epiſcnpos prn cauſis Athanaſij, & contra exceſſus in Eccleſiam Romanam commiſſos, plura profert ſatis opportuna eidem ſcopo, ex quibus pauca ſolùm libabo. Etenim columna tertia ait de Romana Eccleſia, ſive Apoſtolica Sede: *Ipſi verò primæ Sedis Eccleſiæ convocandarum generatim Synodorum iura, & iudicia Epiſcoporum, ſingulari privilegio, EVANGELICIS, ET APOSTOLICIS, ATQVE CANONICIS, CONCESSA SVNT INSTITVTIS: quia ſemper MAIORES CAVSÆ ad Sedem Apoſtolicam multis auctoritatibus referri præceptæ ſunt. Nec vllo modo poteſt maior a minore iudicari. Ipſa nanque omnibus maior & prælata eſt Eccleſijs, quæ non ſolummodo Canonum, & ſanctorum Patrum decretis, ſed DOMINI NOSTRI SALVATORIS VOCE SINGVLAREM OBTINVIT PRINCIPATVM. TV ES, inquit PETRVS, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Itaque ex inſtitutis Evangelicis, & Apoſtolicis (id eſt ex divina & Apoſtolica traditione) habet Sedes Apoſtolica ſingulariter ius convocandi Synodos, & dirimendi ſeu terminandi CAVSAS MAIORES, quales imprimis ſunt quæ ad fidem & mores ſpectant.

22 Subdit ſtatim Iulius ipſe: *Porrò dudum à Sanctis Apoſtolis, Succeſſoribuſque eorum* (nimirum, Eleutherio & Victore, qui ad marginem indicantur) *in præfatis antiquis decretum fuerant ſtatutis, quæ hactenùs ſancta, & vniverſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari, quoniam ſanctam Romanam Eccleſiam Primatem omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt. Et ſicut Beatus Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum; ita & hæc Eccleſia ipſius nomine conſecrata, DOMINO INSTITVENTE, prima, & Caput ſit cæterarum, & ad eam quaſi ad Matrem, atque apicem, omnes maiores Eccleſiæ cauſæ, & iudicia Epiſcoporum recurrant, eiuſque iuſta ſententia terminum ſumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem, quatenus non ita protervè, & prohibitu cuiuſpiam ſuo proprio arbitrio, quibuſque Metropolitanis, ſicut agere ſolebant, liceat, inconſulto Romano Pontifice; aut maiores Eccleſiæ cauſas deturbare, aut Epiſcopos damnare, &c.* Itaque, vt disertè teſtatur Iulius, ex inſtitutione Domini; & traditione Apoſtolorum, ad ſolum Romanum Pontificem ſpectat poteſtas ſeu auctoritas congregandi Concilia, & terminandi omnes maiores cauſas (inter quas profectò primum locum habent, quæſtiones difficiles de fide & moribus.) Non terminarentur autem ab ipſo, ſi adhuc eſſet recurſus ad Concilium, vel conſenſum Eccleſiæ accedentem.

SECTO TERTIA.

Veteres quoque Patres Eccleſiæ ſuffragium ferre eidem auctoritati Pontificiæ, veluti habitæ ex traditione Apoſtolorum.

23 HISCE Teſtimonijs nonnulla alia ſubiungo antiquiſsimorum Eccleſiæ Patrum: qui in Romana Eccleſia agnoſcunt auctoritatem docendi reliquas omnes Eccleſias, nec qualemcumque, ſed ex inſtitutione divina, aut etiam traditione Apoſtolica. Imprimis S. Ignatius, diſcipulus Apoſtolorum (quique multos eorum vidit & frequenter audivit, ac quatuor ſolùm annis elapſis à martyrio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Epiſcopus Antiochenæ Eccleſiæ Patriarchalis creatus fuit, nimirum anno Chriſti 71.) in Epiſt. ad Romanos ipſorum Eccleſiam appellat, nō ſolùm πεφωτισμένην, & πνευματοφόρον, id eſt *illuminatā & ſpiritu plenam*, ſed etiam omnibus alijs ſuperiorem, veluti quæ per voluntatem Dei ijs προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, *præſidet in loco regionis Romanorum.* Eccleſiam autem illuminatam, & ſpiritu plenam, ac voluntate Dei præſidentem cæteris, habere iure divino ſive inſtitutione Dei auctoritatem ad eas docendas in fide & moribus, videtur manifeſtum. Quare poſtea circa mediū Epiſtolæ loquens de SS. Clein & Clemente Succeſſoribus B. Petri in eiuſdem Eccleſiæ Cathedra, inquit: *Qui igitur ijs non obedit, atheus prorſus & impius eſt, & Chriſtum contemnit, ET CONSTITVTIONEM EIVS IMMINVIT.* Ergo iuxta Ignatium, conſtitutionis divinæ eſt, vt omnes obediant, atque adeò exhibeant non ſolum voluntatis, ſed mentis obſequium Romano Pontifici, vſque adeò, vt quiſquis id detrectat, cenſeatur veluti atheus, ſive Deum ipſum negans.

23 Id ipſum clariùs adhuc tradit S. Ire-

S. Irenæus, Vir Apoſtolicorum temporum, cùm fuerit auditor S. Polycarpi Epiſcopi Smyrnæ, & diſcipuli S. Ioannis Evangeliſtæ. Etenim lib. 3. contra hæreſes cap. 3 cùm præmiſiſſet, Romanam Eccleſiam conſtitutã fuiſſe ab Apoſtolis Petro & Paulo, & ab his habuiſſe traditionem ad annuntiandam hominibus fidem per ſucceſsiones Pontificum, ait: *Ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam; hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.* Nimirum, traditio Apoſtolica vt omnes in dubijs quęſtionibus de fide & moribus conſulant Romanam Eccleſiã id eſt, Pontificem in ea ſedentem. Deinde adiungit ſeriem Romanorum Pontificum à B. Petro, ac nominatim memorat S. Clementem, *qui & vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis adhuc inſonantem eorum prædicationem, & traditionẽ ante oculos haberet. Non ſolus enim: adhuc multi ſupererant tunc ab Apoſtolis docti. Sub hoc igitur Clemente, diſſenſione nõ modica inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres facta, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſsimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recenti receperant ab Apoſtolis traditionem.* Legendus præterea idem Irenæus lib. 4. cap. 43. & inſuper quoddam ipſius fragmentum Græcum apud Euſebium lib 5. Hiſtor. Eccleſ. capit. 19. verbis illis; ταῦτα τὰ δόγματα Φλώριν; &c.

24 Tertullianus, & ipſe antiquiſſimus, qui non multo poſt Irænęum tempore florere in Eccleſia cœpit, dum Catholicus eſſet nonnulla ſcripſit, ex quibus haud difficilè colligatur, ipſum pariter traditioni Apoſtolicæ tribuiſſe auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiẽdo. Legendus præcipuè libro de Præſcriptionibus: vbi ad præſcribendum contra hæreticos firmam aliquam regulam, præmittit cap. 19. *Vbi apparuerit eſſe veritatẽ, & diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianorum.* Deinde ſtatim progreditur ad cap. 20. & in eo oſtendit, regulam firmam ad Inveniendũ legitimum Scripturæ ſenſum, petendam eſſe ab Apoſtolis, qui cum Chriſto converſati ſunt, & ab eius divino ore, illuſtrationeque Spiritus ſancti, pleniſsimè inſtructi fuerunt, vt intelligerent Scripturas. Porrò Apoſtolos in Eccleſijs matricibus, quas fundarunt, diſſeminaviſſe traditiones à Chriſto & Spiritu ſancto acceptas: ideoque ab ijs Eccleſijs Apoſt. diſcendũ eſſe quidquid ſpectat ad Scripturam, fidem, & pietatem. *Etenim omne genus ad originem ſuam recenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes.* Nimirum, quamvis aliquæ ſint Eccleſiæ præcipuæ ab ipſis Apoſtolis fundatę, quę propterea *Apoſtolicæ* dici mereantur, denominatione ſumpta ab auctoribus ſuis; omnes tamen ſunt vna, quia omnes ex vna, ſcilicet ex Primitiva Apoſtolica. Cùm verò præterea addat, omnes illas eſſe vnam primam & Apoſtolicam, quaſi matricem & radicem omnium aliarum inferiorum; quoniam immediatè accepit ab Apoſtolis traditiones; videamus inter Apoſtolicas Eccleſias, quam præferat omnibus alijs, & cæteris ſuperiorem agnoſcat in tradenda doctrina fidei. Certè illam eſſe vult Romanam: de qua poſtea cap. 36. inquit: *Iſta quã felix Eccleſia! CVI TOTAM DOCTRINAM APOSTOLI CVM SANGVINE SVO PROFVDERVNT; Vbi Petrus paſsioni Dominicæ adæquatur; Vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Vbi Apoſtolus Ioannes, poſtea quàm in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. VIDEAMVS QVID DIDICERIT, QVID DOCVERIT. Videamus quid didicerit; quid docuerit, quid cũ Africanis quoque Eccleſijs conteſſerarit; Vnum Deum nouit Creatorem vniuerſitatis, & Chriſtum IESVM ex Virgine Maria Filium Dei Creatoris, & carnis reſurrectionẽ. Legem, & Prophetas cum Euangelicis, & Apoſtolicis litteris miſcet, & inde potat fidem. Eam aqua ſignat; ſancto Spiritu veſtit, Euchariſtia paſcit, martyrium exhortatur; & ita aduerſus hanc inſtitutionem neminem recipit. Hæc eſt inſtitutio, non dico iam quæ futuras hæreſes prænuntiabat, ſed de qua hæreſes prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ ſunt aduerſus illam. Etiam de oliuæ nucleo mitis, & opimæ, & neceſſariæ aſper oleaſter oritur. Etiam de papauere ficus gratiſsimæ & ſuauiſsimæ ventoſa, & vana caprificus exurgit. Ita hæreſes de noſtro fructificauerunt, non noſtræ: Degeneres veritatis grano, & mendacio ſylueſtres.* Cùm itaque Romana Eccleſia iudicio Tertulliani nõ ſolùm ſit Apoſtolica, ſed præ cæteris felix, quoniã in illam Apoſtoli totam doctrinam cum ſanguine ſuo profuderunt; cùm etiã tam anxiè quærat, *quid illa didicerit* ab eiſdem Apoſtolis, *quid docuerit*; cenſet abſdubio ex traditione illorum derivatum, quod illa docet, teſtaturque ab ijs acceptum. Docet autem Eccleſia Romana, ac ſæpiſsimè teſtata

Z eſt

eſt per Pontifices ſuos, præſertim antiquiſſimos, ſanctitate & martyrio illuſtres, ijs competere autoritatem finiēdi omnes quæſtiones graves ac difficiles de fide & moribus: vt vidimus ſect. 1. & 2. Cenſuit itaque Tertullianus eiuſmodi auctoritatem conſtare ex Apoſtolica traditione. Vide præterea ipſum eodē lib. de Præſcriptionibus cap. 21. 22. & 23. præſertim adiunctis Scholijs doctiſsimi Chriſtiani Lupi, quæ nuper nobis è Bibliotheca ſua communicavit nobiliſsimus iuxtà & eruditiſsimus D. D. Didacus de la Cueva, & Aldana, in Salmanticenſi Eccleſia Canonicus S. Scripturæ Interpres, in Academia verò Theologiæ Veſpertinus ac celeberrimus Antecesſor, nunc iam electus Epiſcopus Valliſ-Oletanus, & naturæ genio, ac magnæ animæ dotibus formatus ad ſumma. Denique idem Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. inquit: *Videamus quod lac à Paulo Corinthij hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti, quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſij, quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatū reliquerunt, &c.*

25 Poſſet idipſum confirmari pluribus teſtimonijs aliorum Patrum. Sed quoniam maioris ponderis ſunt in hac parte antiquiores, vtpote Apoſtolis proximiores, cæteros prætermittendos duxi. Sufficiat vnum vel alterum indicare obiter: & primò quidem Cyprianum florentem circa annum Chriſti 250. dum lib. 1. Epiſt. 3. ait de quibuſdam: *Navigare audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, & nec cogitant eos eſſe Romanos, ad quos perfidia habere nō poteſt acceſſum.* Quod nullatenus diceret S. Doctor, niſi vel ex ſacris litteris, vel ex Apoſtolica traditione certus eſſet, Pōtificem Romanum ex Cathedra S. Petri definire non poſſe, aut Romanos docere aliquid fidei cōtrarium. Idem collige ex S. Gregorio Nazianzeno in Carmine de vita ſua ante medium dicente: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet: ſicut decet Vrbem, quæ toti Orbi præſidet, ſemper de Deo integram fidem habere.* Nimirum, à temporibus Apoſtolorū, quorum traditiones retinet, & iuxta quas ex cathedra D. Petri totum Orbem Chriſtianum docet.

26 Quod ſi verò quiſpiam contendat, in teſtimonijs tota hac ſectione allegatis palam non haberi quòd auctoritas Romani Pontificis in definiendo ſit certa iuxta Apoſtolicam traditionem, ſed ſolùm id à nobis colligi per ratiocinationem: haud gravatè feram. Cæterum in duplici priori ſectione adeò illuſtria eius veritatis teſtimonia ex ſanctis illis Primitivæ Eccleſiæ Pontificibus ac Martyribus dedi, vt cauſæ noſtræ patrocinio non ſit opus alijs teſtibus, niſi ſummùm ad exornationem aliquam eiuſdem doctrinæ. Neque enim obeſſe poteſt quòd aliquarum ex ijs Epiſtolis Pontificum fides vacillet apud pleroſque eruditos Recentiores. Adhuc enim plures earum germanæ & explorata habentur. quin & ex alijs indubitatis ſequentium Pontificum, Conciliorumque, ac Patrum teſtimonijs ſparſis in hoc Opere, comprobatur doctrina in ijs tradita. Idque ex inſtituto præſtabimus Diſput. ſequenti ſect. 1. circa Epiſtolam illam Iulij I. Papæ ſupra citatam num. 21. & 22. quæ inſtar multarum eſt, & vehementiùs impeti ſolet, prǽter plura alia, quæ dabimus infrà Diſp. XXX. pro auctoritate Epiſtolarum Decretalium.

27 Claudo denique ſectionem verbis laudati Tertulliani citato lib. de Præſcriptionibus cap. 20. quòd ex ijs eruatur argumentum ineluctabile pro doctrina hucuſque aſſerta. *In ſumma*, inquit, *ſi conſtet id verius, quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apoſtolis; PARITER VTIQVE CONSTABIT, ID ESSE AB APOSTOLIS TRADITVM, QVOD APVD ECCLESIAS APOSTOLORVM FVERIT SACROSANCTVM.* Atqui ſolam Sedem Apoſtolicam, ſive Romanum Pontificem habere auctoritatem ad finiēdum quaslibet controverſias graves ac difficiles de fide & moribus, non eſt doctrina hoc vel illo ſæculo inventa, ſed longè priùs tradita; nec vtcumque priùs, ſed ab initio, & veluti ſacroſancta in ipſa Eccleſia matrice Apoſtolorum: vt probatum fuit ſect. 1. & 2. & abundè conſtat ex toto ferè contextu huius Tractatûs. Ergo auctoritas prędicta Sedis Apoſtolicæ, ſive Romani Pontificis, eſt planè ab Apoſtolis tradita. Quare etiam ex hoc capite debet cenſeri omnino certa ſecundùm Catholicam fidem. Alioquī nullus facilè apparet locus, vt quidquam aliud in Eccleſia Catholica fuiſſe traditū ab Apoſtolis indicetur, & proinde fide divina credatur. Vix enim alia veritas habet plura aut potiora fundamenta, vt cenſeatur ab Apoſtolis tradita.

******

DIS-

DISPVTATIO XXIV.

AN AVCTORITAS INFALLIBILIS Sedis Apoſtolicæ pronuntiantis de fide & moribus ſit definita in Concilijs Oecumenicis.

TERTIVS Locus decretorius apud omnes Catholicos ad oſtendendum aliquid tanquam fide diuina certum, ſumitur ex doctrina Conciliorum Vniuerſalium, nimirum congregatorum auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & ab ipſa confirmatorum. Quare poſtquam ex alijs duobus locis, tum Scripturæ ſacræ, tum Traditionis Apoſtolicæ, auctoritatem Romani Pontificis in definiendo circa fidem & mores immunem ab omni erroris periculo demonſtrauimus, oportet nunc illam ipſam ex Concilijs oſtendere. Id verò breviter præſtãdum erit: quoniam multa huc ſpectãtia iam in ſuperioribus tradita ſunt. Eademque cauſa vix indicabimus exceptiones, quibus Aduerſarij poſſent occurrere. Satis enim in decurſu totius Tractatus præoccupatæ fuerunt.

SECTIO PRIMA.

Auctoritatem Romani Põtificis ex cathedra definientis, palam fuiſſe traditam in Concilijs Oecumenicis: ac primùm quidem in Magna Nicæna Synodo, cuius decreta quædam expenduntur contra nuperam Declarationem Cleri Gallicani. Vbi de Canonibus Sardicenſibus.

PRIMVM Concilium Oecumenicum Eccleſiæ fuit Nicænum anno Chriſti CCC. XXV. ſub Sancto Sylveſtro Papa, imperante Conſtantino Magno, celebratum à trecentis octodecim Patribus, quorum multi ſanctitate eximia, miraculis, & cruciatibus antea pro fide Chriſti toleratis, inſignes erant. Ideo tot laudes & præconia meruit in tota Eccleſia ab eo tempore: vt fusè oſtendimus Tom. II. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. LV. Porrò in ea Magna Synodo videtur fuiſſe palam definita auctoritas ſuprema Romani Pontificis ad finiendum omnes maiores cauſas, ac proinde controverſias fidei & morum, quę primum inter eas locum obtinent. Etenim S. Iulius I. Papa, qui Pontifex renũtiatus fuit an. Chriſti CCC.XXXVI id eſt, quindecim annis poſt idem Cõcilium celebratum, inquit in Epiſt. ad Orientales Epiſcopos: *Conciliorum conuocandorum iura, & maiores cauſas, ad Sedem Apoſtolicam, Euangelicis Apoſtolicisque inſtitutis referri oportet. Id a Sanctis Apoſtolis, & Succeſſoribus eorum: id à Nicæna Synodo definitum eſt.* Vbi comprehendit tres præcipuos locos ad comprobandum veritatem hanc, veluti certam ex fide: nimirum, ex Evangelio (cuius ſtatim verba allegat, *Tu es Petrus, &c.*) ex Apoſtolica traditione, ac tandem ex definitione Conc. Nicæni.

3 Idem teſtatur ipſe in Epiſt. ad Epiſcopos congregatos Antiochiæ, totidem ferè verbis, & ſubdit, *definitum fuiſſe in Nicæna Synodo, non debere præter ſententiam Romani Pontificis vllo modo, aut Concilia celebrari, aut Epiſcopos damnari: cui maiora Eccleſiarum negotia ab ipſo Domino ſpeciali priuilegio tradita ſunt.* Citatque cap. 18. eiuſdem Concilij ſic loquentis: *Omnes Epiſcopi in grauioribus cauſis liberè Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam quaſi matrem confugiant: Cuius diſpoſitioni omnes maiores cauſas antiqua Apoſtolorum auctoritas reſeruauit.* Vbi Concilium Nicænum non ſolùm definit veritatem in qua verſamur: ſed etiam reſtatur, illam fuiſſe acceptam ex antiqua Apoſtolorum traditione. Quo ipſo denuo confirmantur quæ in pręced. Diſp. per totam à nobis ea de re dicta ſunt.

4 Præterea ibidem allegat cap. 19. eiuſdem Concilij in hæc verba: *Quanquam accuſati Pontificis cauſam comprouincialibus Epiſcopis ſcrutari liceat; non tamen inconſulto Romano Pontifice definire: cùm B. Petro Apoſtolo non ab alio, quàm ab ipſo Domino, dictum ſit, quæcumque ligaueris, &c.* Vbi Patres Concilij planè agnoſcunt, eandem B. Petri poteſtatem auctoritatemque Romano Pontifici eius Succeſſori fuiſſe communicatam. Alioqui perperam & extra rem ex poteſtate Petro tradita à Domino colligerent, ſolius Romani Pontificis eſſe definire cauſas Epiſcoporum.

5 Quid ſi opponas, ea Concilij Niceni teſtimonia nunc nõ extare in exemplaribus, quibus frequenter vtimur; nihil obeſt. Imprimis enim, Iulius Papa, qui annis ſolùm quindecim poſt Concilium Eccleſiam gubernavit, teſtatur, & quidem ſub gravi iu-

ſamento, ea decreta ab ipſo Concilio edita fuiſſe. Deinde, fuit vita & integritate morum excellens, propereaque in Sanctorum album relatus: vt proinde nefarium ſit dubitare de veritate teſtimonij ipſius. Rurſus illã ipſam Epiſtolam ſcribebat adverſus multos ex ipſis Epiſcopis Antiochiæ congregatis, qui eidem Concilio Nicæno interfuerant: neque vlla veri ſpecies eſt, quòd iis obijceret canones eius Synodi, quos ipſi negare poſſent, aut dicere ab ipſo Pontifice Iulio confictos. Cùm verò plerique eruditorum emunctioris naſi eam Epiſtolam Iulio abiudicent, & ſuppoſititiam cenſeant, oportebit oſtendere, doctrinam illam ſive decretum verè fuiſſe editum in Synodo Nicæna. Id verò ſuadetur imprimis. nã Theodoretus lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticę teſtatur, S. Athanaſium oppreſſum iniuſtis calumnioſiſque iudicijs Arianorum, appellaſſe & confugiſſe ad præſidium Iulij Romani Pontificis: ipſoſque Arianos miſsis ad eundem Pontificem Epiſtolis proſequutos vtcũque apud ipſum causã illam. Athanaſius verò (ait idem Theodoretus) τῷ τῆς Ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ, *canonem ſequutus Eccleſiæ*, Romam advenit: vbi & Iulius ipſe adverſarijs illius diem dixit. Verè itaque fuerat editus Canon Eccleſiæ de appellationibus Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam, vt ab ea illorum iudicia finirentur. At eiuſmodi Canon alius non fuerat, quàm Nicænus à Iulio in ea Epiſtola memoratus. Neque enim eſſe potuit Canon 3. 4. aut 5. Concilij Sardicenſis, in quibus idem ſtatutum fuit: quoniam appellatio illa Athanaſij præceſsit Sardicenſem Synodum, teſte eodem Theodoreto ibidem cap. 5. Ergo verè in Canone aliquo Synodi Nicænæ id ordinatum fuerat, vt Iulius in ea Epiſtola teſtatur. Vide ſuprà Diſp. VIII. numero 34. & 41. ac præterea Guilielmum Lindanum Epiſcopum Gandavenſem in Dubitantio Dialogo I. cap. 36. vbi verba illa relata ex Concil. Nicæno vindicat ab impugnationibus.

6 Idipſum teſtantur plurimi alij Epiſcopi, qui eidem Concilio præſentes fuerunt. nimirum, S. Athanaſius, & Pontifices Ægyptiorum, Thebaidis, ac Lybiæ, in Epiſt. ad S. Felicem II. Pap. qui electus fuit paucis annis poſt obitum prædicti S. Iulij, nimirum circa annum CCCLVI. Etenim inter alia inquiunt: *Scimus in Nicæna magna Synodo ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari.* Vera igitur & certiſsima eſt allegatio illorum capitum Concilij Nicæni, quæ apud Iulium Papam legitur. Quin & in eadem Epiſtola S. Athanaſij, & Epiſcoporum aliorum, Romanus Epiſcopus dicitur, *CAPVT ALIORVM ET DOCTOR ORTHODOXÆ DOCTRINÆ.* quo titulo planè ſignificatur ſumma auctoritas Romani Pontificis ad tradendam doctrinam rectam & conſentaneam fidei, quæ proinde nulli prorſus errori obnoxia ſit, nec reformari poſsit, aut pendeat, vel à Concilio, vel à conſenſu Eccleſiæ accedente.

7 Accedunt teſtimonia aliorum Pontificum ſæculi ſequentis, nimirum S. Innocentij I. in Epiſt. ad Victricium, ſeu Victorinum cap. 3. (cuius verba exſcripſimus ſuprà Diſp. V. num. 12. & 13.) & S. Leonis Magni in Epiſt. ad Theodoſium Iuniorem: qui duo aiunt, ea decreta in Concilio Nicęno habita fuiſſe. Quod ipſum poſtea teſtatus pariter fuit Pelagius Papa, immediatus Gregorij Magni prædeceſſor: & habetur 17. d. cap. *Multis.* Sed & eandem doctrinam nomine Concilij Nicæni allegant in ſexta Synodo Carthaginenſi Fauſtinus, Philippus, & Aſellius, Legati Apoſtolicæ Sedis ex litteris Zoſimi, Romani Pontificis ab anno CD. XVI. Itaque res videtur comperta, de qua nec minimùm dubitare liceat. Neque enim in his teſtimonijs Innocentij I. Leonis Magni, Pelagij Papæ, aut Zoſimi, vel Sextæ Synodi, partem aliquam habuit Iſidorus ille Mercator, aut Peccator; ſicut neque in ſcriptis Theodoreti, quem num. 5. allegavimus pro veritate illius Nicęni Canonis. Vnde & robur accipit Epiſtola Ægyptiorum Epiſcoporum ad Felicem II. Papã allegata ſimiliter num. 6. quãvis ea Baronio, alijſque eruditis non probetur, ſed ſuſpecta ſit, aut ſuppoſititia appareat. Ex dictis enim ſatis confirmari videtur quidquid ferè in ea legitur, quamvis aliquot errata aut aſſumenta forſan irrepſerint incuriã aut vitio exſcriptorũ in tam longo ſæculorũ curſu. Quin & Ioannes Malderus Epiſcopus Antverpienſis doctiſsimus, longè paucioribus, quàm nos, fundamentis innixus, 2. 2. q. 1. diſp. 3. nõ dubitavit dicere: *Certum eſt in primo Concilio Nicæno conteſtatam fuiſſe hanc Romanæ Sedis auctoritatem: vt patet ex Concilio Chalcedonenſi Actione XVI.*

8 Porrò capita, illa à S. Iulio, & alijs Pontificibus Romanis Epiſcopiſque allegata, quãvis edita fuiſſent à Patribus Concilij Nicæni, poſtea fraudulenta hæreticorũ manu cũ pluribus alijs capitibus eiuſdẽ Synodi ablata & incenſa fuerunt: vt teſtatur laudatus S. Athanaſius, & cęteri Africę Epiſcopi in dicta Epiſt. Et idem Athanaſius in alia ad S. Marcum Papam immediatũ Succeſſorẽ S. Sylveſtri, cuius tempore celebrata fuit Nicæna Synodus, teſtatur, capita eius Concilij fuiſſe ſeptuaginta: quod & ipſe Marcus confirmat reſcribens Atha-

Athanaſio. Eorum verò plurima perierunt,& inter ea illa duo à S. Iulio allegata. de quo conqueritur Felix Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Ægyptios, id tribuens hæreticorum fraudi. An verò fuerint ſeptuaginta numero à principio, vti Athanaſius & Marcus affirmant,an octoginta, aut quot, diſcutiunt Alphonſus Piſanus, Franciſcus Turrianus, & Cardinalis Baronius ad annum 325. à num. 56. vſque ad 80. Id certum eſt, iam ab antiquis temporibus ſolùm extare viginti Canones,ſeu Capita, quæ tum Græcè, tum Latinè habentur in frequentibus editionibus Conciliorum. Quidquid verò ſit de varijs Recentiorum opinionibus,præſertim eorum qui accuratiori indagine pervestigant arcana Hiſtoriæ & eruditionis Eccleſiaſticæ, atque in ijs Sirmondi, Labbei, Marcæ, Baluzij, Lupi, & Caballutij; res comperta eſt,tum ex teſtimonijs indicatis,tum ex alijs pluribus,verè editum fuiſſe Canonē illum à principio in Concilio Nicæno, licèt hodie in eius exemplaribus non extet. Nec enim credibile eſt, vel Hincmarum ſæculo nono, vel quoslibet eruditos noſtri temporis potuiſſe id meliùs examinare, quàm Patres longè viciniores eidem Concilio, in ſuperioribus allegatos. Vide etiam infrà toto num. 12.

9 Omnia verò capita, ſeu quidquid decretum fuit in ea Magna Synodo, antequā ipſa diſſolveretur,confirmatum fuit à S. Sylveſtro Papa. Etenim,vt teſtatur Lindanus vbi ſuprà cap. 91. in vetuſtiſsimis exemplaribus Actorum Nicænorum, & nominatim in Coloniensi,extant hæc verba Hoſij, Macarij, Victoris,ac Vincentij, Præſidum eiuſdem Synodi ad Sylveſtrum Papā: *Quidquid inter alia constituimus in Concilio Nicæno, precamur,veſtri oris conſortio cōfirmetur. Data 8. Kal. Iulias, Paulino & Iuliano CC.* Itaque miſsis Canonibus Synodi Romam à Constātino Magno, & à Patribus Nicænis ad Sylveſtrum,vt confirmarentur, hic in Concilio Romano CC.LXXV. Epiſcoporum, hāc confirmationis formulam edidit: *Quidquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur ſanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ à ſanctis Sacerdotibus 318. noſtro ore conformiter confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitionē ſancti & Magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt ſub præſentia pijſſimi ac venerandi Principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus. Et dixerunt omnes, PLACET.* Ita enim teſtatur Dionyſius Exiguus in Præfatione eiuſdem Concilij. Propterea que Iſidorus ait,Nicænam Synodum regulas edidiſſe,quas *ROMANA SVSCIPIENS CONFIRMAVIT ECCLESIA.* Ita ille in Præfatione eiuſdem Concilij. Quin & multò antea Patres Synodi II. Romanæ ſub Felice III. Papa,aliàs II. coactæ an. 484. in litteris ad Clerum Regiæ Civitatis dixerunt: *Trecenti decem & octo SS. Patres apud Nicæam cōgregati,confirmationem rerum, atque auctoritatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt. Quam vſque ad noſtram ætatē Succeſſores omnes cuſtodiunt.* Videtur itaque omnino certū, auctoritatē Romani Pōtificis ad dirimendū vltimo & irreformabili iudicio omnes maiores cauſas,ac proinde graviſſimas omniū, quales ſunt quæ ad doctrinam fidei & morum ſpectant, fuiſſe definitam in Concilio Nicæno,omniū Vniverſaliū primo.

10 Viderint autem Illuſtriſsimi Galliarum Præſules Lutetiæ congregati die 19. Martij 1682. cuiuſcumque demum auctoritatis,doctrinæ,aut eruditionis ſint,quomodo non contradicant præiactis decretis Magnæ illius & ſacroſanctæ Synodi: cuius comparatione omnis alia congregatio Epiſcoporum,& quælibet Comitia Eccleſiaſtica, non dico vnius,ſed multorum Regnorum, longè inferiora exiſtimari debent. Tot enim & tanti Patres ſanctitate, martyrio, miraculis, ac doctrina clariſsimi, & planè admirandi,ad illam convenerunt, vt nunquam alia æqualis poſtea in Eccleſia cōgregatio viſa fuerit. Nimirum, de illa dixit S. Leo Magnus Papa Epiſtola 53. quæ eſt ad Anatolium Conſtantinop. Epiſcopum. *Nulla ſibimet de multiplicatione Synodalis congregationis Synodalia Concilia blandiantur, nec trecentis illis decem & octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum,vel cōparare ſe audeat,vel præferre: cùm tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata,vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum,quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.* Et paucis interiectis ſubiungit: *Sancti illi,& venerabiles Patres,qui in vrbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate dānato, manſuras vſque in finē mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum cōdiderunt; & apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt: & ſi quid vſquam aliter, quā illi ſtatuerant, præſumitur, ſine cunctatione caſſetur: vt quæ ad perpetuam vtilitatē generaliter inſtituta ſunt,nulla commutatione varientur.* Præterea in Epiſt. ad Pulcheriam, quæ eſt 55. ait: *Quoniā contra ſtatuta paternorū canonū, quæ ante longiſsimæ ætatis annos in vrbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis,nihil quidquā audere conceditur, ita vt*

ſi

ſi quis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quã illa corrumpat: quæ ſi (vt oportet) à cunctis Põtificibus intemerata ſervẽtur, per vniuerſas Eccleſias trãquilla erit pax, & firma cõcordia, nullæ de menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegijs ambiguitates, nulla erũt de aliena vſurpatione certamina; ſed ea quæ iure charitatis rationabilis eſt, & morum, & officiorum ſervabitur vnitas. Denique in Epiſt. 66. inquit: *Tanta eſt apud me Nicænorum Canonum reverentia, vt ea quæ ſunt a ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſſerim, nec patiar aliqua novitate violari.*

11 Cùm itaque tantæ auctoritatis ſit magna illa Synodus Nicæna, relate ad quælibet poſteriora Concilia, etiam Generalia; & celebrata à longè copioſiori numero Patrum; quantò præſtantior erit quibuslibet Comitijs Illuſtriſsimorũ illorum Galliæ Præſulum? Quare quidquid ab his nuper declaratum fuit quoddammodo derogans ſummæ auctoritati Pontificis Romani, ſive in ordine ad quæque Concilia, ſive circa omnes cauſas maiores terminandas (quales imprimis ſunt controverſiæ ortæ de fide & moribus) nullius momenti reputari debet, vel ex hoc ſolo capite, quo adverſatur decretis Concilij Nicæni, quamvis nihil aliud contra ſe haberet.

12 Fuit verò ea doctrina Nicænæ Synodi ſpeciatim circa auctoritatem Romani Pontificis ſtatim recepta à tota Eccleſia, veluti certa ſecundùm fidem, & cõfirmata vſu ipſo, tum S. Sylveſtri Papæ probantis decreta Nicænæ Synodi in Concilio Romano, verbis num. 9. exſcriptis: tum appellatione ipſa S. Athanaſij ad Iulium I. Papam num. 5. memorata: tum denique in Concilio Generali Sardicenſi (quod fuit veluti appendix Nicæni) Canone 3. 4. & 5. vt paulò pòſt videbimus. Quin & eadem doctrina longè ante Conciliũ Nicænum tradita fuerat à S. Marcello Papa in Epiſtola 1. Decretali ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, cuius verba exſcripſimus & expendimus ſuprà Diſp. VIII. ſect. 5. num. 40 & ſeqq. Ideòque S. Damaſus Papa, qui quadraginta duobus poſt idem Concilium annis nimirum Chriſti 367. aſſumptus fuit in Pontificatum, ſcribens ad trium Conciliorum Africanorum Epiſcopos dixit: *Summas cauſarum definiri abſque Sedis Romanæ auctoritate non licet: Synodumque ſine eius auctoritate fieri, NON EST CATHOLICVM. Nec vlla Concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta Apoſtolica auctoritate. Eſt enim FIRMAMENTVM A DEO FIXVM ET IMMOBILE omnium Epiſcoporum Apoſtolica Sedes, & vertex Eccleſiarum: ſupra quam Chriſtus Vniverſalem fundauit Eccleſiam: Ait enim, TV ES PETRVS, &c.* Vbi auctoritati Concilij Nicæni adiungit aliam ex Evangelio deſumptam. Quin & eundem Canonem Nicænum iam ſuprà indicatum memorari videtur Iulius I. Papa ibidem laudatus in Epiſtolâ ad Orientales, omnium iudicio germanâ, prout habetur in Apologia ſecunda S. Athanaſij, & legitur apud Binium Tomo 1. Conciliorum editionis Pariſienſis anni 1636. Ibidem enim Iulius ipſe Euſebianis cõtradicentibus appellationi S. Athanaſij ad Sedem Apoſtolicam, & nolentibus Romã venire ad reddendam ſui rationem, ita loquitur, inter plura alia, colũna 4. *Oportuit igitur vos, dilectiſsimi, huc accedere, & nequaquam tergiverſari, vt res ad finem deducatur: id enim ratio requirit.* Nimirum, ita exigebat Canon ſive Decretum antea editum in Concilio Nicæno, vt cauſæ maiores, & iudicia Epiſcoporum, apud Sedem Apoſtolicam finirentur. Quod ipſum in Synodo Sardicenſi poſtea confirmatum fuit Can. 3. & 4. vbi cavetur, *vt ſiquis Epiſcopus fuerit depoſitus iudicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinia, & dicat rurſus ſibi defenſionis negotium competere, non priùs in cathedram alius ſubſtituatur, quam ὁ τῆς Ῥωμαίων Ἐπίσκοπος ἐπιγνοὺς περὶ τούτου ὅρον ἐξενέγκῃ. Romanus Epiſcopus cauſa cognita ſententiam tulerit.* Hæc ibi propoſuit Gaudentius Epiſcopus, quæ ſtatim Canone 5. confirmantur latiùs ab Hoſio Præſide eiuſdem Concilij, nomine Apoſtolicæ Sedis. Et tandem concluditur: ἀπεκρίναντο οἱ Ἐπίσκοποι, τὰ λεχθέντα ἤρεσεν, id iſt: *Reſponderunt Epiſcopi: Quæ dicta ſunt, placuerunt.* Vide etiam Canonem 9. & lege Opuſcula D. Petri Marca pagina 215. §. VII. ac Præfationem Baluzij in eadem Opuſcula §. 11. & ſeqq. pro auctoritate eorundem Canonum Sardicenſium. quorum exemplar M.S. vetuſtiſsimũ ac fideliſsimum extans apud Chriſtophorum Iuſtellum, vidêre & attentiſsimè notavêre ij duo celebres Scriptores: in quo ijdẽ Canones palã habebantur poſt Nicænos. Nec verò propterea exiſtimo, Canones illos, qui à SS. Pontificibus Innocentio I. Leone Magno, alijſque Patribus antiquis, citantur nomine Concilij Nicæni, eſſe eoſdem ac Sardicenſes: quamvis ita cenſuerit ſæculo nono Hincmarus, & noſtro plerique eruditorum. Non enim videtur vero ſimile S. Innocentium I. Papam electum anno 402. qui in iuventute potuit de facie & alloquio nôſſe multos ex Patribus Nicænis, ita hallucinatum, vt pro Canonibus Sardicenſibus appellaret Nicænos, nullo inter vtroſque diſcrimine habito. Idem di-

dicendum de S. Leone Magno, qui & pariter Innocentium noſſe potuit. Quare adhuc permiſſo quòd Epiſtolæ illæ Pontificum Iulij I. & Marci ſectione 1. allegatæ vacillent, & computentur inter merces Iſidori, ex reliquis teſtimonijs, & pluribus alijs quæ de induſtriâ omitto, videtur palam conſtare, doctrinam illam fuiſſe traditam in Concilio Nicæno, quamvis non extet in ipſius exemplaribus. Denique fingamus gratis, nullatenus vnquam in Concilio Nicæno definitam fuiſſe supremã illam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, tam acriter impetitam in nupera Declaratione Cleri Gallicani, & recentiùs adhuc ab Auctoribus Vindiciarum Pariſienſium, Notarumque in Cenſuram Hungaricam, quas multis menſibus poſt abſolutam huius Operis editionem videre licuit. Quid inde? An non eadem ipſa in Concilio Sardicenſi Oecumenico palam ſtatuta fuit? Neque enim audiendus eſt Ioannes Gerbaſius, ſive Gerbais, nuperus Doctor Pariſienſis, in libro de Cauſis Maioribus edito anno 1679. & proſcripto ac fulgurito à Sede Apoſtolica anno 1680. die 18. Decembris, in quo Auctor ille, non ſolùm adverſus Marcam, & cæteros ferè omnes ſcriptores Gallos, ſed etiam adverſus totam antiquitatẽ Chriſtianam, auſus fuit tradere *doctrinam ſchiſmaticam, & de hæreſi ſuſpectam, & Sanctæ Sedi iniurioſam* (his enim cenſuris notatur à SS. Dom. N. Innocentio XI.) ac repugnantem doctrinæ prædictorum Canonũ Sardicenſium. Et quidem non primùm in ijs tradita fuit, ſed ab initio Eccleſiæ recepta à tempore ipſo Apoſtolorum, & teſtata à pleriſque Pontificibus vtroque Concilio, Nicæno & Sardicenſi, antiquioribus: vti oſtenſum fuit Diſp. XXIII. proximè præcedenti ſect. 1. & latiùs Diſp. VIII. præſertim ex plurimis ipſorum Epiſtolis Decretalibus, quarum licèt demus nutare aliquas, aut aſſutis centonibus & parachroniſmis fuiſſe vitiatas, plures adhuc inconcuſſæ & germanæ permanent.

SECTIO SECVNDA.

Eandem doctrinam fuiſſe apertè confirmatam in plurimis alijs Concilijs Generalibus, quorum teſtimonia exſcribuntur, aut iam in ſuperioribus exſcripta indicantur. Clauſula huius Tractatus.

13 EX Concilijs Generalibus Nicæno poſterioribus facilè & fusè poſſemus eandẽ veritatẽ oſtendere. Verum cùm id iam præſtiterimus ſupra, præſertim Diſp. IX. ſect. 2. 3. & 5. ſufficiet nunc indicare loca ibidem exſcripta, vt ibidem conſulantur, & nunc quædam aliorum Conciliorum Generalium teſtimonia ſubiungere. Ac primum quidem in Synodo III. Oecumenica, id eſt Epheſina, doctrinam definitam à S. Cœleſtino Papa, & in litteris eius contentam, fuiſſe ab omnibus Patribus probatam veluti cœleſte Oraculum, traditum à CVSTODE FIDEI, & veluti ab ipſo Petro, &c. iam ſuprà Diſp. VIII. ſect. 6. num 52. & ſeqq. latè oſtenſum fuit, nec inculcare oportet.

14 In Synodo IV. Generali, id eſt Chalcedonenſi, celebrata tempore S. Leonis Papæ cognomento Magni, anno 451. Coſs. Marciano & Adelpho, ſexcenti, & triginta Patres congregati protulerũt hæc verba, quæ exſcribit S. Thomas in Opuſculo contra errores Græcorum: *Veneramur ſecundũ Scripturas, & Canonum definitionem, ſanctiſſimum Antiquæ Romæ Epiſcopum primũ eſſe & maximum Epiſcoporum.* Atque inferiùs: *Siquis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſentẽtiam apellãdi ad Beatiſsimum Epiſcopum Antiquæ Romæ: quia habemus Petrum Petram refugij, ET IPSI SOLI LIBERA POTESTATE LOCO DEI SIT IVS DISCERNENDI SECVNDVM CLAVES A DOMINO SIBI DATAS: ET OMNIA AB EO DIFFINITA TENEANTVR, TANQVAM A VICARIO APOSTOLICI THRONI.* Quid clariùs? Neque obſtat quòd hæc verba eius Concilij à D. Thom. allegata non legantur in illius exemplaribus modò extantibus. Etenim iam olim S. Gregorius Magnus lib. 5. Epiſt. epiſt. 14. ad Narſem Comitem conqueſtus eſt, Græcos occultaſſe verba quædam eius Synodi. Vide ſuprà Diſp. VIII. num. 57. Putandum autem eſt, verba abraſa, ea fuiſſe, in quibus Sedis Apoſtolicæ invitis Græcis auctoritas aſſerebatur.

15 Deinde in eius Synodi Actione I. S. Leo Papa dicitur Apoſtolicum gubernare thronum, & Sedes Romana Caput omnium Eccleſiarum. Similiter Actione II. cùm lecta fuiſſet Epiſtola Leonis, Patres vna voce clamaverunt: *Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem loquutus eſt.* Et Actione III. Romanum Pontificem DOMINVM NOSTRVM dicunt, eidemque acclamantes *Apoſtolicum & Vniverſalem appellant*, illiuſque doctrinam, tanquam à B. Petro traditam, amplectuntur: ac tandem vniverſa dogmata à ſe tradita in ea Synodo optant Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmari. Quæ omnia manifeſtè oſtendunt, eius Concilij communi ſenſu iudicium Sedis Apoſtolicæ in controverſijs fidei eſſe ſupremum, & fide divina certum. Vnde cùm idem

Leo

Leo Papa Dioſcorum condemnaſſet, tota Synodus dixit: *Sanctiſsimus Archiepiſcopus Magnæ Romæ, vna cum ter beatiſsimo Petro, qui eſt Petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudavit eum Episcopatus dignitate.* Denique in Epiſtola Synodali ad eundem Leonem gratulantur Patres, quòd Dominus dediſſet tantum Antiſtitem Apoſtolicæ Sedi, VNDE RELIGIONIS NOSTRÆ FONS ET ORIGO MANAT. Quapropter Nicolaus I. Papa ſanctiſsimus & celeberrimus aliquot poſtea ſęculis ſcribens Epiſt. 9. quæ eſt ad Michaelem Auguſtũ, & loquens de eâdem Synodo Chalcedonenſi & Epiſtola Dogmatica S. Leonis, aiebat: *Epiſtola S. Leonis Papæ apud omnes Orientales Epiſcopos ita extitit venerabilis, vt eam COLVMNAM ORTHODOXIÆ vocarent, & omnes in ea, Præſule Conſtantinopolitano Anatolio ſubſcriberent: ITA VT CHALCEDONENSIS MAGNA SYNODVS, NIHIL DEFINIISSE, NIHIL RESPVISSE, NIHIL SVSCEPISSE, NISI QVOD VEL ILLA, VEL VICES APOSTOLICÆ SEDIS IBI RESERVANTES, DEFINIERVNT, PROIECERVNT, VEL ADMISSERVNT, PENITVS AGNOSCATVR.*

16 In Synodo V. Generali coacta apud Conſtantinopolim annò 554. ſub Vigilio Papa, & Iuſtiniano Auguſto, omnes Patres congregati ſubſcripſerunt ſententiæ contra Anthymum latæ à Menna Patriarcha Cõſtantinopolitanõ, qui nomine ſuo, & cæterorum adiecit: *Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus, ſicut charitas veſtra ſcit, & ipſius communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa & nos condemnamus.* Non teſtarentur autem ſe Apoſtolicam Sedẽ ita ſequi, niſi in ea auctoritatem ſupremam & infallibilem agnoſcerent ad ferendum iudicium in cauſis maioribus, immo & ſummis, quæ ad fidem & mores ſpectant.

17 Sed illuſtrius multò eſt teſtimonium Sextæ Synodi Generalis etiam Conſtantinopoli coactæ an. 680. ſub S. Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Imperatore. Ibidẽ enim Act. IV. habetur Profeſsio fidei, quam idem Agatho ad Concilium miſerat, & poſtea repetit in ſuggeſtione Synodica (ſic enim ibi appellatur) cui innumeri ferè Epiſcopi ſubſcripſerunt, quæque poſtea à toto Concilio probata fuit in Actionib. VIII. XIII. & XVII. Verba autem Profeſsionis Synodicæ, hæc ſunt: *Beati Apoſtoli adnitente præſidio hæc Apoſtolica eius Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. HVIVS AVCTORITATEM, vtpote Apoſtolorum omnium Principis, SEMPER OMNIS CATHOLICA CHRISTI ECCLESIA, ET VNIVERSALES SYNODI, FIDELITER AMPLECTENTES IN CVNCTIS SECVTÆ SVNT, OMNESQVE VENERABILES PATRES APOSTOLICAM EIVS DOCTRINAM AMPLEXI: per quam & probatiſsima Chriſti Eccleſiæ luminaria claruerũt, & ſãcti quidẽ Doctores Orthodoxi venerati atque ſecuti ſunt: hæretici autẽ falſis criminationibus ac derogationum odijs inſecuti. Hæc enim Apoſtolica Chriſti Eccleſia per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nũquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt ab exordio Chriſtianæ fidei percepit ab auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fine tenus permanet, ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, Petre, Petre, ecce Sathan expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum. Ego autem pro te rogaui vt non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos. Quod Apoſtolicos Pontifices meos prædeceſſores confidenter feciſſe, ſemper eſt cognitum.* Hucuſque non ſolus S. Agatho Papa, ſed totum illud Generale Concilium, quod ea verba omnia toties in citatis Actionibus probat. Deinde verò Act. XVIII. eadẽ Synodus palam profitetur, Romanum Epiſcopum Agathonem eſſe Succeſſorem in Sede Principis Apoſtolorum.

18 Porrò locus præiactus eſt adeò illuſtris, vt ſolus ille ſufficeret ad reddendam fide divina certam auctoritatem Sedis Apoſtolicę in definiendis fidei controverſijs abſque vllo erroris periculo. Quapropter mitto plura alia eiuſdem Synodi teſtimonia ſuprà exſcripta Diſp. IX. ſect. 2. num. 13. & 14.

19 Idipſum ferè traditur in Synodo VII. Generali, id eſt, Nicæna II. celebrata à 340. Epiſcopis anno 787. præſentibus Legatis Adriani I. Papę, imperantibuſque Conſtantino Auguſto, & Irene eius matre. Teſtimonia eius præcipua dedimus eadem Diſp. IX. num. 19. & 21.

20 Idem etiam habetur in Synodo VIII. Generali habita Conſtantinopoli anno 869. ſub Adriano II. præſentibus ipſius Legatis. Varios eius locos exſcripſimus & fusè expendimus Diſp. IX. citata ſect. 5. ferè per totam à num. 34. Nunc præterea obſervare oportet hæc Patrum congregatorum verba, prout referuntur à Cardinali Turrecremata

lib. 2.

lib.2.cap.109. *Sequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem, ſperamus, vt in vna communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur : IN QVA EST VERA ET INTEGRA CHRISTIANÆ RELIGIONIS SOLIDITAS. Quare non conſentientes Apoſtolicæ Sedi, eorum nomina inter ſacra myſteria non ſunt recitanda.* Præterea in eadem Synodo approbatur Epiſtola Ignatij Patriarchę CP. ad Adrianum Papam, in qua eadem doctrina traditur. Denique Seſsione poſtrema Canone 21. Synodus Romanam Sedem vocat *SEDEM PRINCIPIS APOSTOLORVM.*

21 In Concilio XIV. Generali, aliàs II. Lugdunenſi ſub Gregorio X. quod celebratum fuit anno 1274. aſſeritur, Romanũ Pontificem eſſe Vicarium Ieſu-Chriſti Succeſſorem Petri, Rectoremque Eccleſiæ vniverſalis. Lege cap. *Vbi periculum* de elect. in Sexto. Deinde ipſi Græci, qui antea ſchiſmatici erant, & ſubiectionem detrectabant erga Romanum Pontificem, ibidem plenam ipſi obedientiam profitentur, & in illo agnoſcunt *ſummum ac plenum Primatum & Principatum ſuper vniverſam Eccleſiam Catholicam, cum poteſtatis plenitudine* : ac præterea aiunt : *Siquæ de fide fuerint ſubortæ quæſtiones, ſuo debent iudicio definiri.* Vide Epiſtolam Michaelis Imperatoris CP. ad eundem Gregorium X præfixam Actis eius Concilij, præſertim col. 3. vbi hæc & plura alia habentur.

22 In Concilio Viennenſi, Id eſt XV. Generali ſub Clemente V. Papa anno 1311. tit. 1. qui eſt vnicus de Summa Trinitat. & Fide Cathol. palam habetur, declarationem dubiorum fidei dumtaxat ſpectare ad Sedem Apoſtolicam. Verba illius exſcripſimus ſupra Diſp. XIV. num. 3.

23 In Concilio Conſtantienſi (vnde Adverſarij aliquid pro ſe habere diu multumque laborant) nihil habetur præiactæ doctrinæ contrarium, ſi rectè intelligantur verba Seſsionis IV. & V. vt latè oſtenſum fuit in ſuperioribus, præſertim Diſp. XV. & XVI. Quin potiùs ex damnatione quorundam articulorum Vvicleffi, quæ habetur Seſs. VIII. & XV. apparet Concilium ipſum agnoviſſe in Romano Pontifice certo atque indubitato plenam & ſupremam auctoritatem in totam Eccleſiam, proindeque ad dirimendum quæſtiones fidei. Vide quæ Diſp. citata XV. num. 29. obſervavimus : ſimiliterque plura alia ſpectantia ad Concilium Baſileenſe, quod initio quidem Generale & legitimum fuit : ſed cùm primùm cœpit reſiſtere Romano Pontifici, eiuſque auctoritati bellum indicere, deſijt eſſe Synodus legitima, & tranſijt in Conciliabulum, aut conventiculum, vt poſtea definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſs. XI. Quæ omnia à nobis dicto loco fusè tradita ſunt, nec inculcare oportet.

24 In Concilio Florentino celebrato ſub Eugenio IV. Papa anno 1438. eadẽ doctrina confirmata fuit vno animo & voce ab omnibus Patribus Latinis & Græcis Seſs. vlt. & ab iiſdem ſubſcripta eſt. Verba exſcripſimus Diſp. XV. mox citata num. 31. Adde plura alia ex Gregorio Hieromonacho, Magno Protoſyncello, in Epiſt. Græcolatina, quæ poſt Acta eiuſdem Concilij invenitur edita contra Marcum Epheſium : ex qua plura huc ſpectantia obſervavimus Diſp. XVI. num. 54. & ſeqq.

25 In Concilio Lateranenſi pariter Generali inchoato ſub Iulio II. anno 1511. & finito ſub Leone X. anno 1517. poteſtas ſuprema Papę in totam Eccleſiam, & nominatim ſupra Concilium Oecumenicum, palã definita fuit Seſs. XI. cuius verba pręcipua exſcripſimus Diſp. XV. num. 34. Indidem verò manifeſtè colligitur auctoritas infallibilis Romani Pontificis independens à Concilio Generali, ſicut & in hoc nullam eſſe auctoritatem ad definiendum ſine conſenſu & approbatione Romani Pontificis.

26 Denique in Concilio Tridentino eadem doctrina videtur expreſsè tradita in Decreto ipſo de recipiendis & obſervandis decretis Concilij : cuius verba exſcripſimus & expendimus ſuprà Diſp. XV. num. 37. 38. & 39. nec repetere opus eſt.

27 Cùm hęc ita ſint, videant quicumque nullo præiudicio exoculati ſunt, quomodo non ſit certa ſecundùm fidem auctoritas Sedis Apoſtolicæ, ſive Pontificis Romani ad definiendum quaſlibet controverſias difficiles de fide & moribus, iudicio certo, vltimo, & irreformabili, ſine dependentia à Concilio Generali, vel conſenſu Eccleſiæ accedente. Sanè ſi non eſt certa ſecũdùm fidem doctrina, quę planè conſtat ex multis Scripturæ teſtimonijs intellectis iuxta communem ſenſum SS. Patrum, ex traditione Apoſtolica inconcuſſa, & ex definitionibus Conciliorum Generalium (qualem eſſe oſtendimus in hiſce Diſputationibus XXII. XXIII. & XXIV doctrinam de auctoritate infallibili Romani Pontificis) neſcio quęnam alia à Catholicis habenda ſit certa ſecundùm fidem, aut quomodo ab aliquo ex ijs iam de cætero oppoſitum credatur ſine manifeſto periculo violandæ fidei. Poterunt itaque fortaſsis excuſationem aliquam obtendere ij, quibus antea abductis contraria opinione, aut non ſatis in-

ſtructis circa hanc controverſiam, aut aliquo præiudicio occupatis, religioni non fuit oppoſitæ doctrinæ adhærere. At poſt tot & tam decretoria Scripturę, Traditionum Apoſtolicarum, & Conciliorum Generalium teſtimonia, pręter innumera alia Patrum in ſuperioribus exſcripta, & poſt communem totius Eccleſiæ ſenſum à tempore Apoſtolorum vſque modo fusè demonſtratum per ſingula ſæcula, non apparet vllus excuſationi locus.

28 Spero itaque in Domino, ſi hęc quæ protulimus, præſertim in hiſce tribus poſtremis Diſputationibus, examinentur vti oportet à Sede Apoſtolica, prodíturum ab ea decretum ſimile Edicto Imperatoris Marciani executorio Concilij Chalcedonenſis, illis aut ſimilibus verbis ipſius cap. 3. *Ceſſet profana contentio. Nam verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam aliquid ſuæ opinioni tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ eſt in medio & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. QVISQVIS ENIM POST VERITATEM REPERTAM ALIQVID VLTERIVS DISCVTIT, MENDACIVM QVÆRIT.*

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS

CATHEDRA S. PETRI VINDICATA: PONTIFICES ROMANI ERRORIBVS IMMVNES.

PROOEMIVM.

QVAMVIS Tractatu præcedenti auctoritas infallibilis CATHEDRÆ S. PETRI latè ſtabilita fuerit, tanquam certa ſecundùm fidem, non propterea deſunt difficultates, & argumenta plura, quibus impetatur. Nec mirum ſanè id cenſeri debet: cùm ferè nullum Chriſtianæ fidei myſterium in Concilijs Oecumenicis traditum ſit, quod impugnatores acerrimos non habuerit; antequam definiretur, Catholicos; poſtquam definitum ab Eccleſia fuit, hæreticos. Deinde notum eſt, quanto ſtudio Sectarij, præſertim huius ſæculi, & proximè præcedentis, convellere tentaverint auctoritatem Conciliorum Generalium, & quot argumentis, partim ex Scriptura, partim ex teſtimonijs Patrum, partim denique ex antinomia Canonum, illam impugnaverint: quamvis irrito planè conatu, vt vidimus Tomo I. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. II. Itaque nemini mirum eſſe debet, ſi auctoritas infallibilis Cathedræ S. Petri, ſive Sedis Apoſtolicæ, aut Pontificis Romani ad pronuntiandum de fide & moribus, quam hactenus aſſeruimus, veluti fide divina certam, impugnatores habeat, non modò Heterodoxos omnes, ſed etiam aliquos ex Catholicis, atque in ijs Illuſtriſsimos illos Præſules Galliarum, qui die 19. Martij Pariſijs Declarationem illam ediderunt ſuprà Diſp. II. exſcriptam. Quare ſupereſt omnium eorum præcipua argumenta obijcere, & ſolvere, præter nonnulla quæ iam ſupra Diſputationibus XI. XV. XVI. & XVII. diluta ſunt. Antè verò quàm id præſtemus oportet præmittere Diſputationem quandam, quæ cautioni & præſidio ſit ad extricandos facili negotio plures nodos occurrentes.

DIS-

DISPVTATIO XXV.

QVONAM SENSV A NOBIS ASSERATVR; auctoritas infallibilis Cathedræ S. Petri, & qualiter generatim ab impugnationibus vindicanda ſit.

PLVRES Quæſtiones, præſertim hoc ſcripturiente ævo, interminæ evadunt, & libros implent, ſeu potius paginas onerant, quoniam initio earum non proponitur dilucidè ſenſus in quo verè exagitantur ab Auctoribus. Quare initio huius Tractationis viſum præmittere, quonam ſenſu aſſeramus infallibile iudicium Cathedræ S. Petri ſiue Romani Pontificis pronuntiantis de fide aut moribus. Sic fiet, vt brevius expediantur Diſputationes ſequentes.

SECTIO PRIMA.

Controverſiam eſſe ſolùm de Pontifice Romano, vt tali; & non circa quæſtiones ſolius facti, ſed iuris; nec qualiſcumque, aut humani, pendentis ab ipſorum arbitrio, ſed diuini aut naturalis; & hoc tantùm vbi ex cathedra definiunt.

2 ATQVE Id imprimis præmittendum, quamvis valde probabile ſit, & à pleriſque Theologis traditum, neminem ex Romanis Pontificibus ritè electis vnquam hæreticum fuiſſe, ne ad breve tempus quidem; immo nec eſſe poſſe, iuxta præſentem Dei providentiam; adhuc tamen nos nullatenus inniti eidem opinioni ad hanc controverſiam dirimendam. Nimirum cùm illa ſit ſolùm probabilis, & cuius contrariam, aut de facto, aut ſaltem de poſsibili, non pauci nec ignobiles Theologi tuentur; vacillat eius auctoritas, nec tanti eſt, vt ſupra illam extruere poſsimus, quam in Diſputatione hac aſſerere volumus, doctrinam, velut omnino certam & Catholicam. Sinamus itaque, aut permittamus hoc loci, poſſe Romanum Pontificem, vt perſona quædam privata eſt, errare in fide, idque non ſolùm ex ignoratione, aut negligentia, ſed pertinaciter, ita vt verè ſit hæreticus, ſaltem ad breve aliquod tempus, & apud Deum. Demus etiam, id aliquando accidiſſe: quamvis oppoſitum ſit nobis non modò longè probabilius, ſed moraliter certum, vt ſuo loco oſtendemus. Adhuc locus eſt huic controverſiæ, quæ nō procedit de Pontifice Romano, prout eſt perſona privata, ſed publica, ſive quatenus Pontifex ſupremus eſt, & ex cathedra Sedis Apoſtolicæ pronuntians aliquid circa fidem aut mores, tanquam credendum & ſequendum ab omnibus fidelibus. Hoc ſenſu procedit Diſputatio, & inquirit, an eius iudicium ſit prorſus infallibile & irreformabile, quod proinde nulli errori ſubiaceat.

3 Vnde obiter refelluntur qui in hac re mediam quandam viam excogitarunt, diſcernentes Romanum Pontificem ab Eccleſia Romana, & aientes, non hanc, ſed illum, errare in fide poſſe. Si enim loquantur de Pontifice Romano, quatenus talis eſt, & ex cathedra definiens modo explicato; perinde eſt ipſi errorem affingere, ac Romanæ Eccleſiæ. Huius enim nomine, quod ad præſens attinet, ſolùm intelligimus Sedem illam, ſeu cathedram, aut tribunal, ad quod ex toto Orbe Chriſtiano acceditur ad poſtulandum reſponſa & oracula in quæſtionibus fidei & morum. Eo autem fine non acceditur ad cœtum fidelium omnium Eccleſiæ Romanæ, nec ſe orſim aut in ſingulari conſideratorum, nec in commune (hoc enim ſenſu, nunquam conſulitur Romana Eccleſia, nec reſponſa edit) ſed ad Romanum Pontificem, quatenus talis eſt, & prout cathedram ſive Sedem Apoſtolicam regit. Ipſe enim eſt quem in ijs quæſtionibus moris eſt & fuit conſulere à tempore naſcentis Eccleſiæ vſque modò: vti abundè oſtenſum fuit in ſuperioribus. Quare dum ij Auctores aiunt, Romanam Eccleſiam in reſponſis & oraculis ſuis de fide & moribus errare non poſſe; id ipſum de Romano Pontifice, quatenus tali, fateantur neceſſe eſt. Ad hæc, poteſtas ſuprema ligandi, ſolvendi, paſcendi, regendi omnes fideles, congregandi & confirmandi Concilia, dum dicitur & creditur eſſe apud Eccleſiam Romanam, non intelligitur eſſe apud fideles omnes illius, ſive in ſingulari, ſive in cœtu conſideratos; ſed apud Sedem Apoſtolicam, ſive Romanum Pontificem, vt talem, qui ſolus ea omnia munia obit, vt patet. Pariter ergo dum auctoritas infallibilis pronuntiandi de fide & moribus dicitur eſſe apud Eccleſiam Romanam, id non de fidelibus om-

omnibus in ea habitantibus, ſive ſeorſim, ſive coniunctim, accipitur; ſed de ſola Sede Apoſtolica, ſive Romano Pontifice, quatenus illi præeſt. Deinde, privilegium firmitatis in fide tenenda & tradenda, non fuit datum cœtui aut populo Romano, ſaltem immediatè, ſed Petro, eiuſque Succeſſoribus in Sede Apoſtolica, verbis illis Chriſti Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* de quo plura in progreſſu. Quare perinde omnino eſt aſſerere Romanæ Eccleſiæ firmitatem in tenenda & tradenda fide, ac illam adſcribere Petro, & ipſius legitimis Succeſſoribus, quatenus tales ſunt: vtpote à quibus illa eiuſmodi firmitatem communicatam habet.

4 Præmitto rurſus, non eſſe controverſiam circa quæſtiones ſolius facti, nec nos aſſerere Romano Pontifici auctoritatem infallibilem quoties de ijs iudicat, aut ſententiam fert è tribunali. Quippe certum videtur, in ijs dirimendis errare illum poſſe, ſive ex pravo affectu, ſive ex ignoratione alicuius legis aut circunſtantiæ peculiaris, ſive ex negligentia aliqua in diſcuſſione cauſæ, ſive denique ex ſiniſtra depoſitione teſtium. Quapropter cap. 5. de Reſcriptis Alexander III. Papa ſcribens ad Archiepiſcopum Ravennatem inquit: *Si quando aliqua fraternitati tuæ dirigimus, quæ animum noſtrum exaſperare videntur, turbari non debes, neque moveri, aut credere quòd perſonam tuam contemptibilem velimus reddere: quia te ſicut chariſſimum fratrem noſtrum affluentiſſima charitate diligimus, & honoris, & exaltationis tuæ deſideramus modis omnibus incrementum. Nam etſi ſæpè fratribus, & Coepiſcopis noſtris, ſecundùm veritatē eorum, quæ nobis ſuggeruntur, aſperè, & durè ſcripſimus; hoc tamen non ex minori affectione contingit, ſed vt clamoribus querelantium ſecundùm Deum, & officij noſtri debitum ſatisfacere comprobemur. Quapropter monemus prudentiam tuam, & hortamur attentiùs, quatenus de cætero non movearis, neque turberis, nec tuus animus deijciatur, ſi tibi durum, vel aſperum ſcripſimus; ſed ſicut providus & diſcretus qualitatem negotij, pro quo tibi diligenter ſcribitur, conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis rationabilem cauſam prætendas: quia patienter ſuſtinebimus ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.*

5 Similiter Innocentius III. cap. 20. eodem titulo reſcribens Amarico Canonico S. Hilarij Pictavienſis ait: *Super litteris, quæ ab aliquibus ex malitia, &c. à nonnullis ex ignorantia* (tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate) *impetrantur à nobis diverſos intelleximus diverſa ſentire, alijs aſſerentibus, eos debere prorſus carere omni commodo litterarum, cùm mendax precator carere debeat penitus impetratis; alijs verò dicentibus, quod etſi forma careret debeant in litteris noſtris expreſſa, nihilominus iuxta rigorem iuris ſit à delegato iudice in negotio procedendum, &c.* Si autem ex ſiniſtra teſtium depoſitione, aut oratoris narratione, Romanus Pontifex deceptionem ſubire poteſt; nihil mirum quòd erret in quæſtionibus facti, damnando innocentem, abſolvendo reum, concedendo Beneficia indignis, aut dignioribus non largiendo. Immo & Concilia ipſa Generalia in quæſtionibus ſolius facti, ſive circa determinatas perſonas, errare poſſe ex ſimilibus cauſis, ac nonnunquam erraſſe; res comperta eſt ex ipſa Conciliorum Hiſtoria. Nec tamen ideo probamus inane effugium Ianſeniſtarũ ſup. Diſp. XXI. præcluſum, quo damnationem doctrinæ ſui Anteſignani, ritè prolatam à Pontificibus Vrbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VIII. eludere volunt per recurſum ad errorem in quæſtione ſolius facti. Oſtenſum eſt enim ibidem, eam evaſionem nullum habere locũ; quoniam ipſiſsimæ propoſitiones damnatæ habentur apud Ianſenium eiſdem verbis ac ſenſu, quo damnatæ fuerunt à Sede Apoſtolicæ.

6 Poſſunt etiam Romani Pontifices ignorare peculiaria ſtatuta alicuius Regni, Provinciæ, Eccleſiæ, vrbis, aût Religionis, vel mores in ijs receptos: vt fatetur Bonifacius VIII quamvis legum peritiſsimus, in Sexto Decretalium lib. 1. tit. 2. de Conſtitutionibus cap. 1. dicens: *Licèt Romanus Pontifex (qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem (quamvis mētionem de ipſa non faciat) revocare noſcatur: quia tamen locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta (cùm ſint facti, & in facto conſiſtant) poteſt probabiliter ignorare; ipſis (dum tamen ſint rationabilia) per conſtitutionem à ſe noviter editam (niſi expreſsè caveatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* Idipſum conſtat ex cap. *Bonæ* 4. § *Intelleximus*, de poſtulat. Prælat. iuncto cap. 1. & ſeqq. 29. Diſt. cap. *Cùm olim* & de Cleric. coniug. Legendus prętereà de S. Damaſo S. Baſilius Epiſt. ad Terentium, prout eſt

eſt apud Baronium in Martyrologio ad diem 12. Februarij, vbi de Meletio: atque Anaſtaſius Bibliothecarius in Notis ad oram ſexti Canonis Septimæ Synodi Generalis, quam è Græco in Latinum vertit. Itaque poteſt contingere, Pontificem Romanum aliquid generatim præcipere, neſcium alicuius conſuetudinis, vel ſtatuti rationabilis huius vel illius Eccleſiæ, Provinciæ, immo & Regni, quod relatè ad totum Orbem Chriſtianum pars ſolùm eſt. Quòd ſi poſtea veritate cognita nolit impedire eam conſuetudinem, aut ſtatutum, ſed potiùs probet eius continuationem in eo loco, manente lege & obligante pro reliquis Regionibus, Eccleſijs, & locis; non propterea ſibi contradicit, nec pugnantia pręcipit.

7 Quin & fieri poteſt in iјs quæ iuris humani ſunt, vt propter mutationem temporum, & circunſtantiarum, aliqui Pontifices Romani pręcepta Deceſſorum ſuorum abrogent; aut è converſo, quæ ab iјs permiſſa fuerant, ſub pręcepto prohibeant: quoniam varietas temporum, locorum, & circunſtantiarum, poteſt plurimùm ad mutationem humanarum legum, & facere vt quæ initio convenientes fuerant, ſucceſſu temporis reddantur noxiæ. Quare Pontifices aliquando corrigentes, mutantes, aut abrogantes ſtatuta Deceſſorũ ſuorum, ex cauſa rationabili, non ideo errant, neque eos erroris notant: quia potuit fieri vt tam anteriores, quàm poſteriores Pontifices habita ratione ſui temporis, diverſa decreta ederent prudẽter ac iuſtè: & modò aliquid præciperent, modò vetarent, modò vtrumvis liberè eligendum permitterent. Cuius doctrinæ plurima exempla occurunt in iure Canonico, ſicuti & in Civili: immò & de tota Eccleſia, nulli errori obnoxia, obſervant Patres Concilij Senonenſis in Gallia celebrati anno 1528. in Generali Decreto Fidei columna 2. dum aiunt: *Vniverſos inſuper, qui aliter, QVAM ROMANA CREDIT ET PRÆDICAT ECCLESIA, credere & pertinaciter aſſerere attentant; eiuſmodi Concilij* (nimirũ Lateranenſis Generalis) *auctoritate, velut hæreticos, & pertinaces, & a communione fidelium ſeparatos declaramus. Eccleſia quippe vniverſa errare non poteſt: vtpote quæ regitur Spiritu veritatis, ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet vſque ad conſummationem ſæculi. Quæ etſi diverſa, & nonnunquam (quod ſæpiùs Neoterici hæretici obyciunt) pugnantia propoſuerit decreta, nihil tamen eſt in tanta decretorum multitudinẽ, quod fidei orthodoxæ adverſetur. Sed ab vno eodemque Spiritu edocta fuit, vt ita pro conditione temporum ſtatueret, vt viſum fuerit conducibilius.* Quapropter, tum Heterodoxi, tum Catholici ij, quibuſcum contendimus hoc loci, dum ex decretis contrarijs Pontificum circa res iuris humani, ab ipſorum arbitrio pendentes, & mutabiles pro varietate temporum & locorum, auctoritatẽ, vel Conciliorum Generalium, vel Romani Pontificis, obnoxiam errori volunt, *telum imbelle ſine ictu* proijciunt, aut nodum in ſcirpo quærunt.

8 Nec præterea quęſtio eſt quando Pontifex Romanus reſpondet ad quędam dubia ſibi propoſita, non tanquam ex cathedra definiens, ſed tanquam ſingularis Doctor, ſecundùm ſententiam propriam, vel aliorum ſuo tempore pręvalentem inter peritos. Tunc enim nõ vtitur auctoritate ſuprema Sedis Apoſtolicæ, cui ſoli annexum eſt privilegium pronuntiandi de fide & moribus abſque vllo errore: ſed ſolùm innititur doctrinę probabiliori apud ſe, vel apud peritos ſui temporis, quæ ſanè errori obnoxia eſt. Hoc ſenſu Pontifices Romani nonnunquam inveniuntur aliquid reſpondiſſe aut decreviſſe iuxta opinionem ſuo ipſorum ævo receptam, quæ tamen poſtea falſitatis convicta fuit: vt patet ex varijs locis extantibus in iure Canonico, v. g. ex Epiſtola quadam Gregorij II. Papę ad Bonifacium Epiſcopum, ſcripta circa annum, non quidem 714. vt quidam aiunt, ſed 741. de muliere, quæ correpta infirmitate nequit perſolvere debitum viro: ſimiliterque ex alia Stephani II. Papæ electi anno 752. in Reſpõſionibus cap. 2. circa matrimonium, in quo alter coniugum eſt leproſus aut energumenus. Si enim doctrina illorum locorum accipiatur de ſolutione Matrimonij quoad vinculum (prout Interpretes exponunt) dicendum eſt, loquutos eos Pontifices iuxta opinionem celebrem ſui temporis, quæ & tradita fuit in Concilio Compendienſi anno 757. cuius Canones 18. memorantur ab Eghinarto, alijſque Chronologis: & in 16. eorum dicitur: *Si vir leproſus mulierem habeat ſanam, ſi vult ei dare commeatum, vt accipiat virum; ipſa fœmina, ſi vult, accipiat: ſimiliter & vir.* Hanc itaque ſententiam interdum ſecuti videntur Pontifices paulo ante laudati: non tamen illam ex cathedra tradiderunt: hoc eſt, non propoſuerunt tanquam credendam, aut amplectendam ſemper & vbique ab omnibus fidelibus: ſed ſolùm veluti ſingulares Doctores ſe accommodarunt ſenſui gravium Auctorum ſui ævi in ea re, qui poſtea deprehenſus fuit à veritate alienus. Quod ipſum dictum accipe in Reſcriptum Alexandri III. Papæ ad Archiepiſcopum Salernitanum,

ſuum, quod habetur lib. 4. Decretalium tit. 4. de Sponſa duorum cap. 3. & ſimiliter in c. 7. de Divortijs: quibus locis Pontifices Romani teſtantur ſe aliter decernere, quàm aliqui eorum Prędeceſſores ſenſiſſent.

9 Vnde hallucinantur abſdubiò quicumque ex ijs aut ſimilibus doctrinis quorundã Romanorum Pontificũ loquentium iuxta ſententias probabiliores ſui temporis colligere tentant, poſſe illos errare dum de fide aut moribus pronunciant, ex fine docendi totam Eccleſiam, ſive cœtum omnium fidelium. quod eſt loqui ex Cathedra Sedis Apoſtolicæ. Hoc enim non faciunt niſi ſpeciatim ac diu imploratâ Spiritus ſancti ope; & præmiſſa conſultatione conveniente iuxta ſubiectam materiam, maturoque iudicio præeunte, ad pręſcriptum ſacræ Scripturæ, doctrinæque iam antea ab Eccleſia definitæ, & à SS. Patribus traditæ. Illud verò facilius pręſtant more aliorum doctorum piorumque hominum. Cùm enim graviſsimis totius Eccleſiæ regendæ curis, & immenſa ferè occupationum mole opprimantur, nequeunt ſummam illam diligentiam quotidie in Epiſtolis aut Reſcriptis frequentibus adhibere, quæ ad definiendum ex Cathedra de fide aut moribus neceſſaria eſt: ideoque interdum reſpondent iuxtà opinionem ſuo ipſorum tempore probabiliorem, quæ tandem aliquando deprehenditur falſa.

10 Sic & in Concilio Generali Viennenſi ſub Clemente V. Papa celebrato anno M.CCC.XI. quod apud omnes Catholicos ſummæ auctoritatis eſt, declaratũ fuit, probabiliorem eſſe ſententiam quæ docet, in Sacramẽto Baptiſmi ſimul cũ remiſsione peccatorum infundi gratiam inhærentem, & habitus virtutum: veluti ſacris litteris, Patribus ac Theologis conformiorem. Non tamen definita fuit veritas eius ſententiæ: quoniam fundamenta illius non fuerunt viſa tanti ponderis Concilio Viennenſi, vt ſufficerent ad proferendam definitionem pro illa: nec Patribus affulſit lux neceſſaria, vt ferrent de ea iudicium vltimum. Pariter quoque Romani Pontifices inſtituentes feſtum Conceptionis Deiparæ, ipſique ſolemnitatem addentes quotidie, non propterea definierunt hactenus ſanctitatem in primo inſtanti animationis, nec Concilium Tridentinum Seſs. V. de Peccato Originali agens: ſed eam quæſtionem indefinitam reliquerunt: quoniam adhuc Eccleſia expectat vlteriorem Spiritus ſancti illuminationem ad eam vltimò dirimendam. Sic denique poſtremi Pontifices, & in ijs Alexander VII. ingruente acri diſsidio Theologorũ circa quæſtionem illam, *An ſufficiat attritio ſine aliqua Dei dilectione propter ſe ad iuſtificationem intra Sacramentum Pœnitentiæ*, non eſt auſus eam definire, ſed potius graviter prohibuit quamlibet cenſuram alterutrius opinionis. Quod ipſum poſtea generatim ſtatuit circa quaſvis controverſias inter Catholicos exagitatas SS. D. N. Innocentius XI. in celebri Diplomate, quo damnat illas LXV. propoſitiones, dum concludit: *Tandem vt ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alij quicumque in poſterum ſe abſtineant, & vt paci, & charitati conſulatur; idem ſanctiſsimus in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, vt tam in libris imprimendis, ac prædicationibus, &c. caveant ab omni cenſura, & nota, & a quibuſcumque convicijs contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à ſancta Sede recognita ſuper eiſdem propoſitionibus iudicium proferatur.*

SECTIO SECVNDA.

Definitiones Pontificis Romani ex cathedra pronuntiantis de fide, aut moribus, tanquam iure naturali aut divino præceptis, vel prohibitis, eſſe prorſus infallibiles, nec vllam ſupplicationem Synodalem, aut Regiam admittere. Illuſtratur doctrina Concilij XV. Toletani, in ſpeciem contraria.

11 ITAQVE Tunc solùm aſſerimus auctoritatem infallibilem, ſive nulli vnquam errori obnoxiam, Romano Pontifici, cùm ex cathedra Sedis Apoſtolicæ pronuntiat aliquid tanquam fide divina certum, & credendum à tota Eccleſia: ſimiliterque quando circa mores declarat generatim omnibus fidelibus aliquid eſſe iure divino aut naturali prohibitum, vel pręceptum. Tunc enim tam ex Providentia ſpeciali Dei circa ſponſam ſuam Eccleſiam, quàm ex Chriſti pollicitationibus Petro factis, & ſubinde ipſi Eccleſiæ, ac denique ex doctrina Conciliorũ, Patrumque, & experimento tot ſæculorum vſque modò, conſtat manifeſtè, nullum hactenus errorem communem in ea fuiſſe circa fidem aut mores. Ideoque S. Gregorius VII. Papa in Dictato ſuo optimè & veriſsimè dixit: *ROMANA ECCLESIA NVNQVAM ERRAVIT, NEC IN PERPETVVM, SCRIPTVRA ATTESTANTE, ERRABIT.* Ac pręterea: *CATHOLICVS NON HABEATVR QVI NON CONCORDAT ROMANÆ ECCLESIÆ.*

Vi-

Vide plura huc ſpectantia ſuprà Diſp. X. Si autem quiſquam Romanorum Pontificum quidquam definiſſet ex cathedra contrarium fidei, aut iuri divino & naturali, iam Eccleſia Romana, quæ ſemper iudicium Sedis Apoſtolicæ ſequuta eſt, toto eo tempore erraſſet.

12 Quare eiuſmodi decretis, ſeu definitionibus Pontificijs, poſtquam conſtat ritè promulgata fuiſſe, nulli Epiſcopo, nulli Synodo, nemini tandem contradicere, immo nec ſupplicare licet. Vnde ijs ſemel Romæ promulgatis nunquam adhibeturRegium, vt Neapoli dicitur, *EXEQVATVR*, nec in alijs Provincijs politicum placitum, vt optimè obſervat Illuſtriſs. & ſapientiſs. D. Ramos lib. 3. Papiarum cap. 44. Quin & addit, ſi ſecus accideret, abuſum damnabilem fore poteſtatis politicę, vſurpantis quæ ſolius Eccleſię ſunt. quod & fatetur Illuſtriſs. D. Petrus Marca lib. 2. de Concordia Sacerdotij & Imperij lib. 2. cap. 10. num. 8. & in Prolegom. pag. 75. Quare omnis ſupplicatio ab eiuſmodi definitionibus, aut ſuſpenſio earum, aliena ſemper fuit, eſt, & erit à Religione Catholica, pręſertim noſtrorum Regum, & quorumlibet aliorum divinę fidei tenacium, quidquid politico iuri indulgeat in ea parte Paulus Servita, in libello edito de Inquiſitione Veneta, & Iacobus Auguſtus Thuanus lib. 5. Hiſtoriæ pag. 152. ac Ronſell lib. 4. de Iuriſd. Pontif. cap. 4. n. 19. alijque ex Francogallis: qui, vt verba reſumamus eiuſdem D. Ramos lib. cit. cap. 43. *ſub libertatum Gallicanæ Eccleſiæ larva, & appellationum ab abuſu, & Regaliarum, quas vocant, obtentu, laceſſunt paſsim, læduntque libertatem, & iura Eccleſiæ Vniverſalis.*

13 Dices, Hiſpanam Eccleſiam olim non acquieviſſe Romano Pontifici Benedicto II. damnanti quamdam propoſitionẽ S. Iuliani Archiep. Toletani in libello de tribus ſubſtantijs. Etenim poſtquam notata fuit ab illo, Patres Concilij XV. Toletani eam examinarunt, roborarunt(q); denuo, & remiſſerunt ad eundem Pontificem, qui tandem eam probavit auctoritate Apoſtolica: vt teſtantur ex Antiquioribus Hiſpaniæ ſcriptoribus Iſidorus Epiſcopus Pacenſis in Chronico Era 726. Rodericus Archiep. lib. 3. de Rebus Hiſpanię cap. 14. ex Recentioribus verò Ambroſius de Morales lib. 12. cap. 58. Mariana lib. 6. cap. 18. Baronius Tomo VIII. ad annum 685. num. 4. & 688. num. 3. atque in eundem annum Luitprandi veri aut ficti explanatores D. Laurentius Ramirez de Prado, & Tamaius de Vargas in Notis ad id Chronicon. Indidem verò colligitur, Patres Concilij XV. Toletani ſupplicaſſe poſt damnatam doctrinam illam à Pontifice Romano, & hunc pręterea retractaſſe priorem ſententiam ex cathedra prolatam in rebus fidei.

14 Sed enim nullam vim habet obiectio, quam nobis ipſis propoſuimus, licèt ab Adverſarijs prætermiſſam, ne difficultatem aliquam fugere aut diſsimulare videamur, ſtudio conciliandæ auctoritatis aut certitudinis noſtræ doctrinæ: quæ certè ſecura vbique permanet à quibuslibet impugnationibus, ſolo veritatis & iuſtitiæ ſuæ clypeo munita. Ad rem itaque aio, imprimis propoſitionem illã S. Iuliani *ſanctitate & doctrina celeberrimi* (vt de ipſo dicitur in Martyrologio Romano ad diem 8. Martij) non fuiſſe decretoriè damnatam à Benedicto Papa, ſed ſolùm ipſi diſplicuiſſe; vt propterea indicaret ſibi in animo eſſe, vt ea inureretur, idque re nondum maturè diſcuſſa. Quod ſatis indicat Rodericus Archiep. loco cit. cap. 13. inquiens: *Eius in tempore, liber de tribus ſubſtantijs, quem dudum Romam miſſerat Primas ſanctiſsimus Iulianus, & MINVS CAVTE TRACTANDO Benedictus Papa Romanus INDIXERAT REPROBANDVM* (non inquit, *damnaverat*, nec, *reprobaverat*, nec quidquam aliud, quod definitionem editam ſonet; ſed ſolùm propenſionem, aut ſignificationem aliquam cenſuræ edendæ) *ob id quòd VOLVNTAS GENVIT VOLVNTATEM.* (hæc nimirum fuerat Iuliani propoſitio.) *Sed ſanctus Iulianus veridicis teſtimonijs in hoc Concilio ad exactionem præfati Principis, per oracula eorum, quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firmavit; & Apologeticum fecit, & Romam miſit per ſuos Legatos, Presbyterum, Diaconem, & Subdiaconem, viros eruditiſsimos, & in omnibus Dei ſervos, & in diuinis Scripturis imbutos, cum verſibus etiam acclamatorijs, ſecundùm quòd & olim tranſmiſerat de laude Romani Imperij. Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè, & piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque acclamando: Laus tua Deus in fines terræ, lectum ſæpiùs notum fecit; qui & Reſcriptum Domino Iuliano, per ſupra fatos Legatos, cum gratiarum actione & cum honore remiſit, & omnia quæcumque ſcripſit, iuſta & pia eſſe deprompſit.* Hæc inibi Rodericus. Ex quibus colligitur, Benedictum II. Papam initiò non probaſſe modum illum loquendi, in quo Iulianus aiebat, loquens de divinis perſonis: *Voluntas genuit voluntatem*: immò & ſignificaſſe ſatis, damnationem eius propoſitionis ſibi in animo eſſe:

non

non tamen habetur, quòd illam reipſa damnaverit.

15 Deinde addendum, dato & non conceſſo quòd Benedictus II. Papa damnaverit propoſitionem illam Iuliani, non tamen eo ſenſu, quo à Iuliano prolata eſt. ſed longè alio. Nimirum, ſi damnata fuit; certè non niſi in ſenſu abſoluto acceptâ voluntate, ſive in abſtracto: vt ſenſus eſſet in divinis perſonis eſſe duas voluntates, quarum altera genuiſſet alterā. Hac ratione propoſitio illa eſt hæretica, immo & polytheiſmum inducens. nam ſi in divinis ſunt duæ volūtates, duas quoque eſſentias eſſe neceſſum eſt. At verò Iulianus non eā accepit in ſenſu abſoluto, ſed relativo; nec in abſtracto, ſed in concreto: vt perinde ſit, ac dicere, Deum voluntate præditū genuiſſe Deū, itidem præditum voluntate. Quo ſenſu Patres Eccleſiæ antiquiores, allegati in eodem Concilio columna 4. & ſeqq. apud Loayſam pag. 662. non dubitant in divinis dicere voluntatem de voluntate, ſapientiam de ſapientia, &c. idemq; Interpres eruditiſsimus eiuſmodi locutiones examinans in Notis ad præſcriptum ſeverioris Theologiæ, inquit pag. 683.
„ * Quæritur, an hæc nomina, eſſentia, ſa-
„ pientia, & voluntas, ſecundùm relationem,
„ an ſecundùm ſubſtantiam à ſanctis Patribus
„ vſurpentur? Quam quæſtionem diſſolvit Ma-
„ giſter Sentent. lib. 1. ſentent. diſt. 27. vbi
„ ex ſententia D. Auguſtini docet, nomina
„ quæ ſubſtantiam ſignificant, tantùm dici
„ illud de illo. S. Thomas 1. p. q. 39. art. 5. ſic
„ ait: Vnde minùs impropria eſt iſta: Natura
„ de natura, vel ſapientia de ſapientia, quàm,
„ eſſentia de eſſentia. Quamvis Auguſtinus
„ lib. 7. de Trinitate cap. 1. & 2. probet hanc:
„ Sapientia de ſapientia: & lib. 15. de Trini-
„ tate cap. 20. hanc: Voluntas de voluntate:
„ Dicitur (inquit) Filius conſilium de conſi-
„ lio, & voluntas de voluntate, ſicut ſubſtantia
„ de ſubſtantia, ſapientia de ſapientia. Sed om-
„ nes Doctores ſancti aliquando expreſsiùs lo-
„ quuti ſunt, quàm proprietas dictionis pati-
„ tur: vnde huiuſmodi formæ loquendi non
„ ſunt extendendæ, ſed potiùs exponendæ; vt
„ ſcilicet nomina abſtracta exponantur per
„ concreta, vel per nomina perſonalia, vt
„ docuit Thomas 1. p. quæſt. 39. art. 1. & Ma-
„ giſter Sentent. lib. 1. d. 5. vnde iſtæ propoſi-
„ tiones debent interpretari per concreta, aut
„ per perſonalia nomina, vt cùm dicitur, Eſ-
„ ſentia de eſſentia, vel ſapientia de ſapientia,
„ ſit ſenſus: Filius qui eſt eſſentia, & ſapien-
„ tia, eſt de Patre, qui eſt eſſentia, & ſapien-
tia. * Hæc Loayſa ſapienter & opportunè quidem: quibus conſonat S. Anſelmus in Monologio cap. 44. aliàs 43. vbi Filius dicitur, *eſſentia nata de Patris eſſentia, & ſapientia de ſapientia.* In quorum verborum Commentario plura obſervavimus ex doctrina Patrum ita loquentium Tomo II. Diſputat. LXXXIII. ſect. 2. Vide etiam infrà Diſputat. XLIII. num. 161.

16 Itaque dato quòd Benedictus, Papa decretorio iudicio damnaſſet propoſitionem illam S. Iuliani (quæ eſt hypotheſis falſa) quoniam eam accepit in ſenſu abſoluto ſive abſtracto; adhuc ipſe Iulianus, & cum eo Patres Concilij Toletani XV. potuerunt iure ſupplicare aut rogare eundem Romanum Pontificem, vt attentiùs examinari faceret mentem ipſorum loquentium dumtaxat in ſenſu concreto, perſonali, & relativo: iuxta quem nihil abſurdi eſt in ea theſi, iam antè à multis & graviſsimis Eccleſiæ Patribus, qui ibidem allegantur, prolata. Quare idem Pontifex, ſeu potiùs, vt vult Baronius vbi ſuprà, Sergius I. Papa, qui triennio pòſt ſucceſsit ipſi in cathedra S. Petri, nimirum, anno 687. eandem propoſitionem in ſenſu explicato à Patribus Toletanis probavit, immunemque ab errore agnovit. Vnde nullatenus ſequitur, Pontificem Romanum contraria aut invicem pugnantia definiſſe: cùm damnatio, ſi fortè præceſsit, accipienda ſit in ſenſu abſtracto ſive abſoluto, iuxta quem verè eſſet propoſitio illa fidei repugnans: approbatio autem intelligatur in ſenſu concreto, perſonali, & relativo, iuxta quem illa edita fuerat à S. Iuliano, & alijs Patribus antiquioribus, qua ratione nihil abſurdi habet.

17 Quapropter nullum in Hiſpania apparebit exemplum, vel Concilij, vel Senatus Regij, ſupplicantis, aut ſuſpendentis publicationem alicuius definitionis Pontificiæ ex cathedra prolatæ circa fidem, aut mores, tanquam divino aut naturali iure præceptos vel prohibitos. Quod dilucidè teſtatur D. Ramos cap. 44. pridem allegato, ſubdens: *Cuius illuſtre experimentum noſtra ætas vidit in damnatione Ianſeniani erroris ex Apoſtolicis Bullis, quæ ſtatim, & obſequentiſsimè, in Catholici Imperij Provincijs promulgari & exequi iuſſæ, vtcumque ſuſpenſionem aliquam, ſeu tolerantiam, politici reſpectus non leves ſuaderent.*

18 Dixi, circa mores tanquam divino aut naturali iure præceptos, vel prohibitos. Hoc enim ſenſu non minùs infallibilē auctoritatem in definiendo habet Pontifex Romanus, quàm circa controverſias fidei: vt conſtat ex pleriſque ſparſim traditis in hoc Opere, & ampliùs innoteſcet ex dicendis. Nec minùs conveniens aut neceſſarium eſt Eccleſiæ ne vllum errorem communem patiatur

tur circa mores, quàm circa fidem, quæ, teſte Apoſtolo, ſine operibus mortua eſt. Ideoque quemadmodũ nunquam à tempore Apoſtolorũ erraſſe invenitur circa credenda, ſic neque circa agenda. Vide ſuprà n. 11. Vnde nunquam contigit, nec contingere poteſt, vt Pontifex ex cathedra v.g. præcipiat aliquod vitium, vt furtum, vſuram, mendacium, &c. nec vt prohibeat quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, vt Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, reſtitutionem. Alioqui tota Eccleſia eſſet expoſita periculo errandi, & Deus non ſatis illi conſuluiſſet. Quare ab eiuſmodi definitionibus ex cathedra prolatis circa mores generatim, tanquam per ſe bonos aut malos, ſaluti æternæ convenientes aut repugnantes, nõ licet, nec licuit vnquam ſupplicationem interponere, & interim earum executionem ſuſpendere. De quo legendus ſpeciatim Bellarminus lib. 4. de Romano Pontif. cap. 5. & 16. ac prętereà Andræas Duvallius parte 2. de Suprema Pontificis poteſtate q. 7. contra Vigorium oppoſitum aſſerentem, cuius doctrinam ille *ſchiſmaticam* cenſet in hoc, ſicuti & in pluribus alijs. Nec audiendus D. Petrus Marca lib. 2. de Concordia Sacerdotij & Imperij cap. 15. & 17. vbi excogitavit diſtinctionem quandã inter decreta fidei & morum, vt circa hęc aliquando fas ſit ſupplicare.

19 Cæterum ſi Decreta de moribus non ſint declaratoria iuris naturalis aut divini, ſed ſolùm condant novum ius, ſeu præceptum Eccleſiaſticum, pro meliori aut ſeveriore diſciplina, aut correctione, aliove ſimili fine; & ex eorum receptione, aut publicatione, vel executione, prudenter timeantur gravia incommoda in Regno aliquo aut Provincia peculiari ſecutura procul à Romana vrbe; licebit, etiam publico nomine, ab eiuſmodi Decretis ſupplicare, ac referre ad Apoſtolicam Sedem, ſuſpenſa interim executione. Ita enim argumento deſumpto ex cap. *Si quando* 5. de Reſerv. cap. *Certificari* 9. de Sepulturis, poſt Abbatem Panormitanum in cap. 1. de tregua & pace, docent palam Suarez lib. 4. de Legibus cap. 16. num. 7. & 8. Henriquez de Pontificis Clave lib. 2. cap. 31. n. 5. Azorius 1. tom. Inſtit. Moral. lib. 5. c. 4. verſ. *Tertiò.* Salas de Legib. tract. 14. diſp. 13. ſect. 4. Granado in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 7. n. 9. Ioannes Malderus 2. 2. q. 90. art. 5. dub. 2. Antonin. Diana tom. 1. tract. 10. reſ. 6. Salgado de ſupplic. ad ſanctiſsim. 1. p. c. 2. ſect. 4. ex n. 151. & c. 6. n. 19. & ante alios Innocentius in cap. *Inquiſitionis* 44. n. 3. verſ. *Quidſi Papa*, de ſent. excomm. & ex eo Guil. Barclains de pot. Papæ c. 30. Conducit Gloſſa notabilis in cap. *In iſtis* 4. verb. *Iudicem* 4. diſt. & in vim defenſionis naturalis moderatæ, ac reverentis; vt poſt Sylveſtrum in Summa, verb. *Obedientia*, num. 5. & Caietanum Opuſc. de Auctorit. Papæ, & Concil. cap. 27. §. *Ad ſecundum:* Bellarminus de Rom. Pont. l. 2. cap. 29. §. Argumentum ſeptimum, & lib. 2. de Concil. cap. vlt. §. *Reſpondeo, non mirum.* Franciſc. Marcus deciſ. Delphin. 455. ex n. 33. cum ſeqq. pluresque alij, quos allegat & ſequitur Dominus Ramos in libello de Epiſcop. Portug. propoſ. 3. n. 29. Pluraque huc ſpectantia à ſimili legere eſt apud Excellent. Vicecancellariũ D. Creſpi 2. p. obſerv. 63. ex n. 8. Illuſtriſs. Exeam Talayerum in alleg. de cadaver. punitorum pag. 25. & eruditiſs. D. Nicolaum Antonium de Exilio lib. 2. cap. 35. num. 26.

20 Maneat itaque ratum, definitiones Pontificum è cathedra prolatas circa fidem & mores, tanquam per ſe bonos aut malos, eſſe protſus certas & irreformabiles, tanquam profectas ex auctoritate omnino infallibili Sedis Apoſtolicę, quam hactenus aſſeruimus, & quidem veluti fide divina certam: vt propterea nullus ſit locus ſupplicandi, aut tergiverſandi ab earum reverentia aut obſervatione: quamvis circa decreta alia Pontificum, quibus conditur nova lex, aut continetur pręceptum ſolius iuris Eccleſiaſtici, iuſtâ interveniente causâ, & imminentibus in Regione aliqua gravibus atque alioqui inevitabilibus malis, liceat interponere ſupplicationem, & interim ſuſpendere executionem eius decreti, ſaltem ex pręſumpta eiuſdem Pontificis voluntate. Prędicto igitur ſenſu infallibilem tuemur auctoritatem Papæ, nec minùs certã, quàm Concilij Oecumenici ritè coacti, & confirmati, vel etiam totius Eccleſiæ. Quare nonnunquam ipſi Pontifices ex cathedra reſpondentes ad quæſtiones ſibi propoſitas de fide aut moribus, pro eodem reputant Eccleſiam Romanam conſultam, ac Vniverſalem Eccleſiam. Ideoque S. Cornelius Papa & Martyr, qui Pontificatũ geſsit ab anno 251. Epiſt. 2. ad Rufum, cùm initio pręmiſsiſſet ſe velle ex *auctoritate Sedis Apoſtolicæ* reſpondere conſultationibus ipſius, poſtea circa finem ait: *Et Sacramenta* (id eſt iuramenta) *ſuper quibus HANC SANCTAM ROMANAM AC VNIVERSALEM ECCLESIAM conſulere voluiſti, fieri prohibeas, &c.*

DIS.

DISPVTATIO XXVI.

AN EX PRIVILEGIIS A DEO CONCESſis B. Petro, & Eccleſiæ Romanæ, præ alijs Patriarchalibus, colligatur ſatis, quoſdam Summos illius Pontifices immeritò accuſari errorum in ſuis definitionibus.

HANC Antidotum præparare oportet aduerſus venenata ſcripta quorundam ex Heterodoxis: qui, vt convellant auctoritatem Eccleſiæ Romanæ, vel invidiam ſaltem ipſi conſlent, nullum non moveni lapidem ad oſtendendum, plurimos eius Præſules, etiam ſanctitate & doctrinâ conſpicuos, ſæpe in ſuis definitionibus, circa fidem & mores erraſſe. Sed & præterea hæc ipſa Diſputatio præmittenda fuit ad cautionem adhibendam cum ijs Auctoribus Catholicis, qui a tempore Concilij Conſtantienſis vſque modò, auctoritatem Romanorum Pontificum errori obnoxiam eſſe contendant, ducti potiſſimùm quibuſdam eorum definitionibus, ſeu decretis, in quibus videntur erraſſe. Quare antequam illorum omnium argumenta obijciamus, oportet proponere & ſtabilire Priuilegia à Domino conceſſa B. Petro, eiuſque Succeſſoribus in cathedra Eccleſiæ Romanæ, huiuſque prærogatiuam ſingularem præ alijs Patriarchalibus totius Orientis, ad non docendum aliquid deuium à recta fide, aut honeſtate morum. Licèt enim ea ipſa auctoritas infallibilis iam antè toto Tractatu I. latiſsimè demonſtrata fuerit, & præſertim Diſputationibus XXII. XXIII. ac XXIV. oſtenſum ſit, illam eſſe fide diuina certam; adhuc tamen ad cautionem adhibendam circa obiectiones Aduerſariorum oportuit dicta Priuilegia præmittere.

SECTIO PRIMA.

Auctoritas infallibilis Romani Pontificis ſtabilita ex Priuilegio S. Petri, præ alijs Apoſtolis electi in Eccleſiæ Pontificem & Paſtorem Vniuerſalem.

2 PROBATVR I. Ex ſingulari electione ſolius Petri in Summum Pontificem Eccleſiæ, dum audijt à Chriſto Domino Ioannis 21. v. 17. *PASCE OVES MEAS.* Vbi imprimis adnotare oportet, tunc ſermonem Chriſti cum ſolo Petro fuiſſe, vtpote quem ſolum nomine ſuo compellavit, & in ſingulari interrogavit: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Cui interrogationi occaſionem paulo antè dederat Petrus, qui audiens Dominum ſtare in littore, ſolus ſe miſſit in mare præ magnitudine fidei & amoris in Chriſtum, cæteris Apoſtolis navigio venientibus: et proinde mereretur audire: *Diligis me plus his?* Qua interrogatione, ſimul & reſponſione Petri, voluit Dominus adſtantibus palam facere, ſe propterea vnum Petrum cæteris anteponere, & eligere veluti Paſtorem vniverſalem gregis ſui, quòd reliquis in amando antecelluiſſet. Quapropter illum præfecit non modò ovibus quibuslibet populi Chriſtiani, quæ paſcũtur, ſed etiam cæteris Apoſtolis, & Paſtoribus, quibus commiſſa eſt cura paſcendi. Cùm verò quilibet Romanus Pontifex ritè electus ſuccedat Petro in eâdem poteſtate, & auctoritate; certum eſt quòd pariter habeat ius paſcendi omnes oves Chriſti, quoslibet earum Paſtores, & ſucceſſores aliorum Apoſtolorum. quod præcipuè fit per doctrinam, definitioneſque controverſiarum circa fidem & mores.

3 Hunc eſſe germanum ſenſum eius loci, videtur palam conſtare ex ipſa littera. Sed & præterea id confirmare placet litterali explanatione quorundam ex SS. Patribus, ac primùm quidem Chryſoſtomi Homil. 87. in idem cap. 21. Ioannis initio, vbi ait: *Quid tandem alijs omiſſis, de his dumtaxat Petrum affatur? OS ERAT APOSTOLORVM, ET PRINCEPS TOTIVS COETVS. Propterea & Paulus cum præter eos viſurus aſcendit: ſimul vt ei oſtenderet iam ſibi fiduciam habendam: tanquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis*

 me-

meminit; neque exprobrat: tantùm dicit; *Si amas me, fratrum curam ſuſcipias.* Quorſum autem ſpectare poteſt, ſolum Petrum eſſe *OS APOSTOLORVM* ex electione Chriſti, niſi vi intelligeremus, quidquid Petrus de fide pronunciaret, id à toto Apoſtolorum cœtu dictum eſſe? Quod etiam attinet, Petrum fuiſſe Principem conſtitutum totius cœtus, niſi vi crederemus, ipſius voci & imperio auſcultandum eſſe in tota Eccleſia? Similiter S. Leo Magnus, qui in Sermone quodam ſcribit: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: vt quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum, & mirabile dilectiſsimi huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio: & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negavit.* Vide quomodo verbis illis Chriſti committatur ſoli Petro prælatura in reliquos Apoſtolos, totamque Eccleſiam regendam. Hæc autem regitur præcipuè magiſterio & traditione ſanæ doctrinæ in omnibus difficilibus controverſijs ad fidem & mores ſpectantibus. Audiendus etiam S. Bernardus, qui Eugenium III. Papam hunc in modum alloquitur: *Tu es cui claves traditæ, cui oves traditæ ſunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum Paſtores; ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſsignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi vniverſi crediti, vni vnus. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſsignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno Paſtore, ſecundùm illud: Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem, recedentes ab vnitate. Inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Pulchrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ?*

4 Ex his aliiſque locis Patrum, quæ facilè aggregari poſſent, planè conſtat, cùm Chriſtus Dominus indiſcriminatim oves ſuas commiſsit Petro ſoli, ac proinde totam Eccleſiam cum cæteris Apoſtolis paſcendam erudiendamque; pariter eandem auctoritatem eius Succeſſoribus in cathedra Sedis Apoſtolicæ dediſſe: vt quidquid ij de fide & moribus pronuncient, accipiendum ſit, non ab hoc aut illo ſingulari grege vnius vel alterius populi, Provinciæ, Regni, aut Nationis; nec ſolùm ab hoc vel illo Paſtore: ſed vniverſè à toto Chriſti grege, & quibuslibet Paſtoribus ſingularum Eccleſiarum: quoniam Romanus Pontifex eſt Petrus ſui temporis, & Paſtor vniverſalis.

SECTIO SECVNDA.

Eadem auctoritas oſtenſa ex ſingularibus prærogatiuis Petro conceſsis, tam ante, quàm poſt Chriſti Reſurrectionem, tranſmiſsis quodammodo in illius Succeſſores.

§ PROBATVR II. Ex varijs prærogativis ſoli Petro (proindeque & Succeſſoribus ipſius in cathedra Sedis Apoſtolicæ) conceſsis, & earum functione in ipſis ſacris litteris teſtata. Porrò illas latè & eruditè exponit Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 17. & ſeqq. Nos ſolùm indicabimus quaſdam ex iis, vt apud ipſum pleniùs conſulantur, & inſtituto noſtro breviter adaptabimus, reliquis omiſſis.

6 *Prima* eſt quod ſoli Petro commutatum fuerit nomen Simonis in nomen *Cephas*, quod non modò Syriacè Petram ſignificat, & proinde oſtendit, Petrum futurum inſtar ſolidiſsimæ puræ firmum in tradenda fide & ſana doctrina; ſed etiam habiturum pleniſſimas vices & auctoritatem Chriſti, cui in ſacris litteris idem *PETRÆ* nomen tribuitur: vt Pſalmo 117. verſ. 22. Iſaiæ 28. verſ. 16. Danielis 2. verſ. 34. 35. & 45. Mathæi 21. verſ. 42. Romanorum 9. verſ. 33. 1.Co-

1. Corinth. 10. verſ. 5. Epheſ. 2. verſ. 20. & 1. Petri 2. verſ. 7. Inde verò palam colligitur, Romanum quemlibet Pontificem Petro ſuccedere in eadem Petræ ſoliditate & firmitate in tradenda fide & ſana doctrina, quoties ex cathedra definit. Quod Patres Eccleſiæ ſparſim allegati in toto hoc Opere pronunciant, & obſervant, tum in eundem Scripturæ locum, tum in plura alia mox indicanda: vt propterea nunc non niſi ſemel vnius vel alterius eorum teſtimonia indicare aut exſcribere opus ſit.

7 *Secunda* prærogativa eſt, quòd Scriptura ſacra, dum enumerat Apoſtolos, primò loco ſolet nominare Petrũ, veluti præeuntem reliquis omnibus, tum in dignitate, tum in docendo, & tradendo rectam fidem. Id patet Math. 10. v. 2. Marci 3. v. 16. Lucę 6. v. 14. Act. 1. v. 13. Inſuper alijs locis Petrus deſcribitur veluti Dux, Pater, Caput, & Princeps cęterorum. Nimirum Marci 1. v. 16. dicitur: *Et proſequutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.* Deinde cap. 16. v. 7. *Sed ite, dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæã.* Lucę 8. v. 45. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Et cap. 9. v. 32. *Petrus verò, & qui cum illo erant.* Actor. 2. v. 14. *Stans autem Petrus cum vndecim, levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis.* Deinde c. 5. v. 29. *Reſpondens autẽ Petrus & Apoſtoli, dixerunt, &c.* Nonnunquam verò Petrus ſuo & cæterorum nomine loquitur: veluti Math. 19. v. 27. *Tunc reſpondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Similiter Luc. 12. v. 41. *Ait autẽ Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* Et Ioannis 6. verſ. 69. *Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes: Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Ex his verò, alijſque ſimilibus locis, efficitur, Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem in eadem pleniſſima auctoritate, præcellere reliquis omnibus Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, & in tradenda fide ac ſana doctrina prǽire cæteris, veluti Ducem, Patrem, Caput, & Principem illorum.

8 *Tertia* quòd Petrus inter omnes Apoſtolos *primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate,* vt inquit S. Leo Serm. 3. in Aniverſ. aſſumptionis ſuæ. Nimirum, oportebat Petrum cæteris omnibus præire in tradenda fidei confeſſione, eamque prærogativam in ſuos Succeſſores derivare. Id enim conſtat ex ſacris litteris. Cùm enim cæteri Apoſtoli Chriſtum Dominum antea appellarent Filiũ Dei, vt patet Math. 14. v. 33. & Ioannis 1. verſ. 49. non tamen aliter, ac cæteros Sanctos, qui nonnunquam ea appellatione decorantur. Solus autem Petrus omnium primus illum palam confeſſus eſt Filium Dei, nimirum verum ac naturalem: id enim exprimunt in textu Græco verba illa Mathæi 16. verſ. 16. σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Ideoque ſtatim tam magnificam approbationem à Chriſto meruit, vt in Caput & Petram fundamentalem totius Eccleſię deſignaretur, verbis illis: *Tu es Petrus, &c.* Quare S. Hilarius in Pſalmum 131. propè initium non dubitat Petrum appellare *PRIMVM FILII DEI CONFESSOREM.* Quid ergo mirum, ſi præ alijs Apoſtolis auctoritatem habuerit pronuntiandi de fide Chriſti, illamque ad Succeſſores ſuos in eâdem Sedis Apoſtolicæ cathedra, veluti hæreditario iure tranſmiſſerit?

9 *Quarta* quòd pro Petro nominatim ac præ alijs oraverit Chriſtus Dominus ne deficeret fides eius, vt aliquando converſus confirmaret fratres ſuos: vt habetur Lucæ 22. verſ. 31. verbis illis: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Quem locum latè expoſuimus Diſput. XXII. ſect. 2. & oſtendimus ex vnanimi Patrum ſenſu, ijs verbis promiſſam fuiſſe Petro ſpeciatim, vt Capiti Eccleſiæ, & ſubinde ipſius Succeſſoribus, firmitatem in tradenda fide abſque vllo prorſus errore, ad totam Eccleſiam in ea confirmandam.

10 *Quinta* quòd Petrus omnium Apoſtolorum primus viderit Chriſtum Dominum à mortuis iam redivivum: vt teſtatur Paulus 1. Corinth. 15. verſ. 5. dicens: *Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim.* In quæ verba ait Chryſoſtomus Homilia 38. circą medium: *Neque ſimul viſus eſt omnibus, neque initio multis: SED VNI SOLI PRIMVM, EIQVE OMNIVM SVMMO ET FIDELISSIMO.* Ac paucis interiectis: *Propterea primum apparet Petro: Nam qui primus Chriſtum eſt confeſſus, iure etiam dignus eſt habitus, qui primus videret reſurrectionem.* Hinc autem patet, Petrum cæteris Apoſtolis præiviſſe in agnitione & confeſſione Filij Dei ante & poſt reſurrectionem: vt indicio eſſet, ipſum de cætero primas habiturum in tradenda fide Chriſti toti Eccleſiæ, eandemq; auctoritatem derivaturum in Succeſſores ſuos.

11 Quapropter poſt Chriſti aſcenſum in cœlos, Petrus in tradenda fide, & cæteris maioris momenti negotijs, ad totam Eccleſiam ſpectantibus, aliorum Apoſtolorum Dux & Anteſignanus fuit. Ideo enim, vt ex capite primo Actorum colligitur, convocavit cœtum Diſcipulorum centum viginti, & *exurgens in medio fratrum*, veluti omnium Caput, illis propoſuit, eligendum eſſe alium in locum Iudæ. Deinde omnium Apoſtolorum primus Evangelium promulgavit, & in prima prædicatione ad Chriſtum convertit *animas hominum circiter tria millia.* Actor. 2. verſ. 41. Quem in locum inquit Chryſoſtomus Homil. 4. circa medium: *PETRVS OMNIVM ERAT OS. Sed adſtabant illi Vndecim, teſtimonio ſuo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.* Præterea primus omnium, ſicut antea Iudæis, ita & poſtea Gentibus Evangelium prædicavit. Quod ipſe ſatis indicat verbis illis ad alios Apoſtolos & ſeniores congregatos in Concilio Hieroſolymitano, Actorum 9. verſ. 32. *Viri fratres, Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, PER OS MEVM AVDIRE GENTES VERBVM EVANGELII, ET CREDERE.* Petrus itaque in tradenda fide, tum Iudæis, tum Gentilibus, Dei ipſius nutu ac ſingulari privilegio, tanquam Eccleſiæ totius Princeps, & Caput, etiam cæteris Apoſtolis prælatus fuit. Cumque eius auctoritas plenè tranſierit in Romanos Pontifices, veluti Succeſſores ipſius, vt omnes Catholici tuentur contra quoslibet Sectarios, Eccleſiæ Romanæ iuratos hoſtes; conſequens eſt, vt & ij primas habeant in tradenda fide, & quæſtiones difficiles circa illam ortas definiant, non minori certitudine, quàm olim ab ipſo Petro definirentur.

12 Eam prærogativam ſingularem S. Petri perſpectam habuit S. Paulus Apoſtolus, quando illius viſendi gratia Hieroſolymam adijt: quemadmodum ipſe teſtatur ad Galatas 1. verſ. 18. dicens: *Deinde poſt annos tres Veni Hieroſolymam Videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Si autem exquiramus à Patribus cauſam eius itineris, omnes ij illam revocant in ſummam Petri auctoritatem ad totam Dei Eccleſiam regendam & docendam. Ambroſius in eum locum inquit: *Dignum fuit, Vt cuperet Videre Petrum: QVIA PRIMVS ERAT INTER APOSTOLOS, CVI DELEGAVERAT SALVATOR CVRAM ECCLESIARVM.* S. Hieronymus Epiſt. 89. ad Auguſtinum cap. 2. *Tantæ auctoritatis*, inquit, *Petrus fuit, Vt Paulus in Epiſtola ſua ſcripſerit:* Deinde poſt tres annos veni Hieroſolymam videre Petrum, &c. *OSTENDENS, SE NON HABVISSE SECVRITATEM PRÆDICANDI EVANGELIVM, NISI PETRI, ET CÆTERORVM APOSTOLORVM, QVI CVM EO ERANT, FVISSET SENTENTIA ROBORATVM.* Chryſoſtomus Homil. 87. in Evang. Ioannis cap. 21. rationem reddit, quia Petrus *OS ERAT APOSTOLORVM, ET VERTEX IPSIVS COETVS. Propterea & Paulus eum præter alios Viſurus aſcendit.* Oecumenius in d. c. 1. ad Galat. *Poſt tot tantoſque agones* (Paulus) *pergit ad Petrum, tanquam maiorem Viſurus. Cæterum mora illa ob Petri honorem facta eſt.* Plura alia de excellentijs D. Petri, & firmitate in retinenda ac tradenda fide, ac ſumma auctoritate in totam Eccleſiam, vide infrà Diſp. XXVII. ſect. 1.

13 Si autem vel Paulus, Apoſtolus à Deo electus, & Doctor Gentium, & vas electionis, non ſatis ſecurum ſe exiſtimat in prædicando Evangelium, niſi adeat Petrum, eumque pluribus diebus conſulat, veluti *OS COETVS APOSTOLICI*, & Paſtorem ac Magiſtrum Vniverſalem Eccleſiæ: quis erit adeò audax, vt in quæſtionibus difficilibus & ambiguis de fide, religione, aut moribus, non iudicet conſulendum Petrum ſui temporis, nimirum Pontificem Romanum, Petri illius Succeſſorem? Verùm quis adeò præceps ſit, vt mitiſsimè loquar, qui contra definitiones ab ipſo prolatas ex cathedra mutire & refragari audeat? Quis denique in dubium vocet, aut etiam neget, auctoritatem eius in definiendo eſſe infallibilem? Nimirum, quiſquis illam inficiatur, non modò abiudicat cathedræ D. Petri eam inſignem prærogativam à Chriſto conceſſam; ſed præterea anſam præbet vt de ſingulis definitionibus extra Synodum Oecumenicam prolatis oriatur ſuſpicio aut dubium, an in ijs erraverit Summus Pontifex. Quare quælibet prava dogmata circa fidem & mores impunè ſerpent, & graſſabuntur antequam ea Synodus congregetur: quæ certè rarò, & poſt diuturnum tempus, & cum ingenti difficultate, ac magnis incommodis, cogi poteſt.

(?)

****

SE-

SECTO TERTIA.

Eadem prærogativa S. Petri, Eccleſiæ Romanæ communicata in perpetuum, expenditur per comparationem ad reliquas Eccleſias Patriarchales Orientis, quæ ſæpiſſimè cum Hierarchis ſuis naufragium circa fidem feciſſe inveniuntur.

14 VIDIMUS Sæpiſsimè in ſuperioribus, prærogativam S. Petri circa non deficiendū in fide, nec tradendū aliquid ipſi contrarium, fuiſſe communicatam Sedi Apoſtolicæ, ſeu Eccleſię Romanæ, quæ nunquam hactenus à vero fidei tramite deviavit. Quod paſsim tradidere Romani Pontifices, omneſque Eccleſiæ Patres, tum Latini, tum Græci, ſparſim toto Opere allegati: idque iuxta promiſsionem Chriſti: vt propterea S. Gregorius VII. Papa in Dictato ſuo pronuntiaverit circa annum M.LXXX. *ECCLESIA ROMANA NVNQVAM ERRAVIT, NEC IN PERPETVVM, SCRIPTVRA TESTANTE, ERRABIT.* Vide præſertim ſuprà Diſp. X. ſect. 4. & 5. ac prætetea Diſput. XXII. num. 24. & ſeqq. & Diſput. XXIV. num. 17. & 20. quibus locis oſtenſum fuit Catholicum dogma de doctrina fidei ſemper incorrupta, & ne minimum quidem violata vnquam ab Eccleſia Romana. Nunc oportet eam Sedis Apoſtolicæ, ac Romanæ Eccleſiæ ſoliditatem & conſtantiam in fide tuenda conferre cum volubili genio aliarum Eccleſiarum Patriarchalium Orientis, & Hierarcharum ſuorum, qui defectionis à fide notati inveniuntur adeò maniſeſtè, vt nulla poſsit tergiverſatione celari.

15 Imprimis enim Conſtantinopolitana Eccleſia, quæ cęteris Patriarchalibus Orientis, licèt antiquioribus, præpoſita fuit, quot Patriarchas habuerit hęreticos, aut etiam Hęreſiarchas, & quantam fidei iacturam eorum tempore fecerit, antiqua, eaque plurima Hiſtoricorum monumenta produnt. Eodem quippe ſæculo, in quo Conſtantinus Magnus thronum ſuum Romà Byzantium tranſtulit, & eiuſdem vrbis à ſe noviter denominatę Epiſcopis dignitatem ampliſsimam aſſerere ſtuduit, Macedonius fuit electus Prę́ſul Conſtantinopolitanus ab Arianis, qui poſtea hæreſeos Pneumatomachorum, divinitatem ſolidam Spiritus ſancti negantium, auctor fuit. Quamvis verò propter eius electionem, quæ videtur fuiſſe facta anno Chriſti 342. excitatæ fuerint turbæ; poſtea ipſe à Conſtantio Imperatore introductus fuit in Sedem Patriarchalem anno 351. donec in Concilio CP. abdicatus fuit ab Acacio, & in eius locum ſuffectus eſt Eudoxius. Vide Baronium ad annos mox indicatos, & pręterea ad 359. & 360.

Sæculo ſequenti, anno 471. Acacius ex præfecto Collegij orphanorum creatus Epiſcopus CP. poſt plura & varia, tum laude, tum vituperio digna, cum Imperatore Zenone favit hęreticis, deinde & communionem cum ijs habuit. Cùmque monitus ſæpe nollet obedire, excommunicatus fuit à Felice Papa in Concilio Romano; Vnde tandem indignationem concepit, vt dirè ſævivet in Catholicos, & nomen eiuſdem Felicis è Diptychis auferret. Tandem in anathemate mortuus fuit anno 488.

16 Sed ne in rebus plurium aliorum eiuſdem Eccleſię Conſtantinopolitanæ Prę́ſulum enarrandis immorer, ſatis ſit excurſione quadam indicare ex ijs Sergium, Pyrrum, Paulum, Petrum, Anaſtaſiumque, notatos de hęreſi: vt nihil dicam de Photio ſchiſmatico, & diro perſecutore Eccleſiæ Romanę, ac de Michaele Cerulario etiam impudenter contra illam debacchante circa annum Chriſti 1050. tempore S. Leonis IX. Papę: qui in Epiſtola ad Michaelem & Leonem commemorat illorum Patriarcharum errores. Et multò antea S. Gregorius Magnus lib. 4. Indictione 13. Epiſtol. 32. obſervaverat, multos Hęreſiarchas ſediſſe in Eccleſia Conſtantinop. Quàm verò impiè & petulanter ſe geſſerint poſtremi duo ex nominatis, Photius & Michael, vide infrà Diſp. XLI. ſect. 2. & 3. omnium verò eorum tempore, qui vel Hęreſiarchæ, vel hęretici fuerunt, vel ſolùm ſchiſmatici, quàm miſer ſtatus fuerit Eccleſiæ Conſtantinopolitanę, poteſt quidem conijci, ſed ſatis explicari non poteſt. Et quidem S. Gregorius Nazianzenus, qui non multis annis poſt Macedonium illum Hęreſiarcham Conſtantinopoli ſedit, poſtquam ſe eius Eccleſiæ regimine abdicavit, & in ſolitudinem ſeceſsit, lamentabatur ſic frequentē eius deformationem à fide, cùm è contra Romana Eccleſia integra labiſque pura in fide permaneret. Sic, nimirum, accinebat in Carmine de Vita ſua num. 37. componens Novam Romam, & Veterem.

Harum verò fides, iſta quidem iam pridem,
Et nunc adhuc proſpero curſu progreditur, Occidentem
Totum adſtringens ſalutari doctrina,
Vt par eſt eam facere, quæ vniverſis præſidet.

Totam colentem Dei concordiam.
At illa recto quidem pede incedebat anſea, nunc verò non item:
Hanc dico, quæ mea quondam erat, nunc non eſt mea.

17 Verùm cùm mala eiuſmodi progreſſu temporis ſæpè pullularent, & vires ſumerent, tranſactis pluribus ſæculis Ioannes Papa VIII. qui Pontificatum geſsit ab anno Chriſti 872 vſque ad 882. qui & trecentas viginti Epiſtolas ſcripſit, collectas in editione Regia Galliarum (præter nonnulla aliarum fragmenta addita à Claudio Hardy Senatore Pariſienſi) in ſeptuageſima quinta earum inquit: *Credimus, quod iam vos non lateat, nunquam Apoſtolicam B. Petri Sedem ab alijs Sedibus reprehenſam: cùm ipſa alias omnes, ET PRÆCIPVE CONSTANTINOPOLITANAM, ſæpiſsimè reprehenderit, aut ab errore liberaverit, aut certè in ijs qui reſipiſcere noluerunt, ſententiæ ſuæ iudicio condemnaverit.* Quod ſanè non auſus fuiſſet dicere Ioannes Papa tam confidenter, nec exprobrare in faciem Conſtantinopolitanis Præſulibus, niſi certus omninò eſſet, Romanam Eccleſiam, & ipſius Pontifices, nunquam eouſque naufragium in fide feciſſe. Vera quippe & experimento aſsiduò comprobata eſt ſententia illa S. Bernardi: *Nemo confidenter reprehendit, niſi id, in quo ſe irreprehenſibilem eſſe ſcit.*

18 Iam ſi convertamus oculos ad Eccleſiam Antiochenam (in qua primùm ſedit B. Petrus Apoſtolorum Princeps, & ex qua Sedes Apoſtolica Romam translata fuit, *victuram cum ſæculis, & æternã vrbem*) inveniemus paſsim hæreticos, Paulum Samoſatenum (de quo plura præmiſimus Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. LIV. ſect. 3. & Diſp. LV. ſect. 4.) Eulalium, Euzoium, Ioannẽ, Domnum, Petrum Gnaphæum, & Macariũ. De quibus plura ſparſim legere eſt apud Baroniũ proprio vniuſcuiuſque eorum tempore.

19 In Eccleſia Alexandrina notati fuere hæreſeos, Gregorius, Georgius, & Lucius, iſ tres Ariana ſorde polluti: ac prætetea Dioſcorus, Timotheus Ælurus, & Petrus Mogus. Porrò ex ijs Dioſcorus multiplici nomine indignus fuit, qui B. Cyrillo in Sede illa ſuccederet. Vt enim omittam eius hypocriſim, & alia ingentia vitia, ac perſecutionem in hæredes S. Cyrilli, & Clericos ab eo ordinatos, amplexus fuit hæreſim Eutychetis in Latrocinio Epheſino, & Catholicos diriſsimè exagitavit circa annum 449. Deinde reverſus Alexandriam auſus fuit excommunicare S. Leonem Magnum Papam. Poſtea damnatus in Concilio Conſtantinopolit. coacto ſub Legatis Apoſtolicæ Sedis anno 450. itemque in Chalcedonenſi Oecumenico anno 451. tandem relegatus Gangram infeliciter ibidem obijt. Quin & poſt obitum ſuum ingentia mala intulit: nam eius causâ Alexandrina & Ægypti Eccleſia ſchiſmate diviſa fuit, & ſectatores illum titulo ſanctitatis coluerunt ſæculis ſequentibus, poſt notam hæreſeos ipſi ab Eccleſia Catholica inuſtam.

20 Denique in Eccleſiâ Hieroſolimitanâ (quæ VIRGO dicta fuit vſque ad obitum S. Simeonis Cleophę eius Epiſcopi, & poſt illum erroris labe ſecretò infici cœpit à Theobule, ac multò pòſt exagitata legitur ex conflictationibus Arianorum ac Semiarianorum) ex Patriarchis primùm memoratur hęreticus Origeniſta Ioannes, tum ab antiquis, tum à Baronio, Bellarmino, Chriſtiano Lupo, & Davide Papebrochio: quamvis priorem horum duorum eam ob cauſam noviter ſcriptis exagitaverit Philippus Bonæ Spei, libello ea de re edito; poſteriorem verò alij, quos ipſe perſtringit noviſsimè in Actis SS. Maij, Apologiâ initio editâ. Deinde poſt Ioannem hęretici memorantur, Salluſtius, Arſenius, Heraclius, & Hilarius. Vnde multi ex Patriarchis eius Eccleſię à Romanis Pontificibus iudicati, excommunicati, ac depoſitĩ fuerunt: vti legere eſt apud Baroniũ ad annos Chriſti 520. 643. 1107. & 1115.

21 Sola itaque Eccleſia Romana hactenus lapſum in fide nullum habuit, ſed qualem à principio accepit ex traditione viva Apoſtolorum Petri & Pauli conſtanter retinuit: vt propterea oporteat hoc loci reperere verba S. Agathonis Papæ, tum in Profeſsione Fidei, tum in Suggeſtione Synodica, quæ in Sexta Synodo Generali Actione VIII. XIII. & XVII. ob omnibus Patribus vnanimiter probata fuit. Nimirum eo loco dicitur: *Beati Apoſtoli adnitente præſidio hæc Apoſtolica eius Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. Huius auctoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & Vniverſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſequutæ ſunt; omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius doctrinam ſunt amplexi, per quam & probatiſsima Chriſti luminaria claruerunt, quam & ſancti Doctores Orthodoxi venerati, & ſecuti ſunt: hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationum odijs inſecuti. Hæc enim Apoſtolica Chriſti Eccleſia per Dei gratiam a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus,*

tibus depravata ſuccubuit: ſed vt ab exordio Chriſtianæ fidei percepit ab Auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fine tenus permanet: ſecundum ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, Petre, Petre, ecce Satan expetiuit vos, &c. Ego autem pro te rogavi, vt non deficiat fides tua: Et tu confirma fratres tuos. Quod Apoſtolicos Pontifices meos Prædeceſſores confideter feciſſe ſemper eſt cognitum.

22 Quapropter liceat Pontificibus Romanis gratulari verbis S. Hieron. ad S. Damaſum Papam Epiſt. 58: celebrantis felicem ſtatum Eccleſiæ Romanæ, ſeu Occidentalis; & lamentantis infelicitatẽ Oriẽtalis Eccleſiæ *Profligato*, inquit, *a ſobole mala patrimonio, APVD VOS SOLOS INCORRVPTA PATRVM SERVATVR HÆREDITAS: Ibi ceſpite terra fœcundo Dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta ſulcis frumenta, in loliũ, avenaſque degenerant. Nunc in Occidente Sol iuſtitiæ oritur: in Oriente autẽ Lucifer ille, qui ceciderat, ſupra ſidera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi; vos ſal terræ: vos aurea vaſa & argentea: hic teſtacea vaſa, vel lignea, virgã ferream & æternũ opperiuntur incendium.* Non potuit Doctor Maximus aptioribus parallelis contraponere aut explicare diſſimilem ſtatum Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis: quarum prior integra in fide & ſana doctrina ſemper ſtetit: poſterior ſæpe defectionem paſſa eſt.

23 Vt autẽ experimento omnium ſæculorum comprobetur quod S. Agatho Papa de ſuis omnibus Prędeceſſoribus teſtatur, quodque alij poſtea de Succeſſoribus ipſius protulerunt, nihil vnquam fidei contrarium in ſuis definitionibus tradidiſſe; oportet iam ad idipſum in ſpecie demonſtrandum accedere, & occurrere Adverſarijs multa molientibus, & obijcientibus contra varias illorum definitiones.

DISPVTATIO XXVII.

AN PRIMIS TRIBVS SÆCVLIS ÆRÆ Chriſtianæ aliquis Romanorum Pontificum inveniatur ex cathedra definijſſe aliquid fidei Catholicæ, aut morum honeſtati contrarium.

CVM Non modò omnes Sectarij, ſed etiam aliqui ex Catholicis poſt Concilium Conſtantienſe negent auctoritatem infallibilem Romani Pontificis; ad definiendum citra errorem quæſtiones difficiles fidei & morum; adhuc eſt ingens diſcriminis ratio inter vtroſque. Sectarij enim, potiſſimum, Lutherus, Caluinus, Centuriatores Magdeburgenſes, & aliæ eiuſmodi peſtes, auctoritatem prædictam Pontificum Romanorum impugnant ex Vatiniano odio in Sedem Apoſtolicam, ſiue Eccleſiam Romanam. Catholici verò prædicti ex longè alio capite illam aut negant, aut in dubium vocant: quòd, nimirum, exiſtiment, quamvis in eo decipiantur, idipſum è re Catholicæ ſiue Vniuerſalis Eccleſiæ eſſe, vt ſola illa in Concilio Oecumenico congregata habeat auctoritatẽ infallibilem ad eiuſmodi definitiones proferendas. Vtrorumque verò præcipua argumenta proferemus ordine ſuo, & ſervata chronologia, ſeu ratione temporis, in quo floruit aut vixit vnuſquiſque eorum Pontificum, circa quorum decreta eſt quæſtio.

SECTIO PRIMA.

Multos ex ijs, qui negant auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ, nec Diuis quidem parcere, ac D. Petrum erroris in fide incuſare auſos: Vindicatur Apoſtolorum Princeps ab ea calumnia, orta ex antiquis Hæreſiarchis.

2 CENTVRIATORES Magdeburgenſes, qui in hac controverſia ne Divis quidem parcunt, ipſi S. Petro Apoſtolorũ Principi, & Pontificum Summorum Eccleſiæ primo bellum indicunt, quaſi in plurimis erraverit, quæ illi latè proponunt, Centur. 1. lib. 2. cap. 10. col. 558. & duabus ſeqq. Capita autem præcipua in quibus erraſſe illum contendunt, duo ſunt, iam antè obiecta à Nilo neſcio quo in libro de Primatu Romani Pontificis. Non enim videtur eſſe S. Nilus, de quo Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſ.

Sæculo V. & poſt ipſum Philippus Labba in Diſſert. Hiſtorica part. 2. pag. 123. & ſeqq. vbi varia eius ſcripta recenſet, nullâ dicti Opuſculi mentione factâ; ac tandem Bollandus in Actis SS. Tomo I. ad diem 14. Ianuarij pag. 953. & ſeqq. vbi res geſtas eiuſdem S. Nili enarrat, nec tamen id ſcriptum ab eo editum commemorat.

3 Quiſquis tandem ſit ille Nilus, arbitratus fuit, nullum ex Romanis Pontificibus in ſuis definitionibus eſſe immunem ab omni errore. Nemo enim eorum æqualibus privilegijs à Chriſto donatus eſt, ac certè nô maioribus, quàm Petrus. Et tamen hic erraſſe perhibetur, non modò quia in nocte ipſa Cœnæ & Paſsionis Domini ter ipſum negavit, ſed etiam quia Gentiles iudaizare coegit, vt habetur ad Galatas 2. Multò ergo magis cæteri Pontifices Petri Succeſſores defeciſſe aut erraſſe in fide cenſendi ſunt. Quod ipſum argumentum impudenter obiecit Marcus Antonius de Dominis, impius Apoſtata, vt ſuadeat Petrum in fidei doctrina erraſſe, ac proinde Eccleſiam in eius auctoritate non niti. *Quomodo ergo*, inquit, *tota Eccleſia ſuper Vno Petro dicenda eſt niti, qui adeò labilis eſt, Vt in ipſo limine offendat?* Ita ille lib. 1. de Republ. Eccleſiaſt. cap. 11.

4 Reſpondeo fruſtra impeti auctoritatem S. Petri tot pollicitationibus & privilegijs divinis munitam, quæ ſuprà Diſput. XXII. & XXVI. ex profeſſo aſſeruimus, ad permanendum in fide, & confirmandum in ea fratres. Nec obiectiones præiactæ vrgent. Non illa, quæ ex triplici negatione ſumitur. Tunc enim nondum cœperat eſſe Summus Pontifex: cùm hęc dignitas ipſi collata non fuerit, niſi poſt Reſurrectionem Chriſti, vt habetur Ioannis 21. vbi ei dictum fuit: *Paſce oVes meas.* Quare negatio illa non fuit Romani Pontificis, qui talis iam eſſet, ſed qui futurus eſſet. Deinde, quamvis Petrus graviſſimè peccaverit negans Chriſtum exteriùs, non propterea corde ipſum negavit, nec veram fidem amiſsit. Quod palam docent ſacri Interpretes ad cap. 26. Mathæi, & præſertim Chryſoſtomus Homil. 83. vbi exponens verba illa Chriſti Lucæ 22. *RogaVi pro te, Vt non deficiat fides tua*; ſic ea exponit: *Non dixit: Non negabis: ſed, Vt non deficiat fides tua: Cura enim ipſius & faVore factum eſt, ne omnino Petri fides eVaneſceret.* Similiter Theophylactus in cap. 22. Lucæ: *QuamVis*, inquit, *breVi tempore concutiendus ſis, habes recôdita ſemina fidei. Etiamſi folia abiecerit ſpiritus inVadentis, radix tamen Viuet, & non deficiet fides tua.* Idipſum ferè legere eſt apud S. Proſperum lib. de vocatione Gentium cap. vlt. Quare exinde ſolùm efficitur, poſſe reliquos Pontifices Romanos fidem exteriùs negare, vti de S. Marcellino Papa traditur, & videbimus ſuo loco. Nullo autem modo, ne in ſpeciem colligitur, vel D. Petrum, vel illos, in definitionibus ex cathedra errare potuiſſe, quod ſolum è re huius controverſiæ eſt.

5 Iam quod additur, Petrum coegiſſe Gentiles iudaizare, non obſtat. Neque enim Petrus definitione aut decreto aliquo ſancivit eſſe iudaizandum: quin potiùs oppoſitum docuit Actorum 15. Cùm enim quidam deſcendentes de Iudæa dicerent ad fratres: *Niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſis non poteſtis ſaluari*: facta eſt ſeditio non minima, inquit ſacer Textus Paulo & Barnabæ adverſus illos. Qui duo cum alijs aſcenderunt ad Apoſtolos & Præsbyteros in Ieruſalē ſuper hac quæſtione. Cùmque aliqui converſi ex hæreſi Phariſæorum contenderent opus adhuc eſſe circumciſione, & obſervantiâ legis Moyſi, *SVRGENS PETRVS DIXIT AD EOS: Viri fratres, Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, PER OS MEVM AVDIRE GENTES VERBVM EVANGELII ET CREDERE. Et qui noVit corda Deus, teſtimonium perhibuit dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis; & nihil diſcreVit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. NVNC ERGO QVID TENTATIS DEVM, IMPONERE IVGVM SVPER CERVICES DISCIPVLORVM, QVOD NEQVE PATRES NOSTRI, NEQVE NOS PORTARE POTVIMVS? Sed per gratiam Domini IESV-CHRISTI credimus ſaluari, quemadmodum & illi.* Hæc cùm dixiſſet Petrus, tanquam Apoſtolorum Princeps, & Caput Eccleſiæ, ſtatim ſubditur: *TACVIT AVTEM OMNIS MVLTITVDO.* Itaque vbi Petrus voluit definire, ſeu loqui ex cathedra, palam docuit, converſis ad fidem Chriſtianam non eſſe opus circumciſione, nec obſervantiâ legis Moyſi. Omneſque Apoſtoli, & Pręsbyteri, qui in eo Concillo aderant, & in ijs Paulus ac Barnabas, voci S. Petri, tanquam divino Oraculo, aſſenſum pręſtiterunt. Nullo itaque modo S. Petrus definivit opus eſſe circumciſione, & abſque ſpecie vlla veri traducitur ex eo capite, de errore aliquo in fide, quaſi tradito ex cathedra.

6 Quòd autem Gentiles iudaizare coegerit, vt habetur in loco obiecto ex cap. 2. ad Galatas, *NON FVIT ERROR PRÆDICATIONIS, SED CONVERSA-*

SATIONIS, vt ſcitè dixit Tertullianus lib. de Præſcriptionibus adverſus hæreticos c. 23. Nimirū, S. Petrus, qui aliquando Antiochiæ, ne offenderet Iudæos recèns converſos ad fidem, ſegregavit ſe à convivio Gentilium, dicitur exemplo ſuo quoddammodo coegiſſe Barnabam ad iudaizandum. In quo ſanè Petrus nihil è cathedra docuit, nihil tradidit toti Eccleſiæ credendum, aut agendum: ſed quadam bona fide id egit, & erravit in facto ipſo, atque alijs occaſionem errandi præſtitit. Hinc autem ſummùm colligitur, potuiſſe Petrum, poſſe quoque Pontifices eius Succeſſores exemplo ſuo dare alijs occaſionem errandi, quoniam homines ſunt; nec promiſsione vlla Dei muniti ſunt ad vitandum omnem errorem operis, ſive facti, quando nec Petrus id privilegium obtinuit. Quod negamus eſt, Petrum ex cathedra, ſive quatenus Eccleſiæ Pontificem, tradidiſſe errorem aliquem, ſive circa legalia, ſive circa quidquam aliud. Hoc enim palam opponeretur pollicitationibus Christi, & privilegijs Petro conceſsis; cederetque in ruinā totius Eccleſiæ. Conſtat enim in quolibet Pontifice longè magis pernicioſum eſſe errorem prædicationis, ſeu doctrinæ, quàm ſolius converſationis, ſive facti: ideòque Chriſtus Dominus volens Eccleſiam inſtruere Math. 23. de Prælatis malè agentibus, & benè docentibus inquit: *Quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite.*

7 Dices, hinc non ſatis elui maculam Petro Apoſtolo adſcriptam in loco illo ad Galatas 2. vbi videtur reprehenſus fuiſſe ob errorem in doctrina, & non ſolùm in facto. Ait enim Paulus v. 11. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, IN FACIEM EI RESTITI, QVIA REPREHENSIBILIS ERAT. Priùs enim, quàm venirent quidam a Iacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. SED CVM VIDISSEM QVOD NON RECTE AMBVLARENT AD VERITATEM EVANGELII, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus ſis, gentiliter vivis, & non iudaicè; quomodo Gentes cogis iudaizare?* Hęc inibi: ex quibus duo videntur colligi: alterum, erraſſe graviter Petrum, quando quidem Paulus teſtatur, ſe in faciem ei reſtitiſſe, quia reprehenſibilis erat: alterum, erraſſe in materia ad fidem ſpectante, ſiquidem de ipſo & alijs teſtatur Paulus, in ea parte non rectè ambulaſſe ad veritatem Evangelij. Ergo Petrus dum prædicabat Evāgelium, paſſus fuit errorem in fide. Quidni ergo & errorem ipſum tradidiſſe putetur in prædicatione, & non ſolū in converſatione? Multò ergo magis Pontifices eius Succeſſores, tum in converſatione & facto, tum etiam in prædicatione ſeu doctrina errare poſſunt circa fidem.

8 Hęc obiectio tangit graviſsimam illam quęſtionem, quę alios atque alios Interpretes, præcipuè verò Hieronymum ex vna parte, & Cyprianum atque Auguſtinum ex altera in contrarias opiniones diviſit: vt patet ex huius Tomo II. Epiſt. 8. 9. & ſeqq. Etenim Hieronymus, Chryſoſtomus, & Theophylactus, quibus ſubſcribit Baronius, negant Petrum fuiſſe verè ac propriè reprehenſibilem & reprehenſum à Paulo; cenſentque reprehēſionem fuiſſe ſolùm ſimulatā ex parte vtriuſque: nam Petrus, qui Hieroſolymis iudaicè vixerat in conſortio Iudæorum, idque licitè, vt eos Chriſto lucrifaceret; veniens deinde Antiochiam vbi cum Gentilibus verſabatur, gentiliter vixit. Verùm cum ſupervenirent Iudæi à Iacobo Hieroſolymis Antiochiam miſsi, Petrus ne eos offenderet, veluti primò converſos ad fidem Chriſti, ratus fuit conveniens ſe ſubducere ad eos, vt hac ſimulatione, ſeu condeſcenſione ſua præberet Paulo occaſionem reprehenſionis, cui cederet, quò Iudęi ipſo eius facto & ceſsione diſcerent, non eſſe ampliùs iudaizandum. Nimirum arbitratur Hieronymus licere ac licuiſſe Petro, non quidem mentiri, aut ſimulare exteriùs Iudaiſmum quem palam deteſtabatur: ſed ſolùm ſimulare, ſive ſe gerere eo tempore exteriùs veluti obſervatorem legis Moſaicæ in quibuſdam rebus ex gravi cauſa. Iuxta hanc ſententiā facilè occurritur obiectioni pręiactæ negando Petrum in ea ſimulatione aut condeſcenſione cū Iudęis peccaſſe, aut erraſſe, præſertim in materia aliqua ad fidem ſpectante. Potuit enim ſine peccato ita ſe gerere: ſicuti & Paulus potuit ipſum reprehendere, quia reprehenſibilis erat; non quidem propter verum peccatum, ſed ob ſpeciem quandam peccati, ſive mali, ad tempus ſolùm exhibitam, & ex gravi cauſa vitandi ſcandalum in Iudæis iam ad fidem converſis.

9 Difficilior eſt ſolutio iuxta ſenſum Auguſtini loco citato, poſt Cyprianum in Epiſt. ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum, arbitrantis Petrum verè fuiſſe reprehenſibilem, & à Paulo reprehenſum; nec vllatenus ſimulaſſe, quoniam ſimulatio & mendacium nulla ex cauſa licent, præſertim in negotio fidęi & religionis. Quare acriter invehitur

in

in Hieronymum, quaſi is docuiſſet Petrum licitè mentitum fuiſſe, aut Iudaiſmum ſimulaſſe. Sic enim cuilibet fideli liceret exterior falſæ doctrinæ aut hæreſeos profeſsio. quod planè adverſatur doctrinæ Catholicæ. Verùm nec Hieronymus, nec Chryſoſtomus in hoc ſenſu loquuti fuerant. Neuter enim eorum dixerat, licitum vnquam eſſe mendacium, aut ſimulationem fidei falſæ, vel hæreſeos, aut Iudaiſmi: ſed ſolùm ſimulatam fuiſſe vtrinquè reprehenſionem illam, vt paulo antè explicuimus, ſine mendacio, aut ſimulatione religionis falſę. Aiunt, nimirum, ex cōpoſito vtriuſque conſenſu Paulum reprehendiſſe Petrum incautæ, non ſimulationis, ſed diſsimolationis iam dictæ; Petrumque reprehenſionem ipſam admiſiſſe ex compoſito, vt dum iudaizantes Petrum in ſpeciem reprehenſum cernerent, pariter ſe reprehenſos intelligerent, & agnoſcerent non eſſe de cætero iudaizandum. quod diſsimulationis genus neque Auguſtinus negat licitum eſſe; ſed ſolùm negat ita defacto accidiſſe.

10 Cæterum dato quòd in eo Petri facto fuerit aliquod peccatum; certè illud nec fuit prędicationis falſæ, nec erroris in fide, vt aliqui temerè aiunt, & hæretici ſuprà citati impudenter aſſeruerunt. Non enim vnquam prędicavit, aut docuit, aut ſenſit Petrus, legem Chriſti adſtringere quemquam ad iudaizandum, ſive ad ſervandum pręcepta legis Moyſi. quin potiùs apertè oppoſitum docuerat & definierat coram Paulo ipſo, & cæteris Apoſtolis, in Concilio Hieroſolymis habito, cuius ſuprà num. 5. meminimus. Quare ſi peccavit in eo facto Petrus, certè ſolùm deliquit ob incautam exhibitionem actionum quarundam ad iudaiſmum ſpectantium: quæ licèt nondum eſſent mortiferę; ſed ſervari adhuc poſſent ad legem Moyſi ſuaviter & cum honore ſepeliendam; adhuc tamen tunc minùs convenienter exercebantur, poſſentque eſſe in occaſionem erroris Gentilibus, ſi exiſtimarent ex facto ipſo Petri, neceſſarias eſſe ad ſalutem. Quamvis autem Petrus longè eſſet ab hoc errore, incautè ſe geſsit præbens aliquomodo occaſionem Gentilibus, vt in eum inciderent. Certum autem omnino eſſe debet, etiam admiſſo Petrum peccaſſe in eo facto, peccatum ipſum non fuiſſe mortiferum, ſed veniale, aut ſolùm materiale, ex defectu aliquo luminis vel circunſpectionis in agendo. Vt enim monet D. Thomas in eundem locum, licèt Spiritus ſanctus Petrum ipſum, ſicut & cæteros Apoſtolos, in Pentecoſte deſcendens, confirmaſſet iam in gratia & prudentia, vt deinceps vitarent omnia peccata mortifera; non tamen vt venialia omnia effugerent. Quare Petrus bona quadam fide exiſtimans, potiorem rationem ſibi tunc habendam Iudæorum, quorum eatenus præcipuus Doctor & Apoſtolus fuerat, cenſuit potiùs vitandam eorum offenſionem, quàm Gentilium, ideoque ab his ſe ſubduxit.

11 Interim obſerva, argumentum ipſum, quo Adverſarij vtuntur ad impingendam B. Petro notam erroris, deſumptum fuiſſe ex Porphyrio Chriſtianæ Religionis iurato hoſte: de quo S. Hieronymus in Præfatione Commentariorū Epiſt. ad Galatas inquit: *Bataneotes & ſceleratus Porphyrius in primo Operis ſui adverſum nos libro Petrum à Paulo obiecit eſſe reprehenſum, quòd non recto pede incederet ad evangelizandum, VOLENS ET ILLI MACVLAM ERRORIS INVRERE, & hinc procacitatis & in commune ficti dogmatis accuſare mendacium, dum inter ſe Eccleſiarum Principes diſcrepent.* Sed & Gnoſtici effutierunt; Petrum in fide erraſſe, & propterea à Paulo fuiſſe correptum. Quin & Cerinthum Hæreſiarcham traductum quòd docuiſſet leges Evangelicam & Moſaicam miſcendas eſſe, excuſare conati ſunt exemplo SS. Petri, & Barnabæ, quaſi hi exemplo ſuo præiviſſent Cerintho. Denique hæretici illi, quibuſcum diſſerebat Tertullianus lib. allegato de Præſcriptionibus cap. 23. idipſum obijciebant. *Proponunt*, inquit, *ad ſugillandam ignorantiam aliquam Apoſtolorum, quòd Petrus, & qui cum eo, reprehenſi ſint à Paulo. Adeo, inquiunt, aliquid eis defuit.* Egregiam porrò Magdeburgenſium Centuriatorum, & Marci Antonij de Dominis doctrinam, quæ ex impio Porphyrio, & nequiſimis Gnoſticis, alijſque antiquiſsimis Hæreſiarchis, originem trahit.

12 Quòd autem Porphyrius ipſe notam procacitatis inurere videtur Paulo corripienti liberè Petrum, ex eâdem illius impietate & odio in Chriſtianam doctrinam ortū ducit; non ex zelo aliquo honoris S. Petri, quemadmodum Tertulliano accidit. Hic enim non ſatis cenſuit Petrum excuſare loco citato de Pręſcript. dicens: *Si reprehenſus eſt Petrus, quòd cùm convixiſſet Ethnicis, poſtea ſe a convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu, vtique converſationis fuit vitium, non prædicationis:* ſed etiam lib. 1. adverſus Marcionem criminatus eſt Paulum, quaſi exceſſerit in ea reprehenſione, tanquam neophytus, & adhuc rudis. *Marcionitæ, inquit, & ipſum Petrum, cæteroſque, columnas Apoſtolatus, à Paulo reprehenſos opponunt, quòd non recto pede incederent ad Evangelij veritatem. ab illo* cer-

certè Paulo, qui adhuc in gratia rudis, trepidans den que ne in vacuum cucurriſſet, aut cucurret, tunc primùm cum Anteceſſoribus Apoſtolis conferebat. Igitur ſi ferventer, vt adhuc neophytus, aduerſus Iudaiſmum aliquid in converſatione reprehendendum exiſtimavit, paſsiuum ſcilicet convictum; poſtmodum & ipſe vſu omnibus omnia futurus, vt omnes lucrifaceret, Iudæis quaſi Iudæus, & eis qui ſub lege, tanquam qui ſub lege. Quibus verbis non modò excuſat Petrum ab errore, ſed quodammodo deprimit Paulum, veluti rudem in doctrina, & adhuc trepidantem an in vanum curreret, ac novitio fervore abreptum in Petrum, & denique non benè improbantem tunc, quod poſtea in gratia perfectus, & omnia omnibus factus, probavit facto ipſo & imitatione quadam. Vſque adeò Tertullianus zelo honoris S. Petri exarſit, vt ſe quoddam modo iniquiorem erga Paulum præberet.

13 Nullo itaque fundamento, ne in ſpeciem quidem, imputatur S. Petro Apoſtolo error in prædicatione circa fidem, qui ſanè ſpectaret ad ipſum, quatenus Doctorem & Pontificem totius Eccleſiæ: ſimiliter & error privatus, quo vnquam exiſtimaverit, neceſſariam eſſe in Eccleſia Chriſti circuncisſionem, & alia legalia Synagogę. Nempe Apoſtolus ipſe in Concilio Hieroſolymitano cum cæteris collegis ſuis, primò loquens, veluti aliorum omnium caput, oppoſitum definivit. Faceſſant itaque quicumque, ſive ex Heterodoxis, ſive ex Catholicis, ex facto illo, & reprehenſione Pauli, erroris in fide notam, quãvis materialis, inurunt Apoſtolorum Principi. Imitentur potiùs SS. Eccleſiæ Patres, immẽſa laudũ præconia in ipſum effundentes, quorum multa in ſuperioribus præmiſsimus, omnem erroris ſuſpicionem excludentia. Quibus adde, à Dionyſio appellari *Supremam & antiquiſsimam Theologorum Summitatem*, à Concilio Generali Chalcedonenſi, *Crepidinem Catholicæ Eccleſiæ, & Rectæ Fidei Fundamentum*, ab alijs τὸν στύλον ὀρθοδοξίας, *columnam orthodoxiæ*, ἀρχιποιμένα, *Archipaſtorem*, κορυφαῖον, *ſui Ordinis Principem*, πρόκριτον, *Principalem*, ἔξαρχον, *Ducem*, πρόεδρον, *Præſidem*, πρωτοστάτην, *Primum Prælatum*, ἡγέμονα, *Præfectum*, τῆς ἐκκλησίας ἀκρότητα, *Eccleſiæ apicem*. Vt mittam complures alias pulcherrimas appellationes, & epitheta, quibus decoratur à Patribus; legenda præſertim apud Onuphrium libris tribus de Primatu S. Petri, Turrianum lib. 3. Dogmat. Charactericorum pag. 121. & lib. 2. contra Centuriat. Magdeburgenſes. quorum alias criminationes adverſus eundem Apoſtolorum Principem, quaſi in multis alijs erraverit, refert & refutat doctiſsimè, vt aſſolet, Cardinalis Bellarminus lib. primo de Romano Pontif. cap. 28.

SECTIO SECVNDA.

Vindicatur S. Linus Papa & Martyr ab irriſione Centuriatorum Magdeburgenſiũ, quòd ſtatuerit fœminas velato capite in Templum introire. Oſtenditur, id meritò decretum fuiſſe, iuxta ſacras & profanas litteras.

14 QVI Petrum Apoſtolorum Principem, & Columnam Orthodoxiæ, incuſare erroris in fide audent, nihil mirum quòd eius Succeſſores trium primorum ſæculorum, quamvis Sanctitatis & Martyrij gloria inſignes, eâdem labe aſpergant, & in ijs S. Linum, qui ἀμέσως poſt ipſum in cathedra Pontificia ſedit ab anno 67. vſque ad 78. in quo, poſt plurima ſanctitatis eximiæ teſtimonia & miracula edita, Martyrio coronatus fuit. Hunc porrò criminantur Magdeburgenſes Cent. 1. lib. 2. cap. 10. col. 627. quòd ſtatuerit vt fœminæ non ingrediantur in Eccleſiam, niſi capite linteis cooperto. Quod ij hoc ſtylo irriſorio proponunt: *Inſtituit, nequa mulier (dignum equidem Epiſcopali cura) niſi capite linteis operto, templum ingrederetur.*

15 Sed certè eodem auſu potuiſſent arguere Apoſtolum Paulum, qui 1. Corinthiorum 11. v. 5. ait: *Omnis mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum, &c.* Certè ſicuti non fuit Apoſtolo indignum id ſcribere, ita nec Lino illud pręcipere. Quid ſi hic cum Paulo eodem loco v. 11. addidiſſet, mulierem debere caput ſuum velare *propter Angelos*? Statim Linum ſuperſtitionis incuſarent. Verùm nec in Lino eſſet, nec in Paulo ſuperſtitio fuit: tum quia id confert maximè ad pudorem fęmineum ſervandum, & pręcidendam occaſionem ruinæ hominibus ſpectantibus, pręſertim in Eccleſia, vbi lapſus eſſet gravior: tum quoniam ibi Angelorum nomine intelliguntur Sacerdotes, vt exponit Ambroſius, & cum ipſo Anſelmus ac D. Thomas, iuxta varia Scripturæ loca: & ob eorum reverentiam oportuit fęminas velato capite in Eccleſiam introire, ac ne aperto vultu eos ad libidinem provocarent. Quin & eiſdem verbis Angeli ad litteram intelliguntur, qui ſpeciatim templis aſsiſtunt, & ſingulorum ibidem adſtantium deſideria, preces, habitum, & geſtum obſervant,

vant, omneque profanum, vel qualitercumque devians à pudore aut honeſtate averſantur, è contrà verò ex modeſto habitu, geſtu, & reverentia in cultu Dei miram delectationem capiunt intra Eccleſiam ipſam.

16 Qua de re mirum eſt quod contingere ſolebat S. Ioanni Chryſoſtomo dum rem divinam perageret, teſtante id S. Nilo ipſius diſcipulo in Epiſt. ad Anaſtaſium. *Ioannes*, inquit, *Sacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & totius Orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini refertā Angelorum cœtu, & tunc imprimis cùm divinum & incruentum ſacrificium offerebatur: quo quidem tempore ſtupore & lætitia plenus, rem præcipuis amicis enarravit.* Præterea, *Cum cæpiſſet*, inquit, *Sacerdos ſanctum ſacrificium, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſsimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari magno cum ſilentio & reverentia, quoad illud reverendum myſterium expletum fuit circumſteterunt. Deinde huc illuc ſingulæ diffuſæ, per totam domum Epiſcopis, Præsbyteris & Diaconibus diſtributionem Corporis, & pretioſi Sanguinis miniſtrantibus, adhæſerunt ſatagentes & ſedulò adiuvantes.* Verùm cùm quadam die nihil eiuſmodi videret dum ſacrum myſterium celebrabatur, & propterea miraretur; poſtea deprehendit cauſam fuiſſe, quòd interea iuvenis quidam impuris oculis intra templum fœminam ſpectaſſet. Deus enim eo ſcelere intra Eccleſiam commiſſo indignatus, noluit Ioanni Chryſoſtomo, licèt inſonti, manifeſtare arcana cœleſtia, quibus iuvenis ille aſpectu fœminæ impuro obſtaculum adhibuerat. Vnde diſcimus, quantum oporteat fœminas velato capite in templo eſſe, ne oculos virorum illiciant.

17 Eundem morem, tanquam honeſtati conformem, & dignum commendari à S. Lino, diſcere potuiſſent Magdeburgenſes ex vſu mulierum quarumlibet honeſtarum apud Hebræos, & Gentiles, quibus in vſu fuit velare capita. De Hebręis fœminis inquit Tertullianus lib. de corona militis cap. 4. *Iudæis fœminis tam ſolemne eſt velamen capitis, vt inde cognoſcantur.* Præterea lib. de velandis Virginibus cap. 17. idipſum de Arabicis mulieribus teſtatur, dicens: *Iudicabunt nos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput tantùm, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo librato contentæ ſint dimidia frui luce, potiùs quàm totam faciem proſtituere.* Rationemque generatim tradiderat cap. 15. quoad Virgines præſertim, his verbis: *Pura enim virginitas ſemper timida oculos fugit: confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, contra ictus tentationum, contra iacula ſcandalorum, contra ſuſpiciones & ſuſurros.* Vnde Clemens Alexandrinus loquens de Lacænis lib. 2. Pædagogi cap. 10. ſatis longo, & ſalutari eruditione pleno ad pudicitiam ſervandam, circa finem inquit: *Neque enim ſicut Lacænas virgines, ſupra genu veſtiri eſt honeſtum: nullam enim partem fœminæ nudari eſt decorum. Quanquam poſſet quidem honeſtè dici vrbana & faceta vox illa, quæ dicta eſt ei qui dixerat: Pulcher cubitus; at non publicus: & tibi ſunt pulchræ tibiæ dixit, ſed ſunt tibiæ mei mariti: & ſpecioſa facies, ſed eſt eius tantùm, qui me vxorem duxit. Ego autem nolo pudicas fœminas præbere talium laudum cauſam ijs, qui per eiuſmodi laudes venantur, vt eis probrum afferant. Nec verò ſolum calcaneum nudare eſt prohibitum; ſed etiam caput tegere, & vultum adumbrare iuſſum eſt: neque enim honeſtum eſt corporis pulchritudinem eſſe hominum aucupium: neque par eſt vt purpureo vtens velo fœmina velit aſpici.*

18 De fœminis Romanis res notā eſt, vſas velare faciem. Ideoque Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. narrat, C. Sulpitium vxorem dimiſiſſe, quòd noſſet, illam capite aperto foris verſatam. quod certè non feciſſet, niſi in eo illa exorbitaſſet ab vſu matronarum Romanarum. Verùm præſertim in ſacris Romani, & ante illos Græci, reverentię cauſā velare capita ſoliti ſunt: vt propterea mirum non appareat ſi & fœminę pariter id agerent intra templa. Illud denotat Plautus Amph. Act. 5. ſcena 1. dum inquit: *Inuocat Deos immortales, vt ſibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* Et Curcul. *Quis hic eſt, qui operto capite Æſculapium ſalutat?* Curtius quoque lib. 4. *Ille in candida verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis.* Soli tres Dij apud Romanos colebantur aperto capite: nimirū, Saturnus, & Honor, atque Hercules. De duobus prioribus teſtatur Plutarchus in Αἰτίοις; de Hercule verò Halicarnaſſ. lib. 1. & Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 6. ex Cornelio Balbo. Cæteri verò capite velato colebantur. Hinc lux Arnobio lib. 3. vbi loquens de diverſo ritu apud Gentiles ait: *Etenim ſi hic atram, ille albam deſiderat pellem: huic capite velato, illi ſacrificandum eſt nudo, &c.* Fruſtra accumulem plura alia ad vindicandum honorem S. Lini Papæ ab ea calumnia Centuriatorū, non iniuſta modò, ſed & impudenti.

SEC-

SECTIO TERTIA.

Pontifices ſecundi ſaeculi, & Martyres, Anacletus, Teleſphorus, & Victor, vindicantur a calumnys, ſeu impoſturis haereticorum. Vbi de cultu veteri erga reliquias SS. Martyrum, & abſtinentia Sacerdotum, aduerſus Lutheranos.

19 IDEM Magdeburgenſes lib. 2. cap. 10. criminantur S. Anacletum Papam & Martyrẽ (qui ab anno Chriſti 101. vſque ad 110. Pontificatum geſsit) quòd memoriam S. Petri conſtruxerit, & ornaverit. In hoc enim ingentem ſuperſtitionẽ eſſe putant, quòd corpora ſeu reliquię Martyrum & Sanctorum quorumlibet honorentur, vel in cultum eorum templa aut baſilicae extruantur.

20 Sed enim haec accuſatio ex lutulenta Iconomachorũ lacuna profluit. Exinde enim Sectarij noſtrorum temporum didicere odium in reliquias Sanctorum, & imagines ſacras. Nec animadvertunt miſeri, earum cultum à tempore naſcentis Eccleſię receptum fuiſſe, quae ſtatim corpora Martyrum, & eorum ſepulchra venerari coepit. Ideóque Caius (quem Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 15. appellat nobiliſsimum Scriptorem, & vicinũ Apoſtolorum tempori; & S. Hieronymus in lib. de Scriptor. Eccl. celebrat, tanquam virum ſpectatiſsimae vitae & doctrinę) ſepulchra SS. Petri & Pauli vocat, *TROPHÆA APOSTOLORVM, QVIBVS ROMANA ECCLESIA QVASI COLVMNIS FIRMISSIMIS COMMVNITVR.* Deinde vbi primùm Eccleſia libertatem nacta eſt, Conſtantinus Magnus, extructa inſigni & ſumptuoſa baſilica, & pretioſiſsimis auri argentíque donarijs, memoriam S. Petri exornãdam curavit. Inde verò non modò nullam nomini ſuo labem intulit, ſed ingentem apud omnes pios gloriam comparavit. Quid dicam de pietate omnium Chriſtianorum, tum Romae commorantium, tum diſperſorum toto Orbe, à primis Eccleſiae ſaeculis, in ſepulchra Principum Apoſtolorum? Praeſertim verò legere eſt Chryſoſtom. Homilia vltima in Epiſtolam ad Romanos, vbi ardentiſsimo affectu exoptat videre Romam, vt ſepulchra SS. Petri & Pauli viſat, & veneretur.

21 Sed exſcribamus quaedam ex verbis S. Doctoris loco indicato aientis: *Quemadmodum corpus magnum & validum duos habet oculos illuſtres* (Roma) *Sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita coelum ſplendeſcit, quando radios ſuos Sol ex ſeſe dimittit: quemadmodum Romanorum ciuitas duas illas lampades vbique terrarum effundens.* Et infrà: *Qualibus coronis duabus ornatur vrbs iſta? qualibus catenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem: non propter copiam auri, non propter columnas, non propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiae. Quis mihi nunc dabit circunfundi corpori Pauli? affigi ſepulchro? videre pulverem corporis illius?* Et infrà: *Hoc corpus vrbem hanc munit, quod quavis turri, innumeriſque moenibus ac vallis tutius eſt, & cum iſto corpus etiam Petri. Nam & viuentem honoravit: Aſcendi*, inquit, *videre Petrum.* Sic ſentiebat, ſic loquebatur Chryſoſtomus. Sed longum eſſet ire per innumera alia Veterum ac SS. Patrum loca, quibus in eadem ſepulchra & corpora Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſummam venerationem ſuam teſtantur: immo & erga reliquias aliorum Martyrum, in quarum honorem templa aut baſilicae Deo dicari coeperunt ab ipſo ferè tempore naſcentis Eccleſię. Quantum etiam honoris praeſtitũ ſit ab Eccleſijs Orientis & Occidentis ſęculo quinto reliquijs S. Stephani Protomartyris, & quàm inſignibus ac propè innumeris miraculis Deus illarum celebritati conſuluerit, teſtatur vberrimè S. Auguſtinus lib. 22. de Civitate cap. 8. & alij Scriptores eiuſdem temporis.

22 Opponunt praeterea Centuria 2. cap. 10. col. 219. Lutherano planè ſpiritu, plura adverſus S. Teleſphorum Papam, qui fuit nonus à B. Petro, & Eccleſiam rexit ab anno Chriſti 140. vſque ad 152. in quo, iuxta S. Irenaeum lib. 3 cap. 3. glorioſo martyrio coronatus fuit. Verba, quibus illum erroris incuſant, haec ſunt: *Clericis primùm mandat, vt ſeptem ante Paſcha hebdomadibus à carne ieiunent: cùm contra ſcriptum ſit: Nemo vos iudicet in cibo, & potu. Deinde Miſſas cumulat, & ritum earum auget, atque ad tempus alligat: cùm neque propter numerum, neque caeremonias, neque tempus, Coena Domini ſit inſtituta. Clericorum item dignitatem, & ſanctitatem nimiùm effert ſupra plebeiam, quaſi non ſit ſcriptum, Omnes vos vnũ eſtis in Chriſto Ieſu. Ita nec argui vult a populo Sacerdotes, nec accuſari: eamque legem firmiſſimum vocat ſui Ordinis murum conſtitutum à ſe, & a Patribus contra perſequutores.* Hactenus illi, anteambulonis ſui Lutheri veſtigia prementes.

23 Horum erratorum accuſatur

tantus & tam glorioſus Pontifex: quia, vt optimè obſervat Bellarminus lib. 4. cap. 8. de Romano Pontifice, errata viſa ſunt Centuriatoribus, quęcumque diſcrepant à regula Læſbia Lutheri, qui tolerare non potuit delectum ciborum, nec Miſſas; nec Ordinem Sacerdotum, ſive Hierarchiam Eccleſiaſticam ſupra plebem. Et ſanè ij adeò cœci ſunt, vt pluris faciant pręceps atque inſanum iudicium Lutheri bipedum ſceleſtiſsimi, quàm Teleſphori Vicarij Chriſti, Apoſtolorum doctrinâ à teneris annis imbuti, & ſanctitate vitæ ac martyrio illuſtris.

24 Deinde obiectiones ipſæ, futiles & enerves ſunt. Quod enim opponunt ex Apoſtolo ad Coloſſenſes 2. v. 16. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu*, non contradicit abſtinentiæ à carnibus indictæ ab Eccleſia certis temporibus vel diebus ad frænandam petulantiam corporis, & appetitus ſentientis. Quin potiùs cùm illa ſit maximè conſentanea rationi, & apta ad reprimendam libidinem, ſervandamque continentiam propriã ſacrorum hominum; cenſeri etiam debet cõformis doctrinę eiuſdem Apoſtoli. Itaque eo loco ſolùm negat obligationem ad abſtinendum more Iudæorum, qui certis cibis nunquam vtebantur, eo quòd immundi eſſent iuxta veterem legem. Id planè denotant verba omnia Apoſtoli: *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ ſunt vmbra futurorum; corpus autem Chriſti.* Id eſt, nemò vos reprehendat, damnetve in delectu & abſtinentia ciborum & potuum Iudæis præſcripta, aut circa obſervantiam feſtorum legis Moſaicæ: quoniam ea omnia pręceſſerunt veluti vmbra futurorum in lege gratiæ data per Chriſtum, atque adeò iam ceſſarunt. Hæc inibi Apoſtolus, iuxta communem interpretationem Ambroſij, Chryſoſtomi, Theodoreti, Oecumenij, Theophylacti, Anſelmi, & Auguſtini in Pſalmum 59. vbi obſervat in verbis ijs Apoſtoli particulam illativam *ergo* ſignificare collectionem quandam ex præcedentibus. Dixerat enim Apoſtolus v. 6. & ſequenti, in vno Chriſto debere eſſe fidem & cõverſationem noſtram; quoniam in ipſo, vt ſubiungit verſu 11. *circumciſi ſumus circumciſione non manu facta, in Baptiſmo.* Inde verò colligit verſ. 16. ſuprà exſcripto, non eſſe audiendos Iudaizantes, qui delectum ciborum, dieſque feſtos à lege veteri pręſcriptos (ſubindeque cæteras cęremonias eius legis, quæ per ſynecdochem intelliguntur ex vna aut alia ſpecie ciborum & feſtorum) volebant à Chriſtianis debere obſervari. Hæc eſt planè mens Apoſtoli eo loco, vbi contra Simonianos & Iudaizantes invehitur. Itaque non damnat abſtinentiam Chriſtianam, præſertim ſacrorum hominum, quæ Sectarijs exoſa eſt; ſed Iudaicam, & veteri lege præſcriptam, quæ prorſus exolevit. Quid? quòd vel ab ipſis Ethnicis diſcere poſſent Novatores; in obſequium Dei veri Sacerdotes debere vti frugali ac parco victu potuque, cùm & inanium Deorum ſacrificuli, & Flamines, alijque miniſtelli à carnibus & vino abſtinuiſſe inveniantur.

25 Verùm Luthero, & gregalibus, *inimicis crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt*, iuxta eundem Apoſtolum, *& gloria in confuſione ipſorum*, abſtinentia exoſa eſt, præſertim quam S. Theleſphorus exoptat in Sacerdotibus. vt proinde helluoni illi crapulam & vinum eructanti dicere poſsimus cum Tertulliano lib. de Ieiunijs cap. extremo: *Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis iacet. Sed maior his eſt agape: quia per hanc adoleſcentes tui cum ſororibus dormiunt. Appendix, ſcilicet, gulæ, laſcivia, atque luxuria eſt.* Similiter cum eodem nebulonem illum omnis frugalitatis inimicum ſugillare licet: *Deus tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos coquus.* Ad eiuſmodi ſacrificia peragenda nihil magis contrarium lurconi, quàm abſtinentia à carnibus præſcripta à B. Teleſphoro.

26 Iam quod addunt, Cœnam Domini nõ fuiſſe inſtitutam propter numerum, nec propter ritus, nec propter tempora; verùm quidem eſt, ſed præter rem. Inde enim nullatenus improbari poteſt, ne in ſpeciem quidem, quòd Sanctus ille Pontifex decreverit in die Nativitatis Domini ter Miſſam celebrari, & plures ritus præſcripſerit, & tempus ad illam decentiùs peragendam. In quo certè numerus, & ritus, & tempus, potiùs ordinantur ad Cœnam Domini, quàm è contra. Nec verò ſeries ab Eccleſia ſtatuta in eo ſacrificio omnium diviniſsimo peragendo diſplicere potuit; niſi quibus diſplicet ordo; & amica eſt confuſio.

27 Denique quod Centuriatores opponunt ex Apoſtolo ad Galatas 3. v. 28. *Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu*, immeritò obijcitur dignitati & excellentiæ Sacerdotum ſupra laicos. Ipſe enim Apoſtolus Roman. 12. vbi pariter docet, fideles omnes eſſe vnum in Chriſto; id exponit eo ſenſu, vt ſit locus excellentiæ quorundam in alios. *Sicut enim*, inquit, *in vno corpore multa membra habemus, omnia autem mẽbra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli au-*

tem

tem alter alterius membra in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Itaque quòd omnes fideles ſint vnum aliquid in Chriſto, non impedie vt conſtituāt idem corpus, veluti varia membra, quorum functiones diſsimiles ſunt, & inter quæ aliqua præſtant alijs, & caput reliquis. Quid ergo mirum ſi in hoc Chriſti corpore Sacerdotes, velnti præcipua membra, prꝗſtent laicis? Et certè quicumque hanc Sacerdotum legis Evangelieæ præſtantiam ſupra populum criminantur, apparent hoſpites in ſacris litteris: iuxta quas, vel in lege veteri, quæ erat vmbra futurorum, Sacerdotes præfecti erant populo, non modò in dirimendis quęſtionibus fidei, religionis, & morum, ſed etiam in terminandis iudicijs ſanguinis: vt conſtat ex cap. Deuteronomij 17. & 21. v. 5. & ex Ezechiele cap. 44. v. 24. aliiſque locis. Vide plura hoc ſpectantia ſupra Diſp. XXII. ſect. 5. Hoc tamen vltro concedemus Centuriatoribus, & alijs Sectarijs, Sacerdotes & Epiſcopos, quales apud eos ſunt, in nullo præſtare plebi; nec verè aliqua dignitate præcellere. Etenim ad ea munia, vt verbis Tertulliani lib. de Præſcriptionibus cap. 41. vtar, *nunc neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros: VT GLORIA EOS OBLIGENT; QVIA VERITATE NON POSSVNT. Nuſquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, vbi ipſum illic eſſe, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: Hodie Diaconus, qui cras Lector. Hodie Præsbyter, qui cras laicus: NAM ET LAICIS SACERDOTALIA MVNERA INIVNGVNT.* Eiuſmodi pſeudo epiſcopi & miniſtelli intra plebem ſint, dum noſtri Antiſt. veriq́ue Sacerd. antecellant.

28 S. Victor Papa & Martyr, XV. Pontifex à B. Petro, qui Eccleſiam rexit ab anno Chriſti 192. vſque ad 201. notatus olim fuit à quibuſdam hæreticis, quaſi docuiſſet Chriſtum eſſe purum hominem: vt refert Euſebius lib. 5. Hiſtor. Eccl. cap. 28. Verùm idem eo loco palam oſtendit, eam fuiſſe impoſturam: quoniam verus auctor eius erroris fuit Theodotus quidam, à Victore ipſo anathemate inuſtus, & pulſus ab Eccleſia. Fuit verò is Theodotus Byzantius, initio coriarius arte, ſed multæ eruditionis & doctrinæ. Qui cum comprehenſus tempore perſecutionis ſub Marco Aurelio metu tormentorum Chriſtum negaſſet, poſtea vt minueret infamiam ſibi conflatam apud fideles, adauxit ſcelus, effutiens ſe non Deum, ſed merum hominem negaſſe, quâvis ex Spiritu ſancto conceptum, & natum de Virgine, & iuſtitia auctoritateq́ue reliquis ſuperiorem. Ita de illo teſtantur, prꝗter Euſebium allegatum, Tertullianus eodem tempore vivens lib. de Prꝗſcriptionib. cap. vlt. Epiphanius Hæreſi 54. Theodoretus lib. 2. Hæret. Fabul. & S. Auguſtinus de Hæreſibus cap. 33. Vnde qui eam hæreſim poſtea amplexi ſunt, dicti fuerunt Theodotiani. Nulla itaque veri ſpecie S. Victor notatus fuit de hæreſi, quam potiùs damnavit, & cum auctore ſuo ab Eccleſia proſcripſit.

SECTIO QVARTA.

Aſſeritur honor debitus Pontificibus tertij ſæculi, SS. Zephyrino & Vrbano. Vbi de erroribus Montani, & de Confirmationis Sacramento.

29 S. Zephyrinus (qui ab anno Chriſti 201. Pontificatum geſsit vſque ad 219. in quo, iuxta aliquos, martyrium ſubijt; iuxta alios verò incruenta morte obijt) impetitur pariter ab hæreticis, quòd in hæreſim Montani ceciderit, eamq́ue reſcripto ſuo probaverit. Etenim Tertullianus eodem tempore ſcribens in libro contra Praxeam ait, Romanum Pontificem agnoſcentem prophetias Montani, & propterea pacem Eccleſijs Aſiæ & Phrygiæ inferentem, à Praxea fuiſſe perſuaſum litteras pacis revocare, quas iam emiſſerat. Cumq́ue ex hiſtorijs conſtet, eo tempore fuiſſe Pontificem Zephyrinum, & nullum alium; videtur ille denigrari hac notâ. Quapropter Rhenanus in annotationibus Tertulliani ad eum locum, ad oram ponit: *Epiſcopus Romanus montanizat.* Nec ſatis erit dicere, eo tempore nondum fuiſſe damnatam hæreſim Montani: nam teſte Tertulliano ibidem, Praxeas perſuaſit Pontifici vt revocaret litteras pacis eo quòd ipſius prædeceſſores antea illam hęreſim damnaviſſent. Igitur Zephyrinus hæreſim iam damnatam à Sede Apoſtolica probavit in litteris ad Eccleſias Aſiæ & Phrigiæ.

30 Verùm apage iniuriam manifeſtam, & nullo Euſebij Cæſarienſis, Hieronymi, Theodoreti, aut alterius omnino auctoris veteris teſtimonio fultam; quàm Tertulliani, qui iam in hæreſim Montani inciderat cùm librum adverſus Praxeam ſcriberet: & mirum non eſt ſi ad auctoritatem ſuo errori conciliandam allegaverit pro ſe reſcriptum Romani Pontificis, ſicuti & Artemon paucis retro annis falsò iactaverat, Victorem Papam idem omnino ſecum ſenſiſſe. Quin potiùs habemus ex S. Hieronymo lib. de Eccleſiaſt. Scriptoribus in Gaio, & Euſebio lib. 6. Hiſt.

cap.

cap.14. tempore Zephyrini Papę (nimirum anno Pôtificatus ipſius 13. Chriſti verò 215. iuxta Baronium) Pontificem ipſum, poſt plenè conuictum Proclum, præcipuum Montani defenſorem, anathema dixiſſe adverſus omnes eius ſequaces pſeudo-prophetiæ addictos, & inter alios in eundem Tertullianum, qui & alios pariter Catholicę Eccleſiæ Epiſcopos, collectis vbique varijs Concilijs, eandem de damnatione Cataphrygum ſententiam confirmaſſe, ſignificat lib. de Ieiunijs cap. 13. Quare nihil mirum ſi Zephyrino hęretici ipſi inuidiam conflare tentaverint. Quod & aggreſſus fuit Artemon Hęreſiarcha cum gregalibus ſuis; de quibus ſcribit Euſebius lib. 5. Hiſtor. *Aiunt iſti, omnes noſtros maiores, & omnes Apoſtolos, ea quæ ipſi iam affirmant, non modò à Domino accepiſſe; verùm etiam alios eadem docuiſſe, & veram prædicationis rationem vſque ad tempora Victoris, qui decimus tertius à Petro fuit Romæ Epiſcopus, integrè ſervatam illam quidem; ſed à Zephyrino illius Succeſſore penitùs corruptam fuiſſe ac depravatam.* Nimirum, ita loquuntur de Zephyrino, quoniam illorum hereſes damnavit; idem dicturi de Victore, idem de alijs antiquioribus Pontificibus, ſi eas pariter proſcripſiſſent.

31 Ne tamen Tertullianum, licèt iam hæreticum factum, incuſemus ſplendidiſsimi mendacij & impoſturæ apertæ in ea narratione, dicendum eſt, facilè fieri potuiſſe, Zephyrinum Papam initio à ſequacibus Montani perſuaſum fuiſſe, doctrinam illius nullatenus deviare à fide Romanæ Eccleſiæ; ac propterea voluiſſe ijs pacem tribuere, quã abſtulerant ipſius Prædeceſſores: non quidem ita vt approbaret errorem aliquem Montani ab ijs antea damnatum (vt ſapienter monet Bellarminus vbi ſuprà cap.8.) ſed quòd cenſeret eiuſmodi errores falsò imputari Montaniſtis, qui nullum eorum reverà tradere invenirentur. Hoc autem non eſſet in Zephyrino error in fide, vel iuris, vt aiunt, ſed ſolius facti, in quo iam ſuprà Diſp.XXV. monuimus Pontificem, ſicuti & Oecumenicam Synodum, errare poſſe.

32 Quapropter fallitur aut fallit Rhenanus, vel qui ad oram annotationum ipſius in Tertullianum poſuit, Romanum Epiſcopum montanizaſſe. Si enim Montaniſtis pacem initio dedit, non propterea aliquẽ eorum errorem probavit, (prout neceſſarium erat ad mõtanizandum) ſed ex ſiniſtra eorum narratione, & arte Pelaſga, cenſuit nihil contrarium fidei, vel ab Eccleſia damnatum tradi ab ijs. Sic etiam cùm Arius ob hæreſim damnatus ſæpiùs fuiſſet, ſtuduit errorem ſuum palliare adeò ſubdola fidei profeſſione, vt à Conſtantino Magno, & alijs Catholicis putaretur Catholicè ſentire; licèt in illa ipſa poſſet à ſuis cognoſci qualis erat. Quod teſtatur Ruffinus lib. 10. Hiſtor. cap. 11. Quemadmodum ergo Conſtantinus & alij Catholici decepti fuerunt tunc circa factum exiſtimantes Arium ſentire per omnia cum Catholicis, donec tandem eius larvata impietas detecta fuit: ita etiam contingere initio potuit Zephyrino cum Montaniſtis, donec deprehenſo dolo, & detecta larva, in eos, atque in Tertullianum ipſum anathema dixit. Quare ijs aut ſimilibus verſutijs hæreticorum deprehenſis, S.Leo Papa Epiſt.86. monet Nicetam Epiſcopum Aquileienſem, vt ſi quando Pelagiani redeũtes ad Eccleſiam admittendi ſint, iubeat illos apertiſsimis verbis hæreſim ſuam abiurare, ne fortè palliata & ſubdola profeſſione decipiant Eccleſiam, & habeãtur Catholici, cùm tales non ſint.

33 Centuriatores allegati centur. 3. cap. 10. col. 277. reprehendunt his verbis S. Vrbanum Papam & Martyrem, qui anno 224. clavum Eccleſiæ tenuit: *Inſtituit Confirmationem poſt Baptiſmum: ſed blaſphemè dicit* (nota impudentiam hæreticorum debachantium in ſanctiſsimum illum Pontificem, tot ſignis cœleſtibus à Deo commendatum) *per manus impoſitionem Epiſcoporum accipi Spiritum ſanctum, & plenè Chriſtianos fieri.* Ex eodem capite poſtea col. 282. criminantur itidem S. Cornelium Papam & Martyrem, qui anno 251. Pontificatum geſsit.

34 Verùm criminatores ij multa peccant, & ſplendidè mentiuntur, dum ſic arguunt. Imprimis falsò opponunt, ab Vrbano I. Papa inſtitutam fuiſſe Confirmationem: cùm huius vſus legatur Actorum 8. & 19. vbi Apoſtoli ſuper baptizatos imponebant manus, vt Spiritum ſanctum acciperent. Nempe priori loco ex ijs v. 17. dicitur: *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Premiſſum verò fuerat v. 15. *Oraverunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum.* Nimirũ, cum vnctione Chriſmatis, & ſigno crucis, prout habemus ex Apoſtolica traditione. Deinde v. 16. indicatur maior abundantia gratiæ ſuperveniens ex Confirmatione poſt Baptiſmum, nam dicitur: *Nondum Spiritus ſanctus in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos; & accipiebant Spiritum ſanctum.* Quin & Chriſtus D. longè ante Ioan. 14. 15. & 16. varios eiuſdem Confirmationis effectus promiſerat, præſertim c. 14. v. 16.

v.16. quod nobiſcum *in æternum permanebit.* Porrò precipuus eorum & infallibilis exinde colligitur, quòd cuicumque baptizato Apoſtoli manus imponebant, is ſtatim acciperet Spiritum ſanctum,cap.8 cit.v.19.Neque ij tam confidenter & frequenter facerent Apoſtoli, niſi Chriſtus palam id ordinaſſet, præſertim in vltima Cœna, vt habet traditio. Certi enim erant, non eſſe alicuius puri hominis inſtituere cæremoniam aliquam, per quam infallibiliter conferatur gratia Spiritus ſancti.Quod vel ex Sectarijs agnoverunt Calvinus lib.4. Inſtit. cap. 19. & Kemnitius ad Canonem 10. Seſsionis VII. Cocilij Tridentini. Sed & ceremoniam hanc fuiſſe valde neceſſariam, colligitur ex eo, quòd primarij Apoſtoli Petrus & Ioannes non dubitaverint laborem & iter longum ſuſcipere Hieroſolymis Samariam, vt hoc ritu impertirent Spiritum ſanctum Samaritanis, quos baptizaverat Philippus Diaconus. Alioqui enim potuiſſent manentes Hieroſolymis orare pro ijs. Conſtat ex d.cap.8.v.14. Vnde & obiter colliges, miniſtrum ordinarium Confirmationis eſſe Epiſcopum. nam aliàs, non fuiſſet opus Apoſtolis iter longum ſuſcipere ad eam conferendam.Sic & Actor.19.v.6. Paulus dicitur manus impoſuiſſe ijs,quos alij baptizaverant. An verò ſimplex Sacerdos poſsit eſſe miniſter extraordinarius vide infrà Diſp.XXIX. Qua igitur veri ſpecie Cēturiatores effutiunt,S.Vrbanum P. fuiſſe inventorem Confirmationis, ab ipſo Chriſto inſtitutæ,& ab Apoſtolis frequenter adminiſtratæ?

35 Quapropter Centuriatores blaſphemiç notantes Vrbanum, aientem per impoſitionē manuū Epiſcopi accipi Spiritum S. blaſphemi ſunt non modò in ipſum S.Vrban. ſed & in S.Cornelium eius Prędeceſſorē, qui idipſum dixerat: immo & in Spiritum S. ipſum, qui in allegatis Scripturæ locis ita docuerat. vt nihil dicam de S. Cypriano lib. 1. Epiſt.12. S.Cyrillo Catecheſi 3. myſtagogica,Auguſtino in Epiſt.Ioannis tract.6.alijſque Patribus idipſum docentibus totidē ferè verbis: quibus Centuriatores blaſphemiæ notam inurant neceſſe eſt, dum illam inurunt Vrbano ob eandem omnino cauſam.

36 Denique ijdem Sectarij in hac parte,tum mēdacij, tum τῆς ἀνακολουθίας convincuntur. Tertullianus enim planè antiquior fuit Vrbano: cùm vixerit tempore Severi Imperatoris,& filij eius Antonini: vt ex Hieronymo docent ipſi Magdeburgēſes Cent.3.c.10. pag.177.Vrbanus verò renunciatus fuit Pontifex an.224.longè poſt obitum eorundē Septimij Severi,& Antonini Alagabali,ſeu Heliogabali; imperante iam pluribus annis Alexandro Severo. Atqui Tertullianus ipſe pluribus locis palā meminit Confirmationis. Nam lib. de Reſurrectione carnis ait: *Caro abluitur, vt anima emaculetur.caro vngitur, vt anima conſecretur.* Et lib.de Præſcript. cap. loquens de Diabolo,qui velut ſimia Dei imitatur Baptiſmum & Confirmationem noſtrā, inquit: *Tingit & ipſe quoſdam, vtique credentes,& fideles ſuos: ſignat illic in frontibus milites ſuos.* Ac lib. de Bapt. *Exinde egreſsi de lavacro perungimur benedicta vnctione.* Ac paulo infrà: *Deinde manus imponitur,per benedictionem aduocans,& invitans Spiritum.S.* Itaque Tertullianus palam agnoſcit vnctionem, ſignum in fronte, manuum impoſitionem, & adventum Spiritus ſancti. Iam igitur Tertulliani tempore in vſu erat Confirmatio. Quomodo ergo longè poſtea ab Vrbano inſtituta fuit? Quid? quòd ipſi Magdeburgenſes eodem loco incuſſant Tertullianum ipſum quòd poſt Baptiſmum agnoverit vnctionem, & ſignum crucis, veluti cæremoniam neceſſariam.Qua ergo acoluthiæ ſpecie inventorem Confirmationis faciunt Vrbanum Papam, qui pluribus poſt Tertullianum annis Pontificatum geſsit? Verùm is Sectariorum genius eſt, vt exagitati ſpiritu vertiginis pugnantia doceant, & ne in erroribus quidem ſibi ſimiles perſiſtant.

SECTIO QVINTA.

Calumniæ hæreticorum aduerſus SS. Pontifices & Martyres eiuſdem tertij ſæculi, Pontianum, & Cornelium, repelluntur, Vbi de ſacrificio Miſſæ à Magdeburgenſibus alijſque Lutheranis negato.

37 S. Pontianus Papa & Martyr ſucceſsit S. Vrbano in Pontificatu, XIX. à Divo Petro, anno 231. Illum etiam ſugillare audent Magdeburgenſes Centur. tertia capite decimo columna 278. quia dixit, Sacerdotes proprio ore conficere Corpus Domini, ac populis tradere; Itidemque per Sacerdotes Deum aliorum hoſtias acceptare, eoſque à peccatis mundare, & reconciliare ſibi. Quam doctrinam prædicti Sectarij ore putido dicunt blaſphemam, quamvis talem eſſe nec leviter quidem oſtendant.

38 Sed enim eodem auſu invehi poſſent contra alios Sanctos Patres doctiſſimos,qui idipſum & eodē ſtylo tradiderunt. Etenim S.Hieronymus In Epiſt. ad Hellodorum inquit: *Abſit vt de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſucce-*

dentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claves regni cœlorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant. Similiter Auguſt. Epiſt. 122. ad Victorianos agens de fœminis captivis inter Barbaros ait: *Ora Deũ pro eis, & roga vt etiam ipſas doceat talia dicere, qualia ſanctus Azarias inter cætera in oratione, & confeſſione ſua fudit ad Deum. Sic enim ſunt illæ in terra captivitatis ſuæ, quomodo erãt illi in ea terra, vbi nec ſacrificare more ſuo poterant Domino: ſicut nec iſtæ poſſunt vel ferre oblatione ad altare Dei, vel invenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.* Denique Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdot. *Corporis*, inquit, *lepram purgare, ſeu verius dicam, non quidem purgare, ſed purgatã oſtendere, Iudæorum Sacerdotibus ſolis licebat: at vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Sed & id longè ante illos plures alij Patres Primitivæ Eccleſiæ docuiſſe inveniuntur: atque in ijs S. Dionyſius Apoſtolorum ſynchronos Eccl. Hier. c. 3. S. Ignatius Martyr in Epiſt. ad Romanos poſt medium, & in Epiſt. ad Smyrnæos prout allegatur à Theodoreto Dial. 5. S. Martialis Epiſt. ad Burdegal. c. 3. S. Clemens P. lib. 6. Apoſt. Conſtitut. c. 23. iuxta verſionem Franciſci Turriani, S. Iuſtinus Philoſoph. & Martyr in ſecunda Apologia pro Chriſtianis, ac Tertullianus in lib. ad Scapulam Africę Proconſulem cap. 2. vbi Ethnicis calumniantibus Chriſtianos, veluti impios erga Imperiũ Romanum, quoniam pro Imperatoribus nullum ſacrificium offerebant, reſpondet: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris; ſed Deo noſtro & ipſius; ſed quomodo præcepit Deus pura prece.* Vbi loquitur de ſalutari Miſſæ ſacrificio, ſicuti & lib. de cultu fœminarum cap. 11. lib. de corona militis cap. 3. & lib. 2. ad vxorem cap. 8. Quid? quod idipſum palam habetur in Liturgijs S. Petri, S. Iacobi Maioris, tum etiam Minoris, & S. Mathæi, Apoſtolorũ, ac S. Marci Evangeliſtæ, quarum verba exſcribit & expendit Gaulterius in Chronico Sæculo I. Veritate prima, nimirum Tranſubſtantiationis, & Sacrificij Miſſę, quam eo loci, & Sæculis ſequentibus apertiſsimè demonſtrat, tum ex ſacris litteris, tum ex perpetuo ſenſu totius Eccleſiæ à tempore Chriſti, tum ex crebris & innumeris teſtimonijs SS. Patrum.

39 Hanc verò doctrinam, quâ nulla antiquior, clarior, conſtantior, aut celebrior in Eccleſia Catholica, prolatam à Sancto Pontiano Papa, Centuriatores ore ſacrilego non verentur appellare blaſphemiam, quâ notâ pariter inurunt totam Eccleſiam; veluti à tempore Chriſti in hac parte miſerè errantem, donec ipſi cum alijs Sectarijs Euchariſtię blaſphematoribus novam Chriſtiano Orbi lucem attulerunt. Quare placet Ijs gratiam referre verbis Tertulliani libro de Præſcript. cap. 29. vbi de alijs ipſorum ſimilibus ita loquitur: *Quoquo modo ſit erratum, tandiu vtique regnavit error, quandiu hæreſes non erãt. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos* (dicamus, Magdeburgenſes) *liberanda veritas ſpectabat: Interea perperam evangelizabatur, perperàm credebatur. Tot millia millium perperam tincta; tot opera fidei perperam adminiſtrata; tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot Sacerdotia, tot miniſteria perperã functa: Tot denique martyria perperam coronata. Aut ſi non perperam, nec in vacuum; quale eſt, vt antè res Dei currerent, quàm cuius Dei notum eſſet? Antè Chriſtiani, quam Chriſtus inventus? Antè hæreſis, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit, poſt rem ſimilitudo ſuccedit. Cæterum ſatis ineptum, vt prior doctrina hæreſis habeatur; vel quoniam ipſa eſt quæ futuras hæreſes cavendas prænuntiabat. Ad eius doctrinæ Eccleſiam ſcriptũ eſt, immò ipſa doctrina ad Eccleſiam ſcribit: Etſi Angelus de cœlo aliter evangelizaret citra quàm nos, anathema ſit.* * Hæc ille, quæ paucis mutatis, & ἀνάλογως, quadrant Sectarijs Euchariſtiæ Sacramẽto, & Miſſæ ſacrificio cõtradicentibus.

40 Sanctum Cornelium quoque Papam & Martyrem, qui vigeſsimus ſecundus à Divo Petro Pontificatum geſsit ab anno 251. accuſant ijdem Magdeburgenſes Centuria tertia cap. 6. col. 145. & cap. 7. col. 165. affirmantes, ipſum docuiſſe, ſolam aquam in calice Domini offerendam eſſe. qui eſt exploratus error contra Evangelium.

41 Hæc obiectio adeò dementata eſt, vt Cardinalis Bellarminus, mitiſsimus alioqui ſcriptor, zelo fidei & veritatis percitus, cap. 8. lib. 4. de Pontifice Romano non dubitaverit dicere: *Hæc impudentiſſima calumnia eſt.* Et paulo inferiùs: *Magdeburgenſes tunc fortè largiùs biberant, & ſcintillantibus ac trementibus oculis vnum legerunt pro alio.* Nec mirum ita loquatur Vir modeſtiſsimus. Nullum enim aliud fundamentum eius accuſationis proferunt Magdeburgenſes, quàm quòd S. Cyprianus libro ſecundo Epiſtola tertia, ſcribens ad Cornelium multa diſputet contra hunc errorem. At in hoc dupliciter errant. Primò quoniam Epiſtola illa non eſt ad Cornelium,

ſed

ſed ad Cæcilium quendam Epiſcopum Africanum, vt teſtantur omnia exemplaria. Quare vt ij pro Cæcilio Cornelium legerent, opus fuiſſe videtur ophthalmia à temero inducta. Secundò, quia Cyprianus eo loci non ait, illum ipſum ad quem ſcribit, in eo errore fuiſſe. Patet verò, ſolemne eſſe Patribus Eccleſię, vt in Epiſtolis ipſis ad alios Patres per omnia Catholicos & doctiſsimos multa diſputent contra errores, non quidem eorum, ſed aliorum ſuo tempore excitatos, aut obortos. Quin & ipſi Apoſtoli in Epiſtolis Canonicis ad fideles reijciunt plures hæreſes erroreſque, alienos ab eorum mentibus, vt cautè ſe gerant, & præcaveant illos. Denique quomodo Sanctus Cornelius potuit in eo errore eſſe, cùm ante illum Sanctus Alexander Papa, ſeptimus à Beato Petro, & Eccleſiam regens ab anno 119. decretum edidiſſet, ne in calice Domini quidquam aliud offerretur, quam vinum aquâ miſtum?

42 Debuiſſent potiùs Centuriatores diſcere à Beato Cypriano in illa ipſa Epiſtola, Euchariſtiam eſſe ſacrificium, & nec ſolam aquam, nec ſolum vinum; ſed vinum aquâ temperatum offerri debere. Id enim palam tradit eo loco Sanctus Doctor. Centuriatores autem cum alijs Lutheranis obſtinato animo negant eſſe vllum Euchariſtiæ ſacrificium, & in calice ſolum vinum adhiberi volunt: fortaſsis, quoniam aquæ potus, vel modicisſimæ, ijs offenſioni eſt.

43 Huc etiam ſpectare poſſet quòd idem Sanctus Cornelius Papa accuſatus olim fuerit à Novatianis hæreticis, ob reconciliatum Epiſcopum Trophymum lapſum & priſtino honori reſtitutum, quaſi propterea Cornelius cum hæreticis communionem habuiſſet, & Papatu excidiſſet. Verùm hanc impoſturam repulit Sanctus Cyprianus in litteris ad Antonianum Epiſcopum: vbi teſtatur, Trophymũ à Cornelio nequaquam fuiſſe reſtitutum ad dignitatem Epiſcopalem, ſed ſolùm ad communionem laicam: ideoque nullam in eo ſpeciem communicationis ſcabioſæ interveniſſe, ob quam Cornelius Papatum amitteret.

44 Firmum itaque maneat, neminem ex Pontificibus Romanis trium priorum Æræ Chriſtianæ ſæculorum aliquid definiſſe aut docuiſſe, vel fidei, vel bonis moribus contrarium: neminem quoque, etiam vt privatam perſonam, in hæreſim aliquam incidiſſe. Quidquid verò aliquibus eorum obijcitur, eſſe meram calumniam, & impoſturam ab hæreticis excogitatam.

DISPVTATIO XXVIII.

AN QVISQVAM EX ROMANIS PONtificibus quarti ſæculi inveniatur decreviſſe aut perpetraſſe aliquid contrarium fidei?

PRÆCEDENS Controverſia cum ſolis hæreticis fuit. Iam verò de cætero, modò cum ipſis, modò etiam cum aliquibus Catholicis negantibus auctoritatem prorſus infallibilem Sedi Apoſtolicæ ſeorſim à Cõcilio Oecumenico ſpectatæ; modò denique cum vtriſque ſermo erit. Soli autem tres Pontifices exarſerunt hoc ſæculo, de quibus cõtroverſia ſit, aut eſſe poſsit, nimirũ S. Marcellinus, Liberius, & S. Felix II. Et quidem de ijs oportet aliquanto fuſius agere, atque examinare, an immunes fuerint, non modò ab errore in doctrina, quod facilius eſt; ſed etiam à labe negandi exteriùs fidem. Obiter deinde aliquid de Siricio Papa libabimus.

SECTIO PRIMA.

An S. Marcellinus Papa aliquando negaverit fidem Chriſti, exteriùs ſaltẽ. Propoſitis duabus opinionibus eligitur & confirmatur negans, tanquam valde probabilis. Argumenta ſententiæ contrariæ ſoluuntur.

2 EX Pontificibus quarti ſæculi primus impetitur Sanct. Marcellinus, qui licèt renuntiatus fuerit Pontifex anno 296. proindeque intra ſæculum tertium; vixit aliquot annos intra quartum, & martyrium ſubijt anno Chriſti 304. die vigeſimo ſexto Aprilis. Impetitur, inquam, veluti qui tormentorum metu inanibus Dijs ſacrificaverit, ac propterea fidem Catholicam ab animo expulerit. Porrò illum ſacrificaſſe, palam traditur in Pontificali,

quod communiter Papæ Damaſo tribuitur: in quo hæc leguntur: *Quo tempore fuit perſecutio magna, ita vt intra triginta dies decem & ſeptem millia promiſcui ſexus hominum per diuerſas Provincias martyrio coronarentur. De qua re ET IPSE MARCELLINVS AD SACRIFICIVM DVCTVS EST; VT THVRIFICARET: QVOD ET FECIT. Et poſt paucos dies pœnitentia auctus, ab eodem Diocletiano pro fide Chriſti cum Claudio & Cyrino, & Antonino, capite truncatus eſt, & martyrio coronatus.*

3 Idipſum conſtare videtur ex pluribus alijs teſtimonijs. Extant imprimis Acta Concilij Sinueſſani, ipſa ſua antiquitate veneranda, vt loquitur Binius: in quibus palam traditur eius lapſus, & qualiter ingreſſus fuerit cilicio indutus ad Synodum, ac crimen ſuum cum lacrymis confeſſus coram omnibus Patribus: à quibus proinde edita fuerit ſententia illa memorabilis: *Tuo te ore, non noſtro, iudica. NAM PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR.* Id effatum ex eodem Sinueſſano Concilio allegavit multò poſtea Nicolaus I. Papa in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem. quod non faceret, niſi certum haberet lapſum Sancti Marcellini, cui ea verba dicta ſunt. Quin & ex eodem fonte hauſtum videtur quod in Concilio Romano ducentorum octoginta Epiſcoporum ſub Sancto Sylveſtro Papa, habito viginti & vno annis poſt obitum Marcellini, nimirum Chriſti 325. dicitur: *Nec ab Auguſto, neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo iudicabitur Prima Sedes.* Cuius etiam decreti meminit loco mox indicato Nicolaus. Indidem quoque apparet ortum quod in Synodo Romana ſub Sixto III. Papa legitur: *Non licet in Pontificem ſententiam dicere.* Denique Anaſtaſius Bibliothecarius ſæculo nono ſcribens vitam Sancti Marcellini, & ex alijs antiquioribus monumentis texens, prædictum eius lapſum refert: Cardinalis Baronius, cui initio ſuſpecta fuerat ea narratio, poſtea re maturiùs examinata in Appendice Tomi X. priorem ſuam opinionem retractat. Quin & Godefridus Henſchenius ac David Papebrochius, eruditiſsimi Continuatores Magni Operis, cui inſcriptio, Acta Sanctorum, nuper in lucem eruiſſerunt Vitam Sanct. Marcellini ex antiquiſsimo codice mſ. Iuliani Imperatoris tempore exarato, vt fertur. id eſt, intra idem ſæculum quartum, quo Marcellinus obijt. Denique Eccleſia in ipſo Breviario Romano ad diem vigeſsimum ſextum Aprilis eam narrationem profert tanquam veram, quod nequit non conciliare magnum auctoritatis pondus eidem ſententię. Verè igitur Marcellinus Papa idolis thus obtulit; ac proinde fidem Catholicam abiuraſſe, & exuiſſe putandus eſt.

4 Reſpondeo imprimis, conceſſo aut permiſſo, Marcellinum terrore tormentorum adactum fuiſſe reipſa ad offerendum thus idolis, non propterea colligi aliquem ipſius errorem in fide ex cathedra prolatum (cùm nihil definijſſe inveniatur fidei oppoſitum) immo neque peculiarem, ſeu privatum. Quippe totum id ſcelus, licèt graviſsimum, & grande ſcandalum afferens in totam Eccleſiam eius temporis, ſitum fuit in externa illa adoratione falſi numinis: quemadmodum & multis alijs, tum in Primitiva Eccleſia, tum ſæculis ſequentibus, accidit, vt retenta interiùs fide Chriſtiana, ex metu cruciatuum falſam religionem exteriùs profiterentur. Quòd ita accidiſſe Marcellino ſentiunt vel ij ipſi, qui lapſum eius certum habent. Nimirum, ſi vera ſunt Acta illa Concilij Sinueſſani, in quo ille narratur, dum Patres Marcellinum cilicio indutum, & amarè flentem viderunt, non auſi ferre in ipſum ſententiam, qui ſolus in terra ſe iudicare poſſet, addiderunt, Petrum poſt negationem Chriſti ſimilibus lacrymis à Deo veniam impetraſſe. Vnde lapſum Marcellini lapſui Petri compararunt. Certum autem omnino eſt, Petrum in ſuo lapſu non exuiſſe fidem interiùs erga Chriſtum, licèt illum exteriùs negaverit: vt ex ſenſu Sanctorum Patrum vidimus Diſputat. XXVII. ſectione prima. Ergo nec Marcellinus expulit ab animo fidem in Chriſtum, licèt illam exteriùs deſeruerit. Eo autem ſtatuto, nihil colligitur adverſus doctrinam in hoc Tractatu aſſertam. Non enim propterea vllo modo efficitur, Marcellinum ex cathedra pronuntiaſſe aliquid fidei contrarium. quod nobis ſat eſt. immo nec colligitur, ipſum errore privato, quam ſemel induerat, fidem exuiſſe, niſi exteriùs ſolùm.

5 Deinde ſatis probabiliter poteſt negari lapſus exterior Marcellini in fide, quantumvis à pleriſque creditus, & frequenti opinione vulgatus. Imprimis enim nullus Scriptor eiuſdem ſæculi quarti aut quinti refert vel narrat aliquid, vnde id colligi poſſit. Quin potiùs ex ijs quæ tradunt Euſebius, Theodoretus, & S. Auguſtinus, alijque, videtur conſtare oppoſitum. Euſebius enim Cæſarien-

ſarienſis, qui Marcellinum ipſum videre & alloqui potuit, hæc ſolùm de illo habet lib. 7. Hiſtor. cap. 26. *Marcellini tẽporibus perſecutio, in qua ipſa martyrio occubuit, orta eſt.* Similiter Theod. lib. 1. Hiſt. cap. 3. *Marcellinus, vir perſecutionis tẽporibus magna gloriâ plenè nobilitatus.* Non fuiſſet autem nobilitatus gloriâ plenè, ſed ſolùm aut ſummũ ex parte, ſi aliquando in perſecutione cecidiſſet tam miſero lapſu, qualis de illo narratur. Idipſum ferè in Græcis Hiſtoricis Theodoreto poſterioribus legere eſt, & nominatim in Nicephoro, apud quem ſemel & iterum factũ lego de Marcellino ſermonem. Etenim lib. 6. cap. 24. loquẽs de Caio Papa, Eutychiani Succeſſore, ait: *Hic annis quindecim ſacrã poteſtatem tenuit, & Marcellino eam reliquit, in quem Eccleſiarũ perſecutio incidit.* Hæc ibi, & nihil ampliùs. Deinde verò lib. 8. c. 6. initio inquit: *Eo tempore Romanæ Eccleſiæ Sylueſter præfuit, Miltiadis ſucceſſor, qui poſt MARCELLINVM EGREGIE IN PERSECVTIONE IPSA CERTAMINE DEFVNCTVM, ſacri muneris ſuſcepit adminiſtrationem.* Nulla hîc lapſus ſpecies aut vmbra ſignificatur, ſed potiùs alia omnia.

6 Verùm vt rem ipſam penitiùs indagemus, oportet in mediũ proferre luculentiſſimam ſententiã S. Auguſtini, conſtanter aſſerentis, ſiniſtrã Marcellini in ea parte opinionem, fuiſſe meram impoſturam Donatiſtarum hæreticorum, vt conflarent invidiam Eccleſiæ Romanæ, eiuſque Pontificibus. Etenim in lib. vnic. de Bapt. c. 16. inquit de Petiliano Conſtãtienſi Epiſcopo Donatiſta: *Quid iam opus eſt, vt Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumnijs inſectatus eſt, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri eius Melchiades, & Marcellus, & Sylueſter, traditionis codicũ diuinorũ, & thurificationis ab eo crimine arguũtur. Sed numquid ideò conuincuntur, aut conuicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit; ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationẽ ſuam?* Itaque calumnia illa non modò excitata fuit contra S. Marcellinum, ſed etiam adverſus S. Melchiadem, & S. Sylveſtrũ, illius poſtea Succeſſores, tunc Presbyteros Romanæ Eccleſiæ, quaſi cum Marcellino codices ſacros tradidiſſent, & thus idolis obtuliſſent. Vnde paucis interiectis proſequitur Auguſtinus: *Huc accedit, quia Melchiade tunc Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ præſidente, ex præcepto Conſtantini Imperatoris, ad quem totam illam cauſam accuſatores Epiſcopi Carthaginenſis Eccleſiæ Cæciliani per Anulinum Proconſulem detulerunt, idem Cæcilianus innocens pronũtiatus eſt. De quo iudicio cùm Maiores iſtorum importuniſſima peruicacia memorato Imperatori quererentur, quòd non plenè, nec rectè fuerit examinatũ, atque depromptũ; nihil de Melchiadis traditione, vel thurificatione dixerunt: ad cuius audientiã nec venire vtique debuerunt, hoc potiùs aut ſuggerentes Imperatori, aut vt ſuggereretur inſtantes, quod apud traditorẽ codicũ diuinorum, ac idolorum ſacrificijs inquinatum, cauſam ſuam agere non deberent. Cùm ergo hoc nec antè ſuggeſſerint, nec poſteaquam contra eos pro Cæciliano iudicatum eſt, ſaltem victi & irati obijciendum putauerint; quid nunc inanes, tam ſero conneƈtunt calumnias, quaſi & innocentia Cæciliani Melchiadis Iudicis decoloratione fuſcetur, & ipſa Romana Eccleſia?* Præterea hoc Melchiadis P. iudicium laudat lib. 1. adverſus Parmenianum c. 5. & inquit: *In quo iudicio, ſicut Eccleſiaſtica geſta teſtãtur, quia victi ſunt iſti, & innocens Cæcilianus inventus eſt, Melchiadem crimine traditionis accuſant.* Hæc nimirum culpa, hoc ſcelus Melchiadis fuit, innocentem abſolvere; ideoque veluti reus violatæ fidei ſimul cum Marcellino traductus fuit.

7 Sed audiamus Petiliani exclamationem adverſus Marcellinum Papam, & Manſurium ac Cæcilianum Carthaginis Epiſcopos. Ait ille, referente Auguſtino lib. 2. adverſus Parmenianum c. 92. *Perijt etiam Maximianus ac Diocletianus: qui dum thura prædicarent, incẽſis codicibus Dominicis, primus Marcellinus, Epiſcopus Romanorũ qui fuit; ſed & Carthaginis Manſurius & Cæcilianus, ex ipſis ſacrilegis flammis vt favillæ vel cineres remanſerunt.* Vide autẽ quid ipſi reponat Auguſt. *Sequeris iam, & Epiſcopos nominas, quos de traditione codicũ ſoletis arguere; de quibus & nos ſolemus reſpõdere. Aut non probatis, & ad neminẽ pertinet: aut probatis, & ad nos non pertinet: Suam enim ſarcinam portaverunt, aut bonam, vel malã: ET BONAM QVIDEM CREDIMVS: ſed qualem libet tamen, ſuam.*

8 Itaque perſiſtit S. Doctor in tuendo Marcellino ab impoſtura Donatiſtarum, ſubiodeque in defenſione præsbyterorum, ſeu Clericorum, qui ſimul cum ipſo fidẽ abiuraſſe dicebantur. Cumque Donatiſtæ inter eos recenſerent Marcellũ, Melchiadẽ & Sylveſtrũ, Marcellini ipſius in Romano Põtificatu Succeſſo-

ceſſores,& Sanctorũ Faſtis adſcriptos, de quibus, dum viverent, nemo id ſcelus vnquã ſuſpicatus fuit; conſequens arbitratus eſt Auguſtinus, ac meritò quidem, quemadmodũ criminatio adverſus tres illos erat iniuſta, & omni ſolido fundamento deſtituta; ſic etiam adverſus Marcellinum falſam & iniquam eſſe. Quippe cauſa quatuor illorũ, eadem omnino erat, iuxta ipſos Donatiſtas: ac proinde vel omnes abſolvi, vel condemnari omnes debuerunt. Patet itaque, impoſturam illam excitatam fuiſſe longè poſtea à Donatiſtis, poſtquam omnes ij quatuor Pontifices humanã poluerant; idque in odium ſolius præcipuè Melchiadis Papæ, quòd Donatum à Caſis nigris, anteſignanum eorundem Donatiſtarum, plurimis retro annis damnaſſet, & Cæcilianum Diaconum illius adverſarium, iudicio publico innoxium declaraviſſet. Donatiſtæ enim poſteriores nullam aliam exceptionem invenerunt ad eximendum Anteambulonem illum ſuum, eiuſque doctrinam à nota per ſententiam Melchiadis inuſta, quàm quòd idem Pontifex fuiſſet intruſus in Sedem Apoſtolicam; veluti qui ſimul cum Marcellino, & alijs tradidiſſet ſacros codices, cremaſſetque, & idolis ſacrificium obtuliſſet. Hinc enim iudicium eius fuiſſe irritum, veluti prolatum à Papa intruſo. Quæ accuſatio ſi eſſet vera, prolata certè fuiſſet longè antea, vivente ipſo Melchiade, qui Donatum damnaverat, & Cæcilianum abſolverat; aut ſaltem tempore Sylveſtri Succeſſoris ipſius, vel denique durante toto Imperio Conſtantini Magni, qui anno Chriſti 337. vivere deſijt. Cùm igitur toto eo tempore nullus accuſaſſet Melchiadem, neque quenquam ex Pontificibus prędictis; certum videtur, eam calumniam longè poſtea excogitatam fuiſſe à Donatiſtis, vt Anteſignanum ſuum à dedecore vindicarent, & Cæcilianum opprimerent.

9 Hinc colligitur, Acta illa Sinueſſani Concilij, quę communiter circumferuntur, licèt videantur pręſeferre antiquitatẽ venerandam, ſuſpecta admodũ eſſe multiplici nomine, & quibus explorata fides haberi nequeat. Imprimis enim ſi verè à trecentis Epiſcopis ibidem memoratis edita eſſent, fama eius rei in omnes ferè Chriſtiani Orbis Eccleſias ſtatim pervagata fuiſſet, vt à nullo ferè Chriſtianorum, imo nec Gentiliũ ignoraretur tam immane crimẽ Marcellini Papæ, idque commiſſum Romæ, & in templo publico Veſtę & Iſidis, & ſpectatoribus innumeris hominibus omnis conditionis & ſtatus, tum Gentilibus, tum Chriſtianis, & ex his ſeptuaginta duobus electis, qui teſtati fuerint; ſe vidiſſe Marcellinũ ſacrificantem. Quippe ea omnia in Actis habentur. Quomodo ergo credibile eſt, notitiã rei tam publicæ, & toti mundo manifeſtæ, nõ permanſurã centum annis, qui exinde fluxerũt vſque ad tempus in quo ſcribebat Auguſtinus, nec ad ipſum antea perventurã? maximè cùm intra idem ſæculũ quartũ, in quo Marcellinus cecidiſſe memoratur, Romæ vixerit diu Auguſtinus, iuvenis adhuc, & Rhetoricam docuerit circa an. 380. quo poterant ſupereſſe nonnulli, qui Marcellinum de facie noſſent, vtpote martyrio coronati an. 304. Aut quã confidentiã poſſet Auguſtinus explodere accuſationem illam Marcellini, veluti falſam, & ſolido fundamento carentẽ, ſi præceſſiſſet tale Conciliũ: cuius Acta adverſarij producere in medium poſſent, aut allegare tanquam certa ex cõmuni fama & exiſtimatione hominũ? quod tamen non fecerunt, adhuc tẽpore ipſius Auguſtini. multò autem minùs fecerant Donatiſtę præcurſores ipſorũ, vel tempore Melchiadis Papæ, quem tam dirè inſectati ſunt; vel toto tempore vitæ Conſtantini Magni, in quo adverſus Cæcilianum abſolutum olim à Melchiade nullum non moverunt lapidẽ. Nimirũ, ſi verè ea Concilij Acta prodiſſent, recentia extarent toto eo tempore, & plurimos teſtes oculatos ex Epiſcopis ijs trecentis haberent, quibus Donatiſtæ priores comprobare poſſent lapſum Melchiadis cum Marcellino; ac proinde illius iudicium declinare & contemnere, veluti intruſi in Pontificatum. Et ſanè cùm tanta fuiſſet olim priorum Donatiſtarum contentio, atque indignatio contra Melchiadem, & Cæcilianum Diaconum, quos angue & cane peius habuerunt, & in quorum honorem debacchati ſunt; ſanè illos ex capite perfidiæ, ſeu defectionis à fide criminati fuiſſent, ſi vel levis ſuſpicio eſſet, ambos cum Marcellino Papa tradidiſſe ſacros codices, & ad Ethnicorum caſtra tranſijſſe.

10 Adde plura alia, quæ Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 302. & poſt eum Chriſtianus Lupus in Scholijs ad Concilium V. Romanum Sancti Gregorij VII. obijciunt contra ea Acta Concilij Sinueſſani: veluti in quibus multa ἀσύστατα legantur, ſive nullatenus cohærentia: atque in ijs, quòd cùm Marcellinus in templum Veſtæ & Iſidis introductus dicatur ab Imperatore à Diocletiano, non tamen ijs, ſed Herculi, Iovi, ac Saturno, thus obtuliſſe narretur. Quis enim neſciat in quovis templo Gentilium, ſacrificia & cultum quemlibet offerri ſolitum dumtaxat ſoli illi falſo numini, cui dicatum erat? Ad hęc in tanta illa perſecutionis procella, quis credat locum fuiſſe

aut modum, vt ex toto Orbe Chriſtiano confluerent trecenti Epiſcopi in locum vnum, idque tam ſecretò, vt à nullo Gentilium detegeremur? præſertim cùm viginti duobus poſt annis, ſub maxima Eccleſiæ pace, Conſtantinus Imperator potentiſsimus paulo plures Epiſcopos ad Concilium Nicænum congregare potuerit. Nimirum Patres Nicæni ſolùm fuere octodecim ſupra trecentos. Vlteriùs, in fine eorundem Actorum traditur, Diocletianum anno ſequenti expeditionem adverſus Perſas comparaſſe; cùm tamen certum ſit, eodem anno in quo Synodus illa coacta ponitur, Perſas à Diocletiano ſuperatos fuiſſe. Plura alia vide apud prædictos Baronium, & Lupum, quidquid contrà velit Cabaſſutius noviſsimè in Notitia Eccleſiaſtica pag. 79. vbi de Concilio Sinueſſano diſſerit.

11 Itaque vacillat abſdubio auctoritas eius Synodi: vt proinde ſatis probabile appareat, Donatiſtas tempore Petiliani Acta illius commentos fuiſſe, vt denigrarent famam Melchiadis Papæ, ac ſubinde Marcellini, & aliorum, quos eatenus accuſſaverant incaſſum de apoſtaſia à fide. Quare ad conciliandam fidem aliquam accuſationi, videntur ea Acta confinxiſſe, quæ poſtea paulatim, nullâ veritatis perquiſitione diligentiori habitâ, fidem apud vulgus habere cœperint, & tandem progreſſu temporis exiſtimata fuerint certa, atque in tabulas Eccleſiaſticas relata, atque in ipſum Officium ſolemne ad diem vigeſsimũ ſextũ Aprilis, in quo legitur lapſus S. Marcellini. Vel fortaſſe Acta illa adſcribenda ſunt mercibus Iſidori Mercatoris, vt varijs locis conijcit Lupus: quẽ non impugnant ſolidè in hac parte Emmanuel Schelestrates Belga, & Cabaſſutius allegatus, ex eo quòd Iſidorus ſcripſerit tribus aut quatuor ſæculis poſt tempus Donatiſtarum, in quo ſparſa erat opinio de lapſu Marcellini. Reſponderi enim poteſt, ſparſam quidem fuiſſe; verùm aliunde quàm ex Actis Sinueſſanis; quæ non ſatis conſtat ijs tribus aut quatuor ſæculis appareuiſſe. Dubia itaque res eſt, an à Donatiſtis, an ab Iſidoro prodierint Acta illa.

12 Vnde ad rationes oppoſitę ſententiæ, ſuprà n. 2. & 3. propoſitas, videtur facilè occurri poſſe. Fieri enim potuit, vt ſemel adinventis ſeu fictis Actis Synodi Sinueſſanæ, dolo & arte Pelaſga Donatiſtarum, ea narratio paulatim fidem impetrarit quotidie maiorẽ, ideoque irrepſerit in Põtificale Damaſo adſcriptum (quod Baronius ad an. Chriſti 45. & Spondanus cum ipſo ibid. n. 15. monent non eſſe Damaſi, ſed pluribus poſt ipſum ſęculis ſcriptum) & in vitam illam S. Marcellini nuper inventam & editam ab Henſchenio & Papebrochio. Neque opus fuit Sylveſtro Papę in Concilio Romano ad aſſerendum Primatum Sedis Apoſtolicæ, nullius mortalium iudicio expoſitæ, haurire Canonem illum ex ſimilibus verbis in Concilio Sinueſſano prolatis: cùm ex decretis Pontificum longè antiquiorum Romanæ Eccleſiæ idipſum elicere potuerit, quorũ multa Tract. præced. exſcripſimus, & in ſequenti proferemus. Iam quòd Nicolaus I. Papa tot ſæculis poſtea, idem effatũm Sinueſſani Cõcilij nomine alleget, quodque Anaſtaſius Bibliothecarius lapſum S. Marcellini referat, quòd tandem in Breviario Romano palam narretur; ſufficit quidem vt probabile admodum cenſeatur, non tamen certum: cùm oriri initio potuerit ex fraude Donatiſtarum prædicta, aut aliquot ſæculis poſtea etiam ex mercibus Iſidori. Sic & in ſolemnibus quibuſdam officijs Eccleſia ad illa verba Evangelij Mathęi 24. *Sedente Ieſu ſuper montem Oliueti, &c.* recitat ex Commentarijs S. Hilarij: *Et falſi prophetæ erunt (vt Nicolaus vnus ex primis ſeptem Diaconibus fuit) multoſque ementita veritate ſubuertent.* Quod ipſum de Nicolao exiſtimarunt Irenæus lib. 1. cap. 27. Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cap. 33. Epiphanius Hæreſi 25. Hieronymus Epiſt. 1. & 48. quorũ ſententiã recenter cõfirmare pergit Chriſtianus Lupus in Scholijs ad prædictũ Tertulliani locum. At verò alij Nicolaũ ipſum veluti omni vitio immunẽ, & ſanctiſsimum virum laudant, imprimis S. Ignatius antiquior omnibus nuper allegatis, & ſynchronos ferè Apoſtolorũ, in Epiſtolis ad Trallianos & Philadelphos, S. Clemens P. ipſius æqualis lib. 6. conſtit. 8. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, Euſebius Cæſarienſis lib. Hiſtor. cap. 25. Theodoretus lib. 3. hæret. fabul. quorum ſententiam Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 68. veram exiſtimat: præſertim cùm Hippolitus, cui tribuitur liber de Septuaginta duobus Diſcipulis, & Dorotheus in Synopſi, teſtentur, Nicolaum ipſum, tanquam virum ſpectatæ & probatiſsimæ pietatis fuiſſe ab Apoſtolis creatum Epiſcopum Samaritanorum: quamvis hæretici quidam turpiſsimi ad conciliandam auctoritatem Sectæ ſuę, ſe Nicolaitas denominaverint, appellatione ab ipſius nomine deſumptã. Nemo autem poteſt negare probabilitatẽ huic poſteriori ſentẽtiæ tot gravibus teſtimonijs innixæ: eã tamen in Breviario Eccleſia vtatur Cõmentarijs illis S. Hilar. in Math. quibus planè notat Nicolaum prædictum, veluti prophetam falſum. Quod ergo Eccleſia in Officio ſolemni ad diem 26. Apri-

Aprilis vtatur lectionibus illis, in quibus traditur palam Marcellini lapſus, non tollit probabilitatem contrariæ opinionis, gravibus ſanè fundamentis innixæ. Mitto plurima ex ijs quæ Ioannes Launoyus profert in Defenſione Breviarij Romani: cuius auctoritatem ita tuetur, vt tamen ſæpe aſſerat oppoſitum in quibuſdam rebus probabiliter defendi poſſe; quamvis non ignorem quid contra ipſum ſcripſerit poſtea Theophilus Raynaudus in Hercule Commodiano. Quod ex Luitprando Ticinenſi opponebatur, nihil obeſt: tum quoniam ille ſæculo decimo vixit: tum quoniam pleraque Opera ipſi adſcripta à pleriſque viris doctis notha & ſuppoſitia habentur (circa quod nonnulla præmiſsimus ſuprà Diſp. IX. ſect. 7.) Denique cùm rationi & æquitati conſonet regula illa, *In dubijs potiùs eſt favendum reo, quam actori*; videtur conformius pietati ſtare pro S. Marcellino, quàm pro Donatiſtis in ea parte, ipſius accuſatoribus, dum Eccleſia ipſa, ſive Romanus Pontifex, non decreverit aliquid in oppoſitum.

SECTIO SECVNDA.

Diſſeritur an Liberius Papa fuerit aliquando reus violatæ Catholicæ fidei, ſeu definiendo aliquid contra illam, ſeu ſubſcribendo Confeſsionibus Arianorum, & ſententiæ latæ contra S. Athanaſium. Vbi an S. Gregorius VII. Papa decreverit Liberio cultum in Eccleſia, & in hoc erraverit.

13 MVLTI Olim, & nunc etiam hæreſeos Arianæ notant Liberiū Papam, qui ſæculo quarto anno 352. Pontifex renuntiatus fuit. Nec ſolùm hæretici eam labem ipſi adſcribunt, & Schiſmatici, vt Benno Cardinalis, de quo poſtea, ſed etiam aliqui ex Catholicis, præſertim verò Toſtatus in ſecunda parte ſui Defenſorij, vt inde colligat, Pontificem Romanum ſine Concilio Generali errare in fide poſſe, & tradere aliquam hæreſim. Porrò Ecbertus Serm. 10. adverſus Catharos, licèt pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ pugnet, ſubdit, ſi aliquis Romanorum Pontificum in fide erravit (nimirum, privatim, etiamſi exteriùs) illum ſtatim à Deo obtritum fuiſſe morte præproperâ. quod ait accidiſſe Leoni Papæ tempore Arianorum, vt habent Acta S. Hilarij; vel ab Eccleſia gradu motum, & in ordinem redactum fuiſſe. quod, inquit, contigiſſe cuidam alteri, quem non nominat. Non, inquam, audiendus eſt: cùm nullus Pontifex dictus Leo tempore Arianorum extiterit, niſi Primus, & ad ſummum Secundus eius nominis: quorum neutri, vel in ſpeciem, nota hæreſis, adhuc privatæ, vnquam obiecta eſt: quin potiùs ambo veluti omnimodæ innocentiæ ac virtutum exemplaria, Sanctorum Faſtis adſcripti ſunt. Ille autem poſterior, quem non nominat, verè in rerum natura non extitit: ideòque nihil mirum quòd careat nomine.

14 Videtur autem Ecbertus Leonis nomine intelligere Liberium Papam, quē multi Scriptores erroris in fide inſimularunt, eò quòd ſubſcripſerit formulæ fidei editæ à Concilio Sirmienſi, in quo inſtantibus Arianis, vox Homouſij, ſive Conſubſtantialis, in Symbolo ſuppreſſa fuit: ac præterea quoniam fertur, aſſenſum præſtitiſſe condemnationi S. Athanaſij acerrimi defenſoris fidei Catholicæ, eiuſque vocis adverſus eoſdem Arianos; & denique quòd communicaverit cum Vrſacio & Valente, quos ſciebat eſſe hæreticos. Sed enim eam criminationem de hæreſi non eſſe iuſtam, oſtendit Baronius anno 357. & 367. Sanderus lib. 7. de Viſibili Monarch. à num. 121. & Coccius tom. 1. lib. 7. art. 11. Bellarminus lib. 4. de Romano Pont. cap. 2. Gibalinus lib. 5. de Iure Canon. cap. 3. §. 11. Raynaudus in Corona Aurea Veritate 7. & Chriſtianus Lupus in Scholijs ad Canonem 14. Concilij V. Romani ſub S. Gregorio VII. Papa: vt plures alios omittam.

15 Atque imprimis certum eſt, Liberium ab initio Pontificatus ſui vſque ad finem exilij biennalis, quod pertulit, perſtitiſſe acerrimum defenſorem fidei Catholicæ, cuius cauſâ plurimum paſſus fuit. Ita teſtatur palam S. Athanaſius in vtraque Apologia, Ruffinus lib. 10. Hiſtor. cap. 22. Ammianus Marcellinus lib. 15. Sulpitius lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ, Socrates lib. 2. Hiſtor. Eccl. cap. 29. Sozomenus lib. 4. cap. 10. Theodoretus lib. 2. cap. 16. & 17. ac Nicephorus lib. 9. cap. 35. 36. & 37.

16 Dubium verò eſſe poteſt, an poſt exilium toleratum pro fide & iuſtitia, perpetraverit crimina paulo antè indicata; & præterea an interiùs aut exteriùs ſaltem receſſerit à Catholica fide, ſive errando ex cathedra (quod ad noſtrum ſcopum præcipuè ſpectat) ſive ſolùm errore privato & peculiari.

17 Circa priorem dubitationis partem variant Scriptores nuper allegati. Nam Sulpicius, Socrates, Sozomenus, & Nicephorus, locis indicatis aiunt, Liberium ſemper eundem fuiſſe, nec vel minimum remiſsiſſe de conſtantia in fide. Ruffinus quoque lib. 10.

cap.

cap. 17. ait ſe non potuiſſe deprehendere, an verè Liberius ſubſcripſiſſet Synodo Sirmienſi. E contrà verò affirmant S. Athanaſius vbi ſuprà, & Hilarius in lib. adverſus Conſtantium, & tandem S. Hieronymus, tum in Chronico, tum in Catalogo Scriptorum, vbi agens de Fortunatiano inquit, Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos tandem inflexum fuiſſe. Cui ſententiæ, tanquam veriori ſubſcribendum eſt, iuxta ſenſum inferiùs explanandum: tum propter auctoritatem longè maiorem horum SS. ex quibus duo priores florebant in Eccleſia tempore Liberij; tertius verò non multis pòſt annis: tum præterea quoniam Bellarminus teſtatur, ſe legiſſe Epiſtolas ipſius Liberij manuſcriptas ex Bibliotheca Vaticana, quæ partim ad Imperatorem, partim ad Orietales Epiſcopos ſcriptæ erant: & in ijs ſatis apertè ſignificare Liberium, ſe tandem Imperatoris voluntati acquieſcere voluiſſe.

18 Itaque non negamus, Liberium graviter peccaſſe, & occaſionem aliquam poſtea dediſſe ſiniſtræ opinionis de ipſo conceptæ quoad hereſim. Nam ille poſt toleratum biennij exilium pro Catholica fide, cum inſigni laude, poſtea in Concilio Sirmienſi Arianorum, pertæſus laborum, & deſiderio recuperandæ Sedis Romanæ, in quam Felix intruſus fuerat, ſubſcripſit condemnationi S. Athanaſij, quem eouſque innocentem iudicaverat, ſicut & S. Iulius Papa ipſius Prædeceſſor, qui ſemper Athanaſium defendit ab accuſationibus & dolis Arianorum. Denigravit itaque opinionem ſuam ex eo capite Liberius, & præterea ob permiſſam ſuppreſsionem vocis Homoûſij in eo Concilio ex fine vitandarum controverſiarum: tum denique, quia communicavit cum Vrſacio & Valente, quos conſtabat eſſe hæreticos, quamvis ipſi aliud ſimularent. Ideoque Sozomenus lib. 4. Hiſt. cap. 14. & Nicephorus lib. 9. cap. 37. ſubobſcurè iudicant, Liberium in Concilio Sirmienſi conveniſſe cum Valente & Vrſacio hæreticis Arianis; eaque pace inita Sedem Pontificatûs antea ablatam recepiſſe, adiutū præterea litteris eiuſdem Concilij. Itaque lapſum illum ſubſcribendi, & deſerendi veterem conſtantiam pro Athanaſio, negare nō poſſumus: propter quem Liberius à multis notatus fuerit de hæreſi, ductis externa facti ſpecie, quæ potiſsimùm attenditur in iudicio humano.

19 Verùm illam non fuiſſe culpam violatæ fidei, ſeu hæreſeos, conſtat. Et quidem Liberium ſic peccantem nihil ex cathedra pronuntiaſſe ſeu definiſſe contrarium fidei, res certiſsima eſt, nec à quoquam Scriptorum veterum ſignificatur, vel leviter, id ab ipſo factum. Quin potiùs alia omnia ex ijs habemus. Vt enim conſtat ex Athanaſio aliſque ſuprà allegatis, & ex Epiſtolis ipſius Liberij, duo præcipuè ab eo perpetrata leguntur: alterum, quòd Athanaſij condemnationi ſubſcripſerit: alterum quòd cum hæreticis communicaverit. In neutro autem illorum quidquam adverſus fidem docuit. Non in primo. nam etſi condemnatio Athanaſij prolata fuerit ab Arianis in odium fidei Catholicæ, quam ille ſtrenuè tuebatur; nihil tamen eiuſmodi proferebat; ſed ſolùm crimina varia circa mores imputabantur Athanaſio, ob quæ in ipſum ſententia proferebatur, cui Liberius ſubſcripſit. Quarè ſententia in eum lata, nihil præſeferebat, quod ad fidem ſpectaret. Ergo Liberius illam approbans, non ideò decernebat aliquid contrarium fidei. Non etiam in ſecundo: quoniam ipſe Liberius in Epiſtolis ſuis teſtatur, ſe communicaſſe cum Epiſcopis Orientalibus, quia invenit eorum fidem congruentem cum Catholica, & alienam à perfidia Ariana. Nimirum, licèt ij Ariani eſſent, artibus ſuis effecerunt ne tales viderentur Liberio. Quis autem dicat Pontificem Romanū communicantem cum hæreticis, quos Catholicos exiſtimat, propterea definire aliquid contrarium fidei? Immo quamvis ſciret eſſe hæreticos, & communicaret cum ijs, poſſet adhuc retinere fidem Catholicam, & teſtari ſe longè ab illorum ſenſu eſſe, & illum execrari; licèt ob alias cauſas, vel affectiones privatas, eos ad communionem admitteret. Nulla itaque vmbra nec veſtigium eſt ex ijs duobus capitibus, vt Liberius cenſeatur aliquid ex cathedra definiſſe contrarium fidei.

20 Indidem quoque efficitur, nec propterea in fidem peccaſſe, adhuc errore privato; ſeu perſonali, vt frequenter loquimur: cum ea duo præſtari potuerint à Liberio ſine vllo errore in fide, immo & de facto præſtita ſint. Quippe ex omnibus monumentis ipſius, quæ extant, apparet palam, alienum fuiſſe ab Ariana perfidia, nec vnquam docuiſſe aliquid veræ divinitati Chriſti contrarium. quod poſtea vberiùs confirmabimus, & ipſa veritate coacti Magdeburgenſes fatentur, multipliciterque confirmant Centuria 4. cap. 10. licèt alios ex Romanis PP. inſectentur, & maledictis proſcindant.

21 Dices. In ea pace, quam inijt Liberius cum Epiſcopis Arianis, ſubſcripſit Confeſsioni Sirmienſis Concilij editæ contra Photinum, & Confeſsioni Antiochenæ prolatæ in Encænijs: vt refert Sozomenus lib. 4. cap. 14. & Nicephorus lib. 9. cap. 37. In neutra verò earum Confeſsionum erat vo-

ca-

cabulum Homoûſij, quod fuit propria teſſera & character omnium Catholicorum; ſed ſolùm vox Homœûſij, quam admittebant mitiores Ariani, propterea Semiariani dicti. Nimirum per prius illud vocabulum denotatur, Filium eſſe conſubſtantialem, ſive eiuſdem omnino eſſentiæ cum Patre, quæ eſt propria teſſera Religionis Catholicæ: per poſterius verò ſignificatur, Filium eſſe ſimilem Patri in ſubſtantia ſive eſſentia; quod non diffitebantur plerique Arianorum. Ergo Liberius ſubſcripſit Confeſsioni hęreticæ, prout diſtinctæ à Catholica ac proinde hęreticus cenſeri debet.

22 Reſp. In neutra earum Confeſſionum fuiſſe aliquid fidei Catholicæ contrarium: vt palam oſtendit S. Hilarius Pictavienſis in libro de Synodis, Virgilius Epiſcopus Tridentinus lib. quinto adverſus Eutychetem, & Auguſtinus Epiſtol. 174. qui eas Confeſsiones inſpectas in ſeipſis, Catholicas cenſent. Quamvis enim in illis non legatur, Filium Dei eſſe humoûſion, id eſt conſubſtãtialem Patri; legitur tamen, eſſe homœûſion, id eſt ſimilem in ſubſtantia, ſive eſſentia. quod ſimpliciter dici poteſt, nec degenerat à ſenſu Catholico. Verè enim eſt & dicitur Filius Dei ſimilis in ſubſtantia ſive eſſentia Patri, quamvis vna & eadem vtriuſque eſſentia ſive ſubſtantia ſit. Neque obſtat quòd Semiariani ita faterentur vocabulo Homœûſij Filium eſſe ſimilem Patri in eſſentia, vt tamen negarent hanc eſſe omnino vnam in vtroque. Hoc enim ſolùm ſpectat ad pravum ſenſum Ipſorum, quem intra mentem ſuam retinebant dum vtramque illam ederent Confeſsionem, cui Liberius ſubſcripſit animo Catholico, & accipiens vocem Homœûſij in ſenſu nullatenus contrario fidei. Quin & cùm Ariani rumorem ſparſiſſent, Liberium tranſijſſe ad partes ipſorum, ille antequam Sirmio diſcederet, Confeſsionem edidit, in qua apertè excommunicabat omnes illos, qui negarent Filium eſſe Patri ſimilem in ſubſtantia, & in rebus omnibus. Qua teſtificatione convicit falſi omnes eos, qui ſparſerant ipſum negaſſe Filium Patri conſubſtantialem. Immo & Sozomenus lib. 4. cap. 14. teſtatur Formulam Fidei, cui Liberius apud Sirmium ſubſcripſit, fuiſſe illam priorem in qua declarabatur, Filium Patri tam in ſubſtantia, quàm in cæteris omnibus eſſe ſimilem: non verò aliam Formulam verè blaſphemam ab Arianis poſtea editam.

23 Inſtabis: ſi hæc ita ſunt, immeritò S. Hieronymus dixerit in Chronico, & in Catalogo Scriptorum, Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos tandem flexum fuiſſe. Immeritò quoque S. Hilarius ſcripſerit in libro ad Conſtantium: *Vertiſti vſque ad Romam bellum tuum: eripuiſti illinc Epiſcopum. Et ò te miſerum! qui neſcio an virum maiore impietate relegaveris quàm remiſeris.* Quibus verbis denotat Liberium tandem ceſsiſſe Conſtantio ipſi Imperatori Ariano: & hunc non minùs peccaſſe in illo abſolvendo poſtquam ceſsit, quàm in damnando priùs & relegando quia non ceſſerat. Immeritò denique Athanaſius in vtraque Apologia teſtatum reliquerit, Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos inflexum fuiſſe.

24 Reſp. Patres prædictos non dicere Liberium fuiſſe hæreticum, nec commiſiſſe propriè crimen hæreſis: ſed inflexum fuiſſe ad ſubſcriptionem hæreſeos, & in hoc ceſſiſſe Conſtantio. Nimirum, licèt in Confeſsione Sirmienſi & Antiochena, & in ſententia adverſus Athanaſium lata, quibus Liberius ſubſcripſit, nulla hęreſis proferretur; certum eſt illas animo hęretico & prorſus Ariano editas fuiſſe ab Epiſcopis Orientalibus, quæ verbis æquivocis aut ambiguis eas expreſſerunt, vt iuxta pravum eorum ſenſum acciperentur. Cùm verò Liberius genium eorum haberet antè perſpectum, nec ignoraret technas Valentis potiſsimùm & Vrſacij; peccavit graviter in ſubſcribendo, & interpretativè conſenſit hæreſi ipſorum (quod ſolùm colligitur ex ijs Patribus) non verò illi aſſenſum pręſtitit; maximè cùm antequam Sirmio diſcederet; ediderit Confeſsionem illam ſuam num. 22. memoratam, in qua omnem hæreſis ſuſpicionē eluit. Quod ipſum teſtatur idem S. Athanaſius loco in obiectione indicato, dicens, Liberium invitum & coactum vi tormentorum feciſſe quod fecit; nec cenſeri debere ſententiam eius, quam minæ & terrores extorſerunt: ſed illam ſolam, quam protulit dum liberos haberet affectus. Patet verò externam ſolùm & metu extortam profeſsionem religionis falſæ, poſſe conſiſtere cum vera fide interna. Id faciliùs multò tunc contingere potuit: cum Confeſsiones Arianorum, quibus Liberius ſubſcripſit metu coactus, nihil palam adverſum fidei præſeferrent, quantumvis hæretico animo ab ijs cōceptæ; ſed eſſent indifferentes, ſeu æquivocæ, quæ tum Semi ariano, tum Catholico ſenſu proferri poſſent. Quare Eccleſia non fuit paſſa, vt nota Arianiſmi palam inureretur Liberio. nam è Breviario Romano expungi fecit verba illa, olim recitari ſolita: *Beatus Euſebius Presbyter, cum præſente Conſtantio fidem Catholicam conſtantiſsimè defenſaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ conſenſiſſe, ab irato Conſtantio includitur in quodam* cu-

*cubiculo domus ſuæ, habente in longitudi-
ne pedes quatuor.* Expunxit, inquam: quo-
niam Liberius nec interiùs, nec exteriùs, con-
ſenſit Arianæ perfidiæ, niſi ſummùm inter-
pretativè: quatenus conſenſit damnationi
Athanaſij, & permiſsit ſuppreſsionem vocis
Homouſij, ac denique communicavit cum
Epiſcopis Arianis, contra quàm per omnia
facere tenebatur. Pleraque horum accipe
ex Nicephoro libro 9. capit. 35. ſic lo-
„ quente: * Imperator verò priuſquam Ro-
„ mam iret, & ſolitum ob victoriam
„ triumphum ageret, accito Liberio Roma-
„ norum Epiſcopo, Iulij ſucceſſore, perſuade-
„ re ei conatus eſt, vt in ſententiam, quos ſe-
„ cum habebat, Epiſcoporum iret: quorum
„ vnus Eudoxius erat. Quod vbi ille ei reſi-
„ ſtens ſe facturum negavit, ad exilium eſt
„ damnatus. Berœa autem Thraciæ, quò de-
„ portaretur, deſignata fuerat. Sed & alia con-
„ demnationis eius cauſa fuiſſe dicta eſt: vi-
„ delicet, quòd renunciare Athanaſij com-
„ munioni noluerit, eundemque apud Impe-
„ ratorem defenderit, qui Athanaſium accuſa-
„ bat, quòd & Eccleſias iniuriâ affeciſſet, &
„ cauſa necis duobus fratribus ſuis fuiſſet. Idē
„ comprobanda eſſe quæ Tyri adverſus Atha-
„ naſium, per invidiam alienæ ſententiæ ſe-
„ ctatorum acta, conſtitutaque fuerant, dice-
„ bat. At Liberius pœnitentiæ libellum Vrſa-
„ cij & Valentis Iulio deceſſori ſuo obiatum
„ Imperatori exhibuit: in quo falſa eſſe, &
„ ementita, quæ apud Mareotē acta erant, ſig-
„ nificantes, noxæ gratiam petierunt. Roga-
„ vit inſuper, ne ita indictâ causâ Athanaſium
„ damnaret, nevè quæ perperàm decreta, &
„ manifeſtæ calumniæ eſſent, comprobaret.
„ De fratribus autem, ne prorſus Epiſcopali
„ manu vindicatam iniuriam vellet, dixit:
„ quam manum Deus non ad eiuſmodi facta,
„ ſed ad ſanctificationem, & omne aliud bo-
„ num opus conſtituerit. Sed enim Conſtan-
„ tius nihil omnino illum de ſententia ſua de-
„ cedentem videns, biduò ad deliberandum
„ ei permiſſo, niſi animum mutaret, in Thra-
„ ciam deportari iuſsit. Atque ibi Liberius:
„ Mihi verò, inquit, dudum hæc deliberata,
„ atque conſtituta ſunt, & paratus adeò ſum in
„ exilium ire. Porrò cùm iam abduceretur,
„ Conſtantius ei quingentos aureos miſit, quos
„ ille reiecit, & ei qui illos attulerat, Impera-
„ tori renuntiare iuſsit: Non indigere ſe eis:
„ daret eos quos ſecùm in aula haberet adula-
„ toribus, & ad ſimulandum, diſsimulandum-
„ que compoſitis hominibus, quorum inſatia-
„ bilis cupiditatis inopia animis eorum ſem-
„ per inſidens, eoſque excrucians, nunquam
„ expleri poſſet. Mihi namque *CHRISTVS*,
„ inquit, Patri æqualis largitor ſemper ali-
„ mentorum, atque conciliator, & promus
„ condus bonorum omnium erit. Hæ Libe-
„ rio cauſæ, vt in Thracia exularet, extitêre.
„ Felix autem Romanæ Eccleſię Diaconus.
„ adminiſtrationem eius ſortitus eſt. Qui Ni-
„ cænam quidem fidei profeſsionem retine-
„ bat, *ET IN RELIGIONE REPRE-
„ HENSIONE CAREBAT*: vnum ta-
„ men illud vitio ei vertebatur, quòd priuſ-
„ quam Epiſcopus creatus eſſet, cum diverſæ
„ opinionis ſtudioſis communicare ſuſtinue-
„ rit. Vbi verò Conſtantius Romam venit,
„ populi & nobilitatis illuſtriores fœminę,
„ pro Liberio deprecantes, vt illum reſtitue-
„ ret, ei inſtitêre. Et Imperator cum Epiſco-
„ pis ſuis re communicata, redditurum ſe eis
„ hominem pollicitus eſt, ſi in eandem cum
„ Epiſcopis ſuis concederet ſententiam.* Ha-
ctenus ille.

25 Quidquid verò ſit de peccato Liberij in ea ſubſcriptione, certum maneat, Pontificem ipſum nihil è cathedra vnquam pronuntiaſſe contrarium fidei, aut moribus. quod nobis potiſsimùm curæ eſt. Certum prętereа eſt, Liberium poſt illud peccatum ſubſcriptionis pœnituiſſe, & Confeſsionem ſtatim edidiſſe paulo antè memoratam, in qua ſe per omnia Catholicum teſtatus fuit, & anathema dixit omnibus negantibus Filium Dei eſſe per omnia ſimilem Patri. Certum denique eſt, ipſum poſtea ſanctè vixiſſe & in vera iuſtitia diem clauſiſſe extremum. Etenim de ipſo iam vitâ functo Patres Eccleſiæ, qui eodem ferè tempore cum ipſo floruerant, & alij poſteriores, loquuti ſunt cum ſingulari veneratione, & eum ſanctum habuerunt. Imprimis enim Siricius Papa, qui octodecim annis poſt obitum illius, nimirum anno Chriſti 385. electus fuit Pontifex, in Epiſtola ad Himericum, Liberium appellat venerandæ memoriæ prędeceſſorem ſuum. S. Epiphanius Hęreſi 75. inquit: *Euſtathius ad Liberium beatum Romæ Epiſcopum vna cum multis Epiſcopis legatum aiebat, &c.* Ambroſius lib. 3. de Virginibus initio: *Tempus eſt, ſoror, ſancta beatæ memoriæ Liberij præcepta revolvere, vt quo vir ſanctior, eo ſermo accedat gratior.* S. Baſilius Epiſt. 74. ad Epiſcopos Occidentis: *Quædam ei propoſita ſunt à beatiſsimo Libario.* Quis autem non credat, pœnituiſſe, & in operibus pijs vitam ſancto fine clauſiſſe virum, quem iam defunctum tot graviſsimi Eccleſię Patres ijs elogijs celebrant? Non hæc proferrentur de homine vnquam graviter lapſo, niſi conſtaret pariter de eius pœnitentia, & inſigni pietate vſque ad vltimum vitæ ſpiritum. Quare quemad-

mo-

modum initio conſtanter reſtitit Arianis, & pro defenſione fidei Catholicæ exilium biennio, pluresque ærumnas & labores pertulit: ita etiam poſt illum qualemcumque lapſum acerrimus fidei defenſor perſtitit, tum evulgata illa fidei Confeſsione, antequam Sirmio diſcederet: tum indicto anathemate negantibus Filium in ſubſtantia & in omnibus eſſe ſimilem æterno Patri: tum pręterea in non recipiendis Macedonianis ad Eccleſiam, niſi apertè ſuam hęreſim deteſtarentur: vt poſt Baſilium & Epiphanium locis indicatis, teſtatur Socrates lib. 4. cap. 11. de ipſo poſtquam redierat ab exilio.

26. Itaque Liberius ſtatim ab obitu ſanctus haberi cœpit. & de illo, vt *venerandæ memoriæ* viro, vt *beato*, vt viro *beatæ memoriæ & ſancto*, ac denique, vt *beatiſsimo*, loquuti ſunt SS. Doctores nuper laudati, qui paulo poſt eius obitum aliquid de illo ſcripſere. Deinde ſucceſſu temporum vſ-detur cultus fuiſſe officio ſolemni ab Eccleſia, ſaltem inclinante ſęculo vndecimo, anno milleſsimo ſeptuageſimo octavo. in quo S. Gregorius VII. Papa celebrans Concilium V. Romanum *conſtituit, vt feſta Romanorum Pontificum, qui Martyres fuerunt, ſolemniter celebrarentur.* quæ ſunt verba magni Chronici Belgij pag. 124. Scriptor quoque Micrologus in lib. de Eccleſiaſticis obſervationibus cap. 43. inquit: *Gregorius huius nominis Papa Septimus, Apoſtolicæ Sedi præſidens conſtituit, vt Sanctorum omnium Romanorum Pontificum & Martyrum feſtiuitates vbique ſolemniter cum pleno officio celebrentur. Nam cùm quælibet Eccleſia ſui Patroni, etiamſi Confeſſor fuerit, feſtum ſolemniter obſervet: quantò magis eorum, qui totius Eccleſiæ non tam Patroni, quàm Patres extiterunt, quam etiam vſque ad martyriũ verbis & exemplis inſtituere non deſtiterunt?* Inter eos verò Pontifices, quorum officium celebrari iuſsit Gregorius, videtur locum habuiſſe Liberius Papa. Etenim propterea Benno pſeudo cardinalis ſchiſmaticus, vtpote ſequens partes Henrici III. aliàs IV. Imperatoris Germaniæ, & Guiberti Antipapæ, idoli ab eo fabricati, inter plura alia phantaſtica crimina, id obiecit Gregorio: *Hildebrandus* (ſic nimirum appellabatur Gregorius VII. antequam Pontifex eligeretur) *Vt Liberij feſtum celebraretur iuſsit. Hoc præcepto eius hæreſim firmavit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.*

27. Hic impudentia invehitur homo ſchiſmaticus adverſus vtrumque Pontificem: Liberium denigrans, non modò terra hæreſeos notâ, ſed etiam miſerrimo fine: Gregorium verò VII. tanquam approbatorem eiuſdem hęreſis, & erroris in extremi momenti, velutî qui hæreticum, & damnabili exitu mortuum, vt Sanctum, honorari in Eccleſia præceperit ſolemni officio. Sed enim quoad Liberium cui nam potiùs credendum, Siricio Papæ, S. Epiphanio, S. Ambroſio, S. Baſilio, coævis ipſique Bedæ & Vvaldeberto in Martyrologijs ſuis infrà citandis n. 34. alijſque, venerantibus illum iam vitâ functum, tanquam ſanctum: an Bennoni pſeudo cardinali, cui conſilium imprimis fuit calumniari omnes viros probos; & laudare improbos? Quam fidem mereatur Benno, qui maligno œſtro percitus ſtuduit varios Pontifices infamare, & in ijs Sylveſtrum Secundum de magia, ſeu familiaritate cum Diabolo, Gregorium Sextum de ſimonia, & denique de varijs criminibus S. Gregorium Septimum, vitæ innocentiâ, integritate morum, & zelo iuſtitię inſignem? Conſule Baronium ad annos Chriſti 999. 1044. 1048. 1073. & 1079. vbi fusè dolos & impietatem eiuſdem Bennonis narrat. Credendum potiùs Eccleſię Catholicæ quæ hunc Sanctorum albo adſcripſit, & in Martyrologio Romano decoravit ad diem 25. Maij elogio illo DEFENSORIS ACERRIMI ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS, ob quam tuendam innumeros labores, calamitates, & denique mortem in exilio paſſus fuit. Si ergo forſan decrevit (neque enim id conſtat, niſi ex narratione ipſius Bennonis) vt Liberij feſtum id Eccleſia celebraretur: in eo nõ erravit: ſed potiùs egit iuxtà communem illius ſenſum & SS. Patrum nuper nominatorum, circa ſanctitatem Liberij, quamvis aliquandiu interruptam. Sed quemadmodum nec trina negatio S. Petri, in ſacris litteris teſtata, nec lapſus S. Marcellini frequẽti opinione traditus, prohibuit, vt vterque ab Eccleſia in officio ſolemni colatur, quoniam ambo inſignibus poſtea meritis maculam illã abſterſerunt: ita nec qualecumque id crimen à Liberio perpetratum obſtat, vt propter pręcedentem & ſequentem vitæ innocentiam, ac virtutem eximiam, à S. Gregorio VII. Papa aliquando fuerit ſolemni honoratus officio. Plura de eodem Liberio videbimus ſect. ſequenti, & quomodo eius memoria in quibuſdam veteribus Martyrologijs ſancta habeatur.

SE-

SECTO TERTIA.

De Felice II. Papa, quem aliqui inurunt tetra Arianiſmi nota. Vindicatur ab eo nævo, eiuſque Pontificatus, & ſanctitas aſſeritur, ex collatione hiſtoriæ ipſius, & Liberij Prædeceſſoris, cuius honor denuo ſtabilitur. Vbi obiter de Siricio Papa, quem erroris in fide arguit Calvinus.

28 ACCEDAMVS Iam ad examinandam cauſam S. Felicis, quem Secundum eius nominis plerique nominant, dum Romanum Pontificem fuiſſe cenſent: alij verò id negant, quoniam factione Arianorum in locum Liberij Pontificis veri ob fidem exulantis intruſus fuit in Sedem Apoſtolicam circa annum Chriſti 355. Porrò illum fuiſſe hæreticum Arianum contendit Tilmanus Heſuſius lib. 1. de Eccleſia cap. 9. ductus auctoritate S. Hieronymi in Catalogo Scriptorum, vbi in Acacio inquit: *Acacius quem, quia luſcus erat, μονόφθαλμον nuncupabant, Cæſarienſis Eccleſiæ in Palæſtina Epiſcopus.* Et infrà ſubdit: *In tantum autem ſub Conſtantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum Romæ Felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret.* Idque confirmatur præterea: quia poſtquam electus fuit ab Arianis, cum iis communionem habuit; proptereaque Populus Romanus cum ipſo communicare noluit, vt teſtatur Theodoretus lib. 2. cap. 17. Si autem hæreticus Arianus fuit Felix, & verus Pontifex; quidni decreverit aliquid fidei Catholicæ contrarium in gratiam ſuæ ſectæ? Hæc eſt ratio dubitandi, cui oportet facere ſatis.

29 Vt autem huic ſcrupulo occurramus, & manifeſtum appareat, non modò nullum Pontificem Romanum aliquid ex cathedra pronuntiaſſe contrarium fidei; (quod noſtra potiſſimùm refert) ſed neque hæreticum reverà fuiſſe; præſtringere ſummatim oportet hiſtoriam Pontificatûs Liberij ac Felicis, fusè narratam à Baronio ab anno Chriſti 352. vſque ad 367. Bellarmino lib. 4. de Romano Pontifice cap. 9. Sandero lib. 7. de viſibili Monarchia à num. 121. Coccio tomo 1. lib. 7. art. 11. Gibalino lib. 3. de Iure Canonico cap. 3. Raynaudo tomo 10. in Corona Aurea: ex quibus præcipuè mutuabimus dicenda hoc loci.

30 Poſtquam Liberius ritè electus fuit Pontifex die 8. Maij anno 352. coacto Romæ Concilio negavit Arianis communionem per Legatos expetitam. Deinde annis proximè ſequentibus 353. & 354. miſsis legationibus pro S. Athanaſio ad Conſtantium Imperatorem, dirè vexatus eſt ab eo, & anno 355. in exilium miſſus ad Berœam Thraciæ, vbi biennio exulavit, retentâ veteri conſtantiâ animi: ideoque prohibuit recipi in Eccleſia quodlibet donarium eiuſdem Imperatoris hæretici. Clerus Romanus videns Paſtorem ſuum iniuſtè relegari, iuravit, ſe nullum alium, Liberio vivente, in Pontificem admiſſurũ. Interea Arianorum hæreticorum arte, præſertim Acacij Cæſareenſis Epiſcopi, Felix Diaconus Romanus in locum Liberij electus fuit: qui vt gratiam rependeret Arianis, eos ad communionem admiſsit: non tamen propterea Arianus hæreticus factus fuit, ſed fidem Catholicam retinuit. Quod planè teſtantur Auctores antiquiſsimi, & vicini ferè idem tempori. Ruffinus enim S. Hieronimi ſynchronos lib. 10. Hiſtor. cap. 22. ait: *In eius* (Liberij) *locum Felix Diaconus ſuus ab hæreticis ſubrogatur: & non tam ſectæ diverſitate, quàm communionis & ordinationis convenientia, maculatur.* Similiter Theodoretus lib. 2. Hiſtoriæ cap. 17. *Succeſſum eſt Liberio à fideli quodam illius Diacono nomine Felice: qui TAMETSI FIDEM IN CONCILIO NICÆNO EXPOSITAM SERVAVIT INTEGRAM, tamen cum illis qui eandem labefactare ſtudebant, liberè communicavit. At propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Eccleſiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.* Idem ferè teſtatur Sozomenus lib. 4. Hiſtor. cap. 10. qui ſcripſit paulo poſt Theodoretum, circa annum Chriſti 440. Quapropter certum apparet, Felicem, quamvis peccaverit in communione cum Arianis habita, non propterea exuiſſe Catholicam fidem, nec ex animi ſententia Arianum fuiſſe.

31 Neque obſtat auctoritas obiecta num. 28. ex S. Hieronymo. nam vox *Arianum*, addita ad nomen Felicis, videtur irrepſiſſe ex alicuius alterius fraude, aut incuria: Imprimis enim veteres codices manuſcripti illam non habent, vt notavit Marianus Victorius in eundem locum: neque etiam translatio Sophronij è Latino in Græcum. Præterea Freculphus Lexovienſis lib. 4. cap. 8 & Ado Viennenſis in Chronico (ambo Scriptores ſæculi noni) referentes ad verbum totum eundem S. Hieronymi locum, non habent vocem *Arianum*. Neque credibile eſt, Ruffinum, Theodoretum, & Sozomenum in Hiſtoria eo tempore notiſsima tam apertè diſcrepaturos, vt quod ille affirmaret, cæteri palã negarent. Vox ergo illa fuit poſtea addita, & veluti cento aſſutus germano Operi S. Hieronymi.

Ve-

32 Verùm finamus gratis; Felicem interea hæreticum Arianum fuiſſe, immo & aliquid definiſſe pro ſecta Arianorum. quod tamen poſterius nemo vnquam de illo ſcripſit. Quid inde contra auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in pronuntiando ex cathedra? Felix enim eo tempore non verus Pontifex, ſed intruſus fuit arte & potentia Arianorum, quibus Conſtantius Imperator eadem tabe laborans ferebat patrocinium. Vivebat enim legitimus Pontifex Liberius, ob Catholicam fidem exul: quo ſuperſtite nemo alius ritè aut validè Romanus Pontifex creari potuit. Ideoque, vt ex Theodoreto vidimus ſuprà, nemo ex Catholicis eo tempore cum Felice communicare voluit. Quare dato quòd Felix interea degeneraſſet in hæreſim, immo illam publicè docuiſſet; Romanus Pontifex verus, & cathedra S. Petri, ab ea fuligine immunis eſſet.

33 Liberius autem Pontifex, qui eouſque invictus permanſerat, & conſtantiſſimè Athanaſium defenderat, communionemque Arianis negaverat, tandem tædio diuturni exilij & laboribus fractus, ſuccubuit, citra defectionem tamen à fide, vt iam ſuprà oſtenſum eſt, & Baronius prætereà comprobat ad annum 357. Ideoque Nicephorus lib. 9. cap. 37. de ipſo ait: *Liberius autem aliam quoque ſeorſim fidei conſcripſit profeſsionem, quæ omnes ab Eccleſiæ communione arcebat, qui Filium Patri non ſecundùm ſubſtantiam, & per omnia æqualem dicerent. Id propterea fecit, quòd Eudoxius, & qui factionis eius fuere non ita pridem Antiochiæ propter Aetij hæreſim congregati, cùm Hoſij Epiſtolam in manibus haberent, plurimum verborum fecerant, quibus Liberium per calumniam traduxerant; perinde atque τὸ ὁμοούσιον, conſubſtantiale repudiaſſet, & Patri Filium omnino inæqualem dixiſſet.* Verùm cùm exteriùs videretur fidem abiuraſſe, propter ſententiam in Athanaſium latam, Confeſsionem ſine Homoüſij vocabulo ſubſcriptam, & communionem cum Arianis habitam, rediens Romam reiectus fuit à Clero, veluti qui ſimul cum fide Catholica Pontificiam dignitatem amiſiſſet. Quare licèt Clerici olim iuraſſent, ſe nullum alium Pontificem admiſſuros Liberio vivente, cenſuerunt ſe iam liberos eſſe à religione iuramenti, & ad Felicē, quem antea reſpuerant, ſe contulerunt: qui exinde verus Pontifex fuit, ſaltem communi Romanorum iudicio, & ſuo. Ipſe verò conſiderans graviſſimum Eccleſiæ ſibi commiſſæ, fideique periculum, non modò receſsit à communione cum Arianis; ſed etiam coactâ Romæ Synodo declaravit, Conſtantium Imperatorem, & Epiſcopos Vrſacium ac Valentem, quibuſcum communionem habuerat Liberius, verè hæreticos eſſe. Hinc verò indignati Ariani, poſt ingreſſum Liberij in Vrbem, vnde à Catholicis reiectus fuerat, Felicem cum ſuis Româ expulerunt. qui paulò poſt diem extremum clauſit, &, vt multi aiunt, aut capite cæſus, aut ærumnis confectus in odium fidei. Hæc eſt ſententia frequens apud Hiſtoricos recepta. Sed Nicephorus loco nuper allegato longè aliter rem enarrat. Statim enim poſt verba exſcripta ait: *Occidentales Legati rebus ita geſtis, aſſumpto ſecum Liberio Romam reverterunt, litteras ab Epiſcopis Sirmij congregatis ad Felicem Romanarum Eccleſiæ Præfectum, & ad Clerum, populumque Eccleſiæ eiuſdem afferentes, quibus vt Paſtorem ſuum libenter ſuſciperent, admonebantur. Ambobus porrò, & Felici, & Liberio, permiſſum eſt communiter ſacra curare, & munus Apoſtolicum adminiſtrare. Qui quidem concordes fuere, & quidquid medio tempore acciderat rerum adverſarum, & triſtium per amneſtiam, & oblivionem abolevere. Quòd namque admodum bonus vir eſſet Liberius, quodque pro recta Eccleſiæ doctrina Imperatori conſtanter reſtitiſſet, multa pietate, & benignitate populus Romanus in eum fuit: vſque adeo certè vt in eius eiectione per ſeditionem eius cauſa motam res ad cædem proceſſerit. Sed paulo poſt Felix mortuus eſt, & ſolus Liberius Epiſcopatum adminiſtravit. Quod ſic DEVS rectè providit Eccleſiæ, ita vt decebat, rebus conſulens, nè primaria Apoſtolorum Sedes, fœdam illam, & incommodam à duobus gubernata ducibus contraheret notam: quæ res ab Eccleſiæ conſtitutionibus perquam eſt aliena, diſcordiamque vt plurimum conciliare ſolet. Hæc in Sirmio acta.* Hactenus ille, qui in hoc poſtremo diſcordat à cæteris, quorum teſtimonijs potiùs ſtare debemus.

34 Felice vivis ſublato, Liberius iuxta Confeſsionem fidei, quem ediderat antequam Sirmio diſcederet, receſsit palam à communicatione cum Arianis: eaque propter à Catholicis, quorum offenſionem incurrerat, receptus fuit in verum Pontificem eodē anno 357. Deinde biennio tranſacto damnavit formulam ſeu Confeſsionem ab Arianis in Concilio Ariminenſi editam: ideoque ab ijs pulſus fuit, & deliteſcere coactus in cœmeterijs ſuburbanis vſque ad obitum Conſtantij. Deinde ſub imperio Iuliani curavit Eccleſiam Orientalem per Legatos anno 362.

Po-

Poſtea anno 365. Semiarianis Nicænam fidei formulam ſimulantibus, impartitus fuit bona fide communionem. Tandem inter pietatis, opera & conſtantem fidei Catholicæ profeſſionem, humana poſuit anno 367. & ſanctitatis opinionem meruit apud poſteros, qualem ſuprà deſcripſimus num. 25. & 26. ac præterea eius memoria habetur in Martyrologijs veteribus: quale eſt Venerabilis Bedæ ad diem 8. Kal. Octobris, & Vvaldeberti die 23. Septembris. Nec omittendum, eiuſdem Liberij nomine inſignitam initio fuiſſe Ecceleſiam ab ipſo Romæ ædificatam in monte Exquilino ex collatis impenſis Ioannis Patricij, ea de re per viſum à ſanctiſsima Virgine Deipara admoniti, & deinde confirmati miraculo inſigni nimium Nonis Auguſti deſcendentium;que proceſſu temporis appellata fuit, S. *MARIÆ AD NIVES*, nunc verò dicitur *S. MARIÆ MAIORIS*. Ipſeque Liberius ſimul de cœlo admonitus fuiſſe legitur eâdem nocte, ac Ioannes Patricius. quod in laudem non vulgarem eiuſdem Pontificis cedit.

35 Itaque Felix, à quo paulifper diverteramus, poſt lapſum Liberij diffamati de hæreſi Ariana, verus Pontifex à Catholicis haberi cœpit, & in ea apud omnes illos æſtimatione fuit, non ſolùm quoad vixit, ſed etiam poſt mortem ſæculis ſequentibus vſque hodie, addito præterea Sanctitatis titulo. Ideo Auctor libri Pontificalis Damaſo ad ſcripti (quamvis fortè ab Anaſtaſio Bibliothecario ſcriptus fuerit) Felicem ipſum inter Pontifices & Martyres recenſet. Deinde, omnia Martyrologia antiqua, tam edita, vt Bedæ, Adonis, & Vſuardi, quàm manuſcripta ad diem 29. Iulij, inter Sanctos recenſent Felicem Secundum Papam & Martyrem, qui Conſtantium hæreticum declaravit. Et iam antea S. Gregorius Magnus, tam in Antiphonario, quàm in Sacramentario, poſuerat integrum officium Eccleſiaſticum legendum ad Miſſam in die S. Felicis Pontificis & Martyris quarto Kalendas Auguſti. Eum verò Felicem eſſe ipſum de quo loquimur, teſtatur Micrologus liber Eccleſiaſticarum obſervationum cap. 43. Itaque Eccleſia Catholica ſaltem à mille nonaginta annis, qui fluxerunt vſque modò à Pontificatu S. Gregorij Magni, celebrat illum veluti Papam & Martyrem.

36 Accedit, Felicem Papam eiuſdem Gregorij atavum ab antiquiſsimis ſcriptoribus dici Felicem Papam Quartum: & nominatim à Ioanne Diacono lib. I. Vitæ eiuſdem Gregorij cap. I. & à Cardinali Leone Hoſtienſi lib. I. Chronici Caſsinenſis cap. I. At Felix Gregorij atavus Papa Quartus eius nominis eſſe non potuit, niſi is de quo loquimur fuerit Secundus: neque enim, præter hunc, fuerat pluſquam duo Felices ante illum Quartum. Verè ergo hic Felix eſt qui mille & nonaginta ſaltem annis retro Papa & Martyr in Eccleſia habitus eſt.

37 Denique pro certiori eius ſanctitate fidem facit, quòd Romę anno 1582. cùm dubitaretur an Felix prędictus eſſet in novo Martyrologio collocandus, divinâ Providentiâ factum fuit, vt in Baſilica Sanctorum Coſmę & Damiani à quibuſdam quęrentibus theſaurum, quem acceperant ibidem fuiſſe reconditum, effoſâ terrâ inveniretur arca marmorea: in cuius altero latere erant reliquię Sanctorum Martyrum Marci & Marcelliani & Tranquillini: in altero autem verò, quod interpoſita tabula lapidea diſcernebatur, corpus S. Felicis cum hac epigrapha: *CORPVS S. FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS, QVI DAMNAVIT CONSTANTIVM*. Ita referunt Baronius ad annum 357. num. 18. & Bellarminus lib. 4. de Pontifice Roman. cap. 9. Quin & idipſum accidit pridie eius diei, quo eiuſdem S. Felicis in Eccleſia natalis celebrari conſuevit, atque eo tempore, quo plures docti & eruditi homines illius nomen è Martyrologio Romano expungendum arbitrabantur. quod ſanè omnibus admirationi fuit, creditumque eſt Felicem ipſum ſe exhibuiſſe redivivum eo die, vt cauſam propriam ageret, quę iam penè deplorata erat.

38 Dices: Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, & Auguſtinus Epiſt. 165. dum recenſent Romanos Pontifices, poſt Liberium, omiſſo Felice, ſtatim Damaſum ponunt. Non ergo Felix verus vnquam & legitimus Papa fuit.

39 Reſp. Optatum & Auguſtinum non recenſere Felicem inter Pontifices Romanos ex multiplici capite, quamvis verè talis fuerit tandem aliquando. Imprimis enim Felix initio intruſus fuit ab Arianis, & nullo modo verus Pontifex toto illo biennio, quo Liberius eouſque legitimus Papa apud Bercœam pro fide exulavit. Deinde verò à tempore quo Clerus Populuſque Romanus audita Liberij prævaricatione Felicem elegit, verus Pontifex eſſe cœpit. Verùm eùm ſtatim ferè ab Arianis Româ pulſus fuerit, nec ſatis conſtet quantum poſtea vixerit, & vbinam, & quomodo tandem mortem ſubierit (nimirum de his omnibus variæ & diſsidentes Scriptorum veterum opiniones ſunt, legendæ apud Baronium anno 357. num. 17. & tribus ſeqq.) viſum fuit ijs duobus Sanctis Doctoribus ob

ex

ea omnia illum non recenſere inter Romanos Pontifices, ex quibus ſolos indubitatos nominare voluerunt.

40 Maneat itaque ratum, ex Pontificibus quarti ſæculi, nec Marcellinum, nec Liberium, nec Felicem Secundum, decreviſſe aliquid fidei contrarium, quod è re noſtra potiſsimùm eſt: præterea, nec quenquam eorum fuiſſe hæreticum, etiam ad breve tempus. rurſus Marcellini lapſum externum, quo fertur idolis thus obtuliſſe, incertum eſſe, & qui probabiliter admodum negari poſsit. denique reliquos duos peccaſſe quidem graviter aliquando, non tamen vnquam fidem Catholicam exuiſſe: & poſtea illam ipſam maculam purgaſſe, vt propterea memoria ipſorum apud poſteros ſancta fuerit habita, & in tabulis Martyrologiorum conſignata.

41 Plura alia, ex quibus honor prædictorum Pontificum, aliorumque præcedentium, generatim & vberiùs aſſeratur, videbimus in progreſſu. Vnicus reſtabat ſcrupulus circa Siricium Papam eodem ſæculo quarto electum anno 385. quem Ioannes Calvinus lib. 4. Inſtitutionum cap. 12. §. 24. accuſat, quòd in Epiſtola ad Hiſpanos coniugium pollutionem appellaverit. Sed enim Hæreſiarcha impudens more ſuo mentitur. Siricius enim non de vero & legitimo coniugio ait eſſe pollutionem: ſed de illicita coniunctione eorum, qui poſt publicam pœnitentiam peractam redeunt ad eandem coniunctionem, propter quam illam egerant. Certum autem eſt, neminem egiſſe pœnitentiam publicam ob coniugium legitimum, ſeu matrimonium ritè celebratum.

DISPVTATIO XXIX.

QVINAM PONTIFICES QVINTI ET Sexti Sæculi arguantur erroris in fide, & quomodo eo vitio immunes probentur.

VIX Vllum fuit hucuſque Sæculum, in quo vnus vel alter Pontifex Romanæ Eccleſiæ, quantalibet doctrina & ſanctitate inſignis, non incuſetur alicuius erroris in fide, partim ab hæreticis, partim à quibuſdam Catholicis negantibus Cathedræ S. Petri auctoritatem prorſus infallibilem ad definiendum ſeorſim à Concilio. Quare licèt in duobus Sæculis quinto & ſexto, Eccleſiam rexerint multi Pontifices eximiæ ſanctitatis doctrinæque, non deſunt qui in ipſorum decreta aut facta ſtylum exacuerint.

SECTIO PRIMA.

De aliquibus Pontificibus quinti ſæculi, ſanctitate excellentibus; nimirum, Innocentio I. Cæleſtino I. Leone Magno, & Gelaſio I. quos Sectarij allatrant, quaſi in decretis ſuis aut Epiſtolis ſæpe erraverint. Vbi de Anaſtaſio II.

2 PRIMVS Pontificum quinti ſæculi accuſatus erroris in fide ab hæreticis eſt S. Innocentius I. qui anno 402. vſque ad 416. Eccleſiam ſanctiſsimè rexit, & innumeras propterea laudes meruit à Scriptoribus ſui temporis, præſertim à Hieronymo & Auguſtino. Illum tamen Magdeburgenſes allatrare audent multipliciter Centuria 5. cap. 10. *Primò*, quòd Epiſt. 2. cap. 12. ſtatuerit vt ſacra virgo iam relata ſi nupſerit, aut fornicata ſit, non recipiatur ad pœnitentiam dum vixerit ille, cum quo peccavit. Videtur autem impius error quòd mulier pœnitens non abſolvatur dum vivit qui eam ad peccatum allexit & ſeduxit. *Secundò*: quoniam in Epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum ſcripſit, licèt ratum ſit Arianorum Baptiſma, non tamen per eos conferri Spiritū ſanctum, quia ſe vltro ab Eccleſia ſuperaverant. In hoc autē traditor manifeſtus error contra doctrinam Eccleſiæ ipſius, quæ tradit, efficacitatem Baptiſmi non pendere à bonitate miniſtri. *Tertiò* denique, quia Epiſt. 22. cap. 1. docet, Sacerdotem eſſe non poſſe, qui viduam in vxorē acceperit, cùm Moyſes in Levitico præcipiat, vt ſacerdos accipiat virginem vxorem. Nimirum, Innocentius ita loquens, ſignificare videtur, Chriſtianos teneri præceptis iudicialibus legis Moſaicæ, contra quàm definitum fuit ab Apoſtolis Actorum 15.

3 Sed enim eæ ſunt meræ nugæ adverſus Pontificem glorioſiſsimum, re ac nomi-

mine Innocentium. *Prima* obiectio peccat in ſiniſtra interpretatione verborum eius Epiſt. 2. cap. 12. cuius ſenſus eſt, non debere recipi ad pœnitentiam fœminas illas, quę cùm eſſent virgines Deo ſacræ, & iam velatæ, nupſerint, aut fornicatæ fuerint, ſi nolint ſeparari ab adultero, niſi poſt eius mortem. Hoc autem iuſtum & debitum eſt: cùm Eccleſia nequeat abſolvere eos, qui in ſtatu peccati perſeverant. Ita Bellarm. lib. 4. de Romano Pontif. c. 9. Gibalinus lib. 5. de Iure Canon. cap. 3. n. 40. Quorum doctrinæ in ea parte plura addi poſſent ex Decreto diſt. 27. ferè per tot. *Secunda* obiectio non vrget: quoniã Innocentius ibidem loquitur de ijs qui, cùm adulti ſint, & hæretica labe polluti, baptizantur aut ordinãtur ab hæreticis. Licèt enim ab ijs validè ea Sacramenta accipiant; non tamen gratiã ipſorum, quoniã illa cum hæreſi conſiſtere nequit. Quia & ordinatus validè ab hæreticis, non recipit ius legitimè exercendi Ordinem ſuſceptum: nam nec ordinator hæreticus illud habuit, ideoque non potuit in ordinatũ transferre. Vide Gloſſam 1. q. 1. c. Arianos. *Tertia* denique nullius momenti eſt: quoniã Innocentius eò loco non ait Chriſtianos ligari pręceptis legis Moſaicæ, ſed ex eo quod in illa præcipiebatur Sacerdotibus, quaſi à minori ad maius, colligit quid facere debeant Sacerdotes in lege Evãgelica. Si enim tunc in vmbratico Sacerdotio exigebatur vt Sacerdos non duceret vxorẽ viduam; quantò magis in vero & perfecto Sacerdotio iuſtum eſt, ne Sacerdos ſit, qui viduã in vxorem accepit? Sic ſæpe Patres Eccleſiæ ex ijs quæ in lege Veteri pręcipiebantur vrgent ad quædam facienda in lege Evangelica: non quia prior illa nunc obliget: ſed quia in ea iniungebantur nonnulla rationi & honeſtati conſona, quæ vrgentiori titulo maioris perfectionis in lege Evangelica fieri debent, abſque ſuperſtitione vlla.

4 Secundus Pontificum eius ſæculi impetitus ab hæreticis, eſt S. Cœleſtinus I. electus anno Chriſti 422. quem Laurentius Valla, magnum inter Critico-Grammaticos nomen, in Declaratione de falſa donatione Conſtantini non veretur dicere, Neſtoriana hæreſi infectum fuiſſe.

5 Verùm cœcutivit Grammaticaſter prædictus: cùm evidens ſit, S. Cœleſtinum Papam fuiſſe, qui palam damnavit hæreſim Neſtorij: vt patet, non ſolùm ex Actis Concilij Generalis Epheſini coacti & confirmati ab illo contra Hæreſiarcham ipſum, ſed etiam ex S. Proſpero in Chronico ad annum Chriſti 431. Vide etiam Epiſtolas varias eiuſdem Cœleſtini, pręſertim quartam ad S. Cyrillum, quintam ad Clerum & plebem Conſtantinop. ſextam ad Neſtorium ipſum, octavam ad Synodum Epheſinam, decimam ad Cyrillum iam dictũ, & vndecimã Encyclicam ad PP. Epheſinæ Synodi. Bellarm. vbi ſuprà cenſet, deceptum fuiſſe Vallam homonymiâ. Fuit enim alter Cœleſtinus ſectâ Pelagianus, qui communia quędam cum Neſtorianis habuit: & Valla eundem fuiſſe arbitratus eſt cum Cœleſtino Papa. Sed homo in ſacra Theologia & Hiſtoria Eccleſiaſtica hoſpes, conſultiùs falcem miſsiſſet in ſolam logomachiam, aut philologiam, quàm in alienam meſſem, præſertim adeò ſuperiorem. Verùm elatus inani verborum criſi, etiam in ſacra myſteria ſe ingerere auſus fuit, & vocabula Patribus ac Theologis propria, immo neceſſaria ad ſignificandum res divinas, corrigere aut exigere voluit ad canones Donati, aut ſuos. vt proinde iam vivis ereptus meruerit hoc lepidũ epigramma apud doctiſsimũ Genebrard. in Opere de Trinitate:

Ad Manes poſtquam defunctus Valla perijt,
Non audet Plato verba Latina loqui.
Iuppiter hunc ſupero dignatus honore fuiſſet.
Cenſorem linguæ ſed timet eſſe ſuæ.

6 Tertius S. Leo Papa, cognomento Magnus, qui eodem ſęculo ab anno 440. vſque ad 461. ſanctitate admiranda, eximijs rebus geſtis, & cœleſti doctrina atque eloquentia Eccleſiã illuſtravit, accuſatur à Magdeburgenſibus Centuria 5. cap. 10. quoniã Epiſt. 79. ad Nicetum dixit, mulieres illas, quæ putantes maritos ſuos eſſe defunctos, aut nunquam redituros ex captivitate, nupſerunt alijs, non peccaſſe: verùm ſi mariti earum redeant, teneri eas ad primum coniugium renovandũ, modò ipſi velint: alioqui verò, non teneri. In qua doctrina apparent duo errores. Alter, quòd mulier non peccet nubens alteri viro, quando exiſtimat maritum ſuum iam obijſſe, aut non rediturum, ex captivitate. Alter, quòd mulier poſsit permanere cum ſecundo marito, ſi prior nolit ad eam redire.

7 Cæterum accuſatio hæc eiuſdem farinæ eſt, ac pręcedentes: nec propoſita fuiſſet ab ijs Sectarijs, ſi abſque pręiudicio vllo, aut odio in Eccleſiam Romanam, legiſſent Epiſtolam illam S. Leonis: qui ſanè in nulla eius parte erravit. Cùm enim ait, non peccare mulierem quę nubit vivente adhuc priori viro; loquitur palam de illa ſola, quę iterum nupſit, quòd crederet priorem maritum fuiſſe mortuum. De illa verò, quę iterum nubit, quia exiſtimat virum captivitate detentum nunquam rediturum, non dicit peccare, necnon peccare. nimirum, exploratum erat Leoni, & cuilibet, fœminam ſic nubentem peccare,

nec opus fuit, vt exprimeretur. Poſtea cùm addit, mulierem redire debere ad virum priorem, ſi ipſe eam velit; conſequenter indicat, ipſum pariter redire debere ad mulierem, ſi ea velit: quoniam in onere matrimonij ſubeundo pares ſunt vir & mulier: ac proinde ſi alter velit redire ad coniugium, alter quoque redire tenetur. Si neuter redire velit, poterunt manere ſeparati quoad vſum coniugij. Hoc ſolũ permittit eo loci S. Pontifex: non autẽ vel leviter indicat, poſſe mulierem reiectam à priori marito vivente, permanere cum ſecundo. Etenim ibidem apertiſsimè ait primum matrimonium eſſe inſolubile, & neceſſariò reformandum, ſeu continuandum, ſoluto poſteriore tanquam irrito.

8 Quartus S. Gelaſius I. Pontifex ab anno 492. notatur dupliciter à Magdeburgẽſibus Centuria 5. cap. 4 de Cœna Domini, & præterea cap. 10. in Vita eiuſdem Gelaſij. Primò enim impetitur, quaſi in libro contra Eutychen docuerit, in Sacramento cum carne Chriſti manere, verum panem. Secundò, quoniam, vt legitur apud Gratianum de Conſecratione diſt. 2. can. *Comperimus*, aſſeruit, nõ poſſe ſine ingenti ſacrilegio ſumi vnam partem Euchariſtiæ ſine altera. Vtrumque autem id falſum eſt: aut falluntur quicumque in Eccleſia oppoſitum ſentiunt.

9 Huic obiectioni quoad poſteriorem partem facili negotio occurritur: quoniam ibidem ſermo eſt de Sacerdote ſacrificante: qui certè ſine ingenti ſacrilegio nequit ſumere Sacramentum ſub vna tantùm ſpecie, ne ſacrificium maneat imperfectum. Deinde quoad priorem partem occurri poſſet ex Trithemio de Scriptoribus Eccleſ. in Gelaſio, Cano lib. 6. de Locis cap. 8. Bellarmino lib. 4. de Romano Pontifice cap. 10. Baronio ad annum 496. Andræa Schotto, Severino Binio, aliiſque, negando librum illum ſingularem contra Eutychen eſſe germanum opus S. Gelaſij Papæ; & ipſum tribuendo, vel Gelaſio Cæſarienſi Epiſcopo, cuius meminit S. Hieronymus circa finem Catalogi Scriptorum Eccleſiaſt. vel Gennadio Maſsilienſi. Lege præſertim Bellarminum, & Binium in Notis ad Vitam eiuſdem Gelaſij, qui plura proferunt vt ipſi abiudicent librum illum, quo ſtatuto, nihil noſtra refert quòd error ille circa Euchariſtiam in eo tradatur.

10 Veroſimile autem apparet, librum, ſive Opuſcul. illud inſcriptũ, *De duobus naturis contra Neſtorium & Eutychetẽ*, quod in Hæreſeologia, Ortodoxographis, & Bibliothecis VV. PP. extat ac noviſsimè in Magna Aniſſoniana, Sæculo V. Tomo VIII. eſſe fœtũ S. Gelaſij Papæ. Ideóque Spondanus in Epitome Baronij ad prædictum annũ Chriſti 496. n. 1. addidit in margine: *Ita quidã ſenſerunt & alij plerique hactenus; nimirum, hunc libellum nõ eſſe Gelaſij Papæ partum. Verùm illum S. Fulgentius, qui eodem tempore vixit, & æquè Afer natione fuit, Gelaſio Papæ abſque vlla dubitatione adſcribit, multa ex eo citans, Reſp. 2. ad Ferrandum Diaconũ.* Idipſum conſtat: quoniam, teſtibus Iacobo Sirmõdo, & Philippo Labbe, id Opuſculum in Mſs. optimæ notæ extat inter indubitatas Gelaſij Epiſtolas. Deinde eius nomine allegatur à Ioanne II. Papa (qui vixit paucis pòſt annis, nimirum electus Pontifex anno Chriſti 532.) in Epiſt. ad Avienum, cæteroſq; Senatores: quâ fidem de Chriſti Divinitate & Incarnatione confirmat teſtimonijs hinc inde excerptis. Conſonat Gennadius Maſsilienſis ſynchronos eiuſdẽ Gelaſij lib. de Script. Eccl. c. 94. & ex ipſo Honorius Auguſtodunenſis libello 3. c. 93. & Anaſtaſius Bibliothecarius, ſeu quivis alius auctor Vitæ Gelaſij. Lege præterea Aubertum Miræum in Biblioth. Eccleſ. pag. 72. & 201. vbi eandem ſententiam confirmat.

11 Adhuc tamen ea ſtatuta, aut permiſſa, nihil efficitur argumento Magdeburgenſium: quoniam iidem Auctores, qui librum illum adſcribunt Gelaſio Papæ monent, plura ſcripta ipſi ab hæreticis ſuppoſita fuiſſe, plura etiam ab iiſdem falſata & corrupta. Vnde in Sexta Synodo Generali Actione XII. & XIV. Patres conqueſti ſunt, plurimas corruptiones fuiſſe ab hæreticis factas in Quinta Synodo, quæ celebrata fuit anno 553. id eſt, non pluſquam 57. annis ab obitu eiuſdem Gelaſij, qui vivere deſierat anno 496. Immo & longè antea S. Leo Magnus Epiſtola 83. ad Palæſtinos conqueſtus fuerat, idipſum ſibi accidiſſe circa Epiſtolam celebrem ad Flavianum. Quare, ſi verè Opuſculum illud eſt Gelaſij, dicere oportet, ſi qua verba in eo legantur adverſantia veræ fidei, eſſe centonem aſſutum Operi impia & fraudulenta hæreticorũ manu. Denique, quiſquis fuerit eius libri auctor, verba illa: *Non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini*; intelligenda ſunt quoad accidentia panis & vini. Frequens enim eſt, vt ex communi vſu loquendi ſubſtãtia accipiatur pro natura ſive eſſentia rei: ac proinde ſubſtantia eo loci pro natura ſive eſſentia accidentium panis & vini vſurpatur. Vide plura circa hanc interpretationem apud Baronium ad annum 436. numero 10. & ſeqq. Bellarminum lib. 2. de Sacram. Euchar. c. 27. Quòd verò eo teſtimonio abutantur Sectarij recentes ad impugnandam Tranſub-

ſubſtantiationem Euchariſticam, & in eo plurimùm fidant, ſatis ipſorum perfidiam prodit; cùm innumera alia ſint apud Patres omnium ſæculorum longè clariora & indubitata, ex quibus eam Catholicam veritatem diſcere poſſent. Vide Gaulterium in Chronologia per ſingula ſæcula Veritate prima: qui inſtar plurimorum eſt.

12 Quidam præterea hæreſeos labem adſcribunt Anaſtaſio II. Pontifici electo anno 496. imprimis quòd communicaverit cum Photino, qui communicârat cum Acacio hæretico. Deinde quòd voluerit occultè revocare Acacium iam antè damnatum à Felice & Gelaſio Pontificibus. Denique quòd probaverit Baptiſmata & Ordines ab Acacio collatos. Ob ea ſcelera addunt, Anaſtaſium divinitus repentina morte ſublatum. Hæc ſcribit Auctor Pontificalis in vita huius Anaſtaſij: quæ omnia exinde mutuavit Tilmannus Heshuſius lib. 1. de Eccleſiaſt. cap. 9. & Magdeburgenſes Cent. 6. cap. 10. immo & Gratianus ante illos diſt. 19. cap. *Anaſtaſius*.

13 Verùm omnia hæc Anaſtaſio obijciuntur immeritò: vt oſtendit Albertus Pighius lib. 4. Hierarch. cap. 8. Cobarrubias 4. Variarum cap. 13. & Baronius ad annum Chriſti 497. & 498. contra Laurentianos Schiſmaticos, qui virulento ore, & calamo, illius nomen denigrare ſtuduerunt. Statim enim ab initio ſui Pontificatûs miſſit Legatos ſuos ad Anaſtaſium Imperatorem, vt deleretur è Diptychis nomen Acacij Conſtantinopolitani Patriarchæ fautoris hæreticorum, qui iam antè innodatus anathemate obierat: neque vnquam aliquid egit quo de violata fide Catholicâ meritò accuſaretur. Nam quod ijdem Schiſmatici obijciunt, Imperatorem prædictum miniſterio Feſti cuiuſdam tentâſſe, vt Pontifex ſubſcriberet Henotico Zenonis Auguſti, & complicis eiuſdem Acacij; nihil obeſt: cùm Anaſtaſius II. obierit antequam à Feſto tentaretur eius perfidiæ: vt planè teſtantur Theodorus Lector Collect. lib. 2. & Nicephorus lib. 16. cap. 35. Minùs autem obſtat quod ea libro de Romanis Pontificibus opponunt, Anaſtaſium communicaſſe cum Photino diacono Acacij. Cùm enim Photinus petijſſet vt Epiſtola S. Leonis Papæ ad Concilium Chalcedonenſe, depravata per vitioſam interpretationem, redderetur germanæ integritati ex prototypo Archivi Romanæ Eccleſiæ; non debuit Pontifex id officium negare vlli, etiam hæretico. Iam quod pariter obijci ſolet, Anaſtaſium voluiſſe in Diptycha nomen Acacij referre, non ſatis conſtat. Si autem id tentavit, non tamen fecit, Deo nullatenus permittente, & priùs ex humanis ſubſtrahente Pontificem, quàm id perageret: vt ſæpè in ſimili periculo divinâ Providentiâ factum fuiſſe Hiſtorici Eccleſiaſtici litteris produnt. Errant verò qui aiunt, Pontificem ipſum nutu divino percuſſum interijſſe: cùm id non Anaſtaſio Papæ, ſed prædicto Anaſtaſio Imperatori contigerit paulò pòſt, qui fulmine percuſſus interijt. Errat quoque, non tam Gratianus noſter (cui nuper Carriero in Chronologia Pontificum ad annum 496. eam notam adſcribit) quàm qui lolium, & paleas eius ſcriptis immiſsit diſt. 19. vbi dicitur Anaſtaſium deſipuiſſe, quoniam voluit rata eſſe Sacramenta Baptiſmi Ordiniſque ab Acacio collata. Errat, inquam, ille ſolus: cùm certum ſit, Baptiſmum collatum ab hæreticis eſſe validum, ſicuti & Ordinem adminiſtratum ab Epiſcopo ſuſpenſo. Quare nullo iure demum impetitur, aut in dubium vocatur fides Anaſtaſij II. Pontificis.

SECTIO SECVNDA.

Examinatur, an Vigilius Papa ſæculo ſexto tradiderit, aut ſenſerit aliquid fidei Catholicæ contrarium. Vbi de Iuſtiniano Imperatore, qui durè ſe geſsit cum illo, & nimium ſibi arrogavit circa dogmata & res Eccleſiaſticas.

14 EX Pontificibus Sæculi ſexti incuſatur hæreſeos Vigilius, anno 540. renuntiatus Pontifex: quoniam Liberatus in Breviario cap. 22. refert, illum ſcripſiſſe Epiſtolam ad Theodoram Imperatricem, alioſque hæreticos, quâ illorum errores confirmabat, & anathema dicebat profitentibus doctrinam de duplici natura in Chriſto Domino.

15 Huic obiectioni multipliciter occurri poteſt. Imprimis reſpōdere licet, Epiſtolam illam Vigilij ad Theodoram Imperatricē, fuiſſe ab hæreticis fictam, & diſſeminatā ita, vt Liberatus crederet, eā fuiſſe à Vigilio ſcriptam. Neque id ſine fundamēto reſpondebitur; nam ex Sexta Synodo Generali Act. XIV. cōſtat; hæreticos confinxiſſe Epiſtulam quandam nomine Vigilij Papæ ad Theodoram Imperatricem. Nulla autē ab ijs vtiliùs in rem ſuam fingi potuit, quàm eiuſmodi, vt confirmaret errores ipſorū. Deinde dici poteſt, verba illa Liberati referentis prædictā Vigilij Epiſtolā fuiſſe addita ab hæreticis, qui innumeris technis vſi ſunt ad conciliandā errori ſuo auctoritatem.

16 Sed adhuc permiſſo, Liberatum id ſcripſiſſe, & Epiſtolam prędictam fuiſſe Vigilij; nihil inde adverſus nos colligitur. Vigilius enim, ſi eam ſcripſit, certè non eo tempore quo erat verus Pontifex Eccleſię Romanæ, ſed Antipapa: vtpote vivente Silverio legitimo Papa, qui propter fidem exilium patiebatur. Nobis autem curæ non eſt, an aliquis Antipapa ſit hæreticus, ſeu tradat aliquid cōtrarium fidei; modò verus Pontifex ab vtroque eō vitio immunis exiſtat.

17 Vt autem id evidentiùs conſtet, accipe quomodo Vigilius ſe geſſerit, tam ante Pontificatum ritè acceptū, quàm poſtea; idque verbis Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. c. 11. ita loquentis.* Sciendum eſt enim Anthemium hæreticum depoſitum fuiſſe ab Agapeto Romano Pontifice de Epiſcopatu Conſtantinopolitano: deinde Imperatricē petiviſſe à Silverio Agapeti ſucceſſore, vt Anthemium reſtitueret: quo recuſante, Vigilium tunc Archidiaconum, promiſsiſſe Imperatrici, ſe Anthemium revocaturum, ſi poſſet Romanus Pontifex fieri: continuò autem iuſſu Imperatricis, opera Beliſarij, fuiſſe ſanctum Silverium expulſum de ſua Sede in exilium. & Vigilium creatum Papam, ſeu potiùs Antipapam. Quo tempore non eſſet mirū, ſi errare in fide, & etiam hęreticus planè eſſe potuiſſet. Quanquā nec tunc quidem definivit aliquid contra fidem tanquā Pontifex, neque animo hęreticus fuit. Siquidem Epiſtolam ſcripſit, nefariam quidem, & Chriſtiano homine indignam: tamen in ea Catholicam fidem non damnavit palàm, neque hęretico animo; ſed occultè, propter cupiditatē præſidendi; vt Liberatus ibidem dicit, & ex Epiſtola ipſa Vigilij apparet. Scribit enim, vt caveant, ne Epiſtolā illam vllus videat, & vt ſint omnia occulta vſque ad tempus. Erat enim Vigilius tunc in anguſtijs ſummis, in quas eum ambitio ſua coniecerat. Nam ſi palàm ſe hæreticū profiteretur, metuebat Romanos, qui hæreticū ſedere in Petri Cathedra nunquā paſſuri videbantur: ſi è contrario Catholicū ſe profiteretur, metuebat Imperatricē hęreticā, cuius opera Pontificatū adeptus fuerat. Itaque rationē illā excogitavit, vt Romæ Catholicū ageret, & interim per litteras apud Imperatricē hęreticū ſimularet.

18 Contigit autem paulò poſt, vt Silverius moreretur, & Vigilius, qui eouſque in ſchiſmate ſederat, inciperet iam ſolus, & legitimus Pontifex eſſe, nimirū confirmāte, & accipiente eū Clero & populo Romano. Ab hoc verò tempore nullus invētus eſt in Vigilio, aut error, aut erroris ſimulatio, ſed ſumma conſtantia in fide vſque ad mortē: vt appareat, cum ipſo Pontificatu firmitatē fideī eum accepiſſe, & de levi palea in ſoliditſsimā petram commutatum fuiſse. Nam cùm Imperatrix Theodora heretica, freta occultis litteris, & promiſsione Vigilij, peteret ab eo, vt Anthemium Patriarcham prædictū, ſicut promiſſerat, reſtitueret; ille reſcripſit, ſe temerè promiſsiſſe, graviterque eā promiſsione peccaſſe; & ideo non poſſe, nec velle implere quæ promiſſerat, ne peccata peccatis adderet. Quocirca ab irata Imperatrice in exiliū miſſus fuit, & miſerè vexatus vſque ad mortē. Id quod non ſolùm ſcribitur in Pontificali, ſed etiā annotārunt Paulus Diaconus in vita Iuſtiniani, & Aimonius lib. 2. c. 32. de Geſtis Francorū, & ipſi etiā Magdeburgenſes Cent. 6. c. 10. in vita Vigilij, & idē etiā indicat breviſsimè Liberatus, in fine c. 22. vbi dicit, Vigilium ab illa ipſa hæreſi, quā initio occultē foverat, miſerè afflictum poſteà fuiſſe.

19 Denique Vigilium, poſt mortem Silverij, verum & S. Pontificem fuiſſe, teſtantur omnes illi, qui illo ipſo tempore viventes ſcripſerunt aliquid de Vigilio. Gregorius I. lib. 2. Epiſt. 36. ad Epiſcopos Hiberniæ, *Recordandæ*, inquit, *memoriæ Vigilius Papa in vrbe Regia conſtitutus, contra Theodoram tunc Auguſtā, vel acephalos, damnationis promulgavit ſententiam.* Caſsiod. lib. de divin. lection. c. 1. *Origenem*, inquit, *præſenti tempore à Vigilio Papa viro beatiſsimo conſtat eſſe damnatū.* Arator præfationem Actor. Apoſtol. quæ ipſe carmine ſcripſit, & Vigilio Papæ dedicavit, ſic incipit: *Domino ſancto beatiſsimo, Apoſtolico, & in toto orbe primo omniū Sacerdotū Papæ Vigilio.* Deniq; conſtat ex Evagrio lib. 4. c. 37. à Vigilio confirmatam fuiſſe V. Synodum Generalē; in qua damnata eſt hæreſis illa, quam Theodora fovebat, & de qua ipſe Vigilius ab Adverſarijs accuſatur.*

20 Hucuſque Bellarm. ſapienter & eruditè quidem. Addenda verò quædam ſunt. Imprimis Vigilius, vivente Silverio, dum ſcriberet Epiſt. illam impiam ad Theodoram ſimulans in ea hæreſim, non modò erat Antipapa, ſed excommunicatus à vero Pontifice Silverio, tanquam invaſor & emptor Sedis Apoſtolicæ. Quidni ſcripto traderet doctrinam impiam, dum non per oſtium, ſed aliunde, & tam malis artibus aſcenderat in ovile Chriſti, & cathedram S. Petri? Immo & miraculo adſcribendū, quòd tunc ex animi ſententia nō profiteretur hæreſim, ſed exteriùs tantùm. Quòd autem Silverio vitā functo ritè iam electus Pontifex ſe palam oſtenderet Catholicum, & impavido animo fidem tueretur, atque Anthemium, tot malorum cauſam, excommunica-

ca-

tarer, ipſamque Imperatricem Theodoram cũ alijs hæreticis (quippe ea omnia præſtitit), ſingulari Dei conſilio & providentiâ erga cathedrâ S. Petri factum eſt, ne quiſquam in ea ſederet, meritò ſuſpectus de fide. Sanè Nicephorus, qui libro 17. cap. 26. tanquam ſchiſmaticus indecenter loquutus fuerat de Vigilio iam Romano Pontifice, quòd Mennam Patriarcham Conſtantinop. anathemare, iuſſiſſet; poſtea cap. 29. cùm plures evulgaſſet laudes Iuſtiniani Imperatoris, fidemque ipſius in Deum, & eius cultum magnificè prędicaſſet, ſubiungit: *Tum verò is Imperator à recta planaque & regia via dilapſus, ATQVE INSVETVM DIVISQVE APOSTOLIS ET PATRIBVS INTACTVM ITER INGRESVS, in ſpinas & tribulos incidit. Et cùm Eccleſiam in ſententiam ſuam adducere vellet, conſilio opinioneque ſua falſus eſt: quòd rectam publicamque viam ſepto firmiſſimo Dominus ita communiſſet, vt non facilè quivis invadere eam & deſtruere poſſet. TVM AVTEM ET VIGILIVS MINIME PEDIBVS IN IVSTINIANI SENTENTIAM INGRESSVS, QVVM ITALIAM PETERET, IN ITINERE MORTVVS EST.* Hæc inibi: in quibus apertè reprehendit Iuſtinianum, veluti à recta Apoſtolorum & Eccleſiæ via recedentem: laudat verò Vigilium, quòd reſtiterit, nec paſſus fuerit ſe abduci, & in hoc iuſtitiæ ac veritatis optimo ſtatu in Italiam rediens vitam finierit. Itaque manifeſtum eſt, Vigilium dum verus Pontifex fuit, nunquam omninò, ne exteriùs quidem, tradidiſſe, aut feciſſe aliquid fidei contrarium. Nec denique impeti iure poteſt quaſi hæreſim aliquando tradens, quòd circa tria Capitula Concilij Chalcedonenſis variaverit, modò nolens ea damnare, modò damnans. Ea enim varietas iudiciorum non fuit quoad doctrinam, quam ſemper retinuit Catholicam, & eandem cum PP. Synodi Chalcedonenſis: ſed circa factum, ſive perſonas Theodoreti, & Theodori Mopſueſteni: circa quæ errare potuit ſine vlla labe in fide. De quo plura Baronius & alij. Vide D. Petrum Marca in Diſſertatione de Decreto eiuſdem Vigilij.

21. Sanè Iuſtinianus, qui initio plura præclarè geſſerat, ſeque acerrimum fidei defenſorem contra Eutychianos præſtiterat, & reountiatus Imperator cuncta bona ſua Eccleſijs donaverat: poſtea plurimùm obſcuravit nomen ſuum, præſertim agens contra Vigiliũ. Vt enim omittam perſecutionem diram in Silverium Papam, quæ communiter tribuitur Theodoræ Auguſtæ hæreticę, vxori eiuſdem Iuſtiniani; ipſe nimiùm ſe ingerens rebus Eccleſiaſticis, & ſcrutandis dogmatibus fidei, naufragium in ea fecit, & ſubinde toti Imperio ſuo innumera mala attulit. Deinde dirè agens cum Vigilio, iam multis annis legitimè ſedente in cathedra S. Petri, &. poſtea reſipiſcens, ex conſenſu illius convocavit V. Synodum Generalem: verùm ingenti præcipitatione egit adverſus Tria Capitula, & atrociſsimè perſecutus eſt eos, qui non reciperent illorum damnationem, atque in ijs Vigiium ipſum, quem & in exilium miſſit. Deinde temerè ſibi arrogans promotionẽ Romani Pontificis, iuſto Dei iudicio coactus eſt ſemel & iterum pendere tributum Hunnis & Sarracenis: vt qui cathedræ S. Petri auctoritatem ſupremam labefactabat, plures ſui Imperij oppreſſores experiretur. Inſuper poſt varios eventus, circa annum 563. lapſus fuit in hæreſim Aphthartodocitarum, ſive Incorruptibilium, eandemq; edicto firmans contradictores Catholicos perſecutus fuit, & in ijs Eutychium Patriarcham CP. quòd Imperatorẽ ipſum eam ob cauſam increpaſſet. Deniq; repentina morte ſublatus eſt, ſcripto decreto pro ea hęreſi ſtabilienda: vt teſtantur ſcriptores eius ſæculi, Victor Tunnenſis in Chronico, Evagrius lib. 4. Euſtathius in Vita S. Eutychij, & Corippus eius tẽporis Poeta in Carmine de Iuſtini Imperatoris laudibus; ac præterea qui poſtea floruerunt, Cedrenus, Zonaras, & Nicephorus.

22. Sed vt Principes ſe ingerentes rebus Eccleſiaſticis contra ius & fas, ac debitã obedientiam erga Romanum Pontificem detrectantes, metuant ſibi, & experimento Iuſtiniani Imperatoris ob oculos propoſito curent non incidere in manus Dei viventis; placet hoc loco exſcribere verba Henrici Spondani ex Baronio ad annũ Chriſti 563. n. 1. vbi de Iuſtiniano ipſo media nocte vivis erepto Idibus Novembris eiuſdem anni inquit: * Media nocte clamor factus eſt, cùm „ex improviſo, inſtar furis ianuam effringen„tis, mors eum rapuit, ipſi importuna, oppor„tuna verò Romano Imperio ſub Imperatore „hæretico titubanti. Vt enim Dei iudiciũ fie„ret manifeſtius, tunc ſubitanea eſt morte ſub„reptus, cùm iam indixiſſet exiliũ Anaſtaſio „Epiſcopo Antiocheno, atque cæteris illi in„hærentibus Eccleſiæ Sacerdotibus; vt tradit „idẽ Evagrius huius tẽporis Auctor, qui & ip„ſum ad inferos detruſũ affirmat. Sed qui diu „poſt Evagriũ vixit Nicephorus, quamvis & „ipſe æquè confirmet, Iuſtinianum cùm eorũ„dem Epiſcoporum exilij libellum dictaret,

„inviſibili ictum plagâ periiſſe; tamen addit, „eundẽ extremo illo ſpiritu facti pœnituiſſe, „iuſsiſſeque, Eutychium ab exilio revocari. „Quod ex eo (vt puto) argumento deduxit, „quia non ſicut aliorum hæreticorum eius „nomen abraſum fuit è ſacris tabulis; vel „quia Patres VI. Synodi, Romanique Ponti-„fices Gregorius, & Agatho, elogio Catholi-„co, & pietatis titulo, aliiſque poſtea publi-„cis honoribus reperiuntur eius memoriam „proſecuti. Verùm id accidit, quòd quam ip-„ſe coluiſſet hæreſim, ea nullis conſtaret edi-„ctorum publicis monumentis (nam etſi ſcrip-„ſit, non tamen, vt docet Evagrius, promul-„gavit illud de Incorruptibilium hæreſi edi-„ctum) cum è contrà eiuſdem fides Catholi-„ca pluribus promulgatis ſanctionibus pro-„baretur.

23 Quam autem mortuus ante hor-„rendum maieſtatis divinæ tribunal, cui nul-„la poteſt ſpecie ſubrepi, ſententiam acce-„perit, etſi non ſit hominis iudicare, opinari „tamen cuivis licet, facilius eſt invenire, qui „Evagrij de eius condemnatione velit ſequi „ſententiam, vtpote ſuorum temporum re-„rum geſtarum ſcriptoris inſignis, atque ex „Græcis primi eorum, qui leguntur Ortho-„doxi; quàm reliquorum hiſtoricorum, qui „longè poſt Iuſtiniani tempora res ab eo ge-„ſtas, nec ipſi ab hæreſi immunes, ſcripſere; „cùm præſertim in eandem procuidubio ſen-„tentiam Procopius eiuſdem temporis lucu-„lentiſsimus hiſtoricus abiiſſe viſus ſit, dum „quem antea ſæpè laudaret, ſcripto poſtea „volumine, magnoperè vituperavit, vt ex „Suida iam ſuperiùs dictum eſt. Certè enim „quòd attinet ad Eccleſias, aliaque pia ædifi-„cia, quæ ipſe vbique vel erexit, vel reſtituit, „aliena id pecunia feciſſe, Evagrius queritur. „Et quod item ſpectat ad leges ab eodem pro-„mulgatas, è quibus magnum apud omnes no-„men adeptus eſt; cùm idem tradat Auctor, „eum tanta arſiſſe avaritia, ac tam turpi re-„rum alienarum appetitione, vt omnia ſubie-„ctorum bona per ſe, aut per Magiſtratus ex-„pilaverit, divitibus falſa crimina compin-„gens, & cum ſordidis etiam perſonis calum-„nioſa lucra participans; eius ſententiâ, quot „à Iuſtiniano novæ ſancitæ ſunt leges, & ve-„teres reſtitutæ, tot cenſa dicentur ad extor-„quendam pecuniam retia. Cæterùm quem-„admodum quæ ab eo iuſtè ſancita reperiun-„tur (ſicut & aliorum Imperatorum Conſtitu-„tiones, & Reſponſa Prudentum) Chriſtiani-„tas non refugit: ita quæ præter ius faſque ob-„ſervanda præcepit, Catholica Eccleſia reſ-„puit: *VELVTI QVÆ SIBI SVPER „RES, PERSONASQVE ECCLE-„SIASTICAS ARROGARE PRÆ-„SVMPSERIT*, quæve de vſuris con-„ſtituit. Sed in his conſule Aleiatum, licet „ei in omnibus minimè aſſentiamur.*

24 Huc uſque Spondanus nobilis ac recens Galliarum Scriptor, & breviator Baronij, loquens de Iuſtiniano Auguſto: cuius præclara initia, & res geſtas, tum in obſequium fidei, tum in bonum Reipublicæ, obſcuraverit poſtea malus vitę progreſſus, & infelix exitus: tam ob defectum venerationis, ſeu potiùs exceſſum crudelitatis in Vigilium Papam, quàm ob vſurpationem iuris in res Eccleſiaſticas. Iam verò ſuprà Diſput. XI. non ſemel cum eodem Hiſtorico, poſt Genebrardum, & Thuanum, eiuſdem Nationis Scriptores celebres, obſervatum fuit, idipſum ferè contigiſſe Regibus aliis ſe ingerentibus in iura Eccleſiæ: vt propterea perniciem Regnis ſuis attulerint, & abſciſſa ſtirpe miſertimam mortem ſubierint.

SECTIO TERTIA.

Vindicatur S. Gregorius I. cognomento Magnus, à nota erroris in permittenda Presbyteris Sardiniæ adminiſtratione Sacramenti Confirmationis, abſente Epiſcopo.

25 QVALIS Et quantus fuerit S. Gregorius I. Papa, non ſatis declarat cognomentũ MAGNI, quo ipſum ſequentia ſæcula decorarunt. Nimirum Vir omnĩ humana laude maior fuit, & de quo S. Ildephonſus libro de Viris Illuſtribus non dubitavit dicere: *VICIT SANCTITATE ANTONIVM, SAPIENTIA AVGVSTINVM, ELOQVENTIA CYPRIANVM, &c.* Is ergo tantus Doctor, & adeò præclarus Pontifex, à quibuſdam Catholicis negantibus auctoritatem infallibilem Romani Pontificis notatur erroris, quòd in Epiſtola 26. libri 3. quæ eſt ad Ioannem Epiſcopum Calaritanum, permiſſerit Presbyteris adminiſtrationem Sacramenti Confirmationis, quod iure divino ſolis Epiſcopis convenit. Quare eius doctrinam erroneam cenſuit Durandus in 4. diſt. 7. q. 4. & longè poſtea Adrianus quæſt. de Confirmatione exinde collegit, Romanum Pontificem in definiendis fidei controverſiis errare poſſe.

26 Sed enim, vt ſcitè obſervat Bellarm. lib. 4. de Summo Pontif. potiùs errarunt Durandus & Adrianus. Imprimis, quoniam iuxta Concilium Florentinũ in Inſtructione Armenorum, & Tridentinum Seſs. 6. Canon. vlt. Epiſ-

Epiſcopus Sacramenti Confirmationis eſt ordinarius miniſter. Quo ipſo ſatis iudicatur, extraordinariè, ſeu ex delegatione Summi Pontificis, etiam Sacerdotem non Epiſcopum.eiuſdem Sacramenti miniſtrum eſſe poſſe. Deinde errant ij Auctores; quatenus cenſent aut dicunt, Gregorium aliquid ea in re definiſſe. Nullum enim decretum edidit, quo doceret id fieri poſſe; neque aliquid quaſi de iure tradidit: ſed ſolùm de facto indulſit aut permiſsit quibuſdam Preſbyteris, vt abſente Epiſcopo confirmarent. Quare dato quòd erraſſet in ea re S. Pontifex, non ideo definijſſet aliquid erroneum. Denique adhuc permiſſo quòd tradidiſſet decretum ea de re, non ideo ex cathedra definijſſet, ſive ex fine docendi totam Eccleſiam, ſive vt nunquam veritas fidei ab omnibus Chriſtianis haberetur: ſed loquutus fuiſſet ſolùm iuxta ſententiam ſuo tempore probabiliorem, ac receptam inter viros doctos eius temporis, quam plurimi poſtea etiam ſecuti ſunt. Vt omittam, Durandum ſibi ipſi contradicere, cùm alio loco auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definitionibus ſuis tueatur; & Adrianũ VI. cùm iam eſſet Pontifex, priorẽ illam opinionem, quam longè antea docuerat, videri retractaſſe in Bulla adverſus Lutherum editâ, quam exſcripſimus ſuprà Diſp. XVII. ſect. 2.

27 Dices: Hæc omnia pugnant cum doctrina Innocentij I. Papæ ſcribentis Decentio Eugenio Epiſcopo cap. 3. hiſce verbis: *De conſignandis verò infantibus, manifeſtum eſt, ab alio fieri, quàm ab Epiſcopo, non licere. Nam Præsbyteri, licèt ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi; vt vel conſignent, vel Paracletum Spiritum ſanctum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm etiam lectio Actorum Apoſtolorum; quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum.* Hęc Innocentius I. Similia habet S. Damaſus Papa in Epiſt. de Epiſcopis, & S. Leo Papa I. in Epiſt. ad vniverſos Germanię & Galliæ Epiſcopos, quæ eſt numero 66. Ergo Gregorius concedens facultatem confirmandi alijs, quàm Epiſcopis, erravit; nec ſolùm in facto, ſed etiam in mente, ſive iudicio, quo credidit, id validè & licitè fieri poſſe. Alioqui Gregorij Prędeceſſores Damaſus, Innocentius, & Leo oppoſitum aſſerentes, erraverint neceſſe eſt.

28 Reſp. Negando conſequentiam quoad omnes eius partes: nam ij SS. Pontifices Anteceſſores Gregorij, & quicumque alij docuerunt, non licere alijs Sacerdotibus, quàm Epiſcopis, conſignare parvulos, id eſt, confirmare; loquuntur attento iure ordinario ſolùm: neque ampliùs colligere potuerunt ex Actis Apoſtolorũ. Nemo autem illorũ dixit, Pontificem Romanũ nõ poſſe id concedere ſimplici Sacerdoti ex rationabili & iuſta cauſa: quia nec ex ſacris litteris, nec ex traditione Apoſtolorum habetur, quòd Epiſcopus ſit miniſter omnino neceſſarius ad confirmandũ; ſicuti habetur, Sacerdotẽ eſſe miniſtrum prorſus neceſſarium ad conſecrandum, & abſolvẽdum à peccatis. Vnde nec facto, nec iudicio erravit S. Gregorius Magnus, dum loco in obiectione citato, loquens de Sacerdotibus quibuſdam Sardiniæ dixit: *Vbi Epiſcopi deſunt, vt Præsbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.* Quæ ſentẽtia ferè communis iam inter Theologos, magnum auctoritatis pondus accepit ab incomparabili ſapientia & ſanctitate Gregorij, ac longè poſtea ex doctrina Conciliorum Florentini, ac Tridentini nuper indicata, vbi ſatis clarè indicatur, licèt expreſsè non definiatur. Non ergo ij Pontifices contradixerunt ſibi, aut errarunt; ſed quidam attento iure ordinario, quidam extraordinaria facultate attentâ; & omnes verè loquuti ſunt. Vide Bellarminum de Confirmatione cap. 12. Conink 3. part. quæſt. 72. articul. 11. (vbi ait certam eſſe hanc ſententiam) Cobarrubiam lib. 1. variarum cap. 10. Navarrum in Manuali cap. 23. num. 8. Balduinum Iunium ſuper opera controverſ. Bellarmin. part. 2. lib. 2. cap. 6. Valentiam tomo 4. diſput. 5. quæſt. 1. puncto 2. ac Petrum Sotum de Inſtitut. Sacerdotis titulo de Confirmat. in duplici lectione. Alia quęſtio eſt, an poſſit Sacerdos ſimplex ex delegatione Pontificis conſecrare chriſma. quæ etiam videri poteſt apud Auctores laudatos, & ad rem noſtram non attinet. Nec S. Gregorius id indulſit Sacerdotibus Sardiniæ; ſed ſolùm vt baptizatos tangerent chriſmate. nimirum, conſecrato legitimè. Denique, vt iam ſuprà monui, dato quòd S. Gregorius in eo erraſſet facto & iudicio ſuo, nõ tamen propterea illud definivit, aut pronuntiavit ex cathedra. quod nobis ſatis eſt.

29 Inſtabis. Si Sacerdos ſimplex poteſt adminiſtrare Confirmationem ex vi iuris divini, ſeu poteſtate Ordinis Sacerdotalis, & licitè ex facultate Romani Pontificis; poterit quoque validè ſine illa, quamvis non licitè: quemadmodũ Sacerdos excommunicatus conſecrat validè, quamvis non licitè, quia poteſtas conſecrandi ipſi competit iure divino ex vi Ordinis Sacerdotalis. Conſequens autem

falſum eſt. Quis enim dicat, Sacerdotem ſimplicem ſe ingerentem ad confirmandum, validè adminiſtrare Sacramentum Confirmationis? Non ergo vi iuris divini, ſeu ex poteſtate Ordinis Sacerdotalis valet adminiſtrare Confirmationem; ac proinde nec licitè poterit ex facultate delegata, vel diſpenſatione Pontificis.

30 Hoc ferè argumento alioſum vtitur Alphonſus de Caſtro lib. 6. adverſus hæreſes verbo Epiſcopus columna quarta. quo loco, & alijs multis eiuſdem Operis acriter tuetur, Confirmationem à ſolo Epiſcopo prorſus adminiſtrari poſſe, quidquid aliter docuerit S. Hieronymus in cap. 1. Epiſtolæ ad Titum. Idemque diceret, non obſtanti auctoritate, ſive facto S. Gregorij in oppoſitum: quoniam idem Auctor lib. 1. cap. 2 dixit, aliquos Pontifices in fide erraſſe, vt ſuprà vidimus Diſp. VII. num. 12.

31 Verùm negamus ex doctrina præiacta ſequi collationem validam Confirmationis in Sacerdote ſimplici ſine ſpeciali indulto aut diſpenſatione Pontificis. Neque obſtat quod ad illam conferendam ſit capax iure divino, & ex vi characteris Sacerdotalis: nam eiuſmodi poteſtatem ſolùm habet in actu primo, & ad exercendam illam validè eget conceſsione ſpeciali Sedis Apoſtolicæ: ſicuti licèt Sacerdos ex iure divino habeat poteſtatem ordinis ad abſolvendum à peccatis, eget ſimpliciter poteſtate iuriſdictionis ab Eccleſia ſuperaddita, vt illam validè exerceat. Diverſa autem ratio de eſt Sacerdote excommunicato conſecrante. Is enim ex primario munere characteris Sacerdotalis habet poteſtatem expeditam & in actu ſecundo ad conſecrandum validè: ideoque ſupervenienti qualibet excommunicatione, vel alio impedimento Eccleſiaſtico, validè conſecrat, quamvis illicitè. Sed de hoc latiùs fortaſſe alibi.

DISPVTATIO XXX.

AN ALIQVI EX PONTIFICIBVS SEPTImi, octavi, noni, & decimi Sæculi, inciderint in hæreſim, aut definierint aliquid fidei contrarium.

VBI DE AVCTORITATE EPISTOLARVM Decretalium.

QVAMVIS Diſputatio hæc plura complectatur, in quorum examine alij latiſsimè diſſeruerunt, nos breviter per ſingula excurremus; præſertim cùm hactenus plurimum immorati ſimus ſtabiliendæ auctoritati infallibili Romanorum Pontificum, & aſſerendo honori eorum, qui præceſſere Sæculum ſeptimum. Solùm itaque aliquanto latiùs diſſeremus de auctoritate Epiſtolarum Decretalium.

SECTIO PRIMA.

Pontifices Sæculi ſeptimi, Bonifacius V. Honorius I. & S. Martinus I. Papa ac Martyr, ab hæreſis nota, & erroris nævo liberi.

1 EX Pontificibus ſeptimi Sæculi incuſatur erroris primo loco Bonifacius V. electus anno Chriſti 617. quoniam in Epiſt. ad Edvvinum Regem Anglorum (quæ inter alias ipſius eſt numero ſecunda) relata à Venerabili Beda lib. 2. Hiſtor. Anglorum cap. 10. videtur dicere Chriſtum à ſolo peccato originali peccato nos redemiſſe. quod planè adverſatur fidei. Ita aſſerunt Magdeburgenſes Centuria ſeptima cap. 10.

2 Cæterum ijdem Sectarij, ſicuti alijs locis, ita & in hoc mentiuntur, addentes ex cerebro ſuo vocem illam *ſolo*. Verba enim Bonifacij hæc tantùm ſunt: *Accedite ergo ad agnitionem eius, qui vos creavit, qui in vobis vitæ inſufflavit ſpiritum, qui pro veſtra redemptione Filium ſuum miſsit: VT VOS A PECCATO ORIGINALI ERIPERET.* Nec opus fuit eo loci meminiſſe aliorum peccatorum: quoniam originale eſt propter quod delendum Chriſtus principaliter mortuus fuit. Vnde Ioannis 1. v. 29. legitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Vbi Græcè habetur: τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. id eſt, *peccatum illud mun-*

mundi: nimirum, originale, quod ſolùm eſt toti mundo commune: cùm plurimi homines illud tantùm habeant, vt infantes omnes nondum baptizati.

4 Longè difficilior eſt defenſio Honorij Papæ, eodem ſæculo electi Pontificis anno 626. de quo acerrimè diſputatur in vtramque partem, præſertim à fine ſęculi pręcedentis, vſque in diem hanc, an verè hęreticus fuerit: an etiam ipſam Monothelitarum hæreſim tradiderit in duabus Epiſtolis Ipſi adſcriptis ad Sergium eius erroris Antesignanum, quarum altera in Actione duodecima, altera in tertiadecima Sextæ Synodi Generalis habetur, nomine eiuſdem Honorij. Nobis non vacat eam controverſiam ex inſtituto tractare, pręſertim cùm apud Scriptores mox allegandos latiſsimè diſcuſſa inveniatur. Solùm itaque ſummatim & obiter illam præſtringemus.

5 Honorium verè fuiſſe hæreticum Monothelitam tradidit olim Nilus lib. de Primatu Romani Pontificis, Tharaſius Patriarcha C.P. in Epiſt. ad Patriarchas, Pſellus in Carmine de ſeptem Synodis: & ex Recentioribus Sectarijs, Magdeburgenſes Centur. 7. c. 10. ex Catholicis verò Melchior Canus lib. 6. de Locis Theol. cap. 8. propiùs ad finem, quàm ad medium, multis ſuadet, illum hæreticum fuiſſe. Quod ipſum arbitrantur Franciſcus Turrianus Opuſc. de Sexta Synodo, Hieronymus à Rua controv. 3. Schol. initio, & omnium vberrimè ac nuper Combefiſius edito volumine de Hæreſi Monothelitarum, ac Sextæ Synodi, eiuſque Actorum Vindicijs, vbi vt ſuum Canum per omnia ſequatur, ac defendat, latè contendit, falſationes Græcanicas Actorum eiuſdem Sextæ Synodi eſſe ſycophantias, & cavillos criminatorum, nec ambigi debere quin Honorius fuerit hæreticus, & vt talis damnatus. Nemo tamen horũ Catholicorum propterea ait, Honorium ex cathedra definijſſe hęreſim ipſam Monothelitarum, ſed ſolùm illam animo imbibiſſe, eamque probaſſe, veluti vnum è multis Scriptoribus errantibus.

6 Sed tamen è contrà Honorium immunem extitiſſe ab eo flagitio, atque impiè à Schiſmaticis denigratam fuiſſe eius memoriam, tradunt Ioannes Papa IV. apud Anaſtaſium initio Collectaneorum, S. Maximus in diſput. contra Pyrrhum, Cardinalis Baronius ad annum 633. & 681. vbi graviter Melchiorem Canum reprehendit, Bellarminus lib. 4. de Pontific cap. 11. Andræas Schottus ad Codicem 19. Bibliothecæ Photij à Davide Hœſchelio editæ, Iodocus Coccius tom. 1. lib. 7. art. 13. Duvallius tract. de Pontifice part. 2. q. 4. Gabalinus de iure Canon. lib. 5. cap. 3. Dionyſ. Petavius in Rationario Temporum ad annum 680. vbi agens de Synodo VI. Generali ſub. S. Agathone Papa, inquit: *In eo Concilio quinque probatis Oecumenicis Synodis, decretum eſt, duas eſſe in Chriſto voluntates, ac totidem actiones eſſe, quot in illo ſunt naturæ: & qui ſecus docuerant pro hæreticis damnati, Sergius, Pyrrhus, Cyrus, Paulus, alijque: quibus & Honorius in Actis adiungitur Romanus Pontifex, qui Heraclio imperante ſederat. Verùm hanc ab illo calumniam depellit Ioannes IV. qui tertius ab eodem Pontificatum tenuit. Vbi Honorium docet Sergio de vna in Chriſto voluntate ſubdolè interroganti, reſpondiſſe duas non fuiſſe repugnantes, & contrarias, cuiuſmodi in nobis experimur: Cæterum naturas in illo duas, & voluntates totidem ab eo cognitas fuiſſe.* Hactenùs ille. Credendum autem potiùs eſt Ioanni IV. Papæ, qui tempore Honorij vivebat, & exactè inquirere, ac ſcire rem potuit, quàm nuperis ſcriptoribus, quamlibet eruditis. Plurima alia circa Honorium ipſum in hac parte vide apud Bellarminum paulò antè laudatum, & Hoſium lib. 2. contra Brentium, ac Chriſtianum Lupum in Notis ad VI. Synodum, vbi pagina 837. oſtendit, Honorium malè incuſari veluti ſectatorem Sergij Monothelitæ: deinde pag. 790, 792. & 815. demonſtrat, eundem nec hæreticum Monothelitam fuiſſe, nec cum ijs colluſiſſe, quamvis negligentiæ inſimuletur in extirpanda ea hæreſi.

7 Denique S. Agatho Papa in Epiſtola ſuprà num. 3. allegata, lecta in VI. Synodo Generali Act. 4. & approbata ab ipſo Cõcilio Act. 8. & 18. *veluti à S. Petro ſcripta*, omnes Prædeceſſores ſuos immunes fuiſſe teſtatur ab hæreſis labe, ac proinde Honorium, qui obierat anteà, id eſt, quadraginta duobus annis, & reliquos hactenus memoratos, qui longè anteà deceſſerant. Sed & Nicolaus Papa I. cognomento Magnus, qui longè poſteà rexit Eccleſiam ab anno 858. in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem inquit de Romanis Pontif. *Hos nec tenuis ſaltem rumor aſperſit aliquando cum prava ſapientibus ſapere.* Quod ipſum poſtea plures Pontifices generatim teſtati ſunt. Præſertim verò non eſt credibile, S. Agathonem ita confidenter locutum fore de Prędeceſſoribus ſuis, ſi Honorius quadraginta duobus retro annis mortuus, quem plurimi tunc viventes de facie & colloquio noſcere potuerant, aut hęreticus fuiſſet, aut pro hæreſi Monothelitarum aliquid ſcripſiſſet. Cætera relinquo apud citatos Auctores legenda, præſertim Bellarminũ,

Baro-

Baronium, Lupum, & Gibalſinum, qui eruditiùs & pleniùs alijs cauſę Honorij patrocinium tulerunt.

8 S. Martinus I. Papa & Martyr, qui ab anno Chriſti 649. rexit Eccleſiam vſque ad 655. in quo ob defenſionem iuſtitiæ exul apud Cherſonem ſpiritumDeo reddidit, accuſatur à Magdeburgenſibus Centur. 7. cap. 20. quoniam in Epiſtola ad Amandum docet, non eſſe dandam veniam Presbyteris, vel Diaconis poſt ordinationem ſuam peccantibus. quæ videtur eſſe ſpecies quædam hæreſeos Novatianorum.

9 Cęterum etiam in hoc peccantMagdeburgenſes: quoniam Martinus ibidem non negat veniam peccatorum Presbyteris aut Diaconis verè pœnitentibus (quod ſolum ſpectare poſſet ad Novatianiſmum) ſed tantùm iubet eos deponi à gradu ſuo, vbi deliquerint graviter: ſi autem pœnituerint, iubet vt à peccatis quidem abſolvantur, ſed tamen nunquam ad honorem, vel exercitium ſui Ordinis redeant. Quod eo ſeculo & præcedentibus in varijs Concilijs ſtatutum, & paſsim à Patribus traditum fuit: vt in Canonibus Pœnitentialibus legere eſt, præſertim adiunctis Commentarijs Illuſtriſsimi & ad miraculum eruditi Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis.

SETCIO SECVNDA.

Obiectio difficilis ex Reſcripto quodam Gregorij III. Sæculo octavo Eccleſiam regentis, in quo videtur contineri error circa ſolutionem matrimonij. Solvitur difficultas, & explanatis varijs Decretis Pontificum, diſcernitur, quando nam in ijs ſit locus errori, necne.

10 EX Pontificibus Romanis ſæculi octavi arguitur erroris in ſuis decretis Gregorius III. anno 731. electus: quem accuſant Magdeburgenſes Centuria 8. cap. 10. ex duplici capite. Primò, quoniam in Epiſtola ad Bonifacium Archiepiſcopum (aiunt ipſi) iuſsit iterum conſecrari ordinatos ab alijs, quàm ab ijs, quos Romanus Pontifex miſerat. Secundò, quia in alia Epiſtola ad eundem Bonifacium (nimirum, ſeprima eiuſdem Pontificis iuxta frequentes Cōciliorum editiones) permittit viro ducere aliam vxorem, ſi propter aliquem morbum vxor propria non valet ei reddere debitum. Quod etiam annotavit Gratianus 32. q. 7. Canone, *Quod propoſuiſti.* Quin & eiuſdem erroris à quibuſdam arguitur S. Gregorius I. Papa, quoniam in Epiſtola eius ad Auguſtinū Anglorum Epiſcopum eadem aut ſimilia verba leguntur.

11 Hæc tamen non vrgent. Ad primum enim dicimus, eam eſſe impoſturam Centuriatorum: quoniam ibidem Gregorius III. ſolùm præcipit vt iterum conſecrentur, qui ordinati non fuerant à veris Epiſcopis, in quo nec vmbra erroris apparet. Ad ſecundū, ſi error in eo eſt, quomodo ipſi Lutherani arguentes id tradunt cum anteambulone ſuo, teſte Ioanne Cochlæo in Septiceipite, cap. de Matrimonio? Deinde, præter plura alia, quibus eidem argumento occurrit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 12. dicendū eſt, iuxta ea quæ præmiſsimus Diſp. XXV. ſect. 1. num. 8. & ſeqq. nonnunquam Pontifices Romanos in Epiſtolis, ſeu Reſcriptis ſuis, reſpondere ſolitos, non tanquam pronuntiantes ex cathedra, ſive ex fine tradendi doctrinam ab omnibus Chriſtianis recipiendam circa controverſias difficiles fidei aut morum; ſed tanquam Doctores ſingulares, iuxta opinionem ſuo ipſorum tempore receptam. Cùm enim diſtineantur graviſsimis curis, & negotijs totius Eccleſiæ; ſępe nequeunt adhibere ſummam illam curam, & maturum examen, ac ſeriam invocationem Spiritus ſancti, quibus opus eſt ad pronuntiandum ex cathedra, & docendum totum orbem Chriſtianum. Quare, ſicuti in factis ſuis, ita & in Reſcriptis, nonnunquam ſe accommodant opinioni receptæ tempore ipſorum inter viros doctos & pios: qualem fuiſſe eo ſæculo opinionē illam, ideoque traditam anno 752. in Concilio Compendienſi (Provinciali) & in praxi conſultam à Stephano II. Papa ſub idem tempus, ex alijs monuimus loco allegato. Et hęc quidem dicta ſint, ſi locus ille Gregorij III. accipiendus ſit de ſolutione quoad vinculum, prout frequenter accipitur ab Interpretibus. Quare quod opinio illa poſtea deprehenſa fuerit erronea (qualis verè eſt, intellecta ſenſu prædicto) nihil efficit, vt proinde Romanus Pontifex ex cathedra definiens convincatur erraſſe.

12 Quod autem ſubditur de S. Gregorio I Papa, quaſi idipſum tradiderit in Epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, procul à veritate eſt. nam Epiſtola illa vna omnino & eadem eſt cum iſta ad Bonifacium ſcripta, quę certè eſt ſolius Gregorij III. Hic enim ſolus vixit tempore Bonifacij. Quare non invenitur inter Opera S. Gregorij I. ſed tantùm in Tomis Conciliorum: vbi etiam habetur Concilium Romanum de gradibus prohibitis ad Matrimonium, quod pariter tribuitur Gregorio I. cùm tamen exploratum ſit

ſit non fuiſſe coactum, niſi ſub Gregorio III. vt patet ex Imperatoribus qui initio & fine eiuſdem Synodi nominantur. Cùm verò id ſapiẽter obſervaſſet Bellarminus, neſcio quomodo idẽ Concilium in editione Labbeana, alioqui vberrima, non apparet, nec inter Romana Concilia Gregorij I. nec III.

13 Dices: ſi in Epiſtolis decretalibus, ſeu Reſcriptis Summorum Pontificum locus eſt diſtinctioni, vt quandoque ex cathedra pronuntient de fide & moribus, quandoque verò non ex cathedra, ſed iuxta ſententiam ſuo tempore receptam; ac proinde interdum errare poſsint, interdum non poſsint; nihil firmum habebimus in toto iure Canonico, nec in Decretis quibuslibet, aut Reſcriptis Romanorum Pontificum. Dubitari enim meritò poterit de quolibet eorum, an in eo edendo loquuti fuerint ex cathedra, ſive animo inſtruendi totam Eccleſiam, aut tradendi doctrinam aliquam veluti certam & Catholicam: an potiùs ſolùm vt ſingulares Doctores ſe geſſerint, reſpondentes aut decernentes iuxta ſententiam ſuo ipſorum tempore receptam, quæ in re falſa aut erronea eſſe poſsit.

14 Reſpondeo negando ſequelam. Imprimis enim quoties Romani Pontifices in ſuis Epiſtolis decretalibus, aut Reſcriptis, aut Definitionibus, ita loquuntur circa quæſtiones, ſive difficultates ſpectantes ad fidem aut mores, tanquam per ſe bonos aut malos, vt palam teſtentur ſe loqui ex cathedra Sedis Apoſtolicæ, ſive animo docendi omnes fideles, aut definiendi vel tradendi doctrinam aliquam, veluti certam & ab omnibus Chriſtianis credendam; aut è contrà damnandi aliquam, veluti fidei aut honeſtati morum contrariam (quod certè à principio Eccleſiæ vſque modò continua ſucceſsione temporum factitarunt, extra omnem Synodum Oecumenicam, vt vidimus paſsim Tractatu I.) tunc omnino adhærendum eſt ipſorum definitionibus, Epiſtolis & Reſcriptis, tanquam fide divina certis. Idem dicendum quoties licèt Pontifices id palam non teſtentur; tamen ex ſtylo, & modo, atque alijs circunſtantijs Epiſtolarum, Decretorum, aut Reſcriptorum, conſtat ſatis, ijs in animo fuiſſe pronuntiare ex cathedra Sedis Apoſtolicæ, ſive docere totam Eccleſiam. Quod ſatis apparet ex contextu eorundem Decretorum.

15 Nihil contrarium ijs apparet in ea Reſcripto illo Gregorij III. cùm nec palam profiteatur; nec ex circunſtantijs indicet ſe velle definire generatim aliquid circa ſolutionem matrimonij, quando mulier infirmitate correpta, nequit debitum viro reddere. Nimirùm hęc ſunt verba reſcripti illius, prout referuntur à Gratiano Cauſâ 32. quæſt. 7. cap. 18. *Quod propoſuiſti, ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid eius valeat iugalis: bonum eſſet ſi ſic permaneret, vt abſtinentiæ vacaret: ſed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis: non tamen ſubſidij opem ſubtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non deteſtabilis culpa excludit.* Hiſce verbis Pontifex imprimis intelligi poteſt locutus de impotentia perpetua & naturali reddendi debitum, per quam inepta eſt ad coniugium mulier, quæ tamen per errorem indicata fuit à principio apta. Talia enim coniugia, cenſentur nulla, & iudicio Eccleſiæ ſolvuntur: vt conſtat ex Decretalibus titulo de Frigidis, cap. *Ex litteris.* Nec Pontifex ijs verbis ſupponit, fuiſſe verum illud prius coniugium in re, dum conſulit ſecundum; ſed ſolùm in exiſtimatione contrahentium: quos proinde vellet vt fratres permanere; abſolutè autem liberos eſſe declarat ab illo exiſtimato coniugio. Ità ferè reſpondet Gloſſa in 20. diſt. cap. diſt. can. *De libellis.* Hanc interpretationem veram cenſeo. Iuxta opinionem verò aliorum ea verba accipientium de veris coniugibus, ibi nihil habetur, quod præſeferat vllo modo definitionem doctrinæ generalis ex cathedra: immò non docet Pontifex licere viro aliud coniugium vivente priore vxore infirma: ſed ſolùm conſulit de facto iuxta opinionem illo ſæculo receptam, quæ poſtea deprehenſa fuit planè erronea. Ideoque non ait Gregorius, *Poterit nubere*; quod videretur ſpectare ad errorem in iure: ſed ſolùm, *Nubat magis*, quod ſpectat ad factum. Priori tamen interpretationi ſtandum eſt.

16 Simile eſt Reſcriptum aliud Stephani II. Papæ ſuprà num. 11. indicatum, & paucis pòſt annis, nimirum Chriſti 752. expeditum in Reſponſionibus cap. 2. dum ait: *Siquis ſe in coniugio copulaverit, & vni eorum contigerit, vt debitum reddere non poſsit, non liceat eos ſeparare, nec pro alia infirmitate, excepto ſi dæmonij infirmitas, aut lepræ macula ſupervenerit: cæterùm ſi ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint, invicem coniuncti, vnus alteri ſervitium exibeat.* Poſſunt enim imprimis ea verba explicari de coniugio reipſa nullo ob impotentiam naturalem alterius coniugum, quámquam à principio bona fide exiſtimatum fuerit validum. Tunc enim poſſunt cohabitare vt fratres ſine copula vlla, nec debent inviti ſeparari: niſi fortè dæmonij infirmitas, vel lepræ macula ſupervenerit, vt proinde timea-

tur

tur aliquod grave damnum coniugis alterius bene valentis. In eo Reſcripto ſic intellecto nullus error apparet. Et confirmatur hæc interpretatio: quoniam ſi ibidem eſſet ſermo de vero coniugio; ne ob lepram quidem ſeparari poſſent coniuges, contra quàm ibidem decernitur. Etenim titulo 8. de coniugio leproſorum, lib. 4. Decretalium cap. 1. declaratur, lepram ſupervenientem coniugio non diſſolvere matrimonium, nec eius effectum: & cap. 2. additur, coniuges propter lepram ſeparandos non eſſe à coniugio, & leproſos matrimonium contrahere poſſe, ac teneri ſibi invicem debitum ſolvere.

17 Alij autem intelligentes ea verba de vero coniugio, aiunt, Stephanum II. ibidem non fuiſſe ex cathedra loquutum, ſed vt Doctorem privatum, ſive iuxta ſententiam eo tempore receptam: ideoque errare potuiſſe, & corrigi à Pontificibus ſequentibus ex cathedra definientibus oppoſitum. Exemplo ſit quod habetur cap. 3. de ſponſa duorum ijs verbis: *Conſultationi tuæ aliter reſpondemus, quod ſi inter virum, & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti, ita quidem quod vnus alterum in ſuũ mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſſè recipiat, vtroque dicente; Ego te accipio in meam; & Ego accipio te in meum, ſive ſit iuramentum interpoſitum, ſive non, non liceat mulieri alij nubere; & ſi nupſerit, etiamſi carnalis copula ſit ſecuta, ab eo ſeparari debet, vt ad primum redeat Eccleſiaſtica diſtrictione compelli: QVAMVIS ALITER A QVIBVSDAM PRÆDECESSORIBVS NOSTRIS SIT ALIQVANDO IVDICATVM.* Quibus verbis certè Alexander Papa III. ita reſpondet Salernitano Archiepiſcopo, vt palàm oſtendat, quempiam Pontificum præcedentium aliter iudicaſſe, nimirum iuxta opinionem eo tempore prævalentem, nec ſatis examinatam ad proferendam definitionem circa illam. Quod non ſemper fieri poſſe à Romano Pontifice ob multitudinem & gravitatem negotiorum, quibus plerumque diſtinetur, ipſe Alexander eodem loco indicat, dicens: *Licèt præter ſolitum, & ampliùs ſolito, multis ſimus, & magnis negotijs præpediti, & ita quod non ſit nobis facile aliquorum conſultationibus reſpondere; illa tamen ſpeciali gratia, quam ad perſonam tuam habemus, & fraterna charitate, QVID SENTIAMVS de ijs, ſuper quibus nos conſulit dilectio tua, præſentibus volumus litteris aperire.* Quibus verbis nec ipſe Alexander è cathedra pronuntiare videtur, ſed loqui vt ſingularis Doctor. Id enim denotant verba illa, *quid ſentiamus:* in quibus ſententiam ſuam profert contrariam opinioni alicuius ex Prædeceſſoribus ipſius ac planè certam.

18 Hinc facilè intelligetur Reſcriptum Innocentij III. in 4. Decretal. tit. 19. de Divortijs cap. 7. *Sanè tua fraternitas intimavit quod altero coniugum ad hæreſim tranſeunte, qui relinquitur ad ſecunda vota deſiderat convolare; quod vtrum poſſit fieri, per tuas nos dixiſtis litteras conſulendos. Nos igitur conſultationi tuæ reſpondentes, diſtinguimus, LICET QVIDAM PRÆDECESSOR NOSTER SENSISSE ALITER VIDEATVR, &c.* Vbi contra opinionem alicuius è Prædeceſſoribus ſuis, non quidem ex cathedra prolatam, ſed veluti à ſingulari Doctore traditam aut conſultam, & quam olim Ferrarienſis Epiſcopus docuerat, reſpondet ipſi Innocentius, non tam vt ſingularis Doctor, quàm nomine Sedis Apoſtolicæ. Id enim denotat initio Reſcripti dum ait: *Quanto te novimus in iure Canonico peritum, tanto fraternitatem tuam ampliùs in Domino commendamus, quòd in dubijs quæſtionum articulis AD SEDEM APOSTOLICAM RECVRRIS, QVÆ, DISPONENTE DOMINO, CVNCTORVM FIDELIVM MATER EST, ET MAGISTRA: vt opinio, quam in eis quondam habueras, dum alios Canonici iuris peritiam edoceres, VEL CORRIGATVR PER SEDEM APOSTOLICAM, VEL PROBETVR, &c.* Itaque Innocentius III. iam ex cathedra loquens, iudicio firmo & irreformabili pronuntiat, vinculum coniugale non diſſolvi, altero coniugum fidelium in hæreſim lapſo, &c. quidquid aliquis Pontificum præcedentium, & ipſe Ferrarienſis Epiſcopus conſulens, aliter quandoque ſenſerit, veluti ſingulares Doctores.

19 Porrò inter notas doctrinæ non traditæ à Pontificibus ex cathedra, ſed vt privatis Doctoribus, illa præſertim certa habetur, quòd in Reſcriptis ipſorum aliquid obiter tradant, de quo conſulti non fuerant, vt videbimus infra ſect. 4. Id etiam indicio eſſe poteſt, quòd ex circumſtantijs, vel modo loquendi, ſignificetur, illos nolle tradere aliquid, veluti à tota Eccleſia credendum, aut accipiendum. Tunc enim non cenſentur loqui ex cathedra, nec ex auctoritate divina, & infallibili; ſed humana, & errori obnoxia.

20 Ceterum quòd aliquis error eiuſmodi, traditus à Pontifice Romano, vt Doctore ſingulari, vel ſequente opinionem receptam ſuo tempore, contineatur palam

in

in Epiſtolis Decretalibus, aut decretis, vel Reſcriptis, ſi fortè aliquando contigit, certè non niſi rariſsimè; idque ab alijs Succeſſoribus illius invenietur palam correctum, aut bono ſenſu explanatum ex cathedra Sedis Apoſtolicæ, vt nuper vidimus. Quare excepto vno aut alio textu eiuſmodi difficili, & ſatis noto, reliqua omnia, quæ circa fidem aut mores, tanquam per ſe, ſive divino iure præceptos aut prohibitos, continentur in Decretis Pontificum, certa omnino, & nulli errori obnoxia habenda ſunt. Ideo in iure Canonico ſtabilitum generatim eſt 25. quæſt. 1. Can. 4. & 7. vt Decreta Apoſtolica nulla præſumptione violentur. Et diſt. 20. Can. 1. declaratur, Decretis Pontificum non eſſe præponendas aliorum ſcripturas: ſimiliterque diſt. 19. Can. 1. præmiſſum fuerat, Decretales Epiſtolas Pontificum vim auctoritatis habere, etiamſi Codici Canonum inſertę non ſint. Additur Canone 6. illas computari debere inter Canonicas ſcripturas. Et præterea diſt. 20. nuper citata Canonibus Conciliorum pari iure exequantur. Hæc dixerim ex noſtra qualicumque obſervatione, prætermiſſis pluribus alijs, quæ circa Epiſtolarum Decretalium auctoritatem iam antè alij obſervarunt, & fuſo calamo Cardinalis Turrecremata: cuius verba, quia non omnibus ſunt præ manibus, placuit exſcribere ſectione ſequenti.

SECTIO TERTIA.

Auctoritas Epiſtolarum Decretalium, ſeu Decretorum Romani Pontificis, etiamſi forte in corpore Iuris Canonici non haberentur, quanta & quàm firma ſit. Exſcribitur ad longum doctrina Cardinalis Turrecrematæ in hac parte, deſumpta potiſsimùm ex Hincmaro Remenſi.

21 QVAMVIS Cardinalis Turrecremata ſit vnus ex præcipuis Auctoribus, qui à tempore Concilij Conſtantienſis & Baſileenſis illuſtrarunt doctrinam hactenus ſtabilitam de auctoritate infallibili Romani Pontificis ex cathedra loquentis, ſeu pronuntiantis de fide & moribus; parum aut nihil eius auctoritate, aut obſervationibus, doctiſsimis licèt, vſi fuimus: vt patebit conferenti ſcripta vtriuſque. Nunc autem quoniam ſermo incidit circa Epiſtolas illas Decretales, ſeu Reſcripta difficilia quorundam Pontificum, ſectione præcedenti memorata; viſum fuit ad longum exſcribere caput centeſsimum octavum lib. 2. Summæ de Eccleſia eiuſdem Cardinalis: in quo ex profeſſo tradit, & multipliciter confirmat, Decreta, ſive Decretales Epiſtolas Romanorum Pontificum, debere recipi à cunctis fidelibus cum omni veneratione, veluti certam omnino doctrinam continentes, idque quamvis in corpore iuris Canonici, ſive inter Canones non inveniantur. Verba eius ſubiungo.

, 22 Ex ijs, quæ de Apoſtolicæ Se-
, dis iudicio, & magiſterio, multis SS. Patrum
, teſtimonijs firmavimus, apertiſsimè confu-
, tatur error Adverſariorum, qui Apoſtolicæ
, Sedis decretales, ſive decreta contemnunt,
, quæ in canonibus Conciliorum non inclu-
, duntur. Contra hunc errorem, cùm ſit per-
, niciosiſsimus, & ad infinita ſchiſmata ianua,
, ſunt multorum SS. Patrum argumenta, præ-
, ter ea quæ in ſuperioribus diximus in hoc
, ſecundo libro circa caput 48. & 50.

, 23 Imprimis eſt argumentum, quod
, clariſsimæ memoriæ Papa Nicolaus omni-
, bus Archiepiſcopis per Galliam inſtitutis
, ſcribens facit: vt in cap. *Si Romanorum*
, diſt. 19. ita dicens: * *Si Romanorum Pon-*
, *tificum decreto cæterorum opuſcula tra-*
, *ctatorum approbantur, vel reprobantur,*
, *ita vt quod verè Sedes Apoſtolica appro-*
, *bavit, hodie teneatur acceptum; & quod*
, *illa repulit, hactenus inefficax habeatur:*
, *quanto ergo potiùs quæ Papa pro Catho-*
, *lica fide, pro ſanis dogmatibus, pro varijs,*
, *& multifarijs Eccleſiæ neceſsitatibus,*
, *& fideliũ moribus diuerſo tempore ſcri-*
, *bit, omni honore debent præferri, & ab*
, *omnibus prorſus in quibuſlibet opportu-*
, *nitatibus diſcretione, vel diſpenſatione*
, *magiſtra reverenter aſſumi? Quanquam*
, *quidam noſtrùm ſcripſerint, non eſſe de-*
, *cretalia priſcorum Pontificum in toto*
, *Canonum codicis corpore deſcripta, &*
, *ideo inter Canones non aſſumenda: cùm*
, *ipſi vbi ſuæ intẽtioni hæc ſuffragari conſ-*
, *piciunt, omnibus illis indifferenter vtan-*
, *tur, & ſolùm nunc ad diminutionem Se-*
, *dis Apoſtolicæ poteſtatis, & ad ſuorum*
, *argumentum priuilegiorum minùs accep-*
, *ta eſſe perhibeant.* *

, 24 Item, ſi ideò non decretales
, Epiſtolas priſcorum Pontificum Romano-
, rum admittendas eſſe dicant, quia in codice
, Canonum non habentur adſcriptæ: ergo nec
, S. Gregorij, nec vllius alterius, qui ante ip-
, ſum fuit, vel poſt ipſum, aliquod inſtitutũ,
, vel ſcriptum recipiendum eſt, eò quòd in
, codice Canonum non habeatur adſcriptum:
, ergo doctrinam eorum, & ſanctiones, quæ
, ab omni lingua venerantur, quia in codice
, Canonum non habentur adſcriptæ, de codi-
cibus

cibus eradant ſuis. Vt quid membranas occupant poſtquam non habentur receptæ?

25 Sed quare multùm immoremur, cùm nec ipſas Scripturas divinas Veteris & Novi Teſtamenti iàm recipiemus, ſi iſtos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice Canonum Eccleſiaſticorum habetur inſertum. Sed reſponſuri ſunt iſti, qui ad reſiſtendum priùs, quam ab obediendum parati ſunt, aſſerentes quòd inter Canones inveniatur Capitulum Papę Innocentij, cuius auctoritate doceat à nobis vtrumque Teſtamentum eſſe recipiendum, quamquam in ipſis priùs Canonibus nullum eorum ex toto contineatur inſertum. Quibus ad hoc aſſerendum eſt: quoniam ſi Vetus, Novumque Teſtamentũ ſunt recipienda, nõ quòd codici Canonũ ex toto habeãtur annexa, ſed quòd de his recipiendis ſancti Innocentij Papæ prolata videtur eſſe ſententia: reſtat nimirùm quod decretales Epiſtolæ Romanorum Pontificum ſint recipiendæ, etſi non ſint Canonum codici compaginatę, quoniam inter Canones ipſos vnum B. Leonis capitulum conſtat permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta Sedis Apoſtolicæ cuſtoditi mandantur, vt ſiquis in illa cõmiſſerit, noverit, veniam ſibi denegari: ait enim capitulo 5. ſuorum decretalium: * *Ne quid verò ſit, quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decreta conſtituta tam beatæ recordationis Innocentij, quam omnium Prædeceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis: ita à veſtra dilectione cuſtodire mandamus, vt ſiquis in illa commiſſerit, veniam ſibi noverit denegari deinceps,* * Dicendo verò, *omnia decretalia conſtituta*, nullum de Decretalibus conſtitutis prætermiſſit, quod non mandaverit eſſe cuſtodiendum. Et rurſus aſſerendo, *omnium Prædeceſſorum noſtrorum*, nullum Pontificum Romanorum, qui anteà iam fuerunt, excepit, cujus ille non præceperit decretalia conſtituta ab omnibus cuſtodiri, vt ſiquis in illa commiſſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil intereſt, vtrum ſint omnia decretalia Sedis Apoſtolicæ conſtituta, necne, inter Canones Conciliorum immixta: cùm omnia in vno corpore compaginari non poſſint: & illa eis interſint, quæ firmitatem his quæ deſunt, & vigorem ſuum aſſignant, præſertim cùm Synodalia geſta, inter quæ ipſi Canones ſtatuti ſunt, in codice Canonum non habeãtur, ſed à nobis omni cultu debito venerantur.

26 Conionat autem huic beatiſſimo Leoni Papæ & facundiſſimus, & ſanctus in decretis ſuis Gelaſius Papa, ita inquiens: *Decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab vrbe Roma pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendas decrevimus.* In quo notandum, quòd non decretales dixit Epiſtolas, quæ inter Canones habentur, vel quas moderni Pontifices ediderunt; ſed quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab vrbe Roma dederunt. Dicens autem, *diverſis temporibus*, & illa tẽpora vir ſanctus comprehendit, quę crebreſcentibus paganorum perſecutionibus, ad ſedem Apoſtolicam deferri cauſas Epiſcoporum difficillimè permittebant. His itaque, divina favente gratia prælibatis, oſtendimus nullam eſſe differentiam inter illa decreta, quæ in corpore Canonum habentur Sedis Apoſtolicæ Pręſulum, & ea quæ præ multitudine vix per ſingula voluminum corpora reperiuntur: cùm omnia & omnium Prædeceſſorum ſuorum decretalia conſtituta, & decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab vrbe Roma dederunt, fore venerabiliter venerandas, ſuſcipiendas, & cuſtodiendas, eximios Præſules, Leonem ſcilicèt & Gelaſium mandaſſe probavimus.

27 Secundò contra prefatum errorem Adverſariorum eſt Dominus Aymarus Archiepiſcopus Remenſis in lib. ſuo de Synodis cap. 3. vbi pro auctoritate decretaliũ Summorum Pontificum multa SS. Patrum teſtimonia inducens, ait: *De auctoritate autem ipſorum Põtificalium decretorum, nulla nobis dubitatio relinquitur, cùm & ipſa Vniverſalia Concilia auctoritatem exinde perceperint, nec aliunde Synodicam firmitatem obtinere potuerint. Hoc ergo & nos irretractabiliter obſervare debemus, vt Apoſtolici Patres nobis ex Apoſtolica auctoritate præceperunt, per quam & aliorum ſtatuta nobis ad ſervandum canonizaſſe leguntur. Nempe Beatiſſimi Patres noſtri Damaſus, & Leo Papa Magnus, quorum alter ſecundum Vniverſale Concilium, aliter quartum, id eſt Chalcedonenſe, Apoſtolica auctoritate firmaverunt: ipſi, inquam, eadem auctoritate, & voce ita generaliter decreverunt. Omnia, inquiunt, decretalia Prædeceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita ab omnibus Epiſcopis, & generaliter à cunctis Sacerdotibus cuſtodiri debere mandamus: vt ſiquis in illa commiſſerit, veniam ſibi*

dein-

deinceps noverit denegari. Item Damaſus alibi omnibus Epiſcopis ſcribens: Obſervetur, inquit, ab omnibus vt illa ſemper quæ Apoſtolica inſtitutione, & Patrum traditione ſunt conſtituta, ſub metu irrefragabili auctoritate teneantur. Item Papa Gelaſius ſcribens vniverſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis, ait: Cùm decreta venerabilium ſanctionum nos quoque magnoperè cuſtodire nitamur, atque ſine eorum diſpendio etiam illa, quæ pro alicuius vtilitatis fortaſsè compendio videantur, laxanda credamus: cumque nobis contra ſalutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nihil licere: & cùm Sedes Apoſtolica ſuperior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus præfixa pio devotoque ſtudeat tenere propoſito: ſatis indignum eſt, quemquam, vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſervantiam refutare, quam B. Petri Sedem & ſequi videat, & docere, ſatiſque conveniens ſit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibi obſervatione concordet, quam ille vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum, dicente Scriptura: Ordinavit in me charitatem. Item: Omnia cum ordine fiant. Hæc ibi. Item Agatho, qui VI. Synodum Vniverſalem per Legatos ſuos inſtituit, & inſtitutam Apoſtolica auctoritate firmavit, omnibus Epiſcopis eadem auctoritate nuntiavit, ſic inquiens: Omnes Apoſtolicæ Sedis ſanctiones accipiendæ ſunt tanquam ipſius Petri, diuina voce firmatæ. Item ſucceſſor eius Beatus Nicolaus Papa I. Synodo Vniverſali præſidens, generali eiuſdem Synodi iudicio decrevit, vt etiam anathema eſſet, quicumque decreta a Romano Pontifice contempſiſſet. Sanctus quoque Adrianus Papa etiã Reges anathematizavit quicũque Sedis Apoſtolicæ decreta violare non formidant. His ergo teſtimonijs ſatis edocemur quàm indubitanter Apoſtolicis inſtitutis obedire debemus. Hæc omnia præfatus Dominus Aymarus.

28 Tertiò contra præfatum errorem Adverſariorum arguit Papa Nicolaus ſcribens ad Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum, cuius Epiſtola in ſanctâ VIII. Vniverſali Synodo fuit recepta, & approbata cum omnibus geſtis eius circa Conſtantinopolitanam, & contra dictum Photium, ac Michaelem Imperatorem fautorem eius. In qua Epiſtola, prout colligitur ex ipſa Actione 8. Concilij, ſic habetur: *Decretalia autem, quæ a ſanctis Pontificibus Sedis Romanæ Eccleſiæ ſunt inſtituta, cuius auctoritate, atque ſanctione omnes Synodi, & ſancta Concilia roborantur, & inde ſtabilitatem ſumunt: cur vos non habere, vel obſervare dicitis; niſi quod veſtræ ordinationi contradicunt?* Et infrà: *Et ſi ea non habetis, de neglectu, atque incuria eſtis arguendi: ſi habetis, & non obſervatis, de temeritate eſtis corripiendi & increpandi.* Et habetur in cap. Si decreta diſtinction. 20.

29 Quartò contra præfatum errorem eſt cap. *In Canonicis ſcripturis*, diſt. 19. quod eſt B. Auguſtini, in quo videtur inter Canonicas ſcripturas Epiſtolas Apoſtolicę Sedis annumerare.

30 Item quintò contra eundem errorem eſt cap. Decretales diſt. 20. vbi habetur, quòd Decretales Epiſtolæ canonibus Conciliorum pari iure exęquantur. Gloſſ. Archidiac. *Et exæquantur, ſcilicet in auctoritate, in reverentia, in obſervatione.*

31 Sextò contra pręfatum errorem videtur eſſe articulus condemnatus in Concilio Conſtantienſi, vbi inter alios articulos Ioannes Vvicleff. fuit condemnatus ille: *Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eas.* Quia plura dicta ſunt de pręceptis Apoſtolicis ſuſcipiendis ſuprà circa capit. 48. iſta pro nunc ſufficiant.

32 Hucuſque Cardinalis ille doctiſsimus, pręeunte multis retro ſæculis Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi, & ineluctabilibus teſtimonijs confirmante auctoritatem Romanorum Præſulum in Decretis, ſive Epiſtolis Decretalibus. Quare doctrinæ illarum ſemper & vbique explorata fides habenda eſt, & ipſius mentis obſequium, niſi vbi fortè conſtiterit (quod certè raro admodum contingit, ſolumque ſemel aut iterum in toto iure Canonico) aliquem illorum non fuiſſe loquutum ex cathedra, ſive ex fine docendi totam Eccleſiam, aut pronuntiandi de fide aut moribus; ſed vt privatum Doctorem, vel iuxta opinionem aliquam ſuo tempore receptam, quæ ſit errori expoſita. Cuius exceptionis aliquod præterea exemplum occurret ſtatim ſectione ſequenti.

SECTIO QVARTA.

An Nicolaus I. Papa ſæculo octavo erraverit præſcribens formam Baptiſmi rejectam à Prædeceſſoribus ſuis Pelagio & Zacharia in quibuſdam Decretis.

33 NICOLAVM I. Papam fuiſſe vnum ex præcipuis & laudatiſsimis Eccleſiæ Romanæ Pontificibus quotquot vnquam ea habuit, res comperta eſt apud Hiſtoricos. Ex quibus Regino Abbas, vicinus eius tempori, ait nullum ei æquiparandum poſt Gregorium Magnum ſediſſe in Cathedra D. Petri, cùm tamen eo interiecto tempore fuiſſent multi ſanctitate & doctrina inſignes. Nimirum, eximia pietate in Deum præditus, & Catholicę fidei zelo æſtuans, Regibus & tyrannis imperavit: Sacerdotibus religioſis manſuetus; irreligioſis, ac nominatim Photio ſchiſmatico & Invaſori Sedis Conſtantinop. terribilis fuit, vt iure merito alter Elias crederetur. Deinde teſtatur Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorij lib. 4. fine, ex viſione quadam cœleſti conſtitiſſe, animam ipſius fuiſſe in gloriam Sanctorum receptam. Eiuſque Succeſſor Adrianus II. ſummis laudibus eum proſequutus in Epiſt. ad Orientales apud Anaſtaſium, veluti novum Eliam, & alterum Phineem in cœlum extulit. Ipſa Eccleſia ſolicita fuit de pia memoria Nicolai recèns vitâ functi per Epiſtolas Orientalium & Occidentalium Patrum ad Adrianum: qui & ad Synodum Trecenſem ſcribens hortatus eſt, vt memoria Nicolai in ſacris Dyptychis celebraretur: & ſtatim, aut ſolo biennio poſt obitum, à Græcis inter Sanctos habitus fuit. Porrò electio ipſius in Pontificem facta fuerat anno 858. obitus verò anno 867. accidit.

34 Hunc ergo tantum & tam præclarum Pontificem criminantur & erroris arguünt aliqui, quòd (vt refertur de Conſecratione diſt. 4. canone *A quodam Iudæo*) tradiderit, Baptiſmum in nomine Chriſti collatum, ſine expreſsione trium perſonarum, eſſe ratum. Id autem videtur contrarium, non ſolùm formulæ à Chriſto Domino præſcriptę ad baptizandum IN NOMINE PATRIS ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI; ſed etiam definitionibus aliorum Pontificum, vt Pelagij & Zachariæ, improbantium Baptiſmum eorum, qui in nomine Chriſti, & ſine invocatione trium perſonarum divinarum baptizati ſunt: vt patet ex eàdem diſt. 4. can. *Multi*, & can. *In Synodo*. Præterea idem Zacharias Papa, qui longè præceſſerat Nicolaum, centum circiter & viginti annis, confirmavit Concilium Anglicanum ſuo tempore celebratum, in quo definitum fuit, irritum eſſe Baptiſmum collatum dumtaxat in nomine Chriſti: prout refertur citato canone *In Synodo*. Concilium autem, quamvis Provinciale, aut Nationale, confirmatum à Romano Pontifice, ſummam auctoritatem habet. Ergo Nicolaus oppoſitum docens, erravit contra veritatem antea traditam à Romanis Pontificibus, & in Concilio approbato definitam.

35 Cæterum hæc obiectio non vrget. Nam, vt iam monuimus ſect. 2. interdum Pontifices tradunt aliquid, non definiendo ex cathedra, ſed ſolùm vt Doctores particulares, iuxta receptam ſui temporis opinionem, aut propriam. Hoc autem intervenisſe in eo Decreto Nicolai quoad formam Baptiſmi, iam antea obſervarunt Sotus & Canus lib. 6. de Locis cap. 8. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontific. cap. 12. & Vazquez 3. p. diſp. 133. cap. 4. num. 28. videturque patere ex verbis ipſis Nicolai. Non enim fuerat conſultus de formâ, ſed de miniſtro Baptiſmi. Et poſtquam directè reſponderat quæ ſit, tradideratque Baptiſmum eſſe ratum, quamvis à Iudæo, aut Pagano conferatur; addidit obiter, ratum etiam fore, ſive detur in nomine Chriſti ſolius, ſive in nomine trium perſonarum. Quæ ſententia olim tradita fuerat ab Ambroſio lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. quem allegat eo loco Nicolaus, & aliquibus poſtea ſęculis placuit S. Bernardo Epiſt. 340. atque Hugoni Victorino lib. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 2. poſt medium, Magiſtro ſententiarum in 4. diſt. 3. cap. *Ex his*. Et Scotus ibidem q. 2. §. *Tertiò de forma*, verſic. *De quinto*, valde inclinat in eàdem opinionem, quatenus concedit, tempore Apoſtolorum licuiſſe baptizare nomine ſolius Chriſti; & addit nullibi conſtare de revocatione eius conceſsionis: quare dubitat, an Baptiſmus nunc collatus in nomine Chriſti ſolius ſit verus, an non. Denique ſęculo pręcedenti Adrianus Academiæ Lovanienſis Decanus, qui fuit poſtea Summus Pontifex, & Adrianus VI. appellari voluit, in 4. quęſt. 2. de Baptiſmo, in ſolutione primi §. *Ad rationes*, abſolutè docuit, validum Sacramentum fieri, ſive forma Baptiſmi ſub vnius Chriſti nomine, ſive ſub invocatione perſonarum SS. Trinitatis conferatur. Nec verò conſtat ſatis, eam opinionem damnatam fuiſſe tempore Zacharię Papę in Concilio Anglicano. nam Beda qui eo tempore floruit, & Hiſtoriam Angliæ ſcripſit, atque in ea meminit Conciliorum eius Regni, nullam illius Synodi mentionem facit. quin potiùs eandem opinionem ſequutus fuit. nam in

Com-

Commentarijs ad cap. 10. Actorum probavit ſententiam Ambroſij de Baptiſmo in nomine Chriſti. Vel ſi tale Concilium extitit, Beda, Nicolaus, alijque, aut id neſcierunt, aut verba illius ita intellexerunt, vt ſufficeret invocatio implicita perſonarum Sanctiſsimæ Trinitatis, in nomine Chriſti clauſa. Nec defuit ijs fundamentum aliquod in ſacris litteris. Nam Actorum ſecundo verſic. 38. & capite octavo verſic. 12. & capite decimo verſic. 48. atque alijs locis, dicitur; Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti: & quidem in ſolo eius nomine explicito baptizaſſe videntur: quamvis Divus Thomas tertia parte quæſt. 66. articulo ſexto ad primum: & multi ex diſcipulis eius dicant, Baptiſmum in ſolo nomine Chriſti collatum fuiſſe ratum ac legitimum, Deo tunc ſingulariter diſpenſante, vt nomen Chriſti ea celebritate invocationis redderetur illuſtrius.

36 Fateor, ſententiam affirmantem, eſſe neceſſariam invocationem explicitam Sanctiſsimæ Trinitatis, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, vt Baptiſmus ſit ratus, veram prorſus haberi à reliquis Theologis, innixis potiſsimùm teſtimonio ipſius Chriſti apud Matthæum capite vltimo, & frequenti Patrum atque Interpretum explanationi ad illa verba: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: ex quibus colligunt neceſſariam eſſe invocationem earum trium perſonarum explicitam, vt Baptiſmus ratus ſit: quamvis pleraque Patrum teſtimonia allegari ſolita non videantur eſſe tam clara pro eâdem ſententia, vt interpretationem non admittant. Verùm omnia illa ſimul ſumpta magni ponderis ſunt, præſertim adiunctis alijs Pontificum Conciliorumque Nicolao poſteriorum. Etenim Alexander III. in capite primo de Baptiſmo & eius effectu, eam formam præſcripſit. Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio tertio prout refertur in capite *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica declarat Baptiſmum conſecrari invocatione individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Eugenius IV. in Concilio Generali Florentino, in Decreto Fidei poſt vltimam Seſsionem, §. *Primum omnium*, ait, hoc Sacramentum perfici dum exprimitur actus baptizandi, & invocatur Trinitas; idque tam apud Græcos, quàm apud Latinos. Quæ ſententia nobis omnino vera eſt, & ſemper in praxi ſequenda; quamvis non propterea videatur certa ſecundùm fidem; cùm non ſatis exploratum fuerit, nec tempore Scoti, nec quidem noſtro, illam fuiſſe ritè definitam, aut contrariam ab Eccleſia damnatam, vel ab aliquo Pontifice ex Cathedra loquente. Ideoque Bellarminus capite duodecimo citato, loquens de contraria opinione, nimirùm, quam obiter tradidit Nicolaus, tanquam peculiaris Doctor, inquit: *Falſa quidem eſt meo iudicio, tamen non hæretica.* *NAM NON INVENITVR VLLA CERTA DEFINITIO ECCLESIÆ DE HAC RE, ET PATRVM SENTENTIÆ INVENIVNTVR ETIAM VARIÆ.* Et Sotus in quarto diſtinct. tertia quæſtione vnica articulo ſeptimo fine poſt totam controverſiam accuratiſsimè tractatam concludit: *In ſumma ergo, aut nulla profectò eſt in contraria opinione probabilitas; aut certè tenuiſsima.* Non potuit mitiorem cenſuram ferre in illam opinionem. Verùm ſinamus, illam eſſe erroneam, veluti quæ ritè & ex cathedra fuerit damnata priùs à Pontificibus Pelagio & Zacharia. Summùm inde colligere licet, Nicolaum I. eam probantem ex ignoratione earum præcedentium definitionum, erraſſe quidem; non tamen ex cathedra definiendo in illo Reſcripto; ſed explicando ſolùm ſuam opinionē & aliorum quorundam, circa formā Baptiſmi, de qua non fuerat conſultus. Id enim indicium eſt, Nicolaū non reſpondiſſe pronuntiando de fide, ſed ſolùm vt privatū Doctorē, & proinde expoſitū errori. Quare ſi erravit, non vtique erravit vt Pontifex Vniverſalis; ſed tanquam peculiaris Doctor: ex quo nullum abſurdum ſequitur. Plura verò alia circa decreta eorum Pontificum occurrunt, quæ accuratiori examine egent.

SECTIO QVINTA.

Examinantur penitiùs interpretationes quorundam inſignium Theologorum ad illa Decreta Pontificum Pelagij, Zachariæ, & Nicolai. Canus, & Sotus ac ſubinde Bellarminus, defenſi ab impugnationibus Patris Vazquez.

37 P. Vazquez vbi ſuprà, poſtquam n. 28. dixerat, Nicolaū dumtaxat vt privatum Doctorē tradidiſſe opinionē illā de Baptiſmo rato in nomine ſolius Chriſti, ſtatim addit, ipſum erraſſe contra definitionē Anteceſſorum ſuorū Pelagij & Zachariæ, quam cenſet indubitatam: ac num. ſeq. invehitur contra Canum & Sotum aſſerentes, neutrū eorum Pontificū quidquā in hac controverſia definiſſe Apoſtolica auctoritate, tāquam neceſſariò credendum: quia Pontifices Romani ſæpe ouuero ad privatas quæſtiones Epiſcoporum reſpondentes, ſuam opinionem peculiarem ſequuntur: non autem ſententiam

pronuntiant, qua fideles ad credendum obligatos eſſe velint. Invehitur, inquam, adverſus doctrinam hanc, veluti temeritatis & erroris nota dignam: quia hoc modo nihil firmum & ſtabile in reſponſis Pontificum ad Epiſcopos reliqueretur, cui fides neceſſariò eſſet adhibenda. Nulla enim regula aſsignari poſſet ad dignoſcendum quando Pontifex ſolùm voluerit ſuam opinionem privatam ſequi, aut ſententiam certam pro tota Eccleſia pronuntiare. Itaque concludit, quotieſcumque Pontifex interrogatus reſpondet ad conſulta, ſemper auctoritate Apoſtolica definire: in ijs verò quę ipſe pro fundamento aut ratione reſponſi, ſeu alio modo ad interrogationem non pertinentia adducit, cenſendum eſſe loqui vt privatam perſonam: & hoc ſenſu poſſe contingere, vt minùs probabilē, ſeu minùs veram opinionem ſequatur.

38 Præmiſſerat quoque idem Vazquez numero duodecimo nonnulla alia contra eandem Cani opinionem citato libro ſexto de Locis cap. 8. §. *Ad ſeptimum* aientis, nec Pelagium nec Zachariam locis ſuprà numero trigeſsimo quarto indicatis aliquid de fide definiſſe, eo quòd ad privatas quæſtiones huius aut illius Epiſcopi reſponderent ſolummodo; non autem ſententiam ſuam pro vniverſa Eccleſia, qua fideles omnes obligare voluerint, pronuntiaverint. Quam doctrinam Cani ibidem reijcit veluti temerariam, immo & erroneam: tum quia quod Pontifices definiunt circa quæſtiones de rebus fidei, & morum; etiam ab vno vel alio Epiſcopo propoſitas; reſpondiſſe eos pro tota Eccleſia, & omnibus fidelibus, credendum eſt: cùm omnium debeat eſſe vna fides, & conſenſio in moribus: tum præterea, quia, vt idem Vazquez tradiderat 1. 2. diſput. 157. cap. 5. peculiaria reſponſa, & ſtatuta Pontificum in caſu peculiari, haberi debent pro legibus communibus Eccleſiæ: tum denique, quoniam Zacharias Papa in eo reſponſo confirmat definitionē Synodi Anglicanæ, & pro certa habēda eſſe decernit. Pontifex autē confirmàs definitiones Conciliorū, etiam Provincialiū errare nequit: quin immo & definitiones eiuſmodi negare, error in fide cenſeretur.

39 Sed enim ea in re videtur exceſſiſſe Vazquez contra Canum loco citatò. Verba enim eius hęc ſunt: *Ad ſeptimum primò dicitur, quod neuter ibi Pontifex definiuit eiuſmodi controverſiam. Reſpondent enim ſæpe Pontifices ad privatas huius, aut illius Epiſcopi quæſtiones, ſuam opinionem de rebus propoſitis explicando, non ſententiam ferendo, qua fideles obligatos eſſe velint ad credendum. Certè, vt de Pelagio taceamus, Nicolaus nihil eo loco, quod ad hanc quidē quæſtionē attineat, decrevit. Non enim illi propoſita fuerat quæſtio, an Baptiſmus in nomine Chriſti collatus eſſet validus, ſed an baptizatus à Pagano, vel Iudæo verū baptiſmi Sacramentum ſuſcepiſſet. Obiter autē & in tranſcurſu, cùm huic quæſtioni propoſitæ reſpōderet, de ſuo non interrogatus, adiecit, baptiſma in nomine Chriſti cōferri: Qua in re falli ſine dubio potuit. Imò adeò falſus eſt, vt in 4. Sentent. lib. magnis argumentis oſtendimus.*

40 Hęc inibi Canus: in quibus ſanè nihil invenio dignum notâ aliquâ, ſaltem ſi de vno ſolùm aut alio Pontificis Romani Reſcripto intelligatur; loquendo de facto: de poſsibili autē longè frequentiùs. Quod enim ait, Pontifices ſępe reſpondere ad privatas huius vel illius Epiſcopi quæſtiones, ſuam opinionem de rebus propoſitis explicando, non verò ſententiam ferendo, qua fideles obligatos eſſe velint ad credendū, contingere ſine dubio potuit & poteſt. Quamvis enim conſulatur Pontifex directè ab aliquo Epiſcopo circa quæſtionē aliquam fidei aut morū, poteſt ille propter impedimenta occurrentia ad rem penitiùs examinandā, aut ob ingētem rei difficultatē, non formare iudiciū omnino certum ad illam ex cathedra dirimendā: ideoque nolle reſpōdere pronuntiando ſententiam nomine Sedis Apoſtolicæ, ſed ſolùm dirimere quæſtionem iuxta opinionē ſuam, vel aliorum, quamvis errori expoſitam. Cùm enim in Pontifice Romano interveniat duplex titulus, alter Magiſtri ſeu Doctoris Eccleſiæ Vniverſalis; alter Doctoris privati, ſeu perſonæ certæ; poteſt abſdubio reſpōdere ſub poſteriore titulo, omiſſo priore. Si autē poteſt id facere, cur non feciſſe exiſtimandus ſit? quamvis rarò, aut ſemel vel iterū; non autem *ſæpe*, vt Canus dixit, in quo & ab ipſo diſcedo.

41 Sanè Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 12. obijciēs ſibi difficilia illa verba Gregorij III. 32. q. 7. canone *Quod propoſuiſti*, in quorum explanatione laboravimus ſupra ſectione 2. tētatis pluribus vijs ad extricandum nodum obiectū contra auctoritatem infallibilem Romani Pontificis, & in nulla earū ſatis fidens, ſubdit: *Vel certe* (dicendum) *Pontificem ex ignorantia lapſum eſſe. QVOD POSSE ACCIDERE PONTIFICIBVS NON NEGAMVS, CVM NON DEFINIVNT ALIQVID TANQVAM DE FIDE, SED SOLVM OPINIONEM SVAM ALIIS DECLARANT, VT HOC LOCO VIDETVR GREGORIVS FECISSE.* Hæc Bellarminus. Et

tamen

tamen eo loco Gregorius III. directè reſpondet conſultationi factæ ab Epiſcopo Bonifacio. Igitur iudicio Bellarmini aliquando Pontifex conſultus ab vno aut alio Epiſcopo, reſpondet directè quæſtioni non definiendo aliquid tanquam de fide credendum, ſed ſolùm iuxta opinionem ſuam errori expoſitam, aut etiam falſam in re. qualem Bellarminus ipſe illam Gregorij exiſtimat, licèt nos verba ipſa ab errore vindicare ſtuduerimus ſectione 2. iam citata. Præterea idem Bellarminus cit. cap. 12. col. 2. poſtquam obiecerat ſibi auctoritatem Pelagij Papæ indicatam ſuprà num. 34. reſpondet: *Neque obſtant Canones illi Pelagij & Zachariæ. NAM IMPRIMIS PELAGIVS NON DEFINIT QVIDQVAM; SED SOLVM VT DOCTOR IN EPISTOLA AD GAVDENTIVM EXPLICAT OPINIONEM SVAM.* Idipſum docuit etiam Sotus in 4. diſt. 3. q. vnica art. 6. circa finem, vbi poſt expenſam ingentem difficultatem, ortam ex decretis Pelagij & Zachariæ negantium, & reſcripto Nicolai affirmātis Baptiſmū in nomine Chriſti collatum eſſe validum, inquit: *Reverà ſi textus Zachariæ & Pelagij perpendas, multò vehementiùs rem vrgent, quòd eiuſmodi Baptiſmus nunc temporis non valeat in nomine Chriſti, quàm verba Nicolai oſtendant voluiſſe cōtrarium definire tanquam de fide. Summi namque Pontifices quod extra Concilium decernunt, non ſemper conſtituunt tanquam articulum fidei, maximè quando auctorem citant; ſicuti ſi diſpenſarent in voto ſolemni, & in matrimonio rato non conſummato, non propterea condemnant contrariam opinionem tanquam erroneam, ſed ſequuntur illam opinionem, quam alij fortè Pontifices non ſequerentur.*

42 Itaque iudicio trium doctiſsimorum Virorum, ac Theologorum primæ & ſummæ notæ, Melchioris Cani, Dominici Soto, & Roberti Cardinalis Bellarmini, (qui ex profeſſo tuentur auctoritatem infallibilem Romani Pontificis ad pronuntiandum de fide & moribus, etiam extra Concilium, tanquam fide divina certam, vt ſuo loco vidimus) Pontifices Romani reſpondentes quæſtionibus ſibi propoſitis, non ſemper loquuntur ex cathedra, nec definiunt aliquid tanquam fide certum, vel ab omnibus fidelibus credendum, ſed aliquando declarant opinionem ſuam alijs, præſertim dum allegant Doctorem aliquem pro illa. Viderit autem Vazquez, an doctrina ab ijs tribus Viris ſummis tradita (vt alios prætereeam) & à nullo alio, præter ipſum, reprehenſa, ſit digna temeritatis, & erroris notâ. Ego certè talem non invenio, nec facilè credam.

43 Neque obſtant fundamenta Vaſquij in oppoſitum iacta numero 37. & 38. Quod enim imprimis obijcit, non fore regulam aliquam certam, vt Pontifices in reſponſis ſuis ad conſultationes cenſeantur definire aliquid tanquam omnino certum, ſi aliquando iuxta opinionem ſolùm reſpondeant; negamus ſequi id abſurdum. Imprimis fide divinâ certum haberi debet quidquid in Reſcriptis, Decretis, ſeu Definitionibus docent Pontifices, palam declarantes ſe loqui ex cathedra Sedis Apoſtolicæ, ſive animo pronuntiandi de fide aut moribus, ſeu docendi omnem Eccleſiam aut fideles omnes, ſive tanquā credenda & ſequenda ab omnibus. Et ſub hac formula, aut æquivalenti, inveniuntur innumera Decreta, Reſcripta, ac Definitiones Romanorum Pontificum à principio ferè Eccleſiæ vſque modò, quorum plurima in ſuperioribus ſcripta, alia verò indicata ſunt. Secundò idipſum dicendum eſt quoties ita docent, aut decernunt, vt neque ex formulâ verborum, neque ex modo loquendi, neque ex alijs circunſtantijs colligi poſsit rationabiliter, illos loquutos fuiſſe veluti privatos Doctores ſolùm, ſive iuxta ſententiam ſuo ævo receptam, quam definire nolunt, quamvis illam conſulant, aut in praxi ſequantur. quod certè aliquando feciſſe inveniuntur, licèt rarò admodum: & interdum neceſſe habent hoc modò ſe gerere, tum ob innumeras & graviſsimas occupationes, quibus premuntur: tum ab ingentem quarundam quæſtionum difficultatem, quæ ad ferendam definitionem exigunt longum & accuratum examen, ſeriamque Spiritus ſancti invocationem: tum denique quia ſæpe poſt id examen & preces adhuc hærent, nec vltimum iudicium apud ſe ferre poſſunt. vt patet in controverſijs de Conceptione Beatę Virginis, & de efficacitate auxiliorum divinæ gratiæ (vt plurima alia antiquiora omittam) quæ adhuc poſt tam longam & accuratam diſcuſsionem ingenti partium ſtudio exagitatam, nondum definita fuerunt, nec à Concilio Tridentino (in quo cauſa Conceptionis indefinita, vti antea erat, relicta fuit) nec à Clemente Octavo, vel Paulo Quinto, aliiſve Pontificibus vſque modò. Sic etiam in Concilio Generali Viennenſi ſub Clemente Quinto coacto anno mileſimo trecenteſimo vndecimo, cùm controverteretur quæſtio illa, An in Baptiſmo ſimul cum remiſsione pec-

catorum infundatur gratia divina inhærens, & habitus virtutum; non propterea fuit definita; ſed ſolùm, ſententiam, quæ id affirmat, eſſe probabiliorem. veluti ſacris litteris, Patribus, & Theologis conformiorem. Plura alia vide ſupra Diſp. XXV. ſect. 1.

44 Itaque, quidquid contrà tentet colligere Vazquez, habemus certam regulam ad credendum quidquid Pontifices Romani docent circa quæſtiones de fide aut moribus in Epiſtolis Decretalibus, Reſcriptis, aut Decretis quibuſlibet, niſi ex verbis ipſorum, aut ſtylo, aut circunſtantijs rationabiliter conijciatur; aliquem eorum fuiſſe loquutum dumtaxat vt privatum Doctorem, ſive iuxta opinionem ſuo tempore receptam, abſque animo aut fine pronuntiandi ex cathedra. quod certè rarò accidit, & interdum accidere neceſſum eſt. Vide etiam plura alia numero decimo tertio & decimo quarto.

45 Solùm itaque difficultas eſſe poteſt, an verè ij duo Pontifices Romani; Pelagius & Zacharias, ediderint decreta illa numero trigeſsimo quarto memorata, in quibus traditur irritum eſſe Baptiſmum, niſi conferatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Deinde dato quòd ea decreta ediderint, an in eo ſe geſſerint vt privati Doctores iuxta ſententiam ſibi placentem: an potiùs tanquam definientes è cathedra, præſertim quod attinet ad confirmationem eiuſdem ſententiæ traditæ in illo Concilio Anglicano. Denique ſtatuto quòd ea decreta protulerint animo definiendi, an Nicolaus I. docens oppoſitum, erraverit pronuntians ex cathedra.

46 Quod ad primum attinet, neminem invenio dubitantē de Reſcripto illo Pelagij Papæ. Nam quamvis illud non habeatur inter Epiſtolas eius, neque in Tomis Epiſtolarum Pontificiarum, nec in editionibus Conciliorum; adhuc in Labbeana (ſive ſermo ſit de Pelagio I. qui anno 555. ſive de Pelagio II. qui anno 577. Pontificatum geſsit) refertur tamen à Gratiano canone *Si revera*, & canone *Multi*, de Conſecratione diſt. 4. & ab Ivone Carnotenſi 1. parte ſui Decreti cap. 161. ſub hiſce verbis ad Gaudētium Epiſcopum: *Multi ſunt, qui in nomine ſolùm Chriſti vna etiā merſione ſe aſſerunt baptizatos: Euangelicum vero præceptum ipſo Deo, & Domino Salvatore noſtro Ieſu-Chriſto tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiā merſione ſanctū Baptiſma vnicuique tribuere, dicēte Domino, ita: Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Si reverà hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, ſolummodò ſe in nomine Domini baptizatos fuiſſe, for ſitā confitentur, ſine cuiuſque dubitationis ambiguo, eos ad Catholicam fidem venientes in ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis.*

47 Adhuc tamen dubitari poteſt, an id Decretum verè fuerit editū à Pelagio Papa, ſive I. ſive II. Imprimis enim non levē ſuſpicionem ingerit, quòd neque in voluminibus Epiſtolarum, neque Conciliorū, vnquam inventū fuerit: ſed ſolùm apparuerit ſeptem aut octo ſeculis poſtea tēpore Ivonis aut Gratiani. Deinde vacillat eius auctoritas: quoniam nec Beda qui duobus pòſt ſæculis, nec Nicolaus qui tribus, vixerunt, vllam eius notitiā habuerint: quin potiùs opinionē in eo proſcriptam ſecuti ſint. Non eſt autem veroſimile definitionem de re adeò gravi, & ad Baptiſmū primum omnium Sacramentorum ſpectante, non fuiſſe pervulgatā ſtatim in tota Eccleſia, nec perveniſſe ad aures oculoſve duorum adeò inſignium & doctorum hominum, quales fuere Beda & Nicolaus. vt nihil dixerim de Bernardo, & Hugone à S. Victore, ac Magiſtro Sententiarum, qui eandem vtriuſque opinionem tradiderūt. quod certè non feciſſent, ſi ſcirent illam tot retro ſeculis fuiſſe damnatam à Sede Apoſtolica. Denique ſi verè illud decretū fuiſſet editum à Pelagio Papa, cùm in eo non ſolùm præſcribatur forma Baptiſmi neceſſaria in nomine Trinitatis, ſed etiam ex parte materiæ trina merſio; hęc etiam definita fuiſſet. Nimirum ibidem non magis exprimitur neceſsitas invocationis trium perſonarum, quā trinæ merſionis. Atqui nemo eſt qui trinam merſionem definitā hactenus dicat ab Eccleſia, tanquam neceſſariam ad valorem Baptiſmi, quamvis præcepto Eccleſiaſtico ſtatuta fuerit: vt communiter Theologi docent cum D. Thoma 3. p. q. 66. art. 8. Ergo neque extitit Decretum aliquod, in quo Pelagius Papa reipſa definierit, formam illam eſſe neceſſariam ad valorem Baptiſmi.

48 Dato autem, & nullatenus conceſſo, Decretum illud verè prolatum fuiſſe à Pelagio Papa, videtur valde probabilis exiſtimatio Cani, Soti, & Bellarmini ſuprà laudatorum, exiſtimantium, Pontificem prædictum non fuiſſe ibidem loquutum ex cathedra, ſive animo definiendi, ſed ſolùm vt privatum Doctorem, arbitrantem de neceſſitate Sacramenti Baptiſmi eſſe invocationem ſanctiſsimæ Trinitatis, nec ſufficere ſi in nomine Chriſti conferatur. Quamvis enim Pontifices reſpondentes ad controverſias ſibi propoſitas, ſive ab Epiſcopis, ſive à quibuſlibet alijs perſonis, cenſeantur communiter

immo

immo & ferè ſemper pronuntiare ex cathedra id quod docent; adhuc tamen id non verat vt ſemel aut iterum poſsint & ſoleant reſpondere ſolùm vt privati Doctores, iuxta ſententiam quam iudicant veram aut veriorem, ſine animo definiendi illam, vel propter occupationes varias ad rem maturè examinandam, vel propter ingentem rei difficultatem. Et hoc modo ſe geſsiſſe Pelagium, ſi verè id reſponſum, aut decretum edidit, argumento eſt quod non ſtatim ab eius tempore vſque ad tempus Bedæ & Nicolai I. recepta fuerit ea ſententia, veluti certa omnino & Catholica, à tota Eccleſia; cùm tamen ea, quę ex cathedra fuerunt definita ab alijs Pontificibus, etiam in materia minùs ſolemni, aut neceſſaria ad ſalutem, ſtatim recepta & credita fuerint: tum præterea, quoniam trina merſio ibidem præſcripta, non minùs quàm invocatio perſonarum ſanctiſsimæ Trinitatis, à nullo ferè poſtea exiſtimata fuit materia neceſſaria Baptiſmi: tum denique quia vix vllus Theologorum, præter Vazquez, vſque modò cenſuit firmiter omnino eam ſententiam eſſe certam ſecundùm fidem, cùm tamen omnes ferè ſentiant definitiones Summorum Pontificum ex cathedra prolatas circa quæſtiones fidei ac morum, eſſe proinde certas ſecundùm Catholicam fidem. Accedit, data eadem hypotheſi illius Decreti, veroſimile ſatis eſſe ipſum Pelagium explicaſſe palam, ſe nolle eam rem definire, nec pronuntiare ex cathedra, ſed ſolùm declarare ſententiam quam certam arbitrabatur, vt privatus Doctor. Nam non addita ea proteſtatione, ſtatim à tota Eccleſia fuiſſet recepta, vt veritas certa ſecundùm fidem. quod tamen neque tunc, neque poſtea, aut vſque modò factum eſt.

49 Veniamus iam ad decretum aliud Zachariæ Papæ, quod habetur Tomo II. Epiſtolarum Pontificum, Epiſtola vndecima eiuſdem Zachariæ, quę eſt ad Bonifacium Epiſcopum, & refertur canone *In Synoda* de Conſecratione diſtinctione quarta. Porrò ibidem paulo poſt initium Zacharias, facta mentione Synodi Anglicanæ coactæ tempore Theodori Archiepiſcopi, inquit: *In illa tale decretum, & iudicium firmum eſſe, & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, vt quicumque ſine invocatione Trinitatis lotus fuiſſet, quòd Sacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum eſt, quia ſi merſus in fonte Baptiſmatis quis fuit ſine invocatione Trinitatis, perfectus non eſt, niſi fuerit in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti baptizatus.* Et quibuſdam interiectis. *Modò verò incognitum eſſe, virum baptizantes Trinitatem dixiſſent, an non, & timent illi, qui vivi ſunt, quòd in tali miniſterio non ſint baptizati; quibus reſpondens iuſſiſti omnes baptizare, hòc quoque obſervari in dicta Synodo* [*& eodem cupi* (Sacerdotes) *vt qui vel vnam de Trinitate Perſonam in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma eſſe non poſſe; quod pro certo verum eſt.* Hactenus ibi ad verbum.

50 Sed & id decretum non maioris fidei eſt, quàm illud Pelagij ſuprà diſcuſſum. Imprimis enim, vt monet Bellarminus, inter Epiſtolas eiuſdem Zacharię, quæ editæ fuerant ad Bonifacium in Tomis Conciliorum, non extabat talis aliqua ſententia. Deinde Venerabilis Beda, qui accuratè ſcripſit Hiſtoriam Anglorum, & aliorum Conciliorum eius Regni ſemper meminit, nullam eius Synodi mentionem facit: quin potiùs contrariam opinionem ſequutus fuit, vt ſuprà vidimus. Nec ſanè ignorare potuit id decretum Concilij Anglicani, ſi fuiſſet verè ab eo prolatum: quoniam Beda putatur floruiſſe tempore eodem, ac Zachariæ Pontifici ſupervixiſſe. Hic enim humana poſuit die vigeſsimo quinto Martij anno 752. ſub Conſtantino Copronymo Orientis Imperatore: non verò anno 742. vt perperam ait Philippus Labbè in Synopſi Hiſtorica Conciliorum, vbi mortem eius ponit anno 742. quò potiùs electionem illius in Pontificem, aut anno præcedenti 741. collocare debuiſſet. Beda autem, quidquid alij opinati fuerint, vivebat adhuc anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſſimo ſeptuageſsimo ſexto; id eſt, viginti quatuor annis poſt obitum Zachariæ, iuxta Card. Baronium ad annum Chriſti 731. ex Epiſtola indubitata ipſius Bedę *De Æquinoctio iuxta Anatolium*, teſtantis ſe illam ſcribere eo ipſo anno, quo ait Lunam decimam quartam fuiſſe quinto Idus Aprilis, Dominicum verò diem Paſchalis decimo octavo Kalendas Maij. quæ omnia ſibi concordant adamuſsim cum tabulis Aſtronomicis. Cùm autem Beda ipſe Hiſtoriam Eccleſiaſticam Nationis ſuę abſolverit longè antea, nimirū anno Chriſti ſeptingenteſsimo trigeſsimo primo, ętatis verò ſuæ quinquageſſimo nono, vt ipſe teſtatur; non potuit non habere perſpectas res omnes Anglorum tempore Zachariæ Pontificis, qui eo tempore interiecto Eccleſiam rexit. Nec præterea credibile eſt virum tam inſignis ſanctitatis & doctrinæ, proindeque adhuc viventem in tota Eccleſia VENERABILEM

appellatum, ac paulo poſt inter Sanctos relatum, docuiſſe opinionem damnatam in Concilio Anglicano, præſertim confirmato à Romano Pontifice, quale illud fuiſſe aſſeritur.

51 Quoniam verò plures alij (quos recenter imitatus fuit Philippus Labbe in Diſſert. Hiſtorica de Scriptoribus Eccl. tom. 1. pag. 183. & recentiùs adhuc Ioannes Mavillon in Sęculis Benedictinis Tomo III. pag. 549. ex teſtimonio Scriptorum antiquorum, præſertim Simeonis Dunelmenſis, ſeu potiùs Turgoti) obitum Bedæ collocant anno 735. die 26. Maij, ſive 7. Kalendas Iunij, quo Aſcenſionis Domini memoria celebrabatur; fateri oportet, coniecturã præcedentẽ ex Hiſtoria eius deſumptam non eſſe admodum firmam. Cùm enim ſex aut ſeptẽ annis poſt obitum Bedæ, iuxta hanc opinionem, electus fuerit Pontifex S. Zacharias, nimirum anno 741. aut 742. potuit huius tempore celebrari Cõcilium illud Anglicanum, & ab ipſo probari; ideoque nihil mirũ quòd Beda non meminerit talis Concilij, nondum ſuo tempore celebrati, & contrariam opinionem tradiderit.

52 Quare adhuc permiſsâ exiſtentiâ Concilij illius, & Canonis, ac verborum Zacharię, dupliciter occurri poteſt. Primò, ſi dicatur cum Magiſtro in 4. diſt. 3. (vbi contrariam opinionem tuetur) ſolùm fuiſſe definitum in eo Concilio, Baptiſmum nullatenus eſſe ratum ſine invocatione trium divinarum perſonarum; non autem declaratum fuiſſe, an illæ tres perſonæ invocari debeant implicitè, vel explicitè: ideoque non pugnare canonem illum cum ſententia Nicolai Papę, & Sancti Ambroſij, qui docuerunt ſufficere implicitam nominationem trium perſonarum divinarum in vno Chriſti nomine. Quo ferè modo eundem prædicti Concilij Canonem interpretati ſunt ipſo ferè Magiſtri tempore viventes & florentes in Eccleſia S. Bernardus Epiſt. 340. & Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 2. poſt medium, omneſque ferè Doctores eiuſdem ſæculi duodecimi, quotquot lecto canone prædicti Concilij non duxere religioni eandem S. Ambroſij & Nicolai Papę opinionem amplecti.

53 Secundò reſpondet Bellarminus vbi ſuprà, Concilium illud Anglicanum (dato quòd extiterit) non fuiſſe verè & propriè confirmatum ab Apoſtolica Sede, & ideo non reddere certam iuxta fidem ſententiam illam. Licèt enim ſinamus, Zachariam Papam laudaſſe illud Concilium, & eius decreta citaſſe in ordine ad ſuum propoſitum; non tamen vt Pontifex propriè confirmavit illud vel eius Acta. Aliud enim eſt, Pontificem ſeriò confirmare decreta Conciliorum, vt habeant auctoritatem irrefragabilem in tota Eccleſia: aliud verò in ordine ad aliquid propoſitum ea commendare. Hactenus fere Bellarminus: cuius doctrina confirmari poteſt & illuſtrari à ſimili ex dictis ſuprà numer. 47. & 48. Rationes enim ferè omnes ibidem propoſitæ à nobis, ne Pelagius Papa illud prius decretum credatur edidiſſe; aut, ſi edidit, non tamen animo definiendi pro tota Eccleſia; locum etiam habent, ne S. Zacharias Papa eandem ſententiam Concilij Anglicani tradiderit, aut ex cathedra Sedis Apoſtolicę confirmaverit.

SECTIO SEXTA.

Aliqui ex Pontificibus Sæculi X. oſtenduntur liberi à nota erroris & hæreſis, qua inuſti fuere ab hæreticis, & ſchiſmaticis. Vbi de Sylveſtro II. ſpeciatim.

54 STEPHANVS VI. Licèt electus fuerit Pontifex anno Chriſti 896. vixit ſaltem vſque ad menſem Septembrem anni 900. Indictione quarta; quantum colligi poteſt ex diplomate quodam Sancti Vincentij ad fontes Vulturni, ideoque à nobis collocatur inter Pontifices ſæculi decimi; qui arguuntur erroris in fide, aut hæreſeos notâ inuruntur. Porrò Magdeburgenſes Centuria 9. capite decimo, & Centuria decima capite decimo, ſimul cum illius accuſatione coniungunt Ioannem IX. qui ἀμέσως eidem ſucceſsit ab anno circiter 901. ac Sergium III. qui anno 906. Sedem Romanam occupavit, & Formoſum qui præceſſerat ab anno 890. Accuſatio autem adverſus tres illos, aut aliquem eorum ſaltem, hoc ferè modo proponitur. Stephanus VI. irrita declaravit acta Formoſi Papæ Prædeceſſoris ſui, & ordinatos ab eo iuſsit iterum ordinari. Ergo cenſuit validam collationem Sacramenti Ordinis pendere à bonitate miniſtri. quod planè adverſatur fidei. Poſtea verò Ioannes IX. irritavit acta eiuſdem Stephani VI. & acta Formoſi, iam antè reprobata ab eo, rata eſſe voluit. Denique Sergius III. iterum irritavit acta Formoſi, proindeque Ioannis IX. & probavit acta Stephani VI. In tanta verò contradictione Pontificum, tum probantium, tum improbantium acta Prædeceſſorum ſuorum, aliquem erraſſe neceſſum eſt.

55 Reſpondemus cum Bellarmino, & alijs, erraſſe quidem ex ijs Pontificibus Stephanum VI. & Sergium III. non tamen in

queſtio-

quæſtione aliqua iuris aùt circa doctrinam, ſed ſolùm in quæſtione facti, & penes pravum exemplum, ac ſcandalum Eccleſię datum. Id verò facilè innoteſcet ex ſumma hiſtoriæ eorum Pontificum. Formoſus, cùm eſſet Cardinalis & Epiſcopus Portuēſis, depoſitus fuit, degradatus, & in ordinem laicorum redactus à Ioanne VIII. Papa, qui ſederat Romæ Pontifex vſque ad annum 882. Cumque Romā diſcederet, iuravit ſe nunquā vel ad ipſam vrbem, vel ad Epiſcopatum rediturum. Verùm Ioanne VIII. vivis ſublato, ſucceſſor eius Marinus I. qui & Martinus II. dici conſuevit, Formoſum ipſum, antea gradu deiectum, à Iuramento incautè prolato liberum reddidit, & priſtinæ dignitati reſtituit. Mortuo Marino anno 884. die 18. Ianuarij, ſucceſſere ipſi in Pontificatu Adrianus III. dein Stephanus V. ac tandem Formoſus die vltima Maij anno 890. qui vixit in Pontificatu annos ſex, menſes decem, dies quatuor, obijtque ipſo die Paſchatis quarto Aprilis anno 896. vt teſtantur Auctor Annalium Fuldenſium, & Hermannus Contractus.

56 Mortuo autem Formoſo ſucceſsit Srephanus VI. menſe Auguſto eiuſdem anni 896. qui ingenti odio erga Formoſum concepto, aut neſciens, aut non credens, Formoſum fuiſſe à Marino Papa abſolutum à vinculo illius iuramenti, coacto Epiſcoporum Cōcilio declaravit, Formoſum non fuiſſe legitimum Pontificem, ideoque omnia eius acta debere irrita cenſeri: ac proiode eos omnes, qui ab illo ordinati fuerant, coegit vt Ordinem reciperent, quaſi verè illum antea non accepiſſent. quod omnibus ferè alijs diſplicuit. Quare mortuo Stephano VI. tres ipſius ſucceſſores Romanus I. cognomento Galeſinus (quem multi ab albo Pontificum reijciunt) Theodorus, qui paucis ſolùm diebus ſedit, & tandem Ioannes IX. (hic convocato Epiſcoporum Concilio) cenſuerunt Formoſum fuiſſe verum Pontificem, & Stephani VI. ſententiam in ipſum latam declaraverunt irritam. Verùm Sergius III. qui Ioanni IX. ſucceſsit, potius Stephanum VI. imitatus fuit, & declaravit Formoſum oon fuiſſe verum Papam, nec acta illius reputari debere alicuius momenti.

57 Itaque tota quęſtio inter eos Pontifices Formoſi ſucceſſores fuit, an ille fuiſſet legitimus Papa, necne; affirmantibus quibuſdā, negantibus verò alijs. In quo neceſſum eſt fateri, alterutros erraſſe; non tamen in quæſtione iuris, ſed facti. Et certè videntur planè in eo erraſſe Stephanus VI. ac Sergius III.

58 Dices, errorem eorum Pontificum non fuiſſe ſolùm facti, ſed iuris. Dato enim quòd Formoſus non fuiſſet legitimus Papa (quod videtur falſum) iam verè fuerat Epiſcopus Portuenſis aliquando: ac proinde licèt degradatus fuiſſet, retinebat ſemper characterem, ſeu poteſtatem ordinis Epiſcopalis: quæ certè ex iure ſufficiebat, vt Ordines ab eo collati eſſent validi. Ergo ij duo Pontifices declarantes, non fuiſſe veros Ordines ab eo collatos, errarunt in iure.

59 Sed huic obiectioni facilè occurritur. Stephanus enim & Sergius declarātes irrita acta Formoſi, non definierunt, aut declararunt, ordines collatos ab Epiſcopo degradato eſſe nullos, ac proinde iterandos (hic enim eſſet error iuris) ſed ſolùm iuſſerunt ordinatos ab illo iterum ordinari, qui fuit error facti. Quæ iuſsio non ex ignorantia aut hæreſi proceſsit, ſed ex odio Formoſi, quo Stephanus æſtuabat: vtpote, qui, teſte Sigeberto in Chronico ad annum 903. reclamatoribus pene omnibus per vim ordinavit eos, quos iam Formoſus ordinaverat.

6 Vltimus Pontificum primæ chiliadis Chriſtianę annorum incuſatus hęreſeos fuit Sylveſter II. Aqultanus, primùm Rhemenſis, deinde Ravennatenſis Archiepiſcopus, ac tandem Pontifex renuntiatus die 2. Aprilis anno 999. de quo ſcribit Martinus Polonus in Chronico, & ex ipſo Magdeburgenſes Cēturia 10. cap. 10. ac Tilmannus Heſuſius lib. 1. de Eccleſia cap. 9. fuiſſe magum, & necromanticum, proindeque diſcerptum à Diabolo Romæ in templo S. Crucis in Hieruſalem. Cùm verò magi & necromantici ſint vehementer ſuſpecti de hæreſi, videtur eadem nota inurenda Sylveſtro.

61 Reſpondemus, eſſe aniles fabulas, quæcumque ea de re vulgata fuerunt à quibuſdam Hiſtoricis, & nominatim à Martino Polono: ſicuti & quod apud pleraque ipſius exemplaria edita legitur de Ioanna Papiſſa, vt vidimus ſuprà Diſp. IX. num. 48. & 50. Cùm enim Martinus ipſe fato conceſſerit Bononiæ, vbi & ſepultus eſt, anno 1279. non meretur vllam fidem in ea parte: ſiquidem iam eouſque decurrerant ducenti octoginta anni à Pontificatu Sylveſtri: & in tam longo temporis interſtitio nullus Scriptor probatæ fidei invenitur, qui de tam immani ſcelere illum notaverit. Probatæ, inquam fidei. nam talis non fuit Benno pſeudo-cardinalis, & ſchiſmaticus, qui longè ante Martinum Polonum, octoginta circiter annis poſt obitum Sylveſtri, eam de illo fabulam ſcripto commiſsit: vt monet Baronius ad eundem annum 999. vbi illum veluti mendaciſsimum refutat, & poſtea ad annum 1003. quo Sylveſter obijt,

Prætérea, éxtat adhuc in Eccleſia Lateranen-
ſi ſepulchrum ipſius cum epitaphio poſito à
Sergio IV. Papa, viro ſancto iuxta omnes
Scriptores, qui ſolis quinque annis ab obitu
Sylveſtri Pontificatum geſsit. In eo autem
epitaphio laudatur Sylveſter veluti optimus
Pontifex.

62 Quoniam verò fabula illa per
plures Hiſtoricos minoris notę, ac ſubinde
per Sectarios in odium Romanæ Eccleſiæ in
vulgus diſſeminata fuit vſque hodie, placet
hoc loci exſcribere ſummatim ſententiam
Baronij ad annum prædictum 1003. ſeu po-
tiùs Spondani in Epitome ipſius num. 1. vbi
narrans Sylveſtri obitum inquit: * Anno
, Chriſti milleſsimo tertio, Indictione prima,
, Sylveſter Papa, vbi Sedis ſuæ annum iam
, quintum inchoaſſet, obijt die duodecima
, menſis Maij, vt ex epitaphio eius ſepulchro
, à Sergio Pontifice appoſito apparet, quod
, hactenus in Baſilica Lateranenſi ſervatur in-
, tegrum. Porrò nugas illas de eo vulgatas,
, ab homine mendaciſsimo Bennone ſchiſ-
, matico primùm excogitatas, in ipſius ingreſ-
, ſu confutavimus. Quod verò ad ipſius ſcrip-
, ta attinet; præter Epiſtolas centum quin-
, quaginta novem perbreves (dicendi enim
, Laconicè arripuit inſtitutum) ante Rhemē-
, ſem adeptum Archiepiſcopatum ab eo ſcrip-
, tas, & alias quarum ſuperiùs facta eſt men-
, tio, vel ſeorſim datas de rebus Eccleſię Rhe-
, menſis, & Vitam S. Adalberti Martyris
, Pragenſis Epiſcopi, nihil præterea vidimus:
, cùm alioqui ex iiſdem ipſius Epiſtolis con-
, ſtet, plures reliquiſſe ingenij ſui indices lu-
, cubrationes, partas illis prioribus vitæ tē-
, poribus, de Rhetorica, Geometria, Aſtro-
, nomia, Mathematica, & alijs eiuſmodi ar-
, tibus, atque ſcientijs: quarum cauſa ingen-
, tem ſibi vndique comparare bibliothecam
, indefeſſo ſtudio laboravit. Quod verò
, etiam eius laudi cedit, ex eiuſdem Epiſtolis
, conſequi licet, cultorem fuiſſe ſanctorum
, virorum tunc viventium, cupidumque mo-
, naſticæ obſervantiæ, atque malorum acerri-
, mum correctorem, necnon egregium defen-
, ſorem iurium Eccleſiæ. Denique ipſum pla-
, nè primum extitiſſe, qui ſacræ Militiæ cla-
, ſſicum occinuerit, teſtatur eius, quæ extat
, Hieroſolymorum Eccleſiæ nomine ad vni-
, verſalem Eccleſiam ſceptris regnorum im-
, perantem (vt habet inſcriptio) Epiſtola
, parænetica proferendo eidem ſub iugo bar-
, barorum laboranti ſubſidio. At de Sylveſtro
, hactenus.

63 Hæc Spondanus éx Baronio,
integerrimo ſanè Hiſtorico. Quæ autem Ben-
no ſchiſmaticus contra Sylveſtrum diſſemi-
navit, quaſi magum & necromanticum, ex
fæce vulgi orta ſunt: apud quem ſæculo de-
cimo, in quo marcebant ſtudia litterarum,
præſertim Matheſium, admirationi fuit Syl-
veſter ob plures libros Geometrię, Aſtrono-
mię, & Mathematicæ ſcriptos. quaſi ea, quæ
ſupra vulgarium hominum captum ab eo tra-
debantur, non niſi dæmonis arte addiſci po-
tuiſſent. Iam quod attinet ad Epiſtolas ipſius
à Baronio memoratas, laudandi ſunt Papirius
Maſſonus, & Andræas Ducheſnius, quòd ex
antiquis Mſs. eas in lucem protulerint non
ſine magno Hiſtoriæ Gallicæ emolumento:
quibus duas alias adiecit Phil. Labbe, alte-
ram ad Azelinum Laudunenſem Epiſcopum,
alteram ad Arnulphum Archiep. Rhemenſem.
Vide præterea Tomum XVIII. noviſsimæ Bi-
blioth. Aniſſonianæ Sæculo X. in fine. Ita-
que contra ius & fas traducitur Sylveſter II.
quaſi ſuſpectus de fide. Et hæc de Pontifici-
bus primæ chiliadis Chriſtianæ annorum.

DISPVTATIO XXXI.

QVOT CRIMINATIONIBVS IMPETATUR honor S. Gregorij VII. Papæ, florentis Sæculo vndecimo, præſertim a Sectarijs; & quàm iniuſta ea ſint.

INGREDIMVR Sæculū XI. in quo adverſus ſcelera Henrici III. aliàs IV. cognominati Germaniæ Imperatoris, crudeliſsimi perſecutoris Eccleſiæ Romanæ, ſchiſmatici, dignitatum ſacrarum venditoris, & peſtis ſui ævi, oportuit in cathedra S. Petri ſedere novum alium Eliam, aut Phineem, qualis fuit S. Gregorius VII. dictus Hildebrandus ante Pontificatum, quem invitus & illachrymans admittere compulſus fuit ab omnibus Cardinalibus, conſentiente & plaudente toto Clero & Populo Romano, die 22. Aprilis, anno 1073. Indictione & Luna XI. Feria 2. Quantò verò ille tenacior fuit Catholicæ fidei,

&

& diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſacrorumque Canonum: tantò virulentiores hoſtes habuit, tam dum viueret, quàm poſt feliciſsimum obitum: at non alios quàm fidei, Eccleſiæ, & iuſtitiæ hoſtes, vt mox apparebit.

SECTIO PRIMA.

Calumniæ præcipuæ Bennonis pſeudo-cardinalis, & aliorum ex Henricianis, ſchiſmaticis, & hæreticis, à Cardinali Bellarmino diſsipatæ, & falſitatis conuictæ, ex teſtimonijs grauiſsimorum Scriptorum, præſertim eiuſdem Sæculi vndecimi.

2 CVM Gregorius VII. communi Hiſtoricorum conſenſu fuerit Monachus S. Benedicti, & diu regulam eius profeſſus fuerit in Illuſtriſsimo Archimonaſterio Cluniacenſi, cui hoc Inſigne Collegiũ S. Vincentij Salmanticenſis multis ſæculis illigatum fuit; nollem in illius defenſione ſuſpectus videri, aut occupatus præiudicio aliquo in gratiam noſtri Ordinis: præſertim cùm aliqui ex Sectarijs effutiant, illum non alios habere defenſores, quàm Monachos. Placet itaque κατά πόδας exſcribere quæ in eius patrocinium edidit magnum illud Romanæ purpuræ decus, Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 13. in hæc verba.

3 *Triceſimus primus, qui erroris arguitur ab Adverſarijs, eſt Gregorius Papa eius nominis Septimus. Eum enim Magdeburgenſes Cent. 11. c. 10. reprehendunt vt hæreticum, necromanticum, ſeditioſum, ſimoniacum, adulterum, ac peſsimum, non ſolùm omnium Pontificum, ſed ferè omnium hominum. Et idcirco, non eum Gregorium, vt vocabatur in Pontificatu, neque Hildebrandum, vt dicebatur ante Pontificatum; ſed *Hellebrand*, appellant, quod Germanicè inferni titionem ſignificat.

4 Eundem Gregorium Theodorus Bibliander in Chronico vult eſſe ipſum Gog Principem Magog & omnes alij huius temporis hæretici nullum Pontificem magis deteſtantur, quàm iſtum, ac præſertim Tilmanus lib. 1. de Eccleſia c. 9. vbi apertiſsimè mentitur, ea quæ narrantur mala de Gregorio VII. haberi in libris Monachorũ, Papæque adulatorum: cùm tamen & ipſe Tilmanus, & Centuriatores nullũ proferant teſtẽ, præter vnum qui fuit hoſtis iuratus Gregorij VII. Omnia enim probant vnius Bennonis Cardinalis teſtimonio, qui illo tempore vixit, & vitam Gregorij VII. ſcriptam reliquit.

5 Ego autem huius Bennonis librum legens, & impudentiſsimorum mendaciorum pleniſsimum inveniens, alterum è duobus mihi perſuaſi, aut reverà nihil tale eo tempore ſcripſiſſe Bennonem, ſed aliquẽ Lutheranum eſſe huius libri auctorem, qui eum ſub Bennonis titulo ediderit; aut certè Bennonem illum non tam ſcripſiſſe vitam Gregorij VII. quàm ſub nomine Gregorij VII. voluiſſe depingere ideam peſsimi Pontificis, ad eum modum, quo Xenophon ſcripſit vitam Cyri Regis Perſarum, qui non tam narravit quid Cyrus egerit, quàm quid agere debeat optimus Princeps.

6 Non eſſe autem vllam fidem habendam huic Bennoni, perſpicuum eſt eo; quòd contrarium ſcribunt omnes alij Auctores, qui illo ipſo tempore aliquid de hac re ediderunt, quibus maior fides habenda eſt, quàm Bennoni: tum quòd iſti multi ſint, ille vnus tantùm: etiam quòd Benno fuerit Cardinalis, non à verò Papa Gregorio VII. creatus, vt mentitur Bibliander in Chronico tabul. 13. qui Bennonem Gregorij Cardinalem, & ipſi Gregorio intimum fuiſſe dicit: ſed ab Antipapa Clemente III. quem Imperator in odium Gregorij conſtituerat, vt patet ex lib. Onuphrij de Pontificibus. Cùm enim eſſet Cardinalis Antipapæ, non poterat benè loqui de vero Papa. Illi autem alij Auctores neutri parti erant obſtricti beneficio aliquo: & ideò rectiùs iudicabant. Eſſe autem contraria quæ ſcribunt cæteri, ijs quæ Benno ſcribit, facilè demonſtrari poteſt.

7 Quatuor ſunt, ad quæ revocari poſſunt omnia, quæ ſcribit Benno. Primum eſt, Gregorium VII. per vim militarẽ, quam ipſe ſibi pecunijs comparaverat, invaſiſſe Pontificatum, nullo Cardinalium ſubſcribente, & ſine vllo Cleri, & populi conſenſu. At S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui tunc vivebat in Epiſt. ad Guibertum, qui in ſchiſmate fuit Antipapa dictus Clemens III. ita ſcribit: *Vt ego, inquit, de B. Gregorio Patre noſtro dicam, quod de Cornelio ſcripſit B. Cyprianus: factus eſt Epiſcopus de Dei & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium, & vt veriùs dicam omninò omnium teſtimonio: de plebis, quæ tunc aderat, ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Alexandrius locus, id eſt, cùm locus Petri, & gradus cathedræ Sacerdo-*

; *dotalis vacaret, &c.* Hanc Epiſtolam refert
, Abbas Vſpergenſis in Chronico, & ſubiun-
, git, iſtum Anſelmum fuiſſe virum doctiſsi-
, mum, & ſanctiſsimum, adeò vt vivus &
, mortuus miraculis claruerit.

8 Extat etiam apud Platinam for-
; ma electionis huius Pontificis in hæc verba:
, *Nos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardina-*
, *les, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Presby-*
, *teri, præſentibus Epiſcopis, Abbatibus,*
, *multiſque tum Eccleſiaſtici, tum laici,*
, *ordinis, elegimus hodie, X. Kalend. Maij*
, *in Baſilica S. Petri Ad Vincula, anno*
, *ſalutis M. LXXIII. in verum Chriſti*
, *Vicarium Hildebrandum Archidiaco-*
, *num, virum multæ doctrinæ, magnæ pie-*
, *tatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, re-*
, *ligionis; modeſtum, ſobrium, continen-*
, *tem, &c.* quæ forma divinâ providentiâ cō-
, ſervata videtur ad Bennonis mendacia
, coarguenda. Idem autem ſcribunt omnes alij
, Auctores, quos infrà citabimus.

9 Deinde ſcribit Benno, Henricum
, IV. inſontem à Gregorio VII. excommuni-
, catum; quod idem audent aſſerere Magde-
, burgenſes Cent. 11. cap. 6 column. 264. At
, Stephanus Epiſcopus Halberſtatenſis, vir
, ſanctus, & doctus, illo ipſo tempore ſcripſit
, hæc verba in Epiſt. ad Vualramum Epiſco-
, pum, teſte Dodechino in additione ad Ma-
, rianum Scotum, anno M.XC. & Trithemio
, in Chronico: *Audi*, inquit, *vera non fu-*
, *cata: audi fortia, non faceta: omnis qui*
, *dignitates ſpirituales diuendit, hæreticus*
, *ſimoniacus eſt: Dominus autem Henri-*
, *cus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus, &*
, *Abbatias vendit. Etenim Conſtantien-*
, *ſem, Bambergenſem, Moguntinenſem, &*
, *plures alios pro pecunia: Ratiſponenſem,*
, *Auguſtenſem, & Straſburgenſem pro gla*
, *dio: Abbatiam Fuldenſem pro adulterio:*
, *Monaſterienſem vero Epiſcopatum, quod*
, *dicere, & audire nefas eſt, pro ſodo-*
, *mitica immunditia vendidit. Quæ ſi im-*
, *pudenter negare volueris, teſte cœlo, teſte*
, *terra, omnes etiam à furno redeuntes ſcio-*
, *li concludent hoc: Dominus Henricus hæ-*
, *reticus eſt: pro quibus nefandis malis ab*
, *Apoſtolica Sede excommunicatus, nec*
, *poteſtatem aliquam ſuper nos, quia Ca-*
, *tholici ſumus, poterit exercere.* Hæc
, ille.

10 Marianus Scotus, qui ipſo tem-
; pore Henrici IV. floruit, in Chronico anni
, M.LXXV. *Hæc*, inquit, *& ſimilia nefan-*
, *da & inaudita Henrici Regis flagitia*
, *videntes, & audientes fieri Catholici vi-*
, *ri, per id temporis in Eccleſia conſtituti,*
; *cum Propheta Helia zelo Domini zelan-*
, *tes pro domo Iſrael, directis Romam nun-*
, *cijs ad Alexandrum Apoſtolicæ Sedis*
, *Antiſtitem, hæc ei, & alia quampluri-*
, *ma, quæ in regno Teutonico, inſanienti-*
, *bus ſimoniacis hæreticis, Rege Henrico*
, *auctore, & patrono, dicta & geſta ſunt,*
, *tam litteris, quàm viua voce gemendo, ac*
, *dolendo conqueſti ſunt.*

11 Item Dodechinus Mariani con-
, tinuator anno M.C.VI. *Henricum*, inquit,
, *hominem perverſum, & iuſto iudicio ab*
, *Eccleſia eiectum, conſtat manifeſtè: ven-*
, *didit enim omnia ſpiritualia.* Idem vero
, Auctor anno M.XC. & M.XCIII. multa ſce-
, lera horrenda prorſus Henrici IV. refert.
, Sanctus quoque Anſelmus Cantuarienſis eiuſ-
, dem temporis Auctor in Epiſt. ad Vualra-
, mum, quæ præcedit librum de Azymo, Hen-
, ricum IV. Neronis, Domitiani, & Diocle-
, tiani ſucceſſorem vocat. Denique non pau-
, ca Henrici ſcelera referunt Lambertus
, Schaffnaburgenſis, Abbas Vſpergenſis in
, Chronico, Albertus Krantius lib. 5. Metro-
, polis, & lib. 5. Saxoniæ, & Ioannes Aventi-
, nus lib. 5. Annalium Boiorum; quibus Au-
, ctoribus Magdeburgenſes multum tribuere
, ſolent. Quid? quòd Calvinus ipſe idem fa-
, tetur? ſic enim ſcribit lib. 4. Inſtitut. cap.
, 11. §. 13. *Imperator Henricus eius no-*
, *minis quartus, homò levis, & temera-*
, *rius, nullius conſilij, magnæ audaciæ, &*
, *vitæ diſſolutæ, Epiſcopatus totius Ger-*
, *maniæ habebat in aula ſua partim vena-*
, *les, partim prædæ expoſitos.*

12 Tertiò ſcribit Benno, Grego-
, rium Papam hæreticum Berengarianum fuiſ-
, ſe, hoc eſt, non certò credidiſſe in Eucha-
, riſtia adeſſe verum Chriſti corpus. Sed certè
, nihil minùs de hoc Pontifice dici poteſt.
, Nam (vt omittam quod ſanctus ab omnibus
, ſcriptoribus appellatur, quòd Leoni IX. &
, Nicolao II. qui Berengarium damnaverunt,
, ſemper communicavit, quòd nullus proba-
, tus Auctor, ac ne Sigebertus quidem, qui pa-
, rum ei favit, tale aliquid aſſerere auſus eſt)
, hic ipſe Gregorius in Concilio Turonenſi
, tanquam Legatus Summi Pontificis præſi-
, dens, eundem Berengarium confutavit. Sic
, enim Guitmundus ſcribit lib. 3. de Eucha-
, riſtia: *Ipſa Eccleſia per B. Leonem Pa-*
, *pam hæc Berengariana figmenta mox ſuo*
, *exortu damnavit; deinde per hunc ip-*
, *ſum, qui nunc præeſt, B. Gregorium Pa-*
, *pam, tunc Archidiaconum eiuſdem Ro-*
, *manæ Sedis, in Concilio Turonenſi con-*
, *victum, ipſumque Berengarium, vt vide-*
, *batur, correctum, ac propriæ manus Sa-*

cra-

cramento ſatisfacientem, clementer ſuſcepit, reverſumque aliquanto poſt ad vomitum ſuum, agente ſanctæ recordationis Nicolao Papa, in Generali Concilio Romæ iterùm confutavit.

13 Ac ne fortè dicant, Gregorium, cùm eſſet Archidiaconus, Catholicum fuiſſe, in Pontificatu verò hæreticum factum; legatur Thomas VValdenſis tom. 2. de Sacramentis cap. 43. vbi recitat ad verbum ſententiam Gregorij huius Papæ VII. quam in Romano Concilio contra Berengarium tulit anno Pontificatûs VI. ex qua luce clariùs apparebit, mentitum eſſe Bennonem.

14 Quartò ſcribit Benno, Gregorium virum deterrimum fuiſſe, ſimoniacum, magum, adulterum, homicidam, denique omnibus ſceleribus coopertum: & hiſtorias quaſdam narrat, quarum nulla extant veſtigia in bonis Auctoribus, & eas tamen pro oraculis vendunt Illyricus, & Tilmanus.

15 At contrarium ſcripſerunt illo ipſo tempore, & poſterioribus ſæculis, omnes ferè alij Auctores. At, vt ſolùm Germanos proferam, Trithemius in Chronico ſcribit hoc modo de conciliabulo Imperatoris: *Ad hoc*, inquit, *Concilium malignantium Gulielmus Abbas Hirſaugienſis vocatus ire contempſit, quippe qui Vicarium Chriſti ſanctum, & innocentem noverat.* Otho Feiſingenſis lib. 6. Hiſtor. cap. 32. *Hildebrandus*, inquit, *ſemper in Eccleſiaſtico rigore conſtantiſſimus fuit.* Et c. 34. *Forma*, inquit, *gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonſtravit, ac fortis per omnia athleta murum ſe pro domo Domini ponere non timuit.* Et c. 36. *Eccleſia tanto Paſtore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices, præcipui zeli & auctoritatis fuit, orbata, dolorem non modicum habuit.* Krantius in Metropoli lib. 5. cap. 20. *Henricus IV.* inquit, *Eccleſiarum iura invaſit, Epiſcopos pro ſuo arbitrio inſtituens, deſtituenſque, ſummum Pontificem Gregoriū VII. virum ſanctum inſectatus eſt.*

16 Abbas Vrſpergenſis non videtur auſus fuiſſe nimis apertè Gregorium VII. laudare: tribus tamen in locis indicat ſententiam ſuam. Primò, vbi verbis clariſſimis Henricum IV. vituperat: *Anno*, inquit, *Domini M. L X V I I I. Henricus Rex, adoleſcentiæ vſus libertate, Saxoniam ſolam ex omni Romano Imperio cœpit incolere, Principes deſpicere, nobiles opprimere, inferiores ſuſtollere, venatui, luſibus, cæteriſque huiuſmodi exercitijs, pluſquam iuſtitijs faciendis, vt incuſatus eſt, operam dare, filias illuſtrium quibuslibet obſcurè natis coniugare, priuata præſidia, nimirùm potentibus non ſatis fidens, inſtituere.* Et infrà: *Hic finis, hic interitus, hæcque ſors vltima Henrici, illo ſub vocabulo quarti Romani Imperatoris à ſuis appellati: à Catholicis verò, id eſt, cunctis B. Petro, ſuiſque ſucceſſoribus fidem, & obedientiā lege Chriſtiana conſervantibus archipirata, ſimul & hæreſiarcha, necnon & apoſtata, perſecutorque plus animarum, quam corporum, competenter dicebatur.* Hæc ille; vbi dum Henricum ab adoleſcentia in tyrannidem declinaſſe docet; iuſtum Gregorij iudicium in eundem Regem fuiſſe demonſtrat.

17 Deinde infrà, cùm citaſſet verba conciliabuli contra Gregorium, ac deinde defenſionem S. Anſelmi pro eodem Gregorio, ita ſubiungit Abbas: *Huic priori ſententiæ valdè contraria ſcripſit Anſelmus Epiſcopus, vir litteris apprimè eruditus, ingenio acutiſſimus, facundia præcipuus, &, quod omnibus maius eſt, in Dei timore, & ſancta converſatione nominatiſſimus, adeò vt tam in vita, quam poſt mortem, referatur miraculis clarus.* Hæc ille. Qui certè, dum anteponit Gregorij laudatorem reprehenſoribus, mirum ſi non ipſe etiam Gregorium tacitè laudare videatur.

18 Denique infrà ſic ait de Succeſſore Gregorij VII. *Deſiderius Cardinalis Romanus, & Abbas Caſſinenſis, verus Chriſti famulus, licèt multum corde ſimul, & corpore renitens, ſubſtituitur. Sed cùm infirmitate gravi laborans ad ſummum hunc apicem provheretur, precibus obtinuit, vt infra non multos dies ex hac vita tolleretur.* Quis autem dubitat hunc Deſiderium, ſi verus Chriſti famulus erat, non fuiſſe vnquam approbaturum cauſam Gregorij, niſi eam iuſtiſſimam eſſe cognoviſſet?

19 Nauclerus in Chronico generation. 37. *Vir*, inquit, *fuit Gregorius religioſus, timens Deum, iuſtitiæ, & æquitatis amator, in aduerſis conſtans, qui propter Deum in his, quæ ad iuſtitiam pertinebant, nihil timuiſſet perficere.*

20 Marianus Scotus Fuldenſis Monachus, qui tempore Gregorij VII. vixit, in Chronico anni M.LXXV. *Gregorius*, inquit, *querimonijs, & clamoribus Catholicorum iuſtis aduerſus Henricum, & ſcelerum eius immanitatem, auditis, zelo Dei accenſus, iam dictum Regem excommunicatum pronuntiavit; maximè*

prop-

propter ſimoniam: quod factum Catholicis quidem viris benè placuit: ſimoniacis vero, ac fautoribus Regis, nimium diſ-diſplicuit.

21 Dodechinus Abbas continuator Mariani anno M.LXXXV. *Ipſe*, inquit, *Vrbanus venerabilis Papæ Gregorij ſcripta, & dicta contra ſchiſmaticos habita confirmavit.* Et anno M.XC. beatæ memoriæ Papam Gregorium nominat.

22 Lambertus Schaffnaburgenſis, qui eodem tempore vixit, in hiſtoria rerum Germanicarum: *Hildebrandi*, inquit, *conſtantia, & invictus adverſus avaritiam animus, omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ.* Item: *Signa & prodigia, quæ per orationes Gregorij Papæ frequentius fiebant: & zelus eius ferventiſſimus pro Deo, & Eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Item: ibidem refert obitum Golielmi Epiſcopi Traiectenſis, qui vnà cum Brunone Gregorium oppugnaverat. *Repente*, inquit, *graviſsima ægritudine correptus, miſerabili eiulatu coram omnibus vociferabatur, iuſto Dei iudicio ſe & præſentem vitã amiſiſſe, & æternam, quòd Regi ad omnia quæ perperam intendiſſet, operam ſuam ſummo anniſu præbuiſſet, atque in ſpem gratiæ eius Romano Pontifici ſanctiſsimo, & Apoſtolicarum virtutum viro, graves contumelias ſciens & prudens innocenti irrogaſſet.* Denique ibidem: *Papa*, inquit, *vbi Miſſarum ſolemnia celebraſſet, proferens manu corpus Dominicum ad Regem, palam ait: Ego iam pridem à te, tuiſque fautoribus inſimulor, Sedem Apoſtolicam per ſimoniacam hæreſim occupaſſe, & alijs criminibus vitam maculaſſe. Quò igitur ſatisfactionis compendio, omnem omnibus ſcandali ſcrupulum auferam, Deum precor; vt ſuo me hodie iudicio, vel abſoluat ſubiecti criminis ſuſpicione, ſi innocens: vel ſubitanea morte interimat, ſi reus: & mox partem Dominici corporis accepit, & comedit. Qua liberrimè aſſumpta, tum populus innocentiæ Pontificis congratulatus in laudes Dei aliquandiu acclamaſſet; ad Regem conversus: Fac*, inquit, *fili, ſi placet, quod me facere vidiſti. Rex poſt dilationem impetratam recuſavit eo modo ſe purgare, nec iniuria: vbi enim ad ſuos redierat, ſtatim etiam ad ingenium rediit, nec prius quievit, quam & B. Gregorium vrbe expuliſſet, & Gilbertum Ravennatenſem Epiſcopum eius loco ſuppoſuiſſet.* Hæc ille.

23 Ioannes Aventinus teſtat ex Germanis, qui hoc noſtro ſæculo ſcripſit, & licèt multa ſcribat in Gregorium noſtrum ex Auctore quodam ſine nomine, ac propterea etiam ſine auctoritate: tamen alicubi etiam veritate victus, Henricum reprehendit, & Gregorium laudat. Sic enim ait lib. 5. Annalium Boiorum pag. 563: *Henricum ſtupris, amoribus, impudicitiæ, & adulterij flagraſſe infamia, ne amici quidem negant.* Et infrà: *Gregorium virum ſanctiſsimum pervicaciorem extitiſſe, Paulus Bernrietenſis, qui eius vitam duobus libris complexus eſt, & reliqui eius partium acerrimi propugnatores produnt.* Et infrà pag. 579. poſteaquam deſcripſit crimina Gregorio ab Adverſarijs obiecta, ita ſubiungit: *Adverſus hæc Anſelmus Lucenſis Epiſcopus (qui hymnos, & alia quæ de Servatoris noſtri cruciatibus præſcripta ſunt, de Gregorio interpretatur) & Gulielmus Hirſaugius, qui ſuam cauſam, ſeque iuſtos eſſe, miraculis poſt mortem declararunt, pleraque ſcripſere.*

24 Habemus igitur innocentiam Gregorij probatam tripliciter: teſtimonio ſcriptorum: teſtimonio Adverſarij morientis: & teſtimonio Dei à Pontifice invocati. Vna ſolùm ſupereſt calumnia Sigeberti, qui in Chronico ſcribit Gregorium VII. ſenſiſſe Presbyterum concubinarium, ſi fortè ſacrum facere velit, non poſſe reverà conſecrare, & idcirco interdixiſſe Chriſtianis, ne concubinariorum Presbyterorum ſacris intereſſent.

25 Respondeo, Sigebertum fuiſſe ex ſectatoribus Henrici IV. vt Trithemius refert in Catalogo ſcriptorum, & ideo ſiniſtrè interpretatum interdictum Gregorij. Quid autem Gregorius ſenſerit, longe melius, & fideliùs refert B. Anſelmus Sigeberto antiquior, & ſanctior. Qui in Epiſt. ad Gulielmum Abbatem ſic ait: *De Presbyteris*, inquit, *qui ſe apertè reprobos, & libidinis commercio Deo execrabiles exhibent, omninò tenendum eſt, quod Apoſtolica providentia Eccleſiaſtico, iuſtoque rigore conſtituit: nempe nullatenus conveniri, vt ibi reverentia habeatur, vbi pertinaciter aperta, & impudenti libidine fatentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo, ſacris altaribus deſerviunt, immo non deſerviunt, ſed quantum ad ipſos pertinet, turpiter contaminant. Non quò quis ea, quæ tractant, contemnenda, ſed ipſos potius tractantes execrandos exiſtimet, vt qui Dei, &*

An-

; *Angelorum præſentiam non reverentur,*
, *vel hominum deteſtatione repulſi, ſacra*
, *contaminare deſiſtant.* Hæc ille, qui rectiſ-
, ſimè decretum Gregorij tempore ſuo edi-
, tum explicavit. *

26 Hucuſque, & plura alia apud laudatum Bellarminum, pro innocentia Gregorij VII. contra Henricianorum, Schiſmaticorum, & Sectariorum quorumlibet commenta, quibus illum diverſorum ſcelerum, ſchiſmatis, & hæreſeos, incuſare non ſunt veriti.

SECTIO SECVNDA.

Proferuntur plura alia à Bellarmino omiſſa ex teſtimonijs & Scriptoribus eiuſdem ætatis, quibus fides incorrupta, innocentia, ſanctitas, doctrina, & perpetua morum honeſtas a pueritia aſſeritur Gregorio VII.

27 QVAMVIS Ea, quæ ex Bellarmino mutuavimus ſectione præcedenti pro innocentia & ſanctitate Gregorij VII. adeò illuſtria ſint, vt adverſarijs mutis eſſe liceat; placet adhuc nonnulla quædam ſubdere in honorem ipſius, ex alijs probatis Scriptoribus, præſertim antiquis: vt appareat, quæcumque convicia in eius natales, educationem, mores, doctrinamque, ſparguntur ab Heterodoxis poſt Bennonem Anti cardinalem, eſſe bruta fulmina, quæ non ratio aut veritas, ſed impotens furor & odium adverſus Eccleſiam Romanam intorſit.

28 Audiendus imprimis Hugo Flaviniacenſis dicens de illo: *Gregorius natus eſt in vrbe Roma, parentibus Ciuibus Romanis, &, quod maximum eſt, religioſis, adſcribendus ciuibus Curiæ cæleſtis. Et ab ineunte ætate Eccleſiaſticis mancipatus officijs, pueritiam ſuam non ſine certis, quæ eum illuſtrem futurum iam tunc ſignarent, documentis, religioſis comitatus perſonis excoluit. Adoleſcentiam adſumpto ſanctitatis propoſito inter mundi contemptores, non ſine magnis perfectionis indicijs perdomuit. Iuventutem nihilominùs militiæ Chriſtianæ dedicatam, ſicut ætate, ita ſana doctrina, & firmamento veritatis roboratam, ſub præclaris totius Chriſtiani nominis tutoribus, & Præſulibus, publicis ſanctæ Eccleſiæ mancipavit vtilitatibus. Hic ob ſingularem excellentis ingenij prærogatiuam a Nicolao Papa in Archidiaconatum Matris Eccleſiæ provectus, ſtrenuus, & laudabili huius officij adminiſtratione in totius orbis notitiam, & Religioſorum dilectionem, brevi devenit.* Hæc ille, cuius ſcripta non vidit Cardinalis Bellarminus, quoniam eius tempore nondum inventa aut edita fuerant.

29 Similiter Guido Abbas in libro Micrologo de Eccleſiaſticis obſervationibus cap. 14. inquit: *De ſignis, quæ ſuper oblationem a diuerſis diuerſè fiunt, nos ab Apoſtolica Sede formam ſumere præſertim decrevimus, vnde totius Chriſtianæ Religionis ordinem & originem ſuſcepimus. Nam & illi Sedi noſtro tempore TALEM DEVS GVBERNATOREM, REVERENDÆ, INQVAM, MEMORIÆ GREGORIVM PAPAM POSVIT, qui ſub decem Anteceſſoribus ſuis* (nimirum Benedicto IX. Sylveſtro III. Gregorio VI. Clemente II. Damaſo II. Leone IX. Victore II. Stephano IX. Nicolao II. & Alexandro II.) *à puero Romæ nutritus & educatus, OMNES APOSTOLICAS TRADITIONES DILIGENTISSIME INVESTIGAVIT, ET INVESTIGATAS STVDIOSISSIME IN ACTVM REFERRE CVRAVIT.* Hæc nimirum Gregorij ab ineunte ætate ſtudia fuerunt ſub tot Pontificibus Romanis, donec ſingulari Dei providentia erga Eccleſiam ſuam laborantem, afflictam, & magna ſui parte conſpurcatam execrandis facinoribus Henrici Regis ſacra iura invadentis, & vendentis dignitates Eccleſiaſticas, electus fuit ille in Vicarium Chriſti, vt tanquam alter Elias aut Phinees zelo divini honoris æſtuaret.

30 Eandem inſtitutionem optimam & honeſtatem Gregorij à teneris annis vſque in diem exaltationis ſuæ in Sedem Apoſtolicam, expertus fuerat Clerus Romanus, & teſtatam reliquit in formula electionis illius ad Pontificatum facta decimò Kalendas Maij anno 1072. quam ſuprà exſcripſimus maiore ſui parte, prout à Bellarmino affertur. Nunc verò accipe integram, prout legitur apud Platinam in Vita eiuſdem Gregorij, iuxta editionem Pariſienſem Franciſci Regnault anni M.DV.
, qua vtimur:* Nos infraſcripti ſanctæ Roma-
, næ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolythi,
, Subdiaconi, Presbyteri, præſentibus Epiſ-
, copis, Abbatibus, multiſque, tum Eccleſia-
, ſtici, tum laici Ordinis, eligimus hodie de-
, cimo Kalendas Maij in Baſilica S. Petri ad
, Vincula anno ſalutis milleſimo ſeptuageſi-
, mo ſecundo in verum Chriſti Vicarium
, *HILDEBRANDVM* Archidiaconum,
, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, pru-
, dentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, religionis, mo-
, deſtum, ſobrium, continentem (hactenus

, ſu-

, ſolùm exſcripſit Bellarminus) domum ſuam , gubernantem, pauperibus hoſpitalem, *IN , GREMIO SANCTÆ MATRIS , ECCLESIÆ LIBERE A TENE- , RIS ANNIS VSQVE AD , HANC ÆTATEM EDVCATVM, , DOCTVM*: quem quidem cum ea po- , teſtate Eccleſiæ Dei eſſe volumus, qua Pe- , trus Dei mandato quondam præfuit. * Eant nunc, quicumque ex Sectarijs, Bennone duce, inquirunt in vitam & mores Hildebrandi, antequam Pontifex eligeretur.

31. Sed & præterea quàm piè & ſanctè vixerit in Monachatu, & quomodo mores ſuos exegerit ad præſcriptum Regulæ S. Benedicti, præter plura alia, id declarat, quòd à S. Hugone Abbate Cluniacenſi, cognomento Magno, electus fuerit Præpoſitus eiuſdem Archimonaſterij, tunc in tota Eccleſia florentis inſigni opinione ſanctitatis. quam ſe deprehendiſſe, expertum fuiſſe, & oculis ipſis vſurpaſſe teſtatur, qui tunc Eccleſiam illuſtrabat, S. Petrus Damianus Cardinalis, in quadam Epiſtola loquens de Cœnobio Cluniacenſi, quaſi de Paradiſo quodam cœli æmulo: vbi mortales homines pene angelicam vitam agerent. Quis autem credat, ſanctiſſimum virum Hugonem Abbatem, cui neceſſe erat plerumque extra Cluniacum eſſe, & peregrinari ad viſitandum reformandumque innumera Cœnobia ſibi ſubiecta in varijs Provincijs Regniſque, commiſſurum ſui præcipui Monaſterij regimen Hildebrando, niſi probato per ignem & aquam, omniumque virtutum dotibus præcellenti?

32. Accedit, iuxta teſtimonium omnium pene ſcriptorum eius ſæculi, tantam fuiſſe tunc auctoritatem Hildebrandi, vt Sanctus Leo IX. qui recens in Germania à ſolo Imperatore nominatus Pontifex Romam proficiſcebatur cum ingenti comitatu, & Pontificalibus inſignibus; ea depoſuerit hortatu ſolius Hildebrandi, tunc Præpoſiti Cluniacenſis, & exinde Romam vſque cum ipſo ſine vllo apparatu pervenerit, vbi poſt præclara pietatis & humilitatis ſuæ teſtimonia edita, Pontifex ritè creatus fuit, communi omnium conſenſu, die duodecima Februarij, Dominica prima Quadrageſimæ, anno milleſimo quadrageſimo nono, id eſt viginti tribus annis antequam Hildebrandus, ipſius ſocius in eo itinere, Pontifex eligeretur. Nec verò dubitare licet, magnam tunc fuiſſe opinionem ſanctitatis, & doctrinæ Hildebrandi, cuius vnius conſilio S. Leo IX. in re tanta vſus fuerit; præſertim cùm eius Pontificatus iam antea cœleſtibus prodigijs prænuntiatus fuiſſet; & illo ſpeciatim, quòd Brunoni ipſi (ſic Leo ante Pontificatum dicebatur) ingredienti quælibet oppida in eo itinere, antequam ſciretur quod nomen poſtea habiturus eſſet, galli gallinacei, iuxta idioma proprium cuiuſque regionis, clamarent identidem, *LEO PAPA, LEO PAPA*. Sic enim teſtatur, præter alios, Richerius in Chronico Monaſterij Senonenſis lib. 2. cap. 10. Et tamen poſt id cœleſte vaticinium Bruno, hortatu vnius Hildebrandi, inſignia Pontificalia depoſuit, ac ſimplici habitu & comitatu deinde Cluniaco Romam profectus fuit.

33. Quàm verò iniuſta ſit accuſatio altera Gregorij, quòd Pontificatum ambierit, & malis artibus adeptus fuerit, non ſolùm formula electionis ipſius paulò antè exſcripta iuxta communem totius Cleri Romani conſenſum declarat, ſed præterea ſolemnis probatio innocentiæ adhibita dum Miſſam celebraret coram Henrico, vt ſuprà vidimus num. 22. ex Lamberto Scaffnaburgenſi Scriptore eiuſdem temporis. Cui adiungo Decretum ipſius Gregorij publicè editum, quo Henricum cum omni regia adminiſtratione, & Epiſcopos quoſdam eius ſceleribus conſentientes dignitatibus privavit, ſuamque innocentiam coram Deo teſtatus fuit hiſce verbis, prout , apud Platinam extant pag. 166. * Beate Pe- , tre, Apoſtolorum Princeps, inclina, quæſo, , aures tuas, & me ſervum tuum exaudi, quem , & ab infantia educaſti, & vſque in hanc diē , ab iniquorum manibus vendicaſti, *QVI , ME PRO ME A INTE FIDE , ODERVNT, ET PERSECVTI , SVNT*. Tu mihi teſtis es optimus, & pia , *IESV-CHRISTI* Mater, & frater tuus , Paulus, tecum martyrij particeps, *ME , NON SPONTE, SED INVITVM , PONTIFICATVS GVBERNA- , CVLA SVSCEPISSE*. non quòd rapi- , nam arbitratus ſim Sedem tuam legitimè , conſcendere: ſed malebam vitam meam in , peregrinatione degere, quàm locum tuum , pro gloria & fama tantum occupare. Fateor, , ego, & meritò quidem, mihi tua gratia, non , meritis meis, populi Chriſtiani curam de- , mandatam eſſe, conceſſamque ligandi, & ſol- , vendi poteſtatem. Hac itaque fiducia fretus, , pro dignitate & tutela Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, , *OMNIPOTENTIS DEI NO- , MINE, PATRIS, FILII, ET , SPIRITVS SANCTI*, Henricum , Regem, Henrici quondam Imperatoris filiū, , qui audacter nimiùm & temerariè in Eccle- , ſiam tuam manus iniecit, Imperatoria ad- , miniſtratione, Regiaque deijcio: & Chri- , ſtianos omnes iuramento illo abſolvo, quo , fidem veris Regibus præſtare conſueverunt.

Dig-

„ Dignum eſt enim vt is dignitate careat, qui „ maieſtatē Eccleſię imminuere conatur. Præterea verò quia mandata mea, immo tua, ad ſui „ ipſius populorumq; ſalutē pertinētia cōtempſit, & ſe ab Eccleſia Dei, quam ſeditionibus „ peſſumdare cupit, ſeparavit, eum anathematis vinculo ligo; certò ſciens, te eſſe Petrū, „ in cuius petra, vt in vero fundamento, Rex „ noſter Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam, &c. * Hæc fuit formula abrogationis Henrici, in qua teſtatur coram Deo & Sanctis eius, ſe non ſponte, ſed invitum, ad Pontificiam dignitatem aſſumptum fuiſſe, contra quàm ipſius adverſarij diſſeminabant.

34 Cumque Henricus poſtea deterior indies fieret, nec Pontificijs monitis, aut ſacro anathematū fulmine deterreretur, hanc iterum execrationem Gregorius in eum tulit, ex qua ſola priora verba exſcribere placet: *Beate Petre, Apoſtolorum Princeps, & tu Paule Gentium Doctor, veſtras, quæſo, aures mihi paululum præbete, meque clementer exaudite: nam Veritatis diſcipuli eſtis & amatores. Quæ dicam, vera ſunt. Hanc cauſam ſuſcipio veritatis gratia: vt fratres mei, quorum ſalutem exopto, mihi obſequentiùs acquieſcant, ſciant, & intelligant quòd veſtro auxilio fretus, poſt Chriſtum & Matrem eius ſemper virginem, flagitioſis & iniquis reſiſto: fidelibus autem præſtò adſum, & auxilium fero. NON ENIM VOLENS ET LIBENS HANC SEDEM CONSCENDI, SED INVITVS ET LACRYMANS, quòd me indignum iudicabam, qui in tam excelſo throno ſederem. Hæc ego dico, quia non ego vos, ſed vos me elegiſtis, & graviſſimum pondus humeris noſtris impoſuiſtis, &c.* Quo auſu Gregorius alloquens Apoſtolos Petrum & Paulum teſtaretur, ſe invitum & lachrymantem collocatum fuiſſe in ſuprema Eccleſiæ cathedra, ſi, vt adverſarij garriunt, malis artibus eam invaſiſſet? Hæc, & reliqua omnia, quæ graviſſimi Scriptores eiuſdem temporis, ac vicini, & plures alij infrà allegandi, de Gregorio ſcripſerunt, cuilibet homini prudenti luce clariora ſunt: cœcis verò nihil eſt lucidum.

35 Deinde Gregorium in tot illis diſsidijs cum Henrico nec latum vnguem à Iuſtitia, charitate, & prudentia Chriſtiana declinaſſe, ſed potiùs ſe geſſiſſe quemadmodū decebat Pontificem à Deo electum, Eccleſiæ totius Parentem, fidei fortiſsimum Defenſorem, diſciplinæ Eccleſiaſticæ labantis Vindicem, & ſummum zelatorem divini honoris, teſtati ſunt, qui eo ipſo ſæculo ſcripſerunt, & inſigni pietatis opinione claruerunt. Talis fuit S. Anſelmus Cantuarienſis Doctor Eccleſiæ celeberrimus, ad quem nondum Epiſcopum, ſed Abbatem Beccenſem, ipſe Gregorius ſcripſit Epiſtolam infrà Diſp. XLI. ſect. 4. referendam, vt Eccleſiam ab hæreticis oppreſſam Deo commendaret. Ipſe verò ita Gregorio adhęſit ab eo tempore, eiuſque Succeſſoribus, vt poſtea lib. Epiſtolarum tertio Epiſt. 134. Vvaleramnum Epiſcopum Numemburgenſem noluerit ſalutare, quòd ſequeretur partes Henrici Regis à Romano Pontifice anathemate inuſti; illumque appellat *ſucceſſorē Iulij Cæſaris, & Neronis, & Iuliani Apoſtatæ, contrariumque Succeſſori & Vicario Petri.* Præterea Decretum quoddam ipſius Gregorij VII. ſiniſtrè interpretatum ab æmulis, ſano & Catholico ſenſu explicavit Anſelmus ipſe Epiſtol. ad Abbatem Guillelmum, ſuprà num. 25. memorata à Bellarmino, quæ in editione noviſsima, Gabrielis Gerberonis ſtudio adornata, eſt quinquageſſima ſextà libri primi, & lectu digniſsima.

36 Similiter S. Anſelmus Lucenſis, eiuſdem temporis alterum lumen, doctrina, ſanctitate, & miraculis fulgens, Gregorium liberè & conſtanter defendit, non ſolùm in Epiſtola illa apud Abbatem Vſpergenſem citata à Bellarmino, ſed etiam in libris de Guiberrino Schiſmate, id eſt, contra Guibertum Antipapam, idolum ab Henrico Rege ſuppoſitum loco Gregorij. Plura eorum librorum fragmenta eruditè expendit Chriſtianus Lupus Tomo V. in Concilia pag. 670. & ſeqq. diſſerens de Brixinenſi Conciliabulo. Eodem tempore de ipſo Gregorio, veluti iuſto & ſancto Pontifice, ſcripſerunt Marianus Scotus in Chronico lib. 3. ab anno Chriſti M.LXXV. vſque ad M.LXXXII. Lambertus Scaffnaburgenſis in Hiſtoria Germanica non procul à fine, Stephanus Halberſtatenſis in Epiſtola ad Vvalramum apud Dodechinum in additionibus ad Marianum Scotum, Bernardus Corbeienſis In Apologia pro Gregorio allegata à Trithemio in Catalogo Scriptorum; Paulus Bernrietenſis & Gerochus Reicherſpergenſis, quos pro Gregorio ſcripſiſſe, & propterea exilium paſſos fuiſſe ait Ioannes Aventinus lib. 5. Annalium Boiorum. Porrò allegatis ijs ait Bellarminus vbi ſuprà: *Hi igitur decem ſancti & docti Scriptores viventem Gregorium defendebant: ſolus extat ex Scriptoribus illius ætatis Benno pſeudo-cardinalis, qui accuſet.* Adde eodem tempore viventes ſummæ auctoritatis viros quinque: Leonem Cardinalem Hoſtienſem, S. Ivonem Carnotenſem, Victorem III. Vrbanum II. & Paſchalem II. ex quibus duo illi prio-

priores pro Gregorio apertè ſcripſerunt; tres poſteriores ipſius cauſam & iura Eccleſiæ Romanę contra Henricum illum, eiuſque filium amplexi & proſecuti ſunt.

37 Teſtibus ijs quindecim eius temporis adiungo decimum ſextum Bertholdum Conſtantienſem, hiſtoricum fideliſsimum & pium, qui continuavit Chronicon Hermanni Contracti vſque ad annum 1065. & præterea exinde hiſtoriam rerum ſuo tempore geſtarum vſque ad annum 1110, in quo creditur obijſſe. Is ergo ad annum 1082. non ſolùm reprehendit Henricum, eiuſque idolum Guibertū Antipapam, quem iteratò Apoſtatam appellat; ſed etiam Gregorij ſanctitatem commendat. Cùm enim impius Henricus ignem in domos S. Petro contiguas immiſsiſſet, inquit Bertholdus de Gregorio: *Sed Dominus Apoſtolicus huic verſutiæ obviavit. Nam primū viſo incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda tranſmiſsit: ipſeque ſolus fiducia S. Petri fretus, facto ſigno Crucis contra incendium, ignem progredi vlterius non permiſsit.* Vides ſanctitatem Gregorij miraculo confirmatam.

38 Sed neque id miraculum, neque tot alia teſtimonia innocentiæ, ſanctitatis, & integritatis morum, ſatis fuere vt Henricus, & ſequaces, reatum ſuum agnoſcerent. Quin potiùs totum Chriſtianum orbem adverſus eum commovere tentarunt: &, poſt multa alia execranda planè; Conciliabulum Romæ coegerunt, in quo ipſum atrociter & multipliciter criminati ſunt, ſuffecto in Gregorij locum Guiberto Antipapa, & vero Pontifice exulare coacto. Accipe id verbis Mariani Scoti tunc ſcribentis: *Papa audiens multos Romanos favere ſchiſmaticis, deſperans recepit ſe in domum Theodorici, vel Creſcentis, vt quidam dicunt. Sed nec ibi ſe tutum ſciens, cum paucis noctu Salernum abijt: vbi vſque ad obitum ſuum habitavit. Videns autem Henricus Papam aufugiſſe, congregatis triginta Epiſcopis fautoribus ſuis, in ipſa Romanæ vrbis obſidione iuſsit haberi Synodum, in qua Gregorius Papa falſis, & inauditis criminationibus, per Henrici fautores falsè compoſitis, abſens accuſatur. Denique dicebant eum prophanum, ſceleſtum, amatorem diſcordiæ, virum ſanguinum, Sedem Apoſtolicam occupaſſe per Necromantiam. Conſpirantes ergo qui convenerant in vnum adverſus Dominum, & adverſus Vicarium eius Papam Gregorium, damnaverunt eum, & facta damnatione eius Epiſtola comminādo mandaverunt ei, ne amplius Apoſtolicā Sedem pro tantis criminibus cōdemnatus intraret. Et quia in proximo erat ſacratiſsima Paſchæ ſolemnitas, inebriati profunda diabolici furoris inſania, Guibertum Ravennæ civitatis Archiepiſcopum rapuerunt, ac Papam conſecrarunt, quem Clementē nominaverunt. A quo ipſe Henricus in ſancto die Paſchæ vna cum vxore ſua Berta, Cæſaris impoſita appellatione coronatus eſt. Dominus itaque Apoſtolicus Gregorius, audiens ab inſanientibus Guibertum hæreticum, & invaſorem ſibi, in Romana Sede ſuperpoſitum, poteſtate ſancti Spiritus, & auctoritate ſancti Petri Apoſtoli, anathematis mucrone cum mulctavit. Deinde Henricum cum omnibus fautoribus ſuis, Epiſcopis, & Abbatibus, Monachis, & Clericis, laicis quoque potentibus cum infimis quibuſque perſonis, ſub interminatione terribili generaliter communione privavit.*

39 Denique Gregorius poſt innumeros labores perſecutioneſque diras toleratas pro gloria Dei, bono Eccleſiæ, morum reformatione, & correctione immanium ſcelerum, quæ eo tempore perpetrabantur, præſertim ab Henrico, eiuſque ſequacibus, tam Clericis, quàm laicis; pulſus Româ ab ijs, ſeu exulare coactus, primò confugit ad Caſsinum, natalem locum Ordinis ſui ac noſtri, à *SS. P. N. BENEDICTO* conſecratum. Deinde Salernum ſe recepit, vbi inter ærumnas, & dolores patientiſsimè toleratos, plenus fide, ſpe, & charitate ardentiſsima in Deum, innocentis vitæ periodum feliciter clauſit, die 25. Maij anno M.LXXXV. edita illa cygnea voce: *Dilexi iuſtitiam, & odivi iniquitatem: propterea morior in exilio.* Eant nunc quicumque ex Sectarijs mentiuntur, aut ipſum retractaſſe & indicta voluiſſe quę carę mus fecerat contra Henricum; aut peſsima morte obijſſe. Conſtans in ſententia, totius vitæ antèactæ meritis pretioſam coronidem impoſuit. Ideoque mortem eius, veluti ſanctiſsimā, celebrant innumeri Scriptores, præſertim eo tempore viventes: veluti Cardinalis Leo Hoſtienſis in Caſsinenſi Chronico, Hugo Flaviniacenſis in Chronico Eccl. Virdunenſis: quorum prior teſtatur, illum coruſcaſſe miraculis apud Caſsinum dum Miſſam celebraret: poſterior non dubitat appellare Confeſſorem & Martyrem. Scriptor quoque Vitæ S. Anſelmi teſtis oculatus plura eiuſdem Gregorij miracula refert. Quapropter iure merito ab Eccleſia Catholica in album Sanctorum relatus fuit: eademque die XXV. Maij ab ea colitur verbis illis Martyrologij Romani: *BEATVS GREGORIVS PAPA SEPTIMVS, ECCLESIASTICÆ LIBERTA-*

TATIS PROPVGNATOR, AC DEFENSOR ACERRIMVS.

40 Porrò Spondanus in Epitome Baronij ad eundem annum 1085. poſtquam iudicavit plura & ingentia bona Eccleſiæ ſequuta ex fortitudine animi, & zelo Gregorij pro ea tuenda contra Henricum, ſic de illo loquitur: *Eundem verò ſicut in vita, ita & poſt mortem claruiſſe miraculis, idem qui ſupra Bibliothecarius abſque vlla dubitatione confirmat: & ſcriptor vitæ S. Anſelmi teſtis oculatus aſſerit, per mitrā eiuſdē Gregorij præclara Deum feciſſe miracula; atque inter alia Mantuanū Epiſcopū multis iam annis graviſsimo ſplenis morbo affectum, ac toto corpore vlceratum, ſanitati priſtinæ reſtituiſſe. Cuius Sancti corpus noſtra ætate, poſt quingentos fermè ab obitu annos, cùm ſepulchrum eius reſtitueretur, inventum eſt omninò integrum, atque incorruptum, & ita hactenùs perſeverat: ſicut & multis alijs Sanctorum corporibus accidiſſe noſcitur.*

41 Mitto innumeros alios Scriptores, tum vicinos eidem tempori, tum noſtro propinquiores, palam tuentes cauſam Gregorij adverſus Henricum, & illius fidem illibatam, ſanctitatem morum perpetuam, zelumque Apoſtolicum aſſerentes; quos denſo numero allegant laudati Baronius & Bellarminus, ac plures alij Recentiores, qui verumque imitati ſunt; ſed præcipuè Chriſtianus Lupus Tomo V. in Concilia, vbi paſsim ferè tuetur Gregorium, ac crebris elogijs in cœlum effert, & concludit pag. 835. appellans ipſum, *ALTERVM SVI TEMPORIS ATHANASIVM.*

SECTIO TERTIA.

Defenſio alia Gregorij VII. ex Chronologia doctiſsimi Genebrardi Archiepiſcopi Aquenſis κατὰ ἐν δὰς exſcripta, & lectu maximè digna.

42 DECREVERAM Nihil ampliùs pro S. Gregorio VII. Papa ſcribere, cuius fides integra, ſanctitas illibata, & doctrina Apoſtolica, abundè ex dictis demonſtrata fuit. Verùm poſtea incidi in Chronologiam doctiſsimi Genebrardi Archiepiſcopi Aquenſis in Gallia (quem omnes Catholici, præſertim verò Raynaudus, & Dechamps, iure celebrant, veluti mirum & clariſsimum eiuſdem Nationis lumen) ad annum Mundi 5161. Chriſti verò 1073. vbi latiùs ſolito de eodem ſanctiſsimo Pontifice agit, ſimulque de Henrico Rege, ac cæteris illius adverſarijs; citatque Auctores omni fide dignos, è quibus totam eam narrationem eruit. Quare viſum in gratiam Lectorum, quibus copia non eſt eius aurei Operis, eam hoc loci integrè exſcribere. Sic itaque de Gregorio loquitur Genebrardus.

43 * Omnium bonorum conſenſu Pontifex creatus fuit. Formula electionis eius extat apud Platinam. Henricum IV. Imperatorem multa in Eccleſia temerè molientem, omni priùs privatum Imperatoria adminiſtratione, anathemate percutit, nec abſolvit, donec depoſito regio ornatu, nudis pedibus, quamvis aſperrima eſſet hyems, & gelu cuncta rigeſcerent, ad ſe veniret petens veniam, & pollicens integram obedientiam, & emendationem. Vir dignus Pontificatu ad deprimendum Politicorum ſupercilium. Monarchas terruit nominis ſui, & zeli claritate. Captivitatem Eccleſiæ & ſervitutem, quam à Principibus patiebatur, reſtituit, vlulantibus Centuriatoribus. Cultor, & defenſor iuſtitiæ & libertatis Eccleſiæ acerrimus.

44 Miraculis coruſcavit. *Martinus Polonus.* Signa & prodigia per orationes faciebat. *Lambertus Schafnab.* Dono Prophetiæ præditus. *Vincentius Gallus ex Guilielmo hiſtor. in Speculo lib. 25. cap. 44.* Semper in Eccleſiaſtico rigore conſtantiſsimus. *Otho Friſing. lib. 6. cap. 32.* Inter omnes Romanos Pontifices præcipui zeli & authoritatis. *Ibid. cap. 36. Conſentiunt Gotfridus Viterbergenſis in Chron. p. 7. Trith. in Chron. Nauclerus Gen. 37. Crant. in Metrop. lib. 5. cap. 20. Sabell. Ennead. 9. lib. 3. Tyrius lib. 1. cap. 13. denique Anſelmus, Bernardus Corbienſis, Marianus Scotus, Martinus Polonus, Blondus, Abbas Vſperg. Soli Centuriatores reclamant.*

45 Anno 1079. Boleſlaum II. cognomento ferum, Polonorum Regem, regni titulo, & iure pellit. *Cromer. lib. 5.* Vnde ſucceſſor Vladiſlaus Regem ſe appellari non eſt paſſus, quòd inunctus, & coronatus ſolemniter Pontificis interdicto non eſſet. Quod obtinuit vſque ad annum *1295. Ibidem.*

46 Laudatiſsimus & zelo ſingularis, vereque Apoſtolicus. Quare audita Stanislai Epiſcopi nece, Boleslaum Poloniæ Regem, difficillimis alioqui temporibus, excommunicat. Aulicos quoſdam Henrici Imper. quorum conſilio, Sacerdotia, Pontificatus, Monaſteria vendebantur, ac lupi, non Paſtores præficiebantur, repetundarum poſtulavit, & execratus eſt fulmine Apoſtolico: Henrico præcipiens, vt illos

, aulâ, prætorio, curiâ, exigeret. Poſtremò
, Henricum ipſum, ſolemniter miſſo per om-
, nes ferè orbis partes anathemate, excom-
, municavit. Noluit enim pati, vt iſtius vo-
, luntas requireretur in eligendo Romano
, Pontifice. item, vt Epiſcopatus Imperij ter-
, minis incluſos Imperator pro ſuo arbitrio
, diſtribueret. Nam quæ ſunt Dei, Deo.
, Quid Principi politico cum rebus Eccle-
, ſiæ? Denique, vt maritos faceret Sacerdo-
, tes, vt viciſsim Sacerdotes maritos, con-
, tra receptum Eccleſiæ morem. Adeò
, piam cauſam adiuvit Deus. Exorti enim
, motus Henricum ipſum perdiderunt, & Im-
, perij ſuperbiam valdè attriverunt, iſto de
, Imperij gradu ignominioſiſsimè deiecto.

47 Pontifex Proceres, & popu-
, lum ſacramento præſtito ſanctè ſolvit, &
, vt Rodulpho adhæreant ſanctiùs imperat.
, Eius enim eſt videre nequid detrimenti res
, Chriſtiana à Principibus patiatur. An non
, Samuel Levita Dei auctoritate Saulem Re-
, gem creavit: deindeque peccantem publi-
, cè depoſuit, Davide ſubſtituto & inuncto?
, An non Elias Dei ſpiritu Reges conſtituit
, & abdicat, non modò in Iſrael, ſed & in
, Syria? 3. Regum 19. An non Hieremias
, Sacerdos accipit poteſtatem ſuper gentes &
, regna, vt deſtruat, & ædificet, evellat, &
, plantet (cap. 1. verſ. 10.) An Apoſtolica
, auctoritas minor eſt quàm Prophetica? Quo-
, modo igitur illud Spiritus ſancti imple-
, tum, *Pro patribus nati ſunt tibi filij, con-*
, *ſtitues eos Principes ſuper omnem ter-*
, *ram?* Quare ſtat immota vox, vel potiùs
, oraculum D. Ambroſij Epiſtol. 33. *Veteri*
, *iure a Sacerdotibus donantur Imperia,*
, *non vſurpantur.* Et illud Petri Cluniacen-
, ſis Epiſtol. 29. lib. 6. *Quamvis Eccleſia*
, *non habeat Imperatoris gladium, habet*
, *tamen ſuper ipſos Imperatores Impe-*
, *rium. Vnde ei ſub figura Prophetici no-*
, *minis dicitur: Conſtitui te ſuper gentes,*
, *& regna, vt evellas, deſtruas, diſperdas,*
, *diſsipes, ædifices, plantes.* Hæc contra
, Centuriatorum eiulatus.

48 Vladiſlao Boemorum duci pe-
, tenti vt ſibi, ſuoque populo liceret rem di-
, vinam Slavonica lingua peragere, non aſſen-
, ſit, quòd id Chriſtiano inſtituto minùs con-
, grueret, & linguis titulo Crucis non ſi-
, ne Dei providentia dedicatis decerperet,
, per quas Sanctorum communio per totum
, orbem conſervatur, atque colligitur, vti
, linguarum diverſitate confuſio atque diſsi-
, dium per mundum viget. *Ipſe lib. 7. Regi-*
, *ſtri ad Boemorum ducem. Et Olaus Mag.*
, *lib. 19. cap. 37.*

49 Henricus IV. zelo eius invidens
, conatus eſt vi quendam in Sedem Apoſtoli-
, cam ipſius loco intrudere. Falſa de illo, à
, quo iuſtè fuerat excommunicatus, ſparſit in-
, dicto apud Vvormaciam Concilio anno
, 1076. Epiſcoporum 24. ad quod ſuperve-
, nit quidam apoſtata Hugo Blancus, propter
, mores improbos à Cardinalatu depoſitus,
, plenus minarum, deferens ſecum de vita, &
, inſtitutione Papæ, ſcenicis figmentis con-
, ſimilem tragœdiam, ſcilicet vnde oriundus,
, quo pacto ab ineunte ætate converſatus, quâ
, perverſo ordine Sedem Apoſtolicam occu-
, paverit, quæ ante Pontificatum, quę poſt eum
, adeptum flagitia commiſſerit. *Tritthem. in*
, *Chronico Hirſaug.*

50 Sed bonâ cauſâ vincente, anno
, que ſequenti totius penè regni Principibus
, eius Imperio renuntiantibus in Comitijs
, Openheimenſibus, neceſsitate compulſus
, Romam venit, vt nudis pedibus, & corpo-
, re ſolis laneis tecto, in terramque proſtrato,
, veniam peteret. Abſolutus non diu perman-
, ſit in iure iurando, vt proinde eum denuò
, excommunicare oportuerit, & in ipſius ca-
, put iuſtè ea attrahere, ob quæ miſeri Cen-
, turiatores cœlum terramque contra Chriſti
, Vicarios obteſtantur. *Ibidem.*

51 Conſtantienſem, Bambergenſem,
, Moguntinenſem, & plures alios Epiſcopatus,
, pecuniâ vendidit. Ratisbonenſem, Auguſten-
, ſem, & Straburgenſem pro gladio, Monaſte-
, rienſem pro Sodomitica immunditia, Abba-
, tiam Fuldenſem pro adulterio. *Ibid. ex Ste-*
, *phani Halberſtadenſis Epiſt. ad Vualra-*
, *mum Epiſcopum.*

52 Clam accedens ad vxorem ſuam,
, ſpecie adulteri (adeò enim ei infenſus erat,
, vt omnes divortij occaſiones quæreret) ab
, ipſa & ancillis pugnis, ſedilibus, & quibuſ-
, cumque inſtrumentis mulctatus extruditur
, foras. Hinc morbo deinceps ſex hebdoma-
, das laborat. *Chron. Magdeburgenſe.*

53 Conradum filium incitat, vt eum
, noverca cocat. Crantzius in Metropoli. In
, eamque, licèt legitimam vxorem & honeſtiſ-
, ſimam, inaudita ſcelera commiſsit, multis vi
, opprimendam proſtituens. Vnde non modò
, vt ſchiſmaticum, hæreticū, & ſimoniacū, ſed
, etiam vt Nicolaitarum hæreſis æmulum Vr-
, banus II. in Romana Synodo iterum excom-
, municavit. *Trith. in Chron. Hirſaug.*

54 Primus inter omnes Imperato-
, res Occidentis per Papam depoſitus. *Ibi-*
, *dem.* Vult à ſe vocari, vel ordinari Pontifices
, etiam Romanos. Hinc illæ graves, & perni-
, cioſæ turbæ inter eum & Eccleſiam, quæ in-
, tegrum ſæculum durârunt. Introducere co-

na-

natus Sacerdotum coniugia, & maritos Epiſcopos deſignat. *Lambert.* Cui quia ſe ſanctiſſimè opponit Gregorius, à Magdeb. Centur. II. cap. 7. pag. 382. traducitur quaſi primus publico edicto Sacerdotibus coniugia interdixerit, & populum eorum ſacrificijs intereſſe, aut illos pro Sacerdotibus habere vetuerit; quaſi etiam vſque ad hoc tempus Sacerdotibus integrũ fuerit vxores ducere. Quod falſiſsimum docet Eſpencæus lib. 1. de Continentia, præſertim 12. cap. è ſignatis antiquiſsimorum Pontificum, Patrum, Canonum, Conciliorum, Hiſtoriarum tabulis. Et Lambertus, qui hac ſcribebat tempeſtate, Clericis (inquit de hoc Pontifice) illicita, & contra ſcita Canonum contracta coniugia prohibebat, contradicentibus Regis Henrici fautoribus, & Clericis. Hinc Henriciana hæreſis apud Abbatem Vſpergenſem, & Nauclerum volum 2. gener. 36. *

55 Hucuſque doctiſsimus Genebrardus. Reſtabat nunc duo quædam obijci ſolita in definitiones, ſeu decreta eiuſdem Gregorij VII. proponere & extricare. Alterum eſt, ipſum in Concilio quodam Romæ habito definijſſe, laicam inveſtituram, id eſt, collationem & receptionem inſignium Epiſcopatus vel Abbatiæ per manus laicorum, eſſe hæreſim. Hoc autem non videtur verum: cùm hæreſis conſiſtat in pertinaci errore mentis contra fidem, non in actione aliqua aut receptione externa. Alterum verò, Gregorium eundem iuſiſſe, vt in Eccleſia ſolemni officio coleretur memoria Liberij Papæ, quem tamen multi Scriptores de hæreſi Ariana notant. Verùm vtrique obiectioni ſatis occurrimus in ſuperioribus; priori quidem ad ſatietatem vſque Diſput. XI. rem ipſam ex profeſſo examinantes, & deinde ſectione 4. dirimentes, tam quoad ius, quàm quoad factum: poſteriorem verò Diſput. XXVIII. num. 26. & 27.

DISPVTATIO XXXII

QVÆNAM OBIICIANTVR RELIQVIS Pontificibus, quaſi erraverint in Decretis ſuis, aut in hæreſim inciderint, & qualiter ea ſint refutanda.

VINDICATO Gregorio VII. aduerſus quem potiſsimùm Sectarij recentes poſt ſchiſmaticos veteres maledictis & criminationibus arietarunt, placet breviter excurrere per reliquos Romanos Pontifices, qui ab ijs, alijſque, aliqua erroris labe in ſuis Decretis aſperguntur, aut etiam hæreſeos infamia notantur.

SECTIO PRIMA.

Pontifices Sæculi XII. Alexandrum III. Cæleſtinum III. & Innocentium III. nihil erroneum ex cathedra definijſſe.

2 ALEXANDRVM III. qui Sæculo Chriſti XII. anno 1159. Pontifex renuntiatus fuit, accuſant aliqui erroris duplici ex capite. Primò quòd c. *Cùm eſſes*, de Teſtamentis, dixerit alienum eſſe à divina lege, & conſuetudine Eccleſiæ, vt in teſtamentis requirantur plures tribus teſtibus, addita inſuper excommunicationis pœna, nequis reſcindat teſtamenta quę cum tribus teſtibus celebrata fuere. Id autem videtur falſum, & reiectum aſsidua praxi totius ferè Chriſtiani orbis, in quo frequenter irrita cẽſentur quæ cum paucioribus, quàm ſeptem, teſtibus facta ſunt. Secundò: quia idem Pontifex cap. *Licet*, de Sponſa duorũ, teſtatur, quoſdam Prędeceſſores ſuos cenſuiſſe, Matrimonium per verba de præſenti celebratum, nondum tamen conſummatum, poſſe dirimi per aliud Matrimonium: ſe verò oppoſitum ſentire. Hinc autem ſequitur, vel Alexandrum, vel ipſius Deceſſores erraſſe, cùm pugnantia docuerint.

3 Neutrum autem ex ijs vim habet. Non primum: quoniam, vt Canoniſtæ in eum locum obſervant, Alexander eo loci ſolùm tradit legem hominibus ſibi ſubditis quoad ſpiritualia & temporalia: proindeque non abrogat leges civiles, & praxim communem contrariam aliorum hominum. Aut certè ſi voluit omnibus legem imponere, ſolùm id fecit circa teſtamenta in ordine ad cauſas pias ſpectantes ad iudicium Eccleſię. vt, nimirum, valeant teſtamenta, tribus tantùm teſtibus adhibitis facta, quoties in ijs Eccleſia aliqua, aut locus pius inſtituitur hęres. In hoc autem nihil eſt abſurdi. Nec ſecundum

obſtat. quia nec ibidem Alexander definit, nec teſtatur Deceſſores ſuos aliquid definiſſe: ſed ſolùm indicat, ſibi veriorem videri opinionem illam, quàm oppoſitam, cui aliqui ex ijs adhæſerant. nimirum, vt privati Doctores ſolùm, non autem definiendo quidquam ex cathedra.

4 Difficilius eſt quod Alphonſus de Caſtro lib. 1. de Hæreſibus cap. 4. opponit Cœleſtino III. (fuit Pontifex ad anno 1191. vſque ad 1198.) quoniam docuit, per hæreſim ſolvi matrimonium, ita vt liceat coniugium alterum celebrare ei, cuius coniux in hæreſim inciderat. Neque obſtat inquit, eiuſmodi decretū non extare inter alia Pontificum: quoniam olim extabat in volumine Decretalium cap. *Laudabilem* de Converſione infidelium, vbi ſe id vidiſſe teſtatur. Iam verò id eſſe contrarium fidei patet: quoniam Innocentius III. immediatus eiuſdem Cœleſtini ſucceſſor, oppoſitum definivit cap. *Quanto* de Divortijs: poſteaque idipſum in Concilio Tridentino Seſsion. XXIV. can. 5. iterum definitum fuit.

5 Sed nec inde labefactatur auctoritas infallibilis Decretorum Apoſtolicæ Sedis: cum qua cohæret, vt aliquando Pontifices, non tanquam pronuntiantes è cathedra, ſed vt privati Doctores, reſpondeant iuxta ſententiam ſuo tempore receptam, aut ſibi veriorem: vt iam ſuprà Diſp. XXV. ſect. 1. à num. 8. & latiùs Diſput. XXX. obſervatum & explicatum fuit. Id autem locum habet in præſenti: quoniam nec priùs Cœleſtinus III. nec poſtea Innocentius III. quidquam in ea quæſtione definivit, ſeu pronuntiavit ex cathedra: ſed vnuſquiſque eorum reſpondit quod probabilius arbitrabatur, tanquam privatus Doctor. idque ſatis indicavit ipſe Innocentius cùm dixit, Prædeceſſorem ſuum aliter ſenſiſſe. nam is loquendi modus denotat totam rem eatenus, & tunc etiam in opinione ſitam fuiſſe, quamvis contrario modo vterque in Decretalibus Epiſtolis ſententiam ſuam explicaverit. Quod ſemel aut iterum Pontifices Romanos antiquiores ijs ſemel aut iterum feciſſe, ſine animo definiendi, iam monuimus poſteriori loco ex nuper indicatis. Vide infrà num. 8. Hinc obiter apparet, prædictum Alphonſum de Caſtro graviter exceſsiſſe eodem loco, dum præiacto argumento, & paucis quibuſdam: eiuſdem farinæ innixus, exiſtimavit Pontifices extra Concilium in fide errare poſſe. Si enim id dixit de Pontificibus ex cathedra definientibus (vt videntur indicare ipſius verba ſuprà Diſputat. VII. numero 12. exſcripta) ille potiùs erravit: vt propterea Raynaudus eam doctrinam intolerabilem dixerit.

6 Innocentius III. nuper laudatus, qui intra idem Sæculum XII. anno 1198. Pontifex renuntiatus fuit, quamvis doctiſsimus, à nonnullis incuſatur erroris in fide: quoniam capite *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi, videtur docere, veterem legem nondum planè fuiſſe abrogatam. Ait enim: *Sanè cùm Deuteronomium ſecunda lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in Teſtamento Novo debeat obſervari.* At hoc contradicit fidei. Nam Actorum 15. Petrus cum reliquis Apoſtolis definivit, obligationem veteris legis iam ceſſaſſe. Quod ipſum latè explanavimus ſuprà Diſp. XXVII. ſect. 1.

7 Reſpondeo, mirum eſſe quòd quiſquam id obijciat, ſi legit Decretalem illam Innocentij, in qua potiùs confirmat auctoritatem ſupremā & infallibilem Romani Pontificis ad definiendum de fide, & moribus, ex illo celebri loco Deuter. 17. *Si difficile & ambiguū apud te iudiciū eſſe perſpexeris,* &c. quod ſuprà Diſp. XXII. ſect. 5. latè expoſuimus. Neque ibi Pontifex vllo modo definit, legem veterē nunc ſervari debere: ſed ſolùm ex analogia quadam doctrinæ in Deuteronomio traditę circa auctoritatem Summi Sacerdotis, colligit etiam in lege Evangelica ſtandum eſſe iudicio Summi Pontificis. quod argumentum eſt ἀναντίῤῥητον, ſeu ineluctabile, à minori ad maius, vt ibidem oſtendimus.

8 Nota verò in tota ferè illa Decretali, quomodo Innocentius circa plura quæ ſibi rogata fuerant à nobili viro Domino Montis Peſſulani, loquatur nihil decernendo, aut definiendo ex cathedra, ſed ſolùm velitando, & probabiliter inquirendo: vti & ipſum feciſſe circa aliam quęſtionem nuper indicavimus num. 5.

SECTIO SECVNDA.

Nicolaum IV. Papam Sæculo XIV. nihil ad fidem ſpectans definiſſe, cuius contrarium poſtea decreverit Ioannes XXII. Bonifacius quoque VIII. obiter vindicatus ab impoſtura hæreſeos.

9 EX Pontificibus Sæculi XIII. incuſatur erroris Nicolaus IV. Ordinis Minorum antea Generalis, & poſtea renuntiatus Pontifex anno 1287. quaſi præ nimio amore veteris inſtituti, in quo vitam religioſam egerat, erraverit ex cathedra. Etenim in cap. Exijt de Verborum ſignific. in Sexto definivit Chriſtum, quà verbo, quà exemplo, do-

docuiſſe perfectam paupertatẽ, ſitam in abdicatione rerum omnium, nullo ſibi relicto dominio, nec in particulari, neque in communi; proindeque declaravit, eiuſmodi paupertatem eſſe laudabilem, & meritoriam. Hæc ferè ille. At è contra videtur poſtea definiſſe Ioannes XXII. in Extravagantibus ſuis, titulo de Verborum ſignif. Etenim in Extravag. *Ad conditorem canonum*, docet eſſe impoſsibilẽ eiuſmodi paupertatem, qua quis in rebus vſu conſumptibilibus abdicet ſe omni dominio, & retineat ſolum vſum. Ac præterea in Extravag. *Cùm inter nonnullos*, declarat eſſet hæreticum dictu, Chriſtum talem paupertatem verbo & exemplo docuiſſe. Similiter in Extravag. *Quia quorundam*, idipſum ſæpiùs inculcat. Hæ autem definitiones Ioannis XXII. & illa Nicolai IV. videntur invicem pugnantes; ac propterea apparet, alterum ex iis Pontificibus erraviſſe adverſus fidem.

10 Hæc obiectio antiqua eſt ferè à tempore eiuſdem Papæ Ioannis XXII. qui inſectatorem habuit Okamum, vt poſtea videbimus. Verùm Pontifex ipſe monuit, ſe à Nicolao Deceſſore ſuo non diſſentire in iis quæ ad fidem ſpectant: addens, nullatenus ad fidẽ ſpectare ſpeciatim quid & qualiter habeant Fratres Minores: in his verò quæ ad fidem non ſpectant, poſſe quemlibet Pontificem Romanum revocare & mutare quodlibet decretum Deceſſorũ ſuorũ. Quare in ea parte ipſi Ioanni XXII. qui fuit vir doctiſsimus, omnino credendũ eſt, quamvis verba Pontificis vtriuſque in ſpeciem pugnent, ſenſum tamen amborum non eſſe contrarium. Quomodo verò invicem ſibi cohæreant in omnibus, exponit Cardinalis Turrecremata latè in Summa de Eccleſia cap. 112. col. 10. & ſeqq. omnino videndus: ſicuti & Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 28. ſect. 2. Soto lib. 4. de Iuſtitia quæſt. 1. art. 1. Coquæus in Antimornæo tomo 2. in Antidoto contra oppoſit. 57. Nitela Franciſcana contra Bzovium ad annum 1322. Vvadingus tomo 3. Annalium Minorum ad eundem annum, Gibalinus latè lib. 5. de Iure Canonico cap. 3. qui omnes palam oſtendunt nullam eſſe oppoſitionem vtriuſque eius Pontificis, ſaltem quoad doctrinam ſpectantem ad fidem, quidquid ſit quoad alia minoris notæ, ſive quoad factum, in quibus extra controverſiam eſt, Pontificem Romanum errare poſſe.

11 Ne verò contenti ſimus ſola allegatione eorum Auctorum, accipe breviter ſolutionem difficultatis à pleriſque eorum latiùs traditam. Triplex quæſtio inter vtrumque Pontificem fuit. Prima: An in rebus vſu conſumptibilibus poſsit ſeparari vſus à dominio? Hæc nulla ratione ſpectat ad fidẽ: & ideo nihil abſurdi eſt ſi fateamur, Ioannem XXII. adhæſiſſe opinioni neganti, Nicolaum verò affirmanti & longè veriori. Religioſi enim verè habent vſum earum rerum, & tamen dominiũ non habent, cùm nequeant illas accipere, donare, vendere, permutare, aut deſtruere pro libito: in qua poteſtate ſitum eſt dominiũ. Secunda quæſtio fuit: An paupertas, quæ omne dominium à ſe removet, ſolo vſu relicto, ſit ſancta & meritoria. Negat Ioannes XXII. quoniam in Extravaganti illa *Ad conditorem canonum*, intendit renuntiare dominio rerum vſu conſumptibiliũ, quæ donantur Franciſcanis, conſequenter ad illam ſuam opinionem priorem. Itaque ſuppoſito in iis rebus nõ poſſe dominium ſeparari ab vſu; concedit iis dominium clauſum in ipſo vſu. Nicolaus autem, qui contrariam opinionem defenderat, ſolùm permiſsit vſum, & negavit dominium. Quare nec diſsidium vtriuſque Pontificis ſpectavit ad fidem, nec quidquam ea in parte definire ex cathedra voluerat Nicolaus, ſicut nec ab eo ſe recedere circa aliquid ad fidem ſpectans teſtatus fuit Ioannes XXII.

12 Supereſt itaque ſola tertia quæſtio, eaque ad fidem ſpectans: An Chriſtus iuxta ſacras litteras docuerit verbo & exẽplo paupertatem illam, quæ omne dominium removet, ſolo vſu relicto. Circa illam verò nequaquam contrariantur invicem ambo Pontifices. Nicolaus enim diſtinguit, aitque, Chriſtum Dominum aliquando perfectiſsimam illam paupertatem verbo & exemplo docuiſſe: aliquando verò paupertatem minùs rigidam exemplo demonſtraſſe, veluti communem Patrem & Doctorem. Ioannes verò definit, hæreticum eſſe dicere, Chriſtum nihil vnquã in terris habuiſſe proprii, nec in ſpeciali, nec in communi. Hoc autem nullatenus pugnat cũ doctrina illa Nicolai. Hic enim non negavit, Chriſtum aliquando habuiſſe aliquid proprii, ſaltem in communi: ſed ſolùm negat, Chriſtum ſemper egiſſe talem vitam. Ioannes quoque non negat, Chriſtum aliquando nihil habuiſſe proprii, nec in ſpeciali, nec in communi: ſed ſolùm inficiatur, Chriſtum ſemper egiſſe talem vitam. Patet verò diligenter conſideranti, nullam eſſe inter doctrinam vtriuſque contradictionem: cùm alio & alio ſenſu loquantur: ac proinde non ſit vnum idemque quod alter affirmat, & alter negat, prout opus erat ad contradictionem. Quomodo autem vniuſcuiuſque eorum doctrina in ea parte ſit vera, & conformis Evangelio, vide apud laudatos Auctores. De eodem Ioanne XXII. nonnulla dabimus mox num. 14.

13 Bonifacium Papam VIII. electum anno 1294. virū præcellentis doctrinæ (quod plurimæ ipſius Decretales Conſtitutiones palàm faciunt) multi, aut occaſione, aut hortatu Philippi cognomento Pulchri Gallilarum Regis, criminati ſunt, veluti hæreticum. neque hoc tantùm, ſed & idem Rex legitur ardenti conatu ſtuduiſſe, vt eius iam vitâ functi oſſa, tanquam hæretici, Romæ vltricibus flammis traderentur à Clemente V. *Vſque adeò difficile arcetur cupiditas, quæ caret metu*, vt cum Clemente Alexandrino loquar, reprehendente effrænes Adriani Cæſaris conatûs. Sed tamen Philippus tam nefarij voti compos non fuit, reluctante toto Concilio Generali Viennenſi, in quo exagitatâ causâ nihil inventum fuit, quod Bonifacium violatæ fidei Catholicæ vel in ſpeciem argueret. Quin & Henricus Spondanus, diligens imprimis ſcriptor, oſtendit, accuſatores Bonifacij deceptos fuiſſe impoſturis cuiuſdam Petri Flottæ, qui ei nothas Epiſtolas ſuppoſuit à fide degeneres. Deinde longè aliter, quàm narrari ſolear, eius obitum referunt Villanius Florentinus, qui tunc vivebat, & fortè aderat, ac præterea Maſſonus ex fidedignis monumentis. nimirùm ex morboſo ardore iræ vitam finijſſe. Denique pro eius æterna ſalute non omnino levis coniectura eſt, quòd trecentis annis poſt obitum, nempe anno 1605. quinto Idus Octobris corpus eius inventum fuerit Romæ plenè incorruptum, veſtibus quoque ſacris omninò ſanis. qua de re confectum fuit publicum inſtrumentum lectu dignisſimum apud Bzovium tom. 4. Denique nova laus acceſsit Bonifacio VIII. ex nupero Reſcripto *SS. D. N. INNOCENTII XI.* ad Illuſtriſsimos Præſules Cleri Gallicani. Cùm enim ij in Epiſtola ſua ad eundem SS. D. N. ſcripta tertio Nonas Februarij 1682. obiter pro ſe allegaſſent facta quædam aliquorum Pontificum, & nominatim Bonifacij VIII. repoſuit ijs, inter alia, die 11. Aprilis eiuſdem anni: *Quæ de Innocentio III. Benedicto XII. & Bonifacio VIII. in veſtram defenſionem adducitis, non defuere qui doctis lucubrationibus oſtenderint, quàm friuola atque extranea ſint huic cauſæ. Magis notum eſt, quàm vt opus ſit commemorare, quo zelo, qua conſtantia, eximij illi Pontifices Eccleſiæ libertatem defenderint adverſus ſæculares poteſtates. Tantum abeſt, vt eorum exempla poſsint errori veſtro ſuffragari.*

(?)

****

SECTIO TERTIA.

Pontifices Sæculi XIV. Ioannes XXII. & Vrbanus V. oſtenduntur ab eodem nævo liberi. Poſterioris ex ijs laudes aliquot. Vbi an Pontifex poſsit diſſoluere Matrimonium.

14 IMMVNIS Quoque eſt ab hæreſeos labe Ioannes XXII. aliàs XXI. paulo antea nominatus, qui Pontificatum geſsit ab anno 1316. & allatratus fuit initio ab Ochamo quòd minùs affectum ſe præberet erga Ordinem S. Franciſci; à Calvino deinde, immò & à Didaco Stella ſcriptore Catholico, & religioſo, qui in cap. 22. Lucæ ad illa verba Chriſti, *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, non dubitat eidem Pontifici tribuere portentoſos errores ex lutulentis Ochami, & Calvini paludibus hauſtos. Præcipuè verò incuſatus fuit ob evulgatam opinionem de receptaculis animarum, vſque ad corporum reſurrectionem. Sed tamen illum ab ijs notis purgat optimè Sanderus libro 7. viſibilis Monarchiæ à num. 1006. ac breviter Raynaudus in Corona Aurea, Veritate 7. latiùs verò doctiſsimus Bellarminus vbi ſuprà cap. 14. Et quod attinet ad opinionem illam, cùm adhuc nondum damnata eſſet ab Eccleſia, immò potiùs celebris apud Catholicos multos eſſet, quamvis Pontifex aſſenſum illi præſtitiſſet, non proptereà hæreticus eſſet. Cùm verò ad rem ex cathedra dirimendam ventum eſt, ille, teſte Franciſco Carriere nupero ſcriptore, die 3. Decembris Bullam edidit, in qua declaravit animas plenè purgatas beari in cœlo, impias verò in gehenna cruciari ſtatim ab obitu. Ipſe denique nonagenario, maior, ſumptâ Euchariſtiâ orans expiravit anno 1334. Verius autem eſt, quod ſcribit Bellarminus lib. 4. de Pontifex, cap. 14. Ioannem XXII. voluiſſe quidem definire eam quæſtionem: ſed dum adhuc in præparatione, & conſultationibus verſaretur mortuum fuiſſe. Ita enim teſtatur Benedictus XII. eius ſucceſſor in Extravagant. quæ incipit *Benedictus Deus*, & integrè exſcripta legitur apud Caſtro libro tertio contra Hæreſes, verbo *Beatitudo*. Addit Ioannes Villanus libro 11. cap. 19. Ioannem ipſum pridie obitûs, hortatu affinium retractaſſe illam ſuam opinionem, quæ, vt diximus, nunquam eouſque damnata fuerat ab Eccleſia.

Pla-

15 Placet hoc loci ſcrupulum amovere excitatum adverſus Vrbanum V. qui eodem Sæculo XIV. anno 1362. ex Abbate noſtri Monaſterij S. Victoris Maſsilienſis electus fuit Romanus Pontifex, *vir doctus*, inquit Genebrardus in Chronico ad eundem annum, *& ſanctiſsimæ converſationis, qui Crucem prædicari fecit cōtra Turcos*: ſicuti & apud Platinam, *vir ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentiſsimæque vitæ*. Verùm longè plura in eius laudem protulit, qui eo ipſo tempore florebat, ad miraculū diſertus & eruditus Franciſcus Petrarcha, delicium Italiæ lib. 7. Senil. in Epiſtola quadam ad ipſum, latè exponens, Deum ſolum, & neminem mortalium eum elegiſſe, linguis licèt eorum vſum, quas eouſque ad propria cuiuſque Cardinaliū ſtudia diſpoſitas, mirabili providentia in ſuum verterit obſequium, vt Vrbanus eligeretur. ad hæc, fuiſſe vtriuſque Iuris peritiſsimum, alterius autem & conditorem & interpretem vnicum: virum vita conſpicuum, hominum innocentiſsimum, qui nulli vnquam malefeciſſet, ne optaſſet quidem. Deinde lib. 9. Senil. 1. ſubdit de eodem, fuiſſe amatorem Chriſti, cui in ſpiritu ſerviebat, Petri cui in officio ſucceſſerat, Sedis Apoſtolicæ cui præſidebat, ad extremum totius Chriſtianitatis amatorem. Spondanus verò diligens imprimis Scriptor, & continuator Hiſtoriæ Baronij, poſtquam res memorabiles vitæ ipſius ſparſim, nec ſine multis laudibus, enarraverat, tandem ad annum 1370. num. 5. hæc de illius obitu apud Avenionem ſcribit: *Infirmitate correptus, poſt Eccleſiæ Sacramenta piè ſuſcepta, lectulum ſuum ante aram Petri Apoſtoli ferri iubens, conteſtatuſque ſe tenere, & credere firmiter quidquid ſancta Catholica & Apoſtolica tenet, & docet Eccleſia, neque vnquam ſe ſcienter ab eius determinationibus deviaſſe; ianuis patentibus, veſtibus ſuis monaſticis indutus, (quas ſicuti nunquam alias, ita neque in ægritudine dimittere voluit) ſignumque Crucis manutenens, quam plurimis finem eius aſpicientibus, tranquillam, & fœlicem animam emiſsit die 19. Decembris; poſtquam ſediſſet annos octo & duos ferè menſes, vixiſſet vnum & ſexaginta. Laudatiſsimus omnium ore Pontifex: cuius præter illa, quæ ſuperiùs memoravimus, extant plurima alia præclara, tam publica, quam priuata geſta; necnon excellens, & planè Eccleſiaſticus, atque monaſticus vivendi eius modus, iuſtitiæ zelus, flagitioſorum execratio, morum Curiæ reformatio, fundationes Collegiorum, & Monaſteriorum, ædificia ſacra, profuſæ eleemoſynæ in pauperes, parcitas in ſuos conſanguineos, & alia eiuſmodi, tam in vita eius ab Auctore illius temporis conſcripta, quàm in articulis, quos tum Monachi Maſsilienſes S. Victoris, tum Petrus Olmarij Canonicus Aquenſis Procurator Caroli Francorum, & Ludovici Siciliæ Regum, aliorumque Principum, atque Prælatorum, obtulerunt Clementi VII. qui Gregorio legitimo Vrbani ſucceſſori ſuffectus eſt in ſchiſmate, vt ijs motus eum albo Sanctorum Eccleſiæ inſcriberet, cùm multis fuiſſet, ingentibuſque poſt obitum à Deo miraculis illuſtratus, quæ magno numero eodem vitæ eius proceſſu recenſentur: meminitque eorum Petrarcha. Sepultus autem eſt in Eccleſia Cathedrali Beatæ Mariæ de Donis Avenione; atque inde, vt iuſſerat, translatus Maſsiliam ad prædictum cœnobium S. Victoris, & honorifico monumento conditus; cùm tamen ipſe more pauperum Monachorum ſepeliri mandaſſet.* Hactenus ille; quæ in obſequium illius ſancti Pontificis, &, ni fallor, poſtremi è Benedictinis, quotquot vſque modò in cathedra Sancti Petri ſederunt magno numero, exſcribere viſum.

16 Placet, inquam, ſcrupulum amovere ortum ex eo quod idem Vrbanus V. diras infligens Bernabovi tyranno Mediolanenſi, ob plura horrenda flagitia (legenda apud Villanium eius temporis ſcriptorem lib. 11. cap. 31. & recentiùs apud laudatum Spondanum ad annum 1362. num. 11.) præter plures alias pœnas, vinculum matrimonij ipſius cum vxore publico edicto diſſolviſſe legatur. In eo autem videtur erraſſe Vrbanus: quoniam vinculum matrimonij conſummati, quale erat coniugium Bernabovis cum vxore ſua, non poteſt diſſolvi ab Eccleſia: quidquid contrà voluerint aliqui ex Iuriſperitis relati à Covarrubia in 4. Decretal. 1. part. cap. 7. §. 4. num. 15. Nam oppoſitum conſtat ex teſtimonio Chriſti Mathæi 19. Marci 10. Lucæ 16. & Apoſtoli Romanorum 7. ex quibus locis Interpretes certò colligunt, matrimonium conſummatum eſſe indiſſolubile iure divino poſitivo. Quod ipſum communiter tradunt Patres allegati à Bellarmino lib. de Matrimonio cap. 16. & Coccio Tomo 2. lib. 9. articul. 3. tandemque definitum fuit in Tridentino Seſs. XXIV. Canon. 7. Non ergo Vrbanus potuit diſſolvere matrimonium conſummatum Bernabovis, quantumvis flagitioſi: ideoque ſolutionem eius decernens, erravit circa ius divinum.

17 Cæterum hæc obiectio non vrget. Imprimis enim non conſtat ſatis Vrbanum eam pœnam decreviſſe Bernabovi. nam licèt Villanius illam referat loco nuper citato cap. 41. alij narrantes quęcumque ab Vrbano geſta fuerunt in vindictam eius tyranni, nihil de ea dicunt: præſertim Auctor Operis de Pontificibus qui in Gallia ſederunt, & Platina, in vita eiuſdem Vrbani, Bzovius ad annum vltimum Innocentij VI. & Spondanus ad annum 1362. Nec videbatur pœna adeò inſolita ſilentio prętereunda ab ijs Scriptoribus vitam & geſta Vrbani ſcribentibus, ſi verè ab eo illata fuiſſet in Bernabovem.

18 Sinamus autem Vrbanum edidiſſe decretum, ſive ſententiam, qua diſſolveret coniugium Bernabovis. Adhuc poteſt id duplici via exponi citra grave abſurdum: vti rectè obſervat Raynaudus in Corona Aurea, Veritate ſeptima. Primò, ſi dicamus, Bernabovē ipſum iam fuiſſe hæreticū quando matrimonium celebravit; idque perſpectum poſtea fuiſſe eidem Pontifici Vrbano, inter plura alia graviſsima ſcelera, de quibus accuſatus fuit apud Sedem Apoſtolicam. Eo autem tempore hæreſis, aut erat impedimentum dirimens matrimonium cum altero coniugum Catholico, aut tale cenſebatur iuxta opinionem tunc receptam. Varijs enim temporibus diverſimodè iudicatum fuit de eo impedimento. vt monet poſt alios Baſilius Pontius in Appendice ad Opus de Matrimonio. Quare potuit Vrbanus V. diſſolvere, id eſt, declarare matrimonium illud Bernabovis fuiſſe irritum propter id impedimentum, quod tale erat, aut reipſa, aut ſecundùm opinionem receptam. Quamvis enim hodie certum ſit, hæreſim alterius coniugum non eſſe impedimentum dirimens, vt latè probat Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 72. & Nicolaus Serarius iuſto Opuſc. ea de re, contra Simancas in Catholica Inſtit. tit. 40. à n. 17. olim tamen res aliter ſe habuit: ac proinde potuit tempore Vrbani V. eſſe aut cenſeri impedimentum dirimens: proindeque ſufficere vt Pontifex diſſolveret matrimonium; non quidem quaſi antea validum fuiſſet, & ab eo irritum redderetur (hoc enim nequit facere Pontifex, vel Eccleſia) ſed ſolū eo ſenſu, vt declararet, fuiſſe nullum & irritum à principio. quo ſenſu ſæpè in iure, atque etiam vſu communi dicuntur coniugia diſſolvi, quoties irrita à principio fuiſſe declarantur per ſententiam iudicis.

19 Secundò reſponderi poteſt, permiſſa eadem hypotheſi, ſummùm ſequi, Vrbanum erraſſe circa factum, vt iam de alijs Pontificibus interdū monuimus in hoc Tractatu: non autem circa ius. Neque enim ille definiiſſe ex cathedra legitur, aut dicitur à quoquam, matrimonia conſummata (vt nihil dicam de ratis & nondum conſummatis, quæ iuxta Tridentinum Seſs. XXIV. can. 6. ſolvuntur profeſſione Religionis, & iuxta multos ex Theologis poſſunt diſpenſatione Pontificia diſſolvi) eſſe à Pontifice Romano ſolubilia. Hic enim eſſet error iuris. Solùm itaque, & ſummùm, admitti poteſt, Vrbanū ex fragranti zelo in hominem ſceleſtiſsimum, & contemptorē Eccleſiæ Romanæ (vt fama erat, multorū teſtimonijs innixa) in eo ſingulari eventu decreviſſe ſolutionem eius matrimonij per errorem facti, & nulla aſſertione prolata falſi dogmatis circa ius. Immo & fortaſſe non deerit, qui attenta inſigni ſanctitate Vrbani, miraculis confirmata, dixerit id feciſſe ex ſpeciali Dei inſtinctu, & diſpenſatione, vt inſolitæ & effrænī Bernabovis improbitati inuſitata etiam pœna ex ea parte reſponderet.

SECTIO QVARTA.

Ex Pontificibus Sæculi XV. vindicantur a nota hæreſis Ioannes XXIII. Eugenius IV. & Innocentius VIII.

20 Ex Pontificibus XV. Sæculi accuſatus fuit in Concilio Conſtantienſi Seſs. XI. Ioannes XXIII. cuiuſdam graviſsimæ hæreſis atheorum hominum propriæ, quaſi negaſſet vitam futuram, & reſurrectionem carnis.

21 Sed tamen quamvis id vltro permitteremus, nihil inde contra doctrinam hactenus ſtabilitam: imprimis quoniam non fuit certus & exploratus Pontifex, cui ſoli eſt annexa auctoritas infallibilis ad pronuntiandum ex cathedra de fide & moribus; atque iuxta ſententiam probabilem firmitas in fide Catholica interiùs retinenda. Erant itaque eo tempore tres contendentes de Summo Pontificatu; nimirum, idem Ioannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. & nemo ex ijs habebat ius certum aut exploratum. Quare dato quòd aliquis eorū in fide erraſſet, immo & in apertā hæreſim incidiſſet, aut illam docuiſſet; adhuc cathedra S. Petri firma & conſtans in docenda fide permaneret.

22 Deinde valde probabile, aut etiam certum eſt, Ioannem ipſum ab ea labe immunem extitiſſe, vt probat optimè Bellarminus vbi ſuprà cap. 14. ex eadem Seſs. XI. in qua cùm enumerentur articuli obiecti adverſus Ioannem Papam, primùm exhibentur quinquaginta tres, qui omnes ad mores ſpectant, & ſuis certis teſtibus con-

fir-

firmantur. Deinde afferantur alij, nullo teſtimonio fulti, inter quos penultimus continet prædictam hęreſim. Accuſatio autem vaga, & ſine vllo certo teſte, inanis eſt. Fortaſſis autem illa orta fuit ex rumore vulgi, cui perſuaſum eſt hominem vitę effrænis, qualis afferebatur Ioannes, atheum eſſe; ſive, quod perinde ferè eſt, non credere immortalitatem animę, ſeu vitam futuram. At ea coniectura fallax eſt: cùm multi inveniantur, qui Catholicè credát, & tamen perdiriſsimè vivant. Prętetea Seſs. XII. eiuſdem Concilij lata fuit ſententia definitiva adverſus eundem Ioannem, in qua breviter referuntur cauſæ damnationis eius; nulla tamen hæreſeos fit mentio. quod certè argumento eſt, de ea convictum non fuiſſe. alioqui debuiſſet primo loco recenſeri: cùm ſola aut potiſsima cauſa deponendi Pontificem, etiam legitimum, ſit manifeſta, & explorata hæreſis, dato quòd in eã incideret. quod ſicuti hactenus oſtendimus nulli Romano Pontifici accidiſſe: ita valde probabiliter, aut etiam certò creditur nemini vnquam de cętero eventurum, ob ſpecialem Dei providentiam erga Eccleſiam ſuam.

23 Sęculo eodem electus fuit Pontifex Eugenius IV. anno 1431. cui Patres Concilij Baſileenſis à tempore Seſsionis ſecundæ, ſubindeque ſequentium, occaſionem diſsidiorum gravium dedere: & poſt plurima hinc inde contrarijs partium ſtudijs geſta, tandem Seſs. XXXIV. ipſum Pontificatu privârunt, quaſi in hęreſim incidiſſet.

24 Sed enim vt latè oſtenſum fuit ſuprà Diſput. XV. & XVI. Concilium ipſum Baſileenſe, quamvis initio fuiſſet legitimum, vtpote convocatum auctoritate Sedis Apoſtolicę; deinde à tempore Seſsionis ſecundę irritum & acephalum eſſe cœpit, propter expreſſam prohibitionem ipſius Eugenij IV. vetantis continuationem illius, & præcipientis vt alio loco peragerctur. Quare quidquid exinde in eo geſtum eſt, nullius auctoritatis fuit, & reiectum pręterea in Concilio Generali Lateranenſi ſub Leone X. Seſs. XI. vbi & Synodus illa Conciliabulum appellatur. Vide pręſertim quæ diximus Diſp. XV. citata à num. 34. & Diſp. XVI. num. 39. & ſeqq. Adde & Concilium ipſum poſtea Lauſanæ congregatum acta ſua priora irrita declaraſſe. Denique nihil omnino egiſſe invenitur Eugenius IV. propter quod hæreſeos incuſari meruerit. quin potiùs integra vbique fide, & laude rerum geſtarum, præſertim poſtremis annis ſui Pontificatus, glorioſum ſibi nomen aſſeruit. Vnde in eius laudibus multus eſt Platina, qui eodem ſæculo ſcripſit, & fortaſſe ipſum de facie noſſe potuit; quique neſcius adulandi, liberè de Pontificibus ſcripſit quod verum arbitrabatur.

25 Poſtremus è Pontificibus Romanis, erroris in fide accuſari ſolitus, eſt Innocentius VIII. creatus anno 1484. quòd Norvegis permiſſerit, vt ſacrificium Miſſæ ſine vino celebrarent. Ita enim refert Raphael Volaterranus lib. 7. Geographiæ. Quòd autem ſacrificium Miſſæ celebrari poſsit ſine vino, videtur error contra fidem manifeſtus.

26 Verùm ea criminatio nullam vim habet. Imprimis enim non ſatis conſtat, Innocentium id indulſiſſe Norvegis. Nam quod addunt, cauſam eius conceſsionis fuiſſe extremam neceſsitatem illius Regionis, in qua vinum conſervari non poſſet, ſed ſtatim aceſceret, videtur commentitium: ſiquidem poſtea deprehenſus fuit, hodieque, apud eos vſus frequens vini, vſque adeò vt tempore Cardinalis Bellarmini ſine eo ne communicare quidem vellent. Sed ſinamus tempore Innocentij VIII. vinum in Norvegia conſervari nullatenus potuiſſe, ac propterea ijs conceſſum fuiſſe privilegium prædictum. Sanè cùm intervenirer extrema neceſsitas, & manifeſtum periculum nunquam communicandi in eo Regno, nullus apparet error in eo indulto. Denique dato, & non conceſſo, errorem aliquem fuiſſe; certè non fuit iuris, ſed ſolius facti. Non enim Innocentius edidit decretum aliquod in quo definierit poſſe ſacrificium celebrari ſub altera ſpecie tantùm; ſed ſummum de facto id conceſsit propter neceſsitatem extremam Norvegorum.

27 Mitto criminationes alias in Romanos Pontifices, tum circa doctrinam, quæ in ſuperioribus reiectę fuerunt: tum circa facta aut mores, quæ extra rem ſunt, & plerumque falſitatis convincuntur ex Hiſtoricis probatæ fidei.

(.?.)

DIS-

DISPVTATIO XXXIII.

QVIBVS PRÆTEREA ARGVMENTIS frequenter impetatur auctoritas Romani Pontificis, quaſi errori obnoxia: & qualiter ijs occurendum ſit.

SATIS Iam, ni fallor, oſtenſum fuit, neminem ex Pontificibus Romanis à principio Eccleſiæ vſque modò, definitionem aliquam edidiſſe contrariã fidei aut bonis moribus, quidquid omnes ferè Sectarij ex odio in Sedem Apoſtolicam, & aliqui ex Catholicis vario ſtudio aut præiudicio occupati, in oppoſitum dixerint. Supereſt nunc obijcere & extricare quædam alia ipſorum argumenta: quæ quidem vrgebimus ſatis nos ipſi, ne videamur fucum facere Lectoribus, quaſi nulla difficultas ſit in tuenda noſtra ſententia. Sed quòd aduerſus illam occurrant plures nodi extricatu difficiles, non minuit eius certitudinem. Sic nec doctrina Scripturæ, aut Conciliorum labat, vacillatvè, quamvis multiplici argumento difficili ab Heterodoxis impetatur. Aliunde verò Aduerſarij omnes premuntur tot ineluctabilibus argumentis Tractatu 1. propoſitis, vt in quodcumque latus ſe vertant, videantur non poſſe ipſorum impetum declinare.

SECTIO PRIMA.

Duo priora argumenta ex hæreſi poſsibili in Romano Pontifice, & ex facto S. Cypriani, aliorumque Patrum, contra decretum quoddam S. Stephani Papæ, obiecta & ſoluta.

2 OPPONVNT I. Adverſarij. Romanus Pontifex poteſt deviare à fide Catholica. Ergo poteſt docere aliquid contra illam, ac proinde illud definire. Nimirum, quem quis errorem animo imbibit, facilè eſt verbis ac ſcriptis, etiam publicè, explicare. Aſſumptum probatur ex Canone *Si Papa* diſt. 40. & ex Concilio VIII. Generali Act. VII. ex Anacleto Papa Epiſt. 3. Euſebio Epiſt. 2. & Innocentio III. in Sermone 2. de conſecratione Pontificis. Ijs enim locis traditur, Papam non poſſe iudicari, niſi inveniatur devius à fide. Ea verò exceptio fruſtranea eſſet, ſi Pontifex Romanus non poſſet à fide Catholica deviare: vtpote quæ involveret hypotheſim repugnantem. Sic & fruſtranea ac nugatoria exceptio eſſet, ſiquis diceret, Deo parendum eſſe, niſi præcipiat aliquid malum. Hæc enim reſtrictio claudit *ἀδυνατόντα*, ſeu repugnantiam manifeſtam.

3 Reſpondeo imprimis negando antecedens. Nam valde probabile eſt, & ab inſignibus Theologis confirmatum, pluribuſque teſtimonijs Scripturę, Conciliorum, Patrumque teſtimonijs munitum, ac tandem diuturno ſæculorum omnium experimento comprobatum, neminem vnquam Romanorum Pontificum deviaſſe hactenus, aut de cætero deviare poſſe à fide Catholica, etiam vt perſonam privatam. Ita docent Albertus Pighius lib. 4. Hierarchiæ Eccl. cap. 8. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontificatu cap. 6. Suarez tract. 5. de Fide diſp. 10. ſect. 6. num. 5. & plurimi alij. Neque ideo redditur fruſtranea exceptio illa Canonum, & Epiſtolarum Decretalium in obiectione allegatarum. Non enim eſt de re palam impoſsibili, & manifeſtè repugnante, qualis illa alia, Deo parendum eſſe, niſi præcipiat aliquid iniuſtum. Hæc enim exceptio pugnat apertè cum lumine naturę, & ſtatim horrorem incutit omnibus ijs, quibus aliqua pudoris ſpecies eſt. At verò Pontificem Romanum vt perſonam privatam eſſe incapacem deviandi pertinaciter à fide, non eſt ita certum, vt multi non doceant oppoſitum, etiam ex ijs qui negant, quatenus Pontificem, ſive ex cathedra errare poſſe. Vide Caietanum tomo 1. Opuſc. tract. 2. part. 2. cap. 13. Torres 2. 2. diſp. 16. dub. 1. & Duvallium tract. de Pontifice diſp. 2. quæſt. 1. vt alios omittam. Itaque cùm res dubia ſit, nec vnquam ab Eccleſia definita, an Pontifex vt perſona privata poſſit pertinaciter errare in fide, & fieri hæreticus; meritò exceptio illa adhibita fuit in prædictis decretis, tanquam de re poſsibili, aut de cuius poſsibilitate locus ſit controverſiæ inter peritos.

4 Secundò dicimus, adhuc data hypotheſi alicuius Romani Pontificis privato lapſu incidentis in hæreſim manifeſtam per-

pertinaciter; nunquam illum, quandiu verè Pontifex eſt, poſſe illam ex cathedra definire, aut ſcripto tradere nomine Sedis Apoſtolicæ: cùm id palam repugnet pollicitationibus Chriſti, & teſtimonijs Scripturæ, latè expenſis ſuprà Diſp. XXII. Quare ſi hęreſim palam doceret, non id faceret vt Pontifex: immo iam nec verè Pontifex eſſet, ſed gradu deiectus ab ipſo Deo, & vt talis iudicandus eſſet ab Eccleſia. Stante autem dubio an hęreticus ſit, necne; à nullo iudicari poteſt: cùm ipſe ſolus ſit, ad quem iure divino ſpectat iudicium ferre in omnibus cauſis maioribus; ac proinde dirimere dubia omnia ad fidem & mores ſpectantia. Quod ipſum conſtat ex Traditione Apoſtolica, vt vidimus tota Diſp. XXIII. & præterea ex Generalibus Concilijs, vt Diſp. XXIV. demonſtratum fuit.

5 Opponunt II. S. Cyprianus, & octoginta Epiſcopi Africani cum ipſo, noluerunt acquieſcere definitioni latæ à S. Stephano Papa, declarante ex cathedra hęreticos non eſſe rebaptizandos: quin potiùs oppoſitum palam docuit cum ijs Patribus in Concilio Africano, ac pręterea in Epiſtola ad Pompeium. Ergo Cyprianus & ij Patres cenſuerunt Pontificem Romanum in definitionibus circa fidem errare poſſe, & de facto erraſſe. Aliunde verò nemo eſt qui Cyprianum in hac parte, aliave vlla, hæreticum cenſuerit. Quin & S. Auguſtinus lib. 1. contra Donatiſtas cap. 18. palam docet, Cyprianum in ea re ſolùm venialiter peccaſſe, & ſalva charitate; ideóque poſtea facilè martyrij face purgatum fuiſſe. Similiter eodem tempore S. Firmilianus Cæſareenſis in Cappadocia Archiepiſcopus ſciens id decretum S. Stephani Papæ, reſtitit palam, & oppoſitum ſtatuit in Concilio cui præfuit Iconij in Phrygia, ſubſcribentibus plurimis Epiſcopis Gręcis eò convocatis ex varijs Provincijs Aſiæ. Denique idipſum ferè contigit tunc S. Dionyſio Alexandrino: vt teſtatur Euſebius Cæſareenſis lib. 7. Hiſtor. cap. 6. Neuter tamen ex ijs propterea de hæreſi poſtulatus fuit: immo & vterque videtur excuſandus in eo à culpa gravi; inſtar S. Cypriani. Poteſt ergo ſine hæreſi, immo abſque culpa gravi, negari auctoritas infallibilis Romani Pontificis in definitionibus circa fidem & mores: immo & aliquando oppoſitum doceri, ac reſiſti, qualiter fecit Cyprianus, & alij duo SS. Patres nuper memorati.

6 Obiectioni prælatæ dupliciter occurri poteſt. Primò cum Cardinali Bellarmino lib. 4. de Romano Pontif. cap. 7. negando Stephanum Papam definiſſe tanquam fide divina certum, hæreticos non eſſe rebaptizandos. Quamvis enim edito ea de re præcepto vetuerit eos rebaptizari; non tamen cenſuit hęreticos oppoſitum facientes aut docentes, proptereáque plures eorum non inuſſit anathemate, ſed ſolùm comminatus fuit ſe in illos animadverſurum eo fulmine. Et certè omnes illos ſtatim communione Eccleſiæ privaſſet, ſi ſciret eos palam reſiſtere definitioni alicui ritè editæ ab ipſo ex cathedra Sedis Apoſtolicę. Similiter S. Cyprianus decernens oppoſitum in Concilio illo Africano cum alijs Epiſcopis, non cenſuit ſententiam ſuam & ipſorum eſſe fide divina certam. Quare, vt inquit Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. & alijs locis, Eccleſia eo tempore nutabat circa illam controverſiam: vtpote nondum definitam à Sede Apoſtolica, nec ab vllo Concilio Generali; nempe nondum coacto eouſque, nec multis poſt annis. Ipſeque Stephanus videns controverſiæ gravitatem, & diviſionem tot Eccleſiæ Patrum in contrarias opiniones, non eſt auſus illam ſtatim ex cathedra definire: ſed ſolùm præcepit graviter ne quiſquam rebaptizaret hęreticos; ſcilicet in eo rerum ſtatu, & donec Eccleſia tandem in Concilio Oecumenico, aut aliàs Sedes Apoſtolica ritè quæſtionem illam definiret. Quare ij SS. Patres, Cyprianus, Firmilianus, & Dionyſius, potuerunt oppoſitum docere eouſque, ſalva fide Catholica, ſive abſque peccato hæreſis formalis, vt aiunt, & non ſervare decretum Stephani Papæ.

7 An verò id egerint ſalva charitate & obedientia debita erga Romanum Pontificem, ac proinde ſine culpa gravi; noſtrum non eſt iudicare. Sed tamen vtrinque velitare licet. Peccaſſe graviter Cyprianum, id ſuadere videtur, quòd expreſſo præcepto Romani Pontificis in materia tanti ponderis non paruerit; ac præterea quòd eundem rectè ſentientem convicijs oneraverit in Epiſt. citata ad Pompeium, appellans illum ſuperbum, imperitum, cœcæ ac pravæ mentis, &c. quæ duo non videntur à peccato mortifero excuſari poſſe. Aliunde verò Cyprianum non peccâſſe graviter docet Auguſtinus loco illo allegato ex lib. 1. contra Donatiſtas cap. 18. & videtur id colligi: quoniam error illius, & tot aliorum Patrum, præſertim Firmiliani & Dionyſij Alexandrini, ſanctitate inſignium, videtur fuiſſe probabilis & inſuperabilis iuxta dictamen conſcientiæ ipſorum, ac bonę intentionis, quâ ducebantur. Quod autem attinet ad convicia illa adverſus Stephanum Papam, dicendum eſt cum

D. Auguſtino Epiſt. 48. ad Vincentium, aut illa non fuiſſe ſcripta à Cypriano, ſed ipſi ſuppoſita ab alio; aut ſi ſcripta ſunt, deleta poſtea fuiſſe ab eo per pœnitentiam.

8 Secundò reſponderi poteſt, ſi Stephanus Papa definivit ex cathedra tandem aliquando illam controverſiam (prout indicavimus ſuprà Diſp. VIII. num. 19.) diſtinguenda eſſe tempora. Cùm enim Pontifex ille nondum rem vltimo iudicio definierat, ſed ſolùm præceperat, ſeu decretum ediderat, ne hęretici rebaptizarentur; Patres ij tergiverſati ſunt, detrectaruntque obedire: quoniam rationes, quibus innitebantur ad ſuam opinionem tuendam, tanti ponderis viſæ ſunt ijs, vt religioni ducerent illam deſerere, etiam inſtante præcepto Pontificis: qui propterea quoſdam illorum innodavit anathemate, Cypriano autem eandem pœnam comminatus fuit, niſi pareret. Poſtea verò Pontifex re ampliùs conſideratâ quæſtionem ex cathedra definivit, ſententiamque ipſam rebaptizantium declaravit eſſe fidei Catholicæ contrariam. Vnde Sancti illi Patres, Firmilianus, Dyoniſius, & Cyprianus, viſâ definitione Sedis Apoſtolicæ, ipſi acquieverunt, & errorem veterem retractârunt. Nec mirum acquieſcerent: cùm ex teſtimonijs Scripturę, & ex Apoſtolica quoque traditione notum eſſet à principio naſcentis Eccleſiæ, iudicium Sedis Apoſtolicæ in quæſtionibus difficilibus fidei & morum eſſe omnino infallibile, cui omnes Chriſtiani ex officio exhibere obſequium deberent, etiam ipſius mentis. Pręſertim verò Cyprianus eam auctoritatem ſeu prærogativam Eccleſię Romanæ perſpectam habebat, illamque docuit varijs locis ſuprà indicatis Diſp. VIII. ſect. 2. num. 25. & didicit abſdubio ex Tertulliano (quem Magiſtrū antomaſticè appellare ſolebat) ſæpe illam docente, veluti hauſtam ex Apoſtolica traditione; vti oſtenſum relinquimus Diſp. XXIII. num. 14. & 27. Porrò Sanctos illos Patres, & plurimos alios Epiſcopos cum ijs euſque illigatos, retractaſſe priorem opinionem, & ſubſcripſiſſe Stephano, oſtendemus palam infrà Diſp. XLI. ſect. 1. vbi Lector rem ipſam pleniùs conſulere potuit: patetque pręterea ex Baronio ad annum Chriſti 260. num. 4. vbi ex Euſebio lib. 7. Hiſtor. cap. 8. refert quantum exinde Dionyſius Alexandrinus eeſſerit, & quàm exactè obedierit decretis Sedis Apoſtolicæ, nominatim circa denegandum Baptiſmum ijs qui extra Eccleſiam fuerant baptizati. Denique dato, & non conceſſo, quod ij SS. Patres aliquando ſibi perſuaſum habuiſſent, Romanum Pontificem non poſſe definire quæſtionem illam iudicio certo & irreformabili ſine aſſenſu ipſorum; planè In eo erraſſent, & humani aliquid paſſi eſſent: quod tamen poſtea correxerunt, vt dicemus loco nuper indicato Diſp. XLI.

SECTIO SECVNDA.

Duo alia argumenta objiciuntur, & enodantur. Vbi de vtilitate & neceſsitate convocandi aliquando Synodum Oecumenicam.

9 OPPONVNT III. Auctoritatem Concilij Africani in Epiſtola ad Cæleſtinum Papam, vbi Patres congregati aiunt, minùs poſſe errare in iudicio Concilium Provinciale, quàm Papam. Rationemque ſubdunt quaſi ab abſurdo: *Niſi quiſquam eſt qui credat, vnicuilibet poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare iuſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdoribus denegare.* At certum eſt, Concilia Provincialia in ſuis definitionibus, ſeu decretis, errare poſſe, & ſæpè erraſſe. Multò ergo magis Papa errare poteſt in ſuis. Hoc argumentum ferè, latiùs contra nos propoſuit Edmundus Richerius apud Duvallium infrà allegandum.

10 Reſp. imprimis, Concilium illud non loqui de iudicio fidei, aut iuris, ſed ſolius facti: nimirum de cauſis Epiſcoporum & Presbyterorum, qui poſtulantur de aliquo crimine. In eiuſmodi autem cauſis, iam ſæpè faſſi ſumus, Romanum Pontificem errare poſſe, ſicuti & Concilium Oecumenicum. Deinde addendum, non deberi exploratam fidem ijs, quæ continentur in illa Epiſtola: cùm Epiſcopi videantur eam ſcripſiſſe commoto & perturbato animo ob ſcelera Apiarij, qui ad Romanum Pontificem provocaverat; atque adeò exceſsiſſe debitum reverentię modum. Nec demum obſtat ſi fortè opponas, Concilium id fuiſſe poſtea confirmatum à Leone IV. Papa diſt. 10. Can. *De libellis & commentarijs, &c.* vbi generatim probat Concilia *Africanenſia*, cum alijs pluribus ibidem nominatis. Non, inquam, obſtat: nam ibidem ſolùm confirmantur omnia ea Concilia quoad Canones, ſeu regulas, ex quibus conſtat Codex ſive Corpus Canonum, quo Romani Pontifices vtebantur, præſertim in iudicijs; non autem quoad geſta Synodalia: vt ibidem monet Gloſſa. multò autem minùs quoad Epiſtolas ſcriptas ab Epiſcopis Synodum Provincialem celebrantibus.

11 Dices: ſi Papa in iudicio fidei, ſive iuris, antecellit Concilio Provinciali, & præ illo errare non poteſt; fruſtra cogentur Syno-

Synodi Generales, ſive Oecumenicæ, cum tanto ſumptu Orbis Chriſtiani, labore Epiſcoporum, & deſolatione Eccleſiarum ad lõgum tempus. Non enim maior certitudo haberi poterit definitionum circa fidem & mores ex definitione Synodi Oecumenicæ, quàm ſolius Pontificis Romani. Conſequens autem falſum eſſe conſtat iudicio, & experimento aſsiduo totius Eccleſiæ, quæ ſæpiſsimè cenſuit conveniens, immo, & neceſſarium, cogere Synodos Oecumenicas ad dirimendum graves & difficiles controverſias circa fidem noviter excitatas.

12 Huic obiectioni plurima reponenda eſſent, quę fuſo calamo tradunt Turrecremata in Summa de Eccl. lib. 3. cap. 9. & 10. vbi diſſerit tum de cauſis convocandi Concilia, tum de eorum vtilitate: & Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 10. & 11. Nunc breviter reſpondeo negando aſſumptum: quãvis enim Pontifex habeat auctoritatem infallibilem ad pronuntiandum de fide, & quandocumque ex cathedra pronuntiaverit, ſit explorata fides habenda eius doctrinę; adhuc tamen ipſe non temerè procedere debet ad definitionem ferendam, ſed maturo examine præhabito iuxta difficultatem & gravitatem quæſtionis diſceptatę; ac pręmiſſa invocatione ſeria inſpirationis & illuſtrationis divinæ. Hæc, nimirum, ſunt media ordinaria à Deo ſtatuta antequam definiat. quæ & Martinus V. in Concilio Conſtantienſi, & Innocentius X. ante damnationem propoſitionum Ianſenij, ſe adhibuiſſe profeſsi ſunt, alijque omnes Pontifices pręſtitiſſe creduntur, quoties ſe accinxere ad definitionem aliquam proferendam. Sic & Petrus, quamvis haberet auctoritatem infallibilem ad dirimendum quęſtionem ortam de lege & circumciſione, voluit Actorum 15. rem conferre cum Apoſtolis, donec tandem primus omnium, & tanquam os totius cœtus, illam definivit: vt ſuprà expendimus Diſp. XXVI. num. 5.

13 Porrò vt plurimùm ad dirimendas quæſtiones de fide & moribus excitari ſolitas, non habet opus Concilio Oecumenico Romanus Pontifex, neque illud eſt medium neceſſarium aut conveniens. Ideoque tribus primis ſęculis Æræ Chriſtianæ damnatæ fuerunt à Sede Apoſtolica innumeræ hęreſes abſque vlla eiuſmodi Synodo. Quin & ſequentibus ſęculis vſque modò idipſum in vſu fuit: vt proinde longè plures hæreſes damnatæ ab illa fuerint extra omnem Synodum Oecumenicam, quàm intrà: vt latè & ordine per ſingula ſæcula demonſtravimus Tract. 1. monuitque ſuo tempore de quatuor primis ſæculis S. Auguſt. lib. 4. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 12. (verbis ſuprà exſcriptis Diſp. VIII. num. 2.) & de tota Veteri Eccleſia Catholica obſervàrunt Illuſtriſsimi Præſules Galliarum in Epiſt. gratulatoria ad Innocentium X. data Pariſijs 19. Iulij 1653. quam exhibuimus Diſp. II. ſect. 2. Satis itaque eſt, communiter loquendo, vt oborta quæſtione aliqua difficili circa fidem aut mores, Romanus Pontifex, rem maturè examinari faciat corã ſe à Doctoribus ſapientibus & pijs, competenti numero ac tẽpore; vt auditis eorum ſententijs, & ſuffragijs DD. Cardinalium, ac ſeriò implorata Spiritus S. illuſtratione, tandem definiat controverſiam, ſub ea formula aut modo, quo expedire iudicaverit.

14 Aliquando verò quęſtiones obortæ ſunt adeò difficiles, ſive tam ardenti partium contentione excitatæ, vt quamvis poſſent finiri à Pontifice Romano eodem modo, ac cõmemoratę paulo antè; adhuc expediat, vel neceſſarium videatur cogere Vniverſale Concilium ex multiplici capite. Primò, quia definitio aliquarum quæſtionum graviſsimarum potiſsimùm dependet ex traditione Apoſtolica, & conſenſu perenni Eccleſiarum, per quẽ illa à poſteriori innoteſcit: vt ſuprà Diſp. XXIII. ſect. 1. vidimus ex Tertulliano & Auguſtino. Conſenſus autem perennis Eccleſiarũ optimè dignoſcitur ex relatu Epiſcoporum confluentium ad Synodum, quorũ ſinguli conſuetudines Eccleſiarum ſuarum cenſentur meliùs noſſe, quàm alij. Deinde prodeſt convocatio Synodi, vt decreta de fide, præmiſſa ſubſcriptione Legatorũ Apoſtolicę Sedis, & PP. congregatorum ex toto Orbe Chriſtiano, ſolemniùs confirmentur & probentur à Romano Pontifice, ac deinde cum maiori affectu & veneratione excipiantur in ſingulis Diœceſibus; nec ſit Natio vlla, cuius Epiſcopi conquerantur, ſe non fuiſſe vocatos ad ferendum ſuffragium: qualiter infrà Diſp. XLIII. quæ eſt S. Anſelmi contra Græcos, cap. 14. & in eius Scholijs à num. 127. videbimus, illos cõqueſtos fuiſſe, quòd Eccleſia Latina, ijs inconſultis addidiſſet Symbolo particulam FILIOQVE. Vlteriùs opportet interdum congregari Synodum ad reformationem Eccleſię cum effectu inducendam, ad pacem & concordiam inter Principes Chriſtianos ſtabiliendam, & ad innumera alia bona, quę abſque Synodo potiùs deſiderari, quàm ſperari poſſunt. Denique cùm videamus nonnullos ex Catholicis, ſaltẽ à tempore Concilij Conſtantienſis, negare auctoritatem infallibilem definitionum à Sede Apoſtolica editarũ extra Conciliũ Oecumenicum, ex huius congregatione & definitione ſaltem id bonũ habetur, ne iam de cætero dubitent. quamvis ex dictis in hoc Opere ſatis

te ſatis conſtet, doctrinę hactenus propugnatæ nihil certitudinis acceſſurum ex declaratione novi Concilij, ſed meram ſolemnitatẽ addendam, aut iterandam veterem. Iam enim in multis Concilijs Generalibus ſatis explicatam fuiſſe auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ ad definiendũ controverſias fidei & morum, ſatis ſuprà Diſp. XXIV. per totam oſtenſum fuit.

SECTIO TERTIA.

Quædam alia recentiora Vigorij argumenta convelluntur. Porrò in ijs fidelitatem deſiderari, & pietatem in Eccleſiam Romanam. Vbi de priuilegio commentitio Adriani I. in gratiam Caroli Magni.

15 OPPONIT. V. Vigorius plura contra auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicę, partim deſumpta ex ſordida hæreticorum lacuna, partim ex invidioſa ſchiſmaticorum hoplotheca in Pontifices Romanos: ob quæ duo iure merito reprehenditur paſsim, & multiplici notâ inuritur à doctiſsimo Duvallio tract. de Infallibilitate Romani Pontif. p. 2. q. 4. vbi latè cõtra ipſum diſſerit. Nos breviſsimè rem præſtringemus: cùm omnia illa facillimè ex dictis hactenus ſolvi poſsint. *Primò* obijcit, nonnullos ex Romanis Pontificibus ante Cõcilium Lateranenſe dignitatem Pontificiam Sedis Romanæ ſimoniacè obtinuiſſe: nominatimque Benedictum X. & Sylveſtrum III. vt ex Gloſſa cap. *In nomine Domini* colligitur. At ſimonia hæreſis nomine in iure notatur. Ergo ij Pontifices fuere hæretici. Vnde facilè fieri potuit, vt definirent aliquid fidei contrarium. *Secundò.* Gregorius XII. & Benedictus XIII. in Concilio Piſano damnati fuere vt hæretici, ideoque gradu deiecti. Ergo idẽ quod prius. *Tertiò.* Si ad ſucceſſores Petri extenderetur privilegium illud Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, vt nõ deficiat fides tua, &c.* deberet ſanè extendi potiùs ad Epiſcopos Antiochenæ Eccleſiæ, cui Petrus præfuit priuſquam Romanę. Conſtat autem ad illos non fuiſſe extenſum: cùm multi ex ijs hęretici extiterint, immo & Hęreſiarchæ. Ergo nec extenditur ad Pontifices Romanos. Vnde & ſubdit, ornamenta pręcipua Scholæ Pariſienſis, teſte Laurentio Valla, ſenſiſſe, pollicitationem illam Chriſti non porrigi ad Petri ſucceſſores: ideoque carpit Doctores aliquot Pariſienſes (poſſet ferè omnes) tradẽtes oppoſitum. *Quartò.* In Conſtitutionibus Eccleſiæ Gallicanę, & in Sanctionibus Regni, ſæpe vſurpatur ea reſtrictio, *Clave non errante.* At ea fruſtra adhiberetur, niſi Pontifex definiens errare poſſet. *Quintò* Bonifacius VIII. Papa definivit, eſſe de neceſſitate ſalutis, vt omnia ſubiaceant Romano Pontifici: & verò id definivit vt Pontifex, ſive ex cathedra, in Extravag. *Vnam ſanctam*; vt patet ex verbis illis: *Declaramus, dicimus, definimus, pronuntiamus.* Atqui oppoſitum definivit antea Innocentius III. & declaravit poſtea Clemens V. Ille enim cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi, aſſerit Regem Gallię in terris non habere ſuperiorem. Iſte verò in Extravaganti *Meruit*, in Synodo declaravit, eam Bonifacij conſtitutionem non pertinere ad Reges Gallię. Ergo neceſſum eſt, vt vel Bonifacius VIII. vel ij duo Pontifices in definitionibus ſuis erraverint. *Sextò.* Adrianus I. conceſsit Carolo Magno ius ad eligendum Romanum Pontificem, & ad inveſtituras Epiſcopis conferendas, teſte Sigeberto in Chronico. Poſtea verò Adrianus III. decrevit oppoſitum. Cùm ergo alter alteri contradixerit, fateri opportet, alterum ex ijs erraſſe.

16 Hęc ferè ſunt, quæ obijcit de ſuo Vigorius: digna equidem, quę à Photio olim, quæ poſtea à Magdeburgenſibus, quæ tandem à Marco Antonio de Dominis, contra auctoritatem Sedis Romanę, & ad invidiam ipſi conflandam effutirentur.

17 AD I. Mirum eſt quo auſu Vigorius Pontifices intruſos venditet, & obtrudat pro veris & legitimis: nec alio conſilio id feciſſe videtur, inquit Duvallius, quàm *vt eorũ vitijs & ſceleribus ſanctiſsimam Sedem Apoſtolicam proſcindat & conculcet.* Porrò Benedictus IX. quem falsò Vigorius X. appellat, per vim intruſus fuit ab Alberico Comite Tuſculano: deinde eius loco Sylveſter Epiſc. Sabin. ſimoniacè ſuffectus eſt à Ptolomeo Cõſule. Denique Ioan. XIX. ordine, dictus XX. cùm eſſet Archipresbyter, Sedem invaſit. Itaque ij tres intruſi Põtifices fuere, non veri. Rem totam accipe paucis præſtrictã à Philippo Labbe in Synopſi Hiſtorica Conciliorum
, pag. 148. * Benedictus IX. Alberici Tuſcu-
, lani Comitis filius Benedicti VIII. & Ioan-
, nis XVIII. nepos, Theophilactus dictus,
, ætatis anno vel 10. vel 12. vel 18. vt alij,
, Pontificatum adeptus ſedit ab exeunte anno
, 1033. vſque ad annum 1044. quo vel à Ro-
, manis reiectus eſt, vel perſuaſione Bartholo-
, mæi Abbatis Cryptæ Ferratæ ceſsit Pontifi-
, catu, ſubſtituto Sylveſtro III. quem poſtea
, expulit: dum Ioannes XIX. dictus XX. Ro-
, manus Archipresbyter, eandem invaderet
, Sedem: ſicque fœdiſsimo ſchiſmate tres eo-
, dem tempore dicerentur Papę: quod contigit

, git imperante Conſtantino Monomacho;
, regnantibus in Germania Henrico III. in
, Francia Henrico I. * Hactenus ille.

18 AD II. Gregori⁹ XII. & Benedict⁹ XIII. imprimis non fuerunt explorati & indubitati Pontifices. Nos autem hactenus loquuti ſumus de ijs ſolùm, qui abſdubiò tales ſunt. Deinde non conſtat quenquam eorum fuiſſe hęreticū, licèt poſterior eorum ſchiſmaticus fuerit habitus poſtquam noluit obedire Concilio Cōſtantienſi, nec Martino V. legitimo Pontifici, eorumque anathemata floci habuit. Nec obſtat quòd Concilium Piſanum hæreſeos notam ijs inuſſerit. Non enim fuit Oecumenicum: cùm in eo non patuerit aditus ijs Epiſcopis, qui pro vtroque Pontifice ſtabant, & ij ambo reſiſterent; multique Præſules Italiæ & Aragoniæ.

19 AD III. Duvallius excandeſcit, quaſi Vigorius obtrudat hæreſim novam de Primatu Eccleſiæ æquè aut potiùs reſidente in Epiſcopis Antiochenæ Eccleſię, quàm Romanæ. Nos dicimus privilegium illud auctoritatis infallibilis ad confirmandum in fide fratres conceſſum fuiſſe Petro, & ſubinde Sedi Apoſtolicæ, ſeu cathedræ, quam moderabatur. Si manſiſſet Antiochiæ ſemper, ſucceſſores eius in ea cathedra, eandem quoque auctoritatem haberent. Cùm verò Petrus cathedram, ſive Apoſtolicam Sedem tranſtulerit Romam, ibidemque permanſerit vſque ad glorioſiſſimum tranſitum; id privilegium ad ſolos Romanos Pontifices tranſijt, non ad Antiochenos.

20 Iam quod addit Vigorius, allegato Vallâ (magnæ profectò auctoritatis teſte, præſertim in rebus ad Romanos Pontifices ſpectantibus) pręcipuos DD. clariſſimæ Scholæ Pariſienſis cenſuiſſe, eam Chriſti pollicitationem non extendi ad Petri Succeſſores; nō meliori fide obijcitur. Oſtenſum enim eſt ſuprà Diſp. VI. & VII. omnes ferè præcipuos Profeſſores eius Inſignis Academiæ, tum in communi, tum in ſingulari, paucis quibuſdam exceptis, conſtanter tradidiſſe auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in pronuntiando de fide & moribus. Sed pręterea audiamus Duvallium, Doctorem præſtantiſſimum eiuſdem Scholæ hiſce verbis reſpondentem eidem obiectioni Vigorij: * Ioannes
, Gerſon, Iacobus Almainus, & Ioannes Ma-
, ior, celebres Scholæ Pariſienſis Doctores,
, cum nonnullis alijs privilegium Infallibili-
, tatis Pontifici denegarunt. *Sed illud ei con-*
, *ceſſerunt alij, quorum quidam ſunt multò*
, *illis celebriores*: vt D. Thomas 2. 2. q. 1.
, art. 10. *Ad Summum Pontificem pertinet*
, *ea quæ ſunt fidei definire, vt ab omnibus*
, *inconcuſa fide teneantur*. Itemque D. Bo-
, naventura, ſingulare Scholæ Pariſienſis de-
, cus, & ornamentum, & cuius doctrinā Ger-
, ſon ad ſtudentes in Collegio Navarræ miris
, laudibus ad cœlum vſque extollit; Hervæus
, Harmoricus, Henricus Gandavenſis, & Ioan-
, nes de Cellaia, ambo Societatis Sorbonicę:
, itemque Doctores illi, qui in Comitijs Scho-
, læ Generalibus errores Monteſoni condem-
, narunt his verbis: *AD SANCTAM*
, *APOSTOLICAM SEDEM PERTI-*
, *NET AVCTORITATE IVDICIA-*
, *LI SVPREMA, CIRCA EA QVÆ*
, *SVNT FIDEI IVDICIALITER*
, *DEFINIRE*. Deinde concludit: *Nihil à*
, *facultate Pariſienſi contra Pontificis in-*
, *fallibilitatem vnquā fuit definitum*.* Hu-
cuſque Duvallius. Fallunt itaque aut falluntur quotquot aiunt, Scholam Pariſienſem quaſi pro aris & focis opinionem contrariam tueri.

21 AD IV. Reſtrictio illa, *Clave non errante*, adhiberi ſolita in Conſtitutionibus Gallicanis, intelligitur de errore facti, non iuris: neque alio ſenſu in ijs accipitur: quod fit vbi agitur de Beneficiorum collationibus, excommunicationibus latis, & abſolutione ab ijs. Poſſe verò tum Pontifices Romanos, tum Concilia, etiam Oecumenica, errare circa factum, ex ſiniſtra relatione, aut depoſitione teſtium, aut ob aliam ſimilem cauſam, iam ſępe in ſuperioribus monuimus.

22 AD V. Nihil contradictionis eſt in decretis illis Bonifacij VIII. & Innocētij III. ac Clementis V. Bonifacius enim in Extravag. *Vnam ſanctā*, de Maiorit. & obed. nullum novum ius condit, nec imponit onus aliquod Regibus; ſed ſolùm declarat, quod iuxta ſacras litteras habent erga Eccleſiā Romanam, ſive Summum Pontificem. Poſtea verò tandem concludit generatim: *Porrò eſſe de neceſſitate ſalutis OMNI HVMANÆ CREATVRÆ* (non dixit OMNIA, vt infideliter refert Vigorius) *ſubeſſe Romano Pontifici, declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus*. Quod ſanè veriſſimum eſt, & certum apud omnes Catholicos. Neque id vllo modo inficiatur Clemens in Extravag. *Meruit* de Privilegijs, lib. 5. Clementinarum tit. 7. Non enim ibi ait, Regem Galliæ, eiuſve ſubditos, nullatenus ſubiacere Romano Pontifici; ſed ſolùm declarat, eos poſt Bonifacij Cōſtitutionem non eſſe magis ſubditos, quàm antea fuiſſent. *Nos Regi*, inquit, *& Regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit*, VNAM SANCTAM, *nullum volumus vel intendimus*

dimus præiuditium generari: nec quòd per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati, ampliùs Eccleſiæ ſint ſubiecti Romanæ, quam antea exiſtebant: ſed intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam, &c. Denique extra rem obijcitur auctoritas Innocentij III. in cap. *Per venerabilem,* Qui filij ſint legitimi. Nam ibidē ſolùm dicitur obiter, Reges Galliæ in temporalibus minimè recognoſcere ſuperiorem. Non dixit, non habere; ſed ſolùm minimè recognoſcere. Deinde verò ſubdit: *Non ſolùm in Eccleſiæ patrimonio (ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem) VERVM ETIAM IN ALIIS REGIONIBVS, certis cauſis inſpectis, TEMPORALEM IVRISDICTIONEM CASVALITER EXERCEMVS, &c.* Quibus planè concordat Bonifacius, & nullo modo contradicit Clemens V. locis citatis. vt mirum ſit, Vigorium non erubuiſſe obijcere antinomiam in decretis illis mirè cohærentibus.

23 AD VI. Præter plura alia, quæ latiùs ſuo loco proferemus, placet nunc ſolùm breviter reſpondere cum Baronio ad annum 774. Gretſero in Apologia pro illo contra Goldaſtum, Spondano (ex Baronio) ad annū prædictum num. 4. Duvallio vbi ſuprà q. 4. & alijs Scriptoribus Galliæ, decretū illud Adriani I. Papæ, eſſe commentum Sigeberti ſchiſmatici, ſequentis partes Henrici IV. dicti Imperatoris Germaniç, poſtea diſſeminatum à Calviniſtis & Centuriatoribus. Quod planè demonſtravit V. Cl. Petrus Pithœus, antiquitatis Gallicæ ſtudioſiſſimus, ex ipſis Capitularibus Caroli Magni, quæ notis illuſtravit, lib. 1. cap. 8. vbi hæc habentur: *Sacrorum Canonum non ignari aſſenſum Ordini Eccleſiaſtico præbuimus: vt ſcilicet Epiſcopi per electionem Clericorum & populi, iuxta ſtatuta Canonum, de propria Diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum, eligantur, & verbo ſibi ſubiectis vſquequaque prodeſſe valeant.* Vide ſuprà Diſp. V. n. 16. plura alia ex Capitularibus & geſtis eorundem Caroli & Adriani, quę luculentiùs hanc veritatem confirmant: ſicuti & quæ Diſp. IV. ſect. 1. per totam obſervavimus. Porrò monent ij Scriptores, Conſtitutionem hanc fuiſſe editam à Carolo Magno iam ornato Imperij faſcibus; ac proinde circa finem vitæ: nam non niſi novem annis ab acceptio Imperio vixit; nec ab eo proditurum, ſi privilegio illo donatus fuiſſet ab Adriano I. Addimus & nos, Adrianum I. obijſſe anno 795. die 26. Decembris, quo tempore Carolus nondum erat Imperator, ſed Rex Francorum: vtpote qui longè poſtea, id eſt, anno Sæculari 800. ipſo die Nativitatis à Leone III. Papa coronatus fuit Imperator: vt ex Eghinardo ipſius fideli hiſtoriographo, oculato teſte, & aſsiduo collaterali, obſervat laudatus Pithœus, & Petavius in Rationario ad eundem annum 800. Accedit, Eghinardum ipſum, qui tam exactè narravit res omnes Caroli, nec verbum feciſſe de tali Privilegio cōceſſo ab Adriano I. aut iure illius ad ſacras inveſtituras. Quare falſus fuit Gratianus, dum diſt. 63. Can. 22. relationem illam Sigeberti ad verbum inſeruit: ſicuti & erravit inſerens decretum commentitium Leonis VIII. (Vigorius perperam appellat VII.) quo is Pontifex conceſsiſſe legitur Othoni Imperatori eadem privilegia, quæ olim Pipino & Carolo Magno data fuerant. Nimirum, Leo ille fuit Antipapa, rebellis Ioanni XII. & Benedicto V. veris Pontificibus: qui præſente Imperatore Othone in locum Ioannis XII. viventis ſuffectus fuit factione Germanorum, anno 961. in Romano Conciliabulo. Vnde omnia illa prædicti privilegij fundamenta, quibus innititur Vigorius, & alij, arundinea ſunt. Non ergo Adrianus I. decrevit aliquid, cuius oppoſitum ſtatuerit Adrianus III.

24 Alia argumenta eiuſdem Vigorij, Eadmondi Richerij, Ioannis Launnoij in Epiſt. ad Ludov. Mareſiū, & quorundā aliorū, leviſsima ſunt; ideoque ex dictis in hac ipſa Diſp. & ſuprà Diſp. XI. ac XXV. facilè ſolvi poſſunt. Maneat itaque rata & firma auctoritas Romani Pontificis ad pronuntiandum de fide & moribus iudicio vltimo & irreformabili, ac nulli prorſus errori obnoxio. Quare conſignemus Tractatum hunc clave aurea, id eſt, illuſtri teſtimonio S. Maximi in Epiſt. ad Orientales dicentis: *Omnes fines Orbis, qui Deum ſincerè receperunt, & vbique terrarum Catholicè Chriſti fidem confitentur, in Eccleſiam Romanorum Pontificum, tanquam in Solem reſpiciunt: & ex ipſa Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt veritatem. Nec immerito. Petrus enim legitur primo perfectam fidem eſſe profeſſus, Domino revelante Math. 16. Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Vnde & ei Dominus dicit: EGO ROGAVI PRO TE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA.* Quid illuſtrius?

(.2.)

*** ***

TRAC-

SECTIO QVARTA APPENDIX.

Nonnulla alia argumenta nuperrimè edita ab Auctoribus Pariſienſibus Notarum adverſus Cenſuram Hungaricam, obiecta & ſoluta, ac plerumque regeſta in ipſos Adverſarios.

25 POST Editionē huius Operis, exeunte ferè anno proximè elapſo 1683. prodiêre Coloniæ inter Vindicias Pariſienſiū Notæ quædā in Cenſurā editam à Clero Hungarico adverſus Declarationem Cleri Gallicani: quas ſtatim ad nos tranſmittendas curavit Eminentiſsimus quidam S.R.E. Cardinalis. Illarum Auctores, quoniam plurimum exorbitant à regulis Chriſtianæ moderationis, & prætereà multa peccant adverſus Sedem Apoſtolicam, graviſsimâ eius notâ digni ſunt, & vt ex inſtituto à Scriptoribus gravibus Catholicis que refellantur. Verùm omiſsis conviciorum plauſtris, & audaciâ intolerabili, quâ invehuntur contra omnes ferè Auctores Catholicos doctrinam toto hoc Opere ſparſam tradentes, nō veriti illam hæreſeos notare; placet nūc ſolùm ex eorum indigeſta farragine eruere argumenta, ſi quæ alicuius momenti ſunt, & ijs occurrere, præter ea, quæ toto Tractatu II. obiecimus, & ſolvimus.

26 OPPONVNT. I. teſtimoniū Innocentij III. Papæ lib. 3. Epiſt. Regeſti epiſt. 104. ad Philippum Auguſtum Francorum Regem, aientis: *Propter ſententiam Evangelicam, quam ipſe Deus expreſsit, Vt quod Deus coniunxit, homo non ſeparet; cùm abſque dubio nec Sāctorum exempla, nec Patrū decreta intētioni tuæ in hoc ſuffragentur. Verùm ſi ſuper hoc abſque generali definitione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex hoc poſſemus incurrere, forſan Ordinis nobis & officij periculum immineret: cùm contra præmiſſam Veritatis ſententiam noſtra non poſsit auctoritas diſpenſare.* Hæc ſunt verba Innocentij ab Adverſarijs obiecta, vt inde concludant, Pontificem illum firmiter credidiſſe ac docuiſſe, ſe quæſtionem illam circa matrimonium Philippi Regis Galliarū, adeò celebrem eo tempore, non poſſe determinare abſque definitione Generalis Concilij: quin immò ſi id facere auderet, imminere ſibi periculum amittendæ dignitatis Pontificiæ. Cùm igitur eadem prorſus ratio ſit cæterarum quæſtionum circa fidem & mores; conſequens eſt, vt nullius earum determinatio præſtari citè aut impunè poſsit à Romano Pontifice ſine definitione Concilij Generalis.

27 Sed etiam imprimis qui ita obijcit, criminetur neceſſe eſt innumeros Pontifices Romanos, & pleroſque eorum ſanctiſsimos ac doctiſsimos, qui à principio Eccleſiæ vſque modò dubias de fide & moribus quæſtiones ex cathedra determinârunt abſque interventu aut definitione cuiuſpiam Generalis Concilij: vt patet ex toto Tractatu I. huius Operis. Quin & ipſe Innocentius III. iure culpandus eſſet, atque in ordinem redigendus, cùm plurimas eiuſmodi quæſtiones definierit in Reſcriptis & Epiſtolis ſuis Decretalibus; & quidem plures, quàm quiſquam alius Pontificum Romanorum: vt patet ex ipſo Corpore Iuris Canonici, tum prætereà ex Tomo II. Operum ipſius Coloniæ editorum anno 1575. in quo ſunt duo libri Epiſtolarum, prior 557. earum continens, poſterior 264. atque inſuper quinque libri Conſtitutionum Decretalium: tum denique ex quatuor libris Epiſtolarum eiuſdem, quæ anno 1631. prodierunt Toloſæ Tectoſagum: id eſt, Regeſti XIII. XIV. XV. & XVI. cum Notis Franciſci Boſqueti, tunc I. C. poſtea Epiſcopi Monſpelienſis. Nimirum, innumeræ quæſtiones ab Innocentio determinatæ habentur in ijs ſcriptis, quarum nulla eſt mentio in Concilio Generali Lateranenſi IV. aliàs XII. Oecumenico ab ipſo celebrato anno MCCXV. Quapropter, ſi quidquā evincunt Adverſarij, ne Innocentius quidem, cuius teſtimonio abutuntur, conſtitit ſibi, aut ſe continuit intra metas auctoritatis ſuæ: quin potiùs paſsim meruit gradu deijci, & deturbari ab Apoſtolica Sede. Egregiam porrò criminationem!

28 Reſp. Itaque, ex eo loco nihil effici, quod è re Adverſariorum ſit. Imprimis enim Innocentius verè & conſtanter cenſuit matrimoniū Philippi Auguſti Regis Francorum celebratum & conſummatū cum Engelberga legitima vxore ſua diſſolvi non potuiſſe, nec ab eo citè in vxorem accipi Mariam (aliàs Agnetem) filiam Ducis Meraniæ: quam contra ius & fas, cum ſcandalo Galliarum & totius Orbis Chriſtiani, ſuperinduxit ſibi vxorio nomine. Nimirum, adeò manifeſtum erat Innocentio III. ex ſacris litteris, & teſtimonio illo Chriſti D. prius matrimonium perſtitiſſe validum, & poſterius illegitimum, atque irritum, vt nullis precibus, nullo malorum imminentium timore, nullius gratiâ adduci potuerit ad diſpenſandum, quòd crederet id eſſe contra ius divinum. De quo legēdæ ſpeciatim ex lib. 1. Epiſtolæ 4. & 171. & & 346. atque ex lib. 2. Epiſt. 186. Cùm verò Rex effræni libidine abreptus nollet redire ad priſtinam vxorem, neo recedere ab adulteræ, Innocentius miſſo Legato Petro Diacono Cardinali iuſsit, vt Galliarum Regnum Eccleſiaſtico ſubijceret interdicto, ita vt nullum in eo di-

vinum celebraretur officium, nullumque adminiſtraretur Sacramentum, præter Baptiſmum parvulorum, & pœnitentiam morientium. Cũque coacto ad id Concilio apud *Senonas*, fruſtra Rex appellaſſet ad Innocentium, & celebrato altero apud Viennam Concilio Legatus promulgaſſet ſententiam interdicti in toto Regno, & ſuſpẽſionis in omnes Prælatos, qui illud non obſervarent; tandem accedente novo Pontificis mandato, *Omnes humiliter paruerunt* (inquit Spondanus ad annum 1198. num. 9.) *ſicque tota terra Regis Francorum arctiſsimo eſt interdicto concluſa: ita etiã, vt clauſis Eccleſijs nuſquam in cœmeterijs ſepelirentur corpora mortuorum, ſed ſuper terram ſervarentur vbilibet inſepulta.* : : : : : *Quo tempore, ſicut & olim ſub Philippo I. ſimili de cauſa, ſunt qui obſervent, tabelliones in actis & inſtrumentis publicis non de more appoſuiſſe, REGNANTE PHILIPPO; ſed, REGNANTE CHRISTO.* Itaque tam certus fuit Innocentius de valore prioris matrimonij, & nullitate poſterioris, vt ad defenſionem eius veritatis, & devitationem peſsimi illius exempli in Eccleſia, nõ dubitaverit totum Galliarum Regnum tam horribili interdicto ſupponere, idque ferè per biennium, donec Rex clamoribus populorum, terroribus à Pontifice incuſsis, & metu extremæ indignationis Dei coactus, tandem reſipuit. Quare Innocentius in ea re, tum ſcripto, tum facto ipſo, oſtendit, ad Sedem Apoſtolicam ſpectaſſe declarationem & defenſionem iuris divini, ſicuti & veritatum fidei, circa matrimonium, quas aliqui lactantes Regem vanis effugijs ac prætextibus obſcurare tentabant.

29 Neque obſtat quod ſubdit Innocentius ijs verbis: *Verùm ſi ſuper hoc, &c.* Non enim ait, ſe poſſe cum Concilio Generali, & non aliter, determinare aliquid pro valore poſterioris coniugij: quin potiùs id verbis immediatè præcedentibus excluſerat, agnoſcens manifeſtam eius nullitatem iuxta doctrinam Evãgelij, quam ipſe nec cum Concilio quidem Generali labefactare poterat, aut rite ſubterfugere per diſpenſationem aliquam. Solùm itaque indicat ijs poſterioribus verbis periculum malorum ſibi imminentium ſi prius illud matrimonium cum Engelberga irritum declararet, & poſterius initum cum Maria ratum vllo modo decerneret. Nimirum, prolatâ eiuſmodi declaratione aut diſpenſatione manifeſtè contrariâ ſacris litteris, & repugnante doctrina Evangelica, Pontifici ita abutenti auctoritate ſibi cõmiſsâ ad ædificationem, & non ad deſtructionem, *præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex hoc poſſet incurrere, forſan Ordinis & officij periculum imminerer.* Etenim fortè multi ex Antiſtibus Chriſtianis contenderent, Innocentium violaſſe palam doctrinam Evangelicam, & in hæreſim lapſum: ac proinde aut ipſo facto deſijſſe eſſe verum Pontificem, aut deponendum ab Eccleſia. Nimirum, in ipſa Gallia & Italia acciderat initio eiuſdem ſeculi duodecimi, vt multi & graviſsimi Præſules vſque adeò indignarentur adverſus Paſchalem II. Papam quòd Inveſtituras conceſsiſſet Henrico V. aliàs IV. Imperatori, quamvis per vim ſibi illatam; vt cogitarent, aut ipſo facto amiſsiſſe Summum Sacerdotium, aut ſe conſtituiſſe dignum, vt deponeretur ab Eccleſia, veluti qui hæreſim probaſſet, aut in eam conſenſiſſet. De quo plura Diſput. XI. ſect. 1. & 2. quæ non vacat repetere, nec opus eſt inculcare. Quapropter iure inquit Innocentius, ſi ipſe matrimonium illud prius diſſolveret, & poſterius probaret, contra apertam Evangelij doctrinam, extra Generale Concilium; imminere ſibi periculum amittendæ dignitatis Pontificiæ. Clamarent enim Antiſtites Chriſtiani contra ipſum, veluti apertè violatorem fidei. Quod tamen periculum non apparet ſi id faceret cum Generali Concilio. Quamvis enim id eſſet planè ἀδύνατον, ſive omnino repugnans iuxta Providentiam Dei, & pollicitationem Chriſti de Eccleſiâ Catholicâ nunquam erraturâ; tamen eâ hypotheſi permiſsâ, nullus eſſet Antiſtitum, qui litem intentaret Innocentio Papæ, aut eum gradu deijcere conaretur: cũ omnes in Concilio Generali ponantur idem cum eo ſenſiſſe, & pariter erràſſe: vt proinde quilibet eorum potiùs reus, quàm actor habendus eſſet. Sed de his hactenus, & latiùs ſolito: vt conſtet quàm inanis ſit Adverſariorum cavillus.

30 OPPONVNT II. Fragmentũ quoddam teſtamenti Gregorij II. Papæ, prout refertur ab eruditiſsimo noſtro D. Luca d'Acherio Tomo VI. Spicilegij. *Credimus*; ait ille, *dicimus, & proteſtamur, quòd ſi in Conſiſtorio, aut in Concilijs, vel ſermonibus, vel collationibus publicis aut privatis; aliqua dixerimus erronea cõtra Catholicam fidem, ſeu forſitan adhærendo aliquorum opinionibus contrarijs fidei Catholicæ ſcienter (quod non credimus) vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obſequentibus; ILLA EXPRESSE AVT SPECIALITER REVOCAMVS; DETESTAMVR, ET HABERE VOLVMVS PRO NON DICTIS.* Hucuſque Gregorius II. Subdunt verò ſtatim Auctores Notarum in Cenſuram Hungaricam: *Iſte Summus Pontifex non credebat Papam eſſe infallibilem.*

31 Reſpondeo, dato quòd verba illa verè prolata fuerint à ſanctiſsimo illo & doctiſsimo Pontifice, cùm iam Pontifex eſſet (potuit enim ea diſiſſe, & teſtamentum condere antequam Pontifex eligeretur) non debere aut poſſe ea accipi de errore pronuntiantis ex cathedra, ſive definientis iudicio vltimo ad docendum totam Eccleſiam: ſed ſolùm de errore privato & perſonali, cuius capax eſt Pontifex Romanus. Nimirum hoc ſenſu errare poteſt in Conſiſtorio, & in Concilijs, ac ſermonibus privatis, & publicis; proferreque, ex ignorantia ſaltem, quædam erronea adverſus Catholicam fidem, & adhærere opinionibus ipſi contrarijs; iuxta ſententiam probabilem Theologorum, quæ docet, Pontificem Romanum, prout hominem ſingularem, ſic errare poſſe, immo & hæreticũ fieri. Quare nihil mirum quòd Gregorius, eius ſententiæ memor, proteſtationem illam ederet, anticipato iudicio retractans, & indicta volẽs, quæcumque forſan de cætero dicere contingeret vbivis adverſus Catholicã fidem. Cum hoc tamen cohæret quòd tum reipſa, tum ex mente ipſius Gregorij, Pontifex Romanus, vt talis, ſive quatenus loquens ex cathedra, aut intra, aut extra Concilium, errare nullatenus poſſit, vel definire, adhuc ex ignorantia, quidquam contrarium fidei. Itaque permiſſo quòd Pontifex intra Concilium aut Conſiſtorium, dum examinatur controverſia aliqua, ſive quæſtio de fide aut moribus, velitando aut perquirendo, aut diſſerendo, dicat aliquid contrarium fidei; adhuc tamen vbi acceſſerit ad proferendum iudicium ex cathedra, ſive ad definiendum pro tota Eccleſia, errare nullatenus poteſt. Id enim conſtat palam ex pollicitatione Chriſti Petro facta de non defectura fide ipſius ad confirmandum in ea fratres, & ex plurimis alijs, quæ paſſim in hoc Opere dicta ſunt. Et certè doctrina adeò communis & recepta ab initio in Eccleſia, ac ſæpiſsimè tradita à Prædeceſſoribus eiuſdem Gregorij, & nominatim à S. Agathone Papa, qui triginta ſex retro annis Eccleſiam gubernaverat (cuius verba exſcripſimus Diſp. IX. num. 12.) non potuit latere eundem Pontificem pariter doctiſsimum ac ſanctiſsimum, ὃς διὰ τὰ ὑπ' αὐτοῦ (vt loquitur de eo Cedrenus ad annum decimum Leonis Iſaurici) γινόμενα πονήματα Διάλογος ἐκλήθη. *qui ob diuinas ſuas lucubrationes Dialogi cognomẽ obtinuit.* nimirum olim Gregorius Magnus, cui is ſimillimus extitit, eodem cognomento à Græcis inſignitus fuerat. Vnde & Spondanus cum Baronio ad annum 731. num. 1. inquit de eo: *Cuius ſi ſcripta extarent, reſque ab eo geſtæ intelligentiùs exaratæ eſſent, Gregorio Magno haud minorẽ exiſtimares.* Quomodo ergo Pontificem tam doctum & eruditũ fugiſſet res adeò nota? Verùm & præterea ſpeciatim id extorquetur ex poſteriore ipſius Epiſtola Dogmatica ad Leonem Iſauricum Imperatorem Orientis, & Imaginum ſacrarum perſecutorem crudeliſsimum: cui, inter alia, inquit: *Audi humilitatem noſtram: Imperator, ceſſa, & ſanctam Eccleſiam ſequere, prout inveniſti & accepiſti. NON SVNT IMPERATORVM DOGMATA, SED PONTIFICVM: QVONIAM CHRISTI SENSVM HABEMVS.* Hæc ille glorioſus Pontifex, inſtruens Leonem in fide, à quâ exciderat, & in ſeipſo de cæteris PP. Romanis agnoſcens ſenſum Chriſti ad tradendum fidei dogmata. Senſus autem Chriſti nulli errori obnoxius eſt. Itaque verbis illis in obiectione allegatis ſolùm indicat, poſſe ſibi contingere errorem aliquem circa res fidei, quatenus ſingularis perſona erat, etiam intra Conſiſtoriũ aut Concilium: non verò quatenus erat R. Põtifex, & definiens aliquid ex cathedra circa fidem aut mores.

32 Quia verò Auctores Notarum in Cenſuram Hungaricam, pariter in eam invehuntur quatenus Pontifici Romano aſſerit poteſtatem auferendi Regna Principibus deviantibus à fide; oportet vt in illos retorqueamus auctoritatem ipſius Gregorij II. quâ abutuntur. Is enim eam poteſtatem in ſe agnovit, & in praxim vſumque deduxit contra impium Leonem Iſauricum Orientis Imperatorem, quod palam teſtantur Græci Hiſtorici, conſentientibus omnibus Latinis. Porrò ex illis Theophanes ad annum Leonis 13. ait: *In Seniori verò Roma Gregorius vir Apoſtolicus, & Petri verticis Apoſtolorum conſeſſor, verbo & actu coruſcans; REMOVIT ROMAM ET ITALIAM, NEC NON ET OMNIA, TAM REIPVBLICÆ, QVAM ECCLESIÆ IVRA IN HESPERIIS, AB OBEDIENTIA LEONIS, ET IMPERII SVB IPSO CONSTITVTI.* Præterea cùm initio anni IↃCCXXX. è throno Patriarchali exturbatus fuiſſet S. Germanus, & in eum intruſus Anaſtaſius Syncellus, ait idem Theophanes: *Gregorius ſanctiſsimus Præſul Romanus, Anaſtaſium vna cum libellis abiecit; Leonem per Epiſtolas redarguens, tanquam impiè agentem; & Romam cum tota Italia ab illius Imperio recedere faciẽs.* Cedrenus quoque ad eundem nonum Leonis annum: *Anno nono Leo impius cœpit de ſacris Imaginibus evertendis mentionem facere. Quo cognito, Gregorius Romæ Papa tributis Italiæ & Romæ eũ prohibuit: miſſa etiam Decretali Epiſtolâ monens, non eſſe Imperatoris de fide ſtatuere, aut violare veteris Eccleſiæ decreta à SS. PP. facta.* De-

Deniquè Zonaras conteſtatur inquiens de eodem Gregorio: *Imperatorem ſynodico anathemate obſtrinxit: & vectigalia, quæ ad id vſque tēpus Imperio inde pendebantur, inhibuit, ICTO CVM FRANCIS FOEDERE.* Et paucis interiectis: *Papa Gregorius, deſerta Imperatoris obedientia, vt dictum eſt, ob perverſam illius opinionem, PACEM CVM FRANCIS FECIT; cùm priùs ſæpe dediſſet operam, vt Leonem per litteras ab odio Dei revocaret, atque ad cultum ſacrarum Imaginum reduceret. Sed id planè erat Æthiopem dealbare.* Hæc ille. Verùm ò mira rerum cataſtrophe! Tunc Franci icto fœdere cum Romano Pontifice conſenſerunt, vt abdicaret Leonem magnâ Imperij parte. Idipſum præſtitère eodem ſęculo erga Regem ſuum Childericum à S. Zacharia Papa abrogatum. Idem denique longè poſtea in Concilio Generali Lugdunenſi I, aliàs XIII, Oecumenico; Præſide Innocentio IV. Papa, & adſtante S. Ludovico Rege, ac probantibus Galliarum Epiſcopis, & ipsâ Pariſienſi Academiâ adverſus Imperatorem Fridericum II. Cæſarea poteſtate privatum. Nunc autem Gallicani Præſules, & Auctores Pariſienſes Notarum adverſus Cenſuram Hungaricam, alia omnia volunt: quin & hæreticam (ſi ſuperis placet) dicunt eam doctrinam, quam ipſorum maiores ſanctam & Catholicam toties cenſuerunt!

33 OPPONVNT illi Auguſtinum Epiſt. 162. quaſi aientem, licuiſſe Donatiſtis à ſententia Melchiadis Papę appellare Generale Concilium. Id enim ſignificat verbis illis: *Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniverſæ Concilium: vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari: vt ſi malè iudicaſſe cōvicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* Ergo ex mente illius S. Doctoris Concilium Vniverſale eſt ſuperius Romano Pontifice: cùm ab huius ſententia liceat appellatio ad illud.

34 Reſpondeo mirum eſſe quòd quiſpiam Adverſariorum præſidium ſibi quærat in Auguſtino, qui tam ſæpe, tam apertè noſtram doctrinam confirmat, locis exſcriptis Diſp. VIII. num. 62. & Diſp. X. ſect. 3. & 5. immo & in Epiſtola ipſa nobis obiecta: quã ij aut alienis, aut non ęquis oculis videntur legiſſe. Etenim ibidem ex inſtituto refellit Donatiſtas quòd in cauſa Cęciliani non acquieviſſent iudicio Melchiadis Papæ, ſive (vt palam loquit columna tertia) *ROMANÆ ECCLESIÆ, IN QVA SEMPER APOSTOLICÆ CATHEDRÆ VIGVIT PRINCIPATVS.* Deinde col. 4. Concilium illud Donatiſtarum reſiſtentium iudicio Melchiadis appellat *PERVERSVM ATQVE NEFARIVM*, & ex traditoribus conſtans. Et cùm ij iniquè appellaſſent Imperatorem Conſtantinum, ait S. Doctor col. 5. *Arbitrum & iudicem cauſæ TRADITIONIS ET SCHISMATIS illi eum fecerant, qui ad eum etiam preces miſerant, ad quem poſtea provocarunt: & tamen iudicio eorum acquieſcere noluerunt*, nimirum, Præſulum, quorum iudicio Conſtantinus rem commiſit. Poſtea col. 6. ait: *Qualis ipſius Beati Melchiadis VLTIMA PROLATA EST SENTENTIA; quam innocens, quam integra, quàm provida, atque pacifica, &c. O virum optimum, ò filium Chriſtianæ pacis, & PATREM CHRISTIANÆ PLEBIS!*

35 Verba autem illa Auguſtini ab Adverſarijs obiecta, omnino contra ipſius mentem detorquentur ad ſenſum ſchiſmaticum, qualis erat Donatiſtarum, in quos ille diſſerit. Non enim ait S. Doctor abſolutè licuiſſe ijs appellationem ad Concilium Oecumenicum. Sed ſolùm ex hypotheſi ſententiæ iniuſtę à R. Pontifice latæ permiſsâ, & nullatenus conceſsâ, inquit conducibilius fuiſſe vt expectarent Concilium Oecumenicum coram ipſo Pontifice & cæteris Epiſcopis, ad rem maturiùs examinandam, quàm tot iniquitates eo loco memoratas perpetrare, & accuſare Papam, alioſque Epiſcopos coram Imperatore. Hoc enim longè peius eſt, quàm illud. Id palam conſtat ex verbis ipſis S. Doctoris eodem loco: *Ecce putemus* (id eſt, fingamus) *illos Epiſcopos qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium vniverſæ Eccleſiæ Cōcilium, vbi etiam CVM IPSIS IVDICIBVS cauſa poſſet agitari: vt ſi male iudicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* Deinde ſubdit, non ſic eos feciſſe, ſed cōtra ius & fas ad Imperatoris tribunal provocaſſe. *Iudices enim Eccleſiaſticos tantæ auctoritatis Epiſcopos : : : : : non apud alios Collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quòd malè iudicarint.* Itaque non probat Auguſt. provocationem Donatiſtarum ad Concilium, ſed ſummùm ait, futuram minùs malam, aut tolerabiliorem, quàm provocationem ad Imperatorem, in cauſa illa purè Eccleſiaſtica. Immo nec loquitur de recurſu ad Concilium prout diſtinctum à Papa, ſed ad Papam ipſum ſimul cum Concilio Oecumenico circa controverſiam illam, quæ certè non erat iuris, ſed ſolius facti, in qua Pontifex errare potuit & poteſt. Vnde errant toto cœlo qui ex ijs verbis Auguſtini colligunt, Papam eſſe inferiorem Oecumenico Concilio. Sed de his hactenus.

TRAC-

TRACTATVS TERTIVS.

PRO AVCTORITATE SVPREMA CATHEDRAE S. PETRI IN TOTVM ORBEM CRISTIANVM,

ANIMADVERSIONES IN NVPERAM DECLARATIONEM EDITAM AB ILLVSTRISS. CLERO GALLICANO PARISIIS XIX. MARTII, M.DC.LXXXII.

PROOEMIVM.

HACTENVS Immorati fuimus controverſiæ omnium præcipuæ, quotquot inter Catholicos hiſce annis exagitantur : vtpotè ex cuius certa & firma reſolutione, qualem hactenus præſtitimus, obſtruatur omnis via ad ſuſcitandum Ianſeniſmum, iam antea ſacro anathematis igne fulguritum ab Innocentio X. immo & ad revocandas ex Orco innumeras alias hæreſes, quæ omnibus ferè ſæculis ortæ, à ſola Sede Apoſtolica, ſine interventu vllius Synodi Oecumenicæ, abſciſæ fuerunt. Nec ſolùm oſtẽdimus auctoritatem Pontificis Romani infallibilem ad pronuntiandum de fide & moribus, iudicio vltimo & irreformabili independenter à Concilio Generali, aut conſenſu Eccleſiæ accedente ; ſed etiam poteſtatem ſupra illud : præſertim Diſputationibus XV. XVI. & XVII. Verùm circa hoc ſecundum oportet nonnulla quædam ſubiungere, & ſimiliter circa alia capita, quæ in Declaratione nuperrima Comitiorum Pariſienſium Eccleſiæ Gallicanæ continentur. Id autem ſtudebimus præſtare ſervato ordine capitum, ſeu §§. illius. Nec verò animus eſt perſequi infinitas illas quæſtiones, quæ iam latiſsimè exagitatæ fuerunt circa eandem materiam à quibuſdam Scriptoribus : ſed ſolùm excurſu quodam eas libare, & proferre quæ nos ipſi obſervare potuimus, & opportuna viſa ſunt ad inquirendum in eam Declarationem, præter ea quæ in duplici Tractatu anteriori præmiſsimus.

DISPVTATIO XXXIV.

AN ECCLESIA GALICANA PRÆ ALIIS Nationalibus Orbis Chriſtiani habeat libertates aliquas, ob quas ſit vllatenus exempta ab obedientia aut ſubiectione omnimoda in Sedem Apoſtolicam, ſeu Romanum Pontificem.

IN PRAEFATIONEM DECLARATIONIS RECENTIS Illuſtriſsimi Cleri Gallicani.

VERBA Præfationis hæc ſunt: *Eccleſiæ Gallicanæ decreta, & libertates à maioribus noſtris tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta ſacris Canonibus, & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec deſunt qui earum obtentu Primatum Beati Petri, eiuſque Succeſſorum Romanorum Pontificum, à Chriſto inſtitutum, ijſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſque Apoſtolicæ, in qua fides prædicatur, & vnitas ſervatur Eccleſiæ, reverendam omnibus gentibus maieſtatem imminuere non verentur. Heretici quoque nihil prætermittunt, quò eam poteſtatem, qua pax Eccleſiæ continetur, invidioſam, & gravem Regibus & populis oſtentent; ijſque fraudibus ſimplices animas ab Eccleſiæ Matris, Chriſtique adeo communione diſſocient. Quæ vt incommoda propulſemus, Nos Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Pariſijs mandato Regio congregati, Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, vnà cum cæteris Eccleſiaſticis viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc ſancienda, & declaranda eſſe duximus.* Hucuſque Illuſtriſsimi Præſules in ipſo aditu, quem ſanè qui legerit, expectabit planè in Declaratione ſuccedente aperiiſsimam defenſionem auctoritatis Pontificiæ, ſive Sedis Apoſtolicæ: verùm ea perlecta, ſe deluſum inveniet, occurretque ſtatim illud: *θη-σαυρὸς ἄνθρακες.* Non enim ab aliquo cœtu Catholicorum & ſacrorum hominũ videtur apertiùs impeti aut labefactari potuiſſe Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, quàm ſequentibus capitibus eiuſdem Declarationis, contra quàm in eius fronte apparet. Sed ijs nunc miſsis, quę palam in progreſſu oſtendemus, oportet examinare verba priora eiuſdem præfationis.

SECTIO PRIMA.

Examinatur quænam ſint, ſive in quo conſiſtant libertates Gallicanæ Eccleſiæ. Porrò aut illas non eſſe peculiares, quales eſſe ſignificant Illuſtriſsimi eius Præſules in nupera Declaratione; aut ſchiſmaticas apparere. Opinio Pragmaticorum eius Regni, ac prætereà Ioannis Launnoij, refutata.

2 VIDEBITVR Alicui fortaſſe Diſputatio hæc nullatenus neceſſaria, & prætereà extra rem. Id apparet ex eo quòd Eccleſia Gallicana, ſicut profitetur Catholicam fidem, ita etiam obedientiam ad Romanum Pontificem: ideòque, quemadmodum longiſsimè eſt à nota hæreſeos, ita etiam à nævo ſchiſmatis. Ergo ſe agnoſcit omninò ſubditam Sedi Apoſtolicæ, ſive Pontifici Romano, æquè ac cæteræ Eccleſiæ Nationales Hiſpaniæ, Germaniæ, &c. ac proinde non gloriatur ſe vllo modo præ alijs immunem ab ea ſubiectione. Quare videtur fruſtra, & omninò extra rem, id ipſum à nobis vocari in controverſiam.

3 At enim illam non eſſe omninò inutilem, multa ſunt, quæ ſuadeant. Imprimis verba priora Declarationis aliquam libertatem Eccleſiæ Gallicanę propriam præſeferunt, quam Illuſtriſsimi Pręſules ſartam tectam cuſtodiri volunt, & à multis impugnatam conqueruntur. Propterea enim aiunt, *Eccleſiæ Gallicanæ decreta, & LIBERTATES A MAIORIBVS NOSTRIS TANTO STVDIO PROPVGNATAS, earumque fundamenta ſacris Canonibus, & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur.* Aliquam ergo libertatem peculiarem in Eccleſia Galliarum agnoſcunt ij Antiſtites, quam propterea ipſorum maiores

tam

tanto ſtudio aſſeruerint. Immò non vnam libertatem, ſed *libertates* plurali numero, ſe habere profitentur.

4 Videamus nunc, quænam, & in ordine ad quid, ſint eę libertates Gallicanæ Eccleſię. Non enim ſolùm accipitur libertas eò loci, quemadmodum ab Ariſtotele lib. 3. Ethicorum, vbi *προαίρεσις* definitur *βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν.* nec ſicut à cæteris cum ipſo Philoſophis, & Theologis, pro facultate indifferenti ad agendum vel non agendum. Nimirum, hoc ſenſu quælibet Eccleſia ſub cœlo, etiam exigua, & vnius oppiduli, conſtans hominibus ratione vtentibus, libertate prædita eſt: cùm poſsit agere, aut non agere pro libito. Vlteriùs (& eodèm ferè recidit) nec ſumitur pro naturali facultate eius quod cuique facere libet, niſi quod vi, aut iure prohibetur. Sic enim intellecta libertatis notio, iuxta definitionem Florentini I.C. l. *libertas* ff. de ſtatu hominum, eſt etiam valde communis.

5 Rurſus nec libertatem Gallicanæ Eccleſię vſurpari pro ingenuitate ſervituti oppoſita, eodem argumento efficitur; cùm & illa communis ſit cuilibet civi Romano, ſeu homini libero. Deinde nec locus eſt, vt in ea Declaratione libertas laxiùs vſurpetur pro iure illo, quod inter cives æquũ leges conſtituunt, nullo diſcrimine habito, nec fortunę, nec dignitatis: vt omnes liberi ſint, neque quiſquam pareat, niſi legibus. Hoc enim ſenſu nullam eſſe prærogativam Gallicanæ Eccleſiæ prę reliquis Orbis Chriſtiani, ſed omnibus ijs communem libertatem eſſe, videtur exploratum.

6 Nec prætereà ibidem *libertas* pro eodem accipitur, ac *παῤῥησία* apud Græcos. id eſt, pro quadam audacia loquendi, admonendi, dicendi ſententiam, increpandique; quæ in meliorem partem accepta ſignificat animum liberum ad dicendum quod ſentimus iuxta rectam rationem, nullius reſpectu, gratiâ, aut potentiâ commoti. Hoc enim ſenſu ſimiliter communis eſt libertas cuilibet, non ſolùm Eccleſiæ, aut congregationi fidelium, ſed & viro iuſtitiæ ac veritatis amanti. Verùm ſub hac conſideratione an hodierna Eccleſia Gallicana quoad potiorem ſui partem, quæ ſolos Epiſcopos complectitur, exerceat eiuſmodi libertatem; non pauci dubitant, præeunte SS. D. N. Innocentio XI. in Epiſtola ſcripta ad eoſdem Illuſtriſsim. Antiſtites die 11. Aprilis 1682. & ſuprà exſcripta Diſput. XI. ſect. 8. Ibidem enim incuſantur metùs ad loquendum, admonendum, dicendum ſententiam, & increpandum poteſtatem ſęcularem, qualiter oporteret pro tuenda Eccleſię immunitate.

7 Cùm ergo Declaratio ipſa *libertates Eccleſiæ Gallicanæ* præleferat veluti ſingularem quandam, & peculiarem prærogativam, quę ad alias ſub cœlo Eccleſias non porrigatur; alia videtur reſtare notio, ſub qua *libertas* ibidem accipiatur. Nimirum, eo proportionali ſenſu, quo olim *liberi populi* appellabantur, qui ſuis legibus peculiaribus vterentur, neque Principi alicui, vel alteri populo ſubiecti eſſent, aut vectigal vllum penderent. quo ſenſu Carthago aliquandiu, Corinthus, Athenæ, & Roma ipſa quinque ſæculorum ſpatio libertatem habuit.

8 Iuxta hanc conſiderationem idem erit dicere Gallicanam Eccleſiam *liberam*, ſeu *libertatibus* præditam, ac ſuis peculiaribus legibus vtentem, neque alicui Hierarchæ, aut alteri Eccleſiæ ſubditam. Hoc ſenſu libertatem Eccleſiæ Gallicanæ interpretantur multi, de quibus conqueritur Gibalinus lib. 5. de Iure Canonico cap. 3. §. 14. num. 73. *Quoniam libertatem*, inquit, *Eccleſiæ Gallicanæ, defectionem quandam à Sede Romana, vel fingunt, vel ineptè interpretantur, quaſi libertas eius aliter retineri non poſsit. Quare dum liberam volunt, ſchiſmaticam faciunt, & nobiliſsimum Eccleſiæ membrum à ſuo capite diuellunt.*

9 Verùm apage ſenſum planè ſchiſmaticum. Sic enim Gallicana Eccleſia non ſubiaceret Romanæ, nec illius Pontifici, qualiter olim aliqui Patriarchæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ de illa prædicare auſi ſunt contra ſenſum totius antiquitatis Chriſtianæ, contra Primatum cathedræ S. Petri, & demum adverſus fidem, in verbis ipſis Evangelij contentam, in Concilijs Generalibus explanatam, & perpetua Eccleſiæ, ac Patrum traditione confirmatam, quæ docet, Romanum Pontificem eſſe B. Petri Succeſſorem in Primatu, & regimine Eccleſiæ Vniverſalis; cui proinde omnis ſub cœlo Eccleſia, & totus Orbis Chriſtianus ſubiaceat, tanquam Vicario Chriſti in terris. Quin & ſi Antiſtites Gallicani Eccleſiam ſuam eo ſenſu liberam declararent; iam illa non eſſet Eccleſia Gallicana, quæ hactenus à tempore Apoſtolorum nota fuit. Illa enim ſemper ſe per omnia ſubditam agnovit Romanæ Eccleſię, eiuſque Pontifici, ſummâ animi obedientiâ: vt ex innumeris teſtimonijs conconſtat, quorum plurima Tract. I. ſparſim obſervavimus, & plura adhuc infrà proferemus. Legēdus eſt poſt plurimos alios ea de re D. Petrus Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in Opere de Concordia Sacerdotij, & Imperij, paſsim ferè eandem doctrinam confirmans. Nominatim verò libro 1. capite 2. 3. 7. & 9.

teſtatur , Romanum Pontificem ſupremam auctoritatem in rebus Eccleſiaſticis exercuiſſe , iudicijs ad relationes , & appellationes redditis, *AB EO TEMPORE, QVO FIDES CHRISTIANA EST IN GALLIIS.Deinde,Papam iure diuino eſſe Vniverſalis Eccleſiæ Caput , atque adeò Gallicanæ,quæ eſt illius membrum.* Denique,*generalia decreta à Romanis Pontificibus in Gallias , atque in alias Provincias miſſa, magno plauſu ab Imperatoribus Romanis, deinde à Francorũ Regibus poſt conſtitutũ Regnũ, vſque ad hanc ætatem recepta fuiſſe.* Hęc ille Archipręſul. Alioqui eſſet longè alia Gallicana Eccleſia nova à veteri , & ſolo nomine cum illa conveniens : ſicuti hodiernã Eccleſiam Anglicanã eſſe prorſus aliam à veteri,& ſolius nominis commerciũ cum ea habere , clarius eſt apud Catholicos, quã vt probatione egeat.Quapropter Coriolanus Pręlud. 9.in Concil.corol.2. fortaſis ſpectans ad Gallicanam Eccleſiam ait : *Eccleſia Romana eſt Mater & Caput omnium Eccleſiarum. Qui extra Romanam Eccleſiam eſt , extra ſalutem eſt.*

10 Poſtquam eas libertatis notiones reiecimus tanquam alienas à ſenſu Declarationis Illuſtriſsimi Cleri Gallicani , ſupereſt deveniamus ad examinandam opinionem frequentem eorum, qui intra Gallias docent, præcipuam libertatum eius Eccleſię rationem in eo ſitam eſſe, vt Concilium Oecumenicum ſit ſuperius Romano Pontifice. Ea opinio videtur potiſsimùm tradita à Carolo Cardinali Lotharingo in Commonitorio ad ſuum Secretarium Ioannem Britonem Romæ degentem pro inſtructione Tridentinæ Synodi , vbi poſtquam extulit Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe , depreſsitque Florentinum , & conſequenter docuit , Concilium Oecumenicum eſſe ſupra Papam , ſubdit : *Privilegia, ſeu libertates Regni , in hac veritate poſitæ ſunt vniverſæ. Et eam ob cauſam diſputatio huiuſmodi ſi fiat , tota ad ſubverſionem audientium convertetur , Regnum ſeparabitur , ac diſtrahetur : quod erit commune ac ſummum illius exitium. Non credere , vel vnum eſſe Antiſtitem, qui his conſentiat , inſanum eſſet.* Loquitur autem de articulis illis , quos ad inſtantiam Concilij Baſileenſis probarunt olim quędam Academiæ , & quorum primus hic ac pręcipuus fuit : *Veritas eſt Catholicæ fidei ; ſacrum Generale Concilium ſupra Papam poteſtatem habere.* Itaque libertates Eccleſię Gallicanę ſitas eſſe vult in eo quòd Pontifex ſit inferior Concilio Oecumenico. Quam opinionem plerique ex Pragmaticis in Gallia ſequi ſolent , & ex Theologis Pariſienſibus acriter tuetur Ioannes Launoius varijs locis : & in Epiſtola ad Antonium Taurum, *Romanam & melioris ævi conſtantiam* appellat Commonitorium illud , doletque fidem in eo teſtatam iam floceſcere in Gallia , & hæreſim in illo damnatam prævalere.

11 Sed enim eam Lotharingam fidem opinionemque infirmam cenſet ex Gallis ipſis eruditiſsimus D. Petrus Marca Archiepiſcopus Pariſienſis libro tertio de Concordia Sacerdotij & Imperij capite ſeptimo numero primo , cuius ſynopſis , à Stephano Baluzio præmiſſa , eſt : *Confutatur communis opinio quæ docet , præcipuam libertatum regulam hanc eſſe , vt Concilium Oecumenicum ſuperius Romano Pontifice dicatur : nam quamvis hæc ſit Scholæ Gallicanæ ſententia, non eſt vna ex libertatibus Gallicanis.* Deinde citat. numer. primo , ait : *Qui Romani Pontificis odium in has libertates concitant , id præcipuè vrgent , eas alia ratione conſtare non poſſe , quam Apoſtolicæ Sedis dignitate in eo maximè imminuta , quòd Concilij Generalis auctoritati ſubijciatur.* Itaque quidquid olim Ampliſsimus Cardinalis Lotharingus cenſuerit , aliquis inventus eſt Gallicanorum Præſulum , iſque Archiepiſcopus Pariſienſis, ac diu verſatus in negotijs Curiæ, qui cenſuerit libertates Gallicanæ Eccleſiæ non niti in poteſtate Concilij Oecumenici ſupra Papam. Deinde eam ipſam impugnare videtur poſtea libro 5. capite 7. & 8. eiuſdem Operis, vbi latè docet , poteſtatem Pontificis in reliquam Eccleſiam , ſive Concilium , eſſe inſtar Imperatoris in Rempublicam & Senatum. quam conſtat monarchicam eſſe & ſuperiorem.

12 Aliunde præterea impugnatur ea opinio. Permiſſo enim , & nullatenus conceſſo , quòd Romanus Pontifex ſit inferior Concilio Oecumenico , nulla inde libertas oriri poteſt in Gallicana Eccleſia prę alijs Nationalibus. Omnes enim æquè à decretis & præceptis Pontificijs recurſum habebunt ad Synodum Oecumenicam , & illam appellare poterunt in cauſis quibuſlibet : vt manifeſtum eſt. Ex principio enim , ſive theſi indifferenti , & prorſus communi , qualis eſt illa relatè ad omnes, *Papam eſſe inferiorem Concilio Oecumenico*, non poteſt oriri peculiaris , & propria collectio in gratiam Eccleſiæ Gallicanæ præ alia. Dum igitur Illuſtriſsim. Galliarum Præſules in fronte ipſa Declarationis ſuæ præſeferunt libertates Eccleſiæ ſuæ,

tanto

tanto ſtudio à maioribus propugnatas, veluti peculiares & proprias ipſius præ alia Eccleſia ſub cœlo; non nituntur in illa theſi.

13 Vlteriùs. Cùm exploratum ſit, nullam concluſionem ſeu collectionem eſſe firmiorem principio cui innititur; libertates Gallicanæ nullam omnino firmitatem habebunt, nec dignæ cenſebuntur, quæ *tanto ſtudio à maioribus propugnatæ fuerint*. Principium enim illud, ſive theſim, *Papam eſſe inferiorem Concilio*, nihil prorſus veri habere, nullâ firmitate conſiſtere, contrariam eſſe ſacris litteris, traditioni perpetuæ Eccleſiarum, doctrinę Conciliorum Generalium, communique ſenſui Patrum, & Theologorum; iam ſatis indicavimus ſuprà Diſputat. XV. & XVI. pluresque inſignes Viri poſt Cardinalem Turrecrematam ex profeſſo demonſtrârunt: ac tandem definitum fuit in Concilio Generali Lateranenſi ſub Leone X. Seſsion. XI. cuius verba exſcripſimus citatâ Diſputat. XV. ſectione 4. Quin & longè plures ex ipſis Gallis Oecumenicam Synodum ſubdidiſſe Papæ; quàm prętuliſſe; demonſtrant nuper in media Gallia ſcribentes poſt Henricum Spondanum ad annos Chriſti 1418. numero 5. Theophilus Raynaudus in Opuſculo inſcripto Αὐθόρεια, puncto 11. & 12. (vbi acerrimè confutat appellationes à Papa ad Concilium, veluti ſchiſmaticorum proprias) Coriolanus in Concilia prǽludio quarto (vbi docet Papam eſſe Concilio ſuperiorem; & in poteſtate iuriſdictionis excedere Concilium, illique robur & poteſtatem conferre) Rives in Epitome Canonum Conciliorum Prælu- dio quinto, vbi eandem doctrinam tradit, ac recentiùs Cabaſſutius in Notitia Eccleſiaſtica, in Synopſi hiſtorica Sæculi XV. numero 12. pag. 508. vt innumeros alios eiuſdem florentiſsimæ Nationis Scriptores prætercam. Si igitur Gallicanæ libertates innituntur illi theſi, *Papam eſſe inferiorem Concilio Oecumenico*, nullius profectò firmitatis ſunt.

14 Denique. Eatenus libertates Eccleſiæ Gallicanæ niti poſſunt opinione ſubdente Papam Concilio Oecumenico, quatenus à definitionibus, decretis, & ſententijs illius poſsit ad hoc eſſe iuſta ac legitima appellatio, tanquam ab inferiori ad ſuperius. Neque enim vllo alio modo, vel in ſpeciem, ea opinio ad eiuſmodi libertates conferre poteſt. Atqui appellationes eiuſmodi ſchiſmaticas eſſe, & ſolùm interpoſitas fuiſſe ab ijs, qui in Eccleſia ſchiſmatici habiti ſunt, aut etiam hæretici, obſervat fuſè Raynaudus vbi ſuprà punct. 1. & 3. varijs & luculentis exemplis, noſque fortaſsè vberiùs in progreſſu Operis demonſtrabimus. Non ergo libertates Gallicanæ Eccleſię niti poſſunt opinione ſubdente Papam Concilio Oecumenico, niſi in ijs lateat venenum aliquod doctrinæ ſchiſmaticæ. Cùm ergo non ſit faſid cogitare de tanta ac tali Eccleſia, reliquum eſt vt ea Pragmaticorum, & Launoij opinio ſit prorſus aliena à veritate.

SECTIO SECVNDA.

Exſcribitur opinio Illuſtriſsimi D. Petri de Marca circa libertates Eccleſiæ Gallicanæ, in quonam poſitæ ſint.

15 ILLVSTRISSIM. D. Petrus de Marca in Opere allegato de Concordia Sacerdotij & Imperij (cuius exemplar quoddam nobis amicè communicavit nobiliſsimus iuxtà ac doctiſsimus D. D. Gregorius de Solorzano & Caſtillo, Ordinis Calatravenſis, Primarius Iuris Pontificij Anteceſſor In hac Academia, qui & prætereà ſuperioribus annis Relectionem eruditam de poteſtate Papæ ſuprà Concilium edidit) lib. 3. cap. 7. refutans opinionem Pragmaticorum paulo antè impugnatam, aliter Gallicanas libertates exponit. Verba illius ſubiungo.

16 * Solet à pleriſque Pragmaticis hoc ferè præcipuum conſtitui libertatis Gallicanę theorema, Concilium Oecumenicum ſuperius eſſe Summo Pontifice: vnde ſequatur nihil à Sedis Apoſtolicę Prǽſulibus tentari poſſe quod Synodorum Generalium definitionibus adverſetur. Invidioſã quęſtionẽ fecit nimium partium ſtudiũ: quod ſi abeſſet, vexatiſsima illa contentio facilè componi poſſe videretur. Scio quid Theologi Pariſienſes conſtanter profeſsi fuerint in Concilio Conſtantienſi, Gerſonis auſpicijs, quod omnes Eccleſiæ Patres tunc amplexi ſunt, in vnũ conſpirantibus omnium Epiſcoporum, & nationum votis. Scio quid Baſileenſis Synodus, quæ, paucis exceptis, omnes ferè Occidentis Epiſcopos continebat, de hac re decreverit; quidque à Gallicanæ Eccleſiæ Theologis paſsim doceatur. Attamen ſi cum bona Magiſtrorum venia, id quod ſentio liberè profiteri liceat, exiſtimo libertates Eccleſię Gallicanę hoc axiomate non omnino niti. Qui Romani Pontificis odium in has libertates concitant, id præcipuè vrgent, eas alia ratione conſtare non poſſe, quàm Apoſtolicæ Sedis dignitate, iti eò maximè imminuta, quòd Pontifex Concilij Genera-

, neralis auctoritati ſubijciatur. Attamen hæc
, ſententia, etſi in Schola Pariſienſi, & cæte-
, ris huius Regni Academijs certiſsima ha-
, beatur, in foro apud nos non diſceptatur;
, qui libertates perinde tuemur, ſi de Conci-
, lij Generalis novis decretis, ac ſi de Roma-
, ni Pontificis conſtitutionibus agatur. Quin
, etiam receptos mores, & conſuetudines
, Eccleſię Gallicanæ, noſtro vſui commodas,
, adeò retinemus, vt etſi Canone Concilij
, Generalis deſtituamur, quo illę firmatę ſint,
, tamen ab ijs nobis diſcedendum eſſe non
, cenſeamus.

, 17 Quare non eſt quod hæreamus in
, ea regula, quæ Romanis ſtomachum movet,
, & quę rebus noſtris non proſpicit, vt par
, eſt. Fruatur Summus Pontifex aut æquo iu-
, re cum Concilijs Generalibus, aut ſuperio-
, ri. Illud vnum in foro expendetur, an nova
, conſtitutio, vel novum reſcriptum rebus
, Gallicanis conſulat, aut noceat. Si recep-
, tos Canones, vel receptos mores infringat
, aliquo pacto, eius ratio non habebitur, niſi
, conſenſu publico accedente. Præterquam
, quòd enim hæc novarum legum conditio, &
, præcipuè Eccleſiaſticarum, vt aſſenſu eorum,
, quorum intereſt, probentur; id ſibi præci-
, puè vendicat Canonum reverentia, vt ijs Pō-
, tifices Romani derogare velle non cenſean-
, tur, etſi fortaſsè formulis reſcripti et ſtylo
, Curiæ aliter cautum ſit. Hęc eſt enim inna-
, ta Canonum, & Decretorum conditio, vt
, perpetuò vim ſuam obtinere debeant, nec
, mutationibus illis ſubiaceant, quę in legibus
, ſecularibus ſunt frequētiſsimę ob rerū mun-
, danarū mobilitatē, vt loquar cum Innocen-
, tio I. Tribus autem modis, præcipuè antiquis
, legibus, & Canonibus derogari ſolet. Vel no-
, va lege promulgata, quę priorem abroget,
, vel diſpenſatione, & venia legis, aut deroga-
, tione certo quodam caſu alicui conceſſa, vel
, privilegio perpetuo indulto. Novæ leges fer-
, ri non debēt, niſi magna, & evidenti vtilita-
, te cogente quia durū eſt ab eo iure, quod diu
, æquum viſum eſt, recedere, vt dixit Vlpianus.
, Quod præcipuè locum habet in legibus Ec-
, cleſiaſticis, quæ à Spiritu ſancto conditæ di-
, cuntur à Leone I. Quā ob cauſam venia quo-
, que Canonum non facilè indulgenda eſt, nec
, diſpenſationibus privatis, nec privilegijs
, perſonalibus, aut perpetuis.

, 18 Itaque non agimus cum Sede Apo-
, ſtolica quaſi cum poteſtate quadam certis
, regulis ita devincta, vt eas nullo caſu egredi
, poſsit; cùm ſciamus Canonum diſpenſatio-
, nem, cuius eſt in politica Eccleſiaſtica
, frequentiſsimus vſus, Summo Pontifici præ-
, cipuè concreditam. Sed veluti ex pollicita-
, tione, quam ſuis decretis Canonum, & con-
, ſtitutionum executionem ſpoponderunt, à
, B. Petri Succeſſoribus cum debita reveren-
, tia exigimus. Quantum verò Canonibus de-
, tulerint Romani Pontifices per omnes æta-
, tes, perpetuò & verbis & factis teſtati ſunt;
, eademque operâ libertates noſtras inviola-
, tas ſpondere viſi ſunt. Cuius rei inſigne præ-
, bet exemplum Ioannis Chryſoſtomi contra
, Canonum perſcripta in Synodo ad Quer-
, cum damnatio decreta ab Orientalibus Epiſ-
, copis: cui & Innocentius I. & cæteri Ita-
, liæ Epiſcopi conſenſum præbere noluerunt;
, quia quæ Canonibus violatis peraguntur,
, rata eſſe non poſſunt. Vnde Occidentis, &
, Orientis communio interrupta fuit ad tem-
, pus. Sed tandem Ioannis nomen in Dipthy-
, ca Eccleſiæ relatum fuit, & reſtitutum inter
, Eccleſias communionis conſortium. Servan-
, dorum Canonum ſtudium eò Romanos im-
, pulit, vt ſatiùs duxerint in propoſita ſpecie
, ſciſsionem Eccleſiæ perpeti, quàm conni-
, vere, vt Canonibus aperta vis inferretur.
, *Nam longè præſtiterit*, inquit Innocent.
, in Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolita-
, num, *vel ea condemnare, fratres chariſ-*
, *ſimi, quæ rectè facta ſunt, quàm ea ro-*
, *bur vllum ſortiri, quæ aduerſus Canones*
, *geſta ſunt.*

, 19 Zozimus Pontifex Epiſcopis Pro-
, vinciæ Viennenſis, & Narbonenſis ſecun-
, dæ graviter exprobrat diviſionem Provinciæ
, Viennenſis, quam contra Patrum ſtatuta ten-
, taverant in Concilio Taurinatenſi. Etenim
, Canone 2. certantibus de primatus honore
, Arelatenſi, & Viennenſi Epiſcopis, à Syno-
, do definitum eſt, vt qui ex eis probaret,
, ſuam civitatem eſſe Metropolim in latercu-
, lo Imperij, is totius Provinciæ primatum
, etiam in rebus Eccleſiaſticis obtineret, &
, iura ordinationum iuxta Canones; interim
, verò concordiæ, & pacis cauſâ viciniores ſi-
, bi quiſque civitates intra Provinciam vin-
, dicaret. Hanc Concilij temeritatem, quæ
, delatam ab Apoſtolica Sede iam olim Are-
, latenſi Eccleſiæ poteſtatem ſubvertebat, Zo-
, zimus quidem decreto ſuo repreſsit, & in-
, termiſſum ordinem reſtituit; ſed ijs verbis
, vſus eſt, quæ ab Hincmaro, Ivone, &
, Gratiano adnotata ſunt, vt conſtet Pon-
, tifices nolle ſibi liberum eſſe antiqua de-
, creta immutare: *Apud nos enim incon-*
, *vulſis radicibus viuit antiquitas, cui*
, *ſtatuta Patrum ſanxere reverentiam.*
, Idem teſtatum voluit Epiſcopis Africæ, Gal-
, liæ, & Hiſpaniæ, quid de hac re cenſeret.
, *Cùm aduerſus ſtatuta Patrū venitur, non*
, *tantùm illorum prudētiæ atque ſententiæ,*

qui

„ qui in æuum victura ſanxerunt, ſed ipſi „ quodammodo fidei & Catholicæ diſciplinæ „ irrogatur iniuria. Quid enim tam ſanctũ, „ ac venerabile eſt, quàm penitus non exorbitare ab itinere maiorum, quorum Canonica inſtituta, velut quædam fundamenta „ ſunt ferendis fidei iacta ponderibus? Bonifacij par cura fuit anno DC.XXII. in „ euertenda Patrocli Arelatenſis Epiſcopi præſumptione, qui Lutubenſi Eccleſiæ prætermiſſo Metropolitano, Epiſcopum ordinârat „ contra Patrum regulas: *Quod nequaquam* „ *poſſumus ferre patienter*, inquit, *quia con*„ *venit nos paternarum ſanctionum diligẽ*„ *tes eſſe cuſtodes.* „ Hactenus eruditiſsimus ille Præſul.

SECTIO TERTIA.

Inquiritur in eadem opinionem quoad præcipuam partem, in qua docet, Libertates Gallicanæ Eccleſiæ Regnique in eo ſitas eſſe, vt non ligetur decretis, conſtitutionibus, aut reſcriptis nouis, receptos mores infringentibus, niſi publicus conſenſus accedat.

20 OPINIO Archipræſulis Pariſienſis mox κατὰ πόδας exhibita, hiſce verbis in ſynopſim cõtracta fuit à Cl. V. Stephano Baluzio. *Confutatur communis opinio, quæ docet præcipuam Libertatum regulam hanc eſſe, vt Concilium Oecumenicum ſuperius Romano Pontifice dicatur. Quamuis hæc ſit Scholæ Gallicanæ ſententia, non eſt vna ex libertatibus Gallicanis. In foro perinde eſt ſi Summus Pontifex æquo vel ſuperiori iure cum Concilijs vtatur. Vbi id tantùm expenditur, an noua reſcripta noceant Eccleſiæ Gallicanæ.* Deinde num. 2. & 3. eiuſdem Synopſeos, ſubiungit: *Canonum executionem expollicitatione exigimus. Pontifices Romani Canones non poſſe infringi docent factis & ſcriptis: vt Innocentius I. in cauſa Chryſoſtomi, Zozimus in cauſa Arelatenſis Epiſcopi, & in Epiſt. generali: & Bonifacius I.* Ita ille.

21 Relicta verò priori parte eius opinionis, in qua apertè demonſtratur, nihil conferre ad libertates Eccleſiæ Gallicanę quòd Põtifex aſſeratur inferior, aut potiùs ſuperior Concilio Oecumenico (de quo iam egimus ſect. 1.) veniamus ad poſteriorem, in qua dicitur, illas eſſe ſitas in eo, vt expendatur, *an noua conſtitutio, vel nouum reſcriptum, rebus Gallicanis conſulat, aut noceat. Si receptos Canones, vel receptos mores infringat aliquo pacto, eius ratio non habebitur, niſi conſenſu publico accedente.* Loquitur verò D. Marca palam de Conſtitutionibus, & Decretis, tum Conciliorum Vniuerſalium, tum Romanorum Pontificum: vt patet ex verbis præcedentibus ipſius.

22 Id verò adhuc dupliciter intelligi poteſt. Primò, vt Pontifex Romanus (idemque intelligendum eſt de Concilio Oecumenico, ſiquidem Marca de vtroque pariter loquitur) noua conſtitutione, decreto, aut reſcripto, cẽſeatur nolle adſtringere Eccleſiam Regnumve Galliarum in foro animæ, ex indulgentia quadam, niſi accedente acceptatione ſive conſenſu publico: quaſi leges Pontificię ſub ea tacita conditione ferantur, ſi ab Eccleſia & Regno Galliarum acceptentur. Secundò, ita vt Pontifex, quamvis ſeriò velit, & efficaciter conetur, non poſsit adſtringere, nec iniſcere onus aliquod, aut præceptum, contrarium moribus aut canonibus receptis in Gallia.

23 Si priori ſenſu accipiatur ea opinio, nullas inde magis libertates habet Eccleſia Gallicana, quàm reliquæ Nationales. Quòd enim dicatur, Pontificis leges conſtitutioneſve aut canones non adſtringere Eccleſiam aut Regnum Galliæ, niſi acceptentur publico conſenſu nec ferri à Pontifice de facto, niſi ſub ea conditione acceptationis; ſolùm niti poteſt à pari, aut ſimili, in opinione id aſſerentium de legibus Regijs: quam communiter tuentur Iuriſconſulti, in capite 1. de Treg. & pace, Covarrubias libro 1. Variarum capite 16. vbi plures alios citat, Navarrus in Summa capite 23. numero 41. & Conſil. 1. de Conſtitut. quæſt. 5. colligiturque ex *l. de quibus*, ff. de legibus, vbi dicitur: *Ipſæ leges nulla alia cauſa nos tenent, quàm quòd iudicio populi receptæ ſunt.* Eamque ſententiam multi, etiam ex Theologis, extendunt ad leges Pontificias, quaſi & illę ſub ea conditione tacita acceptationis ferantur, ſaltem ex præſumpta indulgentia aut benignitate Pontificis, nolentis aliter obligare ſubditos: alijs è contra negantibus, tam de legibus Regijs, quàm de Pontificijs, vt neutræ earum ad inducendam vim & obligationem pendeant ab acceptatione inferiorum. quod tuentur Suarez libro tertio de Legibus capite 19. Vazquez part. 2. tomo ſecundo diſputatione 156. Malderus quæſtione 90. articulo 3. dub. 2. plurimique alij. Vtraque verò opinio, ſive affirmantium, ſive negantium, indifferenter loquitur de Conſtitutionibus, legibus, & decretis ſupremorum Principum, ſive ij Reges ſint, ſive Romani Pontifices, in ordine ad quoſcumque ſubditos, & cuiuſvis Regionis, atque Eccleſiæ, ſine diſcrimine vllo. Er-

go vtrâvis earum opinionũ ſtatutâ, nullas peculiares libertates ſibi aſſerere poteſt Eccleſia aut Regnum Galliæ prę alijs Eccleſijs aut Regnis. Quare ſi Illuſtriſsim. Marca hoc ſolùm ſenſu tuetur libertates Eccleſię Gallicanę; dum eo titulo inſignivit Opus ſuum, de Concordia Sacerdotij & Imperij, ſeu *DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ* (vtramque enim epigrapham præſefert) potuiſſet illud pariter inſcribere, *De Libertatibus Eccleſiæ Hiſpanicæ*, aut Germanicę, vel Polonicę, &c.

24 Dum igitur D. Marca, & alij Scriptores Galli, ac recenter Illuſtriſs. Præſules in Comitijs Pariſienſibus 19. Martij 1682. tuentur *Gallicanas libertates tanto ſtudio a maioribus* ipſorum *propugnatas*; alio ſenſu illas intelligunt, nequaquam communi alijs Eccleſijs, Regniſve; ſed peculiari & proprio ipſorum. Quare reliquum eſt, vt iuxta ſenſum D. Marcæ & ſimilium, Pontifex Romanus, quamvis ſeriò velit, & efficaciter conetur, non poſsit novas leges, ſtatuta, aut conſtitutiones condere, quibus adſtringat in foro animæ Regnũ vel Eccleſiam Gallicanam, non accedente conſenſu publico. Porrò ſi hoc ſenſu D. Marca tueatur libertates Gallicanas, fatebimur proprias & ſingulares eius Regni, nec vllo modo invidebimus. Quęnam enim Eccleſia aut Regio Ca holica invideat, appetatvè id, vnde tollatur Eccleſię vnitas, & incõſutilis Chriſti tunica abſcindatur? Quænam fidelium congregatio, ſeu ſacra, ſeu politica, exoſam habeat ſubiectionem ad Eccleſiam Romanam, ſive, quod perinde eſt, ad Præſulem Romanæ Eccleſiæ; illamque neget, & excutiat à ſe, niſi in manifeſtum ſchiſma degeneret? Aiebat olim S. Irenęus Epiſcopus Lugdunenſis & Martyr, in media Gallia ſcribens, lib.3. contra Hæreſes cap.3. *Ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem NECESSE EST OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM: hoc eſt, eos, qui vndique ſunt, Fideles.* Non dixit liberum eſſe alicui Eccleſiæ, vt conveniat, necne, ad Eccleſiam Romanam. quod vtique liberè pręſtaret, ſi impunè, ſi innoxiè poſſet non acceptare leges aut decreta quælibet, ab Eccleſia aut Pontifice Romano edita. Dixit itaque, *neceſſe eſſe*: quoniam ſtatim ac prolata fuerint à Præſule Romanæ Eccleſiæ ſerio animo obligandi *omnem Eccleſiam*, ſive etiam, *eos, qui vndique ſunt, fideles*; omnes & vbique tenentur obedire. Quod ſanè apud omnes Catholicos eſt certum eadem fide divina, quâ credimus, Pontificem Romanum non à populo, vel ab hominibus, ſed à Deo *ἀμέσως* habere poteſtatem pleniſsimam iuriſdictionis in totam Eccleſiam, veluti Summum Legiſlatorem, & Caput ipſius: de cuius ratione eſt vt poſsit obligare ſubditos independenter à conſenſu vel acceptatione ipſorum. Vnde in Concilio Oecumenico Florentino ex communi conſenſu Latinorum & Græcorum Patrum hæc fidei regula tradita fuit Seſsione vltim. circa finem: Ἔτι ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, &c. id eſt: *Item definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem IN VNIVERSVM ORBEM HABERE PRIMATVM, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, TOTIVSQVE ECCLESIÆ CAPVT, ET OMNIVM CHRISTIANORVM PATREM ET DOCTOREM EXISTERE; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi Vniverſalem Eccleſiam a Domino noſtro IESV-CRISTO traditã eſſe PLENAM POTESTATEM, quemadmodũ etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.*

25 At inquies, durum eſt receptos in Gallia mores deſerere, & novam aliquam conſuetudinem induere, idque ex officio, ſeu obligatione præcepti. Sed enim, quid meriti, obedientiæ, aut laudis in ſubdito, niſi aliquid durum aut difficile ſibi iniunctum exequatur? Adhuc loquendo de legibus Principum ſæcularium, qui poteſtatem à populo acceperunt, aiebat Vlpianus *l. Proſpexit* ff. Qui & à quibus: *Quod quidem perquam durum eſt: ſed ſic lex ſcripta eſt.* Ideoque Gloſſa in cap. *Ex parte*, ſecundo de Officio delegati obſervat obediendum eſſe generatim ſuperioris mandato, quamvis durum ſit. Quantò magis vbi ſuperior ipſe non habet poteſtatem iuriſdictionis immediatè ſibi communicatam à populo, ſed à Deo ſolo? qualem abſdubio habuit S. Petrus, habentque ſibi pleniſsimè communicatam eius Succeſſores in cathedra Sedis Romanę; iuxta omnes Catholicos. Certum itaque omnino eſt, nec ſine aperto ſchiſmate, aut etiam defectione à fide, negari poteſt, Romanum Pontificem poſſe vbique terrarum omnes fideles, cuiuſcumque Eccleſiæ aut Regni ſint, adſtringere legibus, ſtatutis, decretis, & præceptis ſuis, quamvis dura aut difficilia ſint, vel videantur, independenter ab acceptatione ipſorum, vel publico conſenſu. Vide Diſp. XXXV. num. 25.

26 Nec propterea nego, adeò duram ac difficilem eſſe poſſe legem aliquam Pontificiam, aut novum decretum in Gallia, vt poſsit iure merito ſupplicari ad Romanum

Pon-

Pontificem, vt illud ſuſpendat, ſive nolit in eo Regno vim obligandi habere, dilatâ eius obſervantiâ interim, dum novum Reſcriptũ accedat. Non, inquam, id nego; ſed potiùs ſuprà Diſp. XXV. ſect. 2. eam doctrinam ex varijs Doctoribus præmiſi. Verùm illa generalis eſt, & veluti talis ab ijs traditur abſque vllo diſcrimine Regnorum, Eccleſiarumve. Non ergo exinde vel Regnum, vel Eccleſia Galliarum, libertates aliquas peculiares & ſibi proprias habet.

27 Quare, vt illæ peculiares ſint, ſive nullatenus cõmunes alijs Regnis aut Eccleſijs, quàm Gallicanæ, conſtituenda eſſet in hac exemptio aliqua à legibus ſeu decretis Pontificum Romanorũ, etiamſi ipſi vrgeant, & inſtent ſeriò, & ſub præcepto, ac poteſtate inexorabili, vt ita loquamur, ad eorum obſervantiam. Exemptio autem eiuſmodi nihil aliud eſſet, quàm excuſſio iugi à Deo impoſiti omnibus Eccleſijs, Regniſque Chriſtianis: in qua quidem, ipſa reſiſtentia eſſet ſchiſmatica, veluti dividens partem aliquam Eccleſiæ à ſuo capite: doctrina autem illam probans, eſſet planè hæretica. Certum enim fide divina eſt, apud omnes Catholicos, Pontificem Romanum ſucceſsiſſe D. Petro in Primatu totius Eccleſiæ, iure divino, & ex illo habere vt ſupremus Legiſlator ſit in ijs omnibus quæ ad mores & ſalutem ſpectant: ac proinde poſſe obligare omnes ſubditos in conſcientia legibus, ſtatutis, & præceptis ſuis, quando & quoties id expedire iudicaverit. Neque enim aliter ille fecit, aut faciet vnquam: cùm poteſtas ipſi fuerit data, non in deſtructionem, ſed in ædificationem. Eadem verò ratio eſt de decretis aut canonibus, ſtatutiſve Conciliorum Generalium, vt ex ipſo Marca obſervavimus ſuprà. Cùm ergo Eccleſia Gallicana nullo modo hactenus in ſchiſma degeneraverit, vel in hæreſim, quin potius obedientiſsima extiterit Eccleſiæ Romanæ, & tenax vbique Catholicę fidei (vt latè demonſtratum fuit per ſingula ſæcula Tract. I.) nullas demum habet libertates peculiares, quibus à Pontificis Romani, vel Concilij Oecumenici, decretis, canonibus, aut præceptis exempta ſit prę alijs Eccleſijs.

28 Sanè dum D. Marca teſtatur, prodeuntibus quibuslibet ſtatutis aut reſcriptis novis (ſive Romani Pontificis, ſive Concilij Oecumenici) ſolùm attendi in eo Regno, *an rebus Gallicanis conſulat, aut noceat*; planè fatetur, in ijs admittendis, aut reſpuendis, ſolam vtilitatis rationem haberi. Quid ſi honeſtius, laudabilius, convenientiuſque ſit, & videatur, quod noviter præcipitur? Nunquid vtilitatis vnius ratio habebitur, nulla autem honeſtatis manifeſtæ? Sed apage diſſenſionem mentis & affectûs, vt quod illa probat, hic recuſet. Alioqui Gallis in ea re accideret, quod Poetę aienti:

— — ſcio meliora, proboque;
Deteriora ſequor.

Aut quod de Stoicis accinebat Horatius:

Queis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant.
Cùm ventum ad verum eſt, ſenſus moreſque repugnant,
Et ſola vtilitas iuſti propè mater & æqui.

Sanè dũ hæc ſcribo incurrit in oculos Epiſt. 29. Augerij Giſlenij Buſbequij Legati Cæſarei apud Gallias anno 1583. ſcripta Pariſijs ad Rudolphum II. Imperatorem; in qua hæc habet de Rege Chriſtianiſsimo illius temporis: *Quæcumque toto Regno pravè, aut cum inſigni populi detrimento adminiſtrantur, ea mutare in melius, pro nova vitæ ſanctimonia, quam profitetur, propoſitum habet. In quibus tamen probabile eſt eò plerumque rem recaſuram, vt prima ſit eius vtilitatis ratio. Exempli cauſa: Reges Galliæ vſurpant ſibi ius conferendorum beneficiorum Eccleſiaſticorum: itaque pueros, milites, & mulieres videre eſt Epiſcopos, & Abbates. Diſputatum imprimis fuit, an melius eſſet rem in antiquum ſtatum reſtitui, vt electioni res permitteretur. Sed decretum fuit, quandoquidem non eſſet quæ fuit antiquitus electionis integritas, ſed tota eſſet depravata, non videri cauſam, cur Rex tanto iure quæſito ſpoliaretur: ſed præſtare rem relinqui vt eſſet, cum eo vt Rex in conferendo bonorum, & idoneorum virorum rationem haberet: Ita fortaſſe fiet de pleriſque alijs, vt poſtquam populi vtilitas, & onerum, quibus premitur, allevatio multis, & magnificis verbis iactata fuerit, poſtremò tamen Regis vincat vtilitas.* Hæc ille de vtilitate Regia, honeſtati prævalente. Quid ſi pariter in admittendis vel reſpuendis Pontificijs aut Conciliaribus decretis, vtilitas ſola attendatur, & peſſumdetur honeſtas? Sane cùm omnia plerumque mundi Regna in deterius labantur, & ex malis parentibus peiores nati filij edant *progeniem vitioſiorem*, vt ille cecinit; niſi Pontifices poſſent novis legibus aut decretis pravos mores iam receptos corrigere in toto Orbe Chriſtiano, deplorata eſſet illius ſalus, & extrema impietas certa.

(?)

SECTIO QVARTA.

Examinatur eadem opinio quoad receptos Canones, præſertim vniuerſales, an in Gallia poſſint infringi à Romano Pontifice. Plura circa hoc in alium locum remiſſa.

29 VENIAMVS Ad alteram partem eiuſdem opinionis, quæ ſpectat ad Canones in Gallia receptos. Si noua conſtitutio, vel nouum reſcriptum Pontificis (idemque eſt de Concilio Oecumenico) inquit D. Marca, *receptos Canones :::: infringat, eius ratio non habebitur, niſi publico conſenſu accedente.* Poteſt autem eſſe ſermo, aut de Canonibus generalibus, toti Eccleſiæ præſcriptis à Sede Apoſtolica, vel à Concilijs Oecumenicis ab ea probatis: vel de Canonibus peculiaribus & proprijs Gallicanæ Eccleſiæ.

30 Rurſus loquendo de Canonibus generalibus diſtinguere oportet. Aut enim Gallicanæ libertates in eo ſunt ſitæ, vt quicumque ex ijs recepti ſunt in Gallia, nullo modo valeant immutari aut abrogari à Romano Pontifice, nec ſi poteſtate abſoluta velit: aut poſſint quidem abrogari, mutarive, ſed accedente conſenſu publico, & non aliter. Atque imprimis, vtrovis ſenſu id accipiatur, nullæ inde libertates aſſeruntur potiùs Gallicanæ Eccleſiæ, quàm alteri ſub cœlo. Si enim Pontifex aut abſolutè non poteſt infringere canones vniuerſales receptos in Gallijs, aut poteſt accedente conſenſu publico; cur non & in Hiſpania, Germania, ac Polonia, alijſve Regnis Catholicis? Quod enim abſolutè negatur Pontificiæ poteſtati, vt acoluthia ſervetur, vbique negandum eſt. Sic certè quia Pontifex nequit abſolutè diſſolvere matrimonium conſummatum, aut diſpenſare omnino in præcepto confitendi peccata gravia, aut in alijs quibuſdam iure divino præſcriptis; neque in Gallia, neque alibi terrarum id præſtare valet. Similiter, quod dicitur Pontificem præſtare poſſe accedente publico conſenſu in Gallia, cur non dicetur præſtare poſſe in alijs Regnis, conſenſu publico pariter accedente? Cùm enim conſenſus eiuſmodi ſummùm exigatur à D. Marca veluti conditio, vt poteſtas iuriſdictionis, quæ Pontifici Romano competit iure divino, inferat obligationē exequendi decreta & leges ipſius; perinde cōferet ad eam induendam in alijs Regnis, ac in Gallia. Sic etiam in naturalibus, quia applicatio agentis ad paſſum eſt ſolùm conditio neceſſaria vt in eo vim ſuam & efficacitatem exerceat, vbicumque illa adhibeatur, pariter vim agendi exercebit. Et proximiùs loquendo de legibus vniuersè, quia promulgatio earum eſt mera conditio vt obligent, ad hanc vim induendam pariter ſe habet quòd promulgentur in Gallia, ac quòd in Hiſpania. Vtrobique enim lex per adiectionem conditionis exactæ ad obligandum erit expedita, vt inferat obligationem parendi in omnibus ſubditis, quibus intimata fuerit. Ergo ſi Romanus Pontifex aut non poteſt abſolutè infringere Canones vniuerſales receptos in Gallijs, aut poteſt accedente conſenſu publico; idem omnino dici debet de ipſo in alijs Regnis: ac proinde Gallicana Eccleſia & Natio nullas exinde peculiares libertates habet, cōtra quàm D. Marca vult.

31 Iam verò Romanum Pontificem ſimpliciter poſſe infringere Canones vniuerſales aut Deceſſorum ſuorum, aut Conciliorū Vniverſalium, receptos in Gallia, & in quovis alio Regno, patet imprimis & generatim: quia omnia quæ ſpectant ad ius poſitivum Eccleſiaſticum in toto Orbe Chriſtiano, ſubiacent Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, tanquam Succeſſori B. Petri, Vicario Chriſti, totius Eccleſiæ Capiti, omniū Chriſtianorum Patri, & Doctori, cui in ipſo B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi Vniverſalem Eccleſiam à *D. N. IESV CHRISTO* tradita fuit plena poteſtas: vt ſuprà num. 24. vidimus definitum in Concilio Florentino, in id allegante alia Concilia Oecumenica, & ſacros Canones. Poteſtas autem ſuprema & plena in totam Eccleſiam abſdubio habet auctoritatem ſibi devinctam ad cōdendum, mutandum, infringendum, diſpenſandum, & abrogandum quaslibet ipſius Eccleſiæ leges, Canoneſve, ſicuti habuit illam à principio ad eas condendas. *Omnis enim res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur*, vt in ipſo iure habetur. Quid? quòd vel ſæculares Principes, modò ſupremi ſint, & nullum aliū quoad purè temporalia & politica ſuperiorem habentes, vt Imperator, Regeſque Hiſpaniæ & Galliæ, poſſunt abſolutè infringere, diſpenſare, ampliare, reſtringere, aut abrogare leges à ſcipſis, vel à Deceſſoribus ſuis latas. Quantò magis Summus Pontifex, cui non ab hominibus, vel à conſenſu populorum, ſed ab ipſo Deo *ἀμέσως* poteſtas pleniſsima in totam Eccleſiam commiſſa fuit? Non ergo, aut Eccleſia Gallicana, aut quævis alia ſub cœlo, dubitare vnquam potuit, multò autē minùs negare poteſt, auctoritatem Romani Pontificis ad infringēdum abſolutè Canones vniverſales, ſive à Sede Apoſtolica editos, ſive à Concilijs Generalibus.

Hanc

32 Hanc probationem eſſe prorſus concludentem, & ineluctabilem, is ſolus videtur ambigere poſſe, qui vel non legerit, vel non attenderit in ſacris litteris, & Concilijs Oecumenicis, à Florentino vbi ſuprà indicatis, poteſtatem ſupremam S. Petri, ac ſubinde Succeſſorum ipſius, ad regendam, paſcendam, & docendam totam Eccleſiam. Si enim eam Catholicam veritatē vel mediocriter perſpectam habeat, non videtur vllo modo dubitaturus de auctoritate Papæ ad mutandos, abrogandos, aut condendos, novos Canones, legeſve, prout ſibi viſum fuerit expedire ad bonum Eccleſiæ regimen ſuo ipſius tempore, quidquid antea eius Deceſſores, vel Concilia Vniverſalia in alijs aut diſsimilibus rerum ac temporum circumſtantijs ſanxiſſent. Verùm adhuc placet idipſum vberiùs confirmare.

33 Secundò ſuadetur ex ſenſu & praxi totius Eccleſiæ à primis ſæculis & deinceps. Secundo ſæculo vſque adeò curæ erat Pontificibus Romanis ſeveritas morum, vt lapſis in mœchiam & fornicationem eſſet valde difficilis reconciliatio publica cum Eccleſia, & admiſsio ad communionem. Verùm poſtea Canonem ea de re, aut morem obſervatum ab Eccleſia, S. Zephyrinus Papa, qui ab anno 201. Pontifex fuit, videtur mitigaſſe, totà illà ſubſcribente. Vnde Tertullianus eiuſdem temporis ſcriptor lib de Pudicitia cap. 1. quamvis iratus, & furens, dixit: *Audio Edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt, Epiſcopus Epiſcoporum, edicit:* *EGO ET MOECHIÆ ET FORNICATIONIS DELICTA POENITENTIA FVNCTIS DIMITTO.* Similiter cùm lapſi in perſecutione, & fidem abiurantes, antiquo Eccleſiæ Canone nunquam prorſus ad communionem reciperentur, S. Cornelius Papa illos in fine vitæ admittendos decrevit, novo Canone ſtatuto, vt teſtatur Euſebius Cæſareenſis, poſt S. Cyprianum in varijs Epiſtolis. Deinde, cùm ad prædicandum Evangelium, ſeu verbum Dei, admitterentur ex veteri Eccleſiæ more Clerici nondum Sacerdotes, & Monachi, S. Leo I. Papa, cognomento Magnus, id penitus interdixit Epiſt. 62. quæ eſt ad Maximum Antiochenum Epiſcopum cap. 6. & Epiſt. 63. ad Theodoricum Epiſcopum Cyri cap. 6. Poſteà verò alij Pontifices Leonis Succeſſores, abrogato eius decreto, antiquum illum morem excitandum curàrunt, ac nominatim S. Gregorius Magnus, miſsis in Angliam Monachis prædicandi gratià. Idem Gregorius præter aut contra morem antiquum Eccleſiæ ſtatuit aut confirmavit vnicam Baptiſmi merſionem in Hiſpania, Subdiaconorum cœlibatum in Sicilia, & recitationem Orationis Dominicæ ſupra Corpus Domini, quæ olim ante conſecrationem ſolùm proferri ſolebat.

34 Denique multus ſim in ea veritate confirmanda, ſi in medium proferam quoties & quomodo Summi Pontifices, etiã ſanctitate & doctrina conſpicui, in caſibus occurrentibus, & pro varia ac mutabili viciſsitudine & occaſione temporum, Canones antiquos, à Deceſſoribus ſuis ſtabilitos, ſive extra, ſive intra Synodos Oecumenicas, itemque receptos quorundam Regnorum, aut populorum, vel cœtuum mores, conſuetudineſve, moderati fuerint, aut abrogados curaverint, nemine ex Catholicis detrectante poteſtatem Apoſtolicę Sedis ad id faciendũ: quoniam omnibus ijs altè perſuaſum fuit & eſt, curam & regimen Vniverſalis Eccleſiæ cum plenitudine poteſtatis fuiſſe à Chriſto Domino commiſſum B. Petro, eiuſque Succeſſoribus: ac proinde iis competere, vt ſalvo iure divino & naturali (quæ duo ſemper & vbique immota conſiſtere debent) in ijs quæ ad Eccleſiaſticum & humanum ſpectant, poſsint leges condere, mutare, moderari, abrogare, aut diſpenſare, prout convenientius iudicaverint ad bonum ſpirituale Reipublicæ Chriſtianæ, ſeu generatim, ſeu circa certa loca, aut perſonas.

35 Hæc omnia, & plura alia eodem ſpectantia, pleniùs innoteſcent ex dicendis infrà Diſputat. XXXVII. ineundà adverſus tertium Caput eiuſdem Declarationis, ad quod directè pertinent, ſicuti & ea quæ Illuſtriſs. Præſules Gallicani in hac ipſa Præfatione aiunt, intellecta de peculiaribus Canonibus & conſuetudinibus Eccleſiæ Gallicanæ. Quapropter, ne eadem repetamus, vberiorem eorum diſcuſsionē in prædictum locũ differimus. Ex dictis verò hoc loci ſatis conſtare poteſt, ſub nullo ſenſu ex memoratis hactenus inveniri peculiares aliquas *Eccleſiæ Gallicanæ Libertates*, quas ijdem Præſules veluti teſſeram ſuæ declarationis præmittunt. Quod ſi aliquot ex Francogallis Scriptoribus adhuc illas tueri pergant in aliquò ſenſu ex ijs, non mirentur ſi alij plurimi variarum Nationum Auctores eam doctrinam traducant, veluti ſchiſmaticam, & quę vnitatem Eccleſię Gallicanę cum Romana, aliorum omnium Capite & Magiſtra, videatur prorſus abſcindere. vt propterea Illuſtriſſimus D. Ramos, ſummo Vir iudicio, & moderatione mira, allegatis quibuſdam illorum dixerit lib 3. Papiarum cap. 43. *SVB LIBERTATVM GALLICANÆ ECCLESIÆ LARVA, ET APPELLATIONVM AB ABVSV,*

SV, ET REGALIARVM, QVAS VOCANT, LACESSVNT PASSIM, LÆDVNTQVE IVRA ECCLESIÆ VNIVERSALIS.

DISPVTATIO XXXV.

AN PONTIFEX ROMANVS HABEAT poteſtatem ſupremam in Imperatores, Reges, *& Principes, etiam quoad temporalia, ſaltem indirectam: ac proinde poſſit aliquando eos deponere, aut eorum ſubditos eximere ab obedientia, aut præſtito ijs fidelitatis ſacramento.*

Contra Primum Caput Declarationis Gallicanæ.

INVIDIOSAM Quæſtionem aggredimur, ſed coacti. in qua Illuſtriſs. Galliarum Præſules cap. 1. Declarationis ſuę negantem opinionem palam tuentur aientes: *Beato Petro, eiuſque Succeſſoribus Chriſti Vicarijs, ipſique Eccleſiæ rerum ſpiritualium, & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium, à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino*, Regnum meum non eſt de hoc mundo, *& iterum*, Reddite ergò quę ſunt Cæſaris Cęſari, & quæ ſunt Dei Deo: *ac proinde ſtare Apoſtolicum illud*: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: Quę autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. *Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati, Dei ordinatione, neque auctoritate clavium Eccleſiæ directè, vel indirectè, deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide, atque obedientia, ac præſtito fidelitatis Sacramento ſolui poſſe; eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ, quàm Imperio vtilem, vt Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam, omninò retinendam.* Hęc ij Antiſtites. Nec verò animus eſt, eorum ſententiam latiùs refellere, quod multi iam prȩſtiterunt: ſed ſolùm ſtrictim potiora horum fundamenta colligere; & prȩtereà quędam alia indicare, & expendere, quæ nobis ſaltuatim legentibus occurrerunt, apud varios Scriptores, præſertim Gallos, aut etiam DD. Pariſienſes. inter quos cùm D. Thomas emineat, *VELVT INTER IGNES LVNA MINORES*, placuit primò ipſius doctrinam κατὰ πόδας præmittere circa hanc controverſiam, & poſtea illius Commentarium ſubiungere.

SECTIO PRIMA.

Præmittitur ad litteram articulus ſecundus S. Thomæ 2. 2. quæſt. 12. vbi controverſiam hanc ex profeſſo exagitat, & tradit ſententiam affirmantem, contrariamque prorſus Declarationi Gallicanæ.

2 LITTERA S. Thomę loco nuper indicato, ita habet: *Vtrùm Princeps propter apoſtaſiam à fide amittat dominium in ſubditos, ita quòd ei obedire non teneantur.*

3 Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd Princeps propter apoſtaſiam à fide, non amittat dominium in ſubditos, quin ei teneantur obedire. Dicit enim Ambroſ. & habetur 11. quæſt. 3. quòd Iulianus Imperator, quamvis eſſet apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites, quibus cùm dicebat, *Producite aciem pro defenſione Reipublicæ*, obediebant ei. Ergo propter apoſtaſiam Principis, ſubditi non abſolvuntur ab eius dominio.

4 Prȩtereà. Apoſtata à fide, infidelis eſt. Sed infidelibus dominis inveniuntur aliqui ſancti viri fideliter ſerviſſe, ſicut Ioſeph Pharaoni, & Daniel Nabuchodonoſori, & Mardochæus Aſſuero. Ergo propter apoſtaſiam à fide non eſt dimittendum quin Principi obediatur à ſubditis.

5 Prætereà. Sicut per apoſtaſiam à fide receditur à Deo, ita per quodlibet peccatum. Si ergo propter apoſtaſiam à fide perderent Principes ius imperandi ſubditis fidelibus;

, libus; pari ratione propter peccata alia hoc
, amitterent. Sed hoc patet eſſe falſum. Non
, ergo propter apoſtaſiam à fide eſt receden-
, dum ab obedientia Principum.

6 Sed contrà eſt, quod Gregorius
, VII. dicit. Nos ſanctorum prædeceſſorum
, ſtatuta tenentes, eos, qui excommunicatis
, fidelitate, aut iuramenti ſacramento ſunt
, conſtricti, Apoſtolica authoritate à ſacra-
, mento abſolvimus, & ne ſibi fidelitatem
, obſervent, omnibus modis prohibemus,
, quouſque ad ſatisfactionem veniant. Sed
, apoſtatæ à fide ſunt excommunicati, ſicut &
, & hæretici, vt dicit Decretalis Extra. de hæ-
, reticis, *Ad abolendum*. Ergo Principibus
, apoſtatantibus à fide non eſt obediendum.

7 Reſpondeo dicendum quòd ſicut
, ſupra dictum eſt, infidelitas ſecundùm ſe ip-
, ſam non repugnat dominio: eò quòd domi-
, nium introductum eſt de iure gentium, quod
, eſt ius humanum. Diſtinctio autem fidelium,
, & infidelium eſt ſecundùm ius divinum, per
, quod non tollitur ius humanum. Sed aliquis
, per infidelitatem peccans, poteſt ſententia-
, liter ius dominij amittere, ſicut etiã quan-
, doque propter alias culpas. Ad Eccleſiam
, autem non pertinet punire infidelitatem in
, illis, qui nunquam fidem ſuſceperunt, ſecun-
, dùm illud Apoſt. 1 ad Corinth. 5. *Quid mihi*
, *de ijs, qui foris ſunt, iudicare*? Sed infide-
, litatem illorum, qui fidẽ ſuſceperunt, poteſt
, ſententialiter punire, & convenienter in
, hoc puniuntur, quòd ſubditis fidelibus do-
, minari nõ poſsint. Hoc enim vergere poſſet
, in magnam fidei corruptionem: quia, vt di-
, ctum eſt, homo apoſtata pravo corde ma-
, chinatur malum, & iurgia ſeminat, inten-
, dens homines ſeparare à fide. Et ideo quàm
, citò aliquis per ſententiam denuntiatur
, excommunicatus propter apoſtaſiam à fide,
, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à domi-
, nio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei te-
, nebantur.

8 Ad primum ergo dicendum, quòd
, illo tempore Eccleſia in ſui novitate nondũ
, habebat poteſtatem terrenos Principes com-
, peſcendi: & ideò toleravit fideles Iuliano
, apoſtatæ obedire in ijs, quæ non erant con-
, contra fidem, vt maius periculum fidei vi-
, taretur.

9 Ad ſecundum dicendum, quòd
, alia ratio eſt de infidelibus alijs, qui vnquam
, fidem ſuſceperunt, vt dictum eſt.

10 Ad tertium dicendum, quòd
, apoſtaſia à fide totaliter ſeparat hominem à
, Deo, vt dictum eſt: quod non contingit
, in quibuſcumque alijs
, peccatis.

SECTIO SECVNDA.

Commentarius præfati articuli S. Thomæ: Eius doctrina quo ſenſu accipienda. Porrò illam communem fuiſſe apud omnes Doctores verè orthodoxos, etiam Gallos, vſque ad finem ſæculi XVI. proximè præcedentis, & à ſolis Heterodoxis impetitam.

10 HVCVSQVE Angelicus Doctor, mirum & rarum lumen, initio quidem clariſsimæ Scholæ Pariſienſis, deinde verò totius Eccleſiæ: tradens palam & ſolidè confirmans, Principes qui fidem iam ſuſceptam deſeruerunt, poſſe ritè ac iuſtè ob eam cauſam puniri ab Eccleſia: vt iam ampliùs non dominentur alijs fidelibus, ac proinde principatum in eos amittant; & hi ſoluti ſint à dominio ipſorum, & iuramento fidelitatis, quo ſe illis obſtrinxerant. Hæc autem omnia è regione opponuntur præiacto capiti Declarationis nuperæ Illuſtriſsimorum Galliæ Præſulum. quibus certè vel ſola auctoritas S. Thomæ adeò veneranda in tota Eccleſia à quatuor ſæculis, & cui nemo non aſſurgit, præſertim in re adeò gravi, & commune ipſius bonum ſpectante, potuiſſet iure religionem inijcere ne oppoſitum docerent. Sed fortaſsis plerique eorum, à ſeverioris Theologiæ ſtudio alieni, neſcierunt, aut non ſatis attenderunt in ea ſubita commotione, quid in hac re Angelicus Doctor tradidiſſet, quid etiam alij ex SS. Patribus, præſertim eiuſdem Eccleſiæ Gallicanæ, iuxta ſenſum ſacris litteris cohærentem: quid denique ex doctrina fidei per manifeſtam collectionem deducatur. vt nunc omittam, quam poſtea in medium proferam, Sedis Apoſtolicæ praxim ſæpiſsimè probatam totius Eccleſiæ conſenſu.

11 Notandum verò eſt, iuxta communem ſenſum Interpretum S. Thomæ, doctrinam eius hoc loco accipi debere non ſolùm loquendo de apoſtaſia perfecta, quâ Princeps aliquis recedit à tota fide (vti olim Iulianus Imperator, propterea infami Deſertoris appellatione notatus) ſed etiam de qualibet defectione à fide, ſive totali, ſive partiali, qualis eſt quæ incurritur per hæreſim. Hæc enim quædam apoſtaſia eſt, vtpote deſertio veræ & Catholicæ fidei. Quo ſenſu S. Anſelmus Cantuarienſis, Henricum III. aliàs IV. Imperatorem dictum Germaniæ, excommunicatum à S. Gregorio VII. Papa veluti ſchiſmaticum & hæreticum, non dubitavit appellare *ſucceſſorem Iuliani Apoſtatæ*: vt legere eſt apud ipſum lib. 3. Epiſtolarum epiſt. 134.

quæ

quæ eſt ad Vvalerannum Epiſcopum, iuxta editionem noviſsimam & politiſsimam Gerberonis. Similiter Abbas Vſpergenſis, ſcriptor vicinus tempori eiuſdem Henrici, ad annũ 1106. illum ſimul appellat *Hæreſiarcham, necnon & APOSTATAM, perſecutoremque plus animarum, quam corporum* Et quidem totum id conſonat Græcæ linguæ, cuius propria vox *apoſtaſia* eſt, ſignificatque defectionem, quæ ex toto aut ex parte accipi poteſt. Quod ſi verò de *apoſtaſi* ſermo ſit, hæc etiam à Cicerone alicubi Latinè redditur *abſceſsio*: quæ in totum, aut ex parte ſolùm vſurpari poteſt: & in totum quidem accipitur ab Euripide ἀπόστασις βίου, *deceſſus à vita*, quoniam individuus eſt; interdum autem ex toto vel ex parte, vti ἀπόστασις κτημάτων, *detractio facultatum*, prout apud Demoſthenem & Thucydidem legitur. Denique apoſtata Latinè prolatus, nihil aliud eſt quàm Græcè ἀποστάτης, qui deſertor, & *defector* à Suetonio redditur. id verò etiam ex parte accipi poſſe, certum eſt.

12 Notandum deinde, iuxta D. Thomam hoc loco, & eius Interpretes, nullũ Principem ob defectionem à fide, ſive totalem, ſive partialem, attento ſolo iure naturali & divino, amittere dominium & prælationem in ſubditos. Id extorquet manifeſta ratio. nam fundamentum eius dominij & prælationis non eſt fides, ſed aliquis alius titulus humanus, ſeu politicus, vim habens ex iure Gentium: ſive is ſit ſucceſsionis hæreditariæ, ſive electionis, ſive adquiſitionis legitimæ per iuſtum bellum, aut ex alio ſimili capite. Patet verò, omnes eos titulos conſiſtere poſſe ſine fide. Aliunde verò nullus apparet in iure divino ſive Scriptura locus abrogans aut irritans aliquem ex ijs titulis ob defectionem à fide. Manente itaque abſque illa fundamento dominij & prælationis in ſubditos, permanet dominium & prælatio. Vnde S.Auguſtinus exponens verba illa Pſalmi 124. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum*, fatetur, Iulianum Imperatorem, etiam poſt apoſtaſiam à fide, fuiſſe verum dominum, ſuperioremque, cui meritò milites obtemperarent, niſi in ijs, quæ contraria erant voluntati Dei ſummi Imperatoris. Ideoque ait: *Aliquando poteſtates bonæ ſunt, & timent Deum. Aliquando non timent Deum. Iulianus extitit infidelis Imperator. Nonnè extitit apoſtata, iniquus idololatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent; præponebant illi Deum. Quando autem dicebat; Producite aciem, ite contra illam gentem; ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Quod inſigniter præſtiterunt & confirmarunt exẽplo ſuo quam plurimi Sancti Martyres, & in ijs Sebaſtianus, Euſtachius, vterque Theodorus, & Mauritius cum ſocijs Thebeæ legionis: atque ex Confeſſoribus S.Martinus dum militaret in caſtris eiuſdem Iuliani Apoſtatæ. Itaque patet, vi ſolius iuris naturalis & divini Principes ſæculares non amittere dominium & prælationem in ſubditos.

13 His præmiſsis ſententia D.Thomæ eſt, iure Eccleſiaſtico, atque adeò per auctoritatem Summi Pontificis, à quo illud profluit, poſſe Principes quoslibet ſæculares, etiã Reges, Imperatoreſque, privari dominio & prælatione erga ſubditos, propter peccatum apoſtaſiæ, ſeu defectionis à fide: ac proinde ſemel prolata à Pontifice ſententia, declarante Principem aliquem eſſe excommunicatum ob eam cauſam, ſtatim ſubditos eximi ab obedientia, & vinculo iuramenti, quo ipſi promiſſerant fidelitatem. Quæ doctrina eſt adeò communis & recepta, veluti omnino certa, vt Iacobus Valentia in expoſitione eiuſdem articuli teſtetur, *nullum in ea dubium eſſe apud verè orthodoxos*. quo ipſo ſatis denotat, iudicio ipſius non eſſe verè orthodoxos qui ſecus doceent.

14 Nec mirum ita loqueretur Valentia ſuo tempore. nam eouſque, quotquot Catholici Scriptores controverſiam hanc excitaverant, conſtanter tradiderant eandem doctrinam. vt Auguſtinus Triumphus in Summa de Poteſtate Eccleſiæ q. 1. art. 1. Alvarus Pelagius lib. 1. de Planctu Eccleſiæ cap. 33. Sylveſter in Summa de peccatis, verbo *Papa*, Cardinalis. Hoſtienſis cap. *Quod ſuper his*, de Voto & voti redemptione, Panormitanus in cap. *Novit* de Iudicijs. qui omnes tradunt, Pontificem Romanum iure divino habere pleniſsimum dominium in totum orbem terrarum, non modò in rebus ſacris, ſed etiam in politicis: ac proinde poſſe ſimpliciter auferre & dare regna ac dominia. Alij verò ſolùm ipſi tribuunt poteſtatem directam in ſpiritualia, ſive per ſe conferentia in ſalutem animæ; indirectam verò ſaltèm, ſed ſummã, quoad temporalia, quatenus, in bonum ſpirituale Eccleſiæ oportuerit: ac proinde aiunt, Papam poſſe privare Principes quoslibet dominio & iuriſdictione temporali, vbi cenſuerit id maximè expedire ad bonum Eccleſiæ, qualiter abſdubio expedit, vbi quiſquam eorũ pa-

palam à fide deficit. Ita Henricus Quodlibeto 6. quæſt. 23. Cardinalis Bertrandus latè in Tractatu de Origine & vſu iuriſdictionũ, præſertim q. 2. doctiſsimus Genebrardus Archiepiſc. Aquenſis in Chronico ad annum Chriſti 1073. vbi de Gregorio VII. Papa (citato à D. Thoma in præiacto articulo) inquit: * Pontifex Proceres & populum ſacramento præſtito (Henrico III. aliàs IV. Germaniæ Regi ſchiſmatico) ſanctè ſolvit, & vt Rodulpho adhæreant ſanctiùs imperat. Eius enim eſt videre, ne quid detrimenti res Chriſtiana à Principibus patiatur. An non Samuel Levita, Dei auctoritate Saulem Regem creavit: deindeque peccantem publicè depoſuit, Davide ſubſtituto, & inuncto? An non Elias Dei ſpiritu Reges conſtituit, & abdicat, non modò in Iſrael, ſed in Syria? 3. Regum 19. An non Hieremias Sacerdos, accipit poteſtatem ſuper gentes, & regna, vt deſtruat, & ædificet, evellat, & plantet (cap. 1. v. 10.) An Apoſtolica auctoritas minor eſt, quàm Prophetica? Quomodo igitur illud Spiritus ſancti impletum, *Pro patribus nati ſunt tibi filij; conſtitues eos Principes ſuper omnem terram?* Quare ſtat immota vox, vel potiùs oraculum D. Ambroſij Epiſt. 33. *Veteri iure à Sacerdotibus donantur Imperia, non vſurpantur.* Et illud Petri Cluniacenſis Epiſt. 29. lib. 6. *Quamvis Eccleſia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen ſuper ipſos Imperatores Imperium. Vnde ei ſub figura Prophetici nominis, dicitur: Conſtitui te ſuper gentes, & regna, vt evellas, deſtruas, diſperdas, diſsipes, ædifices, plantes:* Hæc contra Centuriatorum eiulatus.* Hactenus Genebrardus, ſcriptor Gallus, ſicut & Petrus Venerabilis, quem allegat, & Henricus ac Bertrandus paulo antè laudati, vt plures alios eiuſdem florentiſsimæ Nationis Auctores prætercam, & omnes Præſules Patreſque Gallicanos, qui convenerunt ad Concilium Generale Lugdunenſe ſub Innocentio IV. Papa, & vnanimiter conſenſerunt abrogationi Friderici II. Imperatoris in ea Synodo factæ, tota Eccleſia ſubſcribente, quibus poſtea addemus plurimos alios, tam Eccleſiæ Gallicanæ, quàm aliarum ſub cœlo. Idipſum docent Cardinalis Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 113. & ſeqq. Albertus Pighius lib. 5. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, Thomas Vvaldenſis lib. 2. doctrin. fid. art. 3. cap. 76. 77. & 78. Paludanus lib. de Poteſtate Eccleſ. Caietanus in Apologia cap. 13. ad 6. Franciſcus Victoria quæſt. de Poteſtate Eccleſ. Nicolaus Sanderus lib. 2. cap. 4. viſib. Monarchiæ, Dominicus Soto in 4. diſt. 25. quæſt. 2. artic. 1. Cardinalis Bellarminus lib. 5. de Romano Pontifice cap. 6. & 7. alijque plures obiter.

15 Hi ſunt Auctores Catholici Valentiâ antiquiores, qui omnes tradiderant planè doctrinam ipſam D. Thomæ, veluti certam & exploratam ex ſacris litteris, ſaltem per collectionem manifeſtam: quamvis inter ſe differrent quoad modum loquendi, quibuſdam tribuentibus Romano Pontifici auctoritatem directam in omnia regna quoad politica, ſeu temporalia; quibuſdam verò ſolùm indirectam, ſummam tamen. quæ certè varietas ſentiendi aut loquendi nihil ad rem attinet, dum omnes ij conſentiunt & palam tradunt, Romanum Pontificem poſſe auferre dominiũ & iuriſdictionem quibuslibet Principibus ob defectionem à fide, & eorum ſubditos eximere ab onere obediendi, ſeu etiam à vinculo iuramenti, quo ijs fidelitatem promiſſerunt.

16 Soli itaque aut ferè ſoli, vſq; ad tempus Valentiæ eam Pontifici Romano auctoritatẽ negaverant, qui olim impijſsimo Henrico III. aliàs IV. dicto Germaniæ Imperatori, ſæpe ab Eccleſia fulgurito veluti ſchiſmatico & Hæreſiarchæ, adhæſerunt, non ſine nota infamiæ apud cæteros omnes, præſertim apud Patres Eccleſiæ Gallicanę tunc florentes: vt vidimus ſuprà ſæpe Diſp. XI. Deinde verò ſæculo quartodecimo fortaſsis Petrus de Cugnerijs, Procurator Senatus Pariſienſis, inter alios articulos iuriſdictioni & libertati Eccleſiaſticæ contrarios, eam poteſtatem Romano Pontifici negavit. qui tamen vivens & mortuus ludibrio habitus fuit in Gallia, hodieque: vt vidimus ſuprà Diſputat. XIV. numer. 20. & ſeqq. Præterea Marſilius Paduanus, & impijſsimus Vvicleffus Antichriſti prodromus in Anglia eandem ferè doctrinam tradidit, quatenus omnia temporalia ſine exceptione vlla ſubiecit ſolis Principibus ſæcularibus, vt ſic lactaret Eduardum Regem eiuſdem Angliæ, nulla prorſus ratione habita poteſtatis vel iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Vide Salleles Regula 284. vbi theſes eius Hęreſiarchæ præcipuas à Gregorio XI. damnatas recenſet. Denique ſæculo ipſo Valentiæ, id eſt decimo ſexto proximè præcedenti, omnes ferè hæretici, ſicuti in alijs Vvicleffi veſtigia preſſerunt, & Sedem Apoſtolicam eius imitatione atrociter inſectati ſunt, ita & eius poteſtatem in dominia temporalia, & Principes exauctorandos, palam negarunt. præſertim Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 11. §. 8. & quinque ſeqq. Petrus Martyr in cap. 13. ad Romanos, Brentius in prolegomenis contra Petrum à Soto, & Magdeburgenſes, tum Centuriâ 1. lib. 2. cap. 4. columu.

lumn. 435. vbi inter notas Antichriſti collocant, quòd Romanus Pontifex duos gladios gerat, vndecumque illos habuerit. tum præterea Centuria 8. 9. 10. & 11. vbi in Vitis ſingulorum Pontificum eos maximè reprehendunt ob vſum eius poteſtatis, quam iniquam & tyrannicam cenſent.

17 Verè itaque Valentia dixit, vſque ad tempus ipſius nullum fuiſſe dubium de ea Romani Pontificis poteſtate *apud verè orthodoxos.* nam omnes Catholici ferè, quos invenire potuit tractantes hanc controverſiã, aſſeruerunt Papæ eam poteſtatem. qui autem inventi ſunt eam negantes, partim ſchiſmatici habiti ſunt, partim hęretici manifeſti fuerunt.

18 Poſt tempus Valentiæ, initio huius ſæculi Iacobus Angliæ Rex, ſicuti in alijs, ita in hac parte Heterodoxos palam ſecutus fuit, negans omnem ſubiectionem ſui, ac cæterorum Regum, erga Romanum Pontificem, præſertim quoad temporalia Subſcripſere ipſi catervatim omnes ſectarij qua voce, quà ſcripto, ij præſertim qui impotenti odio erga Romanam Eccleſiam aguntur; ac prętereà quoad temporalia nonnulli ex Gallis, ſeu Iuriſconſultis, ſeu Politicis, quibus præivit Guillelmus Barclaius ſcribens adverſus Cardinalem Bellarminum; qui tamen poſtea novo Opuſculo edito, illum refutavit, & inſignem ſui defenſorem nactus eſt in Eximio Theologo Franciſco Suarez in Opere contra prędictum Regem Angliæ lib. 3. cap. 21. & ſeqq. alioſque plurimos Auctores Catholicos, quos vel indigitare prolixum & ſupervacaneum ſit, præſertim verò Interpretes omnes D. Thom. in articulum prælaudatum: quorum ſententiam, veram, omnino certam, & Catholicam cenſeo. Antequam verò illam confirmem, præmittere oportet poteſtatem plenam directamque Pontificis Romani in Principes quoad ſpiritualia, ex qua poſtea colligemus poteſtatem quoad temporalia, ſaltem indirectam. Hæc enim ſcopo noſtro ſufficit.

SECTIO TERTIA.

Præmittitur auctoritas Romani Pontificis ſupra omnes Chriſtianos, etiam Imperatores & Reges; eaque veluti certa ſecundùm fidem, ſaltem quoad ſpiritualia. Eorundem Imperatorum, Regumque, præſertim Galliæ, illuſtria teſtimonia ea de re, per ſingula ferè ſæcula. Nonnihil de Regibus Hiſpaniæ.

19 DICENDVM I. Principes ſupremos, quales imprimis ſunt Imperatores, & Reges quilibet, eſſe ſubiectos in ſpiritualibus, ſive conferentibus ad ſalutem animę, Romano Pontifici. In hac aſſertione omnes Catholici conſentiunt, & nominatim Guillelmus Barclaius, contra Heterodoxos, quorum errorem veterem poſtea infelix Henricus VIII. Angliæ Rex avidè amplexus eſt, & ſubinde Iacobus eius ſucceſſor in Præfatione ſua pag. 2. 5. & 14. omneſque Sectarij ſæculi noſtri.

20 Veritas huius Aſſerti conſtat ex teſtimonijs toto hoc Opere ſparſis Scripturę, Conciliorum, Patrum, traditioniſque perpetuæ, quibus patenter traditur, Romanum Põtificem ſucceſſiſſe D. Petro in vniverſali poteſtate & auctoritate regendi totam Eccleſiã, & paſcendi omnes Chriſti oves, id eſt fideles. Sufficiat conſulere verba Concilij Generalis Florentini exſcripta Diſp. XXXIV. proximè præcedenti num. 24. vbi palam definita legitur, ſicut & in Extravag. *Vnam ſanctam* de Maiorit. & obed. & in cap. *Omnes* diſt. 22. alijſque locis. Nec mirum toties definita fuerit, cùm palam contineatur in verbis illis: *Paſce oves meas.* Indidem enim manifeſtè conſtat, Pontificis poteſtatem & auctoritatem ad quoslibet Chriſtianos Imperatores Regeſque extendi, quoad ſpiritualia ſaltem. nam poteſtas in totum corpus & ovile à Chriſto data, extenditur planè ad ſingula membra, & quaslibet oves, cuiuſcumque dignitatis ſint. Quare niſi aliquis Principum eorum ſe neget eſſe partem Eccleſiæ, aut ovem Chriſti, ac proinde ſe apoſtatam omnino à fide fateatur; ſubiectum ſe agnoſcat Romano Pontifici, in ſpiritualibus ſaltem, neceſſe eſt.

21 Præter id generale principium, quod poſitionem ipſam reddit fide divina certam, adſunt plurima alia ex doctrina Conciliorum, quæ ſpeciatim verſantur in auctoritate Pontificis Romani ſupra quoslibet ſæculares Principes, & ſaltem de poteſtate quoad ſpiritualia intelligi debent. Etenim, vt interim omittam plura alia poſteriorum Conciliorum loca, Synodus I. Oecumenica, id eſt Nicæna, Can. 39. inter octoginta ex Arabico traslata, hęc habet de Romano Pontifice: *Ipſe eſt primus ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum; vt qui ſit Vicarius Domini noſtri IESV-CHRISTI ſuper cunctos populos, & vniverſam Eccleſiam Chriſtianam.* Quanta verò ſit auctoritas eorum Canonum, quamvis plerique eorũ olim ab Arianis impia manu avulſi fuerint à reliquis eiuſdem Concilij actis, iam ſuprà Diſp. XXIV. ſect. 1. latè oſtenſum fuit, nec oportet inculcare. Nec ſanè in eo Nicęna Synodus condidit novum ius, ſed ſtatutum à Chriſto agnovit, vbi Petrum Eccleſię totius

Paſto-

Paſtorem & Patrem conſtituit. Vnde Adrianus Papa in vltimo Capitulorum ſuorum, prout extat apud Gratianum in cap. Generali 25. quæſt. 1. ait: *Generali decreto conſtituimus, vt execrandum anathema ſit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei ſemper apud Deum reus exiſtat, quicumque Regum, vel Potentum, deinceps Romanorum Pontificum decretorum cenſuram in quocumque crediderit vel permiſſerit violandam.*

22 Eandem veritatem tradiderunt, & ſuadere conati ſunt impiiſſimo Imperatori Anaſtaſio tres Romani Pontifices S. Gelaſius I. Anaſtaſius II. & Symmachus. Etenim Gelaſius ita ad eum ſcribit Epiſtola 8. *Licèt præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præſulibus diuinorum devotus colla ſubmittes.* Et inferiùs: *Subdi te debere cognòſce religionis ordine.* Anaſtaſius quoque in vnica Epiſtola, quæ extat, ad eundem Imperatorem, pariter obedientiam ab eo exigit in iis, de quibus illum monebat. Denique Symmachus in Epiſt. 6. quæ eſt Apologetica ad eundem, ait: *Tu, ſi Chriſtianus Princeps es, qualiſcumque Præſulis Apoſtolici vocem debes libenter audire.* Et in Synodo Romana Sexta, quæ adverſus invaſores rerum Eccleſiaſticarum coacta fuit anno 504. idem Symmachus definivit: *Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem cuſtodienti, quidquam, quod Apoſtolicis regulis obviet, agere.* Nec tamen tres ii Pontifices ſatis eam veritatem impio illi Principi perſuadere potuerunt. Lapſus enim in plurima ſcelera, præſertim rapacitatis, & crudelitatis, ſeſe cœno hæreſeos Acephalorum vel potiùs Manichæorum involuit; & diriſſimè exagitavit Catholicos. Nec ceſſavit, quamvis territus inſomniis, & cœleſti oraculo de morte per ignem ſubeunda, quam tandem miſerrimè expertus eſt fulmine abreptus anno 518. Ad cuiuſque iudicium coram Deo evocati leguntur Epiſcopi Hieroſolymitanus & Antiochenus, ab ipſo exules facti: vt refert Baronius ad eundem annum. Sic æternùm periit Princeps ille, qui Romanorum Pontificum præceptis acquieſcere noluit.

23 Meliùs ſanè & conſultiùs alii Imperatores ac Reges. Etenim de Philippo Imperatorum Chriſtianorum primo legitur apud Euſebium lib. 6. Hiſtoriæ cap. 25. aliàs 27. & Nicephorum lib. 5. cap. 25. paruiſſe S. Fabiano Papæ præcipienti, vt antequam accederet ad ſacram communionem, ſedens inter publicos peccatores peccata defleret. Nec exiſtimes hunc eſſe eundem cum Philippo Auguſtali, patre S. Eugeniæ Virginis & Martyris clariſſimæ, quem nonnulli etiam Imperatorem appellant, & omnes Chriſtianum agnoſcunt. Hic enim verè non fuit Imperator, nec floruit ſub Fabiano, ſed multò antea ſub Zephyrino Papa: vt legere eſt apud Baronium ad annum 204. Ille verò alius imperavit verè tempore ſequenti Fabiani Papæ circa annum 250. Sæculo autem ſequenti in Concilio Nicæno celebris & præclara fuit Conſtantini Magni vox, ſe de Epiſcopis iudicium ferre non poſſe, ſed potiùs ab iis eſſe iudicandum: vt, præter alios, narrat Ruffinus lib. 1. cap. 2. Eodemque ſæculo quarto labente notum omnibus eſt, quanta humilitate & ſubiectione Imperator Theodoſius, cognomento Magnus, non modò Pontifici Romano, ſed & B. Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi paruerit, & impoſitam ab eo pœnitentiam ſuppliciter egerit. Vnde & Ambroſius ipſe lib. de Dignit. Sacerd. cap. 2. ait: *Regum colla ſummitti pedibus Sacerdotum.* Eodemque ferè tempore ſcribentes Nazianzenus & Chryſoſtomus dixerunt; ille quidem ad Imperatorem in Oratione quâdam: *Suſcipe vocem liberiorem ſcito te eſſe ovem gregis mei*: hic verò Homilia 83. *Si iſi qui diademate coronatur, indignè adeat, cohibe: maiorem illo poteſtatem habes.* Quantò magis in Summo Pontifice, & Paſtore, illam exiſtere, ab eiſdem Imperatoribus creditum fuit? Vide Epiſtolas Marciani Auguſti ad S. Leonem I. Papam ſæculo quinto ſequenti, humilitate & ſubiectione plenas: ſimiliterque aliam Valentiniani Imperatoris ad eundem Leonem, vbi agnoſcit & profitetur, eum *habere Principatum Sacerdotii, eſſe fidei præſidentem, & ipſo auctore congregandum eſſe Concilium.*

24 Similiter Iuſtinus Imperator l. 7 Cod. de Summa Trinit. & Fide Cathol. ſæculo ſexto ita loquitur: *Nos, reddentes honorem Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ Sanctitati* (alloquitur S. Ioannem I. Papam & Martyrem, qui ab anno 523. Eccleſiã rexit) *quod ſemper nobis in voto fuit, & eſt, vt decet Patrem, honorantes veſtrã ſanctitatẽ, omnia, quæ ad Eccleſiarũ ſtatũ pertinẽt, feſtinavimus ad notitiã deferre veſtræ ſanctitatis: quoniam nobis ſemper fuit magnũ ſtudium, vnitatẽ veſtræ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatus ſanctarũ Eccleſiarũ cuſtodire.* Deinde plura alia ſubdit, quibus ſe profitetur eidẽ Apoſticę Sedi ſubiectũ. Eoq; ſenſu legẽ illã intellexit & probavit idẽ Ioannes Pontifex in Reſcripto quod refertur in lege ipſa, §. *Inter claras*, dicens:

Romanæ Sedis reverentiam conſecratis; ET EI CVNCTA SVBIICTIS, ET AD EIVS DEDVCITIS VNITATEM, &c. Sæculo ſeptimo labente, id eſt anno Chriſti 680. Conſtantinus Pogonatus Imperator eandem ſubiectionem profitetur Sedi Apoſtolicæ, eiuſque Præſuli S. Agathoni in ſua Divali ſacra, tanquam *Δόμνῳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ.* id eſt, *Domno ſanctiſsimo, ac beatiſsimo, Archiepiſcopo antiquæ Romæ, & vniverſali Papæ.* quibus verbis Agathonem communem omnium fidelium Patrem agnoſcit, proindeque ſuum, cui & ipſe obedientiā ſubiectionemque debeat. Deinde ex contextu eiuſdem Divalis idipſum colligitur, ac præterea cumulatiùs ex alia Epiſtola ipſius Imperatoris, ſeu Sacro Reſcripto ad S. Leonem II. Papam Agathonis prædicti ſucceſſorem, cui initium, *Τῆς τῶν οὐρανῶν ἀκαταλύτου βασιλείας*, vbi circa medium inquit de Agathone: *ὥσπερ αὐτὸν τὸν ἐξάρχοντα τοῦ ἀποστολικοῦ χοροῦ τὸν πρωτοκάθεδρον Πέτρον τοῖς νοητοῖς κατενοήσαμεν ὄμμασι*, &c. id eſt, *Veluti ipſum Principem Apoſtolici chori, primæque cathedræ Antiſtitem Petrū contuiti ſumus mentiū noſtrarū oculis, totius diſpēſationis myſterium diuinitus eloquentē.* Ac paulo pòſt: *καὶ ὡς αὐτὸν Πέτρον τοῖς τῆς ψυχῆς ἀγκάλαις ὑπεδεξάμεθα. Et veluti Petrum ipſum vlnis animi ſuſcepimus.* Deinde circa finem eiuſdem Reſcripti hortatur eundē Ioannē Papam vt auctoritatē ſuā exerceat, & gladiū ſtringat in omnes eos qui fidē labefactant, vt *valens ſit atque integrū Eccleſiæ corpus.* Quæ planè auctoritas mutila eſſet, & inſufficiens prorſus, niſi ſuperior exiſteret quolibet Principe Chriſtiano, vt ipſum à fide deviantem coercere poſſet, ſaltem gladio ſpirituali.

25 Sæculo octavo exeunte Carolus Magnus Galliarum Rex (vt hoc loco ſpeciatim de Chriſtianiſsimis Regibus aliqua libemus) coronatus fuit Imperator anno 800. die ipſo Nativitatis Dñi à Leone III. Papa. Ait enim Paulus Diaconus ſcriptor eius tēporis lib. 23. *Leo Carolum Imperatorem coronavit in Templo S. Petri Apoſtoli, perungens oleo à capite vſque ad pedes, & circundans Imperatoriam veſtem & coronā octavo Kalend. Ianuarij Indictione decima nona.* Eghinardus verò, qui aderat, tanquā familiaris eiuſdē Caroli, hæc de illius mira moderatione ſubiungit in Vita ipſius: *Auguſti nomē adeo eſt averſatus, vt affirmaret, ſe eo die, quamvis præcipua ſolemnitas eſſet, Eccleſiā non intraturū fuiſſe, ſi conſiliū Pontificis præſcire potuiſſet.* Vnde obiter colliges, Imperatoriam dignitatem Carolo præter intentionem acceſſiſſe ex ſolo nutu & auctoritate Romani Pontificis, cui ſtatim populus conſenſit. Carolus itaque, ſive adhuc tolùm Rex, ſive iam Imperator, præter plurima alia ſubiectionis ſuæ in Pontifices Romanos indicia, hæc verba cedro digna in Capitulis ſuis protulit, quę citantur à Gratiano in cap. 3. diſt. 19. & Nauclero vol. 2. generatione 28. teſtante eſſe vnū ex viginti tribus Capitulis, quæ idem Carolus ad ſubditos miſsit: *In memoriam beati Petri honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis: quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Hæc obſervent velim Illuſtriſs. Galliarum Præſules, ſi fortè Chriſtianiſsimo Regi, ſi fortè ſibi, aliquid à Romano Pontifice iniunctum ſit, quod durum appareat, aut vix ferendum. Appareat, inquam: nam reverâ Innocentius XI. nihil eiuſmodi iniunxit cuiquam eorum Antiſtitum, niſi ſic qualis ille, cui olim dictum: *Pedes tui non ſpinas calcant, ſed habent.* Idem Carolus pluribus alijs locis eandem ſubiectionem erga Romanum Pontificem profitetur in Selectis Capitulis vulgatis à Cl. V. Iacobo Sirmōdo, quorum fragmenta aliquot exſcripſimus ſuprà Diſp. IV. ſect. 1. nec repetere oportet. Quare ſe ipſum Indigetabat titulo *Filij & Defenſoris S. Romanæ Eccleſiæ*: & anno 782. Saxoniam Galliaſque B. Petro vectigales fecit: ac poſtea anno 800. ipſo præſente Romæ, ac probante, cum plurimis Galliarū Proceribus, ea communis vox adſtantium, præcipuè Eccleſiaſticorum, fuit in Baſilica S. Petri: *Nos Sedem Apoſtolicā, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, iudicare non audemus: NAM AB IPSA NOS OMNES ET VICARIO SVO IVDICAMVR: ipſe autem à nemine iudicatur, ſicut antiquus mos fuit: ſed ſicut ipſe Summus Pontifex cenſuerit, Canonicè obediemus.* Quare nec ij, nec Carolus ipſe, permiſſerunt vt Leo III. Papa, qui aderat, ſe purgaret de criminibus ſibi obiectis. Denique poſt innumera alia obedientiæ & ſummiſsionis ſuæ erga Sedem Apoſtolicam ſigna, anno 806. filijs ſuis impensè commendans venerationem. S. Romanæ Eccleſiæ, Imperium arbitrio Pontificis Romani diſponēdum reliquit: vt non ſolùm perſonam ſuam, ſed dignitatem quoque Imperatoriam ſummitteret Vicario Chriſti.

Sæ-

26 Sæculo novo Ludovicus Pius eiuſdem Caroli filius, & pariter Rex Galliarum Imperatorque, paternam pietatem quaſi hæreditario iure accepit: meritò propterea Pius cognominatus. Conſtitutus enim à patre ſuo Rex Aquitaniæ, collapſam in ea diſciplinam Eccleſiaſticã iuxta decreta Apoſtolicæ Sedis reſtituit, & ipſe monachus eſſe voluit anno 807. Creatus Imperator ab eodem Carolo, & optimis monitis inſtructus, atque eo mortuo ſolus imperans in Occidente, in Conventu Aquiſgranenſi confirmavit paternam donationem bonorum in gratiam Sedis Romanæ, liberamque Pontificis electionẽ reliquit Clero & Populo anno 817. Cùm Bernardum nepotem ſuum luminibus privari permiſiſſet, ac fratres naturales coniurationis reos detruſiſſet in Monaſterium, ob ea peccata ingentẽ dolorem concepit: monituſque, non dico à Summo Pontifice, ſed ab Adhelardo Corbeię Abbate, publicam, inſtar Theodoſij Magni, pœnitentiam egit in diuturno cilicio, orationibus, eleemoſynis, frequentique manuum Sacerdotum impoſitione, vt tunc moris erat, & conſtat ex ipſius Conſtitutionibus Capitul. l. 5. cap. 58. 59. 62. & 71. ac reatum ſuum palam confeſſus fuit in Conventu Attiniacenſi, anno 822. fratribus ſibi reconciliatis. Leges circa res Eccleſiaſticas edidit quidem, ſed non niſi ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ: vt oſtendit Baronius ad annum 819. Deinde anno 838. Regnum inter filios partitus eſt, eiſque commendavit defenſionem Eccleſiarum, ac præſertim Romanæ.

27 Sed & id valde obſervandum eſt, Ludovicum ipſum anno 824. ab Eugenio II. Papa petijſſe, vt ſineret Pariſijs in Palatio ſuo congregari Epiſcoporum & aliorum doctorum hominum Conventum, vt examinarent & inter ſe conferrent ſententias SS. Patrum circa cultum ſacrarum Imaginum. Cùm verò id impetratum ac factum fuiſſet, Ludovicus ipſe Collectanea ea de re miſsit examinanda ad eundem Papam Eugenium per Legatos ſuos Hieremiam Senonenſem, & Ionam Aurelianenſem Epiſcopos: qui duo Reſponſum à Pontifice Romano acceperunt, & detulerunt ad eundem Ludovicum, per omnia ſubſcribentem & obedientem Sedi Apoſtolicæ. Obſervent, quæſo, hæc omnia Illuſtriſs. Præſules Gallicani, qui longè aliter Comitia ſua nuper Pariſijs celebrarunt: & in ijs non tam auctoritatem Sedis Apoſtolicę, quàm Regiam, aut ſuam ipſorum ſpectaſſe videntur.

28 Eodem ſæculo Lotharius Imperator, Ludovici prędicti filius, ob multa crimina adverſus Eccleſiã, patrẽ, fratreſque commiſſa, non ob alia impia facinora, ab Epiſcopis Galliarum Aquiſgrani congregatis anno 842. exauctoratus fuit, veluti qui divino iudicio indignus eſſet imperare. Quod poſtea ſect. 8. repetemus: & hoc loco adducitur, vt appareat, communi Pręſulum Gallicanorũ iudicio creditum fuiſſe tunc, Imperatorem ijs ipſis ſubditũ fuiſſe, quoad ea, quæ ſpectant ad commune bonum Eccleſiæ. Quanto magis eandẽ Imperatoris ſubiectionem in Pontificem Romanum cognoviſſe putandi ſunt?

29 Lotharius Rex Galliarum, prædicti Lotharij Imperatoris filius, cùm dimiſſa legitima vxore pellicem ad ſe introduxiſſet, foveretque in Regno ſuo alios eiuſmodi ſceleratos, & propterea ab alijs Regibus meritò corriperetur, appellavit Nicolaum Papam (in quo planè illum veluti ſuperiorem agnovit) vt indiceret Concilium Metenſe, in quo res ipſius diſcuterentur. Ibidem verò, vt narrant Anaſtaſius, Regino, & alij Scriptores eius ſæculi, corruptis pecuniâ Legatis Sedis Apoſtolicæ, ſtudio & arte Pelaſga Archiepiſcoporum Guntharij & Theutgaudij, confirmata fuit expulſio Theutpergę Reginę vxoris legitimę prędicti Lotharij, & ſubintroductio Vvaldradæ pellicis. Sed Nicolaus Papa re cognita, Conventum illum irritum declaravit, propter turpitudinem deinde Proſtibulum dictum, & eos duos Præſules gradu deiecit, communioneque privavit anno 863. Deinde Lotharius ipſe perquam humiliter, ſed fraudulenter triennio pòſt ſe excuſare ſtuduit. Tandemque ab Adriano II. Papa Nicolai Succeſſore ſuſceptus cum terribili conteſtatione ne Euchariſtiam de eius manu reciperet, niſi bene ſibi conſcius, & innocens ab adulterio ſibi imputato, neve eius miniſtri & domeſtici, qui aderant, communicare auderent ſi fortè adulterio cooperati fuiſſent; ipſe & plerique illorum, auſi ſacram communionem accipere pollutis animis, ipſo anno, id eſt Chriſti 867. miſerrimè perierunt. In his verò eventibus apparet, Lotharium, quamvis flagitioſum & adulterum, ſemper agnoviſſe ſuperiorem ſibi Pontificẽ Romanum, quamvis abductus impotenti libidine eius monitis non obtemperaret.

30 Sæculo eodem Carolus Rex Francorum, cognomento Calvus, cùm monita Epiſcoporum de non vſurpandis Eccleſiæ bonis audire noluiſſet, & regnum Ludovici nepotis ſibi vſurpaſſet, propterea diras cõminationes accepit ab Adriano II. Papa anno 869. quem agnovit & veneratus eſt veluti legitimũ ſuperiorẽ. Vnde, inter alia, extat illa eius epiſtola ad Pontificem ipſum, cui initium: *Sanctiſſimo Patri Adriano, Summo & Vniver-*

ſali Pontifici, Carolus Dei gratia Rex, & ſpiritualis filius veſter, &c.

31 Sæculo decimo ferè exeunte circa annum 990. Hugo Rex Franciæ ſcribens ad Ioannem XV. Papam, qui tunc Apoſtolicam Sedem regebat, inter plura alia ſubiectionis ſigna, ait: *Hæc ex integro affectu dicimus, vt intelligatis, & cognoſcatis, nos & noſtros veſtra nolle declinare iudicia.*

32 Sæculo tertiodecimo S.Ludovicus Galliæ Rex, non ſolùm obedientiam, venerationemque ſummam exhibuit Apoſtolicæ Sedi, ſed etiam inter documenta ante obitum ſcripta illud dedit Philippo filio ſuo: *Sis devotus & obediens matri Romanæ Eccleſiæ, eiuſque Pontifici, tanquam ſpirituali patri, te morigerum præbeat.*

33 Sæculo quartodecimo labente, Cardinalis Bertrandus, Epiſcopus Auguſtodunēſis in Gallia, hæc generatim protulit de Regibus præcedentibus eiuſdem florentiſsimæ Nationi Tract. de Origine & vſu Iuriſdictionum q. 3. *In Regno Franciæ Chriſtianiſsimo; IN QVO REGES FVERVNT ECCLESIÆ DEVOTI A PRINCIPIO QVO FVERVNT CHRISTIANI, Eccleſia liberiùs vſa eſt iure ſuo, & tantò liberiùs, quantò plus appropinquat Sedi Regni.* Loquitur autem de devotione Regum Franciæ erga Eccleſiam potiſsimùm, quatenus Romanum Pontificem vt Caput illius & ſuperiorē ſuum in ſpiritualibus agnoverunt. quod illos ex officio præſtare debere præmiſſerat, & palam probaverat quæſt.eâdem, dicens: *Duplex eſt poteſtas temporalis, ſcilicet, & ſpiritualis, ſiue ſecularis, & Eccleſiſtica, &c. Vtraque eſt à Deo ſecundū modum in præcedentibus expoſitum; & ideò vtrique poteſtati ſubſunt Chriſtiani, ſed differenter: quia poteſtati tēporali, vel ſeculari ſubſunt Chriſtiani, quia inter Chriſtianos poteſt eſſe, & eſt, & fuit poteſtas illa legitima, ſed ſolùm vt cives: poteſtati autē ſpirituali, & Eccleſiaſticæ, ſubſunt vt Chriſtiani, & Fideles, viri, & mulieres, Clerici, & laici, Reges, & Principes, ſubſunt iuriſdictioni ſpirituali, & Eccleſiaſticæ. Et cùm prædictā iuriſdictionē habeat Papa ſine limitatione loci, & perſonarū, ideo omnes Chriſtiani vbicumq; ſint, debent ei obedire: cæteris vero Prælatis, Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, in territorijs, ſeu Diœcibus ſibi commiſsis, tenētur obedire omnes Chriſtiani manentes in eis.* Et poſtea: *Chriſtus commiſit B. Petro iura cæleſtis Imperij, & terreni: ET QVI HOC PRIVILEGIVM ROMANÆ ECCLESIÆ DETRAHIT, IN HÆRESIM LABITVR, ET HÆRETICVS EST DICENDVS.* Obſervent, quæſo, hæc, non dico Heterodoxi, ſed Politici, qui varijs coloribus & technis eludunt Pontificiam in Reges poteſtatem.

34 Sęculo quintodecimo Ludovicus XI. Galliarum Rex in Epiſt. ad Pium II. Papam, ſic illum ſalutat: *Beatiſsimo P.N. Pio Papæ II. obedientiā filialem.* Deinde verò ſubdit: *Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione proſequimur, vt ſacra tua monita, præſertim in Eccleſiaſticis rebus, velut vocē Paſtoris audire, illiſque parere prompta mēte velimus. Te Dominici gregis Paſtorē profitemur, & ſcimus, teq; iubentē ſequimur, &c.* Iam verò ſuprà Diſp.XI.n.142. circa finem obſervavimus quanto ſtudio idem Rex libertati Eccleſiaſticæ cōſuluerit, & quomodo Pragmaticam Sanctionem abolere curaverit in obſequium Sedis Apoſtolicæ. Mitto plura alia ſequentium Gallię Regum, vſque ad Chriſtianiſsimum Ludovicum XIV. nunc feliciter regnantem, qui & obedientiæ ſuæ erga Romanos Pontifices plurima non obſcura argumenta edidit.

35 De Regibus Hiſpanię, antonomaſticè Catholicis, res notiſsima eſt, non ſolùm facto, ſed iure ipſo Regis Alphonſi in Legibus ſuis Parte prima tit.5.l.2.3.& 4. in cuius fine dicitur, *Eum qui negaverit, Pontificem habere hanc poteſtatem* (nimirum in omnes Chriſtianos) *non ſolùm excommunicatum eſſe, ſed etiam hæreticū.* Et lege 5. generatim ac ſine exceptione vlla dicitur, omnes Chriſtianos teneri ad obediendū Pontifici Romano in ſpiritualibus, &c. Vnde Ferdinādus Hiſpaniæ Rex, cognomēto Catholicus, illuſtre fidei & obedientię ſuæ teſtimoniū dedit in Cōcilio Lateranēſi celebrato ſub Iulio II. & Leone X. quod in eius Synodi ſeſs. 2. habetur his verbis: *Profitemur Nos filium S. Romanæ Eccleſiæ Matris noſtræ deditiſsimū, proq; eius honore atque ſtatu animam ponere paratiſsimum.* Atque inferiùs addit, ſe mittere Legatum ad eam Synodum, vt interſit, *ibique obedientiam debitam præfato Beatiſsimo Domino noſtro Papæ toties, quoties opportunum fuerit, præſtet, &c.* Similia ferè verba protulit poſtea Carolus V. cognomento Maximus, Germanię Imperator, & Hiſpaniarū Rex glorioſiſsimus in Edicto Vvormatiēſi, verbis illis: *Ad honorē omnipotentis Dei, Romaniq; Pontificis, & S. Sedis Apoſtolicæ debitā reverentiā, &c. regna, dominiū, vitā, deniq; & animā ipſam exponere ſumus parati.* Mitto reliquos eius poſteros recta & virili linea Auſtriadū vſque ad piiſsimum Regem noſtrum *CAROLVM II.* quibus nihil

an-

antiquius fuit, aut eſt, quàm Pontificem Romanum agnoſcere & venerari vt Patrem, & quoad ſpiritualia (vt loquar verbis Ladiſlai Hungariæ Regis ad Nicolaum V. Papam) tanquam *Vnicum Chriſtianorum Principem, & Regum Regem, atque in terris Deum.* In terris, inquam, & participatione quadam, ne Heterodoxi ſuccenſeant.

SECTIO QVARTA.

Regum Angliæ ſubiectio antiqua & obedientia erga Romanum Pontificem, vſque ad apoſtaſiam Henrici VIII. Idipſum obſeruatur de Imperatoribus Orientis & Occidentis, Regibuſque generatim.

35 REGES Angliæ ſimiliter obedientiam & ſubiectionē Romano Pontifici profeſsi ſunt, ex quo fidem Chriſtianam acceperunt. De primo eorū Rege Lucio teſtatur Beda, per Epiſtolam rogaſſe Eleutherium Papam (circa annū Chriſti 180.) *vt per eius mandatum Chriſtianus efficeretur.* Subditque ſtatim: *Et mox effectum piæ poſtulationis conſequutus eſt.* Quibus verbis efficitur, Regem illum veneratum fuiſſe Pontificem Romanum veluti Paſtorem ſuū. Neque enim aliter expeteret iuxta illius mādatum recipere quæ ad Chriſtianam Religionem ſpectant: ſed ſatis ipſi viſum eſſet recurrere ad quempiam viciniorē Epiſcopum, vel in Britannia ipſa, vel in Gallia vicina commorantē, potiùs quàm ad Pontificem Romanum longè remotiorē. Sed adhuc manifeſtiùs idipſum teſtatur idem Beda lib. 3. Hiſt. Angl. cap. 25. vbi ait, Regem Oſuvium, cùm audiſſet, claves Regni cœlorum principaliter datas fuiſſe B. Petro, crederetque Pontificem Romanum eſſe eius Succeſſorem, dixiſſe: *Ego vobis dico, quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantū novi & valeo, HVIVS CVPIO IN OMNIBVS OBEDIRE STATVTIS. Hæc dicente Rege* (ſubdit Beda) *fauerunt aſſidentes, & ad ea, quæ meliora cognoverant, ſeſe transferre feſtinabant.* Similem obedientiā præſtiterunt Reges Angliæ converſi ab Auguſtino cæteriſque Monachis à Gregorio Magno miſsis ad prædicandum fidem in ea inſula, circa initium ſæculi ſeptimi, vſque ad mediū ferè octavi: de quibus teſtatur idem Beda recurrere ſolitos ad Sedem Apoſtolicam in rebus & negotijs Eccleſiaſticis; & præterea reliqui vſque ad finē primæ chiliadis Chriſtianæ annorum, ac deinceps, quamvis circa finē ſęculi vndecimi veneratio quorundam eorum erga Sedem Apoſtolicam quoddammodo immutata fuerit ob iura prętenſa Inveſtiturarū, vt infrà videbimus Diſp. XLV. Circa finem, inquam. nam paulo poſt medium eius ſæculi circa annum 1060. Eduardus Rex Epiſtolam ſcripſit ad Nicolaum II. Papam cum hac epigrapha: *Summo Vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex, debitam ſubiectionem & obedientiam.* Ac præterea in contextu Epiſtolæ exorat, vt quod prædeceſſor eiuſdem Nicolai, nimirum Stephanus IX. aliàs X. ſibi iniunxerat ſub nomine obedientiæ & pœnitentiæ pro quodam voto, ratum eſſe velit; ac præterea vt quædam Privilegia confirmet. Addit tandem, ſe augere & cōfirmare donationes, conſuetudineſque pecuniarum, debitas B. Petro in Anglia, & eas mittere ad Sedem Apoſtolicam, adiunctis regalibus donis. Hæc ille, in ſignum obedientiæ ſuæ ad Pontificem Romanum, veluti Succeſſorem S. Petri. Mitto plurima alia ſubiectionis eorundem Regum ad Sedem Apoſtolicam ſigna; quæ in Actis SS. eiuſdem Regni ab anno 600. vſque ad 1100. videri poſſunt apud eruditiſsimum ac piiſsimum Ioannem Mavillonem in Sæculis Benedictinis Tomo III. ac ſeqq. ſparſim ac varijs locis edita, quę in vnum colligere longum eſſet.

37 Initio ſæculi duodecimi Henricus Angliæ Rex, qui ob Inveſtiturarum prętenſa iura aliquantiſper detrectaverat ſubiectionem & obedientiam erga Apoſtolicam Sedem, tandem hortatu S. Anſelmi Cantuarienſis ceſsit: de quo ipſi gratulatur Paſchalis II. Papa apud eundem lib. 3. Epiſt. epiſt. 140. dicens: *Quòd Anglici Regis cor ad Apoſtolicæ Sedis obedientiā omnipotentis Dei dignatio inclinavit, eidem miſerationum Domino gratias agimus, in cuius manu Regum corda verſantur. Hoc nimirum tuæ charitatis gratia, tuarumque orationum inſtantia factum credimus, &c.*

38 Eodem ſæculo duodecimo exeunte ferè, circa annum 1190. vt legere eſt apud Baronium ibidem, Richardus II. Angliæ Rex ita ſcripſit ad Clementem III. Papam. *Iſtiorem exitum facta Principum ſortiuntur, cùm à Sede Apoſtolica robur, & favorem accipiunt, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ colloquio diriguntur. Propterea dignum duximus ad notitiam Beatitudinis veſtræ transmittere quæ inter nos, & Dominum Tancredum illuſtrem Siciliæ Regem publico nuper, & neceſſario ſunt celebrata contractu.* Et poſtea: *Sanctitatem veſtram, & ſanctam Romanam Eccleſiam obnixè rogamus, vt ſancta Sedes Apoſtolica fideiuſsionem pro nobis ſuſcipiat, & vt confidenter id faciat teſtimonio præſentium*

litterarum, vobis liberam concedimus poteſtatem; nos & heredes noſtros, & terrã noſtrã diſtrictiùs coercere, ſi contra præfatam pacem venerimus, &c. Hæc ille Rex, quæ ſanè venerationem ipſius & ſubiectionẽ in Sedem Apoſtolicam, ſive Romanum Pontificem, planè denotant.

39 Sæculo tertiodecimo circiter exeunte Eduardus Anglię Rex, Epiſtolas ſcripſit obedientiæ ſuæ indices ad Bonifacium VIII. & quartodecimo currente alter Eduardus ad Clementem VI. circa annum 1343. Eorum verò tempore in ſignum ſpiritualis ſubiectionis ad Sedẽ Apoſtolicam permanebat conſuetudo vetus, paulo antea indicata ab Eduardo in Epiſt. illa ad Nicolaum II. ſolvẽdi tributum Romanæ Eccleſiæ, quę iuxta Polydorum lib. 1. ab Ina Rege ortum duxit, & à Succeſſoribus continuata atque aucta eſt, vt idem habet lib. 5. alijſque locis. Poſtea verò publica lege confirmata dicitur à Guillelmo Conqueſtore Angliæ, & appellari ſolita, *Denarium B. Petri*; ac ſervata perpetuò fuit vſque ad tempus infelicis Henrici VIII. qui initio Catholicus Princeps, & Defenſor Fidei nuncupatus, in Aſſertione Sacramentorum contra Lutherum art. 2. inter plura alia, ſcripſit: *Non tam iniurius ero Pontifici, vt anxiè & ſolicitè de eius iure diſceptem, quaſi res haberetur pro dubia.* Quibus verbis illuſtre teſtimonium dedit pro auctoritate ſuprema Sedis Romanę, ſive Apoſtolicę. Verùm poſtea impotenti libidine actus, & negans ſubiectionem debitam Romano Pontifici, naufragium in fide fecit, & communis ferè Anglorum apoſtaſiæ cauſa fuit. Nimirum inter Chriſtianos Henricus fuit, veluti inter Gentiles Principes Nero, Tiberius, & ſimiles Romanorum peſtes. qui è præclaris initijs poſtea in peiora quotidie proceſſerunt, & vitæ periodum clauſere infeliciter: veluti Metellus Pius, Hortenſius, Lucullus, Solon, Antiochus Magnus, & Xerxes, alijque plures, initio cõtinentes, poſtea fœdiſsimis voluptatibus abrepti. Sic, nimirum, Henrico VIII. circa continentiam & religionem, *Mandrabuli more res ſucceſsit.* Inde in eius Succeſſores hæreditaria defectio ab obedientia Sedis Apoſtolicæ, & Catholica fide: indidẽ extrema Regni cataſtrophe in hodiernum diem.

Quis mihi det lachrymas, miſerabilis Anglia, quiſnam
Det meo aquam capiti, vt nocte dieque fleam!
Relligio perijt, periere Altaria, & omnis
Seu fidei cultus, ſeu pietatis honos.

40 Henricus itaque, omnium Angliæ Regum, quotquot præceſſerant, infeliciſsimus ſponte ſua, abrogavit conſuetudinem illam Deceſſorum ſuorum: qui ſanè, vt optimè obſervat Sanderus lib. 5. cap. 6. nullatenus Regnum ſuum vectigale feciſſent Romanæ Sedi in honorem S. Petri, niſi & eidem Sedi circa ſpiritualia obedientiam integram præſtarent.

41 Mitto receptam eorundem Regum à priſcis temporibus conſuetudinem petendi diſpenſationes in votis, & legibus Eccleſiaſticis; ac præterea confirmationes Epiſcoporũ, & pallium pro Archiepiſcopis Regni ſui: quos interdum Romã mittebant ad illud ſuſcipiẽdũ: interdũ verò impetrabãt vt ijs manentibus in Anglia mitteretur à Pontifice. quod poſterius fecit Vvilelmus Rex, cognomento Ruffus, poſtquam S. Anſelmus fuit electus Archiepiſcopus Cantuarienſis vt fusè narrat Eadmerus in Hiſtoria Novorum nuperrimè è veteribus manuſcriptis in lucem edita à Gabriele Gerberone Monacho Congregationis obſervantiſsimæ & doctiſsimæ S. Mauri apud Gallias, ab initio libri ſecundi. Vbi obiter obſerva, Anſelmum ipſum, ne quidem ad conciliandum ſibi Regem iratum, & ſtabiliẽdam cum eo pacem, permiſiſſe vt ſibi Palliũ per manus eius traderetur: quòd id ſolùm ſpectaret ad auctoritatem Romanæ Sedis, nõ autem ad Regiam dignitatem. *Cùm autem* (inquit Eadmerus loco cit. col. 3. *de Pallij ſuſceptione ageretur, & quidã pro captanda Regis gratia Virũ ad hoc ducere molirentur; vt pro Regiæ Maieſtatis honorificẽtia illud per manum Regis ſuſciperet; nõ acquievit; RATIONABILITER OSTENDENS, HOC DONVM NON AD REGIAM DIGNITATEM, SED AD SINGVLAREM B. PETRI PERTINERE AVCTORITATEM.* Vſque adeò ille Inveſtituras de manu Regum exoſas habuit, vt ne quidem meram ceremoniam tradendi ſibi Pallij per Vvillelmum ex fine honoris & ineundæ cum eo pacis permiſerit.

42 Huc quoddammodo ſpectat quòd Regina quædã Angliæ, Eleonara nomine, in Epiſtola, quæ apud Petrũ Bleſſenſem eſt 144. adverſus tyrannidẽ cuiuſdã Principis Chriſtiani petijt à Cœleſtino Papa auxilium, ipſum obſecrans, veluti *quẽ conſtituit Deus ſuper Gẽtes & Regna in omni plenitudine poteſtatis.* Atque inferiùs: *Nec iſta diſsimulare poteſtis ſine crimine, & infamiæ nota, cũ ſitis Vicarius Crucifixi, Succeſſor Petri, Deus Pharaonis.* Cumque poſtea narraſſet, tyrannũ illũ ludibrio habere claves S. Petri, ſubdit:

Etſi

Et ſi veſtram nō vultis iniuriam proſequi, vobis tamen Petri opprobrium, & iniuriā Chriſti diſsimulare non licet. Quibus verbis ampliorem adhuc in Pontifice auctoritatem contra tyrannos agnoſcit, quam in progreſſu aſſeremus.

43 Angliæ pars eſt regio Merciorum, cuius Rex Kenulphus olim ſcripſit ad Leonem Papam III. (malè apud alios dicitur Ioannes III. Huius enim tempore, id eſt, circa annum 560. nec veſtigium Religionis Chriſtianæ permanſerat in Anglia: tum prętetea neque aliquis Papa nomine Adrianus fuerat.) In qua priùs Deo gratias agit, quia *cùm glorioſiſsimum gregis ſui Paſtorē Adrianum* (nimirum Secundum huius nominis, cui *anuiſus* ſucceſsit Leo III. anno 795.) *perpetuò remunerandum ſuper æthera duxiſſet, ſuis tamen ovibus pia erexit providentia eum* (Leonem) *qui ſcit ovile Dominicum ad caulas ſuperioris vitæ agitare.* Et inferius: *QVAPROPTER OPPORTVNVM ARBITROR TVIS SANCTIS IVSSIONIBVS AVREM OBEDIENTIÆ NOSTRÆ HVMILITER INCLINARE.* Præterea, benedictione humiliter poſtulatâ, ſubiungit: *Hanc benedictionem OMNES, QVI ANTE ME FVERVNT MERCIORVM REGES, MERVERVNT AB ANTECESSORIBVS TVIS ADIPISCI: hanc ipſe humilis peto, & à vobis, ò Sanctiſsime, impetrare cupio, quatenus imprimis adoptionis fortè me tibi filium ſuſcipias, ſicuti TE MIHI PATRIS PERSONA DELIGO, ET TOTIS OBEDIENTIÆ VIRIBVS SEMPER AMPLECTOR.* Sic ſentiebant, ſic loquebantur olim Chriſtiani Angliæ Reges. Nunc omnia alia audire eſt, ex quo Henricus VIII. omnium mortalium Regum primus, cum horrore totius Orbis Chriſtiani, affectavit Imperium ſpirituale, idque tyrannicè extorſit: vt latè & eruditè expendit Suarez varijs locis Operis ſui contra Iacobum Angliæ Regem.

44 Dicamus aliquid de Imperatoribus Occidentis & Orientis, præter laudatos ſuprà ſect. 2. omiſsiſque alijs pluribus, quę in eundem ſcopum proferri poſſent. Fredericus I. Germaniæ Imperator in Epiſtola ad Emmanuelem Græcum Imperatorem, cùm præmiſsiſſet, Romanam Eccleſiam eſſe omnium aliarum vnicam Matrem, Dominam, ac Magiſtram à Deo ordinatam, addit exhortationem hanc: *Summo Pontifici, quem nomine tenus ſanctum appellas, debitam obedientiam exhibeas & honorem.* Sanè illam exhibuerant priores illi Orientis Imperatores ſuprà commemorati, & præterea Iuſtinianus Imperator in legibus, & in Authenticis varijs, atque in litteris ad Bonifacium II. Papam, vbi priùs generatim de Apoſtolica Sede accipitur illud: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Subditurque: *Hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectu, quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica conſervata Religio.* Atque infrà: *ANATHEMATIZAMVS OMNES, QVI CONTRA SANCTAM ROMANAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM SVPERBIENDO SVAS ERIGVNT CERVICES: ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes eius omnia conſtituta.* Sed longè poſtea alij Imperatores CP. abducti ſuggeſtionibus impijs quorundam Patriarcharum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Primatum Vniverſalis Eccleſiæ affectantium, Romano Pontifici obedientiam denegarunt: atque omnium maximè Iconomachi Imperatores, ſeu perſecutores ſacrarum Imaginum. Verùm eorum perfidiam & inobedientiam execratus fuit poſtea Leo VI. Imperator, cognomento Sapiens, de quo plura præmiſsimus ſuprà Diſput. IX. ſect. 7. num. 54. Is enim Photium ſchiſmaticum, iuratumque hoſtem Sedis Apoſtolicę, & invaſorem Patriarchatûs CP. depoſuit anno 886. Deinde anno 901. cùm excommunicatus fuiſſet à Nicolao Patriarcha CP. ob quartum matrimonium initum contra Canones tertium & ſeptimum Concilij Neocæſarienſis, immo & cōtra Conſtitutionem 90. ab ipſo Leone publicatam; cùm aliùnde agnoſceret in Pontifice Romano Primatum Eccleſiæ, & auctoritatem ſupra quoslibet illius Canones, legationem miſsit ad Romanum Pontificem Ioannem IX. ad impetrandam diſpenſationem, quam & obtinuit, vt quartum matrimonium eſſet ratum cum Zoe, ex qua filium ſuſcepit Conſtantinum nomine, qui & poſt ipſum imperavit. Idem quoque Leo, nulla ratione habitâ popularis erroris Græcorum, tradidit apertè proceſsionem Spiritûs ſancti ex Patre & Filio in Epiſtola celebri ad Regem Sarracenorum, in ea profitenda ſubſcribens Pontificibus Romanis.

45 In Concilio Generali Lugdunenſi II. aliàs XIV. Oecumenico, lecta fuit Epiſtola Michaelis Imperatoris CP. miſſa ad Gregoriū X. Papā, Præſidentē eidem Synodo, in qua ille cū ſuis obedientiā pręſtat & profitetur palam erga Romanum Pontificem: & col. 3. inquit:

Αὐτὴ ἡ ταύτης ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης Ἐκκλησία, &c. *Ipſa quoque Romana Eccleſia ſummum ac plenum Primatum & Principatum ſuper Vniuerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quam ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſuo vertice, cuius Romanus Pontifex eſt Succeſſor, CVM POTESTATIS PLENITVDINE recepiſſe, veraciter & humiliter agnoſcit.* Deinde ſubiungit de Eccleſia Romana: *καὶ ταύτῃ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι ὑπόκεινται. Et eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubiectæ.*

46 In Concilio Florentino omnes qui aderant, Latini & Greci, atque in his Ioannes Palæologus Orientis Imperator, vno animo & voce protulerunt Seſs. vltima Profeſsionem illam, cui initium, *Εὐγένιος ἐπίσκοπος δοῦλος δούλων Θεοῦ*, &c. *EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c.* in qua apertiſsimè definitur Primatus & auctoritas ſuprema ac poteſtas ſumma Pōtificis Romani ſupra totam Eccleſiam, omneſque Chriſtianos. Verba præcipua dedimus Diſput. XXXIV. num. 24. Itaque Imperator ille Orientis palam agnovit, & profeſſus fuit obedientiam Romano Pontifici.

47 Huc etiam ſpectat Epiſtola Leonis Armenorum Regis ad Innocentium III. Papam, quem appellat *Dominum, & in Chriſto Patrem, & Vniuerſalem Papam, & Paſtorem, quem Deus Eccleſiæ ſuæ præeſſe voluit.* Subditque: *Veſtri luminis gratia informati omne Regnum nobis à Deo commiſſum, & omnes Armenos ad vnitatem S. Romanæ Eccleſiæ, diuina inſpirante clementia, revocare cupimus. & optamus.* Denique idipſum ſingillatim oſtendi poſſet de Regibus Hungariæ, Poloniæ, Neapolis, Sicilię, Aragonię, & Luſitaniæ. Multorum enim ex ijs monumenta extant, & plura olim teſtimonia fuerunt, obedientiæ, & honoris erga Pontificem Romanum, veluti Patrem & ſuperiorem quoad ſpiritualia. Patet itaque, non modò ex doctrina fidei ſuprà indicata num. 20. ſed ex confeſsione Imperatorum Orientis & Occidentis, Regumque Chriſtianorum omnibus ſæculis, Pontificem Romanum eſſe ijs omnibus ſuperiorem, ac iure divino præfectum quoad ſpiritualia, cui proinde honorem, reverentiam, & obedientiam exhibere teneantur.

SECTIO QVINTA.

Stabilitur denuo ſubiectio Imperatorum Regumque Chriſtianorum ad Romanum Pontificem, non modo quoad perſonas, ſed etiam quoad vſum poteſtatis temporalis, quatenus confert ad bonum ſpirituale, vel vtilitatem Eccleſiæ. Quædam circa dependentiam Imperij a Sede Apoſtolica ſpecialem, obſervata.

48 QVÆ Hactenus diximus, non modò intelligi debent de quibuſlibet Imperatoribus, Regibus, & Principibus Chriſtianis, quoad perſonas ipſorum, ſed etiam quoad vſum temporalis poteſtatis, quatenus confert ad ſpiritualem finem. Nimirum, vt Pontifex Romanus poſsit ab ijs exigere, aut moderari, aut prohibere vſum poteſtatis temporalis, prout oportuerit ad bonum ſpirituale Eccleſiæ, vel ad malum illius vitandum. Neque enim per poteſtatem directivam hucuſque traditam intelligenda eſt ſolùm auctoritas conſulendi, monendi, aut rogandi; ſed etiam vis movendi cum morali efficacia, & obligandi in conſcientia, per præcepta opportunè iniuncta, cui Principes ipſi in vſu poteſtatis ſuæ temporariæ teneantur obedire. Quæ eſt ſententia communi conſenſu recepta apud Catholicos, vt inquit Suarez lib. 3. contra Regem Angliæ cap. 22. vbi latè illam confirmat, veluti implicitè ſeu virtute traditam in Scriptura, ecu propoſitionem particularem ſub alijs vniverſalibus. quales ſunt illæ: *Paſce oves meas*: & præterea: *Quodcumque ligaveris, & Quodcumque ſolueris*: inſuperque, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: ac denique ex perfectiſsima ac ſapientiſsima Chriſti providentia, quæ ordinatè omnia diſponit. Non ſolùm enim Chriſtus D. eo tam inſigni titulo, verùmetiam quilibet prudens legumlator, dum vices ſuas ſive poteſtatē alicui committit, eo ipſo facultatem dat ipſi ad omnia, quæ in finē eius delegationis neceſſaria & convenientia ſunt. Sic nempe ratio naturalis dictat, & declaratur in Iure, tam Civili, quàm Canonico. Etenim l. 2. ff. de Iuriſd. omn. Iudic. dicitur: *Cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non potuit.* Et c. *Præterea* de Officio Delegati: *Ex eo quod cauſa alicui committitur, ſuper omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, PLENARIAM RECIPIT POTESTATEM.* Ad finem autem eius delegationis Chriſti, quā Petro, & Succeſſoribus eius, commiſsit plenam poteſtatem paſcendi, ligandi, ſolvendi,

ac

ac regendi totam Eccleſiam, omneſque oves, ſine exceptione vlla, conveniens & neceſſarium eſt, dirigere omnes ſubditorum actiones, quibus ſpiritualis ſalus adquiri aut impediri poteſt; ac proinde dirigere, præcipere, prohibere, aut moderari vſum poteſtatis temporalis, quo bene aut malè præſtito Principes ſæculares ſpiritualem ſalutem ſuam & ſubditorum adipiſci aut amittere poſſunt. Ergo Petrus & ipſius Succeſſores in ipſa delegatione generali ſibi à Chriſto tradita acceperunt poteſtatem obligandi & prohibendi Principes ſæculares in conſcientia quoad vſum debitum aut indebitum poteſtatis temporalis.

49 Et quidem hoc ſenſu ad litteram accipitur illud Apoſtoli ad Hebræos 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Non enim minùs Reges eo loco comprehenduntur, quàm reliqui è populo, vt patet, obſervavitque S. Gelaſius Papa ſcribens ad Anaſtaſium Imperatorem, de quo ſuprà num. 22. Diſtinguens enim ibi duas poteſtates, ſpiritualem, & temporalem, addit: *In quibus tanto gravius põdus eſt Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regibus hominum in divino ſunt reddituri examine rationem.* Ideoque & Nicolaus Papa in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem ait: *Chriſtianos Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigere.* Nimirum, quoniam etiam in vſu Imperatoriæ poteſtatis, quatenus ad ſalutem æternam confert aut impedit, ſubduntur Pontificum poteſtati præcipienti aut prohibenti; de qua ritè aut malè adminiſtrata Paſtores ipſi Deo rationem ſtrictam reddent. Quam doctrinam altè infixam habebat Glorioſiſſimus Imperatorum Chriſtianorum CAROLVS V. dum in Edicto Vvormatienſi hęc protulit, aureis litteris ſcribi digna: *Ad honorem Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ debitam reverentiam, PRO IMPERIALIS DIGNITATIS OFFICIO DEBITO, necnon zelo, & ſtudio, quo noſtrorum maiorum more, & ingenita nobis etiam vi ad defenſionem Catholicæ fidei, ſanctæque Romanæ, & Vniverſalis Eccleſiæ honorem, tutelam, & protectionem, omnes noſtras vires, & facultates, imperium, regna, dominium, vitam denique, & animam ipſam exponere ſumus parati.* Quibus verbis Maximus Imperator, non modò ſeipſum, ſed etiam Imperialem Dignitatem agnovit ex debito adſtrictam Romano Pontifici, & S. Sedi Apoſtolicæ, in ijs, quæ ad honorem Dei ſpectant. & idipſum teſtatus fuit ex mente & ſenſu Maiorum ſuorum. Sed & olim idipſum agnoverunt, ac profeſſi ſunt in Gallia Ludovicus & Lotharius Imperator, dum ſcripſere ad Eugenium II. Papam: *Veraciter nos DEBITORES cognoſcimus, vt ijs, quibus regimen Eccleſiarum, & ovium Dominicarum cura commiſſa eſt, IN OMNIBVS CAVSIS AD DIVINVM CVLTVM PERTINENTIBVS, opem & auxilium pro qualitate virium noſtrarum, & intellectus noſtri capacitate feramus.* Vnde in Concilio Pariſienſi ſub eiſdem Principibus lib. 2. cap. 2. dicitur: *Rex primò debet eſſe defenſor Eccleſiæ, &c.* Ac longe poſtea Ludovicus XI. Galliarum Rex ſcribens ad Pium II. dixit: *SICVT MANDASTI, Pragmaticam Sanctionem Sedi infenſam, a Regno noſtro, noſtroque Viennenſi Delphinatu, & omni ditione noſtra, per præſentes pellimus, deijcimus, ſtirpituſque abrogamus.*

5 Explicatur ampliùs, & vrgetur idipſum. Iuxta teſtimonia illa Chriſti Domini paulo antè indicata, & ſenſum communem Catholicorum omnium, Pontifex Romanus tenetur habere curam totius populi Chriſtiani, includentis Principes ſæculares veluti præcipuam partem, & ſubditos eorum, veluti minùs præcipuam. Igitur in eo vniverſali munere clauditur vis procurandi in ijs omnibus ea bona, quæ ex debito vſu poteſtatis temporalis conferunt ad ſalutem populi Chriſtiani, & avertendi ea mala, quæ ex indebito illius vſu eam impediunt. Quare demum efficitur, poſſe Romanum Pontificem abſdubio Principibus ſęcularibus præcipere aut prohibere in conſcientia vſum poteſtatis temporalis, quatenus confert in bonum procurandum, aut avertendum malum Chriſtiani populi. Hoc enim ſenſu poteſtas temporalis Regum Imperatorumque ſubiacet ſpirituali & ſupremæ Pontificum poteſtati. Quod ex ipſis Doctoribus Pariſienſibus (vt innumeros alios omittam) expreſsè tradit S. Thomas 2. 2. quæſt. 40. art. 2. ad 3. dicens, bella Principum ſæcularium ſubordinari poteſtati Papæ: quia quælibet potentia, virtus, vel ars, ſpectans ſuperiorem finem, habet ſibi ſubiectas facultates inferiores in ordine ad eundem finem, obtinendum. Et quęſt. 60. art. 6. ad 3. inquit: *Poteſtas temporalis ſubditur ſpirituali, ſicut corpus animæ: ET IDEO NON EST VSVRPATVM IVDICIVM SI SPIRITVALIS PRÆLATVS INTROMITTAT SE DE TEMPORALIBVS* Ac præterea in 2. diſt. 44. in explanatione litteræ ad 4. ait, *ſæcularem poteſtatem eſſe ſub temporali in ijs, quæ ad ſalutem animæ pertinent: & ideo in eiſdem magis*

eſſe

eſſe obediendum ſpirituali poteſtati, quàm temporali: licèt in ijs, quæ ad bonum ciuile pertinent, magis ſit obediendum poteſtati temporali. Quin & addit ſtatim: *Niſi fortè poteſtati ſpirituali etiam ſæcularis poteſtas coniungatur, ſicut in Papa, QVI VTRIVSQVE POTESTATIS APICEM TENET.* in quo longè ampliùs Pontificiam auctoritatem directam extendit, quàm opus habeamus ad præſens propoſitum: & fortaſis loquitur de Papa, quatenus ſimul Pontifex & Rex temporalis eſt intra ditionem & territorium proprium S. Romanæ Eccleſiæ. Idipſum tradit, & confirmat varijs exemplis, ſimilitudinibus, hiſtorijs, geſtiſque Summorum Pontificum lib. 1. de Regimine Principum cap. 14. & lib 3. cap. 10. cum tribus ſeqq. ſi tamen illud Opus eſt fœtus legitimus Angelici Doctoris. Similiter Henricus Gandavēſis, Doctor eiuſdem Academiæ Pariſienſis, Quodlib. 6. quæſt. 23. docet, *Sacerdotem Apoſtolicum ſe habere ad Reges, ſicut Architectum ciuilem ad alios artifices in ciuitate.* Præterea Bertrandus Cardinalis Epiſcopus Auguſtodunenſis in Gallia ſuprà num. 3. laudatus, libro de Origine & vſu Iuriſdictionum, cùm præmiſiſſet, iuriſdictionem ſpiritualem eſſe ſuperiorem temporali, & omnes prorſus Reges ac Principes ſubdi Iuriſdictioni Romani Pontificis, quæſt. 3. addit: *Iuriſdictio ſpiritualis Eccleſiæ ſe habet ad iuriſdictionem ſæcularem, ſicut ars quæ conſiderat finem ſe habet ad artem, quæ conſiderat illud quod ordinatur ad finem: puta militaris ad equeſtrem, & equeſtris ad fræni contractiuam, ſeu rectiuam.* Quam doctrinam & ſimilitudinem ex D. Thoma didicit. Deinde quæſt. 4. diſſerens de poteſtate quam in mundo habuit Chriſtus D. in omnes homines prorſus, eandem colligit in Romano Pontifice, ex ordinatiſsima illius prouidentia in Eccleſiam. Ait enim: *Non videretur diſcretus Dominus fuiſſe (vt cum reverentia eius loquar) niſi vnicum poſt ſe talem Vicarium reliquiſſet, qui hæc omnia poſſet. Fuit autem iſte Vicarius eius Petrus apud Mathæum. Et idem dicendum eſt de Succeſſoribus Petri; cùm eadem abſurditas ſequeretur, ſi poſt mortem Petri, humanam naturam a ſe creatam, ſine regimine vnius perſonæ reliquiſſet.* Et ferè mox: *Et ideò Bonifacius Octavus motus multis alijs efficacibus rationibus, & exēplis, & auctoritatibus ſacræ Scripturæ, declaravit, dixit, definiuit, ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam de neceſsitate ſalutis.* Et non multò pòſt: *Huius Regni, & Sacerdotij Principatum perpetuum, commiſsit Filius Dei Petro, & Succeſſoribus eius.* Hactenus ille. Similia docuit S. Bernardus lib. 1. de Conſiderat. ad Eugenium Papam cap. 7. & præterea lib. 4. vbi ita illum alloquitur: *Quid tu denuo vſurpare gladium tentas* (ſcilicet, immediatè) *quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere ad verbum Domini dicentis: Converte gladium TVVM in vaginam. TVVS ergo & ipſe: Tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus. Alioqui, ſi nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apoſtolis*, Ecce duo gladij hic, *non reſpondiſſet Dominus, SATIS EST; ſed NIMIS EST.* Nimirum ijs verbis apertè docet gladium materialem eſſe exercendum à Pontifice, non proprijs manibus, ſed ſæcularium miniſtrorum, qui Eccleſiæ opem ferant, veluti eidem in hac etiam parte ſubiecti. Idipſum docuere etiam in media Gallia, Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 2. cap. 4. & Almainus de Poteſtate Eccleſ. cap. 8. ille ipſe, qui aliàs erga Romani Pontificis auctoritatem cum paucis aliquot Pariſienſium iniquiorem ſe præbuit. Vnde non eſt quòd paginas oneremus aliorũ pene innumerabilium DD. locis.

51 Eadem doctrina vlteriùs deducitur ex inſtitutione divina, qua Regum & Imperatorum Chriſtianorum dignitas, non tam in ipſorum vtilitatem, quam ſubditorum & totius Eccleſiæ ordinata eſt: vt non niſi iuſta, niſi recta, & ſaluti æternæ fidelium vtilia præcipiant: atque adeò corrigi & coerceri poſsint divina & Eccleſiaſtica auctoritate ſi ſecus faciant. Id optimè Auguſtinus obſervat Epiſt. 50. tractans illud Pſalmi 2. *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terrā. Servite Domino in timore.* Ait enim S. Doctor: *Aliter ſervit, quia homo eſt: aliter, quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit, viuendo fideliter: quia Rex eſt, ſervit, leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore ſanciendo.* Et opportuniùs S. Leo Papa Epiſt. 75. ad Leonem Auguſtum inquit: *Debes incunctanter aduertere, Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam.* Ac S. Gregorius Magnus lib. 2. indict. 11. Epiſt. 61. ſive cap. 100. *Ad hoc poteſtas Imperatori data eſt, vt qui bona appetunt, adiuventur, ET TERRESTRE REGNVM COELESTI REGNO FAMVLETVR.* Vnde conſurgit probatio doctrinæ præiactæ efficax & ineluctabilis. Principes enim Chriſtiani ex debito officij, vel ex iuſtitia quadam legali, qua membrum Reipublicæ debet ipſi ſubve-

nire, & præcipuè ex inſtitutione Dei conſulere tenentur Eccleſiæ, *eique* auxilium in neceſsitatibus conferre, & mala ipſi imminentia impedire. Quippe omnes Chriſtiani ſunt membra vnius corporis Eccleſiæ: membra autem, vt inquit Apoſtolus 1 Coloſ. 12. ad invicem & maximè pro bono totius corporis debent eſſe ſolicita, iuxta vniuſcuiuſque *eorum* vires & dignitatem. Ergo quandocumque vrget neceſsitas boni communis Eccleſię, vel avertendi ab *ea* gravis alicuius mali, poſſunt vrgeri & obligari à Summo Pontifice, veluti Paſtore ſpirituali Vniver*ſ*alis Eccleſiæ, & eorundem Principum, ad vtendum poteſtate ſua temporali in finem prædictum. Nimirum de ratione Capitis ſpiritualis, præſertim ſummi, eſt auctoritas ad præcipiendum membris quibuſlibet, quoties neceſſaria & iuſta cauſa ſubeſt, vt ſua munia exequantur.

52 Hoc ſenſu Bonifacius VIII. in Extravaganti *Vnam ſanctam* (de qua ſuprà Diſp. XXXIII. num. 23. plura præmiſsimus) de Maioritate & obedientia, poſt D. Bernardum lib. 4. de Conſider. cap. 3. iure ac ſapienter dixit, probavitque ex ipſis ſacris litteris, in Sede Petri non modò eſſe ſpiritualem gladium, ſed etiam temporalem. *Sed is quidem*, ſubiungit, *pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis; is manu Regum & militum; ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis: QVIA OPORTET GLADIVM ESSE SVB GLADIO.* Idque deinde confirmat ex recta inſtitutione Eccleſiæ, quæ ita exigit. Vnde & concludit pronuntians ex cathedra, veluti dogma fidei: *ESSE DE NECESSITATE SALVTIS OMNI HVMANÆ CREATVRÆ* (non OMNIA, vt infideliter refert cavillator Vigorius *eo* loco notatus) *SVBESSE ROMANO PONTIFICI, declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus.* Quam ipſius definitionem, inter alios, plurimum laudavit *eodem* ſęculo in Gallia Cardinalis Bertrandus, verbis ſuprà num. 50. circa finem *ex*ſcriptis. Itaque fide divina certum eſt, temporalem gladium Regum ſpirituali Pontificis Romani gladio ſubditum eſſe debere: ac proinde Regiam & ſæcularem poteſtatem vrgeri, coerceri, & cohiberi poſſe per poteſtatem Pontificiam ſpiritualem. Eodemque ſenſu longè ante Bonifacium ipſum Nicolaus II. Papa, qui ab anno 1059. Pontificatum geſsit, loquens de Eccleſia, prout habetur 22. diſt. cap. 1. dixit: *Eam ſolus ille fundavit, qui Beato æternæ vitæ Clavigero TERRENI SIMVL ET COELESTIS IMPERII IVRA COMMISSIT.* Nimirum, vt cœleſte *exerceret* per *ſe*; terrenum verò, per excitationem poteſtatis ipſius, quoties oportuerit præcipere Principibus vt eâ vtantur. Idemque Pontifex in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ (quæ habetur c. Auctoritatē 15. quæſt. 6.) tum iis, tum ipſorum defenſoribus præcipit, *vt ſpirituali ſimul & temporali gladio malignos quoſdam vſque ad recuperationem bonorum Eccleſiæ inſequantur.* Præcipit, inquam, diſtributione accommodat: Epiſcopis quidem, vt exerceant ſpiritualem gladium; defenſoribus autem, id eſt, Patronis, ſive Principibus ſęcularibus, vt vtantur gladio materiali in defenſionem Eccleſię. Quo item ſenſu Bernardus ad Eugenium Papam dixit Epiſt. 256. *Exercendus nunc eſt vterque gladius, & cui per quem autem, niſi per vos? Petri vterque eſt: alter ſuo nutu* (nimirum, temporalis) *alter ſua manu* (ſcilicet, ſpiritualis) *quoties neceſſe evaginandus.*

53 Sunt & varij textus Iuris Canonici, præter citatos, in quibus poteſtas Regum temporalis ſubijcitur ſpirituali Pontificum. Etenim in Decreto diſt. 96. cap. *Si Imperator* 11. Ioannes Papa id docet: concluditque: *Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus, non præferre.* Et cap. 12. immediatè ſequenti Gelaſius Papa teſtatur, *obſequi ſolere Principes Chriſtianos decretis Eccleſiæ, non ſuam præponere poteſtatem: Epiſcopis caput ſubdere Principem ſolitum, non de eorum capitibus iudicare.* S. Gelaſius Papa cap. *Duo ſunt*, ſcribens ad Anaſtaſium Imperatorem ait: *Noſti ex illorum* (Pontificū) *te pendere iudicio; non illos ad tuam redigi voluntatem.* Similia habentur ex S. Innocentio I. in cap. *Quoties* 24. quæſt. 1. ex S. Gregorio VII. in cap. *Quis dubitet*, & ex Innocentio III. in cap. *Solitæ* de Maioritate & obed. vbi dicitur, poteſtatem Pontificiam comparari ad Imperatoriam, ſicuti animam ad corpus, & Solem ad Lunam. Idem Pontifex in cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi, inquit: *Non ſolùm in Eccleſiæ patrimonio (ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem) verùm etiam in alijs Regionibus, certis cauſis inſpectis, tēporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus, &c.* nimirum in his indirectè ſaltem, quatenus oportet in ordine ad ſpiritualem finem. Idque confirmat ex celebri illo loco Deuteronomij 17. *Siquid difficile & ambiguum, &c.* quod ſuprà Diſp. XXII. ſect. 5. expoſuimus; & ex Apoſtolo 1. Corinth. 6 aiente: *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia?*

54 Denique idipſum latè confirmari poſſet quoad Imperatorem. Conſtat enim

ex

ex iure Canonico, Imperium, quale nunc eſt, conferri à Romano Pontifice, & eidem ſubijci: ac propterea Imperatorem Pontifici Romano ſubeſſe. Eius enim auctoritate Imperiũ Romanorum, à Græcis ad Francos, & poſtea à Francis ad Germanos, tranſlatum fuiſſe conſtat. Quidquid enim aliqui cavillentur, dicantque tranſlationem à Græcis ad Francos fuiſſe factam auctoritate Senatûs & Populi Romani; eligentis Carolum Magnum Imperatorem, & ſolo conſilio Leonis III. anno 800. certum omnino eſt, Leonem id feciſſe, fuiſſeque aut ſolum, aut præcipuum & primarium auctorem eius tranſlationis. Quod palam teſtantur Scriptores eius temporis, Paulus Diaconus & Eghinardus verbis ſuprà num. 15. exſcriptis, quę valde notanda ſunt: & pręterea Annonius lib. 4. de Geſtis Francorum cap. 90 qui & Aymoinus dici ſolet: Addo Epiſcopus Viennenſis in Chronico Ætate 6. Rhegino Abbas Prumienſis lib. 2. Chronici, Vviticbindus Corbeienſis lib. 3. Regni Saxon. Luitprandus Ticinenſis Diaconus lib. 6. cap. 6. qui quinque Auctores nono & decimo ſęculo floruere. Præterea ex vndecimo Hermanus Contractus in Chronico ad annum 801. Marianus Scotus in Chronico, Lambertus Scaffnaburgenſis in Hiſtor. Germanica, vbi ſermonem habet de Carolo Magno: & denique innumeri alij Hiſtorici ſęculorum ſequentium. Poſterior tranſlatio à Francis ad Germanos fuit etiam facta, ſicuti & forma electionis inſtituta, à Sede Apoſtolica, vt omnes nôrunt.

55 Eius tranſlationis per Sedem Apoſtolicam factę, palam teſtimonium proferunt aliqui ex Pontificibus Romanis. Etenim Innocentius III. in Epiſt. ad Ducem Thuringiæ, vt habetur in cap. *Venerabilem* de Elect. ſic ait: *Illis principibus ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodũ promovendum, recognoſcimus, vt debemus, ad quos de antiqua conſuetudine noſcitur pertinere: præſertim cùm ad eos ius, & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis tranſtulit ad Germanos.* Et Clemens V. in Concilio Generali Viennenſi decretum edidit de Iureiurando, quo Imperatores ſeſe Pontificibus obſtringunt, vt habetur in Clement. Romani de Iureiurando, his verbis: *Romani Principes Orthodoxæ fidei profeſſores ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, cuius Caput eſt Chriſtus Redemptor noſter, ad Romanum Põtificem eiuſdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei, & claræ devotionis, venerantes, eidem Romano Pontifici, a quo approbationem perſonæ ad Imperialis celſitudinis apicem aſſumendæ, necnon vnctionem, conſecrationem, & imperij coronationem accipiunt, ſubmittere caput non reputarunt indignum, ſeque illi & eidem Eccleſiæ, quæ a Græcis imperium tranſtulit in Germanos, &. a qua ad certos eorum Principes ius & poteſtas eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum pervenit, adſtringere vi iuramenti, prout mos tam obſervationis antiquæ temporibus noviſsimis renovatæ, quam forma iuramẽti huiuſmodi ſacris inſerta Canonibus manifeſtavit.* Adrianus IV. in Epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ, quam refert Aventinus lib. 4. Annalium Boiorum: *Ideò*, inquit, *Imperium a Regno Græcorum tranſlatum eſt in Allemanos, vt Rex Theutonicorum non, antequam a Pontifice Romano conſecraretur, Imperator vocaretur, & eſſet Auguſtus: Pontifex Romanus promovit Carolum, fecit ei nomen grande, vt eſſet Imperator.* Hæc inibi, & ſimilia alijs locis teſtata habentur, mirum vt ſit quoſdam novaturientium ex neſcio quibus aliorum teſtimonijs perperam ſcriptis, aut præpoſterè intellectis, quidpiam aliud Orbi litterario obtrudere voluiſſe.

56 Certum itaque omninò eſt, Pontificem Romanum quoad ſpiritualia eſſe ſuperiorem quovis Principe ſæculari, etiam Rege aut Imperatore, non ſolùm prout homine fideli, ſed etiam prout Principe Chriſtiano: vt proinde illum poſſit vrgere, & adſtringere obligatione morali, ſive præceptis opportunis ad vſum poteſtatis temporalis prout in ordine ad bonum Eccleſiæ conveniens iudicaverit, ſive circa ſalutem ſpiritualem eiuſdem Principis, aliorumve: nec in hac re quiſquam Catholicus dubitare poteſt, ſicut nec in poteſtate ſuprema ſpirituali Romani Pontificis in totam Eccleſiam, eiuſque ſingula membra, cuiuſcumque dignitatis, & conditionis ſint. Eâ enim ſtatutâ iuxta Catholicã fidem, cætera non ſolùm per ratiocinationem manifeſtam colliguntur, quod ad Theologicam demonſtrationem ſufficeret; ſed etiam in eâdem veritate clauſa intelliguntur, quod ad fidem attinet.

SECTIO SEXTA.

Poteſtas ſuprema coercēdi & puniendi per cenſuras Eccleſiaſticas quoſlibet Reges Chriſtianos, Imperatoreſque; ſtatuitur in Pontifice Romano, tanquam certa ſecundùm fidem: comprobaturque hiſtorica excurſione per ſingula fere ſæcula, in quibus aliqui eorum Principum à Præſulibus Romanis, immo & ab Epiſcopis excommunicati fuerunt.

57 ID Colligitur manifeſtè ex doctrina hactenus tradita. Etenim Pontifex Romanus, tanquam Caput & Paſtor ac Legiſlator ſupremus quoad ſpiritualia in tota Eccleſia, poteſt vrgere & obligare præceptis omnes Chriſtianos; etiam Principes, Reges, & Imperatores, non ſolùm vt homines fideles, ſed etiam quoad vſum temporalis poteſtatis, quando & quatenus expedire iudicaverit ad vtilitatem Eccleſiæ, vel ſpirituale bonum, vti hactenus traditum fuit, tanquam fide divina certũ. Ergo ex eodem principio conſtat, Papam poſſe quoſlibet Principes ad ea munia conſtringere per cenſuram Eccleſiaſticam, & excommunicare, ſi contumaces inveniantur. Quippe quemadmodum Principes prædicti nullo iure divino aut naturali eximuntur à ſubiectione in Romanum Pontificem, eiuſque præcepta, quoad ſpiritualem finem (alioqui non eſſent oves Chriſti; contra quàm ſupponimus) ita neque à cenſuris Eccleſiaſticis, quibus, iuxta Catholicam fidẽ, poteſt ille coercere & innodare ſubditos omnes, quoties extiterint contumaces, cuiuſcumque conditionis & dignitatis ſint. Neque enim vlla exceptio perſonarum aut dignitatũ eſt in verbis illis Chriſti ad Petrum, ſubindeque ad Succeſſores ipſius, Mathæi 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, &c.* Vide Baronium ad annum 800. & 875. & 898. & 1076. & 1082. & 1111. vbi rem eruditè tractat: cuius veritas ſupponitur tanquam omnino certa in Cõcilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 3. cùm præcipit vt, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſæculares poteſtates, quibuſcumque fungantur officijs, vt pro defenſione fidei publicè iuramẽtum præſtent. Quæ formula eo tempore & præcedentibus ſufficiens habita fuit ad comprehendendum etiam Reges Imperatoreſque: & eo ſenſu accipiuntur ſtatuta aliquot S. Gregorij Magni infrà num. 63. indicanda, & intellecta ſunt à Gregorio VII. Papa lib. 8. Regiſtri Epiſt. 21. ad Herimetenſem.

58 Nec oportet in demonſtranda hac veritate tempus inſumere: cùm explorata ſit apud omnes Catholicos, vſque adeò, vt nec Marſilius Paduanus, qui primus inter Latinos Pontificiam auctoritatem convellere aut extenuare cœpit, auſus fuerit negare Papam poſſe coercere Reges, præſertim hæreticos, per cenſuras Eccleſiaſticas excomunicationis, vel interdicti: ſed ſolùm, poſſe vlteriùs procedere ad illos exauctorandos. Quin & Iacobus Britanniæ Rex, qui circa initium huius ſæculi hoc ſecundum negavit in Defenſione iuramẽti fidelitatis, circa illud prius nequaquam videtur fuiſſe ſolicitus. Non tam enim ipſi curæ fuit eximere iugum à pœna ſpirituali cenſurarum, quam à Pontificia abrogatione poteſtatis Regiæ. Neque ij qui nuper Pariſijs Declarationem illam protulerunt, videntur vllo modo auctoritatem Pontificiam ad quoſlibet omnino Reges iuſta ex cauſa excommunicandos, præſertim ob apoſtaſiam aut hæreſim, negaſſe (quis enim id ſuſpicetur de Epiſcopis Catholicis id in animum induxiſſe, quod ſolùm hæretici manifeſti dicere auſi ſunt?) ſed ſolùm poteſtatem exauctorandi & privandi Regno. quod ſpectat ad ſectiones ſequentes.

59 Quod ipſum confirmat perpetuus Eccleſiæ Catholicæ vſus, ex quo in ea Reges aut Imperatores fuerunt. Quoties enim aliqui eorum in crimen aliquod grande, aut maius ſolito lapſi ſunt; non modò Pontifices Romani, ſed etiam aliquot Epiſcopi ſanctitate & doctrina inſignes, illos excommunicationis cenſurá, aut interdicti vinculo innodaſſe inveniuntur, donec reſipiſcerent, & dignam pœnitentiam agerent. Placet excurrere per varia exempla; quæ ſparſim ab Hiſtoricis tradita in hunc locum colligere curavimus.

60 Sæculo tertio S. Fabianus Papa Philippum Imperatorem Romanum, primum ex Chriſtianis omnibus, qui id dignitatis faſtigium attigerunt, ob quoddam ſcelus communione privavit: nec ad eam admiſit, quoad vſque ſedens inter publicos peccatores peccatum ſuum lacrymis & digna ſatisfactione ex-expiavit. Ita teſtatur Euſebius Cæſarienſis lib. 6. Hiſtor. cap. 25. aliàs 27. & Nicephorus lib. 5. cap. 25. vbi inquit: *Eum vltimo Paſchatis pervigilio de reliquijs orationum in Eccleſia participare voluiſſe. non priùs tamen in conventum fidelium accedere, interceſſione & impedimento eius, qui tum Eccleſiæ præfuit, Epiſcopi, permiſſum eſſe, quàm confiteretur, & pœnitentium numero, QVI ORDINE ET LOCO SVO SEGREGATI, DISCIPLINA CERTA EXPLORABANTVR, aggregaretur: quòd non aliter licere ille diceret, propter*

ter multas eius noxas, cum Eccleſiæ multitudine, conventus eius feſti participem fieri. Eum vero, rebus ipſis timorem divini Numinis, religionemque debitam ritè ac ſinceré declarantem, obſequutum eſſe ferunt. Hactenus Nicephorus: qui verbis illis, *ordine & loco ſuo ſegregatus, &c.* palam denotat morem illum Eccleſiæ à primis ſæculis, arcendi & ſegregandi peccatores à reliquis fidelibus, & diſtinguendi eos in quatuor Pœnitentium claſes, ſive gradus: qui ſunt, προσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, & σύστασις id eſt, Luctus, Auditio, Succumbentia, & Statio. Pœnitentes, qui in luctu erant, librorum ſacrorum lectione peractà, foras trudebantur à ſacro ambitu templi, tanquam rerum ſacrarum participatione indigni, ſicuti & Cathecumeni, & Energumeni, teſte Dionyſio Areopagita de Eccleſ. Hierarchia cap. 3. aientes καὶ μετὰ ταύτας ἔξω γίνονται τῆς ἱερᾶς περιοχῆς οἱ κατηχούμενοι, καὶ πρὸς αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, καὶ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες. μένουσι δὲ οἱ τῆς τῶν θείων ἐποψίας καὶ κοινωνίας ἄξιοι. id eſt, *Poſtmodum extra templi ambitum abeunt Cathecumeni, & vnà cum eis Energumeni, ATQVE II, QVOS ANTEACTÆ VITÆ POENITET. Manent autem ij, qui divinarum rerum & aſpectu digni ſunt, & communione.* Vide præ alijs Leonem Allatium Opuſculo de Narthece Eccleſiæ Veteris, vbi eruditiſſimè eos quatuor gradus diſtinguit, & mores ac ritus pœnitentium antiquorum declarat. Philippus itaque Imperator, vt ad ſcopum redeamus, ob ſcelera quędam, non eſt admiſſus à Fabiano Papa intra templum, ſed foras ſtare iuſſus more Pœnitentium, qui primo illo gradu cenſebantur, veluti excommunicatus & interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, cui ſententiæ Ille humiliter paruit.

61 Seculo quarto labente S. Ambroſius, quamvis ſolùm Epiſcopus Mediolanenſis, Theodoſio Magno Imperatori, ob cædem Teſſalonicæ factam, indixit anathema; & adhuc poſt plurimos dies luctus, ieiuniorum, vigiliarum, aliarumque macerationum, noluit illum admittere intra templum, ſed fores clauſit, donec ſatisfactionis condignæ teſtimonium ſufficiens exhiberet. Cui ſententiæ Theodoſius humillimè paruit: & præterea, vrgente ipſo Ambroſio, legem publicam condidit, ne de cætero robur haberent ſententiæ capitis, aut expoliationis bonorum, niſi poſt triginta dies ab eo, in quo latæ fuiſſent: vt, nimirum, interea revocari poſſent maturiori iudicio, ſi forſan temerè aut calore iracundiæ fuiſſent prolatę. Ita Theodoretus lib. 5. cap. 17. In quo, vt vides, Ambroſius ipſi poteſtati politicæ Imperatoris modum præſcripſit ex fine ſpiritualis boni, iuxta doctrinã ſectione precedenti traditam. Vnde idem S. Doctor generatim lapſis in peccata gravia ſeparationem aliquam à cæteris fidelibus indicendam docuit, dum lib. 1. de Pœnitent. cap. 14. dixit: *Separari oportet graviter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat.* Nempe iuxta ſeveram eius temporis diſciplinam, & Canonem 24. Baſilij Magni, fornicatoribus quatuor pœnitentiæ anni erant præſcripti, in quorum primo moris erat illos ἐκβάλλεσθαι τῆς προσευχῆς, καὶ προσκλαίειν αὐτοὺς τῇ θύρᾳ τῆς ἐκκλησίας. *a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ.* Nimirum, eo anno ſeparati à cæteris fidelibus, & interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu, in ſacco & cinere plorabant. Adulteris quadruplo longior ſeparationis pœna indicta erat ibidem Canone 58. & alijs diverſimodè peccantibus varia: vt in cæteris Canonibus eiuſdem Baſilij legere eſt. Omnes autem ij paucioribus, aut pluribus annis erant communione privati, ſine diſtinctione vlla inter Principes & ſubditos. Denique Reges etiam ab Epiſcopis, qualis erat Ambroſius, excommunicari poſſe, habetur diſt. 96. cap. 10. *Duo ſunt*: & ſæpe vſitatum fuit in Eccleſia, idque nominatim fecit S. Staniſlaus Epiſcopus & Martyr cum impio Boleſlao Poloniæ Rege.

62 Seculo quinto inchoato S. Innocentius I. Papa excommunicavit Arcadium Imperatorem & Eudoxiam Auguſtam, ob diras & iniurias S. Ioanni Chryſoſtomo illatas: vt conſtat ex Epiſt. ipſius Innocentij, quæ extat in quibuſlibet ferè editionibus Conciliorum, niſi quòd in Veneta Apud Dominicum Nicolinum erat 31. & poſtrema; in Labbeana autem alio ordine ſervato habetur Græcè & Latinè qualis etiam extat apud Nicephorũ lib. 13. cap. 34. Placet verò eam hoc loci exſcribere, quoniam valde notanda eſt, & opportuna ad rem de qua agimus. Sic itaque ſcribit S. Innocentius ad Arcadium Imperatorem illectum ab vxore Eudoxia, vtrumque
„ ſegregans à communione Eccleſiæ. * Vox
„ ſanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deũ
„ contra te, ô Imperator, ſicuti quondam Abel
„ iuſti contra parricidam Cain: & his modis
„ omnibus vindicabitur. Nec id modò ad-
„ miſiſti; ſed etiam pacis tempore perſecu-
„ tionem magnã adverſus Deum, & Eccleſiã
„ eius concitaſti. Eiecisti è throno ſuo, re non
„ iudicatâ, magnum totius orbis Doctorẽ, &
„ vna cum eo Chriſtum perſecutus es. Neque
„ de illo ita queror (ſortem enim, ſeu hęredi-
„ tatem cum ſanctis Apoſtolis in Dei, & Ser-
„ vatoris noſtri Ieſu Chriſti regno, conſecu-

2.

tus

„ tus eſt) quamvis intolerabilis iactura ea ſit:
„ ſed affligor propterea quod primùm de ani-
„ marum veſtrarum ſalute, deinde de eis, qui
„ ſapientiſsima, ſpirituali, & divina doctrina,
„ & inſtitutione eius orbati, fame verbi Dei
„ conficiuntur, ſum ſollicitus. Non enim
„ Eccleſia tantùm Conſtantinopolitana mel-
„ litæ illius linguæ iacturam fecit, ſed & or-
„ bis ſub ſole totus ad orbitatem redactus
„ eſt, viro tam divino amiſſo, perſuaſio-
„ ne vnius mulieris fabulam hanc, & ſpecta-
„ culum exhibentis. Verùm excipiet il-
„ la, & pręſentem hîc pœnam, & futurum
„ ſempiternum ſupplicium, non poſt multos
„ hoſce dies ei adveniens. Tametſi enim Bea-
„ tus Ioannes vitam reliquit, fide ſervata, &
„ fluctuantibus confirmatis; in æterna ta-
„ men ſæcula ſempiternarum deliciarum &
„ immortalis vitæ hæreditatem eſt conſecu-
„ tus. Nova autem Dalila Eudoxia, quæ pau-
„ latim te erroris, ſeu ſeductionis novacula
„ totondit, execrationem ex multorum ore
„ ſibi ipſi induxit, grave, & quod & geſtari
„ nequeat, peccatorum pondus colligans, at-
„ que id prioribus peccatis ſuis ſuperaddens.
„ Itaque ego minimus, & peccator, cui thro-
„ nus magni Apoſtoli Petri creditus eſt, ſegre-
„ go te, & illam, à perceptione immaculato-
„ rum myſteriorum Chriſti Dei noſtri. Epiſ-
„ copum etiam omnem, aut Clericum ordi-
„ nis ſanctæ Dei Eccleſiæ, qui adminiſtrare,
„ aut exhibere ea vobis auſus fuerit, ab ea ho-
„ ra, qua pręſentes vinculi mei legeritis litte-
„ ras, dignitate ſua excidiſſe decerno. Quòd
„ ſi vt homines potentes quemquam ad id vi
„ adegeritis, & Canones vobis à Servatore
„ per ſanctos Apoſtolos traditos tranſgreſsi
„ fueritis; ſcitote non parvum id vobis pec-
„ catum fore in horrenda illa iudicij die,
„ cùm neminem huius vitæ honor, & digni-
„ tas adiuvare poterit: arcana autem, & ab-
„ dita cordium ſub oculos omnium effunden-
„ tur, atque exhibebuntur. Arſatium, quem
„ pro magno Ioanne in thronum Epiſcopa-
„ lem produxiſtis, etiam poſt obitum exau-
„ thoramus vnà cum omnibus, qui conſultò
„ cum eo communicarunt Epiſcopis: cuius
„ etiam nomen ſacro, Epiſcoporum albo non
„ inſcribatur. Indignus enim eo honore eſt,
„ vt qui Epiſcopatum quaſi adulterio pollue-
„ rit. Omnis ſiquidem plantatio, quæ à Pa-
„ tre noſtro in cœlis plantata non eſt, eradi-
„ cabitur. Ad Theophili abrogationem ad-
„ dimus excommunicationem, anathematiſ-
„ mum, & abſolutam à à Chriſtianiſmo alie-
„ nationem. „ Hactenus ibi S. Pontifex. Cu-
ius comminatio impleta fuit moriente miſer-
rimè Eudoxia intra breve tempus. Eius vrna perpetuo motu agitata eſt, donec corpus Chryſoſtomi cum ingenti pompa & honore Conſtantinopolim allatum fuit. Quamvis ante obitum legatur veniam petijſſe, & ſolutionem ab anathemate, eamque ab Innocentio impetraſſe anno 407. apud Baronium. Ea duo exempla coniunxit S.Gelaſius Papa, nimirum SS. Ambroſij & Innocentij, ſcribens ad Anaſtaſium imperatorem Epiſt. 13. vbi ait: *Talibus igitur inſtitutis, talibuſque fulti auctoritatibus* (vide diſt. 96. cap. 10.) *plerique Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excommunicaverunt. Nam ſi ſpeciale aliquod de perſonis Principum requiratur exemplum, B. Innocentius Papa excommunicavit Arcadium Imperatorem, quia conſenſit vt S. Ioannes Chryſoſtomus à ſua Sede pelleretur: excommunicavit B. Ambroſius, licèt ſanctus, non tamen Vniverſalis Eccleſiæ Epiſcopus, pro culpa, quæ alijs Sacerdotibus nō adeò gravis videbatur, Theodoſium Magnum Imperatorem. Excommunicans ab Eccleſia excluſit, &c.*

63 Sæculo ſexto inchoante, anno 502. Anaſtaſius impijſsimus Imperator, de quo ſuprà aliquid præmiſsimus num. 22. excommunicatus fuit à Symmacho Papa. Deinde in progreſſu eiuſdem ſęculi Vigilius, qui initio malis artibus in Pontificatum fuerat intruſus à Theodora Auguſta, Iuſtiniani Imperatoris vxore, poſtea legitimus Papa illam iure ac merito communione privavit anno 547. Denique eodem ſęculo labente anno 593. S.Gregorius Magnus lib.3.Epiſt. Indictione 11.poſt Epiſt. 38. conceſsit Privilegium quoddam Monaſterio S. Medardi Sueſſonenſi in Gallia, quo illud conſtituit caput Monaſteriorum omnium eius Regni, & ſoli Apoſtolicę Sedi ſubiectum: atque in fine illius omnibus Iudicibus, Antiſtitibus, & Regibus, qui id Privilegium in aliquo violare præſumerent, interminatur excommunicationem, & privationē dignitatis ſuę. Quo genere comminationis conſuevit vti idem S. Pontifex in confirmationibus aliorum Monaſteriorum, vel Hoſpitalium, præſertim verò Auguſtodunenſis in eâdem Gallia: vt patet apud eundem Gregorium Indictione 12.Epiſt.10.

64 Sæculo octavo anno 726. Leo Iſaurus ſacrarum Imaginum & Catholicę Eccleſiæ ob eam cauſam dirus inſectator, à Gregorio II. Papa excommunicatus fuit, teſte Zonara, in Concilio Romano, cuius vnicum fragmentum extat, recitatum ab Adriano I. Pontifice in Epiſt. ad Carolum Magnum. Addit Theophanes, Ioannem (nimirum, Damaſcenum qui tunc florebat, & *Chryſoroas* nuncupabatur propter auream & fulgentem Spiritûs

ritûs ſancti gratiâ) vna cum Epiſcopis Orientis anathemati ſubdidiſſe eundem Imperatorem. Nimirum, ſemper Epiſcopi certam & exploratam auctoritatem habere ſe ad coercendos Principes ijs pœnis, arbitrati ſunt.

65 Sęculo nono in Synodo VIII. Generali coacta anno 869. & 870. ſub Adriano II. Papa indicta fuit excommunicatio quibuſlibet Laicis Principibus, & potentibus, ſeu alterius cuiuſlibet dignitatis (atque adeò Regibus & Imperatoribus) ne ſe ingererent electioni Pontificum. Dicitur enim ibidem Canone 22. *Nullus laicorum Principum, vel potentum, ſemet inſerat electioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuſlibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio; præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat.* Et infrà: *Quiſquis autem ſæcularium Principum, & potentum, vel alterius dignitatis laicus, aduerſus communem, & conſonantem atque Canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, anathema ſit, donec obediat, & conſentiat, quidquid Eccleſia de electione, & ordinatione proprij Præſulis ſe velle monſtraverit.* Quare Baſilius Macedo Imperator in eâdem Synodo Actione VI. eam Pontificis poteſtatem ad Imperatores anathematizandos agnovit, dicens: *Nicolaus Papa cum Sancta Romanorum Eccleſia anathema pronuntiavit contra reſiſtentes huiuſmodi decreto atque ſententiæ. Hoc autem nos olim ſcientes, ET PAVENTES IVDICIVM ANATHEMATIS PROMVLGARI, obſecundare Synodico iudicio Romanæ Eccleſiæ neceſſarium duximus.*

66 Sæculo decimo inchoato, anno 901. Leo VI. Imperator, cognomento Sapiens, qui inſigne illud Opus Ἑξακονταβιβλον inſcriptum, præter plura alia, edidit, excommunicatus fuit à Nicolao Patriarcha Conſtantinopolitano, ob nuptias quartò celebratas, quę olim vetitæ fuerant in Concilio Neocæſarienſi Canone 3. & 7. Deinde verò abſolutus fuiſſe videtur à Legatis Ioannis IX. Papæ Conſtantinopolim miſsis, qui & pręterea cum ipſo diſpenſavit vt matrimonium illud cum Zoe ratum eſſet: vt iam ſupra num. 44. monuimus.

67 Sęculo vndecimo Nicephorus Imperator, cognomento *Botoniates*, qui tyrannicè aggreſſus Imperium, Michaelem cum Maria Auguſta coniuge, filioque Conſtantino Porphyrogenito, in Monaſterium detruſerat, excommunicatus fuit à Gręgorio VII. Papa. Lege Baronium ad annum. 1078.

68 Eodem ſæculo paucis pòſt annis Henricus III. aliàs IV. dictus Imperator Germanię, invaſor bonorum Eccleſiæ, ſimoniacus, & ſchiſmaticus, atque vt breviter dicam, peſtis eius ſæculi, ſemel & iterum à S. Gregorio VII. Papa excommunicatus fuit, & Regia ſeu Imperatoria dignitate privatus. Formulam abrogationis exſcribemus infrà ſect. 8. Nunc autem ſolùm loquimur de anathemate: cuius interminatione primùm cohibitus fuit ab Alexandro II. Papa, ne repudiaret legitimam coniugem, anno 1069. Deinde in omnia flagitiorum genera ruens, & vocatus ad Sedem Apoſtolicam, vt cauſam diceret, non ſolùm illam contempſit; ſed & aliorum appellationes tyrannicè prohibuit, & Eccleſias vendens, innodatus fuit vinculo excommunicationis, poſteaque pœnitens abſolutus à S. Gregorio VII. Papa annò 1074. Verùm reverſus ad vomitum, iterum ab eodem Pontifice in Concilio Romano excommunicatus fuit, & Regno depoſitus anno 1076. Deinde poſt longam peregrinationem hyemis tempore, & pœnitentiam aſperam, abſolutus ſub conditione ab ipſo Gregorio, & relapſus in anathema, abdicatus fuit à Principibus Germaniæ nolentibus Imperatorem habere fulguritum & depoſitum ab Eccleſia. Poſtea anno 1080. denuo excommunicatus & depoſitus fuit ab eodem Gregorio VII. Huius ſententia à Succeſſore in Pontificatu Victore III. confirmata eſt anno 1087. & ab Vrbano II. anno 1089. & tandem à Paſchale II. anno 1101. donec tandem tot vinculis innodatus, & notâ ſchiſmatis atque hæreſeos ſæpiùs inuſtus, quemadmodum vivès cunctis ferè execrationi fuerat, ita & communi omnium gaudio mortuus eſt anno 1106. eiuſque cadaver iuſſu prędicti Paſchalis II. effoſum in pœnam tantorum ſcelerum, vix tandem permiſſum fuit ſepeliri anno 1111. quod aliqui teſtarentur, illum pœnitentem obijſſe. Porrò laudati Gregorij VII. tempore anno 1080. celebratum fuit Romæ Concilium: In quo dicitur fuiſſe Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum, & Laicorum *innumerabilis multitudo.* In eius primo Canone dicitur: *Siquis Epiſcopatum, vel Abbatiam, de manu alicuius laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei vt Epiſcopo vel Abbati obedientia concedatur, &c.* Præterea Canone 2. hæc habentur: *Siquis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium Poteſtatum, aut perſonarum Inveſtituram Epiſcopatus, vel alicuius Eccleſiaſticæ Dignitatis dare præſump-*

ſerit

ſerit; eiuſdem ſententiæ (nimirum interdicti ab ingreſſu Eccleſię) *vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat, &c.*

69 Circa finem eiuſdem ſęculi Philippus I. Rex Galliæ excommunicatus fuit ab Vrbano II, & poſtea à Paſchali II. Sed reſipuit, & Romam miſsit pro abſolutione obtinenda: vt legere eſt apud Baronium ad annos Chriſti 1000. & 1101.

70 Seculo vndecimo ineunte Henricus IV. alias V. Henrici prædicti filius, cùm in Patrem ſuum obſtinatum in ſchiſmate rebellaſſet, proptereaque à Principibus Germaniæ, Legatiſque Sedis Apoſtolicæ, in Regem ſuſceptus fuiſſet, & obedientiam profeſſus eſſet Paſchali II. Papæ in Synodo Vvaſtallenſi anno 1106. poſtea hæreditario more peſſimi patris inhians Inveſtituris ſacris, & Romam veniens, Paſchalem ipſum nolentē coronare illum Imperatorem niſi ijs penitus abſtineret, captivum abduxit, & Pontificijs veſtibus exutū, duro carceri mancipavit, cum horrore totius Orbis Chriſtiani. Quapropter in multis Concilijs excommunicatus fuit, præſertim Romæ à Cardinalibus, & in Gallia atque Italia ab Epiſcopis anno 1112. & 1114. & 1115. Poſt hæc iterum Romam veniens anno 1117. ſe coronari fecit à Burdino Archiepiſcopo Bracarenſi homine perditiſsimo. Cumque varijs prodigijs territus, valde fatageret pro abſolutione ab anathemate, nec illam aſſequeretur: ſcelera ſceleribus addens, Gelaſium II. Papam, cuius electionem approbaverat, confeſtim perſecutus fuit, intruſo in eius locum Antipapa Burdino, anno 1118. Poſtea tempore Calliſti II. Papę nolens deſiſtere ab Inveſtituris, excommunicatus fuit ab ipſo in Concilio Rhemenſi anno 1119. ſubſcribentibus Patribus Gallicanis qui aderant: & biennio pòſt adeò exagitatus fuit à Catholicis ob eam cauſam, vt coactus fuerit promittere Eccleſiæ firmam pacem, & renuntiare penitus Inveſtituris, quo facto abſolutionem obtinuit à cenſuris per Legatos Sedis Apoſtolicæ anno 1122.

71 Eodem ſęculo fluente Fridericus I. Imperator ſępe excommunicatus fuit ab Alexandro III. Papa: nimirū annis 1160. & 1168. Deinde, ſæculo eodem propè exeunte Henricus VI. Rex, aliàs V. Imperator, qui initio etiā Inveſtituris inhiavit, & poſtea ſæviſsimè tractatis Siculis immenſos Regum theſauros detulit in Germaniam; ob cauſam Regis Angliæ à Cæleſtino III. Papa excommunicatus fuit anno 1195.

72 Mitto ex Regibus Angliæ Vvillelmum cognomento Ruffum, cui ob Inveſtituras & dirā S. Anſelmi perſecutionē, intentata fuit excommunicatio ab Vrbano II. ſed impedita precibus & inſtantiâ eiuſdem S. Doctoris: vt legitur apud Eadmerum lib. 1. Hiſtorię Novorum. Mitto vlteriùs minas excōmunicationis intētatæ à S. Thoma Cāturienſi adverſus Hēricum II. pariter Angliæ Regem, qui ab ijs ſemel & iterum appellavit Sedem Apoſtolicam, ad quam tamen antea in Regno ſuo appellationes vetuerat. Cùm verò poſtea S. Thomas crudeliter trucidatus fuiſſet, Ludovicus Rex Galliarū ad Alexandrū III. Papam ſcripſit, enixē poſtulans, vt poteſtate ſua vteretur contra Henricum Anglię Regem. Deinde quomodo ipſe abſolutionem obtinuerit poſt necem S. Thomæ, quibus pœnitētię humilitatiſque ſignis manifeſtis ſatisfactionē præſtiterit Eccleſiæ, & qualiter cum ingenti demiſsione intra ipſum Templum publicè ſe flagellari ab Epiſcopis & Monachis paſſus fuerit, ac tandem quibus propterea felicitatibus poſtea à Deo cumulatus ſit; dignum ſcitu eſt, ſed longum narratu: legendumque apud Baronium ad annos 1172. & 1174.

73 Denique, vt nonnulla alia breviter attingam, cæteris omiſsis, ſæculo tertiodecimo Innocentius III. Papa *Othonem V. Imperatorē anathemate notavit*, vt teſtatur Platina in ipſius Vita. Apud eundē quoque Innocentium expoſtulavit Rex Angliæ, qui illum hortatus eſt vt Regē Gallię corriperet, & nolentem obaudire excōmunicationi ſubijceret. Idque colligitur ex cap. *Novit* de Iudicijs, vbi Pontifex, poſt illa verba, *Nolumus iudicare de feudo*, ſubdit: *Sed decernere dę peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus.* Huc ſpectat quòd Mathæus Pariſienſis ad annum 1204. refert, Innocentium ipſum Ioannē Regem Angliæ excommunicaſſe, & Regnum eius ſuppoſuiſſe interdicto. Eodem ſæculo tertiodecimo, Gregorius IX. Fridericum II. pariter excommunicavit, vt habetur in cap. *Ad Apoſtolicam*, de Sententia & re iudicata in Sexto. Similiter ſęculo quartodecimo Ioannes XXII. Ludovicum Bavarum intruſum Imperatorem excommunicationi ſubiecit: vt latè oſtendit Albertus Pighius lib. de Viſibili Monarchia cap. 14.

74 Quare poteſtas Romani Pontificis ad excommunicandum Principes Chriſtianos, etiam Reges, Imperatoreſque, ſine exceptione vlla, non modò eſt certa ſecundū fidem ex ſacris litteris, vt initio ſectionis monui; ſed etiam ex ſenſu & praxi totius Eccleſiæ Catholicę, ex quo tempore in ea Reges aut Imperatores fuerunt, per ſingula ferè ſęcula. Vt propterea falſus fuerit vir quidam, aliàs eruditiſsimus, qui ante non multos menſes

teſtatus mihi fuit, ſe vidiſſe Declarationem quandam in Gallia ſubſcriptam à præſtantibus Theologis, in qua palam negabatur Pontificibus Romanis poteſtas ad excommunicandum Chriſtianiſsimos Galliæ Reges. Falſus, inquam, fuit. Nemo enim Catholicus potuit eam veritatem in dubium vocare: nec ij Theologi, quos ille appellabat, ſubſcripſere errori contrario: ſed ſolùm doctrinę negantium Regiam Gallię poteſtatem eſſe ſubiectam Romano Pontifici quoad temporalia. Contigit enim mihi poſteà legere Declarationem eandem, & nomina ſubſcribentium: qui nequidem allegari poſſunt pro opinione mox impugnanda; cùm pòſsint eorum verba ita accipi, vt ſolùm negaverint Romano Pontifici directam auctoritatem in Regna temporalia, idque valde probabiliter: non tamen indirectam, & in ordine ad ſpiritualem finẽ, ſeu bonum Eccleſiæ, quam ſtatim tueri aggredimur, & ex cuius comprobatione novum robur accipient quę hactenus diſputata & concluſa ſunt.

SECTIO SEPTIMA.

Romanum Pontificem poſſe exauctorare, ſeu privare quoſlibet Principes ſæculares apoſtatas, ſiue hæreticos, dominio temporali, eorumque ſubditos eximere ab obedientia & fidelitate in illos. Probatio multiplex ex ſacris litteris, adiunctis Patrum teſtimonijs: itemque ex Concilio Lateranenſi Oecumenico ſub Innocentio III. Alia fundamenta obiter indicata.

75 ASSERTIO Propoſita in ipſa ſectionis epigrapha eſt præcipua totius Diſputationis, & quę horrorem ingerit Principibus quibuſdam ſæcularibus, qui ſe in ſceptro, aut dominio ſuo nullatenus arbitrantur ſecuros, ſi Pontifex ea poteſtate præditus ſit. Vnde iam initio monui, me aggredi hoc loco controverſiam invidioſam, & coactum quidem. Legi enim iam pridẽ apud S.Franciſcum Saleſiũ, quot diſcordias, & quantũ amaroris excitaverit quæſt. hęc inter quoſdam Principes Chriſtianos, & Summos Pontifices: vt propterea ſatius fuiſſet, ne vnquam tractaretur. Habeo inſuper ob oculos, vbi hæc ſcribo, partem quintã Curiæ Sanctæ eruditiſſimi Nicolai Cauſini in Clotilde Regina, vxore Clodovæi, ſect. 7. poſt medium: vbi nervosè & eleganter expẽdit incommoda graviſsima, quę ex conflictu poteſtatum Pontificiæ, & Regiæ ſequuntur, aut ſequi poſſunt. Verùm cùm res ipſa à plurimis Auctoribus, pręter allegatos ſuprà ſect. 2. diſcuſſa fuerit hoc ſæculo, & nuperrimè Illuſt. Clerus Gallicanus in Declaratione Pariſijs edita 19. Martij 1672. Regiam poteſtatem eximat prorſus à Pontificia, vt per hanc nullo modo illa auferri valeat Principi alicui, quantũlibet exhorbitanti, aut deſerenti fidem; oportet, vt doctrinam S.Thom. præiactã ſect. 1. quam omnes Catholici DD. videntur palam tradidiſſe vſque ad initiũ ferè huius ſæculi, & ſolùm negaſſe Heterodoxi (vt oſtenſum fuit ſect. 2.) confirmemus ijs argumentis, quæ ἀναντίρρητα prorſus videantur; ſed breviter & ſtrictim propoſitis hoc loco, vt fuſiùs tractata legantur apud Bellarminum in Opuſculo contra Guillelmum Barclaium, Suarez libro 3. contra Regem Anglię cap. 23. & ſequentibus: vt omittam Sanctarellum, Gravinam, alioſque Recentiores. Porrò aſſertio ipſa ſequi planè videtur ex doctrina ſectionis præcedentis. Si enim Pontifex poteſt excommunicare Imperatores & Reges; poteſt etiam ijs interdicere vſum poteſtatis, ſive dominij temporalis in ſubditos, atque his ſubiectionem & obedientiam, omnemque cum ijs communicationem in ſacris & politicis. Hoc autem perinde fere eſt, ac privare aut exuere illos dominio ſæculari, durante anathemate, etiam per longum, immo & totum vitæ tempus.

76 Quoniam autem Illuſt. Gallicarum Epiſcopi in primo illo capite Declarationis ſuæ ad ſuadendam opinionem ſuam nihil aliud proferunt, quàm quædam Scripturæ loca, millies ab alijs quibuſdam obiecta, & ſæpiùs multò à noſtris facillimè explicata; placet ex Scriptura quoque contra illos inſurgere, argumento deſumpto ex verbis doctiſsimi Genebrardi Archiepiſcopi Aquenſis in eadem Gallia, ſuprà exſcriptis ſectione 2. numero 15. quod ſub hanc formulam proponere licet. Summi Pontifices æquali ſaltem poteſtate præditi ſunt circa fideles in Eccleſia Chriſti, ac olim Pontifices in Synagoga. At hi poterant privare dominio temporali, & prælatione quoſlibet deficientes à fide, etiam Reges. Ergo æquè aut magis id facere poſſunt Summi Pontifices in Eccleſia Chriſti. Maior propoſitio videtur manifeſta ex pręſtantia Eccleſiæ Chriſti ſuprà Synagogam. Hæc enim erat ſolùm *vmbra & figura*; illa verò *corpus, & veritas*: vt habetur 1. Corinth. 10. ad Hebræos 10. & alijs Scripturæ locis. Nimirum, *omnia in figura contingebãt illis*, vt inquit Apoſtol. abſurdum autem eſt, vt plus poteſtatis vigoriſque ſit in vmbra & figura, quã in corpore & veritate. Quin & præclara teſtimonia habet Eccleſia Chriſti de ampliori benevolentia & providẽtia Dei erga ſe, quã olim Synagoga: id quod luculenter conſtat vel ex vno eiuſdẽ Apoſtoli loco Hebręor. 8. aientis:

Nunc

Nunc autem melius ſortitũ eſt miniſteriũ, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſsionib⁹ ſancitũ eſt, &c. Vnde ibidem verſ. 5. immediatè præcedẽti, Sacerdotes Levitici dicuntur deſerviſſe *exemplari & vmbræ cœleſtium* : id eſt, Tabernaculo veteri, quod tantùm erat exemplar, Græcè *ὑπόδειγμα*, id eſt, ſuboſtenſio, obſcura repræſentatio, typus, & vmbra Eccleſiæ Chriſti, in qua verum & ſummum ſacrificium offertur. Ideòque Chryſoſtomus & Theophylactus eo loco notant, Sacerdotium Leviticum fuiſſe tantùm *ὑπόδειγμα*, id eſt tenuem & obſcuram repræſentationem Sacerdotij noſtri, quod ijs verbis ab Apoſtolo appellatur cœleſte. Patet ergo non maiorem fuiſſe olim poteſtatem vmbratico Sacerdotum Principi, quàm nunc verò & Summo Sacerdoti. Vide ſuprà Diſputatione XXII. ſectione 5. vbi eam præſtantiam Eccleſiæ ſupra Synagogam expendimus ad oſtendendum, Romanum Pontificem poſſe in Eccleſia, non minùs quàm olim illum in Synagoga, pronuntiare de fide.

77 Aſſumptio autem, ſeu minor propoſitio, ſi negetur, facilè demonſtrari poteſt ex ſacris litteris Veteris Teſtamenti. Etenim Samuel Levita 1. Regum 10. Dei auctoritate Saulũ Regẽ creavit: poſteàque peccantẽ depoſuit palam, ſuffecto & inuncto Davide c. 13. & 15. Deinde 2. Paralipom. 23. Ioiada Summus Sacerdos vitâ & Regno privavit Athaliam Reginam, nõ modò quòd illud tyrannicè occupaſſet; ſed etiam, immo maximè, quoniam idololatriæ ſe addixerat, vt patebit expẽdenti verba eiuſdem capitis. Præterea c. 26. ſequẽti Ozias, quamvis legitimus Rex Iudæ, & diu optimus, quia poſtea erravit circa rationem aut modum cultûs Dei (volens nimirum adolere in templo Domini incenſum ſuper Altare) divinitus leprâ percuſſus fuit, & ab Azaria Pontifice, alijſque Sacerdotibus è Templo expulſus, atque habitare iuſſus in domo ſeparata, ſuccedente ipſi in Regno Ioathan filio eius: idque ex auctoritate Summi Sacerdotis, de qua ſcriptum fuerat Levit. 13. *Quicumque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt AD ARBITRIVM SACERDOTIS, ſolus habitabit extra caſtra.* Patet verò, multò magis eſſe nunc in arbitrio Sacerdotis Summi ſeparare à communione fideliũ, & Regno privare, ſæcularem Principem, ob ſpiritualem leprã hæreſis, quâ ſubditos alioqui inficeret. Vlteriùs Elias 3. Regum 19. Dei ſpiritu Reges conſtituit & abdicavit, non modò in Iſrael, ſed in Syria. Hieremias deinde cap. 1. accepit poteſtatem *ſuper gentes & regna*: nec qualemcumque, ſed plenam, ijs verbis expreſſam: *Vt evellas, & deſtruas, & diſperdas, & ædifices, & plantes.* Quis autem dicat, minorem eſſe poteſtatem Apoſtolicam Petri, quã propheticã Hieremiæ? Eſt itaque Sedi Apoſtolicæ, ſive Romano Pontifici, poteſtas ſufficiens in cauſa graviſsima, qualis maximè cenſetur apoſtaſia ſive hæreſis, ad auferendũ Regna, propter periculum commune violandæ fidei.

78 Vnde eo ſenſu Patres Eccleſiæ exponunt teſtimonia prædicta: tanquam in lege Veteri & Nova ad Sacerdotes Summos ſpectat collatio, & abdicatio Imperiorum. Quare Ambroſius Epiſt. 33. ait: *Veteri iure à Sacerdotibus donantur Imperia, non vſurpantur.* Petrus Venerabilis in ipſa Gallia ſcribens Epiſt. 29. lib. 6. alludẽs ad locum illum Ieremiæ ait: *Quamvis Eccleſia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen ſuper ipſos Imperatores Imperiũ. Vnde ei ſub figura Prophetici nominis dicitur: Conſtitui te ſuper gentes & regna, vt evellas, deſtruas, diſperdas, diſsipes, ædifices, plantes.* Et Petrus Gregorius celebris apud Gallos Iuriſconſultus Toloſſanus eandẽ doctrinã, tum exemplis, tum ex analogia Veteris ac Novi Teſtamenti confirmat, lib. 15. de Repub. c. 1. §. 11: etiam in ordine ad gladium materialem Petro & Eccleſiæ cõmiſſum; licèt nõ expediat, Eccleſiam eo vti paſsim, vel manu Clericorum: *Quamvis in lege antiqua*, inquit, *Sacerdotes eo vterentur, quæ noſtram adumbrabat Eccleſiam: quemadmodum eſt vſus eo Samuel in Agag Regem 1. Regum 14. & 15. Elias in Prophetas Baal 3. Reg. 18. & in quinquagenarios Ochoſiæ 4. Regum 1. Eliſæus in pueros irriſores 4. Regum. 2. Ioiadas in Athaliam, 2. Paralipom. 22. Eliachim in Holofernem, Iudith 4. & ipſe D. Petrus in Ananiam ac Saphiram, Actor. 5.* Hæc inibi eruditus ille Conſultus.

79 Secundus locus Scripturæ continetur verbis illis Chriſti ad Petrum: *Paſce oves meas.* Quibus iam ſæpe oſtenſum à nobis fuit, præſertim Diſp. XXII. ſect. 4. & ſuprà n. 20. cõmiſſum fuiſſe Petro, & ſubinde cuilibet legitimo eius Succeſſori, plenum ius paſcendi totã Eccleſiã, omneſque ac ſingulos Chriſtianos ſub ea contentos, abſque exceptione vlla Principũ, ſive Imperatorũ, aut Regum. Ad munus verò Paſtoris ſpectat non ſolũ pecudes illas quæ de grege ſunt, vbi alijs nocent, coercere; ſed etiã lupos, qui de grege non ſunt, arcere & repellere modo convenienti, ne ovibus noceant, & totum gregem perdant. Porrò omnes apoſtatæ à fide, ſive hæretici, ſunt quaſi lupi ac prædones animarum, eòque nocentiores, quò potentiores in ſæculo. Trahunt enim cæteros, & rapiunt ad imitationem

ſui,

ſui, non exemplo ſolùm, ſed vî & poteſtatē. Igitur ad munus Romani Pontificis, tanquam veri & perfecti Paſtoris, ſpectat arcere modo convenienti Principes apoſtatas, ſive hæreticos, ne ovibus Chriſti noceant; & totum gregem perdant. Hoc autem non præſtatur modo cōvenienti aut ſufficienti, niſi exauctorentur, ſeu priventur, vbi opus fuerit, ſæculari poteſtate. nam quandiù illa perſiſtit, etiam permanet ingens occaſio & periculum inficiendi & perdendi gregem Chriſti. Poteſt ergo R. Pontifex eos exauctorare & privarē omni poteſtate ſæculari.

80 Quapropter Patres Eccleſiæ ſine vlla diſtinctione inter Principes & ſubditos, dominos aut ſervos, conſulunt ſeparationem luporum, ſeu hęreticorum à cætu ovium Chriſti, & ab earum convictu, quo ſublato, corruit omnis auctoritas dominandi & imperandi alijs. Etenim S. Cyprianus lib. de Vnitate Eccleſię inquit: *Quid facit in pectore chriſtiano luporum feritas, & canū rabies, & venenum lethale ſerpentum, & ſævitia beſtiarum? gratulandum eſt cùm tales de Eccleſiâ ſeparantur: ne columbas, ne oves Chriſti, venenata ſua contagione prædentur.* Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia cap. 24. *Sequeſtrari oportet graviter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat.* Et Sermone 11. in Pſalmū 118. *Scriptum eſt*, inquit, *in Canticis Canticorum: Prehendite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas, & vineæ noſtræ floreant. Quo oſtenditur quòd vel Dominus IESVS, vel Eccleſia, fraudulentorum hæreticorum dolos à vineis ſuis exterminandos eſſe præcipiat.*

81 Hanc ipſam ſeparationem luporum ſeu hæreticorum ab ovibus Chriſti, eius auctoritate faciendam ab Eccleſia monent Patres, eo alijſque teſtimonijs Scripturæ ducti. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione ad cives Naziazenos timore perculſos, & Principem ſęcularem iraſcentem, ſic hunc & alios ſimiles alloquitur tanquam ex Chriſti lege ſubiectos poteſtati Eccleſiaſticæ. *Vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſellijs lex Chriſti ſubiecit. Imperium enim ipſi quoque gerimus: addo etiam præſtantius & perfectius: niſi verò æquum eſt, ſpiritū carni faſces ſummittere, & cœleſtia terrenis cedere.* Nec ſatis eſſet ſubiectio Principum quoad pœnas ſpirituales, niſi etiam ſubiacerēt quoad temporale dominium in ordine ad ſpiritualem finem, vt patet, lateque oſtenſum fuit ſect. 5. ac proinde ab eo deturbari & exauctorari omnino poſſent. Auguſtinus quoque q. 39. in Deuteronom. expendens verba illa Apoſtoli 1. Corinth. 5. *Auferte malum ex vobis ipſis*, obſervat in ijs verbis non haberi Græcè τὸ πονηρόν, id eſt hoc malignū: ſed maſculinè τὸν πονηρόν, *hunc malignum.* quo denotatur, ſeparandum eſſe ac vitandum decreto Eccleſiæ quemlibet hominem Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſum, qualis maximè eſt quiſquis fidem deſerit. Quo ſenſu idem Apoſtolus 2. Theſſal 3. ait: *Siquis nō obedit verbo noſtro, hūc notate: ET NE COMMISCEAMINI CVM EO.* Vnde idem Auguſt. lib. contra Donatiſtas poſt collationem cap. 4. & 20. colligit Eccleſiæ poteſtatem ad ſeparandum impios à cœtu & converſatione fidelium omnium. Quomodo autem Princeps, cuius convictus, ſocietas, omniſque communicatio prohibetur ſubditis, exercebit in eos temporale dominium & poteſtatem? Denique Apoſtolus ipſe, nulla diſtinctione facta inter hęreticū Principē & ſubditum, inquit ad Titum cap. 3. *Hæreticum hominem poſt primā & ſecundam correctionē devita.* Et 1. Ioan. c. 3. habetur: *Nec Aue ei dixeritis.* Sublata autem obligatione communicandi & alloquendi, ac proinde & obediendi ex parte ſubditorum, ceſſat auctoritas & dominium præcipiendi ex parte Principis.

82 Tertius locus Scripturę præcipuus habetur verbis illis Chriſti ad Petrum Mathæi 16. *Tu eſt Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; &c.* Ex quibus ſuprà varijs locis, præſertim Diſp. XXII. ſect. 3. iuxta vnanimem expoſitionem Patrum, ſenſumque fidelium, collegimus pleniſsimam S. Petri, & ſubinde cuiuſlibet Pontificis Romani auctoritatem ad regendam, dirigendam, tuendam, & docendam totam Eccleſiā: ac proinde omnia & ſingula mēbra ipſius. Huic autē fini obtinendo neceſſaria maximè eſt poteſtas ad exauctorandum & privandum dominio quemlibet Principē à vera fide degenerem. Non enim ſufficeret in Eccleſia auctoritas ad illum monendum, aut corripiendum, etiam per cenſuras, ſive pœnas ſpirituales, quas omnes hęretici ſibilo excipiunt; niſi & adeſſet ipſi poteſtas abdicandi & exauctorandi; quæ terrorem inijciat. Vt enim optimè inquit Clemens Alexandrinus in Protreptico loquens de Adriano Cæſare, *Non facilè arcetur cupiditas, quæ caret metu.* Et Ariſtoteles lib. 10. Ethicorum cap. vltimo obſervavit, quod & diuturno experimento innoteſcit, vim directivam ſine coactiva inefficacem eſſe. Cùm ergo Chriſtus Dominus ſapienter & opportunè providerit gubernationi Eccleſiæ ſuæ, credendus abſdubio eſt; dediſſe Petro, & cuilibet illius ſucceſſori, auctoritatem ſufficientem efficacemque ad impediendum graviſsimum ipſius malum, quale ſequitur ex Prin-

Principe apoſtata ſive hęretico : at proinde ad deturbandum illum à dominio temporali, quo facilè ſubditos perverteret, raperetq; ſe ad imitationem ſui. Id quod reipſa ac diuturno experimento patet. Quam enim ſectam ſive religionem profitentur Principes, frequenter ſubditi amplectuntur, ſive exemplo ducti, ſive metu coacti.

83 Mitto plura alia ſcripturę teſtimonia, Patrumque, videnda apud Bellarminum, Suarez, Graviná, alioſque ex Auctoribus citatis ſect. 2. Quibus enim ſatis non fuerint, quæ hoc loci protulimus, nec plura alia ſatis erunt. At omnibus verè orthodoxis erit fortaſſe ſatis auctoritas planè decretoria Concilij Generalis Lateranenſis ſub Innocentio III. in cuius cap. 3. hæc habentur. *Si Dominus temporalis monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum excommunicetur. Et ſi ſatisfacere neglexerit intra annũ, ſignificetur hoc Summo Pontifici : VT EX TVNC IPSE VASSALLOS AB EIVS FIDELITATE DENVNTIET ABSOLVTOS, ET TERRAM EXPONAT CATHOLICIS OCCVPANDAM &c.* Hæc Inibi : ex qnibus tale eruitur argumentum Fide divina certum eſt quidquid Eccleſia in Coneilio Oecumenico, ritè coacto, & confirmato à Sede Apoſtolica tradit circa fidem aut mores. Atqui Pontificem Romanum poſſe interdũ eximere vaſſallos à fidelitate in Dominos temporales, horumque terras exponere Catholicis occupandas, traditum eſt ab Eccleſia in Concilio Lateranenſi Oecumenico, ritè coacto & confirmato à Sede Apoſtolica, nimirum ab Innocentio III. qui & ibidem adfuit : eaque doctrina planè verſatur circa fidei conſervationem, & mores ſive actiones, tam Dominorum temporalium, quàm Pontificis abdicantis, & privantis dominio. Ergo fide divina certum eſt, Pontificem Romanum poſſe interdum eximere vaſſallos à fidelitate in Dominos temporales, horumque terras exponere Catholicis occupandas. Maior propoſitio non ſolùm eſt certa apud omnes Catholicos, ſed etiam ἀξίωμα, ſeu dignitas inter principia fidei: quam & nos latè confirmavimus Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. II. contra Sectarios, qui ſoli illam negare audent. Minor conſtat ad litteram ex verbis Concilij prçiactis. Conſequentia rectè & ἀναμφισβητήτως infertur. Si autem vel ob ſolam negligentiam annnam extirpandi hęreſes à ditione ſua poſſunt Principes temporali dominio & obedientiâ ſubditorum privari; quantò magis ob hęreſim à ſeipſis imbibitam, & inſtar canceris ſerpentem per totam Rempublicam? Nec hi, quamvis Reges aut Imperatores ſint, vllo privilegio eximuntur à ſtatuto illo Concilij, nullatenus diſtinguente inter Dominos temporales vaſſallorum ſupremos, aut non ſupremos : præſertim cùm nec illi ex Scriptura, nec certa aliqua & ineluctabili ratione excipi poſſint : quin potiùs vrgentiori ratione comprehendi debeant ſub ea Eccleſię poteſtate, quantò maiora damna ipſi inferre poſſunt : vt in ſacris litteris admonemur. Dicitur enim Eccleſiaſt. 10. *Rex inſipiens perdet populum ſuum, nam qualis eſt rector civitatis, tales habitantes in ea.* Ideóque S. Gregorius Magnus in Paſtorali parte tertia cap. 5. dixit : *Principes graviùs, quam cæteri, delinquunt : & ideo etiam per Paſtores graviùs puniri debent.* Quæ verba allegavit poſtea Nicolaus Papa contra Lutherium Regem in Epiſtola ad ipſum, & prætetea referuntur in cap. *Præcipuè* 11. q. 3.

84 Idipſum confirmat praxis antiqua in Eccleſia, præſertim à felicisſimo initio Tribunalium S. Inquiſitionis : quę, toto Orbe Catholico approbante, conſuevit apoſtatas ſive hæreticos convictos, non ſolùm pœnis ſpiritualibus, & infamiæ notâ inurere, ſed etiam dominio temporali, & bonis fortunæ expoliare : quoniam, nimirum, ſola poteſtas puniendi ſpiritualibus pœnis irrideretur ab ijs, nec ſufficeret vt ſe in officio continerent, niſi extenderetur ad privandum illos bonis fortunæ in ordine ad finem ſpiritualem. Eadem autem, immo & vrgentior ratio eſt, circa Principes, quantò hi Eccleſiæ nocentiores, & pernicioſiores eſſe poſſent. Vt interim omittam eiuſdem Eccleſiæ certam & exploratam poteſtatem ad hæreticos vitâ privandos; non ſuâ, quæ mitis & incruenta eſt, ſed ſęcularium miniſtrorum manu eos tradendo iudicibus, qui iuxta legum decreta puniunt hæreticos, vel damnatione ad triremes, vel pœnâ ſanguinis, &c. Quòd ſiquis contumax fuerit, aut relapſus, iuxta leges Imperatorum capite punitur : iuxta Canones autem relinquitur arbitrio iudicis ſæcularis, à quo recipiat iuſtam vltionem : prout habetur in cap. *Ad abolendam* de Hæreticis, alijſque locis. Quiſquis autem iure & meritò alicui vitam corporis eripi iubet; omnem quoque temporariam poteſtatem adimit, quæ viventium propria eſt.

85 Fundamenta præiacta ita à nobis propoſita ſunt, vt videantur omnes Adverſariorum exceptiones, ſeu evaſiones præcludere: ideoque nolumus eas in medium proferre fruſtra, cùm iam ſatis fuerint refutatæ.

SECTIO OCTAVA.

Eadem poteſtas Roman. Pontificum ad abrogandos Imperatores, Reges, & Principes hæreticos & ſchiſmaticos, comprobatur diuturna praxi Eccleſiæ per plura ſæcula. Vbi ſæpe obiter plura ad Illuſtriſs. Præſules Gallicanos, vt more Deceſſorum ſuorum, & Romanorum Præſulum, eandem doctrinam ſequantur.

86 IMPRIMIS Quamvis nullus Regum aut Imperatorum fortaſis inveniatur à Sede Apoſtolica privatus dominio temporali ſex primis Eccleſiæ ſæculis, tamen circa finem ſexti S. Gregorius Magnus in Privilegijs illis ſuprà numero 63. memoratis omnibus Iudicibus, Antiſtitibus, & Regibus, qui ea violare præſumpſerint, interminatur, non modò cenſuram excommunicationis, ſed etiam privationem dignitatis ſuæ. Cenſuit ergo ſapientiſsimus iuxta ac ſanctiſsimus Gregorius, Sedem Apoſtolicam eſſe præditam ſufficienti auctoritate abdicandi quoſlibet Reges, ob violationem eorum Privilegiorum: quantò magis ob defectionem à fide multò deteſtabiliorem, & Eccleſiæ nocentiorem?

87 Sæculo octavo Gregorius II. Papa poſtquam excommunicaverat Leonem Iſaurum, quòd ſacras Imagines, & earum cultores perſequeretur, vt ſuprà vidimus num. 64. etiam Romam cum tota Italia ab eius Imperio recedere fecit, vt ex Theophane refert Baronius ad annum 730. num. 3. & 4. quod fuit ipſum exauctorare quoad ingentem aliquam Imperij partem. Sigebertus in Chronico ad annum 731. inquit de eodem Gregorio: *Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum, & vectigalia Heſperiæ ab eo avertit.*

88 Eodem ſæculo progrediente S. Zacharias Papa Childericum Regem Francorum, aliàs Hildericum, vltimum lineæ Merovingiæ, non tam quòd malus eſſet, quàm quòd ineptus ad imperandum, & ad poſteritatem relinquendam, dominio privavit, ſuffecto in eius locum Pipino, patre Caroli Magni. Sic habetur in cap. *Alius* 15. quæſt. 6. vbi legitur: *Alius item Romanus Pontifex, Zacharias ſcilicet, Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo quòd tantæ poſteritati erat inutilis, à Regno depoſuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem pro eo ſubſtituit, omneſque Francigenas à iuramento fidelitatis abſoluit.* Erravit autem Gratianus, ſeu quiſquam alius hæc verba citans, veluti prolata à Gelaſio Papa ad Anaſtaſium Imperatorem: cùm hi duo vixerint circa finem quinti ſæculi: Zacharias autem, & Pipinus floruerint circa medium ſæculi octavi. Neque obſtant exceptiones, ſeu obiectiones quorundam ex ſchiſmaticis, & hæreticis aientium, Childerico non fuiſſe ademptum Regnum, nec Pipino datum, auctoritate Romani Pontificis, ſed Procerum ſuffragijs; atque in id allegantium quædam Scriptorum verba præpoſterè intellecta. In oppoſitum enim eſt teſtimonium Hiſtoricorum gravium, & antiquorum: ex quibus Rhegino Abbas Prumienſis, qui anno Chriſti 900. florebat, in Chronico ait: *IVSSIT PAPA PER AVCTORITATEM APOSTOLICAM, Pipinum Regem creari, & ſanctæ Vnctionis oleo vngi, ne perturbaretur Chriſtianitatis ordo.* Lambertus Scafnaburgenſis ad annum 748. *Pipinus DECRETO ZACHARIÆ per vnctionem S. Bonifacij Archiepiſcopi Rex appellatus eſt, qui anteà Maior-domus vocabatur.* Eadem habet Marianus Scotus æqualis Lamberti. Abbas Vſpergenſis ad annum 750. *Zacharias conſultus, AVCTORITATE SVA IVSSIT PIPINVM REGEM CONSTITVI.* Otho Friſingenſis Epiſcopus claritate ſanguinis Imperialis, pietate, & doctrina clariſsimus lib. 5. cap. 22. *Zacharias conſultus reſpondit: & IPSIVS AVCTORITATE Pipinus à Bonifacio Moguntino, & alijs Regni Principibus, in Regem eligitur.* Vt omittam, idipſum palam teſtatum haberi à S. Gregorio VII. Papa lib. 8. Regiſtri Epiſt. 21. Id verò contigiſſe anno 751. conſtat ex Annalibus à Petro Pithœo editis. Aliunde Zacharias ipſe ſanctitate vitæ effulſit, & præſtantiâ doctrinæ, tum Latinæ, tum Græcæ, quâ libros Dialog. S. Gregorij Magni ex Latino in Græcum tranſtulit: vt teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius, ſcriptor ſæculi noni ſequentis; cui & adſtipulatur Photius tomo 2. ſuæ Bibliothecæ: vt vel inde intelligas eam Childerici abrogationem, & inſtitutionem Pipini in Regem Francorum, non temerè, aut inconſultò, ſed ſapienter & iure a Zacharia factam fuiſſe.

89 Sæculo nono inchoante, anno 801. vel 800. Leo III. Papa, die ipſo Nativitatis inter Miſſarum ſolemnia Carolum Magnũ Imperatorẽ creavit, idque auctoritate propria, vt ſuprà vidimus, & teſtimonijs luculẽtis confirmavimus ſuprà; nec diffitetur Archiepiſcopus Marca lib. 3. de Conc. Sacerd. & Imperij c. 11. n. 10. Cùm enim Carolus ſe Romã contuliſ-

ſed ad vlciſcendam graviſsimá iniuriam Leoni illatam, Leo rependens vicem tanti beneficij, vt loquitur Theophanes, Carolum Imperij coroná auxit. *ὁ δὲ τὸν Κάρουλον ἀμειβόμενος, ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων*, ait ille in Chronico. Fuit itaque in Leone III. poteſtas ad dandum imperium, ſicut & ad auferendum, ex iuſta & vrgenti cauſa. Deinde intra idem ſæculum anno 842. cùm Lotharius Francorum Imperator bellum adverſus fratres Ludovicum & Carolum renovaſſet, Regnoque pulſus fuiſſet ab iis; ambo Epiſcopos convocârunt Aquiſgranum (quæ tunc prima Sedes erat Regni Francorum) vt deliberarent quid agendum eſſet de Lotharij Regno. Epiſcopi autem poſt accuratam conſultationem, Lotharium ipſum ob ſcelera adverſus Eccleſiam, patrem, fratreſque commiſſa, tum propter alia diverſa facinora, iuſto Dei iudicio privatum declarârunt. Cumque propterea Regnum inter prædictos Ludovicum, & Carolum fratres eius dividere vellent, exacto priùs ab vtroque iuramento de recta illius adminiſtratione, dixerunt: *Et nos* (Epiſcopi, nimirum) *AVCTORITATE DIVINA, vt illud ſuſcipiatis, & ſecundùm Dei voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Quod illico executioni mandatum fuit, & teſtatum habetur apud Nithardum, qui eidem Conventui Epiſcoporum interfuit. Eant nunc quicúque in Gallia ex Politicis aut Hypercriticis cavillantur; nec Romanú Pontificem poſſe vnquam abdicare aut nominare Reges: cùm in ipſo Regno id fecerint, & priùs Zacharias Papa, & poſtea ipſi Antiſtites Gallicani, nemine non probante.

90 Quid? quòd vel Patriarchæ Conſtantinopolitani, quamvis in dignitate longè inferiores Romano Pontifice, ſæpe intentarunt abrogationem imperatorú, eamque iis comminati ſunt: vt Euphemius Anaſtaſio anno 491. Michael Cerularius Michaeli Stratonico anno 1057. & Iſacio Comneno anno ſequenti 1058. exiſtimantes ſe exploratam habere auctoritatem ad id faciendum, vbi imperatores ipſi Reipublicæ Chriſtianæ perniciosi aut inutiles invenirentur. Alij quoque ex eiſdem Patriarchis Imperatores electos renuerunt coronare, & nominatim Polyeuctus Ioannem Zemiſcem anno 969. quæ omnia Scriptores eorum temporum prodidere, & obſervat Baronius ad annos mox indicatos.

91 Seculo vndecimo vergente, anno 1076. S. Gregorius VII. Papa (cuius ſanctitatis, doctrinæ, magnanimitatis, & aliarum virtutum planè Heroicarum, plura teſtimonia præmiſimus ſuprà Diſputat. XXXI. ſect. 1. 2. & 3.) Henricum IV. Regem, Tertium Imperatorem Germaniæ, impijſsimum, invaſorem bonorum Eccleſiæ, ſimoniacum, ſchiſmaticum, & peſtem eius ſæculi, poſt plures exhortationes & obiurgationes incaſſum prolatas, in Concilio celebrato Romæ dignitate Regia & Imperatoria privavit. Formulam abrogationis à Bartholomæo Platina, & Baronio erutam ex actis eius Synodi ſubiungo, quòd digniſsima lectu ſit; & tum innocentiam Gregorij ab Heterodoxis Vatiniano odio impetitam, tum Henrici extremam impietatem declaret.

92 BEATE PETRE, Apoſtolo-
, rum Princeps, inclina, quæſumus, pias au-
, res tuas nobis, & audi me ſervum tuum,
, quem ab infantia nutriſti, & vſque ad hunc
, diē de manu iniquorú liberaſti, qui me pro
, tua fidelitate oderunt, & odiút. Tu mihi te-
, ſtis es, & Domina mea Mater Dei, & B. Pau-
, lus frater tuus, inter omnes Sanctos, quòd tua
, ſancta Romana Eccleſia me invitú ad ſua gu-
, bernacula traxit; & ego non rapinā arbitra-
, tus ſum ad Sedē tuá aſcendere, potiuſque vo-
, lui vitam meá in perigrinatione finire, quàm
, locum tuum pro gloria mundi ſæculari inge-
, nio arripere. Et ideo ex tua gratia, nō ex meis
, operibus credo, quòd tibi placuit, & placet, vt
, populus Chriſtianus tibi ſpecialiter commiſ-
, ſus mihi obediat, ſpecialiter pro vita tua mi-
, hi commiſſa, & mihi tua gratia eſt poteſtas
, à Deo data ligandi, atque ſolvendi in cœlo,
, & in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro Ec-
, cleſiæ tuæ honore & defenſione ex parte om-
, nipotentis Dei Patris & Filij, & Spiritus S.
, per tuam poteſtatem, & auctoritatem, Hen-
, rico Regi filio Henrici Imperatoris, qui cō-
, tra tuam Eccleſiam inauditá ſuperbiá inſur-
, rexit, totius Regni Theutonicorum, & Ita-
, liæ gubernacula contradico, & omnes Chri-
, ſtianos à vinculo iuramenti, quod ſibi fecere,
, & facient, abſolvo; & vt nullus ei ſicut Re-
, gi ſerviat, interdico. Dignum eſt enim, vt qui
, ſtudet honorem Eccleſiæ tuæ imminuere,
, ipſe honorem amittat, quem videtur habere:
, & ſicut quia Chriſtianus contempſit obedi-
, re, nec ad Dominum rediit, quem dimiſit
, participando excommunicatis, & multas
, iniquitates faciendo, meaque monita, quæ
, pro ſua ſalute ſibi miſi, te teſte, ſpernendo,
, ſeque ab Eccleſia tua, tentans eam ſcindere,
, ſeparando; vinculo eum anathematis vice
, tua alligo, & ſic eum ex fiducia tua alligo,
, vt ſciant gentes, & comprobent, quia tu
, es Petrus, & ſuper tuam petram Filius Dei
, vivi ædificavit Eccleſiam ſuam, & portæ in-
, feri non prævalebunt adverſus eam.

93 Hactenus habetur in formula

illa anathematis, & abrogationis Henrici. In eâdem Synodo videtur Gregorius protuliſſe ſententias illas breviores, quæ hoc titulo inſcriptæ habentur apud ipſum lib. 2. Epiſt. 55. DICTATUS PAPÆ. Et quoniam in his continetur doctrina ipſa, quam hoc loco tuemur, de auctoritate Pontificis ad abdicandos Reges Imperatoreſque, & plura alia, quæ ad privilegia & excellentias Cathedræ S. Petri, ſive Apoſtolicæ Sedis, in hoc Opere propugnatas ſpectant; placuit ea ad verbum exſcribere.

I. Quòd Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.

II. Quòd ſolus Romanus Pontifex iure dicatur Vniverſalis.

III. Quòd ille ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.

IV. Quòd Legatus eius omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiã inferioris gradûs, & adverſus eos ſententiã depoſitionis poſſit dare.

V. Quòd abſentes Papa poſſit deponere. (Quòd enim in abſentem Regem, & Epiſcopos, inquit Baronius, ſententiam latam eſſe Adverſarij quererentur, cùm tamen ipſi in abſentem Papam adeò portentoſa decreviſſent; ita voluit Pontifex declarare.)

VI. Quòd cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eâdem domo debemus permanere.

VII. Quòd illi ſoli liceat pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contrà, divitem Epiſcopatum dividere, & inopes vnire.

VIII. Quòd ſolus poſſit vti Imperialibus inſignibus.

IX. Quòd ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.

X. Quòd illius ſolius nomen in Eccleſijs recitetur.

XI. Quòd vnicum eſt nomen in mundo, PAPÆ videlicet.

XII. Quòd illi liceat Imperatores deponere.

XIII. Quòd illi liceat de Sede ad Sedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos tranſmutare.

XIV. Quòd de omni Eccleſia, quocumque voluerit, Clericum valeat ordinare.

XV. Quòd ab illo ordinatus alij Eccleſię præeſſe poteſt, ſed non militare; & quòd ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere.

XVI Quòd nulla Synodus abſque præcepto eius debet Generalis vocari.

XVII. Quòd nullum Capitulum, nulluſque liber Canonicus habeatur abſque illius auctoritate.

XVIII. Quòd ſententia illius à nullo debeat retractari; & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

XIX. Quòd à nemine ipſe iudicari debeat.

XX. Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam Sedem appellantem.

XXI. Quòd maiores cauſæ cuiuſcumque Eccleſię ad eum referri debeant.

XXII. Quòd Romana Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura teſtante, errabit.

XXIII. Quòd Romanus Pontifex ſi Canonicè fuerit ordinatus, meritis B.Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſtante ſancto Ennodio Papienſi Epiſcopo, ei multis ſanctis Patribus faventibus, ſicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur.

XXIV. Quòd illius præcepto, & licentia ſubiectis liceat accuſare.

XXV. Quòd abſque Synodali conventu poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare.

XXVI. Quòd Catholicus non habeatur qui non concordat Romanæ Eccleſię.

XXVII. Quòd à fidelitate iniquorum ſubiectos poteſt abſolvere.

94 Hucuſque S. Gregorius VII. qui non ſolùm facto ſuo in ſingulari, ſed etiam vniverſali Decreto ſtabilivit auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ad Reges Imperatoreſque abrogandos, vbi Eccleſiæ Catholicæ pernicioſi ſunt. Deinde in eodem Dictato plura docuit contraria ijs, quæ in Declaratione Cleri Gallicani, & in alia Pariſienſis Academiæ ſuprà exſcripta Diſp. I. num. 9. proferuntur: vt ſingillatim expendenti conſtabit. Si autem ſingularum propoſitionum ab ipſo editarum in eo Dictato explanationem & defenſionem doctam legere cupis; adi Chriſtianum Lupum Tomo IV. Scholiorum in Concilia, vbi latiſſimè illam edidit. Nos verò ad ſcopum noſtrum regrediamur.

95 Idem Gregorius VII. Boleſlaum II. Poloniæ Regem iniquiſſimum, & turpiſſimum excommunicavit, ac Regno privavit, addito inſuper interdicto in totam Gneſnenſem provinciam, quòd ille immani auſu S. Staniſlaum Epiſcopum Cracovienſem, monitorem & reprehenſorem ipſius, offerentem ſacrificium ad Altare, ſacrilega, & impia manu obtruncaſſet. Quæ Longinus in Hiſtoria Polonica pluribus refert. Et vt pateret omnibus, iuſtam fuiſſe Gregorij ſententiam ſubdit ex ipſo Baronius ad annum 1079. *Secuta mox eſt Apoſtolicas litteras vindicta deſuper: nam poſt alia mala ipſe Rex, vt alter Cain, factus eſt profugus ſuper terram; demum verſus in inſaniam, errabundus dum vagatur, morte præventus, à canibus eſt devoratus: ita vlciſcente Numine ſanguinem*

ſui

ſui innocentiſsimi Sacerdotis, anno milleſsimo octogeſimo primo.

96 Sæculo duodecimo exeunte anno 1199. iuxta Philippum Labbe, aut 1198. vt habet Archiepiſcopus Genebrardus in Chronico, electus fuit Pontifex Innocentius III. *doctiſsimus Theologus* (inquit poſterior ex allegatis) *& Iuriſconſultus, multaſque Epiſtolas Decretales de rebus arduis ſcripſit, vt in libris quinque Decretalium plura ipſius Reſcripta reperiantur quam omniũ aliorum ſimul Pontificum. Idem quoque belli accenſor contra Sarracenos.* Hæc ille ex Chronico Hirſaugienſi. Mox verò de tanto ac tali Pontifice ſubdit ad annum 1210. ex eodem Chronico: *Othonem Imperatorẽ excommunicavit, quod Marchiam Apuliæ ad Romanam Eccleſiam pertinentem per donationem teſtamentariã Mathildis, Rugeri Principis Siciliæ vxoris, & Conradi Regis filiæ, invaderet, cauſſatus huiuſmodi donationem eſſe invalidam, quòd facta eſſet per mulierem ſine conſenſu Principũ. Vnde ſecutæ graves diſſenſiones. Hinc Fridericus II in Imperatorem deſignatur.* Quibus poſtremis verbis indicatur ſatis, Innocentium ipſum privaſſe Othonem Imperio, huiuſque loco ſuffectum fuiſſe Fridericum II. Quod & Platina conteſtatur dicens de eodẽ Pontifice: *Othonem Imperij titulis privavit.* Et laudatus Genebrardus ad annũ 1212. pag. 638. ſubdit: *Poſt cædem Philippi, PONTIFICIS OPERA Imperium Othoni commiſſum eſt. Sed cùm is poſtea anathemate fuiſſet percuſſus, Germaniæ Principes Fridericum II. eligunt.*

97 Sæculo tertio decimo, idem Innocentius III. Ioannem Angliæ Regem, qui immania ſcelera perpetraverat contra Religionem, Sacerdotes, & alios homines innoxios, ac monita eiuſdem Pontificis contempſerat, quotidie deterior factus; poſt magnam cum Patribus conſultationem (vt inquit Polydorus lib. 15.) Regia dignitate abdicavit populoſque ſubiectos ſolvit à religione iuramenti, quo ſe illi obſtrinxerant. quin & Principes Chriſtianos hortatus fuit vt ipſum, veluti Eccleſiæ hoſtem inſectarentur. Ioannes verò deterritus periculo imminente, & ſe Pontificis decreto ac diſpoſitioni permittens, ablatum è capite diadema Pandulpho illius Legato tradidit; iurans, nec ſe, nec poſteros id accepturos, niſi à Romano Pontifice. Qui ſanè adeò conſtans fuit & certus in ea Sedis Apoſtolicæ poteſtate tuenda ad abrogandos Reges Imperatoreſque, præſertim ob fidem & Eccleſiam tuendam, vt poſtea id definiendum curaverit in Concilio Oecumenico Lateranenſi cap. 3. cuius verba exſcripſimus & expendimus ſect. 7. num. 83.

98 Eodem ſæculo, anno 1245. celebratum fuit Concilium Oecumenicum Lugdunenſe I. ſeu Vniverſale XIII. Præſide Innocentio IV. Papa, cum 140. Epiſcopis, magna ipſorum parte Gallicanis: quibus omnibus ſubſcribentibus, Pontifex Friderico II. infeſtanti Italiam, factioneſque Guelphorum & Gibellinorum excitanti, ſæpiùs fruſtra admonito, & diris devoto, Imperium abrogavit. Quare Fridericus ipſe, deſertus à Germanis Principibus, & profligato exercitu ſuo à Pontificijs, filioque Eurio capto in Apulia perijt anno 1250. vt eſt apud Cromerum lib. 8. de rebus Poloniæ. Formula autem abrogationis habetur in Sexto, titulo 14. de Sententia & re iudicata, cap. *Ad Apoſtolicam* 2. vbi Pontifex, commemoratis criminibus varijs Friderici, præter paulo antè indicata, ſubdit: * Nos itaque ſuper præmiſsis, & quamplurimis alijs eius nefandis exceſsibus cum fratribus noſtris & ſancto Concilio deliberatione præhabita diligenti (cùm Ieſu Chriſti vices, licèt immeriti, teneamus in terris, nobiſque in beati Petri perſona ſit dictum: Quodcumque ligaveritis ſuper terram, ligatum erit & in cœlis) memoratum Principem, qui ſe Imperio, & regnis, omnique honore & dignitate reddidit tam indignum; quique propter ſuas iniquitates à Deo ne regnet vel imperet eſt abiectus) ſuis ligatum peccatis, & abiectum, omniq́ue honore, ac dignitate privatum à Domino oſtendimus, denunciamus, & nihilominus ſententiando privamus: omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur adſtricti, à iuramento huiuſmodi perpetuo abſolventes, auctoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Imperatori, vel Regi pareat, & intendat. Decernendo quoslibet, qui ei deinceps, velut Imperatori, vel Regi conſilium, vel auxiliũ præſtiterint, ſeu favorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè ſucceſſorem.* Hactenus Pontifex, toto Concilio approbante, & ſubſcribentibus omnibus, qui aderant, Galliæ Epiſcopis, & ipſo Rege S. Ludovico, atque plurimis Proceribus. Quomodo ergo, aut quâ doctrinæ cohærentiâ, nunc Galliarum Præſules in Comitijs Pariſienſibus oppoſitum palam docent, & Chriſtianiſsimo Regi Ludovico XIV. exemplo aut facto ſuo in cauſa ſunt, vt vetet in Regnis ſuis tradi doctrinam olim probatam à Concilio Oecumenico Lugdunenſi, à tota Eccleſia Gallicana, quæ pars eius fuit,

fuit, & à S. Ludovico ipſius progenitore? Hæc ſanè attendere & maturè conſiderare debuerunt Illuſtriſsimi Præſules, ne labem aſpergerent toti Gallicanæ Eccleſiæ: quam, iuxta ipſorum nuperam Declarationē, aut modò errare, aut olim cum toto Concilio Oecumenico Lugdunenſi erraſſe, neceſſum eſt: cùm alio & alio tempore pugnantia & plenè ἀσύστατα tradiderit. At erraſſe illam cum toto Concilio Lugdunenſi, ſolus is dicere auſit, cui nullus pudor, aut reverentia in Eccleſiam Catholicā nulla. Non enim fuiſſet error ſolius facti, ſed etiam iuris, in re graviſsima: quem adſcribere Vniverſali & probato Concilio Oecumenico, dumtaxat ſit hominum κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, vt cum Apoſtolo 1. Timoth. 4. loquar. Ergo alterum fateri neceſſe eſt, ſcilicet, erraſſe nuperos Præſules in ea Declaratione.

99 Sæculo quarto decimo inchoante Bonifacius Papa VIII. diſsidia illa habuit cum Philippo Pulchro Galliarum Rege, haud digna memoratu; ſed potiùs æterno ſilentio ſepelienda: propter quæ Pontifex, doctiſsimus ſanè & legum ac Canonum conſultiſsimus, Philippum ipſum Regno privatum declaravit. Eaque occaſione edidit Extravagantem illam, *Vnam ſanctam*, de Maiorit. & obed. Prælatorum; doctrinam in ea contentam ex *cathedra* definiens, veluti fide divina certam: vt patet ex locis Scripturæ, vnde eam colligit, & ex formula, qua illam tradit. Ideóque eodē ſæculo iam labente Cardinalis Bertrandus in Gallia ipſa ſcribens, eam veluti cœleſte Oraculum probavit, laudavítque verbis ſuprà n. 50. exſcriptis, & lectu digniſsimis. Vt verò pateat, oppreſsionem Bonifacio VIII. poſtea illatam, malè ceſsiſſe Philippo, accipe verba Genebrardi ad annum 1315. ex S. Antonino part. 3. tit. 20. §. 20. *Notandum oraculum, vt hoc exemplo caveant cæteri:* Nolite tangere Chriſtos meos. *Epiſcopus Morianenſis, vir ſanctiſsimæ converſationis coram multis ait, poſtquam Bonifacius VIII. inſidiis Philippi Regis eſſet captus: Hoc nuntium magnam afferet lætitiam Regi Franciæ: ſed notabile* (ſupplicium) *propter tantum facinus irruet in eum, & eius progeniem. Quod totum impletum eſt, non multò poſt tempore. Nam Rex intercurrente apro inter equi ſui crura, mortuus eſt. Tres autem eius filij, vnus poſt alium, brevi ſpatio regnarunt, eorumque omnium vxores in adulterio deprehenſæ ſunt.* Hæc ille. O Reges!

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Divos.

100 Eodem ſæculo Ludovicus Bavarus, qui iniquè Imperium occupaverat, à Pontificibus Ioanne XXII. & Benedicto XII. viro ſanctiſsimo, excommunicatus fuit. Verùm, vt loquitur Genebrardus ad annū 1327. pag. 671. *Ludovicus Bavarus Guillelmum Ocham Scholaſticum ſtipendiarium ſibi fecerat, vt ſe tueretur adverſus fulmina Apoſtolica Ioannis XXII. & Benedicti XII. vt eius ſcripta teſtantur.* Nimirum, primus ex Catholicis Theologis apud Latinos, qui degenerarunt, & litem intentārunt auctoritati Sedis Apoſtolicæ, euſque ſtabilitæ ſuprà Principes, & occaſionem dederunt ad plura ſchiſmata Reipublicæ Chriſtianæ, videtur fuiſſe Ochamus ipſe, ingenio venali, & calamo conducto. Verùm nihil profuit Ludovico Bavaro eiuſmodi hyperaſpiſtes: quoniam Clemens VI. Papa, valde pius, & doctiſſimus, illum iam ſæpe à Deceſſoribus ſuis fulguritum ſacro anathematum igne, Imperio deiecit, & eius loco legitimè creari Imperatorem fecit Carolum IV. Ioannis Bohemiæ Regis primogenitum, qui Bonnæ à Colonienſi Archiepiſcopo inunctus fuit. Vt autem appareat, quanta doctrina præditus eſſet Clemens (antea dictus Petrus Rogerius, & Monachus S. Benedicti) qui Ludovicum exauctoravit, invenies apud Spondanum ad annum Chriſti 1342. rem miram, & ſcitu dignam. Cùm enim Monachus adhuc eſſet, atque iter faceret, ingenti vulnere capitis accepto à latronibus, cerebrum eius ſic diſpoſitum fuit, vt poſtea convaleſcens admirandam memoriæ vim ad capiendum & retinendum quidquid ſemel legiſſet, perceperit, vſque adeò vt nunquam oblivisci poſſet. Vnde ad tantam eruditionem & doctrinam pervenit, vt primùm Archipræſul Rhotomagenſis, deinde Summus Pontifex electus fuerit anno 1342. Itaque omnes, aut ferè omnes Pontifices, qui Reges aut Imperatores ſolio deiecerunt, fuere aut ſanctitate, aut doctrina inſignes, aut vtroque titulo ſimul. Faceſſant igitur Illuſtriſs. Præſules Galliarum, & religioni ducant potiùs Ochamum ſtipendiarium Theologum, ac paucos alios eiuſdem farinæ ſequi, quàm tot & tales Pontifices Romanæ Eccleſiæ, immo & Gallicanæ, iam in ſuperioribus laudatos: ac præterea doctiſsimū Cardinalem Perronium, qui in fine ſæculi præcedentis non dubitavit apertè tueri doctrinam contrariam nuperæ Declarationi, contra Regem Galliæ Henricū, deceptum ab impiiſsimo Apoſtata Marco Antonio de Dominis. Et denique adhuc recentius exemplū invenire potuerunt in Illuſtriſs. Carolo d'Abra de Raconis, Doctore Theologo, Reginæ Chriſtianiſsimæ Concionatore, Conſiliario Regio, & tandem Epiſcopo: qui

In libro inſcripto *Primautè & Soberaneute de S. Pierre*, Pariſijs edito anno 1645. doctrinam quoad omnia capita contrariam recenti huic Declarationi, tam eruditè & nervosè confirmavit, vt Abbati Sancyrano, Arnoldo, Montaltio, Vvendrochio, aliiſque anonymis è Ianſenianorum ſecta, oppoſitum diſſeminantibus, de cætero mutis eſſe licuerit, veluti linguario iniecto.

SECTIO NONA.

Prima obiectio Cleri Gallicani ex verbis illis Chriſti, Regnum meum non eſt de hoc mundo; *ac præterea Mathæi* 22. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: *Vrgetur; & ſoluitur, ſiue iuxta ſententiam quæ tribuit, ſiue iuxta illam quæ negat Chriſto vt homini, & ſubinde eius Vicario, temporalem ac directam Regnorum poteſtatem.*

101 NON Eſt conſilij noſtri obijcere & extricare omnia argumenta, quibus poteſtas Romani Pontificis in Principes ſeculares impugnari ab Adverſarijs ſolet: cùm id latè & eruditè præſtiterit Bellarminus in Opuſculo ſeu Apologia adverſus Barclaium: nec præterea illa, quæ congeſsit Sereniſsimus Iacobus Rex Angliæ, præſertim in Apologia: quoniam & ijs planè ac planè occurrit Suarez lib. 3. contra eundem Regem cap. 24. & ſequentibus vſque ad finem libri. Solùm itaque obijciemus teſtimonia ipſa, quæ ab Illuſtriſsimo Clero Gallicano proferuntur in Declaratione, ne actum agere videamur.

102 Opponunt I. Præſules Gallicani verba illa Chriſti ad Pilatum Ioannis 18. verſ. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Ac præterea Math. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Et ne videamur id teſtimonium ieiunè atque aridè proponere, prout in ipſa Declaratione habetur, placet illud nervosè & acriter vrgere in gratiam Adverſariorũ, ſub hanc differendi formulam. In Pontifice Romano, vt Vicario Chriſti, ſummùm eſt poteſtas, quæ fuit in Chriſto vt homine: non autem alia, vel maior. Alienum enim à ratione eſt vt in miniſtro ſit amplior poteſtas, quàm in auctore; & in inſtrumento, quàm in cauſa principali. Atqui in Chriſto vt homine nulla fuit poteſtas ad conferendum aut auferendum Regibus vel Imperatoribus Regna & Imperia temporalia, adhuc indirectè, & in ordine ad ſpiritualem finem. Ergo neque in Pontifice Romano, vt Vicario Chriſti. Diſcurſus omnino legitimus, & concludens, ſi probetur aſſumptio. Hæc autem videtur colligi ex ijs verbis Chriſti teſtantis, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Quaſi apertè dicat, ſe non veniſſe ad regnandũ temporaliter, ſive quoad temporalem poteſtatem in natura aſſumpta; ſed Principibus terræ dominium liberum, & Regibus quidem atque Imperatoribus ſupremum permiſiſſe, ſive ij boni, ſive mali ſint: vt Cæſari reddantur quæ Cæſaris ſunt; quæ autem Dei, Deo.

103 Quam expoſitionem videntur confirmare Patres exponentes eundem locũ: præſertim verò Auguſtinus Tract. 115. in Ioannem, dicens, *Audite omnia Regna terrena: non impedio dominationem veſtram in hoc mundo. Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Si autem Romanus Pontifex, vt Vicarius Chriſti, haberet poteſtatem abdicãdi Reges impios, adhuc indirectã, iam Chriſtus per eos impediret dominationem ip'orũ in hoc mundo. quod Auguſtinus negat. Ambroſius quoque lib. 3. in Lucam cap. 3. exponens ea Chriſti verba ait: *Erat Regnum eius, & non erat. Non erat in ſæculo ſed ſupra ſæculum: non erat in mundo, ſed ſupra mũdum.* Ac lib. 7. explanans verba illa Chriſti aientis Lucæ 12. *Quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos?* inquit: *Bene terrena declinat, qui propter cœleſtia deſcenderat.* Hieronymus deinde in Hieremiã cap. 22. prope finem ait: *Super thronum David non ſedebit homo, ſed Deus: & Regnum eius erit cœleſte, non terrenum.* Leo Papa ſimiliter Serm. 1. de Epiphania, *Dominus,* ait, *mundi temporale Regnum non quærit:* Theophylactus exponens verba illa, *Dabit ei Dominus Deus ſedem David*, ſic eã exponit: *Ne putes, ſedem, terreſtre Regnum intelligi, ſed diuinum.* Non ergo Chriſtus vt homo habuit vllum ius in temporalia Regna, adhuc indirectum; ac proinde nec Pontifex, vt Vicarius ipſius. Vnde & conſequens eſt, hunc nullatenus poſſe abdicare Reges, quantumvis exorbitent, nec eos privare dominio aut iuriſdictione temporali.

104 Huic argumento dupliciter occurri poteſt, iuxta duplicem ſententiã valde receptã. Prima eſt, Chriſtum vt hominem habuiſſe ius & dominium temporale in vniverſum mundum, quamvis ſe ſponte eius vſu abdicaverit, & noluerit exercere illud dum in terra eſſet quoad abrogationem Regnorum; preſertim cùm eo tempore nullus Rex eſſet fidem Chriſtianam amplexus, qui ob eius deſertionem mereretur abrogari. Quare, licèt in habitu & iure eſſet ipſe ſolus Rex & ſupre-

premus Imperator mundi, permiſsit, ſeu noluit impedire homines, etiam impios, vt imperarent cæteris, vltro ſe abdicans exercitio imperandi. Cùm autem Petro, eiuſque Succeſſoribus, ſuas vices commiſſerit; putandus etiam eſt ijs dediſſe eandem poteſtatem in omnia Regna terræ in habitu & iure, quo poſſint quidem dare illa & auferre, non tamen vtantur, niſi raro, & vbi ex gravisſima cauſa fidei, aut boni communis Eccleſiæ expedierit aliquem Regum vel Imperatorum abrogare, & alium convenientem Catholicæ Religioni illius loco ſufficere. Hęc ferè ſententia eſt multorum ex Doctoribus Pariſienſibus: ac pręſertim S. Thomę lib. 1. de Regimine Principum cap. 12. & ſeq. Henrici Gandavenſis, Lutetiæ Pariſiorum inſigniti titulo *Doctoris Solemnis*, & (quod mirère) Almaini de Poteſtate Eccleſiæ cap. 8 aliorumque: & pręterea Alvari Pelagij in Apologia contra Guillelmum Ocham, Auguſtini de Ancona in Summa de Poteſtate Eccleſię, Cardinalis Turrecremata itidem in Summa de eodem argumēto lib. 2. cap. 116. Eandem doctrinam tradunt præcipui ex Interpretibus Iuris Pontificij: vti Auctor Gloſſæ, Innocentius, Hoſtienſis, Abbas Panormitanus, Ioannes Andræas, Felinus, & Decius, in cap. *Novit* de Iudicijs, & in cap. *Cauſam quæ* 2. & in cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi, & in cap. *Solitæ* de Maiorit. & obed. & in cap. *Quod ſuper his* de Voto. Similiter & alij Canoniſtæ in cap. *Quoniam* diſt. 10. & in cap. *Cùm ad verum 96* diſt. Suffragantur ex Interpretibu, antiquis Iuris Cæſarei Bartholus, Oldradus-Paulus de Caſtro, alijque, quos allegant Navarrus in d. cap. *Novit* de Iudicijs, & D. Covarrubias in Regula *Peccatum* 2. p. §. 9. vt omittam innumeros alios ex Recentioribus in eadem loca.

105 Quæ ſententia abſdubio eſt valde probabilis, ob multa Scripturæ teſtimonia, quibus innititur, præſertim Mathæi vlt. vbi Chriſtus ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*: & Apocal. 1. vbi de ipſo dicitur: *Qui eſt Princeps Regum terræ*: inſuper & habens in fœmore ac veſtimentis ſuis ſcriptum: *Rex Regum, & Dominus dominantium*: & Actorum 10. vbi Petrus ait de illo: *Hic eſt Dominus omnium*. Vt omittam alia abſque numero ferè, quæ in medium proferri poſſent: immo & reſponſionem ipſam Chriſti eodem loco Ioannis 18. Cùm enim ille dixiſſet, *Regnum meum non eſt hinc*; ſtatim Pilatus colligendo interrogavit: *Ergo Rex es tu?* Reſpondit *IESVS*: *Tu dicis, quia Rex ſum ego*. Quæ omnia accipiuntur paſsim ab Interpretibus, de Chriſto vt homine: & nē opponantur verbis in argumento obiectis, atque interpretationi Patrum num. 103. allegatorum, nec ſtatui paupertatis & humilitatis, quem Chriſtus verè in hoc mundo habuit, intelligi debent de poteſtate temporali Chriſti quoad habitum & ius, quamvis ſe abdicaverit exercitio auferendi, & transferendi Regna, aliaſque poſſeſsiones terrenas, dum viveret inter homines. Quin & aliquando eo iure & dominio vſus invenitur quoad res aliquas ſitas ſub poſſeſsione aliquorum hominū: veluti cùm Mathæi 21. ficulneam areſecit, eiecitque de templo ementes & vendētes, *& menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*; idque nemine reſiſtere auſo: & tandem cùm permiſsit Math. 8. dæmones ingredi in porcos, eoſque in mare pręcipitari. Hæc, nimirum, oſtendunt aliquod exercitium dominij temporalis Chriſti, in res eas ſub aliorum iure & poſſeſsione exiſtentes, quamvis noluerit eo vti in ordine ad alia maioris momenti, ſive pretij. Accedunt loca nuper indicata Iuris Canonici, & tot Doctorum auctoritas, quæ ſententiam valde probabilem reddunt. Denique cùm id ſit valde conſentaneum ſummæ dignitati, & auctoritati Chriſti Domini, nec aliunde opponatur aut vitæ humili & pauperi quam elegit (ſiquidem vſus non eſt eo dominio, niſi raro admodum, & in rebus exiguis nuper indicatis), nec fini redemptionis; nulla eſt ratio cur eiuſmodi ius & dominium dicatur non habuiſſe de facto. Nimirum, trita Theologorum regula eſt, Chriſto Domino tribui debere de facto quidquid maioris dignitatis & excellentiæ eſt poſsibile, modò non opponatur ſtatui humilitatis, quem elegit, nec fini redemptionis.

106 Itaque iuxta hanc opinionem facilè occurritur argumento præiacto. Imprimis enim Chriſtus D. vt obſervat ipſe Auguſtinus nobis obiectus in fine illius Tractatûs 115. *Non ait, REGNVM MEVM NON EST IN HOC MVNDO: ſed, NON EST DE HOC MVNDO. Nec dicit: NON EST HIC: ſed, NON EST HINC. Hìc enim eſt vſque ad finem ſæculi.* Quare adhuc in hoc mundo, ſeu hìc, in terra poſitus, quatenus homo erat, habuit Regnum; non tamen ex hoc mundo ortum, qualiter alijs contingit titulo hæreditatis, electionis, aut adquiſitionis per artem aut vim: ſed competens ratione vnionis naturæ humanæ ad perſonam Verbi, vi cuius homo ille ſingularis proprio iure dominium habuit, ſeu *omnem poteſtatem in cœlo & in terra*; vt ipſe teſtatus fuit Mathæi vlt. cap. Similiter

alij

alij Patres in oppoſitum citati, non negant Chriſto ſimpliciter Regnum in totum Orbē terrarum: ſed ſolùm negant *terrenum* Regnum: nimirum, de terra ortum, ſeu proveniens ex titulo aliquo iuris Civilis, aut Gentium, quo alij homines regnare ſolent. Itaque coheret optimè quòd Chriſtus vt homo aliunde Regnum & dominium habeat in bona omnia temporalia, ex longè ſublimiori & altiori titulo dignitatis perſonalis refuſæ in Humanitatem aſſumptam: vt non ſolùm *in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*: ſed etiam ipſe verè potuerit & poſsit Regnis vti pro libito; eaque transferre aut abrogare: quamvis id noluerit facere dum eſſet in hac mortali vita; vbi humilitatem & paup. rtatē profitebatur. Itaque Scriptura, & Patres negant Chriſto vt homini Regnum de hoc mūdo ortum, ſive terrenum: non tamen regnum in hoc mundo, ortum deſuper ex infinita dignitate Verbi refuſa in humanitatem, quod proinde cœleſte, divinum, æternum, & ſpirituale appellatur, licèt bona ſub eius ditione poſita ſint magna ex parte purè temporalia, materialia, & terrena. Sic & Regnum ac dominium ipſius Chriſti, vt Dei, in bona terreſtria, æternum ac ſpirituale eſt per eſſentiam: vt hominis autem, per communicationem & participationem: quamvis eius exercitio ſe vltro abdicaverit vſque ad mortem, vt dictum eſt. Cùm verò triumphans à morte eſſet iam aſcenſurus in cœlum, committens Petro, & ſubinde ipſius Succeſſoribus, plenam auctoritatem paſcendi oves ſuas; id eſt, Chriſtianos omnes, & ligandi ac ſolvendi abſque reſtrictione vlla, & regendi convenienter totam Eccleſiam; conſequenter ijs dedit ſufficientem & plenam poteſtatem ad dandum & auferendum Regna & Imperia, non quidem paſſim, non temerè; ſed ſolùm quando & vbi neceſſum fuerit ad conſervationem Chriſtianæ fidei, & commune bonum Eccleſiç. Quod ex ſacris litteris, teſtimonijs Patrum, & rationibus ineluctabilibus demonſtratum fuit in ſuperioribus.

107 Alij autem nolunt Chriſtum D. habuiſſe poteſtatem directam temporalem in Regna mundi, quatenus homo erat. Quæ ſententia frequens ſatis eſt. Tradidit illam Abulenſis q 30. in cap. 21. Mathæi ad illa verba: *Ecce Rex tuus venit tibi. &c.* Vvaldenſis lib. 2. de Doctrina fidei cap. 76. & 77. Paulus Burgenſis in Scrutinio Script. part. 1. diſt. 7. Victoria Relect. 1. de Poteſtate Eccleſiæ q. 5. n. 15. & & ſeqq. Sotus lib. 4. de Iuſt. q. 4. Bellarminus lib. 5. de Romano Pontifice cap. 3. & ſeq. Suarez contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 5. & alij quos ipſi allegant. Nec parum ijs favent loca plura Patrum ab ijs allegatorum, qui in Chriſto vt homine videntur non agnoviſſe vllum ius aut dominium temporale, ſed ſolùm ſpirituale in Regna mundi, quāvis ea, vt diximus, haud difficile explicari poſsint iuxta opinionem paulo antè propoſitam. Habent præterea pro ſe multa teſtimonia Iuris Canonici, quæ Pontifici Romano videntur palam negare omne dominium temporale negare in Regna mundi, & ſolùm ſpirituale concedere. Etenim Nicolaus Papa ad Albinum Archiep. ſcribens ait: *Sancta Dei Eccleſia gladium non habet, niſi ſpiritualem.* nimirum, extra territorium proprium ipſius Eccleſiæ, & ſpeciali dominij iure ipſi competens. Vide caput *Inter hæc* 33 q. 2. Idem Pontifex in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem (& habetur cap. *Quoniam* diſt. 10. & cap. *Cùm ad verum* diſt. 33.) inquit: *Nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpavit: quoniam Chriſtus ſic actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcrevit, &c.* Ad hæc, S. Gelaſius Papa Epiſt. 1. ad Anaſtaſium Imperatorē ait, *duo eſſe, quibus principaliter mundus regitur; auctoritatem ſacram Pontificum, & Regalem poteſtatem.* Similiter S. Ioannes I. Papa in Epiſt. ad Iuſtinianum Imperatorem, quæ habetur l. *Inter claros*, Cod. de S. Trinitate, agnoſcit in ipſo ſupremū Principatum, Regiamque dignitatem, ac ſi ea ſola dominium temporale in Imperium habeat. Innocentius quoque III. in cap. *Novit* de Iudicijs agnoſcit in Rege Francorum ſupremam poteſtatem temporalem, quam minuere aut perturbare non vult: proptereaque ſubdit: *Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum ſpectat iudicium.* Vbi videtur Pontifex; nullum ius temporale ſeu dominium agnoſcere in ſe directè. Idem quoque in cap. *Per venerabilem.* Qui filij ſint legitimi, palam ait, Regem Francorum in temporalibus nullum ſuperiorem agnoſcere: cuius oppoſitum videtur dicere debuiſſe, ſi Pontifex ipſe directum dominium temporale ſupra Regnum Franciæ haberet. Quin & de Apoſtolica Sede ait: *In patrimonio B. Petri liberè* (nimirum abſolutè & directè) *poſſe diſponere: in quo & Summi Pontificis auctoritatem* (ſpiritualem) *exercet; & ſummi Principis* (temporalis, videlicet) *exequitur poteſtatem.* Vlteriùs in cap. *Solitæ* de Maiorit. & obed. fatetur, Imperatorem *in temporalibus præcellere in ditione ſua*: ac de Regia poteſtate ait, *in carnalibus præeſſe.* Cùm tamen alia omnia dicturus videretur, ſi

in

in Pontifice eſſet poteſtas directa & ſuprema in temporalia quælibet. Denique Alexander III. Papa in cap. *Cauſam* 2. Qui filij ſint legitimi, palam tradit, ad Regem ſpectare iudicium de temporalibus poſſeſsionibus, non ad Eccleſiam. Loquitur autem ibidem de Rege Angliæ. Itaque videtur conſtare ſatis probabiliter, etiam teſtimonio Romanorum Pontificum, illos non habere dominium temporale directum in quælibet mundi Regna & Imperia, contra quàm prior opinio tuebatur.

108 Adhuc tamen ſtatutâ hac poſteriori opinione, non vrget, ſeu nullam vim habet obiectio illa Adverſariorum. nam licèt nec Chriſtus Dominus, quatenus homo, ponatur habuiſſe dominium temporale directū in Regna mundi, nec Pontifex Romanus eius Vicarius; habuit tamen ille, & hic etiam habet ipſius nomine dominium directum ſpirituale ac ſupremum in totum Orbem Chriſtianum: ac proinde in ordine ad ſpiritualem finem, ſive ad procurandum bonum ſpirituale neceſſarium Eccleſiæ, præſertim quoad conſervationem fidei Catholicæ, & avertendum malum graviſsimum imminens, quale potiſſimùm eſt ſchiſmatis vel hæreſeos publicæ, poteſt ſimpliciter adhibere omnia præſidia neceſſaria ac ſufficientia. quorum vnum aut præcipuum eſt interdum abdicare Reges & Imperatores Chriſtianos deficientes à fide, eximendo ſubditos eorum ab obedientia & fidelitate promiſſa. Aliter enim periclitatur proximè totius Eccleſiæ bonum, & aperitur ianua defectioni publicæ populorum à fide, ob pravum exemplum Principum cum temporali poteſtate coniunctum, quod facilè ſubditos ad imitationem ducit aut rapit. Quare Pontifex poteſtate præditus ad præcipiendū ea quæ ad bonum ſpirituale Eccleſiæ & ſalutem omnium Chriſtianorum ſpectant, eo ipſo auctoritatem habet ad auferendum quælibet tanti boni impedimenta: quorum vnum & maximum eſt dominium temporale Regis aut Imperatoris à Catholica fide degeneris. Quod quia in ſuperioribus ſatis manifeſtè ac multipliciter confirmatum fuit, fruſtra hoc loco vberiùs aut prolixiùs ſtabiliretur. Hoc itaque modo non auferuntur Cæſari, quæ Cæſaris ſunt: ſed quæ Dei, Deo redduntur, ſive Chriſto Domino, qui Princeps Regum terræ, & Rex Regum, & Dominus dominantium, in ſacris litteris appellatur. An verò ſtatutâ hac poſteriore ſententiâ, poteſtas Pontificia ad auferendum Regna, ſit dicenda poteſtas temporalis indirecta, ſeu *caſualis* prout alicubi appellatur ab Innocentio III. an purè ſpiritualis, quæ *κατὰ συμβεβηκὸς*, ſive ex adiunctô, ad temporalia extendatur; quæſtio de nomine erit, dum in re omnes fateamur, Pontificem Romanū poſſe gladio ſpirituali abſcindere à perſona Principis hæretici ius & dominium temporale, veluti obſtans ſpirituali fini; & à ſubditis obligationem parendi, quin & his præcipere ne obediant, aut obſequium vllum exhibeant: vti ſæpe præceptum fuit à Pontificibus vitæ ſanctitate ac doctrina clariſsimis.

c.

SECTIO DECIMA.

Obiectio altera DD. Præſulum Galliæ, ex verbis Apoſtoli Romanorum 13. præmiſsis aliquot in eam animaduerſionibus, oſtenditur extranea præſenti ſcopo, & regeritur in ipſorum opinionem. Clauſula totius Diſputationis.

109 OPPONVNT II. Illuſtriſs. Præſules Gallicani Apoſtolicum illud Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo: Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Ex his autem verbis colligunt ſtatim: *Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubijci* (intellige, Declaramus) *neque auctoritate clavium Eccleſiæ directè, vel indirectè, deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide, atque obedientia, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolui poſſe, &c.*

110 Imprimis gratulandum eſt Antiſtitibus Galliæ quòd in ea collectione ſolùm eximant Reges & Principes *in temporalibus* à ſubiectione erga Eccleſiaſticam poteſtatem. Eo, nimirum, loquendi & colligendi ſtylo, apertè indicant, eos eſſe Eccleſiæ in ſpiritualibus ſubiectos. In quo planè graviſsimi ij Præſules ſe palam Catholicos profitentur, & ab Heterodoxis differunt, præſertim Anglis, qui à tempore Henrici VIII. Regem ſuum in tota Britanniæ ditione ſupremum Caput ſpirituale eſſe volunt, proindeque nulli quoad ſpiritualia ſubditum. immane equidem deliramentum, quod vſque ad tempus infeliciſſimi illius Principis nemo vnquam excogitaverat: adeò nullus fuerat dicere aut docere auſus.

111 Rurſus gratulandum Præſulibus Galliæ quòd ex doctrina illa Apoſtoli affirmantis, omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe debere, non collegerint propoſitionem aliam affirmantem, etiā ip-

ipſum Romanum Pontificẽ Regibus & Principibus quoad temporalia ſubditum eſſe debere. Nimirum, ex propoſitione affirmante, iuxta rectam diſſerendi methodum, collectio affirmans eſſe debet. At cui Regi aut Principi ſubderetur Romanus Pontifex quoad temporalia? An Imperatori Germaniæ? Sed hic ab eo pendet in inſtitutione, electione, vnctione, & coronatione: ab eo ſaltem aut pręſertim tempore, quo Sedes Apoſtolica Imperium à Græcis ad Francos, & deinde ad Germanos tranſtulit. An Regibus Galliæ? Sed enim nullus horum id in animum induxit, nequidem Carolus Magnus cùm primus omnium in Occidente coronatus fuit Imperator à Leone III. Nimirum, tunc Papa plenum & abſolutum dominium ſupra populum Romanum habebat in rebus ciuilibus. quod vel inuitus fatetur D. Marca lib. de Concordia 3. cap. 11. num. 7. à tempore Adriani I. Papæ, qui immediatus Leonis Anteceſſor fuit. Licèt ipſe aliunde velit Pontifices non fuiſſe potitos eo ſupremo dominio in Populum Romanum, pręſertim à tempore Conſtantini Magni, quòd huius donationem falſam exiſtimet. Ita enim habet libro eodem 3. cap. 12. num. 1. & 2. ac lib. 6. cap. 6. num. 6. vbi tamen fatetur; vetus eſſe monumentum illud, & antecedere tempora Caroli Calui, cùm iam extaret in rerum natura æuo Adriani I. & Caroli Magni, vt idem Auctor oſtenderat priori loco ex allegatis. Eidem præiuerant multi Scriptores emunctioris naſi, quorum aliqui cum Baronio infrà allegando dubitârunt de veritate eius inſtrumenti, alij cum Ioanne Morino illud reiecerunt tanquam commentitium: neque quiſquam eorum timuit ſubire eandem notam, quam olim paſſus fuit liber quidam Criticeo-grammatici Laurentij Vallæ eam donationem refellentis veluti commentitiam. Sed certè permiſſo, & nullatenus conceſſo, Conſtantinum Magnum non donaſſe Pontifici Romano dominium plenum & abſolutum Vrbis, poſtquam ſedem Imperialem Byzantium tranſtulit; adhuc Sedes Apoſtolica illud habuit longè ante tempus Leonis III. & Adriani I. vrgentioribus titulis: idque agnouerunt ipſi Francorum Reges Carolo Magno anteriores, dum in Diplomatibus ſuis teſtati fuerunt, ſe reſtituere Romanæ Eccleſiæ iura à Longobardis ablata. De quo legendus Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 324. ac ſæpe alibi. Itaque præſertim ab eorum Pontificum tempore Papa in rebus ciuilibus ſeu temporalibus nulli vnquã Imperatori, multò autem minùs alicui Regum terræ ſubditus fuit. Oppoſitum autem collectum videbantur Præſules Gallicani ex illa propoſitione Apoſtoli, ſi eâ ad rem eſſet, aut debitâ diſſerendi methodo expenderetur, vt iam antè monui.

112 Cùm igitur collectio Gallicanorum Præſulum non ſit affirmans, ſed negans ſubiectionem Regum erga Eccleſiaſticam poteſtatem in temporalibus, & eos deponi poſſe auctoritate clauium Eccleſiæ, directè aut indirectè; prorſus illegitima eſt. Quin potiùs ex illa Apoſtoli propoſitione oppoſitum colligi debet ſub hac diſſerendi forma. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Atqui poteſtas Romani Pontificis ſublimior eſt, quàm Regis aut Imperatoris. Ergo omnis Rex aut Imperator Romano Pontifici ſubditus ſit. Collectio hæc videtur manifeſta, quamvis in ea non ſeruentur, nec facilè ſeruari poſſint, adamuſsim regulę ſyllogiſticæ. Maior propoſitio eſt ipſa doctrina Apoſtoli: Minor videtur definita in Concilio Oecumenico Florentino ex communi conſenſu Græcorum & Latinorum Patrum, atque ipſius Imperatoris Orientis, qui præſens aderat, Seſs. vlt. circa finem: cuius verba potiora exſcripſimus Diſp. XXXIV. num. 24. Eſt pręterea veluti *ἀξίωμα*, aut principium apud Patres Eccleſiæ, quantum Sol præſtat Lunæ, anima corpori, & corpus vmbræ, tantundem Eccleſiaſticam poteſtatem, & præſertim Pontificiam, pręſtare ſæculari, etiam Regiæ & Imperatoriæ. Vide quæ ſuprà in eum ſcopum obſeruauimus num. 23. ex varijs Patribus, ac præterea num. 81. ex Nazianzeno. Vnde & Cornelius à Lapide, qui euolutis omnibus Interpretibus eius loci Apoſtolici, in quo verſamur, doctiſsimè illum exponit in ordine ad obedientiam debitam quoad temporalia Magiſtratui Ciuili; quoad ſpiritualia verò Prælatis, Epiſcopis, ac Pontifici; num. 168. ad verba illa: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo*: ſubdit: *Nota primò: poteſtas ſæcularis eſt à Deo mediatè: quia natura, & recta ratio, quæ à Deo eſt, dictat, & hominibus perſuaſit præficere Reipub. Magiſtratus, à quibus regantur. Poteſtas verò Eccleſiaſtica immediatè eſt à Deo inſtituta: quia Chriſtus ipſe Petrum & Apoſtolos Eccleſiæ præfecit.* Patet verò; ſublimiorem eſſe poteſtatem quæ à Deo immediatè ortum ducit; quàm quæ mediante alio.

113 Itaque tam procul eſt illa Apoſtoli doctrina ab excludenda ſubiectione Regum erga auctoritatem Eccleſiaſticam Romani Pontificis, aut depoſitione ſiuè abrogatione per claues Eccleſię, vt potiùs vtraque colligatur. Reſumo verba Apoſtoli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

Non

Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque, qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit. Sic certè eas παραφραστικῶς & συλλογιστικῶς, juxta ſenſum litteræ cohærentem, in Adverſarios vrgere licet. Cùm omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſe debeat, & poteſtas Eccleſiaſtica ſit ſublimior, quàm Regia, vtpotè à Deo ipſo immediatè orta; omnes Reges ſubeſſe debent Eccleſiaſticæ poteſtati. Cumque omnia quę ſunt, à Deo ordinata ſint, vt ab ipſo non ſolùm τάξιν, id eſt, ordinem, ſed etiam διάταξιν, nimirum, ordinationem & conſtitutionem rectam ac firmã habuerint; quiſquis reſiſtit poteſtati Eccleſiaſticæ, ordinationi Dei reſiſtit. Vnde colligitur, ſi aliquis Regũ excutiat à ſe iugũ Eccleſiaſticę & Põtificię poteſtatis, vel per apertũ ſchiſma, vel per receſſum ab Eccleſia, poſſe illũ per eius claves, tanquam per ſublimiorẽ poteſtatem, expelli à Regno, veluti qui ordinationi Dei reſiſtit cum graviſsimo damno & perverſione Reipublicæ Chriſtianæ. Nimirum, recta *ordinatio* poteſtatis Eccleſiaſticę à Deo conſtitutæ ſupra Regiam, id exigit, vt quoties ad ſui conſervationem opus fuerit, hanc inferiorem abroget, & abſcindat ab eo, qui poteſtate ſæculari & humana abutitur in perniciem publicam ſuperioris & divinæ. Hæc, inquam, eſt expoſitio, & germana collectio ex ijs verbis deducta, ſi poteſtas Regia cum Pontificia committatur.

114 Quòd ſi verò quiſpiam contendat, inibi ſermonem dumtaxat eſſe de poteſtate ſæculari, cui omnes ſubditi parere debeant, tanquam à Deo ordinatę, & cui reſiſtere, ſit ordinationi Dei reſiſtere; nihil moror. Verùm ſic extra rem omnino vſurpatur locus ille Apoſtoli ad concludendum aliquid pro opinione contraria. Loquitur enim Apoſtolus ſolùm de obedientia & ſubiectione debita *poteſtatibus ſublimioribus*. Cùm ergo manifeſtum ſit, Regiam poteſtatem nullo ſenſu eſſe ſublimiorem Pontificiâ Sedis Apoſtolicæ, neque hanc inferiorem eſſe in ſpiritualibus, immo nec in temporalibus; conſequens eſt, vt Regibus nullo ex capite ſubdita eſſe debeat. Cùm verò aliunde conſtet, Pontificiam ſimpliciter præſtantiorem & ſublimiorem eſſe; conſequens eſt, vt Romanus Pontifex de Regia poteſtate arbitrari ac diſponere valeat quoties maximè oportuerit, neceſſariumque ſit ad poteſtatem, auctoritatem, & incorruptam fidem in Eccleſia conſervandam. Vide verba notanda Cardinalis Bertrandi ſuprà n. 33.

115 Addunt denique iidem Pręſules: *Eamque ſententiam* (videlicet, ſuam ipſorum) *publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minùs Eccleſiæ, quam Imperio, vtilem, vt Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis retinendam.* Omnia hęc dictu facillima ſunt: ſed probatu admodum difficilia, & quæ ſolùm perſuaderi poſsint ijs, qui controverſiam hanc ſummis labris libarunt, aut præiudicio aliquo occupati ſunt, aut veteri illo Margite hebetiores.

116 Sed excurramus per ſingula. Imprimis, quæ neceſsitas eius ſententię tuendæ ad publicam tranquillitatem? Quiſnam Pontifex à longo tempore intentavit abrogationem alicuius Regis, non dico Catholici, ſed nec planè Heterodoxi? Regnant iam diu in Anglia, Dania, & Suecia, Principes Acatholici, quin Pontifex Romanus aliquem eorum abdicaverit. Multò autem minùs id cogitatum fuit de vllo Monarcha Catholico intra hoc ſęculum iam in finem vergens. Quis in dubium vocavit hactenus fidem Glorioſiſsimi Regis Ludovici XIV, aut Genitoris eius Ludovici XIII. pręſertim cùm, ille vim, audaciam, & elationem hæreticorum in Regno ſuo habitantium multipliciter repreſſerit, & eos ad Catholicam Religionem modis omnibus reducere tentaverit, tentetque immortali laude? De Imperatoribus Germaniæ, & Catholicis Hiſpaniæ Regibus, fruſtra ſermonem faciam: cùm ij & hæreditario iure ſanguinis Auſtriaci, & longæva poſſeſsione à tempore immemorabili, & (quod caput eſt) ſingulari Dei providentia gratiaque, ſemper Catholicã fidem profeſsi palam fuerint, & ab omnibus ſubditis exegerint, quandiu & quantum vires fuerunt. Nemo itaque eorum, vel in ſpeciem, aliquid egit, propter quod ei abrogatio Imperij aut Regni à Romanis Pontificibus intẽtaretur. Si ergo ab antiquis temporibus vſque modò nullum eiuſmodi diſsidium erat inter Sacerdotium & Regnum, quæ neceſsitas fuit Pręſulibus Gallicanis ſuſcitandi nunc eam invidioſam controverſiam, & tuendi ſententiam exoſam Sedi Apoſtolicæ? Aut qua veritate dici potuit, illam eſſe tranquillitati publicæ neceſſariam? Immo nulla alia excogitari potuit aptior ad committendam poteſtatem Pontificiam cum Regia, & inducenda diſsidia inter vtramque. Quare, vt iam alibi monui, & mecum, credo, pronuntiabunt quicumque cor læva mamillæ parte pulſat, Illuſtr. Pręſules eo conſilio Declarationem ediderunt, vt ijs officijs Regem ſuum & Gallicanam Rempublicã demererentur, nulla habita ratione offenſionis, aut indignationis Pontificiæ; quamvis alio ſpecioſo titulo quærendæ *tranquillitatis publicæ* venditent, aut obtrudant opinionem illam.

Cæ-

117 Cætera ſponte ſua ruunt. Quomodo enim ſuaderi poterit; eam opinionem eſſe *non minùs Eccleſiæ, quàm Imperio, vtilem*; quæ docet, Regem deſciſcentem à verâ fide, & proinde inducentem pravo exemplo ſuo ac potentiâ horrendum apoſtaſiæ malum, non in chiliades modò, ſed in plurimas hominum myriades, nullâ poteſtate Eccleſiæ ipſius convenienti & efficaci modo cohiberi & abrogari poſſe? Quæ vtilitas Regi alicui Chriſtiano, vt permaneat impunitus in tanto ſcelere, & communi, ſuorum ruinâ ſpirituali quotidie immenſum onus peccatorum oneri addat? Quæ vtilitas Eccleſiæ, vt ex paucis Regnis Catholicis, quæ adhuc retinet, vnum vel aliud ex integro amittat, ob permiſſam hæreſim in aliquo Rege? Iam quod additur, opinionem ipſam eſſe conſonam *Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis*, non meliori iure dici, compertum habebit quiſquis teſtimonia Scripturæ, & Patrum, atque iterata anathemata & iudicia Romanorum Pontificum ſanctitate, & doctrina inſignium, totiuſque Synodi Oecumenicæ Lugdunenſis I. in media Gallia celebratæ, à nobis exſcripta & obſervata in ſuperioribus legerit. vt mirum ſit, Antiſtites eiuſdem Regni nunc in ipſa Lutetia, litterarij Orbis oculo, & vberrimo eruditorum hominum alveario, ad miraculum vſque florente, alia omnia obtrudere voluiſſe.

118 Reddamus itaque, *QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI; ET QVÆ SVNT DEI, DEO.* Sit ſuprema poteſtas Regum quoad politica & temporalia, cui omnes inferiores pareant ex debito, & reſiſtentes *ſibi damnationem adquirant*, vt inquit Apoſtololus eodem loco. Sive ij boni ſint, ſive impij, dum iuſta præcipiunt, aut nullatenus repugnantia honeſtati, iure à nobis obedientiam exigunt: quam detrectare, eſt planè reſiſtere ordinationi divinæ, quâ Reges aut Imperatores conſtituti ſunt. Qualeſcumque enim ij ſint quoad mores, habent poteſtatem, vt loquar verbis Auguſtini lib. 5. de Civitat. cap. 21. ſibi communicatam *à Deo vero, qui dat felicitatem in Regno cœlorum ſolis pijs: Regnum verò terrenum & pijs & impijs, ſicut ei placet, cui nihil iniuſtè placet ::::: Qui dedit Mario, ipſe & Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſiano vel patri vel filio ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo: & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ Iuliano.* Nimirum, exhibendo ijs debitam reverentiam, & obedientiam in ijs omnibus, quæ ad temporalem eorum poteſtatem ſpectant; quæ ſunt Cæſaris, redduntur Cæſari.

119 Verùm qui id docuit, ſtatim addidit: *Quæ ſunt Dei, Deo*, nimirum, reddite. Sunt autē Dei, quæ ipſius nomine à Pontifice Romano præcipiuntur, in ordine ad ſpirituale finē, ſive bonū ſalutis æternę, publicæ, aut privatæ ſingulorum, cuiuſcumque conditionis & dignitatis ſint. Quippe de omnibus & ſingulis redditurus eſt rationem Deo. Propterea veluti Chriſti Vicarius in terris, plenitudine poteſtatis gaudet ad ligandū & ſolvendū, prohibendū ac præcipiendū Dei ipſius nomine, quidquid oportuerit in ordine ad finē ſpiritualem Eccleſiæ, Religionis, & fidei Catholicæ, ac ſalutem æternā ſingulorum hominum Chriſtianorū. Cùm igitur ad id bonū maximè interſit abrogare Reges deſciſcentes à Catholica fide, & vera Religione, quā alioqui everterent; & eorum ſubditos eximere, immo & arcere ab obedientia & fidelitate in illos; conſequens eſt, vt poteſtatē habeant ad vtrūque præſtandū, ſive ea purè ſpiritualis, ſive temporalis directa, aut ſolū indirecta appelletur. Ad rem enim ſatis eſt, quòd ſit poteſtas ſufficiens ad extirpandum convenienti & efficaci modo periculum tam ingentis mali, quod per ſolas Eccleſiæ cenſuras Regi ſchiſmatico aut hæretico illatas non ſatis caveretur. Quare dum ſubditi eorum Regum abrogatorum à Sede Apoſtolica, illorum convictum fugiunt, & obedientiam ijs detrectant, alterique Regi aut Principi ritè ſuffecto illam exhibent; reddunt planè *quæ ſunt Dei, Deo*. Diſputationem conſignare placet clave aureâ ex Nazianzeno: qui, licèt non eſſet Summus Pontifex, ſed Epiſcopus, imperium ſuum ſpirituale terreno imperio prætulit, & Imperatores Regeſque, inter oves gregis ſui cenſuit, vt ſuprà num. 81. vidimus. Is ergo Oration. 9. ſic omnes eas oves alloquitur: τὰ πρόβατα μὴ ποιμαίνετε τοὺς ποιμένας, &c. id eſt: *Oves, paſtores ne paſcite, ne ſupra fines veſtros aſſurgite, ſatis enim vobis eſt, ſi rectè paſcamini: Iudices ne iudicate, nec legiſlatoribus leges præſcribite. Non eſt enim diſſenſionis, & confuſionis Deus, ſed pacis, & ordinis. Nequis igitur caput ſit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum eſt: verùm quo vocatus eſt, in eo gradu quiſque maneat, etiamſi alioqui præſtantiori dignus ſit, plus vtique laudis habiturus ex eo quòd præſenti gradu acquieſcit, quàm ſi eum quærat, quem non accepit. Nequis, tùm ſine periculo*

& ſenſus, quo prolata ſunt: tum ex interpretatione conſtanti Theologorum Hiſtoricorumque eius temporis & noſtri præſertim Gallorum. vt propterea pudori ſit denuo rem diſcutere, & immorari extricando argumento, cuius inſulſitas & futilitas iam diu ferè lippis, vt aiunt, & tonſoribus patuit. Sed fortaſſe pleriſque Adverſariorum id accidit, vt qua nvis in rebus alijs eruditiſsimi & acutiſsimi ſint, in ijs tamen quæ ad vtilitatem & libertatem peculiarem ipſorum attinent, prorſus hallucinentur, & non tam ſyllogizent, quàm paralogizent. Nimirum inſitus amor rerum ſuarum ſolito maior, & genius igneus quo facile rapiuntur, impedimento ijs eſt, vt ſerena & perſpicaci mentis acie videant, quæ alijs quibuslibet ab omni privato affectu, & perturbatione liberis, veluti ſponte ſua in oculos incurrunt. Itaque puder reciprocare ſerram in re adeò contrita, & vel ſummatim præſtringere. quæ eo loci latiùs diſputavi. Quare ſolùm placet ſubiungere nonnulla alia, quæ decretoria videantur.

3 Atque imprimis in verbis eius ſtatim apparet ἀσυναρτησία, imò aperta cōtradictio. Ita enim fatentur Præſules Gallicani *ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicarijs, rerum ſpiritualium plenā poteſtatem vt ſimul valeant, atque immota conſiſtant ſanctæ Oecumenicæ Synodi Cōſtantienſis, &c. decreta de auctoritate Conciliorū Generalium, quæ Seſs. 4. & 5. continentur.* Quod ſanè eo animo proponitur, vt Pontifex ſit inferior Concilio Oecumenico, eiuſq; auctoritati ſubdatur. Atqui ea duo ἀσύγκλωστα, aut mutuò repugnantia ſunt. Plena enim poteſtas rerum ſpiritualium in Eccleſia, nullam aliam ſuperiorē intra eam patitur, nulliq; alteri ſubdita eſt, nec ab alia reſtringi, aut coerceri poteſt. Alioqui hæc ſola eſſet poteſtas plena, non illa, contra quàm ſupponitur. Deinde, Concilia ipſa Oecumenica quæ, iuxta ſacras litteras, & communē Eccleſiæ ſenſum, aſſerunt Pontifici Romano *PLENAM POTESTATEM*, pariter declarant, ipſum in vniverſum Orbem habere Primatum, & totius Eccleſiæ Caput exiſtere; eique traditam eſſe plenam poteſtatem paſcendi, regendi, ac gubernandi Vniverſalem Eccleſiam. Sunt verba expreſſa Cōcilij Generalis Florentini (vt aliorum teſtimonia omittam) Seſs. vlt. ex conſenſu omnium Patrum, Latinorū & Græcorū, hanc fidei profeſsionem tradentium: ETI ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, &c. *Item definimus S. Apoſtolicam Sedem, & Romanū Pontificem IN VNIVERSVM ORBEM HABERE PRIMATVM, & ipſum Pontificem Romanū Succeſſorē eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium. TOTIVSQVE ECCLESIÆ CAPVT, ET OMNIVM CHRISTIANORVM PATREM, ET DOCTOREM EXISTERE; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi, Vniverſalem Eccleſiam à Dom no noſtro IESV-CHRISTO, traditam eſſe PLENAM POTESTATEM, quemadmodum etiam in Geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continentur.* Hæc inibi. Nec me fugit, qualiter Archiepiſcopus Marca lib. 3. de Concordia cap. 8. n. 5. conatus fuerit poſtrema ea verba reſtringere, quaſi redditis ijs fideliter è Græco exemplari eius Concilij, non ſit legendum *etiam in Geſtis*, ſed ſolùm, *& in Geſtis*; Huic enim verſioni reſpondet quod in Græco eſt, καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς. Verùm eo nunc relicto, quòd potiùs ad logomachiam, quàm ad rem ipſam huius controverſiæ ſpectet; expendamus verba Concilij.

4 Vides qualiter Florentina Synodus Oecumenica, in Spiritu S. legitimè congregata, vno conſenſu PP. Latinorum & Græcorum definiat Romani Pontificis *PLENAM POTESTATEM* paſcendi, regendi, & gubernandi *VNIVERSALEM ECCLESIAM*. Ergo & paſcendi, regendi, ac gubernandi quodlibet Conciliū Oecumenicū, totā *Eccleſiā repræſentans*, vt ipſi Conſtātienſes PP. loquuntur in Seſsionibus illis IV. & V. Præterea vides, in eadem Synodo Florentina, ita definiri *PLENAM POTESTATEM* Pontificis Romani, vt hic habeat *PRIMATVM IN VNIVERSVM ORBEM*. Ergo & in Concilium Oecumenicū, quod ſummùm, atque in repræſentatione eſt vniverſus Chriſtianus Orbis. Vides rurſus, ibidē definiri, Romanū Pontificem *TOTIVS ECCLESIÆ CAPVT EXISTERE*. Ergo & Caput Concilij Oecumenici, totam Eccleſiā repræſentantis. Quis autem ſubmittat caput cæteris membris, & in corpus myſticum Chriſti id monſtrum inducat, quod in corpore naturali hominis eſſet, membra reliqua ſuperiora exiſtere ſuo capite? Vides denique eo loco, Romanū Pontificē eſſe *OMNIVM CHRISTIANORVM PATREM ET DOCTOREM*. Ergo & omnium Antiſtitū, qui conveniunt ad Conciliū Oecumenicū. Alioqui expungentur ab *omnium Chriſtianorum* albo. Quis autem Patrem Doctoremq; ſupponat filijs ac diſcipulis? *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*, aiebat Chriſtus Dominus. Habemus ergo ex definitione expreſſa Concilij Florentini, Pontificem Romanum eſſe ſuperiorem totā reliquā Eccleſiā, ac

 proin-

proinde toto reliquo Concilio Oecumenico, propter *PLENAM POTESTATEM*, & *PRIMATVM*; nec qualitercumque, ſed tanquam *CAPVT*, *PATREM*, & *DOCTOREM OMNIVM CHRISTIANORVM*. Quare Illuſtriſsimi Præſules Gallicani in limine offendunt, dum Ita fatentur *plenam poteſtatem* Pontificis Romani, vt tamen illum ſubdant, ſeu inferiorem eſſe velint Concilio Vniverſali. Deinde videntur apertè cōtradicere definitioni Concilij Florentini.

5 Rurſus demonſtratur eadem *ἀσυσ-ϑασία* verborum, ſimulque refellitur alio ineluctabili argumento & teſtimonio, poteſtas Concilij ſupra Papam. Nam *PLENA POTESTAS* Romani Pontificis in Eccleſiam teſtata apud Præſules Gallicanos, eſt illa ipſa quæ in Concilijs Generalibus, & nominatim in Lateranenſi ſub Leone X. reliqua citante, legitur definita. Hæc autem non eſt inferior, ſed ſuperior Generalibus Concilijs. Verba eius Synodi Seſs. XI. exſcribo. * Solum RomanumPontificem p ro tempore exiſtentem, tanquam authoritatem *SVPRA OMNIA CONCILIA* habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum *PLENVM IVS*, *ET POTESTATEM* habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſsione manifeſtè conſtat: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, vtpotè notoria, ſilentio præterire. In Alexandrina enim Synodo, Athanaſio ibidem exiſtente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo ſcriptum fuiſſe legimus, Nicænam Synodum ſtatuiſſe, non debere abſque Romani Pontificis authoritate Concilia celebrari. Neque nos latet, etiam eundem Leonem Pontificem, Epheſinam ſecundam Synodum ad Chalcedonenſem tranſtuliſſe. Martinum etiam V. præſidentibus ſuis in Concilio Senenſi poteſtatem transferendi Concilium, nulla conſenſus ipſius Concilij mentione habita, dediſſe. Epheſinam quoque primam Synodum Cœleſtino, ac Chalcedonenſem eidem Leoni, Sextam Agathoni, Septimam Adriano, Octavam Nicolao, Octavam etiam Conſtantinopolitanam Synodum Adriano Romano Pontifici, Prędeceſſoribus noſtris, maximā reverentiam exhibuiſſe, eorundemq; Pontificū inſtitutionibus & mādatis, in ſacris Concilijs per eos editis, & factis, reverenter, & humiliter obtemperaſſe. Vnde Damaſus Papa, & cæteri Epiſcopi Romę congregati, ſcribentes de Concilio Ariminēſi Epiſcopis Illyrico conſtitutis, præiudicium aliquod per numerum Epiſcoporum Arimini congregatorum fieri non potuiſſe teſtantur: quandoquidem conſtat Romanum Pontificem, cuius ante omnia decebat expectari decretum, talibus non prębuiſſe conſenſum: eundemque Leonem Pontificē vniverſis Siciliæ Epiſcopis ſcribentem, idem voluiſſe apparet. Conſueveruntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quæ in ſuis Concilijs geſta fuerunt, corroboratione à Romano Pontifice ſubſcriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere, prout ex Nicæna, & Epheſina, & Chalcedonenſi huiuſmodi, & ſexta Conſtantinopolitana, & ſeptima eadem Nicæna, & Romana, ſub Symmacho, Synodis habitis, earumque geſtis, necnon Hincmari libro de Synodis manifeſtè colligitur. quod etiam noviſsimè Conſtantienſes PP. feciſſe conſtat. quam laudabilem conſuetudinem ſi Bituricenſes & Baſileenſes ſequuti fuiſſent, huiuſmodi moleſtiā proculdubio careremus, &c.

6 Hucuſque Synodus Oecumenica Lateranenſis: ex qua habemus plura planè decretoria in verba & ſenſum Declarationis prælaudatæ. *Primum* eſt, Romani Pontificis *PLENVM IVS ET POTESTATEM* non eſſe qualecumque, ſed *SVPRA OMNIA CONCILIA*. Dum ergo in verbis Declarationis prælaudatæ Gallicani PP. agnoſcunt *PLENAM POTESTATEM* Romani Pontificis, & aliunde nolunt illam eſſe Concilijs ſuperiorem, dividunt planè ea duo, quæ Conciliū Lateranenſe coniuncta eſſe definit. *Secundū* eſt, & præcipuū in hac controverſia, Romanū Pontificē *ſuper omnia Concilia plenū ius & poteſtatē habere, ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrū, aliorumq; Romanorum Pontificum; ſacrorumq; Canonum decretis, & propria eorundem Conciliorū confeſsione.* Sic enim ad litterā habetur definitū in eādem Synodo, cum allegatione expreſſa eorundē Conciliorū Generalium. Vnde mirarī ſubit quomodò, aut quo auſu quiſquā ex Catholicis, non dico neget, ſed nec in dubium vocet, plenū ius & poteſtatem Papæ ſupra omnia Concilia. Quare qui id facere audent, patiēter ferant ſi ab alijs exiſtimentur, *ſimiles iįs qui per funē in ſumma nituntur, & multos ſolent excitare clamores, cùm iam iamque caſuri videntur*, vt loquar cum Plinio Iuniore. *Tertium* eſt, Cōcilium Conſtantienſe (cuius doctrinam tantoperè commendat Declaratio Gallicana) eam ipſam doctrinam de poteſtate Papæ ſupra Con-

Concilium agnouiſſe. Id enim denotat Synodus Lateranenſis dum in fine verborum nuper exſcriptorum ſubdit : *Quod etiam noviſsimè Patres Conſtantienſes feciſſe conſtat.* Nimirum ijdem, poſtquam ritè elegerunt Martinum V. in Pontificem Romanum, ab eo humiliter petierunt vt confirmaret Acta eiuſdem Synodi : atque adeò agnoverunt planè in eo poteſtatem ſupra illam. Etenim Conſtantienſes Patres in Seſsionibus IV. & V. ſolùm definierunt, illud Concilium, illud, inquam, in ſingulari, celebratum tempore ſchiſmatis trium Pontificum prætenſorum, habuiſſe poteſtatem à Chriſto immediatè, cui quilibet, cuiuſcumque dignitatis, etiamſi Papalis exiſteret, obedire teneretur in ijs quæ pertinent ad fidem, & ad extirpationem dicti ſchiſmatis. Sic enim ibidem ad litteram habetur. Nihil autem omnino definierunt, nec leviter indicarunt, quo efferrent auctoritatem eius Concilij, vel aliorum Generalium, ſupra Papam certum & exploratum, atque extra tempus ſchiſmatis. Ideoque electo ritè Martino V. die 11. Novembris anni 1417. intra eandem Synodum ab eo deinde petierunt vt confirmaret Acta eiuſdem Concilij, quod fecit cum delectu & limitatione, vt Diſp. XVI. ſect. 1. oſtenſum eſt. Ergo agnoverunt planè in Pontifice indubitato poteſtatem ſive auctoritatem ſupra Generale Concilium, prout in Lateranenſi Synodo obſervatum vidimus. Quare mirandum eſt, quòd Præſules Gallicani vtantur doctrina Concilij Conſtantienſis contra ipſum Concilium. *Quartum* eſt, in verbis præiactis reprehendi Patres Baſileenſes & Bituricenſes, quòd deſeruiſſent conſuetudinem ſervatam in Concilio Conſtantienſi : nimirum, cedendi & ſubmittendi faſces Pontifici Romano indubitato, tanquam ſuperiori omnibus Concilijs. Quapropter in verbis præcedentibus, eadem Lateranenſis Synodus Oecumenica Concilium Baſileenſe appellaverat *Conciliabulum*, *ſive conventiculam*, ex quo cœpit caput erigere ſupra Eugenium IV. exploratum Papam. Ergo iudicio Oecumenicæ Synodi omne Concilium, omnis Conventus, & quælibet Comitia Eccleſiaſtica, in quibus caput erigitur ſupra Pontificem Romanum, aut traditur illum eſſe inferiorem Generali Concilio; digna ſunt nomine Conciliabuli, aut Conventiculæ. Eadem enim omnium eorum ratio eſt. Et quidem Patres Lateranenſes eo loco mitiſsimè loquuntur. Longè enim aſperiùs & acriùs locutus fuit S. Ivo Carnotenſis Epiſtola 8. in media Gallia ſcribens olim adverſus Richerium Archiepiſcopum Senonenſem quòd tueri quodammodo vellet Gaufredum Epiſcopum iudicio Sedis Apoſtolicæ in ordinem redactum. Ait enim : *Contra Apoſtolicam Sedem caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos, quantum in vobis eſt, deſtruitis; & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis. CVIVS IVDICIIS ET CONSTITVTIONIBVS OBVIARE, EST HÆRETICÆ PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE : cùm Scriptura* (nimirum, Dictatus S. Gregorij VII. Papæ ex teſtimonijs Scripturæ erutus) *dicat hæreticum eſſe quiſquis Romanæ Eccleſiæ non concordat.* Hæc ille, qui certè acriùs adhuc perſtringeret, & eâdem nota inureret, extollentes caput ſuum, vel alicuius Concilij, ſupra Sedem Apoſtolicam, immo & ſupra Concilium Oecumenicum Lateranenſe, definiens Pontificem Romanum habere *PLENVM IVS ET POTESTATEM SVPRA OMNIA CONCILIA.*

7 Quid ad hæc Adverſarij? An fortè, ſtandum eſſe potiùs contrariæ definitioni Conſtantienſis Concilij Seſs. IV. & V. longè antiquioris? Egregiam porrò exceptionem! Quaſi Concilia Generalia in Spiritu ſancto ritè congregata circa doctrinam fidei, aut morum errare, vel pugnantia tradere poſsint. An fortaſsis obijcient, Concilium Lateranenſe non fuiſſe Oecumenicum? Sed qua veritatis ſpecie id opponatur? Omnes Epiſcopi, atque Imperator Germaniæ, & Reges, Abbates, ac Doctores præcipui Orbis Chriſtiani, ad id convocati fuere: intervenerūntque ſufficienti numero per ſeptem circiter annos, quamvis aliquoties interruptos, à die decima Maij 1511. ſeu potiùs 3. Maij 1512. ſub Iulio II. Papa vſque ad diem 16. Martij 1518. ſub Leone X. Convocatio, initium, progreſſus, ritus, ordo, & finis eius Concilij, nihil præfefert alienum à Synodo Oecumenica, eâque appellatione inſignitum fuit & eſt apud omnes vſque modò. At, inquis, doctrina eius Seſsionis XI. de poteſtate & iure pleno Pontificis ſupra omnia Concilia non traditur ibi tanquam certa ſecundùm fidem. Sed ô mirant evaſionem! Vnde id habes? Immo verò tam maturè geſta ſunt quæcumque in ea Seſsione tractata fuerunt, vt priùs indicta fuerit Congregatio Generalis ad ea omnia diſcutienda. Eo autem facto, poſtea Seſsio celebrata eſt die 19. Novembris 1616. Demum Seſsio ipſa lecta fuit coram tota Synodo, & ab vniverſis Patribus probata &

ſubſcripta, niſi quòd Epiſcopus Terdonenſis excepit, ſibi non placere revocationem Pragmaticæ Sanctionis. Quia autem audeat dicere, doctrinam traditam ex profeſſo à Concilio Oecumenico in re graviſsima ad fidem & mores ſpectante (qualis eſt de qua agimus) veluti contentam in ſacra Scriptura, traditam à Patribus, Pontificibuſque Romanis, & Concilijs Generalibus, ac tandem ab omnibus Synodi Patribus probatam & ſubſcriptam, non definiri tanquam certam ſecundùm fidem? Immo ſi ea verè definitio non eſt, nullã aliam in toto eo Concilio invenies. Non enim in eo habentur certi aliquot Canones, vt poſtea in Tridentino factum fuit: ſed doctrina tradita in Seſsionibus ipſis circa res fidei & morum, fuit inſtar Canonis: quemadmodum antea in Concilijs Oecumenicis celebratis in Occidente communiter factum fuerat.

8 Itaque videtur manifeſtum, poteſtatem plenam Pontificis Romani indubitati ſupra omnia Concilia eſſe certam ſecundùm fidem, veluti definitam in Concilijs Generalibus Florentino & Lateranenſi. Vnde rurſus efficitur, demonſtraturque, opinionem contrariam nunquam eouſque definitam fuiſſe legitimè in Concilio aliquo Generali; quia iuxta omnes Catholicos Concilia Generalia rite celebrata, ſunt infallibilis regula fidei, quæ ſemper vna eſt, & nunquam pugnantia docet. Quare incaſſum DD. Præſules Gallicani confugiunt ad Concilium Conſtantienſe. Vt enim omittamus, cùm Seſsio illa IV. & V. celebrata eſt, nondum fuiſſe formam Concilij Oecumenici, & plura alia ſuo loco à nobis dicta; certum eſt doctrinam vtriuſque eius Seſsionis ſolùm fuiſſe prolatam de illo ſingulari Concilio, eiuſque poteſtate ſupra Pontifices incertos, & intra tempus ſchiſmatis. Quod nullatenus opponitur doctrinæ Conciliorum Florentini & Lateranenſis. Hæc enim duo loquuntur ſolùm de Papa certo & indubitato (qualis erat alterius tempore Eugenius IV. alterius verò Leo X.) & de eo definiunt habere *plenum ius & poteſtatem ſuprà omnia Concilia.* Præterea Patres Baſileenſes abducti ſiniſtra interpretatione decretorum Conſtantienſium, & impotenti odio in Eugenium IV. Papam, definire auſi ſunt poteſtatem Concilij Generalis ſupra Papam, veluti certam ſecundùm fidem. Verùm Eugenius ipſe in ſua Bulla, ſacro & Oecumenico Concilio, quod tunc Ferrariæ celebrabatur, approbante, pronuntiavit, eam illorum doctrinam, & interpretationem, eſſe *Scripturæ, Sanctorum, & ipſius Conſtantienſis Concilij ſenſui contrarias, impias, ſcandaloſas, necnon in manifeſtam Eccleſiæ Dei ſciſſuram tendentes.* Quomodo ergo aliqui nunc illas tueri publicè audent?

SECTIO SECVNDA.

Vberiùs reijcitur eadem pars Declarationis, quòd ex præpoſtera interpretatione verborum Concilij Conſtantienſis, & deiectione Papæ indubitati infra omnem Synodum Oecumenicam, aperiat viam ad horrendum ſchiſma, & provocationes à ſententijs Romani Pontificis, proprias hæreticorum, ac ſchiſmaticorum hominum.

9 QVÆ Superiori ſectione præmiſimus, licèt videantur à ..., & quæ nulli veroſimili exceptioni aditum relinquant; maius adhuc robur accipient, ſi intentè conſideretur, ex interpretatione Gallicana Concilij Conſtantienſis induci planè occaſionem ſchiſmatis, ac ſubinde defectionis à fide. Quippe ſchiſma & hæreſis, licèt theologica conſideratione differant, adeò inter ſe illigantur, vt apud Patres pro vno eodemque ſcelere reputentur, & ſchiſmatici tanquam hæretici reprehendantur. Sic enim legere eſt apud Ambroſium in ſui Satyri Monodia adverſus Luciferum Calaritanum, & non ſemel apud Auguſtinum, veluti Epiſt. 164. & lib. 2. in Creſc. cap. 7. Hieronymum in cap. 3. Epiſtolæ ad Titum, & Leonem Hoſtienſem lib. 3. Chronici Caſsinenſis cap. 70. Fuitque communis modus loquendi apud Patres ſæculi vndecimi, in quo idem Leo Hoſtienſis floruit. Verùm quamvis propriè ea ſcelera differant, cõiunctiſsima ſunt; facileque nobis erit oſtendere, ex Declaratione Gallicana oriri poſſe malum graviſsimum ſchiſmatis. Sinamus gratis legitimum fuiſſe Concilium & Oecumenicum Conſtantiæ, vbi Seſsio IV. & V. celebrata eſt: demus etiam vltro, doctrinam vtriuſque Seſsionis poſtea à Sede Apoſtolica confirmatam fuiſſe: quorum tamen neutrum Adverſarios hactenus oſtendiſſe, nec oſtendi poſſe, iam ſuo loco apertè confirmavimus. Sanè ſi doctrina in iis Seſsionibus tradita ſic accipienda eſt, vt intelligatur, Concilium illud ſingulare Conſtantiæ celebratum, & iam plenè congregatum ex tribus Obedientijs (ſic appellabantur) ſive factionibus ſequentibus totidem Pontifices dubios, habuiſſe poteſtatem ſupra quemlibet illorum immediatè à Chriſto conceſſam, pro extirpatione illius ſchiſmatis, cui quilibet eorum

obe-

obedire teneretur in ijs quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis; veriſsima eſt, nec vllo modo à nobis in dubium vocatur. Solus Petrus de Luna cum paucis aliquot ſuæ factionis id negavit: proptereaque fulguritus ab Eccleſia & iuſtus notâ gravi in ſua pervicacia diem clauſit extremum. Cæterum extendere doctrinam illam vtriuſque Seſsionis loquentis in caſu ſolùm ſingulari, & certis circumſtantijs, ac rarò contingentibus, ad omne Concilium Oecumenicum, & in ordine ad quemlibet Papam certum exploratumque (prout contenditur in Declarationibus Cleri Gallicani, & Pariſienſis Academiæ) id, inquam, eſt miniſtrare apertam occaſionem ſchiſmatis in Eccleſia Dei, ſeu defectionis publicæ ab obedientia Pontificis Romani, & ſubinde à Catholica fide.

10 Quis enim ſine reatu ſchiſmatis, ſeu rebellionis in Apoſtolicam Sedem, iudicio reliquorum omnium Epiſcoporum conuenientium ad quamlibet Oecumenicam Synodum ſubijciat, etiam in cauſis fidei, Pontificem Romanum exploratum, qui iuxta doctrinam à Deo inſpiratam, & expreſsè definitam in Oecumenicis Concilijs, ſectione præcedenti allegatis, *IN VNIVERSVM ORBEM HABET PRIMATVM*, & preterea *TOTIVS ECCLESIÆ CAPVT, ET OMNIVM CHRISTIANORVM PATER AC DOCTOR EXISTIT*: ac denique *PASCENDI, REGENDI, ET GVBERNANDI VNIVERSALEM ECCLESIAM A DOMINO N. IESVCHRISTO TRADITAM POTESTATEM PLENAM HABET*? Id, quodnam aliud eſſet, quàm Primam Sedem iudicari ab inferioribus; Caput à reliquis membris ſubiectis; Patrem à filijs; Doctorem à diſcipulis; Paſtorem, Rectorem, & Gubernatorem Supremum cum *POTESTATIS PLENITVDINE*, ab ovibus, ſubditis, & ſolùm obedire iuſsis? O Illuſtriſsimi Galliarum Præſules, quantumcumque nobilitate, pietate, atque eruditione conſpicui! Paſtores quidem eſtis gregum ſingularium: Doctores, & Rectores peculiarium cœtuum: ſed tamen oves Romani & Vniverſalis Paſtoris, diſcipuli Doctoris Oecumenici, ſubditi Rectoris illius Chriſtiani Orbis, quàm longè & latè patet. Oves igitur, & diſcipuli, & ſubditi, ne iudicetis, aut iudicari patiamini Paſtorem, Doctorem, & Rectorem Vniverſalem. Audite Gregorium Nazianzenum, cognomento Theologum, pariter Epiſcopum, & veſtri Ordinis, ita loquentem Orat. 9. *τὰ πρόβατα μὴ ποιμαίνετε τοὺς ποιμένας, μηδὲ ὑπὲρ τοὺς ἑαυτῶν ὅρους ἐπαίρεσθε. ἀρκεῖ γὰρ ὑμῖν ἂν καλῶς ποιμαίνησθε. μὴ κρίνετε τοὺς κριτάς, μηδὲ νομοθετεῖτε τοῖς νομοθέταις. οὐ γάρ ἐστι Θεὸς ἀκαταστασίας, καὶ ἀταξίας, ἀλλ' εἰρήνης καὶ τάξεως.* Quæ admonitio æquè Vos complectitur relatè ad Romanum Pontificem, ac ſingulos è populo in ordine ad Epiſcopum ſuum. Si autem nec ea adhortatio ſufficiat, attendite quæſo Concilium Oecumenicum Lateranenſe definiens generatim, Pontificem Romanum *SVPER OMNIA CONCILIA PLENVM IVS ET POTESTATEM HABERE*. Vt iam diu moris eſſe licuerit aliquot Theologis ſtipendiarijs, ac Politicis, qui captandi gratia, aut lactandi Principes, Supremam Romani Pontificis auctoritatem deiecêre è ſolio, & humano iudicio ſubiecerunt.

Vide pleraque horum Latine reddita diſp. 35. n. vlt.

11 Sanè à priſcis ſæculis celebris ſententia, ſive *ἀξίωμα* in Eccleſia eſt, *PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR*. Vt enim omittam Concilium Sinueſſanum tempore S. Marcellini Papæ (circa quod nonnulla præmiſsimus Diſp. XXVIII. ſect. 1.) eodem ſæculo quarto, quo ille vixit, & non multis ab eius glorioſo Martyrio annis, in Concilio Romano ducentorum ſeptuaginta quinque, aut octoginta Epiſcoporum ſub S. Sylveſtro Papa can. vltim. legitur definitum: *Neque ab Auguſto, neque à Regibus, NEQVE AB OMNI CLERO, neque à populo, iudicabitur PRIMA SEDES*. Videtur autem fuiſſe celebratum eodem anno 325. in quo Synodus I. Oecumenica apud Nicæam. Deinde in alia Synodo Romana coacta ſub Sixto III. anno 432. legitur: *Non licet in Pontificem ſententiam dicere*. Eodem ſæculo, & non multis poſt annis, cùm Dioſcorus Alexandriæ Epiſcopus in Synodo Epheſina Secunda S. Leonem I. Papam, cognomento Magnum, iudicare & damnare auſus fuiſſet; id, veluti execrabile facinus toti Eccleſiæ horrori fuit: ac propterea Synodus Oecumenica Chalcedonenſis paulo poſt coacta, Dioſcorum ipſum damnavit, & gradu deiecit, & addidit, nihil ſimile euſque à quopiam fuiſſe attentatum. Labente demum ac ferè exeunte eodem ſæculo, cum Symmachus ritè electus fuiſſet Papa anno 498. ſchiſmatici alium quendam, Laurentium nomine, ipſi oppoſuerunt. Verùm convocato Romæ Concilio, atque in eo egregiè perorante

Ennodio Ticinenſi pro Symmacho adverſus ſchiſmaticos, hi reiecti fuerunt, & concluſum eſt: *Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari: ſed Romanæ Sedis Præſulem ſuo reſervavit arbitrio.* Deinde circa medium ſæculi octavi in quodam Concilio Romæ celebrato ſub Zacharia Papa dicitur: *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus iudicaſſe legimus: de eo verò quemquam iudicaſſe non legimus.* nimirum legitimè. nam attentatũ contra ius & fas, quale fuerat Dioſcori adverſus Leonem I. non meretur nomen iudicij. Porrò ea verba Concilij Romani ſub Zacharia, ſæculo nono ſequenti laudata & probata fuerunt in Synodo VIII. Generali ſub Adriano II. ac proinde ſummam ex hoc etiam capite auctoritatem habent. Denique tam in ijs, quàm in alijs Concilijs, & paſsim apud Eccleſiæ Patres, & nominatim Gallicanos, quorum teſtimonia afferre proclive eſſet, omnibus ferè ſæculis, teſtata & ſolemnis vox eſt: *PRIMA SEDES OMNES IVDICAT, ET IPSA A NEMINE IVDICATVR.* Vide Baronium id ſæpiùs inculcantem, præſertim ad annos Chriſti 302. & 324. & 495. & 499. & 502. & 800. & 963. & 965. & 1076 & 1159. Lege prætere a Epiſtolam Concilij Duziazenſis ad Adrianum II. Papam, & Epiſtolam Græcorũ ad Concilium Generale Lugdunenſe II. apud Binium Tomo VII. pag. 880. Ea verò ſententia, toties ſtabilita, quæ planè colligitur ex Primatu Romani Pontificis in totam Eccleſiam, certo ſecundùm Catholicam fidem; evertitur, & ſolo æquatur, iuxta Declarationem Cleri Gallicani. Si enim Papa certus & exploratus ſubiacet cuilibet Concilio Generali; iam ab eo iudicari poterit, immo & damnari, contra quàm Concilia clamant, & Antiquitas Chriſtiana docuit.

12 Vnde omnes ij, qui recuſato Pontificis Romani iudicio in qualibet cauſa appellarunt aliud tribunal, ſive Imperatorum, ſive Regum, ſive Concilij Oecumenici, notati fuerunt ab Eccleſia, vt minimum tanquã ſchiſmatici, aut etiam vt hæretici. Nimirum horum is mos antiquus fuit: vt Donatiſtarum appellantium à iudicio S. Melchiadis Papæ Imperatorem Conſtantinum, imitatione quadam Pauli Samoſateni, qui damnatus ab Epiſcopis provocaverat ad Imperatorem Aurelianum, primuſque auctor extiterat appellationũ impiarum ex abuſu in cauſis fidei & Religionis à Sede Apoſtolica deciſis. quem & poſtea ſecutus fuit Photinus Sirmienſis Epiſcopus hæreticus. Cùm enim damnatus fuiſſet in Synodo Sardicenſi, appellavit Imperatorem: vt teſtatur S. Epiphanius Hæreſi 17. Quòd autem S. Auguſtinus Epiſt. 162. ait, Donatiſtas meliùs facturos fuiſſe, ſi plenarium Conciliũ, quàm ſi Imperatorem appellaſſent; ſolùm denotat, iudicio S. Doctoris, futurum fuiſſe minus peccatum appellare iudices Eccleſiaſticos, quàm Imperatorem ſæcularem. Verùm redeamus ad ſcopum noſtrum, ſitum in appellatione ad Concilium Oecumenicum reijciẽda, veluti hæreticorum aut ſchiſmaticorum propria. qualis fuit imprimis Palladij & Secundiani Præſulum Arianorum. Hi enim, vt refert S. Ambroſius in Epiſtola ad Imperatores ſcripta nomine Concilij Aquileienſis, cùm damnati fuiſſent à Sede Apoſtolica, & in ea Synodo; compellarunt ad Conciliũ Oecumenicum futurum. Cùm enim vrgerentur ab Epiſcopis Catholicis, dixêre: *Nos dicimus, probaturos nos Chriſtianos in Concilio pleno. Non vobis reſpondemus omnino, in præiudicium Concilij futuri.* Repoſuere autem ijs Patres Synodi: *Quàm grave autẽ, ſi propter duos in fide carioſos, toto Orbe eſſent Eccleſiæ deſtitutæ.* Quare nihil obſtante ea appellatione, damnari, atque in ordinem redacti fuerunt. Similiter Pelagiani damnati à Sede Apoſtolica, probante Concilia Nationalia Africæ, appellàrunt Concilium Oecumenicum ex Patribus Latinis ſimul & Græcis conſtans: vt legere eſt apud Auguſtinum lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, & Epiſt. 90. ac 92. Verùm nihil ijs profuit, ne damnati à Sede Apoſtolica permanerent, aut ne eorum opinio hęretica prorſus ab omnibus Catholicis cenſeretur.

13 Porrò ex ſchiſmaticis omnibus, qui hucuſque Catholicam Eccleſiam perturbarunt, & inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere moliti ſunt, videtur teterrimus fuiſſe Photius ille eviratus, invaſor Conſtantinopolitanæ Sedis, & veluti chimæra aut hydra ſæculi noni. Is ergo damnationes iuſtas Pontificum Nicolai I. & Adriani II. quibus ſæpiſsimè fulguritus fuerat, eludere aut declinare tentavit per appellationem ad Conciliũ. Quare Synodum coegit trecentorum octoginta triũ Epiſcoporum anno Chriſti 879. ſeu potiùs Conciliabulum, falsò nuncupatum Concilium VIII. Oecumenicum, in quo ipſius Photij reſtitutio ad Sedem Patriarchalem fuit confirmata, & vera Synodus Oecumenica VIII. (quæ annis 869. & 870. celebrata ritè fuerat Conſtantinopoli, & probata à Pontifice Romano Adriano II.) abrogata eſt, irrito & ſacrilego conatu, cuius idem Photius poſtea iuſtas ac dignas pœnas luit. *Inſtiterunt veſtigijs perditiſsimi huius ſchiſmaticorum Antesignani* (verba ſunt

Ray-

Raynaudi celebris Auctoris & recentis apud Gallos, in Opuſculo inſcripto, *Αυτὸς ἔφα) poſteriores quidam, vel ſchiſmatici, vel cum Pontificibus exercentes priuata odia, & inimicitias. Sic tempore ſimultatum inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, iſte appellavit futurum Concilium anno 1303. vt Spondanus eo anno notavit. Ludovicus item Bavarus paſsim refertur appellaſſe futurum Concilium: quamquam idem auctor anno 1323. quo hac appellationem conſignat, nonnihil mollit factū Ludovici, dicens eum à Ioanne XXII. damnatum, appellaſſe Sedem Apoſtolicam, & ipſum Papam meliùs informatum, petendo Concilium, in quo ſua cauſa diſcuteretur. Et verò Ocham, qui calamum nundinatitium Ludovico locaverat, vt odia in Ioannem Pontificem minùs in Franciſcanos propenſum concepta exſaturaret; Pontificū iudicia omnia, etiam quæ ad fidem attinent, retractari à Concilio poſſe, eiuſque eſſe determinationem vltimam, affirmavit in Dialogo: cuius rationes attendendas eſſe, tametſi auctoritate deſtituti; dixit Gerſo, Auctoritate enim valere non potuit, qui ſchiſmaticus erat notorius: tametſi mente denique ſapienter mutata, obijt, reſtitutus Eccleſiæ, vt ſcribit Trithemius, & pleniùs Vuadinghus anno* 1347. Hucuſque Raynaudus. Vt obiter videas Ochamum in hiſce controverſijs poſuiſſe ova, quæ poſtea Ioannes Gerſo exclusit. Mitto nonnullos alios, qui ſæculis poſtremis à iudicijs Sedis Apoſtolicæ provocarunt ſimili auſu ad futurum Conciliū, & propterea ſchiſmatici habiti ſunt: quoniā reliquum Eccleſiæ corpus à vero ſuo Capite abſcinditur, dum in alio, quàm in Romano Pontifice, collocatur. Immo Melchior Canus, ſummus certè Theologus, lib. 1. de locis cap. 7. multis demonſtrat, ſolos hæreticos à Pontifice ad Concilia provocaſſe. Vt enim ſapienter obſervavit S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 3. ex appellatione iniuſta nectuntur moræ, & ſententia iuſta differtur. Vnde heretici damnati à Sede Apoſtolica, vt moras trahant, & interim virus ſuum impunè diſſeminent, ſæpe appellant Concilium Oecumenicum, quod eſſe difficillimum congregatu ſciunt. Verùm & eo coacto, adeſſe nolunt, & frivolas excuſationes obtendunt: vti de hereticis tempore Tridentini obſervarunt Stapletonius lib. 7. de princip. cap. 9. & Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 21.

14 Quapropter provocationes omnes à iudicio Sedis Apoſtolicæ, ſive Romani Pontificis paſsim in ſacris Canonibus improbantur: & è contrà laudantur appellationes à cuiuſcumque iudicio ad ipſam Apoſtolicam Sedem. Quod ſæpe ſtatutum antea fuiſſe teſtabatur Symmachus Papa circa finem quinti ſæculi, prout habetur 9. q. 3. cap. *Ipſi ſunt*, vbi inquit: *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen voluere deferri: ab ipſa verò nunquam prorſus appellari debere ſanxerunt; ac per hoc illam DE TOTA ECCLESIA IVDICARE* (Nota hæc: Ergo etiam de Concilio Oecumenico repræſentante totam Eccleſiam) *ipſam ad nullius commeare iudicium; nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, ſententiamque illius conſtituerunt non oportere diſſolui; cuius potiùs decretà ſequenda mandarunt.* Eadem verba Pontificibus eiuſdem ſæculi quinti S. Innocentio I. & S. Gelaſio I. adſcribit Nicolaus I. Papa ibidem cap. *Patet*. Si autem Romanus Pontifex certus & exploratus, eſſet inferior Concilio Oecumenico, vti Galliarum Præſules ex Seſſionibus IV. & V. Conſtantienſis Concilij præpoſterè intellectis contendunt; licerent planè appellationes à ſententia Papæ ad Concilium, ſicuti vniverſè licent à iudicio inferioris ad ſuperiorem. Eadem illorum doctrina ampliùs reijcietur ſectione ventura.

SECTIO TERTIA.

Eadem explanatio verborum Concilij Conſtantienſis oſtenditur repugnans ſenſui Eccleſiæ, in Concilijs Generalibus expreſſo, à Pontificibus Romanis explanato; perpetuo ſæculorum vſu confirmato in Eccleſijs Orientis & Occidentis. Vbi plura de Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam.

15 QVAPROPTER Admirationi etiam eſt, graviſsimos Galliarum Præſules non ſatis in eas partes Declarationis habuiſſe, quod ſiniſtra interpretatione verborum Concilij Conſtantienſis ſubijcerent Papam indubitatum cuilibet Concilio Oecumenico, & proinde, virtute ſaltem, admitterent appellationes à iudicio illius ad Synodum Generalem; niſi adderent, decreta Conſtantienſia (nimirum intellectà iuxta ſenſum prædictum) fuiſſe *a Sede Apoſtolica comprobata, ipſorumque Romanorū Pontificum, ac totius Eccleſiæ vſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetuà religione cuſtodita.* Admirationi, inquam, eſt, & fuit ſæpius, cùm manifeſtum ſit, & luce meridiana clarius, doctrinam Decretorum illorum, intellectam de omni Concilio Oecumeni-

menico, tanquam poteſtatem habente ſupra Papam certum & exploratum, nunquam omnino antea aut poſtea fuiſſe à Sede Apoſtolica comprobatam, nunquam à Romanis Pontificibus, aut totius Eccleſiæ vſu confirmatam, nec denique ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtoditam. quæ ſunt totidem propoſitiones eidem Declarationi contrariæ, & à nobis ſuprà Diſp. XV. ac XVI. demonſtratæ fuerunt ineluctabilibus teſtimonijs Conciliorum Florentini, ac Lateranenſis, aliorumque Conſtantienſi poſteriorum; prętereàque Pontificum Romanorum ferè omnium, ab eo tempore, & Scriptorum grauium, etiam Gallorum, ſi paucos excipias. Ex ijs enim omnibus conſtat planè, Pontificem Romanum exploratum ſemper fuiſſe habitum Caput totius Eccleſiæ: eiuſque Primatem, Parentem, Doctorem, Legiſlatorem, & Superiorem CVM PLENITVDINE POTESTATIS. Ea verò è regione contradicunt ſubiectioni illius ad Concilium Oecumenicum, & appellationibus ab eius iudicio ad VniverſalemSynodum: quæ certè licerent, ſi illa Pontifice indubitato ſuperior eſſet. Nec repeto eiuſmodi teſtimonia, quoniam ibidem exſcripta & latè expenſa ſunt. Solùm ex ijs obſervandum hoc loco, Martinum V. qui in eâdem Synodo Conſtantienſi ritè electus fuit Papa, intra illam ipſam primo ſui Pontificatûs anno, Chriſti 1418. inchoato menſe Martio ita definiiſſe: *Tam iure diuino, quam etiam humano, quibus ſacrorum Canonum auctoritas innititur, nulli fas eſt A SVPREMO IVDICE, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice, IESV-CRHRISTI Vicario in terris, appellare, aut illius iudicium IN CAVSIS FIDEI, quæ tanquam maiores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam, deferendæ ſunt, declinare.* Vide quomodo Pontifex ipſe indubitatus, qui electus fuit intra Concilium Conſtantienſe, definierit doctrinam oppoſitam Seſſionibus IV. & V. ſi hæ intelligantur iuxta interpretationem Præſulum Gallicanorum de poteſtate cuiuſlibet Concilij Oecumenici ſupra certum, & exploratum Papam, ac per conſequens de appellatione à iudicio huius ad illud.

16 Nunc itaque, poſtquam ſectione præcedenti vidimus appellationem à iudicio Pontificis Romani fuiſſe propriam ſchiſmaticorum & hæreticorum hominum, & ſacris Canonibus prohibitam; placet curſim oſtendere, etiam ante tempus Concilij Conſtantienſis fuiſſe perpetuum Eccleſiæ morem, vt ab omnibus ſententijs quorumlibet Præſulum, etiam Primatum, immo & Patriarcharum Orientis, & Conciliorum, ſiue Provincialium, ſiue Nationalium, ſiue Oecumenicorum, nonnunquam etiam ab ipſis Regibus, & Imperatoribus agentibus pro ſe, ad Sedem Apoſtolicam, ſiue Romanum Pontificem, interponeretur appellatio, totâ Eccleſiâ id vidente, neque vnquam improbante, & palam proinde agnoſcente, illum eſſe ſupremum appellationum iudicem, ſolumque.

17 Tribus primis Eccleſiæ ſæculis omnes cauſæ maiores, earumque iudicia, ex traditione Apoſtolica, & auctoritate à Chriſto D. collata Petro, eiuſque Succeſſoribus, ſpectarunt ad Pontificem Romanum, quin vnquam memoria eſſet apellandi Concilium Oecumenicum ad eas vltimò finiendas. Conſtat id planè ex Epiſtolis Decretalibus Pontificum eius temporis, in quibus id paſsim teſtatum habetur, & quarum plura fragmenta exſcripſimus aut citavimus varijs locis huius Operis, ſed præcipuè Diſp. XXIII. per totam. Scio quàm multa contra auctoritatem, ſeu fidem earum Epiſtolarum ſcripſerint in Gallia, olim Hincmarus Rhemenſis, & poſtea alij, quos noviter imitatur D. Petrus Marca lib. 7. de Concordia Sacerdotij & Imperij cap. 20. quaſi illæ omnes fabricatæ fuerint ab Iſidoro Mercatore. Sed ſcio etiam quid Hincmaro repoſuerit Nicolaus I. Papa, Epiſt. 42. vbi multis rationibus & auctoritatibus oſtendit veriſsimam eſſe doctrinam in ijs contentam, omniaque maiora negotia, ac proinde cauſas Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam deferri debere ex privilegio eidem Sedi tributo à Chriſto D. omneſque Decretales Epiſtolas Romanorum Pontificum ſuſcipiendas eſſe, etiam ſi non eſſent inſertæ Codici Canonum. Hæc ibi & plura alia: vt omittam, Iſidorum illum non videri in rerum natura extitiſſe, nec notum fuiſſe hactenus ab eo tempore; nec veroſimile videri potuiſſe illum ex cerebro tot & tales Epiſtolas fingere. Immo & eo permiſſo, in alijs indubitatis Epiſtolis & decretis ſequentium Pontificum, præſertim Innocentij I. Leonis Magni, Gelaſij I. & Gregorij Magni, ac Nicolai I. traditur palam eadem doctrina: vt vidimus ex parte Diſputat. XXIV. ſect. 1. & ſuprà n. 14.

18 Sæculo quarto anno 311. electus fuit Pontifex S. Melchiades: qui in vnica Epiſtola Decretali, quæ extat, ad Epiſcopos Hiſpaniæ, declarat à tempore Apoſtolorum vſque in eam diem iudicia Epiſcoporum, *& maiores cauſas, & potiorum curas negotiorum ad vnam B. Principis Apoſtolorum Sedem confluere, VT INDE SVSCIPIANT FINEM IVDICIORVM, VNDE ACCEPERVNT INITIVM INSTITVTIONIS, NE QVANDO-*

QVE

QVÆ A SVO DISCREPARENT CAPITE. Quid ad hæc qui è contra aiunt, eiuſmodi cauſarum iudicium vltimum non eſſe Pontificis Romani, ſed Oecumenicæ Synodi, ad quam proinde appellari iure poſsit? An non ij cauſas eiuſmodi, immo & Eccleſiam ipſam, volunt A SVO DISCREPARE CAPITE? Idipſum definitum fuit paulo pòſt, nimirum anno 325. in Magna Synodo Nicęna, vt teſtatur S. Iulius Papa, qui fuit renuntiatus Pontifex vndecim poſt illam annis, Chriſti 336. cuius verba exſcripſimus & expendimus latè Diſp. XXIV. num. 2. & ſeqq. nec repetere oportet. Oſtenſum præterea eſt ibi concludentibus teſtimonijs Pontificum & Patrum eius ſęculi, verè id definitum fuiſſe inter Canones eius Synodi, ablatos poſtea, & ſepultos ab Arianis. Quod ipſum inſtauratum, ſeu iterum decretum fuiſſe in Synodo Sardicenſi, quæ fuit veluti appendix Nicęnæ, tradit Baronius ad eundem annum 325. num. 43. ac latiùs poſtea ad annum 347. num. 12. Et mirò poſt Zoſimus Papa circa annum 420. Canonem Appellationum ad Sedem Apoſtolicam, veluti ad vltimum & ſupremum iudicem, in toto Orbe Chriſtiano permiſſarum, allegat tanquam editum ab eodem Nicæno Concilio. Id autem immeritò decretum fuiſſet, ſi liceret aliquando à iudicio Sedis Apoſtolicę provocare ad Concilium, veluti ad vltimum & ſupremum iudicem. Eſſent nimirum duo ſupremi iudices, & alter quidem alteri repugnans; ac proinde nullus. Vnde & vice Monarchię à Chriſto Domino inſtitutæ in Eccleſia, mera anarchia induceretur, qualiter Patres obſervant, Polytheiſmum eſſe anarchiam, immo Atheiſmum.

19 Sæculo quinto, & ſequentibus, appellationes ad Pontificem Romanum ex tota Eccleſia fieri ſolebant, veluti ad ſupremum iudicem, & quidem interdum à iudicio facto in Synodis Generalibus. Vnde Patriarchæ Orientales, quorum dignitas ampliſsima erat, de iniurijs ſibi illatis ipſum appellarunt: veluti ex Conſtantinopolitanis S. Ioannes Chryſoſtomus à iudicio Epiſcoporum anno 404. Eutyches damnatus in Synodo anno 448. Flavianus depoſitus in Concilio Epheſino anno 449. Ignatius deinde expulſus ab impio Photio & gregalibus anno 861. Ex Patriarchis Alexandrinis Ioannes deiectus Sede à Leone Imperatore anno 483. alijque plures eiuſdem Eccleſiæ Præſules poſtea Ex Antiochenis Macarius, damnatus in VI. Synodo Generali, Agathonem Papam, ſive Leonem II. eius Succeſſorem appellavit anno 681. illumque poſtea alij Præſules Antiocheni imitati ſunt. Ex Hieroſolymitanis pariter ad Sedem Apoſtolicam provocavit Daibertus pulſus à Rege anno 1104. & anno ſequenti 1105. Arnulphus depoſitus in Synodo.

20 Idipſum ſæpiſsimè factum fuit ab Eccleſijs Africæ, & Galliæ, vt damnati, etiam in Synodis, provocarent ad Sedem Apoſtolicam. De ſingulis plura inveniet Lector apud Baronium. De Africanis quidem ad annum 419. num. 9. & 11. atque anno 602. n. 3. De Gallicanis ad annum 432. num. 9. & 535. num. 17. & 570. num. 6. & 859. num. 2. & 863. num. 8. & 870. num. 2 & 871. num. 4. alijſque pluribus annis. Quapropter in ſecunda Additione Ludovici Pij cap. 12. laudantur hęc verba capitis tertij Collectionis octoginta Capitulorum Adriani Papę: *Nullus Epiſcopus, niſi Canonicè vocatus, & in legitima Synodo ſuo tempore Apoſtolica auctoritate convocata, ſuper criminibus quibuſlibet pulſatus audiatur, vel impetatur.* Deinde capitulo 20. de Epiſcopo depoſito provocante ad Apoſtolicam Sedem dicitur: *Apud Romanæ Sedis Pontificem iudicetur.* Et cap. 23. additur, *ſtatuendum quod ipſe cenſuerit.* Quæ verba laudantur lib. 7. Capitularium cap. 234. & 235. Inſuper & cap. 323. ſtatuitur, *Vt iudicatus Epiſcopus ad Apoſtolicam Sedem, ſi voluerit, appellet. Ex Concilio Sardicenſi, Titulo quinto. Quòd ſi appellaverit, in Cathedra ipſius alter non ordinetur.* Eademque verba longe antea legebantur in Breviatio Ferrandi Diaconi tit. 59. & 60.

21 Apud eundem Baronium plura ſimiliter invenies de Hiſpanicis alijſque Eccleſijs per totum Chriſtianum Orbem ſparſis, ad annum 258. num. 2. & 592. num. 2 & 595. num. 3. & 602. num 3. & 667. num. 2. & 678. num. 5. & 854. num. 2. Iudicia enim Epiſcoporum, & aliarum cauſarum maiorum, ad Sedem Apoſtolicam referebantur, & ad eam vndique appellabatur; tanquam ad ſupremum tribunal; in quo iudicia quælibet finem acciperent.

22 Quid? quòd ipſi Imperatores & Reges ab iniurijs ſibi factis, aut intentatis provocaſſe inveniuntur ſæpe ad Apoſtolicam Sedem. Id enim fecit Lotharius Imperator anno 862. tempore Nicolai I. Papæ, vt conſtat ex huius Epiſt. 17. & ſeqq. & 82. atque ex Anaſtaſio in eiuſdem Pontificis vita. Deinde Leo VI. Imperator Orientis, cognomento Sapiens, cùm excommunicatus fuiſſet à Nicolao Patriarcha C P. appellavit Ioannem IX. Papam anno 901. Poſtea verò Henricus IV. Rex Germanię, Imperator III. eius nominis, anno Chriſti 1073. ætatis ſuæ 22. primus Regum impedivit appellationes ad Sedem Apoſtolicam, & ne illam interponerent iuſsit Abbati-

batibus Foldenſi & Herveldenſi ſub intermi-natione amittendę gratię ſuæ. quin, & eodem anno coacta eſt Synodus, ſeu potiùs conventicula ab Archiepiſcopo Moguntino in Eſphiſfurd: vbi cunctis terrore ac minis concedentibus in ſententiam Henrici, prohibita fuit ſub pœna capitis & amiſsionis bonorum appellatio Thuringiorum ad Sedem Apoſtolicam, quæ iam parata erat. Sic, nimirum, impijſsimus ille Rex, inter alia ſcelera, auctor fuit eius rebellionis, quæ dicta fuit à Patribus eius ſæculi Henriciana hæreſis. Similiter exeunte eodem ſæculo Vvillelmus Angliæ Rex, cognomento Ruffus, & ipſe bonorum Eccleſiæ invaſor, ac perſecutor S. Anſelmi Archiep. Cantuarienſis, huius appellationem ad Romanum Pontificem Vrbanum II. diu impedivit, vt pluribus narrat Eadmerus in Hiſtoria Novorum. Idemque tentavit poſtea Henricus Vvillelmi frater, qui eidem in Regno ſucceſsit, apud eundem Auctorem lib. 2. prædictę Hiſtoriæ, de quibus plura infrà Diſp. XLV. Sed & alter Henricus Rex Angliæ (ille, nimirum, cuius occaſione glorioſiſsimus Thomas Cantuarienſis tot perſecutiones, & martyrium ſubijt) conatus fuit abolere eiuſmodi appellationes ad Romanum Pontificem, anno 1164. Verùm trienio pòſt ipſemet pro ſuo capite tuendo coactus fuit eas admittere, & confugit ad remedium appellationis. Et ſanè vti optimè demonſtrat Baronius ad annum 1097, nec præſcriptione vlla, nec conceſsione quidem ipſius Apoſtolicæ Sedis impediri poſſunt appellationes ad illam: cùm ſit iuris divini poteſtas eius ſuprema in totam Eccleſiam, & vnicuique ſubdito, vbi ſe gravatum ſentit, liceat provocare ad iudicem ſupremum.

22 Itaque etiam ex praxi, ſeu conſuetudine totius Eccleſiæ à primis ſæculis, & Conciliorum, etiam Vniverſalium, ac Patriarcharum, Eccleſiarumque Orientis, & Occidentis, atque ipſorum Regum & Imperatorum, conſtat ad Sedem Apoſtolicam appellari debere in iudicijs Epiſcoporum, & alijs gravioribus cauſis, tanquam ad ſupremum iudicem, & à quo proinde nulla vlteriùs appellatio ſit. Omnia autem alia dicere oporteret, ſi Romanus Pontifex, etiam præter caſum ſchiſmatis, eſſet inferior Concilio Oecumenico, vt Illuſt. Galliarum Præſules volunt, dum aiunt, ſe non probare interpretationem eorum Canonum Conſtantienſium, quaſi ad tempus ſchiſmatis reſtringantur. Certè eam interpretationem probare debuiſſent, quam extorquet contextus ipſe verborum eius Synodi, & conſenſus omnium ferè Scriptorum, etiam Gallię, quos ſuis locis laudavimus, & auctoritas omnium Summorum Pontificum ſequentium, præſertim à tempore B. Pij V. ſub anathemate prohibentium quaſlibet appellationes à Papa ad futurum Concilium: vt patet ex Bulla Cœnæ quotannis legi & publicari ſolita. Dicere autem tot Pontifices Summos, pręſertim innixos conſuetudini perpetuæ totius Eccleſiæ, & teſtimonijs Conciliorum, ac ſacrorum Canonum, in re adeò gravi erraſſe, & errare, ſummę temeritatis (vt mitiſsimè loquar) eſſet: nec ſolùm ijs tribueretur error facti, ſed iuris, præſertim Martino V. qui eam doctrinam ex cathedra definivit, vt ſuprà vidimus num. 15. antequam in Concilio Lateranenſi Seſs. XI. pleniùs definiretur.

23 Vera itaque omnino, & iuxta fidem Catholicam certa eſt ſententia hactenus tradita de poteſtate Papę explorati & indubitati ſupra Oecumenicum Concilium, ad quod proinde appellare non liceat ex ſententia illius. Sic etiam perpetua Eccleſię praxis fuit vſque modò, vt nunc quoque comprobatur vſu ipſo, quod olim circa finem quinti ſæculi docuit, teſtatuſque eſt S. Gelaſius Papa cap. *Cuncta per mũdum* 9. q. 3. dicens: *Cuncta per mundum novit Eccleſia: quoniam quorumlibet ſententijs ligata Pontificum, Sedes S. Petri Apoſtoli ius habeat reſolvendi, vtpotè quæ de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, NEQVE CVIQVAM DE EIVS LICEAT IVDICARE IVDICIO: SIQVIDEM AD ILLAM DE QVALIBET MVNDI PARTE CANONES APPELLARI VOLVERVNT; AB EA AVTEM NEMO SIT APPELLARE PERMISSVS.*

24 Lege præterea de his eruditiſſimè tractantes, Hieronymum Albanum toto Opere de oppugnata Pontificis dignitate, Cardinalem Turrecrematam lib. 3. Summæ cap. 47. & ſeqq. Ioannem Dominicum Iacobatium in Opere de Concilijs lib. 10. art. 1. Rebuffum tract. de Appellationibus art. 1. Caietanum in Opuſculo de Poteſtate Papæ, & Concilij, Antonium Auguſtinum lib. 1. Epitomes Iuris Canonici, plurimoſque alios laudatos ab Auguſtino Barboſa in Collectaneis ad caput *Cuncta per mundum*, ac præterea ex Scriptoribus Gallis Spondanum ad annos 1415. & 1418. Raynaudum in Opuſculo Αυτός ἔφα latè, Gibalinum lib. 3. de Iure Canonico, Coriolanum & Rives in Prolegomenis ad Concilia, Ludovicum Bail, Franciſcũ Hallier, atque Andræam Duvallium, hos tres DD. Pariſienſes, vt plures alios omittam in decurſu operis laudatos, & noviſsimè Cabaſutium, agnoſcentes Papam in omnibus ſuperio-

riorem Concilio Oecumenico: quorum numero acceſsionem faciet celebris Doctor, & Anteceſſor Pontificij Iuris in noſtra Academia, D. Andreas Garzia de Samaniego, in Tractatu de hac re propediem edendo. Nos certè circa illam ſolùm dedimus, quæ ex privata obſervatione, & lectione varia Concilibrum, Decretalium, & Auctorum, præſertim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſeligere potuimus: nullique ex citatis invidimus laborem ſuum, aut ignobili plagio furati ſumus, nec in hac Diſputatione, nec in XV. & XVI. vbi latiùs eadem controverſia fuit tractata. Sua ergo vnicuique laus integra eſto.

DISPVTATIO XXXVII.

AN VSVS POTESTATIS APOSTOLICÆ, *ſeu Pontificia, moderandus ſit iuxta Canones Conciliorum, præſertim Vniverſalium.*

CONTRA TERTIVM CAPVT DECLARATIONIS CLERI GALLICANI.

PERGVNT *Illuſtriſsimi Galliarum Præſules in Declaratione ſua, & aiunt:* Hinc Apoſtolicæ poteſtatis vſum (*declaramus, ſcilicet*) moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos: Valere etiam regulas, mores, & inſtituta à Regno & Eccleſia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, vt ſtatuta, & conſuetudines tantæ Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmata, propriam ſtabilitatem obtineant. *Huic §. Præſulum Gallicanorum reſpondet alius quarto loco editus anno 1662. à Facultate Theologica Pariſienſi, in quo dicitur*, eandem Facultatem non probare, neque probaſſe vnquam propoſitiones vllas Chriſtianiſsimi Regis auctoritati, aut germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: v.g. quòd Summus Pontifex deponere poſsit Epiſcopos contra eoſdem Canones. *Sanè cùm legeris eam partem Declarationis Cleri, exiſtimabis fortaſſe illum pro ſe habere Canones aliquot indubitatæ auctoritatis, quos Sedes Apoſtolica ſit tranſgreſſa, vel ad quorum præſcriptum ſit moderanda & exigenda eius poteſtas. At enim nullum eiuſmodi invenies. Nam, quemadmodum ipſe ſtylus Cleri indicat per particulam illam HINC, contextus quidam eſt ſermonis continuati cum clauſula præcedenti, quæ tota verſabatur in Canonibus, ſeu decretis illis Synodi Conſtantienſis Seſs. IV. & V. Itaque ij Canones dicuntur à Clero Gallicano* Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia conſecrati: *& quidem intellecti in eo ſenſu, quo nunquam ab Eccleſia probatos fuiſſe, ſed potiùs fulguritos & ſæpe damnatos in Patribus Baſileenſibus & Bituricenſibus, oſtendimus ſæpe, ac nemo eruditorum ignorat. Quare ſub prætextu Canonum editorum à priſcis illis & Oecumenicis Concilijs, obtruduntur nobis Canones adeo nuperi, & præpoſtero ſenſu intellecti. Verùm hoc relicto, ad controverſiam accedamus.*

SECTIO PRIMA.

Iuſtum omnino quidem & debitum eſſe, vt Canones Vniverſales Conciliorum, & peculiares Eccleſiæ Gallicanæ, olim probati à Sede Apoſtolica, non infringantur à Pontifice Romano: ſed ſerventur illæſi.

Exornatur ea doctrina multiplici obſervatione.

1 ASSERTIO Præiacta conſtat quoad Canones Conciliorum Generalium, ac nominatim Niceni omnium primi: quod propter inſignem ſanctitatem & doctrinam Patrum, qui ad illud convenere, ſumma ſemper veneratione exceptum fuit ab Eccleſia. Quapropter S. Leo Papa Epiſt. 53. quæ eſt ad Anatolium Conſtantinop. Epiſcopum, noluit annuere precibus Patrum Concilij Chalcedonenſis rogantium, vt ratam haberet conſtitutionem novam illius, derogantem auctoritati Metropolitanorum, ſtatutæ antea in Concilio Niceno: rationemque addidit, quòd

quòd Canon decimus octavus in Synodo Chalcedonenſi editus infringeret regulas Concilij Nicæni, à nullo vnquam Chriſtianorum Patrum Conventu violandas. *Tanquam refutari nequeat*, ait Leo, *quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per ſanctum verè Spiritum ordinata conditio in aliqua vnquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibi de multiplicatione Synodalis congregationis Synodalia Concilia blandiantur, nec trecentis illis decem & octo Epiſcopis, quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum, vel comparare ſe audeat, vel præferre: cùm tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.* Vbi, vt vides, teſtatur, Nicænam Synodum privilegio divino munitam eſſe, vt quidquid fuerit alienum ab eius conſtitutione in alijs Concilijs, ſit prorſus irritum. Et paucis interiectis ſubiungit: *Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras vſque in finē mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt: & ſi quid vſquam aliter, quàm illi ſtatuerant, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur: vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur.* Quibus verbis palam docet, manſuras eſſe vſque ad mundi finem leges Eccleſiaſticorum Canonum ſtatutas in Concilio Nicæno; vt proinde reijciatur, nimirum à Sede Apoſtolica, quidquid ab ijs deviat. Præterea in Epiſt. ad Pulcheriam quæ eſt 55. ait: *Quoniam contra ſtatuta paternorum Canonum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in vrbe Nicæna, ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil quidquam audere conceditur, ita vt ſiquis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quàm illa corrumpat: quæ ſi (vt oportet) à cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniuerſas Eccleſias tranquilla erit pax, & firma concordia, nullæ de menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegijs ambiguitates, nulla erunt de aliena vſurpatione certamina, ſed ea quæ iure charitatis, rationabilis eſt, & morum, & officiorum ſeruabitur vnitas.* Denique in Epiſt. 66. inquit: *Tanta eſt apud me Nicænorum Canonum reuerentia, vt ea quæ ſunt à ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſſerim, nec patiar aliqua nouitate violari.* Quapropter idem S. Leo auctoritate B. Petri irritum & inanem decrevit Canonem vigeſimum octavum Chalcedonenſem, qui propterea à reliquis expunctus fuit veluti contrarius decretis Magnę Synodi Nicænę.

3 Et hæc quidem teſtimonia vrgentiora ſunt in id ſuadendum, quàm nonnulla alia non multis retro annis obſervata ab Illuſtriſs. Archiep. Pariſienſi D. Petro Marca lib. 3. de Concordia Sacerdotij & Imperij cap. 7. verbis ſuprà exſcriptis Diſp. XXXIV. ſect. 2. quorum diſcuſſionem pleniorem reſervavimus in hunc locum. Nimirum cùm S. Ioannes Chryſoſtomus Archiepiſcopatu Conſtantinopolitano deiectus fuiſſet ab Orientalibus Epiſcopis in Synodo ad Quercum, S. Innocentius I. Papa id irritum declaravit, quòd contra Canones ſacros attentatum fuiſſet. Vnde ad reſtituendum Sedi ſuæ S. Doctorem non dubitavit aliquanto tempore iiſdem Antiſtitibus Orientis communione interdicere. At quoſnam ij Canones violaverant? Hoc non declarat D. Marca: fortaſſe, quoniam id ſilere è re ſua eſſe intellexit ad Gallicanas Libertates aſſerendas. Sed reverà fuerunt Canones Concilij Nicęni, ac Sardicenſis, quod eius veluti appendix cenſetur. Nimirum, in Nicæno Canone 19. ſtatutum fuerat: *Quàmquā accuſati Pontificis cauſam comprovincialibus Eppiſcopis ſcrutari liceat, non tamen inconſulto Romano Pontifice definire: cùm B. Petro Apoſtolo, non ab alio, quam ab ipſo Domino, dictum ſit, Quæcumque ligaveris ſuper terram, &c.* Deinde in Synodo Sardicenſi Canon. 3. cautum eſt: *Nullus Epiſcopus, niſi canonicè vocatus, & in legitima Synodo ſuo tempore Apoſtolica auctoritate convocata, ſuper quibuſlibet criminibus pulſatus audiatur, vel impetatur.* Deinde Canon. 4. additum fuit, non eſſe fas ſufficere aliquem in locum damnati Epiſcopi, dum is qui Romanum Pontificem appellaſſet, eius ſententiam expectaret. Vide Baronium ad annum 347. num. 12. Quę multis poſtea ſæculis Adrianus I. Papa in Epitome Canonū, quam anno 773. miſit ad Carolum Magnum Francorum Regem, ſic præſtrinxit: *Quòd ſi damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id obſervandum eſt, quod ipſe cenſuerit.* Itaque ijs Canonibus, (in quibus certè nullam partem habet Iſidorus Mercator) innixus S. Innocentius Papa, depoſitionem Chryſoſtomi iniuſtam & irritam declaravit. Deinde aliud eſt quòd ille noluerit permittere vt Canones Nicæni & Sardicenſes ab Epiſcopis Orientalibus infringerentur, vtpotè auctoritate ad id faciendum deſtitutis: aliud verò quòd ipſe de plenitudine Apoſtolicæ po-

teſta-

teſtatis non poſſet in vno aliove eventu ſaltem infringere, diſpenſare, aut moderari. De hoc enim poſtea diſſeremus ſectionibus ſequentibus.

4 Simile eſt quod D. Marca ſubdit de Zoſimo Papa irritam declarante diviſionem Provinciæ Viennenſis, quam Epiſcopi Galliarum decreverant in Concilio Taurinanenſi contra ſtatuta Patrum, immo & contra poteſtatem auctoritatemque Arelatenſi Eccleſiæ conceſſam ab Apoſtolica Sede. Propterea enim ſcripſit ad eos in hæc verba, quæ olim Hincmarus Rhemenſis, & poſtea Ivo ac Gratianus obſervarunt, habenturque Epiſt. 3. eiuſdem Zoſimi ad Epiſcopos Viennenſis ac ſecundæ Narbonenſis Provinciæ: *Contra ſtatuta Patrum concedere, vel mutare, ne huius quidem Sedis poſſit auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus viuit antiquitas, cui ſtatuta Patrum ſanxere reverentiam.* Ac præterea in Epiſtola ad Epiſcopos Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ vberiùs rationem reddit: quia *ubi aduerſus ſtatuta Patrum venitur, non tantùm illorum prudentiæ, atque ſententiæ, qui in ævum victura ſanxerunt, ſed ipſi quodammodo fidei, & Catholicæ diſciplinæ irrogatur iniuria. Quid enim tam ſanctum, ac venerabile eſt, quam penitus non exorbitare ab itinere maiorum, quorum Canonica inſtituta, velut quædam fundamenta ſunt ferendis fidei ſacræ ponderibus?* Simile, inquam, id eſt præcedenti: quoniam Patres Tauritanenſis Synodi non erant præditi auctoritate ad infrigenda iura Arelatenſi Eccleſiæ conceſſa ab Apoſtolica Sede, cui Canonica Patrum inſtituta, fidei fundamentis innixa, ſanxere vbique reverentiam. Sed & præterea Arelatenſis Eccleſiæ Primatum, ac vices Apoſtolicæ Sedis Patroclo illius Epiſcopo datas per omnem Galliam, extinxit eius ſucceſſor immediatus Benifacius I. eò quòd conceſsio eiuſmodi contraria eſſet Nicæno Canoni ſexto, in quo cautum fuit: *Suis priuilegia ſeventur Eccleſijs.* Ob eandem cauſam Sedes Apoſtolica irritos declaravit, & proſcripſit Canones aliquot Conſtantinopolitanos & Chalcedonenſes editos de privilegijs Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: quòd nimirum adverſarentur prædicto Canoni Nicæno. Huc denique ſpectat, quòd Bonifacius V. Papa anno 622. Patroclum Arelatenſem Epiſcopum reprehenderit, quia contra Patrum regulas, prætermiſſo Metropolitano, Epiſcopum ordinaverat Lutubenſi Eccleſiæ. Vnde & ait: *Quod nequaquam poſſumus ferre patienter: QVIA CONVENIT NOS PATERNARVM SANCTIONVM DILIGENTES ESSE CVSTODES.*

5 Eodem ſæculo quinto, quo paulo antè laudatus Zoſimus, ſed non paucis poſt ipſū annis, Pontifex fuit Hilarus, à quo Auxanius Epiſcopus Reſcriptum quoddam impetraverat Canonibus, vt videbatur, contrariū. Ita enim apud eundem Papam expoſtulabat Ingenuus Ebrodunenſis Alpium maritimarum provinciæ Metropolitanus, tāquam in eo fuiſſet imminutum ius provinciæ ſuæ. Hilarus verò nolens Canonum prævaricator haberi, eius cauſæ cognitionem quibuſdam Galliarū Epiſcopis, Leontio, Verano, & Victuro, demandavit per Epiſtolam, quæ eſt quarta ipſius, ſcripta anno 465. In ea verò, inter alia, inquit: *Ita veſtræ charitati cognitionem adnexæ querimoniæ delegamus, vt nihil adverſum venerandos Canones, nihil contra ſanctæ memoriæ Deceſſoris mei iudicium valeat, quidquid obreptum nobis eſſe conſtiterit. Nolumus namque Eccleſiarum priuilegia, quæ ſemper ſunt ſervanda, confundi; quia per hoc non minùs in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in iniuriam ipſis Domini proſilitur.* Deinde idem Hilarus in Concilio Romæ coacto anno 467. inſiſtens veſtigijs S. Leonis Papæ, eò magis religioni ducit tranſgredi divinas Conſtitutiones, & decreta Apoſtolicæ Sedis, quò ſuperiorem gradum obtinet in reliquos Eccleſiæ Sacerdotes. Ait enim: *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel diuinas Conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare: quia nos, qui potiſsimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talium tranſgreſſionum culpa reſpiciet, ſi in cauſis Dei deſides fuerimus inventi; qui meminimus qualiter comminetur Dominus negligentiæ Sacerdotum. Siquidem reatu maiore delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum.*

6 Sexto ſæculo anno 531. cùm Bonifacius II. Pontifex anno 530. collectâ Synodo in Baſilica S. Petri delegiſſet ſibi ſucceſſorem Vigilium Diaconum, id ambitiosè quærentem; idque eo prætextu aut fine vt eriperet Gothorum Regibus tyranicam poteſtatem eligendi Pontifices Romanos; paulo pòſt idem Bonifacius, agnoſcens id decretum à ſe editum, quamvis bono fine, adverſari ſacris Canonibus; collecta alia Synodo, *ante confeſſionem B. Apoſtoli Petri, in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio conſumpſit* (illud prius decretum) *QVIA CONTRA CANONES FVERAT FACTVM.* Sic habetur in Lib. Pont. & narratur ab Anaſtaſio: confirmataque fuit

eadem reprobatio prioris illius decreti à Sylverio Papa, & alijs Pontificibus. Sunt & plura alia Romanorum Præſulum teſtimonia, quibus profitentur ſummam Synodalium Canonum obſervantiam.

7 Eodem ſæculo ſexto Facundus Epiſcopus Hermianenſis (cuius duodecim libros pro defenſione trium Capitulorum Concilij Chalcedonenſis edidit Iacobus Sirmondus anno 1639. & nuperrimè recuderũt Aniſſoniani in Bibliotheca Magna Tomo X. initio) lib. 12. cap. 3. commendat plurimum obſervantiam veterum Canonum, ne novi edantur, niſi in prioribus contenti, & præterea *multis in vnum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus.*

8 Ex dictis & pluribus alijs, quæ facilè ſeligi poſſent, efficitur, Romanum Pontificem ad ſervandos & exequendos Canones in Generalibus Concilijs prolatos, & à Sede Apoſtolica confirmatos, eſſe adſtrictum: non tamen quia ille ſit inferior Synodo Oecumenica (ex qua hypotheſi falſa procedit Declaratio Gallicana) ſed quia generatim omnis Legumlator, quamvis ſupremus, adſtringitur ſuis legibus. Proptereaque S. Ambroſius ſcribens ad Valentinianum II. Imperatorem Epiſt. 13. ait: *Quod præſcripſiſti alys, præſcripſiſti & tibi. Leges enim fert imperator, quas primus ipſe cuſtodiat.* Et in Codice Iuſtiniani extat lex 1. tit. 14. cap. 4. edita ab Imperatoribus Theodoſio Secundo, ac Valentiniano Tertio, ad Voluſianum Pretorio Prefectum, in qua aiunt: *Digna vox maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. Adeò de auctoritate iuris noſtra pendet auctoritas. Et revera maius Imperio eſt ſubmittere legibus Principatum.* In quæ vltima verba Dionyſius Gothofredus ait: *Non eſt Princeps ſupra legem, ſed leges ſupra Principem.* Et longè antea Plato lib. 4. de Legibus dixerat: *Vbi lex dominatur, & Magiſtratus ſubeſt, vel deſervit legibus; ibi planè eſt Reſpublica.* Nimirum, optimè conſtituta. Sunt aurea in rem eandem confirmandam trita illa Claudiani carmina in Panegyrico de quarto Conſulatu Honorij, vbi ita Principem hortatur:

Primus iuſſa ſubi. Tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cùm viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur Orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ac vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

9 Quæ rationes vrgent ampliùs in Pontifice Romano: qui vi muneris adſtringitur vt quærat vtilitatem ſpiritualem ſubditorum per obſervantiam Canonum editorum ab Eccleſia, ſive a Sede Apoſtolica. Nihil autem opportunius ad eam ſalutem ſubditorum obtinendam, quàm quòd ipſe Legiſlator Canones ſervet, & exemplo vivido moveat alios ad imitationem ſui.

SECTIO SECVNDA.

Quoſdam ex hæreticis Eutychianis & Acacianis ex ea doctrina pravè intellecta Sedem Apoſtolicam & Eccleſiam exagitaſſe: deinde verò Photium ſchiſmaticum in Græcia, & Hincmarum Rhemenſem in Gallia, ipſorum in ea parte veſtigia ſecutos. Vbi plura de vtroque eorum.

10 EX Summa illa veneratione Synodalium Canonum, quam ſectione præcedenti deſcripſimus, occaſionem accepere plures ſchiſmatici ad impugnandam Apoſtolicam Sedem: quaſi Pontifices Romani nunquam omnino poſſent eoſdem Canones moderari, interpretari, abrogare, aut in ijs diſpenſare, quęcumque nova aut rationabilis cauſa occurreret: immo & quaſi aliqui illos temerè violaſſent. Primi aut præcipui eius erroris expoſtulationiſque auctores videntur fuiſſe quidam Epiſcopi hęretici, Eutychiano fermento imbuti, qui in Synodo Chalcedonenſi Act. I. accuſarunt inſtitutionem novi quoddammodo Symboli, ſeu additionem factam in Synodo II. Generali apud Conſtantinopolim celebrata, quaſi contraria eſſet auctoritati Concilij Nicæni, & decreto Synodi Sardicenſis: vt poſtea videbimus. Nimirum ij etiam in eo errârunt, quòd crederent, nec Sedem Apoſtolicam, nec Concilium eius auctoritate congregatum, poſſe vnquam, aut data quavis occaſione vrgente, variare, moderari, aut interprętari Canones præcedentium Conciliorum. Quare eorum clamores in Synodo Chalcedonenſi cum dedecore reiecti fuerunt. Similiter & Acaciani, vt in erroribus ſuis perſiſterent, & impunes evaderent, allegarunt, Canones Conciliorum pręcedentium à Sede Apoſtolica violatos fuiſſe, ideoque eius iudicium irritum cenſendum. Verùm cùm tam falſa eſſet allegatio Canonũ, quàm iniuſta cauſa ipſorum, damnati ab Eccleſia fuerunt.

11 Eorundem hęreticorum veſtigia preſsit longè poſtea Photius ille, bipedum ſceleſtiſsimus, & iuratus hoſtis Eccleſiæ Romanæ: qui ſæpe Pontifices, ac pręſertim Nico-

Nicolaum I. (ſanctiſsimum certè, ac doctiſſimum, & acerrimum defenſorem Sedis Apoſtolicæ, tenacemque diſciplinæ Eccleſiaſticæ) non eſt veritus redarguere, quòd nullam Canonum rationem haberent, quibus ſubiacere debuiſſent. Quare ipſius Photij nomine Zacharias, etiam ſchiſmaticus, Metropolita Chalcedonenſis in Synodo VIII. Generali Actione VI. auſus fuit palam dicere: *Et Papæ Nicolai, & cæterorum Patriarcharum, Canon Princeps eſt, & ſecundùm illum agentes non faciunt id quod extrà docetur. Cùm ergo extra hunc faciunt, ſiue Papa Nicolaus, ſiue alius quis, non acquieſcimus.* Alij breviùs è Græco vertunt: *Canones ſupra Patriarchas etiam ſunt. Quando ergo hi in Canones peccant, eos non ſequimur.* Similiter Euſchemo ſchiſmaticus Archiepiſcopus Cæſareæ in Cappadocia Actione VII. dixit: *Ego ijs, quæ per rationem non ſunt acta, & qui non ſectantur Canones ſanctorum Apoſtolorum, & ſanctarum Vniuerſalium Synodorum, non tantum ſi Romanus aut Hieroſolymitanus ſit, ſed etſi Angelus de cœlo veniat, & non conveniat ſano verbo; nequaquam parco, neque ſequor.* Cumque Baanes Patricius Baſilij Imperatoris in ea Synodo Vicarius & Legatus rogaſſet, Quis poſſet abſolvere Photianos Epiſcopos damnatos à quinque Patriarchis vnanimiter conſentientibus; reſponderunt ipſi: *Canones Apoſtolici. Legatos autem Sedis Apoſtolicæ iudices non recipimus.*

12 Quis crederet, Photianos nihil aliud, quam Canones, paſsim vociferantes, non habere pro ſe aliquos ab Eccleſia editos, quibus ſuam cauſam tuerentur? At è contrà accidit. Etenim Baſilius Auguſtus eorum clamorem indignatus, per prædictum Baanem ſic eos perſtrinxit: *Dicite, quis Canon vos adiuvet? Et vbi poſuerit Dominus Canones, in Eccleſijs ſuis, an in aliquo alio loco? & vbi Eccleſiæ ſint hodie, & vbi prædicetur Euangelium? Eſt alius locus, præter quem tenent ſanctiſſimi Vicarij?* Quo eodem ferè ſtylo olim S. Gelaſius Papa Epiſtola quarta factioni Acacianę, nihil aliud quàm Canones clamanti, repoſuerat: *Viderint ſi alios habent Canones, quibus ineptias ſuas exequantur.* Nimirum ſicuti Gelaſius olim veros & legitimos Canones ſequutus inſtè Acacianos damnavit: ita & poſtea Nicolaus I. Papa, ac deinde Adrianus II. in Synodo Octava Generali per Legatos ſuos, conſentientibus quatuor Patriarchis Orientis, iure merito Photium & gregales damnando,

cenſuit. Nec ij ab Imperatore invitati ad Canones producendos, ſiquos pro ſe haberent, vllum omnino allegarunt, nec videntur inveniſſe quo cauſę ſuæ patrocinium ferrent. Quare demum in eos omnes Synodalis Anathematiſmus ex ambone pronuntiatus fuit ijs verbis: *Photio curiali & invaſori, anathema; Photio ſæculari, & forenſi, anathema; Photio tyranno, & neophyto, anathema; Photio ſchiſmatico, & damnato, anathema; Photio mœcho, & parricidæ, anathema; Fabricatori mendaciorum anathema; inventori perverſorum dogmatum, anathema; Photio novo Maximo Cynico, anathema; novo Dioſcoro, anathema; novo Iudæ, anathema; omnibus ſequentibus, & fautoribus eius, anathema; Gregorio dudum Epiſcopo Syracuſano, anathema; Eulampio depoſito, & ſchiſmatico, anathema.* His diris & execrationibus devotum fuit Photij nomen ac ſequacium ipſius, qui ſub ſpecioſo tuendorum Canonum prætextu veros impugnabant Canones, nullum pro ſe legitimum habentes. Vnde & Nicolaus Papa iam laudatus Epiſt. 6. ad illum multò antè ſcripſerat: *Decretalia, quæ à ſanctis Pontificibus primæ Sedis Romanæ Eccleſiæ ſunt inſtituta, cur vos nō habere vel obſervare dicitis?*

13 Idem Photius, vt obtruderet errorem popularem Græculorum de proceſsione à ſolo Patre, plurimùm debacchatus fuit adverſus Latinos, in quibuſdam Regionibus addentes Symbolo particulam FILIOQVE, quæ antea neqnidem in Symbolo Conſtantinopolit. extabat, immo & quæ videbatur contraria Decreto cuidam Synodi Sardicenſis vetantis in eo omnem additionem: de quo redibit ſermo ſect. ſeq. num. Verùm non tam id faciebat zelo & obſervantia Canonum ductus, quàm pertinaci errore in ea opinione planè contraria divinis litteris, immo & Patribus Græcis omnibus (ſi Theodoretum excipias) nec ſolùm Latinis, vt palam oſtendemus infrà Diſput. XLIII. initio ferè. Vide plurima obſervata digna de eodem Photio apud nuperum ſcriptorē Nicetam Paphlagoniū David, in vita S. Ignatij Patriarchæ CP. in qua & exactiſsimè tradit Hiſtoriam VIII. Synodi Generalis.

14 Eodem tempore, ac ſimili ferè genio quo Photius, Nicolao ipſi Papæ Hincmarus Rhemenſis in Galia Archiepiſcop. non levem indignationis cauſam dedit effutiens, à Romano Pontifice non poſſe edi novos Canones, Edicta, Decreta, Leges, aut mandata, niſi ex generalibus Eccleſiæ Canonibus hauſta, ſeu virtute ſaltem in ijs contenta. Ita ille Epiſt. 30.

ſcribens adverſus nepotem ſuum Hinemarum Laudunenſem Epiſcopum, quem dirisſimè exagitavit. Indoit eam opinionem Hinemarus ex indignatione adverſus ſanctisſimum Pontificem Nicolaum, qui ioiquas eius ſententias, latas adverſus Rhotaldum Sueſsionenſem Epiſcopum, & Clericos Rhemenſes ordinatos ab Ebbone Archiepiſcopo, per appellationem ad ſe devolutas, aliaque plura eius Acta, reformaverat, aut irrita declaraverat: ac præterea vetuerat, quemquam ex Epiſcopis provincialibus deponi à quovis Metropolita, aut eius Synodo, ſine prævia Apoſtolicæ Sedis licentia. Quod quidem iam antea conſtitutum fuerat in Concilijs Nicæno & Sardicenſi, vt ſuprà num. 3. vidimus, & in Epiſtolis Decretalibus plorimorum Pontificum habebatur expreſſum. Et tamen quaſi Nicolaus io eo Canooes violaſſet, ab Hinemaro impudenter notatus fuit: Quio & ipſi Nicolao obiecit Epiſtolam S. Leonis Magni ad Epiſcopos Italiæ, præcipientis ſub anathemate vt reciperent & ſervareot omoia Romanorum Pontificum Decretalia Cooſtituta, *quæ de Canonum promulgata ſunt diſciplinis.* Et in Epiſtola 14. ad Proceres Galliarum de inſtitutione Caroli Magni Regis, atque in litteris ad ipſum Nicolaum Papam; ait omnia decreta S. Gregorij Magni ex Canonibus fuiſſe hauſta: ideoque nulla alia Pootificum debere recipi. Vnde poſtea ab eodem Hinemaro ſeducta Synodus Pontigooenſis noluit admittere vices à Ioaone VIII. Papa commiſſas Archiepiſc. Senonenſi per Galliam & Germaniam, quod præindicarent Metropolitarum dignitati, per generales Eccleſiæ Canones ſtabilitæ. Itaqoe quo tempore Photius in Græcia impugnabat poteſtatem Sedis Apoſtolicæ ſub prætexto generalium Canonum: eodem qooque, ac ſimili ferè genio Hinemarus in Gallia. Quio & erga nepotem ſuum Hinemarum Epiſcopum Laudunenſem, doctum ſanè ac pium, crudelisſimè ſe geſſit, nec eius appellationes ad Sedem Apoſtolicam admittere voloit tempore Adriani Papæ. Quin potiùs illum io eas anguſtias redegit; vt Epiſcopatu privatus, in carcere deteotus, ferrea catena vioctus, & excæcatus fuerit.

15 Verùm multò antea Nicolaus ioſtam indignationem concepit adverſus Hincmarũ, qodd in eo detexiſſet perdoellem animuon, & verſatilem quocumque privata vtilitas aut honor abduceret: ideoque non dubitavit eum appellare chameleontem, novum Dioſcorum, & alterum Pharaonem. Scio multos ex Recentioribos, ac præcipuè Petrum Roveriom, Alexandrum Tennentium, Lodovicum Cellotiũ, & Iacobum Sirmoodum, plura in honorem Hinemari ſcripſiſſe, ac præcipoè poſtremum ex his, qui omoia eius Opera duobus Tomis cõpreheoſa in lucẽ edidit Pariſijs anno 1645. apud Cramoſium. Sed ſcio etiam quàm multa adverſus illum ſcripſerint Baronius, & qui eius Hiſtoriã io Epitomen redegit diligenter Spõdanus, ac Præſes Mauguinus, & Archiater Chiffletius, ac oovisſimè Cabaſutius. vt nihil dicam de veteribus, Flodoardo lib. 3. Hiſtoriæ Rhemenſis, Lupo Ferrariæ Abbate, Rabano Moguntino Archiepiſcopo, & Annalibus Bertinianis ac Fuldenſibus: ex quibus omnibus cooſtare videtur, quemadmodum ille doctrioa, eruditione, & multis præclarè geſtis, ſuo ſęculo enituit: ita quoque ob multa malè acta, & impiè attentata, præſertim contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, iuſtam indignationem ſubijſſe ſanctisſimi Pontificis Nicolai, & bonorum omnium. Lege ſpeciatim in eius Tomo II. Epiſtolam 18. & 19. ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis, & 22. 26. ac 27. ad Nicolaum Papam, in quibus ſe purgat de tumore ac dolo, & 41. ac 42. ad Adrianum Papam, tum ſuo, tum Caroli Regis nomine; & 44. ad Epiſcopos, ac taodem 47. ad Ioannem VIII. nomine eiuſdem Caroli iam Imperatoris. Ex ijs, nimirum, conijci poteſt præcipoè qualiter ſe geſſerit Hinemarus erga Apoſtolicam Sedem, non recipiens illius decreta, niſi edita iuxta Canones.

16 Ex ea Hinemari opinione videtur ortum, quòd vivente ipſo circa annum 878. Epiſcopi Galliarum in ſua conſecratione profiterentur, ſe recipere ac ſervare omnia Apoſtolicæ Sedis decreta, hauſta ex antiquis Canonibus & Regulis. Ita enim conſtat ex aotiquis formularibus Eccleſiæ Gallicanæ, editis à Iacobo Sirmondo. Similiter videtur indidem proceſsiſſe, quòd Epiſcopi Trecenſis Synodi, vt legitur apud Bertinianos Francorum Aonales, probaverint excommuoicationem latam à Ioanne VIII. Papa contra Lambertum & Adelbertum Italiæ Comites, eo *QVOD PROLATA ESSET EX PRIVILEGIO S. PETRI IVXTA SACROS CANONES*. quaſi aliter vim non haberet. Nimirum, cùm Hinemarus vixerit toto tempore Ioannis VIII. & eodem anno 882. ac menſe Decembri, obierint ambo; credibile eſt, quidquid ſub Pontificatu Ioannis geſtum fuit in ea parte ab Epiſcopis Galliarum, ſimulque tempore Pontificũ præcedeotium, quoddammodo ortũ duxiſſe ab ipſo Hinemaro, qui 37. annis Rhemenſium Archiep fuit, & magnam vbique apud Gallos auctoritatẽ, atque exiſtimationẽ habuit. Quin & fortè ex eâdẽ ipſius doctrina,

aut exemplo ſub finem ſæculi ſequentis, nimirum, circa annum 990. Gerbertus Archiepiſcopus Rhemenſis (qui poſtea in Sede Apoſtolica dictus fuit Sylveſter II.) pugnavit contra exemptionem & privilegia conceſſa Monaſterio S. Dionyſij Pariſienſis. Cumque ijs vrgeretur, reſpondit lib. 2. Epiſt. 32. *Se privilegijs auctoritate Canonum promulgatis aſſenſurum, nec vllum contra leges Eccleſiaſticas decretum pro lege recepturum.* Deinde ſæculo vndecimo ſequenti circa annum 1064. Gervaſius, pariter Archiep. Rhemenſis, eodem ferè modo ſcripſit ad Alexandrum II. Papam, contra exemptiones, ſeu privilegia quorundam Monachorum.

17 Quę hucuſque vidimus, & plura alia quę ex Hiſtoricis obſervare licuit, eiuſmodi ſunt, vt Hincmarus Rhemenſis videatur ſimillimus in multis Photio fuiſſe. Inprimis enim vterque fuit eruditiſsimus eius noni ſæculi iam vergentis: Ille in Gallia, hic in Gręcia. Sicuti Hincmarus favore Caroli Calvi Regis in ſuperbiam elatus fuit, ideoque plures alios Epiſcopos Galliarum, etiam reluctantes & invitos, ad opinionem ſuam Sedi Apoſtolicæ infenſam ſæpe traxit, adhuc in Concilijs, ſeu potiùs Conciliabulis Vermerienſi, Attiniacenſi, & Duziacenſi: ita & Photius inſoleſcens gratiâ Imperatoris Græcię, ſeu potius Cæſaris Bardę, plurimos Epiſcopos Orientales in errores ſuos rapuit, contrarios Eccleſiæ Romanæ, coacto in id Conciliabulo, quod veritus non eſt nuncupare Octavam Synodum Generalem. Rurſus quemadmodum Photius Nicolao I. & Adriano II. Pontificibus Romanis debitam obedientiam & ſubiectionē negavit; ita ex parte Hincmarus. Ille Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, doctrina & ſanctitate inſigni præditum, è Sede ſua deiecit, & atrociter inſectatus fuit: hic verò pariter nepotem ſuum Hincmarum Epiſcopum Laudunenſem, litteris & pietate clarum, exauctoravit, & diriſsimè habuit, vt nuper diximus. Denique, ſicuti Photius nihil aliud quàm Canones clamabat, vt ſe eximeret à debita ſubiectione erga Sedem Apoſtolicam: ita & Hincmarus. Vt propterea Nicolaus I. ſicut hūc appellavit, *novum Dioſcorum, & alterum Pharaonem*; ita etiam alterum Photium dicere potuerit: non quod mea opinione, aut alterius, quē ſciam, Hincmarus ſit in nequitia ęquandus, nec longiſsimo quidem gradu, cum Photio: ſed quod illi in plurimis fuerit aliquantò ſimilis.

18 Accedit, quemadmodum Photius Synodos Oecumenicas Septimā & Octavam illam Nicææ anno 787. hanc Conſtantinopoli anno 869. coactam pro ſacris Imaginibus, nullius roboris eſſe voluit, cum ingenti damno totius Græciæ: ita & Hincmarum videri ſe geſsiſſe cum perturbatione gravi totius ferè Galliæ. Imprimis enim in Epiſt. 35. ſeu Opuſculo 55. capitulorum cap. 20. ſcripto ad Hincmarum Laudunenſem nepotem ſuum, auſus fuit dicere, Septimam Synodum ſine Sedis Apoſtolicę auctoritate celebratam fuiſſe. in quo non ſolùm labitur & miſerè errat; ſed confirmat errorem aut hęreſim eorum, qui in Gallia Synodum illam ritè celebratam, & in reliquo Orbe Chriſtiano receptam, admittere noluerunt: quin potiùs ſacras Imagines inſectati ſunt. Verba præcipua Illius hæc ſunt: *Septima apud Græcos vocata Vniverſalis Pſeudo Synodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu ſano definiens, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, non longè ante noſtra tempora Conſtantinopoli eſt à quam plurimis Epiſcopis habita, & Romam miſſa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Caroli Magni Imperatoris, iuſsione Apoſtolicæ Sedis, Generalis eſt Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & ſecundùm Scripturarum tramitem, traditionemque Maiorum, ipſa Græcorum Pſeudo-Synodus deſtructa, & penitùs abdicata. De cuius deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum.* Nimirum, quamvis iam tunc fluxiſſent circiter octoginta anni à Synodo VII. Oecumenica celebrata & probata ab Apoſtolica Sede, præſertim quoad cultum ſacrarum Imaginum; adhuc in Gallia perſeverabat error oppoſitus Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis, Ionæ Epiſcopi Aurelianenſis, Haligdardi Epiſcopi Cameracenſis, aliorumque: quibus tanto poſt tempore adhęrere maluit Hincmarus, quàm Concilio VII. Generali, & Romanæ Eccleſiæ illud probanti. Vide infrà Diſp. XXXVIII. ſect. 2. Iam quod attinet ad Synodum Octavam, tempore ipſius Hincmari coactam pro eiſdem ſacris imaginibus; notum etiam eſt quomodo multi in Gallia illam admittere noluerint, ſed potiùs reprehenderint, quod in ea cultus Imaginum fuerit confirmatus. Sic loquitur ex Gallis Aimoinus libro 5. capite 28. ſcriptor illius temporis, qui ſanè palam deſipere in eo non auderet, niſi idem error eſſet tunc etiam ſuffragijs multorum munitus in Gallia. Cùmque eo ipſo tempore tanta eſſet auctoritas Hincmari vt nihil in Concilijs aut alijs rebus publicis ſine ipſius interventu & conſi-

lio ageretur; ſuſpicari licet, aut dubitare, an inſtar Photij pariter eam Synodum criminatus fuerit, quemadmodum Septimam in eundem errorem Iconomachorum proſcribendum coactam, acephaliæ & nullitatis notaverat, non ſemel illam appellans Pſeudo ſynodum, vt ex ipſo nuper audivimus. Quin & Canonem tertium Octavæ Synodi Generalis fuiſſe editum contra eundem Hincmarum, alioſque Galliarum Epiſcopos, affirmat & colligit ex ipſius verbis & eorum opinione Lupus Tomo II. pag. 1273.

19 Hæc dixerim, non vt Hincmaro dedecus pariam maius, quàm antea ſubierit publicis aliorum ſcriptis: præſertim cùm certus ſim ex communi omnium ſententia, illum olim in Regio S. Dionyſij Monaſterio Regulam S. Benedicti fuiſſe profeſſum: & præterea, geſsiſſe plurima laude digna, atque vtilia Reipublicæ Chriſtianæ. Solùm itaque dicta ſunt, vt appareat Declarationem nuperam Illuſtriſsimorum Galliæ Præſulum, quâ parte labefactat auctoritatem Apoſtolicæ Sedis, & provocat ad Canones, quaſi Pontifex Romanus nihil extra illos agere poſsit, & veluti cui Concilia leges præſcribant, tanquam inferiori; videri deſumptam ex genio & ſpiritu Photiano Hincmari. quem certè imitari nullatenus deberent: ſed potiùs veſtigia premere aliorum Galliæ Antiſtitũ, vita & doctrina clariſsimorum, qui ſæculis ſequentibus longè aliter locuti ſunt, & plenã exhibuere obedientiam decretis Apoſtolicę Sedis, nec litem intẽtarunt, an ex Canonibus, ſive vniverſalibus ſive peculiaribus Galliæ derivati eſſent: vt infrà videbimus ſect. 4. Quin potiùs eidem Hincmaro contendenti, Pontifices Romanos non poſſe novos Canones aut ſtatuta condere, & aliunde tranſgredienti quę antiquitus in Eccleſia fuerant tradita, præſertim circa cauſas Epiſcoporum Sedi Apoſtolicę reſervatas; repoſuit Nicolaus I. Papa, prout habetur in Decreto diſt. 12. cap. 5. *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt temporibus noſtris, vel falſo inſimulari ſanctam Dei Eccleſiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à ſanctis Patribus ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringi patiamur.*

SECTIO TERTIA.

Pontificem Romanum non ita adſtringi ad obſervantiam Canonum, etiam Synodalium, aut receptorum in Gallia, vt iuſta occurrente cauſa, ſeu rationabili, nequeat illos moderari, interpretari, abrogare, aut in iis diſpenſare, & novos Canones, ac decreta condere, prout vtilius iudicaverit ad bonum Eccleſiæ. Illuſtria teſtimonia in eum ſcopum expenſa.

20 HÆC Aſſertio poſterior confirmata fuit ineluctabilibus argumentis Diſp. XXXIV. ſect. 4. num. 31. 32. & 33. quæ non oportet inculcare modò, ſed ſolùm obſervare, quemadmodum illa extorquent abſolutam & liberam poteſtatem Summi Pontificis ad infringendum, diſpenſandum, aut moderandum Canones Conciliorum Generalium, quoties iudicaverit ita oportere, aut iuſtam cauſam ſubeſſe: ita etiam, immo & multò magis relatè ad Canones peculiares Gallicanę Eccleſiæ, vel cuiuſlibet alterius ſub cœlo. Nimirum hi non maiorem, immo nec tantam vim & auctoritatem habent, ac Canones Vniverſalium Conciliorum. Quare quemadmodum Pontifex ob plenitudinem poteſtatis in totam Eccleſiam, quam à Deo immediatè habet, poteſt Canones pro tota illa editos, ſicubi oportere cenſuerit, abrogare, diſpenſare, & moderari: ita etiam ob eandem poteſtatis plenitudinem in ſingulas Eccleſias Nationales, poteſt idipſum facere circa Canones earum peculiares. Omnes enim ij ſunt ſolius iuris Eccleſiaſtici, & humani, quod plenè ſubiacet Romano Pontifici, tanquam Vicario Chriſti in terris: nec aliter conditi ſunt in Concilijs Generalibus aut Nationalibus, quàm ipſo probante. Cumque omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvatur, vt iura clamant: ſicuti omnes eiuſmodi Canones per auctoritatem Romani Pontificis editi ſunt, ita etiam per illam diſſolvi, explicari, diſpenſari, aut reſtringi poſſunt.

21 Verùm placet præterea idipſum confirmare illuſtribus quibuſdam teſtimonijs: ac primùm quidem Synodi IV. Generalis, id eſt Chalcedonenſis habitæ ſub Leone Magno Papa, illo ipſo, qui tantopere commendavit obſervantiam Canonum Synodalium locis ſectione 1. exſcriptis. Ibidem igitur ſexcenti triginta Patres congregati protulerunt hæc verba, quæ Divus Thomas exſcripſit poſtea in Opuſculo contra errores

Græ-

Grǽcorum: *Veneramur ſecundùm Scripturas, & Canonum definitionem, ſanctiſſimũ Antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe, & maximum Epiſcoporum.* Atque inferiùs: *Siquis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad Beatiſſimum Epiſcopum Antiquæ Romæ: quia habemus Petrum Petram refugij. ET IPSI SOLI LIBERA POTESTATE LOCO DEI SIT IVS DISCERNENDI SECVNDVM CLAVES A DOMINO SIBI DATAS: ET OMNIA AB EO DIFFINITA TENEANTVR, TANQVAM A VICARIO APOSTOLICI THRONI.* Ecce vbi Concilium illud Oecumenicũ non ſolùm ex Scriptura ſacra, & definitionibus Canonũ, profitetur Romanũ Pontificem eſſe primum & maximũ Epiſcoporum, ad quẽ fas ſit cuilibet Epiſcopo appellare, vbi ſe gravatũ in honore ſenſerit; ſed etiam teſtatur, *ipſi ſoli loco Dei eſſe ius diſcernendi ſecundum claves à Domino ſibi datas*: ipſi ſoli, inquam: non vlli Cõcilio, non vlli alteri cœtui, aut perſonæ, aut dignitati: ac denique ſtatuit, vt *omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Apoſtolici throni.* Omnia, inquam, ab eo definita ſine reſtrictione vlla. Nec contradixit huic doctrinę S. Leo Papa, qui pluribus locis teſtatam habet Apoſtolicæ Sedis plenam poteſtatem in totam Eccleſiam: ſed ſolùm reſtitit Canoni 28. veluti contrario Nicænis PP.

22 Præterea in Synodo VIII. Generali celebrata Conſtantinopoli ſub Adriano II. & Baſilio Auguſto anno 869. hic Canon ordine ſecundus editus fuit: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis: ipſi enim pervigilãt pro animabus veſtris rationem reddituri, Paulus magnus præcipit. Itaque beatiſſimum Papam Nicolaum TANQVAM ORGANVM S. SPIRITVS habentes, necnon & ſanctiſſimum Adrianum Papam ſucceſſorẽ eius, definimus, atque ſancimus etiã omnia, quæ ab eis Synodicè per diverſa tempora expoſita ſunt & promulgata, tam pro defenſione, & ſtatu Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ, & ſummi Sacerdotis eius, Ignatij videlicet ſanctiſſimi Patriarchæ, quã etiam pro Photij Neophyti & invaſoris expulſione, ac condẽnatione, ſervari ſemper & cuſtodiri cum expoſitis capitulis immutilata pariter, & illæſa, & nullum Epiſcoporum, aut Presbyterorũ, vel Diaconorum, aut quempiã de Catalogo Clericorum evertere, vel reprobare aliquid horum audere. Quiſquis autem poſt hãc definitionẽ noſtrã comprehenſus fuerit ſpernens quidquam capitulorum & decretorum, quæ ab illis expoſita ſunt, ſiquidem Sacerdos fuerit, aut Clericus, à proprio decidat honore ſimul, & ordine; Monachus autẽ, vel laicus, cuiuſcumque ſit dignitatis, ſegregetur, donec pœnitens profiteatur ſe conſervaturum prædictorum editionem.* Hæc ſtatuit ſancta illa atque Oecumenica Synodus eodem ferè tempore, quo Photius ſchiſmaticus, & ſequaces eius, expoſtulabant & vociferabantur in Oriente, ſicuti & Hincmarus Rhemenſis in Gallia, violatos, & læſos à Nicolao ipſo fuiſſe antiquos Eccleſię Canones: cùm certum eſſet, aut eos perperam ab ijs allegari, aut non fuiſſe ab initio ritè atque Apoſtolica auctoritate editos, aut tandem potuiſſe Nicolaum pro Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſuprema & pleniſſima in certis circunſtantijs moderari, reſtringere, interpretari, vel abrogare, ſaltem ad tempus.

23 Quod ipſum longè antea circa finem quinti ſæculi fecerat S. Gelaſius I. Papa. Etenim in Epiſt. 1. quæ eſt ad vniverſos Epiſcopos per Lucaniam, & Brutiam, & Siciliam conſtitutos, initio inquit: * Neceſſaria
„ rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apo-
„ ſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic
„ Canonũ paternorũ decreta librare, & retrò
„ Pręſulũ, Deceſſorumque noſtrorum pręcepta
„ metiri, vt quæ præſentiũ neceſſitas temporũ
„ reſtaurandis Eccleſijs relaxata depoſcit, adhi-
„ bita conſideratione diligenti, quantũ poteſt
„ fieri, temperemus: quo nec in totum formam
„ veterum videamur excedere regularũ, & re-
„ parandis militiæ Clericalis officijs, quæ per
„ diverſas Italiæ partes, ita belli, famiſque con-
„ ſumpſit incurſio, vt in multis Eccleſijs, (ſicut
„ fratris & Coepiſcopi noſtri Ioan. Ravenna-
„ tis Eccleſiæ Sacerdotis, frequenti relatione
„ cõperimus) vſquequaque deficiente ſervitio
„ miniſtrorũ, niſi remittendo pauliſper Eccle-
„ ſiaſticis promotionibus antiquitus intervalla
„ præfixa remaneant (ſine quibus adminiſtrari
„ nequeant) ſacris ordinibus Eccleſię funditus
„ deſtitutę: atque in plurimis locis, per inopiã
„ competentis auxilij, ſalutare ſubſidium redi-
„ mendarum deſit animarũ: noſque magno rea-
„ tu, ſi tanto coarctante periculo, non aliquate-
„ nus conſulamus innecti. * Et ſubiunctis ſtatim varijs decretis moderationibuſque legum, ſive Canonum præcedentium, prout exigebat miſera illa temporum conditio, ſubdit §. 11. * Cùm enim decreta venerabilium ſanctionum nos quoque magnoperè cuſtodire nitamur, ac ſine eorum diſpendio etiam illa, quæ pro alicuius vtilitatis compendio fortaſſe videantur laxanda credamus: cumque nobis contra ſalutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cum *Sedes Apoſtolica ſuperior his omnibus*, favente D. quę paternis

poteſtatem habet; *ET CONDENDI NOVOS CANONES, ET VETERES EXPONENDI.* Rationem ipſam numero præcedenti indicatam reddit Apologus ſcriptor ſuprà laudatus, dicens cap. 31. *Reverentiam, ſive obedientiam, quam ſacratiſsimis quatuor Concilijs iuxta S. Gregorij mandatum meritò exhibemus, decretis Apoſtolicæ Sedis nullatenus derogare: immo, ſi poſſibile eſt, ſtudioſiùs impendere debemus; cùm ſine eorum auctoritate nec ipſa Concilia fas eſſet recipere.* Quæ ratio firmiſsima eſt. Qui enim auctoritatem impertit Concilio, eiuſque Canonibus, alioqui nullam vim habituris; multò magis illam habere credendus eſt ad ſua decreta & Canones proprios edendos: vſque adeò, vt ſi concurrerent Canones invicem pugnantes, alter cuiuſpiam Concilij Oecumenici; alter recentior ex certa ſcientia & poteſtatis plenitudine editus à Pontifice Romano; huic poſteriori omnino ſtandum ſit.

27 Ne tamen quiſquam imperitus hallucinetur, noverit certè quod hoc loci tradimus, non intelligi de Canonibus Conciliorum Generalium confirmatis à Sede Apoſtolica, in quibus definitur aliquid circa fidem, aut mores; tanquam per ſe malum, aut bonum. Quippe eiuſmodi Canones ſemel confirmati à Pontifice Romano, ſunt certa omnino regula fidei, quam nec ipſe, nec tota Eccleſia revocare, aut mutare poteſt. Loquimur itaque ſolùm de Canonibus ſeu decretis, quæ non eduntur veluti declarationes articulorum fidei, nec iuris naturalis aut divini: ſed ſolùm veluti leges aut conſtitutiones iuris humani Eccleſiaſtici; quas dicimus Papam iuſta ratione aut neceſsitate occurrente moderari, ampliare, abrogare, aut in iis diſpenſare poſſe.

28 Idipſum alio invicto argumento & exemplo confirmatur. In Sardicenſi Cōcilio Oecumenico, quod Magnæ illius Nicænæ Synodi veluti Appendix fuit, decretum eſt, ne aliquid vlteriùs definiretur circa res fidei, nevè aliud Symbolum ederetur præter Nicænum, ea ratione addita, *ne illis quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere, occaſio ſuppeditaretur, vt iterum atque iterum de fide definiant.* Ita enim teſtatur S. Athanaſius in litteris Synodalibus ad Eccleſiam Antiochenam. Et tamen non obſtante eo decreto, & veneratione ſumma quam ab initio habuit Concilium Sardicenſe, puſtea in Synodo II. Generali, quæ fuit Conſtantinopolitana I. editum eſt aliud Symbolum, quod ab ipſa nomen accepit, & in tota Eccleſia ſtatim receptum fuit, ac vſque modò in vſu eſt ad ſacrificium Miſſæ peragendum. Nimirū obortis poſt Concilium Nicænum & Sardicenſem hæreſibus Pneumatomachorum, negantium palam Deitatem Spiritûs ſancti, quæ non ita dilucidè expreſſa fuerat in Symbolo Nicæno; viſum eſt Patribus Concilij CP. convenientes & opportunum, aliam Symboli formam edere, in qua illa palam ac pleniùs teſtata haberetur. Nec ſanè ij SS. patres vel à S. Damaſo Papa, qui eam Synodum probavit, vel ab vllo alio ex Catholicis reprehenſi fuerunt: cùm & auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & exigente id temporum neceſsitate, novum quodammodo Symbolum ediderint, contra quàm in Sardicenſi Synodo cavebatur. Sed ecce ſeptuaginta annis pòſt, Epiſcopi Ægyptij in Synodo Chalcedonenſi Act. I. contra illud recentius Symbolum Concilij CP. ſive contra adiectionem expreſſam Deitatis & conſubſtantialitatis Spiritûs ſancti cum Patre & Filio, quę non habebatur dilucidè in Symbolo Nicæno, clamaverunt, quaſi contraria eſſet prædicto decreto Concilij memorati. Vnde ea omnium eorum vox fuit: *Nemo ſuſcipit adiectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa conſtituta ſunt, teneant.* Deinde eundem clamorem vehementiùs ingeminàrunt, aientes: *Adiectionem nullus ſuſcipit. Teneant quæ Patrum ſunt: teneant quæ in Nicæa conſtituta ſunt: teneant quæ de Spiritu ſancto ſunt.* Idipſum latiùs proſequuntur in litteris extantibus poſt eandem Synodū Chalcedonenſem Epiſt. 24. quę eſt ad Leonem Auguſtum. Ita quidem ij Epiſcopi novum Symbolum, ſive adiectionem illam criminati ſunt. Verùm non erant Catholici, ſed hæretici Eutychiani, quorum calcibus aut ſuggeſtionibus iniquis S. Flavianus Archiep. CP. cæſus fuit; ac S. Protharius Alexandrinus in ipſo Baptiſterio, non ſine horrore, vel Gentilium ipſorum, fuit redactus in cineres, atque in ventos diſperſus. De quo latiùs infrà Diſp. XLIV. ſect. 2. n. 15. 19. & 22. Vnde & nulla ratio habita eſt expoſtulationis ipſorum in Concilio Chalcedonenſi: ſed ij cum Eutychete anteambulone ſuo reiecti ſunt, retentâ additione facta in Symbolo Conſtantinopolitano, quod apertè ipſorum hęreſim iugulabat. Itaque qui in ſpeciem tuebantur auctoritatem Concilij Nicæni; & Canonis Sardicenſis, eoque ſpecioſo prætextu impugnabant adiectionem factam in Synodo CP. hæretici erant. Ideoque Patres Chalcedonenſes, nihil obſtante criminatione ipſorum, eam adiectionem probarunt Actione V. in Decreto Fidei, confirmato à S. Leone Papa: cuius verba exſcribemus loco indicato numero decimo nono.

29 Prętereà, non obſtante eodem Canone Synodi Oecumenicę Sardicenſis, quo prohibebatur, vt aliquid vlteriùs definiretur circa res fidei, cætera omnia Concilia Oecumenica, quotquot hactenus celebrata ſunt, definierunt plura circa res fidei. Quin & Pontifices Romani, ſicuti ante tempus Concilij Sardicenſis ſoliti fuerant ſine ope Oecumenici Concilij damnare hæreſes ſuo tempore ortas, & veritates contrarias definire tanquam fide divina certas, totâ Eccleſiâ ſtatim excipiente ipſorum definitiones veluti cœleſtia Oracula: ita etiam poſt eiuſdem Concilij tempus vſque modò idipſum fecerunt cum laude totius Eccleſiæ Catholicæ: vti oſtenſum fuit toto ferè Tractatu I. per ſingula ſæcula: ipſique Galliarum Præſules teſtati ſunt in Epiſtola ad Innocentium X. ſcripta 19. Iulij 1653. Conſtat igitur ex praxi Conciliorum Generalium, & Romanorum Pontificum, Canones olim ſtatutos in Synodis Oecumenicis, etiam ritè confirmatis, quale fuit Sardicenſe, veluti appendix Magni Concilij Nicæni, occurrente cauſa iuſta & neceſsitate vrgente, iudicio Apoſtolicæ Sedis mutari, reſtringi, abrogari, aut diſpenſari poſſe, ſive intra, ſive extra Oecumenicam Synodum. Vide plura alia infrà num. 41. Quid dicam de gradibus cognationis in quibus iuxta alia & alia tempora variavit leges Eccleſia, ſive Sedes Apoſtolica, ad prohibendum matrimonia? Quid circa ętatem & requiſita ad ſacros Ordines, & Epiſcopatum recipiendum, ac Summum Pontificem eligendum? Denique cùm hęc, & plura alia, ſint iuris Eccleſiaſtici, ac proinde humani, neceſſum eſt vt interdum, occurrente varia temporum, locorum, & rerum viciſsitudine, mutationem aliquam ſubeant, quam Pontifex pro tempore exiſtens, quantumvis tenax recti, & zelator diſciplinæ Eccleſiaſticæ, nequeat non permittere, aut etiam probare. Vide plura alia ſupra obſervata huc ſpectantia Diſp. XXXIV. num. 33. Quamvis fatendum ſit, vitanda maximè eſſe, quantum fieri poſsit, nova decreta, ſtatuta, aut præcepta: at multò magis occaſionem illorũ. Verum eſt enim illud: *Corruptiſsima Republica, plurimæ leges.*

*

SECTIO QVARTA.

Mirum eſſe quòd recentes Galliarum Epiſcopi in eadem Declarationis parte, potius videantur ſequi veſtigia Hincmari, & Photy, quàm tot exempla Summorum Pontificum, & praxim Apoſtolicæ Sedis, immò & doctrinam Patrum Eccleſiæ Gallicanæ, qui poſt tempus Hincmari omnia Pontificum decreta, & ſummam atque abſolutam poteſtatem condendi leges exceperunt humiliter, & palam reſtati ſunt. Obiectiones ſolutæ.

30 MIRUM, inquam, id eſt, è cineribus Hincmari tandiu frigidis octo ſæculorum longiſsimo decurſu intra ſepulchrum, nunc prodiiſſe ſcintillas, immo & ignem non facilè extinguendum in Gallia, contra ſupremam Romani Pontificis poteſtatem ad ferendum leges, edicta, ſtatuta, & decreta nova in toto Orbe Chriſtiano, prout expedire ac neceſſarium eſſe iudicaverit; ſive illa in veteribus Canonibus generalibus, aut peculiaribus ritè probatis in Gallia contineantur, ſive non.

31 Deberent ſanè Illuſtriſsimi Præſules in ea parte non Hincmarum, non Photium ſectari: ſed tot Romanos Pontifices doctrina & ſanctitate clariſsimos, qui oppoſitum tradidere palam, & ſæpiſsimè executi ſunt, tam intra, quàm extra Concilia Oecumenica, vt vidimus ſect. pręced. Immo & deberent ſequi veſtigia Patrum ſuæ Eccleſiæ Gallicanæ, qui poſt tempus Hincmari eius opinionem reiecerunt, & obedientiam integram plenamque Apoſtolicę Sedi ſcriptis & factis reſtatam reliquerunt. Talis fuit imprimis S. Fulco immediatus ſucceſſor eiuſdem Hincmari in Archiepiſcopatu Rhemenſi: tales & plures alij, quos ſubiungo.

32 Cùm S. Gregorius VII. Papa in Dictato ſuo ſuperiùs memorato edidiſſet Canonem illum: *Soli Romano Pontifici licet pro temporis neceſsitate leges condere*: nonnulli refractarij & perduelles, qui ab Henrici Imperatoris ſchiſmatici partibus in Germania erant, ipſius ſtatuta reiecerunt. Sed tribus poſt eius piiſsimum ac glorioſum obitum annis, Chriſti 1088. electus fuit Vrbanus II. Natione Gallus, è Caſtellione ad Matronam fluvium: qui, excitata tunc eâdem fere quæſtione, quam nunc præ manibus habemus: An, ſcilicet, Papa in condendis mandatis, legibuſve, debeat attendere antiquos & generales Eccleſiæ Canones; ita illam dirimit, vt eſt apud Gratianum 25. q. 1. c. 6. *Sunt quidam*

dam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges. quod & nos non ſolùm non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum verò ſummopere eſt, quod inde novas leges condere poteſt, vnde Euangeliſtæ, & Prophetæ aliquid nequaquam dixerunt. Vbi vero apertè Dominus, vel eius Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti Patres ſententialiter aliquid definiuerunt; ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prædicatũ eſt vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Vbi planè agnoſcit in Pontifice Romano poteſtatem ferendi novas leges & & decreta circa ea omnia quæ non opponuntur Scripturæ ſacræ, aut traditioni Apoſtolicæ, à Patribus *ſententialiter* definitæ. Patet verò non eſſe einſmodi Canones Eccleſiaſticos, ſiue vniverſales Conciliorum, ſiue particulares receptos in Gallicana Eccleſia, aut qualibet ſub cœlo alia.

33 Sed opponunt DD. Pariſienſes in Declaratione illa anni 1662. non eſſe doctrinam Facultatis, *quod Summus Pontifex poſſit deponere Epiſcopos aduerſus eoſdem Canones.* Hanc enim eſſe vnam ex germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus. Et eodèm abſdubio reſpexiſſe videntur Illuſtriſs. Galliarum Præſules in ipſo tertio articulo Declarationis editæ 19. Martij 1682 quem præ manibus habemus Itaque videtur Gallicana Eccleſia adquiſiſſe aliquod ius ne Pontifex Romanus poſſit contra Canones gradu deijcere Epiſcopos ipſius, nova lege aliqua, vel decreto, aut ſententia.

34 Verùm hoc ipſum eſt, quod ſęculo novo voluit Photius ille ſchiſmaticus in Græcia, & Hincmarus refractarius in Gallia, propterea reprehenſi & notati à ſanctiſsimo Pontifice Nicolao I. Et ij quidem nihil aliud, quàm Canones, Canones clamabant, non meliori iure, quàm nu ıc DD. Pariſienſes: ſiquidem ex Canonibus Generalium Conciliorũ, præſertim Nicæni & Sardicenſis, quos ſuprà nu.n.3. exſcripſimus, & ex innumeris Epiſtolis Decretalibus ac teſtimonijs Pontificum Romanorum, ac perpetua praxi Sedis Apoſtolicæ conſtat, Epiſcoporum iudicia, & depoſitionem ipſorum per ſententiam definitivam, ad illam ſolam ſpectare; idque ex Apoſtolica traditione. Neque Eccleſia Gallicana habet, vel vnquam habuit, addo nec ritè habere potuit privilegium aliquod ſibi conceſſum à Sede Apoſtolica, qua hæc ſe abdicaret poteſtate ſuprema deponendi Epiſcopos: cùm id ſit annexum Primatui & Capiti totius Eccleſiæ ex iure divino immediato, cuius nullá ceſſionem licitè aut validè facere poteſt.

35 Præterea ratio cur Pontifex poſſit deponere Epiſcopos quarumlibet aliarum ſub cœlo Eccleſiarum, quoties eo ſupplicio dignos cenſuerit, ea eſt, quòd ille iure divino omnium earum Paſtor, Caput, Doctor, & Legiſlator ſit. Hæc autem ratio pariter vrget circa Eccleſiam Gallicanam: vtpote ſpectantem ad vniverſalem curam & regimen eiuſdē ſupremi Paſtoris. Quam in rem tritus quidem eſt, ſed illuſtris maximè locus Bernardi de Conſideratione ad Eugenium III. Papam ita, ſcribentis intra Galliam ipſam * Age, indagemus adhuc diligentiùs qui ſis, quam geras, videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia, Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus, Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu Primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine, Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate, Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui Claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem &, alij cœli Ianitores, & gregum Paſtores: ſed, tu tantò glorioſius, quantò & differentius, vtrumque præ cæteris nomen hęreditaſtī., Habent illi ſibi aſsignatos greges, ſinguli, ſingulos: tibi vniverſi crediti, vni vnus. Nec, modò ovium, ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probem quæras? Ex, verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves?, Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas?, Oves inquit meas. Cui non planum, non, deſignaſſe aliquas, ſed aſsignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil, & fortè præſentes omnes condiſcipuli erant, cùm, committens vni vnitatem omnibus commendaret in vno grege, vt vno Paſtore, ſecundùm illud: vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non, habent, ſed diviſionem; recedentes ab vnitate. Inde eſt quòd alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus qui videbatur columen Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolymâ, Petro, vniverſitatem cedens. Cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogativę?, Ergo iuxta Canones tuos, alij in partem, ſolicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis, vocatus es. Aliorum poteſtas, certis arcetur limitibus; tua extenditur & in ipſos, qui, poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonnè ſi, cauſa extiterit, *TV EPISCOPO COELVM CLAVDERE, TV IPSVM AB EPISCOPATV DEPONERE, ETIAM ET TRADERE SATANÆ*

PO

„*POTES*? Stat ergo inconcuſſum Privile-
„ gium tuum tibi, tam in datis Clavibus, quàm
„ in ovibus commendatis.

36 Videant, quæſo Illuſtriſs. Præſules Gallicani, expendant ſapientiſsimi DD. Sorbonæ verba hæc Bernardi, ac minutatim ruminent ſecum. Ego certè plurima, quæ in iis occurrunt, & multa alia quæ exinde colliguntur contra vtramque ipſorum Declarationem, & evaſionem aut obiectionem præiactá, quoniam fortaſsis indignationi eſſent delicatis auribus, & parum patienti genio, malui relinquere ipſorum prudentiæ, quàm verbis exprimere.

37 At ſinamus Romanum Pontificem, dum deponit aliquem Epiſcopum, dum illum excommunicat, aut ſuſpendit; impingere in ſacros Canones, iudicio aliorũ Præſulum Galliæ, & DD Pariſienſium. Negat ille conſtanter, & perſiſtit in ſententia. Quid faciendum? ſtudebunt adhuc reluctari, aut moras nectent, quaſi potiùs iudicio ipſorum, quàm Sedis Apoſtolicæ, ſtandum ſit? Execrabile profectò facinus, quod in media Gallia ſcribens Goffridus Vindocinenſis, Cardinalis S. Priſcæ, acriter reprehendit Epiſt. 17. quæ eſt ad Goffridum Epiſcopum Carnotenſem, dicens: *Si cuilibet retractare placet quod Romanus Pontifex facit, & in eum qui ſoli cælo innocentiam debet, os ponere præſumit; & illud retractare placet, quod illum magis intuitu miſericordiæ, quàm cenſuræ iuſtitiæ reſpexit: Acephali non ſumus: quia Chriſtum Saluatorem Caput habemus, & poſt ipſum Romanum Pontificem. Hoc Caput habuit Monaſterium noſtrum in initio ſuo, & habebit, Deo auxiliante, vſque in finem ſæculi.* Et Epiſt. 30. ad eundem: *Eodem Spiritu, quo dictante & Lex prima per Moyſen lata eſt, & per Chriſtum ſecunda, ſancta Apoſtolica Sedes, Leges, quas Canones appellamus, dedit, & ipſo inſpirante expoſuit. Siquis igitur Apoſtolicæ Sedi, quæ Leges Canonum dedit, in Canonum expoſitione contrarium ſentit, non ſapit, quicumque eſt ille, ſed deſipit: & quia ſuo ſpiritu loquitur, non cultor, vel expoſitor diuinæ Legis, ſed inſidiator, & oppreſſor indubitanter agnoſcitur.*

38 Similiter S. Ivo Carnotenſis in Gallia Epiſcopus Epiſt. 83. inquit: *QVONIAM IVDICIA ROMANÆ ECCLESIÆ A NEMINE FORIS RETRACTARI POSSE EADEM ROMANA ECCLESIA DOCENTE DIDICIMVS, ſiqui aliquando ſe prægravatos ipſius Eccleſiæ auctoritate conquerantur, hoc iis conſilium damus, vt non deſcendant in Ægyptum propter auxilium; ſed ab ipſa ad ipſam confugiant, & inde expectent levamen, vnde ſe conqueruntur accepiſſe gravamen: quia quæ aliquando corripit paterna ſeueritate, eadem frequẽter colligit materna pietate.* Similiter cùm Vrbanus II. Papa Gaufredum Carnotenſem in Gallia Epiſcopum gradu deiecisset, & Richerius Archiepiſcopus Senonenſis eum tueretur, ac per vim quoddammodo honori priſtino reſtituere vellet; idem S. Ivo Carnotenſis his verbis invectus fuit adverſus Richeriũ Epiſt. 8. quæ velim præ oculis habeant nunc Illuſtriſs. Galliarum Præſules: *CONTRA APOSTOLICAM SEDEM CAPVT ERIGITIS, DVM QVOD ILLA ÆDIFICAT, VOS, QVANTVM IN VOBIS EST, DESTRVITIS; ET QVOD ILLA DESTRVXIT, VOS ÆDIFICARE CONTENDITIS. CVIVS IVDICIIS, ET CONSTITVTIONIBVS OBVIARE, EST HÆRETICÆ PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE: CVM SCRIPTVRA,* (id eſt Dictatum S. Gregorij VII. Papæ) *DICAT: HAERETICVM ESSE CONSTAT, QVI ROMANÆ ECCLESIÆ NON CONCORDAT.* Hæc, inquam, vellem vt ſecum expenderent Illuſtriſs. Galliarum Præſules, qui nuper de excommunicatione intentata à SS. D. N. Innocentio XI. in Archipræſules Pariſienſem ac Toloſſanum tam amarè conqueſti ſunt, & vtriuſque defenſionem veluti pro aris & focis apud ſe recepiſſe videntur.

39 Ioannes Sarisberienſis, & ipſe pariter Carnutẽſis in Gallia Epiſcopus, Epiſt. 192. eandem auctoritatem Romani Pontificis ad condendum novas leges, & abrogandum veteres, tradit perſpicuè quoad ea omnia, quæ ſolius iuris humani & Eccleſiaſtici ſunt, dicens: *Os meum in cælum ponere non præſumo. Fateor verum eſſe, omnia licere Romano Pontifici, ſed ea dumtaxat quæ iure diuino Eccleſiaſticæ conceſſa ſunt poteſtati. Liceat ei iura nova condere, vetera abrogare: dum tamen illa, quæ à verbo Dei in Euangelio, vel lege, perpetuam cauſam habent, mutare non poſsit.*

40 Mitto plura alia Patrum Gallicanorum & Doctorum teſtimonia, quæ denſo numero allegari poſſent, quatenus agnoſcunt in Romano Pontifice auctoritatem ſupremi infra Deum legumlatoris: cuius muneris & officij quidem eſt leges ſervare, etiam à ſe latas, vel à Deceſſoribus ſuis, idque ex debito officij, ac boni exempli erga ſubditos: quos

nullo

nullo meliori modo poteſt ad obſervantiam legum aiiicere, quàm ſi primus eas exequatur. Verùm cum ea obligatione cohæret, immo illigata eſt poteſtas ſuprema diſpenſandi, moderandi, & abrogandi eas, quoties vrgens cauſa vtilitatis aut neceſsitatis, præſertim publicæ, interveniat; & eò quidem gravior, quò materia illarũ maioris momenti fuerit. Quare ſi Pontifex ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis vti velit, & ſalvo iure naturali ac divino (quę duo inconcuſſa & firma perſiſtere debent) aliquid præcipiat vel decernat, quod videatur contrarium Canonibus Conciliorum Vniverſalium ſive peculiarium alicuius Regni aut Eccleſiæ, etiam probatis à Sede Apoſtolica; quamvis ſubditis fortaſſe liceat humiliter repræſentare difficultatem rei, & ſupplicare ne aliquid innovetur; tamen vbi ille in ſententia perſtiterit, parendum eſt, tanquam vtenti ſuo iure, & ſoli Deo debenti rationem reddere eorum, quæ agit; ne alioqui Deo ipſi reſiſtatur. Hic enim locum etiam habet illud Apoſtoli Romanorum 13. à Præſulibus nuperis Galliæ aliàs nobis obiectum: *Omnis anima po[t]eſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque, qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit.* Quod cùm iidem Præſules interpretantur in ordine ad extollendam plus iuſto poteſtatem Regum temporalem; cur nõ accipiunt relatè ad ſupremam & ſpiritualem auctoritatem Pontificis Romani in tota Eccleſia Dei? Nonne iis debuerat eſſe cordi potiùs ſacra & ſpiritualis poteſtas, quàm politica & temporalis?

41 Neque obſtant doctrinæ traditæ, quæcumque obiicit Archipræſul Marca ſectione prima allegatus, & nos prætereà ibidem præmiſimus. Etenim pleraque teſtimonia Romanorum Pontificum ibidem allegata ſummùm extorquent ipſorum obligationem moralem ad ſervandum Canones, leges, decreta, & ſtatuta Apoſtolorum, Conciliorũ, & Deceſſorum ſuorum, qualem num. præcedenti deſcripſimus, & ſalvo iure diſpenſandi, commutandi, vel abrogandi, quoties vrgens neceſsitas, vel vtilitas, præſertim publica, intervenerit. Id enim eſt de ratione iuris & legum humanarum, vt quamvis Eccleſiaſticæ ſint, mutationi ſubiaceant, ob variam temporum, regionum, & perſonarum conditionem. Quare eam poteſtatem Romani Pontificis agnoſcunt ad diſpenſandum ex vrgenti & iuſta cauſa, etiam in Conſtitutionibus, ſive Canonibus quibuſdam Apoſtolorum, graviſſimi Theologi cum D. Thoma in 4. diſt. 17. Durando, & Paludano ibidem: nimirum, non in iis; quarum Apoſtoli dumtaxat fuerunt promulgatores, veluti quæ ad fidem & Sacramenta ſpectant, ſuntque ſolius iuris divini, & proinde æternæ atque immutabiles permanent: ſed in aliis iuris humani, quas Apoſtoli, tanquam Legumlatores, & Gubernatores Eccleſiarum, ad bonum earum regimen & decentiorem, ſtatum ediderunt. Inter has cenſentur quæ de Digamis, & Bigamis leguntur. Attamen creditur, Martinum Papam cum digamo aliquando diſpenſaſſe: & prætereà Gloſſator teſtatur, cum Epiſcopo quodam Panormitano diſpenſatum fuiſſe, cùm eſſet bigamus. Vide 34 d. cap. *Lector*, & cap. *Super eo*, de Digam. Quin & 81. cap. *Presbyter* 5. dicitur: *Presbyter, ſi fornicationem fecerit, QVAMQVAM SECVNDVM CANONES APOSTOLORVM DEBEAT DEPONI; tamen iuxta auctoritatem beati Papæ Sylueſtri, ſi in vitio non perduraverit, ſed ſua ſponte confeſſus adiecit vt reſurgat, decem annis in hunc modũ pœniteat, &c.* Deinde Apoſtolus Paulus præcepit Neophytos ad Epiſcopatum non aſſumi. Et tamen ſæculis ſequentibus aliqui ex iis ad ampliſsimos Epiſcopatus, annuente Sede Apoſtolica aut probante, aſſumpti fuere: veluti Cyprianus Carthaginenſis, Ambroſius Mediolanenſis, Talaſius Cæſarienſis, Nectarius, Taraſius, Nicephorus, & Flavianus Conſtantinopolitani Patriarchæ. Nimirum non minor poteſtas & auctoritas ad regendam Eccleſiam ineſt Romano Pontifici, quàm cuilibet Apoſtolorum, vel cuivis Concilio Oecumenico. Vnde gravi occurrente neceſsitate, aut vtilitate, & eò graviori, quò materia maioris ponderis eſt, poteſt abſdubio in ipſorum Canonibus, aut Conſtitutionibus, quæ ſolius iuris humani ſunt, diſpenſare. Quare ſi quando S. Leo Papa S. Innocentius I. Zoſimus, aliique Pontifices, indicant, nec Sedem Apoſtolicam poſſe aliquid decernere aut agere contra ſtatuta Patrum; intelligi debent, aut de ſtatutis ſpectantibus ad ius divinum, iuxta Patrum ſententiam; aut de impotentia quaſi morali, vt non facilè, ſed gravi & vrgenti admodum cauſa id agere poſsint. Vide plura alia huc ſpectantia ſuprà ſect. 3. & Diſput. XXXIV. num. 33. & lege eximium atque eruditiſsimum Theologum Michaelem de Medina lib. 5. de Continentia ſacrorum hominum cap. 101. & ſeqq. vbi plura de hoc.

42 Denique vel ipſe D. Marca, dum vrget obligationem ſervandi ſacros Canones in Romano Pontifice, vt ſub ea ſpecie aut larva tueatur libertates Eccleſiæ Gallicanæ, videtur concedere prorſus in ſententiam & doctrinam hucuſque traditam, dum lib. 3. de Con-

Concordia cap. 7. ait: *Non agimus cum Sede Apoſtolica, quaſi cum poteſtate quadã certis regulis ita devincta, vt eas nullo caſu egredi poſsit: cùm ſciamus Canonum diſpenſationem, cuius eſt in politia Eccleſiaſtica frequentiſsimus vſus, Summo Pontifici præcipuè concreditam. Sed veluti ex pollicitatione, qua ſuis decretis Canonum & Conſtitutionum executionem ſpoponderunt, à B. Petri ſucceſſoribus cum debita reverentia exigimus.* Hæc ille generatim. Neque ampliùs audere iure potuit Vir vtriuſque Iuris peritiſsimus: cùm, præter plura alia, in cap. Significaſti de Electionibus habeantur hęc verba Paſchalis Papæ ad Archiep. Panormitanum: *Aiunt, in Concilijs non reperiri ſtatutum: quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Quæ omnia vrgentiori titulo verificari de Canonibus Conciliorum Nationalium, ac proinde Gallicanorum, quàm Vniverſalium, patet: cũ hæc ſint maioris longè auctoritatis.

43 Hinc obiter colliges quàm vera ſit doctrina à nobis tradita ſuprà Diſput. XXXIV. contra Præfationem Declarationis Cleri Gallicani, in qua prædicantur magnificis verbis *Libertates Eccleſiæ Gallicanæ, tanto ſtudio à maioribus obſervatæ.* Vt enim ibidem demonſtratum fuit, & rurſus conſtat ex toto contextu huius Diſputationis, ſive intelligantur iuxta multiplicem ſenſum eo loco explicatum; ſive in ordine ad Canones Conciliorum Vniverſalium, aut Nationalium & propriorum Galliæ, vt impræſenti vidimus; aut nullæ prorſus ſunt reipſa, aut peculiares non ſunt, ſed communes omni ſub cœlo Eccleſiæ: aut ſi has metas prętergredi velint, ſchiſmaticæ prorſus erunt, & indignæ Regno Catholico, ac nobiliſsima portione illa Eccleſiæ Vniverſalis. Vide Diſp. XLI.

DISPVTATIO XXXVIII.

QVO SENSV ACCIPIENDVM SIT, VAlere regulas, mores, & inſtituta in Regno, & Eccleſia Gallicana recepta.

Circa poſteriorem partem eiuſdem Capitis Tertij Declarationis Gallicanorum Antiſtitum.

DECLARANT Illuſtriſs. Galliæ Præſules in poſteriori parte eiuſdem Capitis ſeu §. 3. *Valere etiam regulas, mores, & inſtituta in Regno, & Eccleſia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, vt ſtatuta, & conſuetudines tantæ Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmata, propriam ſtabilitatem obtineant.* In qua Declaratione tam ampla, occurrunt multa non parum difficilia, & periculi plena: cùm multæ ac varię ſint regulę conſuetudineſque in Regno Galliarum, de quibus non ſolùm Exteri Scriptores Theologique, ſed etiam domeſtici ipſi plurimùm dubitant, an ſint contra ius & fas: quin & aliqui aſſeveranter nigro thetâ illas notant. Quapropter viſum, cautionem aliquam adhibere, & delectum circa conſuetudines Regnorũ quorundam proprias & ipſius Galliæ, ſaltem in genere: ne probatis omnibus indifferenter, imperiti aliquot, immo innumeri, in ſcopulũ aliquẽ impingant, & naufragium in fide, aut ſalute faciant.

SECTIO PRIMA.

Præmittitur varietas regularum, conſuetudinumq; in alijs & alijs Regnis & provincijs: quarum quædam ab Eccleſia vltro permiſſæ aut etiam probatæ: quædam proſcriptæ, veluti contrariæ iuri naturali, divino, aut Eccleſiaſtico. Varij textus Iuris Canonici explanantur.

2 MORES, Sive conſuetudines, regulas, & inſtituta varia eſſe, non ſolùm in diverſis Regnis, ſed etiam intra eiuſdem Regni provincias, tam frequenti omniũ ferè experimento notum eſt, vt fruſtra in eo ſingillatim demonſtrando immoremur. Porrò conſuetudines eiuſmodi ſunt in duplici differentia. Quędam nec iuri naturali, aut divino, nec legibus Eccleſiaſticis aut Civilibus adverſantur: & has nullibi proſcripſit Sedes Apoſtolica: quin potiùs probaſſe videtur in Decreto diſt. 12. cap. 1. vbi dicitur: *Scit ſan-*

ſanctis Romana Eccleſia, quòd nihil obſunt ſaluti credentium diuerſæ pro loco & tempore conſuetudines, SI ILLIS CANONICA NON OBSISTAT AVCTORITAS, pro qua eis obviare debeamus. Vnde nihil iudicamus eis debere vel poſſe reſiſtere. Et cap. 6. *Diuturni mores conſenſu vtentium approbati, legem imitantur.* Et c. 7. *Conſuetudo præcedens, & ratio, quæ conſuetudinem ſuaſit, tenenda eſt. Et quidquid contra longam conſuetudinem fiet, ad ſolicitudinem ſuam revocabit Præſes provinciæ.* Qui Canon deſumptus fuit ex Codice lib. 8. tit. Quæ longa conſuet. l. 1. Similiter S. Gregorius Magnus in Reſcripto 3. ſeu Reſponſo (& habetur cap. 10. eiuſdem diſtinctionis) ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, inquit: *Novit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit enutritam. Sed mihi placet, vt ſiue in Romana, ſiue in Gallicorum, ſiue in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicitè eligas, & in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc in fide nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſijs colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſijs, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige: & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorũ mentes in conſuetudinem depone.* Nimirum, eiuſmodi conſuetudo, vndecumque hauriatur, innoxia, & imitatione digna eſt.

3 Præterea Auguſtinus, clariſsimum Eccleſiæ lumen, ſcribens ad Ianuarium Epiſt. 118. cap. 2. cùm commendaſſet obſervantiã traditionum ab Apoſtolis vel Plenarijs Concilijs acceptarum, quæ vbique retineri debent, ait: *Alia verò, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicuti eſt, quòd alij ieiunant Sabbato, alij verò non, alij quotidie communicant corpori, & ſanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantùm, & Dominico, alibi tantùm Dominico; & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt; totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes. Nec diſciplina vlla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quãcumque fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate, ſervandum eſt. Mater mea Mediolanum me conſecuta, invenit Eccleſiam Sabbato non ieiunantem: cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. At ille ait: cùm Romam venio, ieiuno Sabbato, cùm Mediolani ſum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renuntiaſſem, libenter amplexa eſt.*

4 Itaque eiuſmodi conſuetudines, & ſtatuta propria aliquorum locorum, cùm nihil habeant rationi rectæ, aut honeſtati, vel legibus Eccleſiaſticis aut Civilibus contrarium, vel inconceſſum; nullibi prohibentur, ſed potiùs vnicuique regioni permittuntur, aut etiam probantur à Sede Apoſtolica.

5 Quapropter ſi de eiuſmodi conſuetudinibus inſtitutiſque in Gallia receptis, neque vnquam improbatis à Sede Apoſtolica, loquantur Præſules Gallicani; verè pronuntiant. Attamen in eo nulla peculiaris libertas eius Regni, aut Eccleſiæ aſſeritur; ſed cõmunis quoque ad alia quælibet totius Orbis Chriſtiani, proportione habita: vt ex ſe patet, conſtatque ex citatis iuribus, quæ indifferenter loquuntur.

6 Aliæ verò conſuetudines ſunt in aliquibus Regnis introductæ ab antiquo tempore, etiam ſuperante hominum memoriam, quę rectæ rationi aut honeſtati contrariantur: & hæ paſsim ferè proſcriptæ in iure Eccleſiaſtico, ac ſæpe in Civili, inveniuntur. Vnde in eodem Gratiani noſtri Decreto diſt. 11. c. 1. dicitur ex doctrina S. Iſidori: *Vſus auctoritati cedat; pravum vſum lex & ratio vincat.* Nimirum, ſi conſuetudines ſint contrariæ iuri naturali aut divino, nulla ſui diuturnitate, nulla præſcriptione tranſire poſſunt à turpibus & inconceſsis ad licitas honeſtaſve: cùm id ius ſit æternum & immutabile: cuius proinde obligatio nulla exceptione eludi, nulla epijkiã corrigi, nullo vſu cõtrario obſoleſcere poteſt. de quo plura præmiſsimus in Philoſophia Morali Tomo II. diſp. 10. q. 7. præſertim ſect. 4. Eoque potiſsimùm ſenſu Imperator Conſtantinus lib. 8. Codicis tit. 53. *Quæ ſit longa conſuetudo,* l. 2. inquit ad Proculum: *Conſuetudinis, vſuſque longævi, non vilis auctoritas eſt: verùm non vſque adeo ſui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem.* Quare ſi conſtiterit, aliquam conſuetudinem longævam cuiuslibet Regni, provinciæ, aut populi, vllo modo contrariam eſſe iuri naturali, aut diuino; certum omnino eſt, nulla temporis diuturnitate, etiam immemorabilis,

lici-

licitam reddi poſſe. Ideoque aiebat ſcitè Tertullianus lib. de Velandis Virginibus: *Veritati nemo præſcribere poteſt: non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, nõ privilegium regionum. Ex ijs enim ferè conſuetudo, initium ab aliqua ignorantia, vel ſimplicitate ſortita, in vſum per ſucceſſionem corroboratur: & ita adverſus veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit. Quodcumque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo.* Et Cyprianus ad Pomp. eodem ſenſu: *Conſuetudo, quæ apud quoſdam irrepſerat, impedire non debet quominus veritas prævaleat & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt. Propter quod, relicto errore, ſequamur veritatem, ſcientes quòd veritas vincit, veritas valet, & invaleſcit in æternum, & vivit & obtinet in ſæcula ſæculorum.* Neque in hoc vlla eſt, aut poteſt eſſe diſſenſio, non modò inter Catholicos, ſed inter Gentiles, quibus naturalis rationis lumen offuſcatum non eſt. Ideoque Ariſtoteles lib. 5. Ethicorum obſervat, ius naturale vbique apud omnes Gentes habere ſemper eandem vim ad potentiam. Eademque ratio eſt de iure divino, etiam poſitivo: cùm nullo ex capite conſtet, nec conſtare poſſit, Deum ſupremum Dominum Legiſlatoremque iure ſuo cedere, aut impunem relinquere vllam conſuetudinẽ æternæ legi ſuæ contrariam, in quacumque materia illa verſetur; ſed potiùs prohibere ſub reatu mortis æternæ. Vnde ſi in aliquo Regno introducta ſit conſuetudo, vt homines baptizati nunquam Sacramentaliter confiteãtur Sacerdoti, nec ſacram Euchariſtiam recipiant, nec vnica vxore vivente contenti ſint, &c. (quæ omnia ad ſolum ius poſitivum divinum ſpectant) non propterea vllam excuſationem habent: cùm ius divinum omni vſui contrario prævaleat, & ab eo ſuperari non poſſit. Ideoque Symmachus Papa in Cõcilio Romano habito tempore Theodorici Regis, definit: *Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem cuſtodienti, aliquid contra divina mandata præſumere, nec quidquam quod Evangelicis, Propheticis, aut Apoſtolicis regulis obviat, agere.* Nimirum ea omnia ſunt iuris divini, & ſupra iuriſdictionem Regum Imperatorumque.

7 Aliæ autem conſuetudines, etiam longævæ, quorundam Regnorum, provinciarum, populorumve, quamvis non opponantur iuri naturali, aut divino poſitivo, ſi tamen præceptis Eccleſiæ Romanæ ſint contrariæ, ab ea reprobantur. Vnde in eadem diſt. 11. cap. 2. Nicolaus I. Papa ſcribens ad Michaelem Imperatorem, ait: *Conſequens eſt, vt quod ab huius Sedis Rectoribus plena auctoritate ſancitur, nullius conſuetudinis præpediente occaſione, proprias tantùm ſequendo voluntates, removeatur; ſed firmiter atque inconcuſſè teneatur.* Præterea ibid. cap. 3. Iulius I. Papa in Epiſt. ad Orientales, inquit: *Nolite errare, fratres mei chariſsimi, doctrinis varijs, & extraneis nolite abduci. En inſtituta Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum, Canoneſque habetis: his fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini, vt his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorũ iacula perſiſtere valeatis. Satis enim indignum eſt, quemquam, vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc regulam refutare, quam beati Petri Sedem & ſequi videat, & docere. Multum enim convenit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit Principatum.* Vides qualiter ijs verbis improbentur quæcumque contraria ſunt inſtitutis Apoſtolicis, Canonibus ſacris, & moribus Eccleſiæ Romanæ.

8 Præterea ibidem cap. 11. S. Innocentius Papa I. ſcribens ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, ita omnes ſub cœlo Eccleſias, Regnaque, hortatur ad ſervandas conſuetudines Romanæ Eccleſiæ, contrarijs qui-
, buſque omnino abolitis: * Quis neſciat, aut
, non advertat, id quod à Principe Apoſtolo-
, rum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac
, nunc vſq; cuſtoditur, ab omnibus debere ſer-
, vari? Nec ſuperinduci, aut introduci aliquid
, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliun-
, de accipere videatur exemplum? Præſertim
, cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gal-
, lias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, in-
, ſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe
, Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſto-
, lus Petrus, aut eius Succeſſores conſtituerũt
, Sacerdotes: aut legant, ſi in iſtis provincijs,
, alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur
, docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam
, invenitur, oportet eos hoc ſequi, quod Ec-
, cleſia Romana cuſtodit; à qua eos princi-
, pium accepiſſe non dubium eſt: ne dum pe-
, regrinis ſermonibus ſtudent, caput inſtitu-
, tionum videantur omittere. Sæpè dilectio-
, nem tuam ad Vrbem veniſſe, ac nobiſcum
, in Eccleſia conveniſſe, & quem morẽ vel in
, conſecrãdis myſterijs, vel in cæteris agendis
, arcanis teneat, cognoviſſe. Quod ſufficere ar-
, bitraremur ad informationẽ Eccleſiæ tuæ, vel
, reformationem, ſi Prædeceſſores tui minus

ali-

; aliquid, aut aliter tenuerint, & ſatis certum
, haberemus; niſi de aliquibus conſulendos
, nos eſſe duxiſſet: quibus idcirco reſponde-
, mus; non quòd te aliqua ignorare credamus,
, ſed vt maiori auctoritate tuos inſtituas,
, vel ſi qui à Romanæ Eccleſiæ inſtitu-
, tionibus errant, aut commoneas, aut nobis
, indicare non differas, vt ſcire valeamus, qui
, ſint qui aut novitates inducunt, aut alterius
, Eccleſiæ, quàm Romanæ, exiſtimant conſue-
, tudinem eſſe ſervandam. * Sunt & alia Romanorum Pontificum, Conciliorumque decreta, in quibus prohibentur omnino conſuetudines contrariæ ſacris Canonibus, quamvis immemorabiles ſint: quæ in ipſo Iure Canonico videri poſſunt, nec vacat hoc loci expendere.

SECTIO SECVNDA.

Quàm periculoſum, & quanti oneris ſit Illuſtriſs. Galliarum Præſulibus, probaſſe generatim regulas & mores & inſtituta, in eo Regno & Eccleſia recepta. Quanto cum delectu & examine id fieri debuiſſet. Exceptiones refutatæ.

9 HÆC Cùm ita ſint, videtur periculoſa admodum approbatio regularũ, morum, & inſtitutorum receptorum à Regno & Eccleſia Gallicana; quæ tam vniversè profertur in Declaratione Illuſtriſ. Præſulum. Cùm enim nullum ferè Regnum ſit, etiam vndequaque Catholicum, in cuius aliquot provincijs, aut populis ſaltem, non ſint conſuetudines aliquot, vel etiam regulæ, quæ adverſentur iuri, aut naturali, aut poſitivo divino, aut ſaltem Eccleſiaſtico, vel vt minimum de quibus etiam docti ac pij homines non dubitent an impingant in aliquem ex ijs ſcopulis; mirum eſt quòd Præſules Galliarum, tam indifferenter, tam indefinitè probare auſint conſuetudines, regulas, & inſtituta recepta à Regno & Eccleſia Gallicana. Nimirum eo approbationis genere videntur ea omnia in ſe recipere; & onus intolerabile humeris ſuis imponere: nam provinciæ & populi ipſorum curæ & magiſterio addicti, abſque vllo conſcientiæ ſtimulo agent, quæ antea aliqui, aut non audebant, aut facientes religione aliqua tangebantur. Quare ſi ea in re contraria ſint iuri naturali, aut divino, aut Eccleſiaſtico; tranſibunt in conſuetudinem inſuperabilem, quę omni excuſſo pudore ac metu, iam nullo penitus modo extirpari poſſit. Nimirum, veriſſima eſt illa ſententia Auguſtini Serm. 4. Dominicæ de Adventu: *Nolite, fratres mei, contemnere peccata, in quibus fortè conſuetudinem iam feciſtis. Omne enim peccatum conſuetudinis vileſcit, & fit homini quaſi nullum ſit. Obduruit iam, dolorem perdidit, & valde putre eſt: nec dolet quod non dolet. Non pro ſano habendum eſt, ſed pro mortuo computandum eſt. Quando aliquid pungitur, aut dolet, aut ſanum eſt, aut eſt in illo ſpes aliqua ſanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet; pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum.* Væ autem ijs, qui in Galliæ Regno, & præſertim in populis ſuæ curæ commiſſis, tanti mali cauſa extiterint!

10 Dices, in ea Declaratione non probari mores illos qui qualitercumque iuri divino aut humano, naturali aut poſitivo, adverſantur; ſed ſolùm qui nulli eorum opponuntur. Verùm ſi eo ſenſu concepta fuit Declaratio, cur non & prolata? Quod enim verba ſonant, & ſignificant, dumtaxat eſt, *valere regulas, mores, & inſtituta, à Regno & Eccleſia Gallicana recepta.* in quo nulla apparet diſtinctio, nec limitatio ad ea, quæ nulli omnino iuri opponuntur. Quare ſaltem exceptis ijs, qui iudicium rectum & prudens ferre poſſunt de ſingulis moribus & inſtitutis in Gallia receptis, pauciſſimique ſunt cõparatione cæterorum; cæteri omnes propemodũ innumerabiles ſic ea verba intelligent & accipient, vt à graviſſimo Clero probentur commendenturque indifferenter quælibet regulæ & conſuetudines in Gallijs receptæ. Quare ſi forſan aliquæ earum ſint illicitæ, ſive qualitercumque contrariæ honeſtati, rectæ rationi, aut iuri (quales eſſe aliquas in Gallia, immo & in quolibet Regno amplo, dubitari non poteſt) cenſebuntur communiter probatæ à Clero Galliarum: ideoque populi crebriùs ac faciliùs, extincto omni conſcientiæ ſtimulo, eas proſequentur.

11 Deindeque ſi eo ſolùm ſenſu edita ſunt verba præiacta, vt ſolæ illæ regulę & conſuetudines Galliarum probentur, quæ nullo modo iuri aut honeſtati contrariantur; ad quid opus fuit vt tot Epiſcopi Galliarum, deſertis ad non breve tempus Eccleſijs ſuis, & cum ingenti ſumptu itinerum commeatuſque, Comitia celebraturi Lutetiam adirent, ibidemque diuturna conſultatione, & magnificis verbis declararent veritatem quaſi per ſe notam, & de qua nulla omnino eſſe poteſt contentio inter homines, non dico litteratos, ſed ratione vtentes? Quis enim horum neſcit, valere vbique terrarum eas conſuetudines regulaſque, quæ nullatenus iuri aut honeſtati opponuntur? Vt igitur Illuſtriſſimi Præ-

Præſules veroſimiliter ſuadeant, Comitia Pariſienſia nõ fruſtra eſſe celebrata quoad hanc partem, nec verba illa incaſſum prolata; dicere debent, ijs probari indifferenter & abſque exceptione vlla, *regulas mores, & inſtituta, à Regno & Eccleſia Gallicana recepta.* Hoc autem quàm periculoſum ſit, & quãto oneri ijſdem Præſulibus futurum, paulo antè monui, & quilibet prudens facilè intelliget: præſertim ij, qui conſuetudines Galliarum, ſive vbique receptas, ſive in certa aliqua provincia, ſive in vno aliove populo, perſpectas habent. Nos enim longè à Gallia remoti, cùm non ſciamus quænam ſint, nullatenus de ijs iudicium ferre poſſumus. Ipſi videtint, quorum intereſt.

12 Sed tamen aliquam hoc loci indicare conſuetudinem in Gallia receptam, quæ tamen à nullo docto & pio viro probari vnquam poſsit, officij noſtri in hac controverſia eſt. Qualiter dignitates Eccleſiaſticæ, & quo abuſu in eo Regno collatæ fuerint à tempore Concordatorum inter Leonem X. Papam, & Franciſcum Regem; quot iniuſtitiæ, ſimoniæ, & peſtes inde ortæ fuerint; legat qui volet in Chronico doctiſsimi Genebrardi Aquenſis Archiepiſcopi in Gallia, & Auberti Gislenij Busbequij Legati Cæſarei ad Chriſtianiſsimum Regem, vt alios omittam. Prioris ex ijs verba exſcripſimus ſuprà Diſp. XI. n. 81. poſterioris verò Diſp. XXXIV. n. 28. vbi à Lectore expendi poſſunt. Neque enim ea hoc loco repræſentare auſim: quoniã *animus meminiſſe horret.* Quiſnam verò eam, ſive regulam, ſive conſuetudinem, in Gallia receptam, neque vnquam (quod ſciamus) à Clero Gallicano in Comitijs aut Cõcilijs Nationalibus, Provincialibuſve, ab eo tempore improbatam, vllo modo probare auſit? Aiebat Seneca Epiſt. 97. aliàs lib. 16. Epiſt. 2. *Subeſſe animis, etiam in peſsima abductis, boni ſenſum, nec ignorari turpe, ſed negligi. Omnes peccata diſsimulant, & quamvis feliciter ceſſerint, fructu illorum vtuntur, ipſa ſubducunt. At bona conſciẽtia prodire vult, & conſpici: ipſas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto: Poteſt nocenti contingere vt lateat: latendi fiducia nõ poteſt.* Ad hæc: quis ſuffragio ſuo probet, quod Magiſtratus Parlamentorum, quòd Præfecturæ provinciarum vrbiumque, quòd denique militares dignitates Tribunorum, Centurionũ, &c. quæ ad præſcriptum iuſtitiæ diſtributivæ, & ſæpiùs etiam commutativæ, dignioribus conferri deberent, venales palam ſint, & non ampliùs merenti, ſed cariùs ementi conferantur? Quid, quòd ij qui tanto ſumptu ea officia ſibi compararunt, videantur in eorum adminiſtratione præter ius & fas compenſaturi detrimentum illud, non ſine expilatione & oppreſsione ſubditorum? Iam ſi ad ea, in quibus violari immunitatem & libertatem Eccleſiaſticam apud Gallias, quamvis nulli Regi ſubiectam, & nulli præſcriptioni obnoxiam, multi teſtantur, nec infimi ſubſellij Scriptores; quis eam conſuetudinem probet? Sed hæc obiter indicaſſe ſatis. Itaque Illuſtriſ. Præſules, ſiquid circa regulas & conſuetudines in Gallia receptas dicturi eſſent, proferri cum magna circunſpectione & delectu deboiſſet: ne dum regulas & conſuetudines vniverſè valere aiunt, nullam earum non probaſſe viderentur. Vide Marcam infrà Diſp. 40. n. 8.

13 Fixa itaque & immobilia perſtent quæ ſuprà num. 6. 7. & 8. ex ſacris Canonibus obſervavimus: vt omnis conſuetudo vllatenus contraria iuri naturali, divino, aut Eccleſiaſtico Romanæ Eccleſiæ, penitus abſcindatur, immo eradicetur, curantibus id imprimis Epiſcopis, & Regibus Eccleſiæ in ea parte ferentibus patrocinium. Neque enim horum leges aut ſtatuta, ſive in Gallijs, ſive alibi terrarum, Eccleſię Romanę vllo modo adverſantia, alicuius auctoritatis ſunt, vel momenti. Ideoque in Decreto Gratiani ſuprà ſæpe laudato, diſt. 10. cap. 4. inquit Felix Papa: *Conſtitutiones contra Canones, & decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius ſunt momenti.* Ac prætereà diſt. 10. cap. 2. habetur initium Epiſtolæ cuiuſdam Anaſtaſij Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem: cuius verbis poſtea vſus fuit Gregorius Papa IV. in litteris ad vniverſos Epiſcopos per Galliam, Germaniam, Europam, & omnes denique provincias cõſtitutos, dicens:
* Pręceptis Apoſtolicis non dura ſuperbia
, reſiſtatur; ſed per obedientiam, quæ à ſancta
, Romana Eccleſia, & Apoſtolica auctoritate
, iuſſa ſunt, ſalutiferè impleantur; ſi eiuſdem
, ſanctę Dei Eccleſiæ, quę eſt Caput veſtrum,
, communionem habere deſideratis. Et poſt
, multa: Non novum aliquid pręſenti iuſsio-
, ne pręcipimus; ſed illa quæ olim videntur
, indulta, firmamus: cùm nulli dubium ſit,
, quod non ſolum Pontificalis cauſatio, ſed
, omnis ſanctę religionis relatio ad Sedem
, Apoſtolicam, quaſi ad Caput Eccleſiarum,
, debeat referri, & inde normam ſumere, vn-
, de ſumpſit exordium, ne caput inſtitutio-
, nis videatur omittere. Cuius auctorita-
, tis ſanctionem omnes teneant Sacerdo-
, tes, qui nolunt ab Apoſtolicę Petrę, ſu-
, per quam Chriſtus Vniverſalem fundavit
, Eccleſiam, ſoliditate divelli. Siquis hæc
, Apoſtolicæ Sedis præcepta non obſerva-

ve-

verit, percepti honoris eſſe hoſtis non dubitetur.

14 Neque ideo negamus verum eſſe quod poſtremis verbis eiuſdem capitis tertij Declarationis Gallicanæ habetur, *pertinere ad amplitudinem Sedis Apoſtolicæ, vt ſtatuta & conſuetudines tanta Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmata, propriam ſtabilitatem obtineant.* Quis enim dubitet ſtatuta & conſuetudines, quibus conſenſum præbuit Apoſtolica Sedes, eſſe conſentanea iuri divino & humano, ac proinde innoxia? Non probat Sedes Apoſtolica, niſi quod probari decet.

15 At verò dum poſteriora verba iunguntur præcedentibus, in quibus dictum fuerat, *valere regulas, mores, & inſtituta a Regno & Eccleſia Gallicana recepta;* timeri iure poteſt, ne ipſi Apoſtolicæ Sedi tribuatur, aut potiùs imputetur approbatio indifferens & communis Gallicanarum regularum conſuetudinumque, quarum multas approbatione dignas non eſſe, iam ſuprà vidimus. Abſit autem vt Romanæ Eccleſiæ, *mundi morumque magiſtræ*, ea labes aſpergatur, vt probaſſe putetur quæ iure improbari debent.

16 Sed inſtas, & opponis: Quamvis conſuetudines aliquot in Gallia (fortaſſe & in alijs Regnis) ſint adverſæ Canonibus ſacris, ſeu decretis Sedis Apoſtolicæ; ſciuntur tamen & tolerantur à Romano Pontifice: ac proinde videntur habere vim legis, & omni culpâ vacare.

17 Verùm id non vrget: quoniam Principes, tum ſæculares, tum præcipuè Eccleſiaſtici, quamvis ſæpè ſciant aliquam conſuetudinem pravam, illamque tolerent; non propterea probant, nec tacitè conſentiunt; multò autem minùs ſinunt vt vim legis habeat. Nimirum ſæpiùs accidit, vt non niſi difficillimè, & cum ingenti periculo maiorum malorum evelli poſsit: ideoque ſatius ducunt id minus malum purè permittere, quàm occaſionem miniſtrare vt maiora mala ſequantur; quamvis ex ſola ſubditorum nequitia. Quare in cap. *Iam dudum* de Præbendis dicitur: *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia non debent tolerari.* Tunc itaque ſummùm Romanus Pontifex ſilentio ſuo & permiſsione admittit aut probat conſuetudinem aliquam legi Eccleſiaſticæ repugnantem, cùm apertè illam ſciens, & potens omnino facilè coercere, funditúſque extirpare, abſque vllo incommodo; id non facit. At non hoc modo pravas conſuetudines inoleviſſe in Gallia (vt nihil dicam de alijs Regnis) nec eius conditionis eſſe, vt facilè à Romano Pontifice eliminari poſsint; nemo neſcit. Quare ſilentium Sedis Apoſtolicæ, non eſt approbatio, ſed pura permiſsio; non conſenſus aliquis tacitus, ſed mera patientia eſt. Claudamus itaque Diſputationem verbis S. Iſidori in Synonymis lib. 2. *Conſuetudo auctoritati cedat: pravum vſum lex & ratio vincat. Quæ verò nec ſacris Canonibus, nec humanis legibus conſuetudo obviare monſtratur; inconcuſſa ſervanda eſt.* Nec alio ſenſu admitti poſſunt verba illa Declarationis Gallicanæ.

DISPVTATIO XXXIX.

AN IN OPINIONE NEGANTE IVDICIVM irreformabile Pontifici Romano in quæſtionibus fidei, lateat aliquid veneni contra auctoritatem & definitiones Conciliorum Vniverſalium.

Contra Quartum Caput Declarationis Gallicanæ.

P*RONVNTIANT Illuſtriſs. Galliarum Præſules quarto capite Declarationis ſuæ:* In fidei quæſtionibus præcipuas Pontificis eſſe partes, eiuſque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere: *NEC TAMEN IRREFORMABILE ESSE IVDICIVM, NISI ECCLESIÆ CONSENSVS ACCEDAT. Cui propoſitioni reſpondet quæ in Declaratione Doctorum Pariſienſium anni 1662. eſt ordine ſexta, ijs verbis expreſſa:* Non eſſe doctrinam, nec dogma Facultatis, quòd Summus

Pontifex, nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, ſit infallibilis. *De priori parte eorum verborum Declarationis Cleri nulla in re poteſt eſſe contentio apud Catholicos. Poſterior verò quàm contraria ſit ſenſui totius Eccleſiæ, & nominatim Gallicanæ, à primis ſæculis vſque ad diem 19. Martij 1682. quàm repugnans ſacris litteris, traditioni Apoſtolicæ, & doctrinæ Conciliorum Vniverſalium, nec ſolùm Provincialium, ac Nationalium; ſuprà toto Tractatu I. oſtenſum fuit latiſsimè, idque excurrendo per omnia & ſingula ſæcula Æræ Chriſtianæ. Quapropter non eſt quòd immoremur ampliùs in reciprocanda eadem ſerra. Summùm itaque oportet excitare quæſtionem in ipſa epigrapha propoſitam, velitando & perquirendo arcanum ſenſum eius propoſitionis, in qua, præter abſurda ſuperiùs indicata, videtur latère aliud occultum virus, cui antidotum præparare oportet.*

SECTIO PRIMA.

Pronuntiatum id Illuſtr. Cleri Gallicani, forſan primò traditum ab Ochamo ſchiſmatico, deinde à Gerſone, videri contradictionibus plenum, & pariter aut vrgentiori titulo contrarium auctoritati infallibili Conciliorum Generalium, ac Romani Pontificis.

2 OMNES Catholici Doctores vſque modò vna voce tradiderunt, definitiones Conciliorum Vniverſalium confirmatas à Sede Apoſtolica, ſive Romano Pontifice, eſſe certam omnino & infallibilem fidei regulam: neque vllus vnquam id negavit præter manifeſtos Sectarios. Id cũ latè & ex inſtituto oſtenderimus Tomo I. Theologiæ S. Anſelmi Diſput.II. paſsimque habeatur apud innumeros Scriptores ſacrorum Dogmatum, & Conciliorum Interpretes, non eſt quòd hoc loco ſpeciatim confirmetur. Idem omnino creditum fuit de auctoritate Romani Pontificis ad pronuntiandum de fide, quæ certa & infallibilis habita eſt in tota Eccleſia vſque ad initium ſæculi quartidecimi. Tunc enim fortè apud Gallos in dubium vocari viſa eſt ab Ochamo in gratiam Ludovici Bavari, cui operas ſuas locavit ille nundinalitio calamo adverſus Ioannem XXII. Papam, ipſum impudenter proſcindens multiplici nomine, etiam erroris vel hæreſis circa beatitudinem Sanctorum. Accipe verba doctiſsimi Genebrardi Archiepiſcopi Aquenſis in Gallia, ita loquentis, allegato Aemilio & Trithemio, in Chronico ad annum 1327. pag.670. * Guillelmus Ochamus Imperatoris (nimirum Ludovici Bavari) ſtipendiarius, & à Papa ob aliquos errores excommunicatus, Ioannem XXII. maledictis lacerat, in eum multa blaſphemando conſcribens magnâ impudentiâ. Nã etſi Ioannes Papa probabilius putaret, Sanctos nondum clarâ Dei viſione frui, quæſtione de hac re orta, quòd ita ſentire videretur, Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Ambroſius, Auguſtinus, Prudentius, Bernardus, & ex Græcis Iuſtinus Martyr, Irenæus, Origines, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Euthymius apud Sixtum Senenſem in Biblioth.lib 6.annot.445. *Tamen morte præventus* (inquit Benedictus Papa Succeſſor) *iſtud perficere nequivit. Lege Bonifacij Conſtitutionem lib.3. Alphonſ.de Caſtro contra hæreſes verbo, Beatitudo.* Quin & Ochamus ipſe fatetur, Papæ Ioannis verba hæc fuiſſe: *Nunquam tamen meæ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem. Et ſi aliquid diximus, totũ ex tunc revocamus.* * Hucuſque Genebrardus de Ochamo, ſchiſmatico ſcriptore, qui primus è Latinis Papæ auctoritatem infallibilem ad pronuntiandum de fide in dubium vocaſſe aut negaſſe videtur; quamvis ante obitum pœnitentiam egerit, & reconciliatus Eccleſiæ obierit anno 1347. vt iam alibi monuimus.

3 Deinde opinio Ochami, quamvis omni auctoritate deſtituta, ob rationes, ſeu potiùs ſophiſmata, quibus innitebatur, placuit quibuſdam in Concilio Conſtantienſi ſæculo quinto decimo ſequenti, & nominatim Gerſoni, ac ſubinde quibuſdam alijs Gallorum vſque ad noſtra tempora; cæteris omnibus reclamantibus, vt ſuprà vidimus latè Diſputat. VI. & VII. quibus adde pugnantes pro auctoritate Pontificia infallibili ex Gallis ipſis doctiſsimum Cardinalem Peronium, Carolum d' Abra de Raconis Epiſcopum, in libro Gallico inſcripto *Primautè & Soberaneutè de S.Pierre*, Franciſcũ Hallier Doctorem & Profeſſorem Sorbonicum lib.4. de Hierarchia ſect.vltima, artic.2. pag. 880.vbi eam ſententiam Catholicam cenſet. Ita ferè communiter cenſebatur in Gallia, donec anno 1662. & tandem 1682. Declarationes novæ, tum Pariſienſis Scholæ, tum Cleri Gallicani, cum admiratione, addo & horrore, reliqui ferè totius Chriſtiani Orbis, inopinatò apparuerunt: in quibus negatur Romano Pontifici iudicium,

irre-

dicium irreformabile in fidei quæſtionibus, *niſi Eccleſiæ conſenſus accedat*. Quam tamen conditionem nullus eorum videtur exigere, vt iudicium Concilij Oecumenici ſit prorſus irreformabile: vſque adeò, vt etiam doctrinam illam, quæ continetur in Seſsionibus IV. & V. Synodi Conſtantienſis, non modò intellectam cum reſtrictione, & certis circumſtantijs, iuxta quas concepta & edita fuit, ſed etiam latiſsimo ſenſu vſurpatam, velint irreformabilem eſſe, & fide divina certam; nec ad eius veritatem exigant, conſenſum Eccleſiæ accedentem, vel confirmationem Sedis Apoſtolicæ in eo ſenſu lato, quæ hactenus non acceſsit.

4 Sed id certè ἀσύστατον eſt, & pugnantia involuit. Nam nec illarum Seſsionum doctrina, quocumque ſenſu accipiatur, fuit prorſus firma & irreformabilis, donec confirmaretur à Romano Pontifice certo atque explorato. Quod ipſi Patres Conſtantienſes agnoverunt: ſiquidem propterea à Martino V. Papa ritè electo in eodem Concilio petierunt vt illam confirmaret, ratamque haberet: vt patet ex Actis ipſius Synodi, & præmiſsimus Diſput. XV. & XVI. Ergo nec doctrina illarum Seſsionum fuit irreformabilis, donec accederet conſenſus Romani Pontificis. quem certè nunquam, nuſquam vſque modò acceſsiſſe, ſi illa accipiatur iuxta ſenſum Gallicani Cleri hodierni, ibidem latè demonſtratum fuit. Igitur quemadmodum idem Clerus nunc negat iudicium irreformabile Romano Pontifici ſeorſim ac per ſe, quoniam præterea exigit vt accedat conſenſus Eccleſiæ, veluti conditio neceſſaria; ita quoque, vt conſequenter loquatur, negare debet Concilio Oecumenico ſeorſim ac per ſe iudicium irreformabile, quia vt ſit tale, exigit omnino vt accedat conſenſus ſive confirmatio Summi Pontificis, ſaltem veluti neceſſaria conditio. Quidquid non modò Concilium illud Conſtantienſe quo tempore edidit primùm Seſsiones illas, nondū interuenientibus tribus Obedientijs, & nullo certo Pontifice exiſtente; ſed nec vlla alia Synodus Oecumenica in ſuis definitionibus iudicio irreformabili pronunciat de fide, donec accedat conſenſus, ſive confirmatio Romani Pontificis, vt habetur palam definitum in Concilijs ipſis Generalibus, præſertim verò in Lateranenſi ſub Leone X. Seſs. XI. Ergo nulla Synodus Oecumenica ſeorſim ac per ſe pronuntiat de fide iudicio irreformabili abſolutè loquendo Adhuc enim pendet à conſenſu, ſive approbatione certi & indubitati Pontificis.

5 Aliunde verò idem Clerus Gallicanus, vt conſequenter ad ſuam Declarationem loquatur, debet exigere conſenſum Eccleſiæ accedentem, quò iudicium Concilij Oecumenici ſit irreformabile, dum illum exigit vt iudicium Papæ irreformabile exiſtat. Etenim ex Concilio Lateranenſi, & Seſs. XI. ipſius nuper citata, habemus definitum Papam, *AVCTORITATEM SVPER OMNIA CONCILIA HABENTEM, Conciliorum indicendorum, transferendorum, & diſſolvendorum, PLENVM IVS ET POTESTATEM HABERE*. Quod ibidem probatur ex ſacris litteris, & doctrina aliorum Conciliorum Vniverſalium præcedentium, atque ex teſtimonijs Romanorum Præſulum & ſanctorum Patrum. Et tamen licèt tanta & tam abſoluta ſit Pontificis auctoritas ac poteſtas ſupra Concilia, Præſules Gallicani volunt, eius iudicium non eſſe irreformabile in quæſtionibus fidei, *niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*. Ergo, vt conſequenter loquantur, multò magis dicere deberent, nec iudicium Oecumenicæ Synodi in eiſdem quæſtionibus eſſe irreformabile, niſi Eccleſiæ conſenſus accedat. Abſurdum enim eſt, & planè ἀσύστατον, vt ab ea conditione pendeat Pontifex Concilio ſuperior, & non pendeat Concilium ipſum inferius Pontifice.

6 Præterea, promiſsio illa Chriſti, *Ego pro te rogavi, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos* (ex qua communiter Patres colligunt Pontificem Romanum eſſe infallibilē in pronuntiando de fide, vt latè oſtenſum fuit Diſput. XXII. ſect. 2.) non fuit facta immediatè Concilio, etiam Oecumenico; ſed ſoli Petro, vt Capiti Eccleſiæ, ac ſubinde ipſius Succeſſoribus. Quod patet ex ipſa littera, in qua Chriſtus nominatim ijs verbis ſolum Petrum alloquitur: ac præterea eo loco à nobis confirmatum eſt. Itaque privilegium illud pronuntiandi de fide iudicio infallibili, datū fuit immediatè ſoli Petro ac Pontifici Romano eius Succeſſori; Concilio autem ſolùm mediatè, ſive mediante illo. Et tamen Præſules Gallicani contendunt, iudiciū Pontificis Romani pronuntiantis de fide non eſſe irreformabile, *niſi Eccleſiæ conſenſus accedat*. Ergo multò magis eam conditionem exigere debent, vt iudicium Concilij Oecumenici pronuntiantis de fide irreformabile ſit. Quippe abſurdum & irrationabile eſt, vt is cui primò & immediatè conceſſum eſt à Deo privilegium aliquod, dependeat adhuc ab aliqua conditione accedente; & tamen ab illa non pendeat is, cui ſolùm media-

diatè, & ratione illius prioris, conceſſum eſt.

7 Denique ex toto contextu huius Operis, præſertim Tractat. 1. integro, conſtat planè ad aſſerendam Romano Pontifici auctoritatem infallibilem quoties pronuntiat de fide & moribus, concurrere loca manifeſta, quibus aliquid redditur fide divina certum. nimirum, teſtimonia Scripturæ intellecta iuxta ſenſum communem ſanctorum Patrum, traditionem Apoſtolicam, & doctrinam Generalium Conciliorum. Quibus principijs ſingillatim Diſputationibus XXII. XXIII. & XXIV. confirmata fuit infallibilis auctoritas Pontificis Romani in ijs quæſtionibus finiendis vltimo & irreformabili iudicio. Auctoritas autem infallibilis Generalium Conciliorum, licèt ſit certa ſecundùm fidem apud omnes Catholicos, paucioribus principijs innititur. Solùm enim conſtat ex illis ipſis teſtimonijs Scripturæ, & traditione Apoſtolica, ex quibus auctoritas Pontificis comprobatur: vt expendenti ea omnia & conferenti palam erit. Neque enim contra hæreticos idoneè & ἀποδεικτικῶς confirmari poteſt auctoritas Conciliorum ex ipſis Concilijs: quia hoc eſſet committere circulum, & probare idem per idem. Et tamen Gallicani Præſules illam Romani Pontificis auctoritatem infallibilem, pluribus teſtimonijs innixam, confirmatamque, adhuc pendere volunt à conſenſu Eccleſiæ accedente. Ergo ne inconſtanter ſentiant, aut loquantur, multò magis id dicere deberent de auctoritate infallibili Conciliorum Generalium, paucioribus fundamentis innixa. Quod tamen dicturos non credo, vel hoc vno nomine, ne Heterodoxi plus ſolito ſuperbiant, iactantes ſe novum habere præſidium in tanta & tam illuſtri portione Eccleſiæ, ad convellendum auctoritatem Conciliorum Vniverſalium. Sed tamen cùm acoluthia & conſtantia doctrinæ traditæ in Declarationibus Cleri Galliarum, & Pariſienſis Academiæ videatur habere prorſus annexum ac devinctum ſibi id abſurdum; ſuſpicari licet, aliquos ſaltem ex ijs Præſulibus & Doctoribus nullum inconveniens detexiſſe in eo devorando. Sed de hoc ampliùs vtraque ſectione ventura.

(?)

SECTIO SECVNDA.

Velitationes quædam, & coniecturæ, ob quas appareat, quoſdam ſaltem Præſulum & Doctorum Galliæ, in ea opinione eſſe, vt neque definitiones Conciliorum Vniverſalium vim irrefragabilem habeant, niſi Eccleſiæ Gallicanæ conſenſus accedat. Id autem refutatur.

8 HÆC Cùm ita ſint, ſuſpicari licèt, an aliqui ex ijs Præſulibus Gallicanæ Eccleſiæ, aut ex Doctoribus Pariſienſibus initio Diſputationis huius allegatis, in ea opinione ſint, vt etiam iudicium Concilij Generalis, ſive Oecumenici, pronuntiantis de fide non ſit prorſus infallibile, ſeu irreformabile, *niſi Eccleſiæ conſenſus accedat.*

9 Ratio prima ita ſuſpicandi oritur ex dictis tota ferè ſectione præcedenti: in qua ſatis oſtenſum eſt, nullum omnino fundamentum eſſe, vt iudicium Romani Pontificis pronuntiantis de fide ad habendam integram, & ſummam auctoritatem pendeat à conſenſu Eccleſiæ accedente, quod pariter, immo & vrgentiori titulo, non extorqueat idipſum de iudicio Concilij Oecumenici pronuntiantis de fide. Dum igitur Præſules Galliarum, & Doctores Pariſienſes potiſsimùm, quibus ex munere, & profeſsione ſacrarum litterarum in ea præſtantiſsima Schola incumbit, conſequenter loqui, & nullatenus tradere ἀσύστατα, vel ἀσύγκλωστα, prius ex ijs affirmantes poſterius quoque aſſerere cenſendi ſunt.

10 Vrgetur ſuſpicionis occaſio ex hiſtorica obſervatione rerum Galliæ, quas in ſuperioribus ſemel aut iterum attigimus, circa Synodum VII. Oecumenicam, quæ apud Nicæam Bythiniæ celebrata fuit anno Epochæ Chriſtianæ 787. ſub Adriano II. Papa, & ab ipſo confirmata, adverſus Iconomachos potiſsimùm, ſive ſacrarum Imaginum perſecutores. Quamvis enim, vt dixi, ritè celebrata fuerit, & confirmata ab Adriano II. Papa, præſertim quoad cultum ſacrarum Imaginum, adhuc tamen in Gallia non fuit communiter recepta, ſed potiùs reiecta, & impugnata à pluribus Epiſcopis, aut ferè omnibus. Cùm enim Adrianus ipſe Acta eius Synodi è Græco Latinè reddita miſiſſet ad Carolum Magnum Francorum Regem, vt ea in Gallijs publicaret, Carolus ipſe, abſdubio hortantibus ad id Alcuino

tuino Flacco, & nonnullis Epiſcopis; petijt ab eodem Adriano legationem Apoſtolicam, & Synodum Nationalem Francofordienſem, vt in ea tractarentur plura ſpectantia ad errores Felicis & Helipandi, qui per magnam Europæ partem graſſabantur; & ſtatueretur quod opportunum eſſet circa doctrinam VII. Synodi. Annuit benignè Pontifex. Et quamvis in ipſo Concilio Francofordienſi plura ſalubria decreta prodierint; editi tamen ſunt varij Canones, ſeu decreta contraria cultui Imaginum ſancito in Nicæna Synodo. Id ipſum pariter factum creditur in Concilio Gentiliacenſi earundem Galliarum. nam & in eo videtur proſcriptus fuiſſe idem cultus.

11 Increbuit autem diu is error apud Gallos, præſertim ſtudio Ionæ Aurelianenſis Epiſcopi, Albini ſeu Alcuini Flacci, & quorundam aliorum, non modò reliquo tempore vitæ Caroli Magni, ſed etiam ipſius filij Ludovici Pij, immo & Caroli Calvi. quo regnante Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, & ipſe refractarius in Septimam Synodum, ac cultum ſacrarum Imaginum, in litteris adverſus nepotem ſuum Epiſtola 33. cap. 20. agens de Concilio Francofordienſi iam memorato auſus fuit effutire: *Auctoritate huius Synodi nonnihil repreſſa eſt Imaginum veneratio: ſed tamen Adrianus & alij Pontifices in ſua opinione perſeverarunt, & mortuo Carolo ſuarum Papparum cultam vehementiùs promoverunt, adeò vt Ludovicus Caroli filius libro longè acriori inſectatus ſit Imaginum cultum, quàm Carolus.* In quo Hincmarus, præter multa alia quæ peccat, imponit piiſſimis Principibus Carolo & Ludovico, quæ non ij; ſed quidam Galliæ Præſules tumidi & inobedientes Sedi Apoſtolicæ, ac Synodo VII. Generali ab ea probatæ, ſcripſerunt & evulgarunt, quaſi nomine & auctoritate eorundem Imperatorum. Legeſis plura eodem ſpectantia apud Chriſtianum Lupum in Scholijs ad Synodum VII. Generalem cap. 16. cui epigrapha: *Exordium huius Francici erroris.* Vnde & Eccleſia poſtea in Synodo VIII. Generali habita Conſtantinopoli anno 869. ſub Adriano II. videns plurimos Galliarum Præſules, & in ijs Hincmarum Rhemenſem, adhuc rebellantes & contradicentes Synodo VII. quoad cultum ſacrarum Imaginum; opus habuit edendi Canonem tertium contra eoſdem Epiſcopos, & eorum ſequaces. Vide quæ præmiſsimus Diſp. XXXVII. num. 18. & 19.

12 Vides Præſules Gallos tamdiu temporibus Imperatorum Caroli Magni, Ludovici Pij, & Caroli Calvi vt minimum, noluiſſe accipere Septimam Synodum Oecumenicam, etiam à Sede Apoſtolica probatam, quoad cultum ſacrarum Imaginum. Quo ipſo facto ſuo palam indicarunt, nec iudicium, ſeu Canones Concilij Oecumenici confirmati à Pontifice Romano habuiſſe ſummam & infallibilem auctoritatem, niſi Eccleſiæ Gallicanæ conſenſus accederet. Nam ſi hunc non crederent neceſſarium, vt doctrina apud Nicæam definita pro ſacris Imaginibus eſſet iuxta fidem certa; profectò exhibuiſſent illi ipſius quoque mentis obſequium. quod non fecerunt, ſed potiùs palam adverſati ſunt longiſsimo tempore. Putabant igitur, niſi Eccleſiæ Gallicanæ conſenſus accederet, iudicium Concilij Oecumenici VII. ſicuti, & Romani Pontificis eam Synodum confirmantis, non eſſe irreformabile, neque eiuſmodi vt adſtringeret ad ſui aſſenſum. Idque ſignificarunt dum dixerunt in Concilio Francofordienſi de Patribus eius Synodi Nicænæ: *Priùs debuerant ſcrutari quid vniuſcuiuſque partis Eccleſia de hac cauſa ſentire vellet.* Quaſi profectò non interveniſſent omnia quæ neceſſaria erant ad Synodum Oecumenicam celebrandam, nec convocatio Epiſcoporum Orientis miſſa ad Patriarchas Antiochenum, Alexandrinum, & Hieroſolymitanum, ac præſertim ad Adrianum II. Papam, veluti Patriarcham Oecumenicum generatim, & ſpeciatim vnicum totius Occidentis, qui & Legatos Sedis Apoſtolicæ miſsit Petrum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archipresbyterum, & alium Petrum S. Sabæ Abbatem; & tam ante quàm poſt celebratam eam Synodum probavit cultum ſacrarum Imaginum.

13 Verùm quid opus eſt immorandi in ſuadendo, tempore Caroli Magni, Ludovici Pij, & Caroli Calvi, Regnum atque Eccleſiam Gallicanam in eo errore fuiſſe, vt poſt celebratam Synodum Oecumenicam, immo & confirmatam à Sede Apoſtolica, liceret ſibi conſulere & diſceptare an ea eſſet recipienda, an refutanda? Id planè fatetur Archiepiſcopus Marca libro 2. de Concordia cap. 17. numero 2. vbi, præter plura alia, inquit: *Diſcuſſa occaſione, quæ Gallicanos Epiſcopos, & Carolum Magnum Regem, ad repudiandam Synodum Nicænam per errorem facti movit, id tantùm ex eo colligi velim, Reges Francorum cum Gallicana Eccleſia eam facultatem ſibi arroga-*

gaſſe, vt de Synodis recipiendis, vel reyciendis diſceptatio ſibi libera eſſet, præſertim ſi per Legatos ſuos rebus gerendis non interfuiſſent. Qua ratione vſus eſt Anaſtaſius Bibliothecarius cùm de Synodi Trullanæ Canonibus loquitur, quos à cæteris Patriarchalibus Sedibus repudiatos fuiſſe docet. nimirum, quia nulla earum, cùm ederentur, aut promulgans, aut conſentiens, aut ſaltem præſens inventa eſt. Ecce teſtem eruditum, & Nationis ſuæ nimiùm amantem, qui fatetur Regnum & Eccleſiam Gallicanam ſibi arrogaſſe eam facultatem diſceptandi de Synodis recipiendis aut reijciendis. Arrogaſſe, inquam, id eſt, licenter ſibi arripuiſſe per audaciam & vim, contra ius & fas. qualiter olim de quodam dictum:

Iura negat ſibi nata: nihil non arrogat armis.

14 Sed enim in eo ipſo, quod fatetur D. Marca, peccat, dum Epiſcopis Galliarum eius temporis adſcribit errorem ſolius facti. nimirum, errorem dumtaxat ortum ex ſiniſtra interpretatione verborum Conſtantini Cypriorum Metropolitæ intra Septimam Synodum, quæ barbarè & pręposterè conversa ſunt initio in Latinum, quaſi ſacris Imaginibus tribuendus eſſet idem cultus, qui ſanctæ & vivificæ Trinitati. qui fuit craſſus error prioris Interpretis, poſtea correctus meliori tranſlatione ab Anaſtaſio. In eo certè error Gallorum fuit ſolius facti. Verùm cùm præterea Septima Synodus priùs inſtructa ab Adriano II. Papa, & poſtea confirmata, in ipſa fidei definitione declaraſſet, ſacras Imagines non latricè, aut dulicè, ſed ſalutatoriè dumtaxat adorandas eſſe; manifeſtus fuit is ſenſus Præſulibus Galliæ. Et tamen illum reijcere palam auſi ſunt, obtendentes, eam definitionem eſſe contrariam doctrinæ S. Gregorij Magni, & Synodi Gentiliacenſis in ipſa Gallia celebratæ. Iam igitur error illorum non modò fuit facti, ſed iuris: vtpote palam contrarius definitioni Septimæ Synodi: adverſus quam noluerunt, Imagines ſalutari, nec Prototyporum quidem intuitu. Vnde Ionas Aurelianenſis, & Vvalfridus Strabo, qui in eo luto hærebant, inſpectâ ſolâ definitione eius Synodi, & nulla ratione habita erroris commiſsi in tranſlatione verborum Conſtantini Epiſcopi Cypriorum, dixerunt, adoratores Imaginum non quidem eſſe idololatras, eſſe tamen ſuperſtitioſos. Quare nemo verè excuſare poteſt illos Galliarum Epiſcopos ab errore graviſsimo iuris contra Septimam Synodum; quidquid in oppoſitum velit D. Marca, & alij apud noſtrum Mavillonem in Prolegomenis ad Tomum V. Sæculorum Benedictinorum, nuperrimè Pariſijs editum. Quis enim eos Epiſcopos palam reſiſtentes tot Patribus Septimæ Synodi, auctoritate Apoſtolicæ Sedis initio coactæ, & tandem confirmatæ, non iure merito reprehendat, aut neget vſurpari poſſe in eos verba illa Marciani Auguſti in Edicto pro Synodo Chalcedonenſi: *Verè impius & ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit.*

15 Denique augetur ſuſpicionis occaſio: cùm videamus, poteſtatem ſupremam Romani Pontificis cum pleno iure ſupra omnia Concilia, ſtabilitam in Synodis Oecumenicis Florentinâ Seſs. vltim. & Lateranenſi ſub Leone X. Seſs. XI. (quarum verba exſcripſimus Diſput. XXXVI. num. 3. & 5. palam negari à moderno Clero Galliarum in Declaratione ſua §. 2. Nulla enim exceptio opportuna, nulla rationabilis ſolutio, aut veroſimilis evaſio, videtur eſſe poſſe, ne poteſtas prędicta fuerit palam & ritè definita in ijs duobus Concilijs: vt omittam plura alia antiquiora, quæ in Lateranenſi allegantur. Videantur quæ ibi à nobis obſervata ſunt. Quare propterea ſolùm videntur Præſules Gallicani, & Doctores Pariſienſes, in vtraque recenti Declaratione negare poteſtatem Papæ indubitatā ſupra Concilium, quòd licèt definita fuerit in vtraque ea Synodo, non tamen acceſſerit conſenſus Gallicanæ Eccleſiæ illam probantis. Vnde quemadmodum negant Pontifici Romano abſolutè, & ſimplicitèr loquendo iudicium irreformabile in quæſtionibus fidei; & ſolùm admittunt illud conditionatum, *ſi conſenſus Eccleſiæ acceſſerit*: ita etiam videntur illud prius negare Concilio Oecumenico, quamvis ritè celebrato, & confirmato (qualia fuere duo prædicta) & ſolùm concedere poſterius. Vt, nimirum, non aliter ſit irreformabile iudicium Concilij Oecumenici, quàm accedente Eccleſiæ conſenſu; & non cuiuslibet, ſed Gallicanæ.

16 Quæ collectio ſi ab ijs Præſulibus ac Doctoribus admittatur (quod incredibile apparet de Epiſcopis ac Doctoribus Catholicis) rogandi vlteriùs erunt, à quot Præſulibus, Eccleſijs, Academijs, populiſque Galliarum, recipiendæ ſint definitiones Vniverſalium Conciliorum, vt à Gallicana Eccleſia receptę cenſeātur, & proinde computentur inter dogmata fidei. Quid ſi à minori parte, ſed ſanioris conſilij, admit-

mittantur, reliquâ & maiori contradicente? Quid etiam ſi maior pars conſentiat, & minor contradicat, allegetque ſibi ſanius eſſe conſilium? Dato etiam eo diſsidio, quis erit idoneus iudex ad diſcernendum, quænam partium ſaniori conſilio in re adeò gravi deliberaverit? Sanè quidquid reſpōdeatur in ea parte, plenum periculi erit, miniſtrabitque anſam pernicioſi ſchiſmatis. quin & occaſioni erit Heterodoxis, vt maiori auſu nolint admittere dogmata Concilij Tridentini, quaſi ab ipſorum Eccleſijs probata non fuerint, nec acceſſerit illarum conſenſus. Et licèt longè alterius ac melioris planè conditionis ſit Gallicana, id ipſum Sectarij imprimis negabunt, ac negandum colligent, quoniam inſtar ipſorum definitiones Generalis Concilij à ſuo conſenſu videtur facere dependentes, vt vim irrefragabilem habeant.

17 Certè multò amplius, quàm totius Galliæ, erat ſpatium Eccleſiæ Orietalis Quartadecimanorum, qui contra decretum ſolius Sedis Apoſtolicæ, & quidem editū extra omne Generale Conciliū, contendebant in Aſia, Paſcha celebrandum eſſe more Iudaico quartadecima Luna Martij. Et tamen tot Præſulum auctoritas, ac contentio in oppoſitum, tanti non fuit, vt S. Victor Papa & Martyr ipſorum doctrinam & conſuetudinem non damnaret, euſque reluctantes adhuc ab Eccleſiæ corpore abſcinderet, definitâ doctrinâ contrariâ, quam omnes Catholici ſuſceperunt, quæque poſtea in Magna Synodo Nicæna ſolemniùs confirmata fuit. Vide ſuprà Diſput. VIII. num. 14. & præterea Baronium ad annos Chriſti 159. & 198. num. 1. ac 3. & 325. num. 4. Itaque nullo accedente conſenſu Eccleſiæ Aſiaticæ ea controverſia ritè primùm à Sede Apoſtolica, & poſtea à Concilio Nicæno, definita fuit. Similiter error Rebaptizantium, licèt probatus ab innumeris Epiſcopis Aſiæ & Africæ, confirmatuſque in varijs ipſorum Concilijs; ſæculo tertio damnatus fuit à multis Pontificibus Romanis, excommunicatione priùs latâ in multos illorum, in alios verò intentatâ: donec à S. Stephano Papa & Martyre hæreſeos notâ inuſtus fuit, idque extra omnem Synodum Oecumenicam, tota reliqua Eccleſia id probante. Lege quæ ſuprà eâdem Diſput. VIII. num. 19. præmiſsimus, & pluta alia quæ infrà Diſput. XLI. dicemus, ac præterea Baronium ad annum 258. latè. Si autē ad proſcribendos ritè eos errores non fuit opus conſenſu Eccleſiarum Aſiaticæ, aut Africanæ, quarum ſingulæ longè latiùs porrigebantur, quæque multis Epiſcopis ſanctitate & doctrina illuſtribus conſtabant, vt ſuo loco oſtendimus: cur ad ritè definiendum, vel Sedes Apoſtolica, vel Oecumenica Synodus, egeant conſenſu Gallicanæ Eccleſiæ, quæ anguſtioribus longè limitibus coercetur? Addo ampliùs. Si nec aperta & pervicax reſiſtentia tot Eccleſiarum Præſulumque Aſiæ & Africæ obſtitit, vt doctrina ijs oppoſita ritè definiretur, veluti certa ſecundùm Catholicam fidem: cur neceſſarium ſit ad pronuntianda fidei dogmata, quod Eccleſia ſolius Galliæ finibus comprehenſa præſtet ſuum conſenſum? At inquies, hanc eſſe vnam ex libertatibus Gallicanis. Sed quo iure? Aut ſi aliquò, cur non idem dicatur de Eccleſia Hiſpaniarum multò latiùs patente? Cur non pariter de Eccleſijs Catholicis aliorum Regnorum? Nulla certè ſeorſim id habet.

SECTIO TERTIA.

Paradoxon cuiuſdam Recentioris Theologi Pariſienſis, palam aſſerentis, nec Romani Pontificis, nec Conciliorum Generalium definitiones habere auctoritatem irrefragabilem, niſi accedat conſenſus reliquæ Eccleſiæ, etiam prout laicos comprehendit.

18 SED Vt planè conſtet, non defuiſſe hoc ſæculo in Gallia aliquem ex Catholicis, qui palam docuerit, definitiones Conciliorum Vniverſalium, perinde ac Sedis Apoſtolicæ, vt irreformabiles omnino ſint, pendere ab accedente Eccleſiæ conſenſu (quod velitando ſolùm & veſtigando ſuprà colligere ſtuduimus ex Declaratione Cleri Gallicani, veluti immane quoddam abſurdum) poſſem hoc loco nominatim citare Recentiorem quendam natione Gallum, patria Pariſienſem, profeſsione Theologum, qui Rhotomagi anno 1641. in lucem edidit iuſtum volumen *De Hierarchia & Hierarchis*: atque in eo palam tradit eam opinionem, tam de Pontifice Romano, quàm de Concilio Oecumenico definiente. Verùm licèt is Auctor ſatis notus ſit, ob iuſtas quaſdam rationes eius nomini parcendum exiſtimavi: præſertim cùm Opus prædictum ipſius ab Inquiſitione Vniverſali Romana prohibitum fuerit donec corrigatur: ideoque vitatum fuerit damnum alioqui ſecuturum.

19 Vt autem id luculenter appareat, indicanda ſunt nonnulla ab eo tradita varijs locis eius Operis. Imprimis lib. 4. cap. 10. diſſerens de auctoritate Conciliorum Generalium, recenſet varias conditio-

nes, veluti neceſſarias, vt Summus Pontifex pronuntiet ex cathedra iudicio infallibili: *Quarum conditionum vel vna ſi defuerit, ex edito Vniuerſalis Doctoris folio, ad priuatæ perſonæ conditionē devoluitur.* Deinde illas enumerat: noſque ordine eodem diſcutiemus. Ait igitur: *Primam conditionem ex parte materiæ deſumo, quam volo eſſe propoſitionem veram, verè revelatam.* Idipſum poſtea exigit, vt definitiones Conciliorum Vniverſalium ſint certæ iuxta fidem. nam paulo pòſt, nimirum pag. 198. ſubiungit: *Quæ autem de Pontifice dicimus, ad Concilium Generale pro rata portione referri poſſunt.*

20 Egregiam porrò explanationem iudicij infallibilis, tum Sedis Apoſtolicæ, tū Synodi Oecumenicæ in ſuis definitionibus: vt tunc ſolū certæ & irreformabiles habeantur, cùm doctrina earū eſt vera, & verè à Deo revelata! Hoccine eſt privilegium illud peculiare & mirum, à Chriſto Domino conceſſum Petro, & ſubinde cuilibet Romano Pontifici, & toti Eccleſiæ in Synodo congregatæ, Lucæ 22. *Ego pro te rogavi, vt non deficiat fides tua*: ac præterea Mathæi 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meā, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam?* Certè non dico Eccleſia Catholica, ſed quælibet Synagoga hodierna Iudæorum, & quorumlibet infidelium, id ſibi annexum habet, vt nullatenus erret quoties pronuntiat aliquod verum, & verè à Deo revelatum. Neque quiſquam hæreticorum eſt adeò delirus & mente captus, vt dubitet de propoſitione aliqua, ſi ponatur vera, & verè revelata à Deo: totumque in ea parte diſcrimen Catholici hominis ab Heterodoxo eſt, quòd hic propoſitiones à Sede Apoſtolica & Concilio Oecumenico definitas, neget eſſe veras & revelatas à Deo; ille è contrà affirmet. Quapropter neceſſum eſt fateri, privilegium id ſingulare à Chriſto Domino conceſſum Petro, ac ſubinde Sedi Apoſtolicę, & Synodo Oecumenicæ, in eo ſitum eſſe, vt quoties pronuntiat, ſeu proponit aliquid, tanquam credendum à populo Chriſtiano, iudicium ipſius ſit verum, & ex revelatione divina profectum, quæ eſt omnino infallibilis. Alioqui liceret Catholicis dubitare, an doctrina definita eſſet vera & à Deo revelata: quod ſoli hæretici manifeſti in dubium vocare aut negare audent. Deinde, nec Sedes Apoſtolica, nec Synodus Vniverſalis, eſſet ſupremus controverſiarum fidei iudex: nam quidquid definierit, adhuc reſtabit examinandum, an ſit verum, & verè à Deo revelatum. Quis ergo erit iudex vltimus, cui tandem ſtandum ſit? An populus? Nam ſi nec Sedes Apoſtolica, nec Eccleſia in Synodo congregata; quis alius reſtat?

21 Videtur ipſe hanc difficultatem & ingentem abſurditatem præſenſiſſe: ideoque duplicem infallibilitatē in Eccleſia conſtituit: activam vnam, quæ ſuperiorum propria eſt; paſſivam alteram, in inferioribus reſidentem. Deinde addit, decreta ſuperiorū (proindeque Sedis Apoſtolicæ, & Concilij Vniverſalis) dubia futura, & incerta, nec tuta ab errore, donec ab inferioribus probata fuerint, & ipſorum approbatio confirmet ſtabiliatque ſententiam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ & Hierarcharum, alioqui dubiam futurā. Hæc ferè ille: qui cùm pariter loquatur quantum ad id de Concilio Vniverſali ac de Romano Pontifice, vtriuſque definitiones non aliter cenſet infallibiles, quàm ſi inferiorum conſenſus accedat.

22 Ne autem videamur ipſi imponere, aut affingere opinionem adeò aborrentem à communi Catholicorum omnium ſenſu, accipe verba illius ex capite decimo citato, cui epigrapha eſt, *de legitima Conciliorum Generalium auctoritate.* Ibidem enim ait pag. 197. *Erit autem hoc loco qui quærat, ſic propoſito fidei articulo* (nimirum, poſt accuratum examen, & maturam deliberationem) *ſic latæ promulgatæque legi, quē præſtare cogatur aſſenſum fidelis quilibet? Immo, vt plura vno complectamur articulo, quam habeat in animos noſtros iuriſdictionem, aut Concilium Generale, aut priuatum Romani Pontificis Diploma, rem antea dubiam ac incertam auctoritate ſua in alterutram partem definientes? Huic ve quæſtioni ſatisfiat, certa, ſi placet, ab incertis ſecernamus, involucra verborū aperta explicatione prodamus. Infallibilitatem Theologico vocabulo notam Eccleſiæ promiſſit Spiritus veritatis. Eſt autem illa duplex, actiua, qua quis in veritate proponenda fallere non poteſt, & falſum pro vero oſtendere: paſſiua, qua quis falli non poteſt, & falſum ab alio traditum pro vero accipere. Et in Eccleſia quidem tota, ſive congregatam in Concilio Generali, ſiue toto orbe ſparſam conſideres, vtramque infallibilitatem, virtutem ſcilicet primæ veritatis participatricem ineſſe, nemo Catholicus ignorat.* Deinde verò ſic diſtincta infallibilitate in activam ex parte proponentium, & paſſivam ex parte audientium, ſtatim ſubdit de Romano Pontifice, vt Doctore privato: *Poteſt ipſe & falli credendo, & fallere proponendo, vt cùm Stephanus Iunior (hoc enim exemplum ad manū eſt) infantes vino baptizari poſſe aqua de-*

ſi-

ficiente reſpondit. Cui ſanè, ſimilibuſque reſponſis, ex eo deeſt auctoritas, quòd communi omnium Catholicorum conſenſu non admittantur: quæ paſsiuæ in Eccleſia infallibilitatis effectus eſt, & character. Itaque iuxta hunc auctorem, ratio cur id reſponſum Stephani Papæ, & alia ſimilia edita ab vno aliove Pontifice Romano, vt Doctore privato, non habeant auctoritatem irrefragabilem, ea eſt, quòd communi omnium Catholicorum, nimirum populi Chriſtiani, conſenſu non fuerint admiſſa; quem conſenſum eſſe vult effectum & characterem paſsivæ infallibilitatis in Eccleſia. Quin & paulo pòſt ſubdit: *Quæ autem de Pontifice diximus, ad Concilium Generale pro rata portione referri poſſunt.*

23 Ex ijs videtur planè effici, iuxta eam opinionem, quemadmodum definitionibus editis à Pontifice Romano in quæſtionibus fidei (de ijs enim ſermo illi eſt, iiſque propriè tribuitur infallibilitas veritatis conceſſa) non ineſt authoritas irrefragabilis, niſi præterea à toto cœtu fidelium admittantur: ita etiam de definitionibus Conciliorum Vniverſalium (nimirum ritè celebratorum, & confirmatorum à Pontifice Romano) ſentiendum eſſe. Quare nec illæ erunt auctoritatis irrefragabilis, niſi admittantur à communi fidelium cœtu. Hoc enim reluctante, manebunt illæ cum ſola ea auctoritate, quę competit multis privatis Doctoribus illas tradentibus in Concilio Oecumenico: non verò erunt irreformabiles omnino, nec certæ ſecundùm fidem.

24 Quin & Auctorem illum nomine *communis omnium Catholicorum conſenſus*, intelligere etiam laicos, patet ex ijs quæ ſubiungit poſtea cap. 12. eiuſdem libri quarti pag. 208. vbi docet, etiam laicos Cõcilijs Generalibus intereſſe debere, quoniam ſæpe diſcutitur cauſa ipſorum, & iuſtum eſt nemini invito aut abſenti onus imponi. Quare ait ibi: *Certè in rebus ſubditorum conſenſus exquiritur: quemadmodum ſuprà* (nimirum cap. duodecimo ſuprà citato) *vidimus, reclamantis Eccleſiæ vocem Pontificum & Conciliorum decretis robur detrahere, quæ paſsiuæ infallibilitatis pars eſt & ſpecies.* Quare iuxta ipſum non eſt omnino firma & ineonenſſa auctoritas definitionibus Romanorum Pontificum & Conciliorum Generalium, ſed imminuta, vbi reliquus Eccleſiæ cœtus reclamat. Tunc enim deeſt infallibilitas paſsiva, qua non interveniente, activa infallibilitas integra eſſe nequit.

25 HÆC Cùm legeris in Catholico & erudito Scriptore Galliæ, non miraberis ſi ſuprà multiplici ex capite coniecerimus, quemadmodum olim tempore Ionæ Arelianenſis & Hinemari Rhemenſis, ita & nunc eſſe aliquos Pręſules, & Doctores in Gallia, qui indifferenter nolint definitiones Romanorum Pontificum, & Conciliorum Vniverſalium, eſſe prorſus irreformabiles, niſi conſenſus accedat reliquæ Eccleſiæ, etiã prout conſtat ex laicis, quemadmodum prædictus Auctor tradit. Cuius doctrinam proinde gravis & excellens Theologus Pariſienſis Franciſcus Hallier lib. 4. de Hierarchia ſect. vlt. art. 2. non ſolùm multiplici nota inuſſit, ſed etiam aliqua ex parte conferendam cenſuit cum ea quam tradidit Marcus Antonius de Dominis, impius Apoſtata, lib. 1. cap. 12. num. 42. his verbis: *Deus Spiritum ſuum toti Eccleſiæ promiſsit, non alligando ipſum certis perſonis, ſiue certo generi perſonarum, puta ſolis Presbyteris, aliſue Clericis ad miniſteria Eccleſiaſtica deputatis: ſed ipſum voluit eſſe per omnes, licèt non per ſingulos diffuſſum: & conſenſus totius Eccleſiæ non minùs intelligitur in laicis, quàm etiam in Presbyteris, & Prælatis. Sunt enim etiam laici in Eccleſia; immò ex Eccleſia, ipſiuſque ſolidam, & maiorem partem conſtituunt.* De qua doctrina, eùm primùm ferè in lucem prodijt, Facultas Theologica Pariſienſis, hoc iudicium & cenſuram tulit: *Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſtatus Eccleſiæ perturbatiua, quatenus ad fidei propoſitiones ſtatuendas conſenſum laicorum requirit.* Quin & nequiſsimus eius Auctor, ob eam & plures alias impietates, non modò cum ſuis ſcriptis fulguritus eſt ſacro anathematum igne ab Eccleſia dum viveret, ſed etiam poſt obitum exhumatis oſsibus iure vltricibus flammis traditus fuit. Itaque aliquid affinitatis cum ea Spalatenſis doctrina videtur habere opinio præiacta, vt expendenti conſtabit.

SECTIO QVARTA.

Reijcitur obiter & multipliciter ea opinio, veluti contraria teſtimonijs Scripturæ alijsque expenſis, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ inimica, & quæ Sectariorum cauſam agit.

26 NON Eſt quòd immoremur refutandę opinioni pręiactæ, quę ſtatim ac prodijt, vehementer diſplicuit Catholicis, etiam ipſius Galliæ, & cum reliquo libri corpore ab Inquiſitione Vni-

Vniverſali Romana detruſa fuit in barathum illud, ſive obſcurum carcerem, vnde non facilè reſtituatur ad lucem, quam paucis ab editione ſua menſibus videre licuit. Quare ſatis ſit indicare hoc loco præcipua & ἀναντίρρητα argumenta, quibus paulo attentiùs expenſis, & latiùs propoſitis, à quolibet Theologo mediocriter erudito confutari omnino, atque in pulverem redigi poſsit.

27 Imprimis enim proclive eſt illam reijcere omnibus ijs argumentis ex Scriptura ſacra, iuxta vnanimem SS. Patrum ſenſum, erutis, quibus omnes ferè Theologicorum Dogmatum Scriptores probant contra Sectarios; Eccleſiæ Catholicæ promiſſam eſſe à Chriſto Domino datamque auctoritatem prorſus infallibilem ad docendum omnem veritatem; nimirum, ſaltem omnem illam, quę neceſſaria & conveniens eſt ad ſalutem fidelium, qualis profectò eſt doctrina ad fidē & mores ſpectans. Nullibi autem magis propriè Eccleſia docet omnem eiuſmodi veritatem, quàm per vocem Romani Pontificis pronuntiantis è cathedra, aut per Generale Concilium rite congregatum & confirmatum. Ergo vtrique eorum, iuxta Chriſti promiſsionem, ineſt auctoritas infallibilis ad docendū in ijs quęſtionibus omnem veritatem. Nec ſanè in vllo ex ijs locis infallibilitas Eccleſiæ docentis ex edito Apoſtolicæ Sedis throno, aut in Synodo Oecumenica, ponitur dependēs ab acceptatione reliqui cœtûs Catholici, aut populi. Ad hunc enim non ſpectat definire, ſed obaudire; non docere, ſed diſcere; non præcipere, ſed parere; non pręire, ſed ſubſequi. Pontifex Romanus eſt Vniverſalis Eccleſiæ Paſtor, cuius ſibilum aut vocem oves omnes ſequi debent. Epiſcopi in Concilio Vniverſali intervenientes ſunt Paſtores gregum diverſorum, quos doctrina, & exemplo præeuntes paſcunt. Itaque apertiſsimum eſt, auctoritatem Eccleſiæ vtrovis modo definientis nullatenus dependere ab acceptatione reliqui cœtûs aut populi Catholici; ſed potiùs illam iure divino ab eo exigere & extorquere debitum mentis obſequium. Non enim quæ ab Eccleſiaſtica Hierarchia definiuntur, ideo vera omnino & infallibilia ſunt, quia ab inferioribus & reliquo populo creduntur, recipiunturve: ſed potiùs ideo ab eo recipi & credi omnino debent, quia auctoritas Eccleſiaſticæ Hierarchiæ docentis ac definientis ex promiſsione Chriſti eſt omnino infallibilis. Pręterea nec infallibilitas activa Hierarchię Eccleſiaſticæ, in definiendo dependet ab infallibilitate paſsiva populi in obaudiendo: ſed potiùs è contrà. Propterea enim populus obaudiens definitionibus Sedis Apoſtolicę & Conciliorum Vniverſalium falli non poteſt, quoniam illa in definiendo & docendo activè ex promiſsione Chriſti fallere nequeunt. Quapropter opinio præiacta dum docet, definitiones Sedis Apoſtolicæ & Conciliorum Vniverſalium, non aliter habere auctoritatem irrefragabilem, quàm ſi à reliquo cœtu Catholico & populo recipiantur; nec plenam infallibilitatem activā, niſi ſequatur in inferioribus infallibilitas paſsiva; contradicit palam Hierarchiæ Eccleſiaſticę, à Deo inſtitutæ, & apertis promiſsionibus Chriſti.

28 Porrò teſtimonia Scripturæ, & SS. Patrum ijs cohęrentium, quibus teſtata habetur auctoritas ſumma & infallibilis Conciliorum Vniverſalium, paſsim invenire licet apud innumeros Theologos, qui de ea latè ſcripſerunt, & præ manibus paſsim habentur: noſque ipſi ſatis de eo diſſeruimus Tomo II. Theologię S. Anſelmi Diſp. II. ſect. 2. & 3. adverſus Sectarios. Similiter teſtimonia eiuſdem Scripturæ, & SS. Patrum iuxta proprium & litteralem ſenſum, quibus eadem auctoritas omnino irrefragabilis aſſeritur Romano Pontifici pronuntianti de fide & moribus, etiam extra Concilium Oecumenicum, ſuprà Diſp. XXII. per totam exſcripta & latè expenſa ſunt, nec repetere opus eſt.

29 Deinde reijcitur idem paradoxon. Iuxta illud enim cœtus populi Chriſtiani, etiam prout ex laicis conſtans, adæquatur Sedi Apoſtolicæ, & Concilio Vniverſali in auctoritate circa doctrinam fidei: quin immo & præfertur, veluti iudex ſuperior. Primum ex ijs patet: quoniam iuxta eam opinionem, vt definitiones fidei vim irrefragabilem habeant, non minùs neceſſarium eſt quòd à cœtu populi Chriſtiani accipiantur, quàm quòd à Sede Apoſtolica aut Concilio Oecumenico tradantur. Vbi autem duo æquè neceſſaria ſunt ad quemlibet effectum inducendum, ambo quantùm ad id, morali ſaltem æſtimatione, æqualia ſunt. Secundum verò conſtat aliunde: quia iuxta eam theſim, cùm non aliter definitiones Sedis Apoſtolicę, & Synodi Oecumenicæ, habeant auctoritatem irrefragabilem, quàm ſi probentur & recipiantur à reliquo cœtu populi Chriſtiani, etiam ex laicis conſtante; profectò hic erit vltimus iudex, cuius arbitrio illæ ſtent, aut cadant: ac per conſequens erit iudex ſuperior, & poſtremum circa illas iudicium ferens. Hoc autem quàm apertè contrarium ſit promiſsionibus Chriſti & teſtimonijs, quibus Sedem Apoſtolicam, atque Eccleſiæ Paſtores prætulit cęteris ovibus totius gregis ſui: quàm denique adverſum Hierarchiæ Eccleſiaſti-

cæ

eæ à Deo inſtitutæ, nemo non viderir.

3 Quod ſi excipias, cœtum populi Chriſtiani, ex laicis etiam conſtantem, non temerè, non pro libito, ſed cum fundamento & matura rei diſcuſsione poſſe recuſare, ſive non admittere definitiones latas à Hierarchia Eccleſiaſtica; nihilo meliorem cauſam reddis. Quoties enim reſtiterit cœtus inferior, certè id non faciet, niſi exiſtimans ſe ſufficientem ad id rationem habere. Quid ergo fiet, aut quis erit iudex, an ille temerè, an prudenter egerit? Non ipſe cœtus: quoniam nemo in cauſa propria æquus arbiter cenſetur, & multò minùs populus: in quo plerumque quot capita, tot ſententiæ. Ergo demum id iudicare, ſolius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ eſt. Si igitur hæc cœtum inferiorem, adhuc reluctantem, & allegantem rationes in oppoſitum, coercere poteſt ad conſenſum & obſequium firmum mentis in definitiones prolatas; cur non à principio, & antequam reſiſteret, illum coercere potuit? Si Hierarchia Eccleſiaſtica ob infallibilitatem ſui activam, à reliquo cœtu inferiori, vel invito, poteſt exigere infallibilitatem paſsivam, ſive vt aſſenſum infallibilem præſtet; cur non poterit illam exigere à nondum reſiſtente?

31 Præterea. Cùm omnes Sectarij noſtrorum temporum ſibilo excipiant definitiones Concilij Tridentini, & alias à Sede Apoſtolica prolatas; magnam gratiam habebunt auctori eius opinionis. Allegabunt enim, ingentem Chriſtianorum partem, ne dicam, numeroſiorem, quæ ex Sectarijs conſtat, non acquieviſſe, ſed potiùs reſtitiſſe ijs definitionibus; ac proinde illas non habere auctoritatem irrefragabilem, defectu infallibilitatis paſsivæ, quę in nullo Sectariorum eſt. Nec ſat erit ſi reponas, cœtum inferiorem reſiſtentem definitionibus debere eſſe Catholicum. Imprimis enim, ſi Catholicus eſt, propterea ſtrictiori iure debet obaudire magiſterio Eccleſiæ Catholicæ, quod præcipuè ſitum eſt in Apoſtolica Sede, & Concilio Oecumenico. Quare ſi non obaudiat, ſed reſiſtat; iam non eſt cœtus Catholicus, ſed Sectariorum. Ergo in nullo ab ijs differt.

32 Rurſus. Catholici cenſebantur quicumque ante tempus Magnæ Synodi Nicęnæ ex ignoratione quadam, etiam culpabili, aut ſuperabili, negabant Filium eſſe ὁμοούσιον, ſive conſubſtantialem Patri. Et tamen cùm primùm ea veritas definita fuit in illo Concilio, omnes qui reſtiterunt, non iam Catholici, ſed hæretici Ariani ac perfidi habiti ſunt. Deinde, Catholici habebantur quotquot initio ſapiebant cum Pelagio, ſeu potiùs deſipiebant, abducti errore quodam, fortaſsis inſuperabili in quibuſdam, in alijs verò culpabili. Attamen poſtquam S. Innocentius I. Papa, alijque Pontifices, controverſiam de neceſsitate divinæ gratię definierunt ex cathedra, quotquot reſtiterunt, hæretici à tota Eccleſia habiti ſunt. Idem de Semipelagianis, Donatiſtis, Pneumatomachis, Neſtorianis, Eutychianis, ac Græcis negantibus proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, alijſque innumeris ferè dictum eſto. Cùm primùm enim, ſive à Sede Apoſtolica, ſive à Concilio Oecumenico ritè celebrato & confirmato, prodijt definitio aliqua contra eos errores, quicumque antea Catholica Religione cenſebantur, ob ſequentem renitentiam, nigro thetâ hæreſeos notati ſunt. Vnde manifeſtum eſt, cœtum inferiorem Eccleſiæ, vel eo vno titulo reſiſtendi Pontificijs aut Synodicis definitionibus in materia fidei aut morum, ex Catholico tranſire in Sectarium & hæreticum. Quare Heterodoxi omnes habent propter quod gratiam referant Auctori Catholico eius opinionis, ſive quoniam iuxta illam poſſent excuſationem obtendere, ſive quia facilè innumeri retento Orthodoxorum nomine ad illorum caſtra tranſirent. Plura alia à ſimili erui poſſent ex dictis ſuprà Diſp. II. ſect. 4. ſed in re adeò manifeſta, hæc ſufficiant.

DISPVTATIO XXXX.

AN ILLVSTRISSIMI GALLIARVM PRÆſules verè acceperint à Patribus Doctrinam Declarationis dicta, aut iure potuerint illam præſcribere ab omnibus in Gallia ſequendam.

CONTRA VLTIMVM CAPVT, SIVE CLAVSVLAM DECLARATIONIS.

CLAVDVNT Denique Illuſtriſsimi Galliarum Præſules Declarationem ſuam hiſce verbis: Quæ accepta à Patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas, atque Epiſcopos in ijs aucto-

auctore Spiritu ſancto præſidentes, mittenda decrevimus: vt idipſum dicamus omnes, ſimulque in eodem ſenſu, & eadem ſententia. *Non ſat viſum Antiſtitibus Galliæ tam ſubito ea paradoxa imbibere animo, & publici iuris facere: niſi & mittenda curarent ad omnes Eccleſias, veluti quandam ſanæ omnino, immo & Catholicæ doctrinæ, formulam. Sic fecere olim Baſileenſes & Bituricenſes PP. in erraticis illis Synodis convellentes auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, & abutentes decretis Concilij Conſtantienſis, quæ non ratione duce, ſed impotenti odio abducti in Eugenium IV. Papam, è ſuo cerebro interpretabantur.*

SECTIO PRIMA.

Oſtenditur, nec doctrinam, nec formulam eius Declarationis, fuiſſe acceptam à Patribus Eccleſiæ Gallicanæ: ſed potiùs nunc contra eorum ſenſum & ſtylum attentatam fuiſſe.

1 SÆPE Mirati fuimus decurſu Operis magnam illam confidentiam & ſecuritatem animi, quâ graviſſimi Galliarum Antiſtites in Declaratione ſua proferunt varia dogmata, quę cæteris omnibus viris doctis totius Orbis Catholici, immo & pleriſque Gallis, aut ferè omnibus, immania paradoxa, vt mitiſſimè loquar, viſa ſunt, & cenſentur adhuc. Nunc quoque mirari ſubit, quomodo non fuerint veriti, nec religioni duxerint, in clauſula ipſa Declarationis teſtari, ſe eam doctrinam accepiſſe à Patribus; ac præcipere aut hortari, vt ab omnibus Galliarum Eccleſijs, illarumque Epiſcopis, vnanimiter defendatur. Quid ampliùs dicere potuiſſent de doctrina in ſacris litteris palam teſtata, aut ritè definita ab Eccleſia?

3 Deinde, nec ampliſſimi Præſules teſtari poſſunt, doctrinam eius Declarationis fuiſſe à Patribus acceptam: cum luculentiſſimum ſit eruditis omnibus, contrariam quoad omnia ab ijs vna voce ac ſenſu traditam fuiſſe à tempore Apoſtolorum, & nominatim à Gallicanis Patribus, Concilijſque: vt fusè oſtenſum fuit, tam in duplici Tractatu præcedenti, quàm in hoc ipſo, excurſione facta per ſingula ſęcula. Nec ijs prodeſt aut ſat eſt, quòd vni alterivè teſtimonio Scripturę, aut alicuius ex Patribus, in ſpeciem difficili innitantur. Nam neque vllæ hæreſes ſunt, quibus tuendis illarum architecti non coacervaverint varia Scripturę & Patrum loca: ſed præpoſterè interpretata, & contra planum ac manifeſtum ſenſum in alijs teſtimonijs expreſſum. Quod in præſenti accidere, palam erit conſideranti abſque vllo præiudicio ea, quæ toties diſputata relinquimus, nec inculcare oportet.

4 Sed neque à Patribus Gallicanis, inoccíduis ijs Eccleſiæ luminibus, qui Eccleſiam longè ac latè illuſtrarunt priſcis ſæculis, accipere potuerunt eam Declarationis formam: vt nimirum, in rebus adeò gravibus, ad fidem & ſubinde ad mores ſpectantibus, veluti ex cortina aut tripode pronunciarent; non modò ſine formula illa à Catholicis quibuſque adhiberi ſolita, *ſub correctione S. Romanæ Eccleſiæ*: quin potiùs in manifeſtum præiudicium, imminutionemve auctoritatis illius, & offenſionem Pontificis Romani.

5 Non ſic ſanè, non ſic priſci illi Galliarum Præſules: qui obortis in eo Regno, aut alibi terrarum, controverſijs quibuſlibet circa fidem religionemve, ſemper ſoliti ſunt conſulere Sedem Apoſtolicam, ſive Pontificem Romanum, vt ab eo diſcerent, quid ſentiendum, quid prædicandum eſſet. Quam conſuetudinem fuiſſe perpetuam in Concilijs & quibuſque ſacris Conventibus Galliæ, oſtenſum fuit ſingilatim tota Diſp. IV. & pluribus alijs locis. Eaque conſuetudo (ſaltem ſi excipias Concilia quædam, ſeu potiùs Conciliabula, temporibus Ionnæ Aurelianenſis, & Hincmari Rhemenſis coacta, de quibus ſuprà Diſp. XXXVII.) retenta fuit in Gallijs vſque ad hāc noviſſimam Declarationem, quæ ſubitò, & cum horrore totius ferè Catholicæ Eccleſiæ, prodijt 19. Martij 1682. Quam aliter ſuperiori ſęculo (vt alia remotiora taceam) Patres Conciliorum, Senonenſis 1528. Pręſide Cardinali à Prato, Rhotomagenſis 1581. ſub Carolo Borbonio, Rhemenſis 1583. ſub Ludovico Cardinali à Guiſia, Burdegalenſis eodem anno ſub Antonio Prævotio, itemque Turonenſis ſub Simone de Maille, Bituricenſis 1584. ſub Reginaldo Belnenſi, & tandem Aquenſis ſub Alexandro Corrigiano! Nimirum, omnia Acta & decreta eorum Conciliorum concepta atque edita fuere ſub correctione Sedis Apoſtolicę, à qua & nonnulla eorum correcta ſunt. Sed par erit audire qualiter in poſtremo eorum Conciliorum habito circa res fidei, ceremonias Eccleſiæ, & morum reformationem, ſcribant Patres congregati ad Sixtum V. *Quæ decreta confecimus*, inquiunt, *qua maiori poſſumus reverētia atque humilitate, mittimus ad Sanctitatem Veſtram; EIVSQVE CENSVRÆ ET IVDICIO SVBIICI-*

CIMVS, rogamuſque vt ea ſapientia ſua meliora facere, atque Apoſtolica auctoritate confirmare, & munire, ad ſpiritualem huius Eccleſiæ, & Provinciæ ædificationem promovendam velit. Quid dicam de Epiſtolis Cleri Gallicani, præſertim 19. Iulij 1653. ad Innocentium X. ſcriptis, quas dedimus ſuprà Diſp. II. & de alijs pluribus poſtea miſsis ad Alexandrum VII. in Ianſenij & ſequacium cauſa?

6 Verùm & longè aliter ſe gereré Præſules Gallicanos in ea Declaratione, quá olim Deceſſores ipſorum, dum inſtruebantur à Pontificibus Romanis, eorumque Reſcripta excipiebat, veluti cœleſtia Oracula, deprehendet palam qui legerit quæ ſuprà Diſp. V. per totam tradita ſunt.

SECTIO SECVNDA.

Declarationem nuperá videri primò hauſtam ab Ochamo, deinde à Baſileenſibus, tandemque ab Hypercriticis quibuſdam Galliæ: quorum theſes monſtruoſæ totidem alijs nuper ab Archipræſule Marca refutatæ exſcribuntur. Porrò ipſum longe meliùs ſe geſsiſſe cum Sede Apoſt. quam modernos Galliæ Præſules.

7 CVM Ergo Illuſtriſsimi Galliarum Prǽſules nec doctrinam, nec formulam eius Declarationis accipere potuerint à Patribus Venerandæ & toto Orbe Clariſsimæ Eccleſiæ Gallicanæ, quos ſemper oppoſitum docuiſſe & geſsiſſe, toties in hoc Opere demonſtratum fuit; ſupereſt demum, vt illam acceperint reipſa ab Ochamo, ſtipendiario illo Theologo Ludovici Bavari Imperatoris: qui primus è Gallis in odiũ Ioannis XXII. Papæ aliquas ex ijs theſibus audenter docens, *ſchiſmatici notorij* appellationem, & iterata anathematum fulmina in præmium accepit. Iam verò alibi monuimus, ipſum poſuiſſe ova, quæ poſtea Ioannes Gerſon excluſit in Concilio Conſtantienſi; bona quidem intentione, ſed præpoſtero planè iudicio. Quod perſpectum habuiſſe Synodus ipſa videtur: quæ Seſsionibus IV. & V. longè aliter definivit, quàm ipſe arbitrabatur. Verùm error ipſius poſtea placuit Baſileenſibus ob Vatinianum odium in Eugenium Papam, & altiores in quorundam ſchiſmaticorum animis radices egit: vt iam ſuo loco, præſertim Diſp. XV. XVI. & XXXVI. dictũ eſt. Itaque dum Præſules Gallicani in fine Declarationis ſuę aiunt, *Quæ à Patribus accepta, &c.* credo ſermonem eſſe de Baſileenſibus, aut quod perinde eſt, de Bituricenſibus. nam alios Patres non invenio, quibus hic nuperus fœtus ſupponatur.

8 Atqui ea origo aliquantò remotior eſt. Si quærámus aliam proximiorem, fortaſsis illa eſt, quam indicat Archipræſul Marca, licèt Gallię ſuæ amantiſsimus, in Libello Barcinone edito annò 1646. quo librorum de Concordia Sacerdotij, & Imperij, conſilium exponit, illoſque iudicio Sedis Apoſtolicæ ſubmittit. Nimirum ibidem col. 2. inter alia, inquit; *Inſtituti mei, & pietatis avitæ retinens; rationes Imperij Gallici in tuendis Privilegijs; & libertatibus ſuis in eo poſitas ſcripſi, vt à ſummo cultu, quem Chriſtiani omnes ſacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, atque Pontifici Maximo debent, nunquam diſcederetur. Quare neceſſariò mihi dimicandum fuit cum viris eruditiſsimis, qui in hiſce Libertatibus commentarijs editis olim, IIS POSITIONIBVS NITVNTVR, QVÆ CATHOLICÆ ECCLESIÆ DIGNITATEM SVMMOPERE LÆDVNT. QVÆ SANE COMMENTATIONES A TANTI NOMINIS VIRIS PROFECTÆ, EAS RADICES IN QVORVNDAM ANIMIS EGERVNT, VT CVRIARVM SVPREMARVM PLERIQVE MAGISTRATVS, NON ALIIS FERE AVSPICIIS NEGOTIA ECCLESIASTICA DIRIMANT.*

9 Sed age, doctiſsime Antiſtes: ediſſere nobis, quęnam ſint eę poſitiones, quibus tot Scriptores magni nominis in Gallia *Catholicæ Eccleſiæ dignitatem ſummopere lædunt.* Porrò ipſe columna ſequenti illas profert, veluti traditas, non ſolùm ab impiiſſimò hæretico Carolo Molinęo, ſed etiam ab alijs Hypercriticis Catholicæ communionis, Paſchierio, Pithœo, Hormanno, Servino, alijſque Libertatum Gallicanarum Conſarcinatoribus. Sunt autem eiuſmodi.

I. * Pontificem Romanum nullam auctoritatem in Gallijs exercuiſſe ante ſextum ſęculum.

II. Toto illo ſexcentorum ferè annorum intervallo, Regem ſolum, poſt Principes Romanos exactos, Eccleſię Gallicanæ vt Caput præfuiſſe, non autem Papam.

III. Non competere Papæ extra Concilium, vt leges Eccleſiaſticas condat, quę Gallos obligent.

IV. Papam à Sede & dignitate ſua deijci poſſe, ſi graviſsimum ſcandalum Eccleſię inferat.

V. Nulla in ſpecie licere Pontifici aliquid

quid ſtatuere adverſus Canones Generalium Conciliorum.

VI. Libertates Eccleſię Gallicanæ conſiſtere in vſu antiqui Iuris comprehenſi Canonibus veteris Eccleſiæ, & ad Curias ſupremas pertinere, vt eum vſum Senatuſconſultis ſuis paulatim reſtituant.

VII. Gallis competere ius conſtituendi ſummum aliquem Patriarcham, ſi Pontifex Regijs rationibus ſeſe non accommodet.

VIII. Regi liberum eſſe, vt conſtitutiones ferat in rebus Eccleſiaſticis; quæ ſint eiuſdem roboris, ac leges de rebus civilibus latæ.

IX. Curijs Supremis ius competere in dirimendis appellationibus ab abuſu, de principali negotio decernendi; quemadmodum ſæpè vſurpatur in foro.*

10 Hæ ſunt poſitiones à viris in Gallia celebribus traditæ: quas D.Marca fatetur contrarias Eccleſiæ Catholicę, & teſtatur eas miſiſſe radices in quorundam animis, *vt Curiarum Supremarum plerique Magiſtratus, non alijs auſpicijs negotia Eccleſiaſtica dirimant.* Credendum autem in ea potiſsimùm parte eſt Archiepiſcopo Marcæ, qui tot annis Conſiliarius, & Prӕſes Supremi Navarræ Senatus fuit, ac præterea Viſitator Curiarum, ſeu Parlamentorũ Regio nomine.

11 Quid ad hæc aliqui ex Gallis, qui conqueruntur, & clamoribus in cœlum elatis expoſtulant, pleroſque Exteros dicere, Libertates ipſorum eſſe ſchiſmaticas, ſeu contrarias Catholicæ Eccleſiæ? Teſtem habemus ex Regno ipſo omni exceptione maiorem, qui id fateatur de libertatibus, prout traduntur à celebribus Galliæ Scriptoribus, & quatenus in praxim deducuntur à Supremis Curijs eiuſdem Regni.

12 Porrò Illuſtriſsimis Galliarum Præſulibus non adeò iniurius ero, vt auſim dicere, eos mutuaſſe omnes theſes paulo antè exſcriptas. Quis enim id crederet de tot Antiſtitibus Catholicis, pijs, & doctis? Verùm cùm initio Declarationis ſuę *Libertates Gallicanas* præmittant, tanto ſtudio à maioribus propugnatas; & deinde ex prædictis poſitionibus manifeſtè tueantur tertiam, quintam, & ſextam; nec parum faveant quartæ, quatenus Pontificẽ Romanum Concilio Oecumenico ſubijciunt; ac denique nonnullis alijs, in quantùm potiùs habere videntur rationem dignitatis Regiæ, quàm Pontificiæ; ſuſpicari licet, eos Declarationem ſuam magna ex parte hauſiſſe ex liberrima illa & planè ſchiſmatica, vt mitiùs loquar, Hypercriticorum doctrina, quamvis illam leniori ſtylo, & humanioribus verbis mitigaſſe videantur. Itaque longè moderatiùs & tolerabiliùs loquitur in Declaratione ſua Clerus. *Verumtamen excelſa non abſtulit*, magna ex parte ſaltem: Adhuc enim in ſublimibus Galliæ locis relinquit, immo & fovet aras quaſdam, in quibus maieſtas ſacra Sedis Apoſtolicæ deprimitur, & politica atque humana exaltatur.

13 Quapropter ampliores laudes in ea parte debentur Archipræſuli Marcę: qui amantiſsimus licèt rerum Gallicarum, & Regio obſequio devinctus ob Conſiliarij munus, & ampliſsimas, quas geſsit, præfecturas; palam execratus fuit efrænem illam licentiam ſentiendi & loquendi ſuorum cum manifeſta iniuria Apoſtolicę Sedis: ideoque in Libello prædicto, poſtquam exſcripſit novem illas theſes arrogantię & ſupercilij plenas; vndecim alias ijs oppoſuit col 4. quas in Opere de Concordia, locis indicatis, fusè ſtabilivit. Sunt autem novem earum, alijs omiſsis.

14 *I. Supremam in rebus Eccleſiaſticis poteſtatem, & auctoritatem per Gallias exercuiſſe Romanum Pontificem, iudicijs ad relationes & appellationes redditis, ab eo tẽpore quo fides Chriſtiana in Gallijs floruit, ad hanc vſque ætatem. *lib. 5. de Conc. Sacd cap. 10.* II. Papam iure divino eſſe vniverſalis Eccleſiæ Caput, atque adeò Gallicanæ, quæ illius eſt mẽbrum. *lib. 1. cap. 2.* III. Generalia Decreta à Romanis Pontificibus in Gallias æquè ac in reliquas provincias miſſa; quæ magno applauſu ab Imperatoribus Romanis, deinde à Francorũ Regibus poſt conſtitutũ regnum, ad hoc tempus ſuſcepta ſunt. *lib. 1. cap. 8. & 9.* IV. Nullum eſſe crimen, cuius ratione Papa deponi poſsit, exceptâ hęreſeos publicè profeſſæ causâ. Quod verum eſſe teſtimonijs veterum docetur; & præterea hãc eſſe antiquam Eccleſiæ Gallicanæ definitionem, demonſtratur. *lib. 1. cap. 9.* V. Papam ſolvere poſſe, & diſpenſare validè & licitè à Canonibus Conciliorum Generalium, etiam ſine cauſa publica, dummodo hæc diſpenſatio non tendat ad labefactandum Eccleſiæ ſtatum. Vbi novâ planè ratione de toto hoc negotio diſſeritur iuxta Iuris antiqui regulas, atque præſentem vſum. *lib. 3. cap. 14. & 15.* VI. Libertates Eccleſiæ Gallicanæ conſiſtere in vſu & praxi Canonum, atque Decretalium tam veterum, quàm recentiorum; eaſque Libertates non pendere à ſola praxi veterum Canonum. Vbi oſtenditur neceſsitate cogente, Pontifices varijs temporibus, pro bono publico Eccleſiæ, ad novas leges condendas, progreſſos. *lib. 3. cap. 2. & 6.* VII. Papam, præter eum primatum, quo vniverſæ Eccleſiæ præeſt, ſolum eſſe & immediatum Occidentis, & Galliarum Patriarcham. *lib. 1. cap. 3. 4. 5. 6. & 7.* VIII. Re-

gibus verò non competere ius aliquod Epiſcopatum, vel Metropolim Inſtituendi, multò minus Patriarchatum. *lib. 2. cap. 8. & 9.* IX. Regibus à Deo commiſſam eſſe tuitionē Eccleſiæ, vt Edictis ſuis decretorum, & Canonum promulgatorum executionē vrgeant; non autem, vt arbitratu ſuo leges condant in ijs quæ fidem, aut Eccleſiaſticam diſciplinam reſpiciunt. *lib. 2. cap. 6. 7. 10. 11. & 12. &c.**

15 Hęc & plura alia eruditiſsimus Archipræſul: laudandus quidem, quatenus effrænatam illam ſuorum licentiam repreſsit magna ex parte. Quin & ſtatim ferè addit, faceturque, in Gallia, *præter Regiarum Conſtitutionum mentem contra Canones peccari in negotijs magni momenti frequenter.* Quæ ſanè culpa Magiſtratuū Gallię eſt. Deinde addit de Canonibus & Decretis Pontificijs contra Neotericos illos: *In rebus Eccleſiaſticis ſola legum vim obtinent, & ad publicam tantùm executionem Regijs reſcriptis muniuntur.* Mox hæc ſubiungit, aureis litteris ſcribi digna: *Quæcumque edam, & quas evulgavi Diſſertationes, ex ſolemni formula ſummi Sedis Apoſtolicæ iudicio ſubmitto. SCIO ME HAC IN PARTE GALLICANÆ ECCLESIÆ INSTITVTA SEQVI: quæ in Concilio Turonenſi Secundo docuit, ad Sedem Apoſtolicam pertinere, vt quibuſcumque Tractatorum ſcriptis auctoritatem addat vel demat.* Præterea in reliquo eiuſdem libelli progreſſu graviſsimè tuetur Immunitatem Eccleſiaſticā non modò adverſus Anglo Britannos, ſed etiam contra plures Pragmaticos Galliæ, & illos nominatim, qui Regibus aliquid tribuunt circa res Eccleſiaſticas titulo aliquo ingenito aut coævo dignitati ſive Coronæ Regiæ. De quo plura præmiſsimus Diſp. XI. non ſemel. Idem Marca antea quoque plurimùm de Eccleſia, & omnibus eruditis, benemeritus fuerat, publicatâ Epiſtolâ Decretali Vigilij Papæ, eouſque ineditâ, immo & incognita, pro cōfirmatione Quintæ Synodi, & additâ è ſuo Diſſertatione pro auctoritate Sedis Apoſtolicę erga Concilia, *quæ apud Gallicanos Academiarum Magiſtros* (verba ſunt Marcę) *valde nutabat.*

16 Nec tamen ideo negamus, Marcam aliquoties lapſum, & humani aliquid paſſum. Etenim lib. 8. cap. 19. aliquantò iniquiorem ſe prębet erga Gregorium VII. Papam inveſtituras prohibentē, atque in id laudat num. 12. Vvalramum, ſive Vvalerannum Epiſcopū Neumburgenſem; quem tamen conſtat fuiſſe tunc ſequacem impijſsimi & ſchiſmatici Henrici III. alias IV. Regis Germanię, vt ſuprà vidimus Diſp. XI. n. 172. licèt tandem ille reſipuerit, & omninò ceſſerit Apoſtolicæ Sedi, prout de ſe teſtatur in litteris ad S. Anſelmum Archiep. Cantuarienſem, qui illas inſeruit Opuſculo ſuo de Sacramentorū diverſitate. Scio, hanc ipſam notam à clariſsimo Viro Luca Holſtenio obiectam Archipręſuli Marcæ ex lib. 1. Concordiæ cap. 1. §. 4. cui & ipſe occurrerit Reſponſione edita anno 1663. Ego verò locum alium mox citatum ex lib. 8. duriorem invenio, quique revocari debuiſſet ad incudem & limam. Mitto plura alia, quæ in eo Scriptore notantur ab eodem Luca Holſtenio, & Cenſoribus Romanis: ac recentiùs à Chriſtiano Lupo, Illuſtr. Ramos, alijſque Exteris Scriptoribus. Mitto, inquā, ea omnia: quia pręter ſcopum huius Operis ſunt.

17 Id autem iure poſſumus dicere, Virum illum eximiè eruditum in ijs quæ de ſuo edidit dum viveret, violata Apoſtolicæ Sedis iura in Gallijs multipliciter aſſeruiſſe, longèque ampliùs de ea benemeritum fuiſſe, quàm modernos Pręſules Gallicanos. Horum enim nullam lucubrationē videmus, quâ abuſus Libertatum Gallicanarum, exemplo D. Marcæ, reprimatur. Solùm itaque ab ijs prolatam videre licet Declarationem adeò contrariam auctoritati Sedis Apoſtolicæ, vt à nullo Catholicorum Antiſtitum cœtu graviùs lædi vnquam contigerit.

SECTIO QVARTA.

Præſules Gallicanos non potuiſſe ſine graviſsimo reatu, proferre eā Declarationem, tenerique illam abolere palam: vtpote damnatam à reliquis Catholicis, & nuper ab Inquiſitione Hiſpaniæ.

17 QVARE Nullo iure licuit Illuſt. Præſulibus Gallię eā Declarationem edere, minùs autem conſtringere aut hortari ad illam in Eccleſijs eius nobiliſsimi Regni ſequendam: cùm ſingulæ eius Theſes graviſsimis cenſuris notatę inveniātur ab omnibus ferè Catholicis Scriptoribus, Doctoribuſque, & nuperrimè à Cenſoribus Romanis: inter quos Illuſt. D. D. Angelus à Nuce, Archiep. Roſanenſis, olim Abbas Caſſinenſis Archimonaſterij, eiuſque Chronici eruditiſsimus Auctor, rogatus ſententiam in ſpeciali Congregatione Eminentiſs. Cardinalium & Theologorum, inſtitutâ à SS. D. N. Innocentio XI. eam protulit, vt etiam mitiſsimè pronuntians, ſingulas earum Poſitionum tantùm non traducat veluti hæreticas. Quod etiam vt minimùm iudicaſſe cæteros ferè Cenſores Romanos, ex varijs quorundam

eorum

eorum Epiſtolis didicimus. Sed & in hac florentiſsima Academia Salmanticenſi, cæteriſque Hiſpaniæ, vbi nemo Curialis eſt, neque eam exceptionem ſubire poteſt, omnes vno animo illas diris & execrationi devovent: idque palam teſtabuntur ſi Pontificium de ferendo iudicio mandatum acceſſerit.

18 Accedit recens Decretum S. Inquiſitionis Hiſpanæ: quæ, licèt in Expurgatorio Indice anni 1640. in totum prohibuiſſet omnia Opera Heningi, ſive Hennini Arniſæi, aut Heningi Germani, eaque notaſſet in prima Claſſi Auctorum damnatæ memoriæ, adhuc nunc notâ erroris & ſchiſmatis inuſsit Theſim illam ipſius in defenſionem Guillelmi Barclaij, *Nec Papam, nec Eccleſiam habere vllam poteſtatem directam aut indirectã in iura temporalia Regum; vt proinde abdicare eos poſsit, aut ſubditos eximere ab obſequio promiſſo.* Similiter & nunc proſcripſit Franciſci Pinſonij Biturici I.C. & Pariſienſis Advocati, Commentariũ in Pragmaticam Sanctionem, Lutetiæ editum anno 1663. quòd in eo extent propoſitiones erroneæ, vt minimùm, ſchiſmaticæ, & piarum aurium offenſivæ: ac ſpeciatim, *Concilium habere poteſtatem ſupra Papam certum & indubitatum*: & præterea, *Papam in dirimendis ex Cathedra fidei quæſtionibus non eſſe infallibilem.* Quarum prior inuritur, veluti erronea & ſchiſmatica: poſterior vt minimùm, tanquam erronea, & hæreſi proxima.

19 Et quamvis graviſsima Inquiſitio Hiſpaniarum nulla commendatione egeat, ob inſignem nobilitatem, pietatem, doctrinam, & eruditionem Inquiſitorum, & Cenſorum quibus conſtat, ingenti numero, & per tot regna diſperſo; non parum decoris ipſi accedit ex eo quòd iam à tredecim circiter annis, regatur ab Excellentiſsimo Principe, & incomparabilis doctrinæ Viro, Domino D. Didaco Sarmiento Valladares, olim Caſtellæ Præſide, & Epiſcopo Placentino: cuius eximia eruditio, & abſoluta vtriuſque Iuris peritia, ac memoria ad miraculum felix in eo verbatim referendo, & ab impugnationibus vindicando, idque non meditatò, ſed extempore, vndecumque rogaretur, etiam in publicis Academiæ Vallif Oletanæ certaminibus, & coram lectiſsimo Virorum inſignium cœtu; res eſt publicis teſtimonijs conſignata, licè incredibilis appareat. Sub tanto itaque & tam inſigni Inquiſitore Generali Hiſpaniarum prodijt nuper cenſura prædictarum propoſitionum, & ſevera prohibitio, ne quis illas vllo modo editas, aut ſcriptas apud ſe retineat.

20 Vtinam Gallia ſimilibus Fidei Tribunalibus prædita eſſet! Nullæ in ea hæreſes eſſent, nec dogmata, quæ ad illas latam viam aperiunt, qualia ſunt, quæ hactenus reiecimus. Id ingenuè faſſus fuit Floremundus Chriſtianiſs. Regum Conſiliarius lib. 5. de Origine Hæreſum: vbi poſt memoratam ingentem ſtragem, & innumera mala Regni Galliarum ex hæreſibus orta, ſubdit: *Quod ſi tunc in hoc Regno, vti in Hiſpania, Inquiſitio vſui fuiſſet, facilè tum hæc, aliaque innumera ſcelera, tum illa mala, quæ ob Religionis diſsidium miſera Francia pertulit, præcaveri potuiſſent, cuius honor tot, tamque infamibus flagitijs, valde fuit conſpurcatus; tum ſuprema Regum authoritas ab ipſis ſubditis peſſundata, vt qui ceu furijs acti, ſuorum Principum cineres in ventum proijcere non dubitarunt.*

21 Quapropter, poſt tot hactenus dicta in triplici Tractatu, quæ videntur planè decretoria, ſupereſt vt Illuſtriſsimi Galliæ Præſules, quam ediderunt Declarationem, saniori conſilio revocent, & à finibus eius nobiliſsimæ Nationis exterminari omnino curent. Ad id enim eos teneri ſub graviſsimo conſcientiæ reatu, nullo iure aut ratione dubitari poteſt. Nec debet ijs pudori eſſe publica erroris retractatio; quæ graviſsimis etiam Eccleſiæ Patribus in gloriam ceſsit, vbi ſe aliquid humani paſſos, & in doctrina lapſos invenerunt. Inter quos maximè imitandus Auguſtinus, cuius verbis in Epiſtola ad Marcell. claudere placet hunc Tractatum: *Nimis perversè ſe amat, qui & alios vult errare, vt error ſuus lateat. Quantò eſt melius & vtilius, vbi ipſe erravit, alij non errent, quorum admonitio errore careat? Vos qui me multùm diligitis, ſi talem me aſſeritis, vt nũquam in ſcriptis meis erraſſe dicatis, fruſtra laboratis: non bonam cauſam ſuſcepiſtis: facilè in ea, meipſo iudice, ſuperamini, &c.* Prima laus docentis, nunquam erraſſe. Secunda, errorem correxiſſe. Qui priorem illam nacti non fuimus, poſteriorem hanc mereri ſtudeamus: ne fortè errantes, & facientes alios errare, in iudicio Dei inveniamur cœci & duces cœcorum.

TRAC-

TRACTATVS APPENDIX
S. ANSELMVS DEFENSOR
CATHEDRÆ S. PETRI,
CONTRA REBELLES, PRÆSERTIM GRÆCOS,
SS. D. N. INNOCENTIO XI.
PONTIFICI MAXIMO.

VT Cathedræ S. Petri auctoritas ; ſatis hucuſque ſtabilita, cumulatiorem triumphum ab impugnatoribus reportet, viſum eſt, *BEATISSIME PATER*, Tractatum hunc præcedentibus adiungere: in quo S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Angliæ Primas, celebris Eccleſiæ Doctor, communi cæterorum Patrum cauſæ ſuffragator. Neque ſanè ijs ſubſidiarium quendam militem è numero velitum adiungo, ſed ſtrenuum Ducem, quem inter triarios primæ notæ computare fas ſit. Is eſt, qui Magni Auguſtini doctrinam toto hauſit pectore, & zelum æmulatus eſt in tuenda auctoritate ſuprema Apoſtolicæ Sedis. Is etiam, qui vt libertatem Eccleſiæ vindicaret ab invaſionibus Vvillelmi Ruſi, & Henrici, Angliæ Regum, non dubitavit innumeras calamitates pati, & longum ſubire exilium. Is prætereа, qui vt obedientiam Pontifici Romano promiſſam in conſecratione ſua exhiberet fideliter, non horrùit experiri pluribus annis Regiam indignationem, maria tranſmittere, regioneſque peragrare plurimas non ſemel Cantuariâ Romam, temporibus Vrbani II. & Paſchalis II. à quibus proinde humaniſsimè & amanter exceptus fuit. Ipſe eſt qui in Concilio Barenſi celebrato coram eodem Vrbano II. Græcos negantes proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, ſpectante & audiente toto Patrum cœtu, tam ſolidè, tam nervosè, tam eruditè, ex ſacris præſertim litteris refutavit & convicit, vt non modò omnes qui aderant in admirationem raperet, ſed etiam ab ipſo Romano Pontifice audire ibidem mereretur: *BENEDICTVM SIT COR TVVM, ET SENSVS TVVS, ET SERMO ORIS TVI SIT BENEDICTVS.* Cumque tempore illo nondum fuiſſet definita palam proceſsio Spiritus ſancti ex Filio in vllo Concilio Oecumenico, ſed ſolùm à Sede Apoſtolica, pro cuius doctrina in ea parte pugnabat S. Doctor; quis neget, eius auctoritatem plurimùm ipſi obſtrictam? Sed & in varijs ſcriptis atque Epiſtolis, cedro & immortalitate dignis, quas ſuo loco allegabimus, vbique pietatem, reverentiam, & ſummiſsionem omnimodam profeſſus fuit erga Romanos Pontifices: atque in omnibus dubijs & conſultationibus ſuis, Reſponſa & Decreta illorum, veluti totidem cœleſtia Oracula excepit. Quot ſui temporis errores, abuſus, hæreſes, non profligavit? Quibus virtutibus heroicis & propè divinis non enituit? Quos non tulit pro Eccleſia labores, ærumnas, incommoda, idque animo & vultu ſereno atque hilari? Quæ miracula non edidit? Quis, præter cætera eius ſcripta, non miretur Meditationes, & Orationes illas, quibus ignem amoris divini ardentem intra penetralia pectoris ſui, mittit & ſpargit in corda legentium? Hæc, & plura alia, digniſsima ſunt, *BEATISSIME PATER*, vt *ANSELMVS* tandem aliquando maiori in Eccleſia celebritate colatur, quàm hactenus, & ſolemne Officium in Breviario Romano obtineat ad diem XXI. Aprilis, quo in cœlum evolavit. Id ſi B. V. decernere dignetur (quod totius Religionis Benedictinæ nomine humiliter rogo) nullatenus dubito quin Sibi, & Sedi Apoſtolicæ, futurum ſit in cœleſte præſidium; his præſertim temporibus, quibus eius auctoritas, non ſolùm deſpicitur ab Heterodoxis, ſed à multis etiam impeti videtur, qui intra ſinum Catholicæ Eccleſiæ vivere ſe profitentur. Annue, ô *PONT. MAXIME*, & diu vive ac Vale, *MORVM EXEMPLAR, MVNDIQVE MAGISTER.*

PROOEMIVM.

POSTQVAM Cathedræ S. PETRI aſſerere ſtuduimus auctoritatem infallibilẽ ad dirimendum controverſias fidei, ac morum, ſeorſim à conſenſu Eccleſiæ accedente, & prætere a poteſtatem ſupra Concilium Oecumenicum, aliaque plura eodèm ſpectantia; placet coronidem huic Operi imponere tractatione deſumpta ex doctrina, & geſtis S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Angliæ Primatis, ac Doctoris Eccleſiæ celeberrimi. Et certè cùm paulo antè Theologiam ipſius duplici Tomo iam in lucem edito explicare aggreſſus fuerim, oportuit etiam in hoc volumine oſtendere, me non prorſus deſtitiſſe à ſcopo interpretandi omnia eius ſcripta Didactica; ſed ad tempus ſolùm divertiſſe aliò, neceſsitate cogente, & malignitate aſperrimorum temporum. Quare in hoc Tractatu oſtendam, S. eundem Doctorum ſteriſſe pro Cathedra S. Petri, eiuſque auctoritate infallibili, & ſuprema, ac pro libertate Eccleſiæ contra laicas Principum inveſtituras, ſeu quælibet alia iura, aut functiones, ab ipſa Eccleſia non conceſſas: quæ eſt veluti petra ſcandali, & lapis offenſionis, in hiſce controverſijs Regis Chriſtianiſsimi LVDOVICI XIV. & Illuſtriſsimi Cleri Gallicani, cum SS. D. N. INNOCENTIO XI. Quoniam verò præcipuum obſequium S. Anſelmi in Eccleſiam fuit ſtabilire adverſus Græcos certitudinem omnimodam proceſsionis Spiritus ſancti à Patre & Filio ſimul, nondum eouſque definitæ in aliquo Generali Concilio, ſed ſolùm à Sede Apoſtolica, & fortaſsis eodem ſæculo, quo ipſe floruit; in medium tandem proferam Diſputationem illius in Concilio Barenſi habitam coram Vrbano II. Pontifice: illamque Commentarijs illuſtrare conabor. Plura etiam obiter in hoc Tractatu proferemus, fortaſsis non ingrata ijs, quibus antiquitas & eruditio Eccleſiaſtica cordi eſt. Plurima quoque occurrent, quibus Declaratio edita nomine Cleri Gallicani hoc ipſo anno M.DC.LXXXII. quoad ſingula capita refellatur. Vix enim aliquod ex ijs eſt, ad quod refutandum non ſuppetant nobis illuſtria teſtimonia & geſta S. Anſelmi, vt in progreſſu apparebit.

DISPVTATIO XLI.

QVINAM EX GRÆCIS NEGAVERINT AVCTORITATEM infallibilem Romano Pontifici ad finiendum controverſias fidei: & qualiter illam ex oppoſito aſſeruerit S. ANSELMVS.

QVAMVIS Diſputatio hæc potuiſſet habere locum ſatis opportunum Tract. I. huius Operis, in quo latè egimus de auctoritate infallibili Romani Pontificis ad dirimendas vltimò quæſtiones fidei; adhuc tamen huic loco reſervata fuit, vt coniungeretur cũ ijs, quæ quoddammodo ſpectant ad doctrinã S. Anſelmi, & ad errores Græcorum, contrarios eidẽ S. Sedi, & profligatos ab ipſo. In quibus reſellendis occurrunt plura ſpectantia ad antiquitatem & eruditionem Eccleſiaſticam, obiter à nobis tractanda.

SE-

SECTIO PRIMA.

De Græcis qui longè ante tempus S. Anſelmi negarunt auctoritatem infallibilem Romano Pontifici ad finiendum ritè controverſias fidei: ac primùm de Sanctis Firmiliano Cæſareenſi, Dionyſio Alexandrino, ac Cypriano Carthaginenſi, qualiter in hoc ſe geſſerint cum S. Stephano Papa.

QVAMVIS Patres Græci (ſicut & Latini) in ſuperioribus allegati toto ferè decurſu huius Operis agnoverint in Sede Apoſtolica, ſeu cathedrà S. Petri, auctoritatem infallibilem ad definiẽdum vltimò controverſias fidei, independenter à conſenſu Eccleſiæ accedente, vel à Concilio Oecumenico: aliqui tamen eiuſdem Nationis ſcriptores, præſertim ſchiſmatici, illam negaſſe & impugnaſſe inveniuntur, alijs atque alijs temporibus. Mirum autem eſt quòd omnibus ijs præiverit, quantum capio, S. Firmilianus, Cæſareenſis in Cappadocia Archiepiſcopus, & Ponticæ Diœceſeos Primas, aliquando auſus Romanam Eccleſiã incuſare ac traducere, quaſi ream violati Apoſtolici dogmatis, traditioniſque. Cũ enim S. Stephan. Papa I. qui ab anno epochæ Chriſtianæ CC.LV. Pontificatum geſſit, definijſſet, baptiſmũ ab hæreticis collatum eſſe validũ, nec iterandũ; Firmilianus ipſe cum alijs, qui oppoſitum in Concilijs Provincialibus Orientis & Africæ decreverãt, reſtitit, inter alia, obijciens: *Petrũ & Paulũ, beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint, infamari.* Præterea de Romana Eccleſia addidit: *Eos qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare, quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorũ auctoritatẽ prætendere; ſcire quis etiã inde poteſt, quod circa celebrãdos dies Paſchæ, & circa multa alia diuinæ rei Sacramenta, videat apud illos eſſe aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur.* Vnde & opinionẽ ſuam ſententiæ Pontificis Romani contrariã decrevit amplexandã in Concilio cui præfuit Iconij in Phrygia cum plurimis Epiſcopis Græcis, eò convocatis ex varijs Provincijs Aſiæ. Vide inter Epiſt. S. Cypriani ſexageſimam primam, quæ eſt ipſius Firmiliani ad eundem Cyprianum.

3 In eodem luto hæſit aliquandiu S. Dionyſius Alexandrinus Patriarcha, vt teſtatur Euſebius Cæſareenſis lib. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 6. ſicuti & S. Cyprianus in Africa cũ pluribus alijs Epiſcopis, qui varia Concilia circa eandem controverſiam celebrarunt, decreveruntque, baptizatos ab hæreticis eſſe rebaptizãdos. Vnde S. Stephanus Papa, prædictum Firmilianũ, cæteroſque Aſianos Epiſcopos, anathematis fulmine inuſſit, & Cypriano pariter eandem pœnam comminatus fuit: vt ex Epiſtola paulò ante citata colligitur.

4 Cæterùm tres prædicti Patres, eo ſæculo ſanctitate & doctrina celeberrimi, alijque plures, qui eos ſequebantur, tàm Græci, quàm Africani, errorem ſuum tandem agnoverunt, & abiurarunt, propter reverentiam Apoſtolicæ Sedis oppoſitũ definientis. Quòd ſatis indicat S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 25. Nam licèt præmittat: *Stephanus etiam abſtinendos* (nimirum, excommunicandos) *putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis* (id eſt, rebaptizandis) *priſcam conſuetudinem convellere conarentur*; poſtea ſubdit: *VICIT TAMEN PAX CHRISTI IN CORDIBVS EORVM, vt in tali diſceptatione nullum inter eos ſchiſmatis malum oriretur.* Deinde excurrendo per ſingulos, Cyprianum in concordiam rediſſe cum Stephano Papa, teſtatur idem Auguſtinus lib. de vnico Baptiſmate contra Petilianum cap. 14. dicens: *Cùm ergo Stephanus non ſolum non rebaptizaret hæreticos, verùm etiã hoc facientes, vel vt fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret; ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani literæ oſtendunt; TAMEN CYPRIANVS CVM EO IN VNITATIS PACE PERMANSIT.* Alio item loco, id eſt, lib. 2. contra Donatiſtas cap. 4. eodẽm ſpectans, inquit: *Sed fortaſſe factum eſt, vt Cyprianus tandem ſuam correxerit ſententiam, ſed neſcimus: neque enim omnia, quæ inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus.* Clarius verò, & non dubitantis more, ſed affirmantis, loquitur ipſe Epiſt. 48. quæ eſt ad Vincentium, & S. Hieronymus contra Luciferianos, dum vniversè de Africanis Epiſcopis ait: *Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (nimirum Cypriano) *ſtatuerant, novum emiſſere decretum.* De Epiſcopis verò Ægyptijs, ſimiliter & Græcis, cum vtroque duce ipſorum, S. Dionyſio Alexandrino, & S. Firmiliano Cæſareenſi, certiſſimum eſt abiuraſſe eum errorem, & Sedis Apoſtolicæ definitioni ſuffragiũ ſuum addidiſſe. Ita enim palam conſtat ex Epiſtola eiuſdem Dionyſij ad S. Stephanũ Papam extante apud Euſebium Hiſtoriæ Eccl. lib. 7. cap. 4. in qua legitur nomen ipſius Firmiliani inter alia Epiſcoporum, qui ſaniore conſilio Pontificiæ definitioni adhæſerunt.

5 Vnde duo colliguntur. Alterum eſt, quamvis tot Patres Græci, Ægyptij, & Africani, in alijs atque alijs Concilijs, tum Provincialibus, tum Nationalibus, vnanimiter docuiſſent, Baptiſmum ab hæreticis collatum eſſe irritum, & iterari debere; idque cōſentientibus, immo & præeuntibus auctoritate ſua tribus ſanctiſsimis & doctiſsimis Prçſulibus, Dionyſio, Firmiliano, & Cypriano; adhuc tamen eos omnes ceſsiſſe, & ſuam opinionem penitus retractaſſe, in obſequium Romanæ Sedis, definitioniſque Pontificiæ, quamvis S. Stephanus Papa ad illam proferendam nullum indixerit Concilium Generale, nec expectaverit conſenſum Eccleſiæ accedentem; ſed potiùs indicto anathemate illum extorſerit aut expreſſerit à tot & talibus Epiſcopis, diſperſis per varias Regiones; & ingentem partem totius Orbis Chriſtiani. Vnde novum robur accipit doctrina à nobis ſtabilita toto Tractatu I. huius Operis. Alterum eſt, non fuiſſe tanti auctoritatem tam multorum & talium Epiſcoporum, congregatorum in tot Concilijs, vt S. Stephanus non decreverit eos abſcindere à corpore Eccleſiæ, anathemate quibuſdam inuſto, alijs verò ſaltem intentato. Quod ipſum ferè præſtitiſſe non ſemel Romanos Pontifices, etiam in Sanctorum album relatos, atque in ijs S. Victorem Papam adverſus Epiſcopos Quartadecimanos, iam alibi obſervatum fuit. Vnde admirationi eſt, quòd nuper Illuſtriſsimi Galliarum Præſules tam amarè conqueſti fuerint ob gladium excommunicationis intentatum ab Innocentio XI. Papa in Archiepiſcopos Pariſienſem & Toloſſanum: cùm talia, & longè maiora iuſtæ indignationis ſuæ teſtimonia ſæpiſsimè præſtiterint Romani Pontifices omnibus ſæculis, tum erga quarumlibet Regionum, quotquot ferè ſub cœlo ſunt, Epiſcopos inobedientes refractarioſve; tum etiam ipſius Galliæ. Ἀλλὰ ταῦτα, ὡς ἐν παρέργῳ. iam enim de vtróque ſatis in ſuperioribus.

6 Quamvis verò S. Firmilianus ſuum illum errorem veterē, & contrariū auctoritati infallibili Sedis Apoſtolicę ad dirimēdas fidei controverſias planè retractaverit, & deteſtatus ſit; nō defuere poſtea ex Græcis qui illū ſuſcitarent, tēpore S. Auguſtini. Cùm enim hæreſis Pelagij à S. Innocentio I. Papa damnata fuiſſet extra omnem Synodum Oecumenicam, Iulianus Epiſcopus Capuanus, Pelagij partes agens, & nolens acquieſcere Pontificiæ definitionē, provocavit ad Epiſcopos Orientis, ſive Græcos, quaſi adhuc eſſent plures Antiſtites Gręci, qui auctoritatem infallibilē nollent agnoſcere in Romano Pontifice ad ſimiles controverſias dirimendas, niſi convocata Synodo Oecumenica, & Patribus Orientalibus conſentientibus circa omne id, quod eſſet definiendū. S. Auguſtin. verò videtur diffiteri eo tempore eſſe aliquos in Græcia imbutos ea præpoſtera opinione, præſertim lib. 1. cap. 4. contra eundem Iulianum, dum ſic eum perſtringit: *Non eſt quod provoces iam ad Orientis Antiſtites; quia & ipſi Chriſtiani ſunt, & vtriuſque partis terrarum fides iſta vna eſt, quia & fides iſta Chriſtiana eſt. Et te certè Occidentalis terra generavit: Occidentalis regeneravit Eccleſia.* Adhuc tamen difficile eſt, non fuiſſe aliquos ſaltem eo tempore, qui in Græcia oppoſitum docerent: tum ob æmulationem plurium Gręcorū in Eccleſiam Romanā, quæ iam pridē excitata fuerat: tum quia errores ſemel in ea Natione ſeminati, nunquam nō habuerunt ſectatores aliquos, hodieque: tum præterea, quia Iulianus non ita confidenter provocaret ad Epiſcopos Orientis, niſi certus eſſet ſibi fore patrociniū apud quoſdam eorū, ignotos euſque Auguſtino in Africa commorāti. Vt vt ſit, Auguſtinus cēſet, omnes eos qui fide Chriſtiana imbuti erant, ſententiam ſive definitionē Pontificiam Innocentij Papæ in Oriente excepiſſe: illius verò certitudinem ad fidem Chriſtianā pertinere. Quo iterum confirmatur doctrina illa ex profeſſo tradita à nobis Tract. I.

7 Verùm licèt adhuc nonnulli in Gręcia eo ſæculo ac ſequentibus exoſum haberent Primatum Romani Pontificis in totam Eccleſiam, ideòque nollent aſſentiri definitionibus Sedis Apoſtolicæ; poſtea eius auctoritas ex communi ſenſu Græcorum videtur prorſus ſtabilita fuiſſe in Synodis Oecumenicis, Sexta ſub S. Agathone Papa anno DC.LXXX. Septima ſub Adriano I. anno DCC.LXXXVII. & Octava ſub Adriano II. anno DCCCLXIX. vt fusè oſtendimus ſuprà Diſp. IX. ſect. 2. 3. & 5. nec inculcare oportet.

SECTIO SECVNDA.

De alijs Græcis, qui à tempore Octavæ Synodi Generalis fuerunt in eadem opinione, præſertim de Photio ſchiſmatico.

8 CIRCA Tempus Octavæ Synodi Generalis Photius ille eviratus, invaſor Sedis Conſtantinopolitanæ, ſchiſmaticus, & infenſiſsimus hoſtis Romanæ Eccleſiæ, cum ſequacibus ſuis, auſus fuit eam criminari multipliciter, & traducere tanquam ipſius Pontifices euſque varias hære-

reſes tradidiſſent in decretis & definitionibus ſuis. Ita enim de illo & ſequacibus ſcribit Nicolaus Papa I. Epiſt.70. quæ eſt ad Epiſcopos Galliæ: *Græci odio & invidia contra nos inflammati, nobis quaſi crimina hæreſeos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photij promotionem damnavimus, Ignatij deiectionem nullo ſuſcipientes adſenſu. Invidia verò, quia Regem Bulgarorum Michaelem nomine, cum gente ſua, fide Chriſti ſuſcepta, à Sede beati Petri inſtitutores, & doctrinam expetiviſſe audiuerunt. Volentes quippe, nimiumque anhelantes eoſdē Bulgaros à beati Petri ſubiectione ſubducere, ſuoque imperio ſub prætextu Chriſtianæ Religionis callidè ſubiugare, talia de ſancta Romana Eccleſia, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi prædicant, quatenùs illi, vtpote adhuc in fide rudes, hæc audientes nos quaſi noxios, & diuerſarum hæreſeon ſqualloribus reſperſos vitent, declinent, atque penitùs deſerant.* Nimirum, aiebat ille ſchiſmaticus, Eccleſiam Romanam in varios errores lapſam à fide Chriſti apoſtataſſe: ideoque Primatum illius tranſmigraſſe ad Eccleſiam Conſtantinopolitanā, quæ erat ordine ſecunda iuxta Canones Conciliorum Conſtantinop.& Chalcedonenſis. Quin & hæreſeon, quas tribuebat Romanæ Eccleſiæ, indiculū miſsit ad Regem Bulgarorū, hic verò copiam illius fecit Nicolao Papæ: cuius memoriæ talē & tantam invidiam conflavit idē Photius, & gregales eius, vt Adrianū II. Papam conſtanter eius decretis adhærentē, *NICOLAITANVM* appellarent, ac ſi in ijs ſequeretur aliquem Hæreſiarcham. Id teſtatur Guilielmus S. R. E. Bibliothecarius in Vita eiuſdē Adriani II. dicens: *Adrianus Nicolai exempla ſic ſolertiſsimè ſequebatur, vt ab illius hoſtibus, qui eius Acta infringere penitus nitebantur, NICOLAITANVS & ſcriberetur, & publicè diceretur.*

9 Adrianus tamen non propterea deſtitit à defenſione & obſervatione Canonū & definitionum Nicolai Papæ, ſui proximi Deceſſoris. Quin & plurimum curavit tanti Pontificis famam ſartam tectam tueri ab impudentia & maledictis Photianorum: ideoque, inter alia, ſcripſit ad Epiſcopos Gallicanos Epiſt.9. *Apoſtolicæ recordationis Papā Nicolaū in codicibus, vel dypticbis Eccleſiarū veſtrarum ſcribi, & nomen eius inter ſacra Miſſarum ſolemnia imprætermiſsè recitari faciatis. Nihilominùs tradere dilectioni veſtræ curamus, & admonemus, vt tā Græcis Principibus, quàm omnino Clericali fungētibus Ordine, contra perſonā, vel Acta, ſeu decreta ipſius agere, vel decernere quidquā tentantibus, tam ſcripto vel verbo, viriliter obvietis, ac validiſsimè reſiſtatis. Sciētes præterea, quia quæcumque hic aduerſus eius perſonam, vel decreta gererentur, me his nunquam præbiturum fore conſenſum. Quamquam ſi quilibet Apoſtolicæ Sedis miſericordiā humiliter poſtulaverint, circa hos, præmiſſa ſatisfactione, mitiùs agere nullo modo velimus inflexibiles apparere. Tantum ne huiuſmodi homines ſic innocentiā ſuam adſerere ſtudeant, vt in accuſationē tanti Pontificis quoquo modo prorumpere audeant: Præcipuè cùm illum, dum aduixit, nemo impetere præſumpſerit, vel de iniuſto iudicio arguere vel tenuiter fuerit auſus.* Verū vbi humana poſuit tātus Pontifex, Photius ille bipedū ſceleſtiſsimus, nullā non tentavit viam, vt eius famā denigraret, decreta eluderet, ac doctrinā criminaretur, vſq; adeò, vt Nicolai veneratores præcipui, atque in ijs Adrianus II. Papa, ſucceſſor in cathedra Romanæ Sedis, apud gregales Photianos *NICOLAITÆ* audirent, & veluti rei violatæ fidei Catholicæ, palam traducerentur.

12 Poſt plura verò alia, quæ nequiſsimus Photius in Eccleſiam peccavit, præſertim Romanam, eiuſque auctoritatem ſupremam, & ab omni errore immunem, cum commotione & ſcandalo totius Orientis; tandem decretum fuit in Synodo VIII. Generali vt gradu deijceretur, & in laicorum, vnde intruſus fuerat, ordinem rediret. Quare Actione ſeptima, celebrata quarto Kalendas Novembris, iubente Baſilio Auguſto, & conſentientibus Legatis Romani Pontificis, *introductus eſt Photius, baculo innixus, & cum eo Gregorius Syracuſanus.* Marinus autē, vnus ex Legatis Pontificijs, & Diaconus Romanæ Eccleſiæ, indignatus quòd Photius invaſor cum baculo ingrederetur, dixit: *Tollite baculum de manu eius: ſignū eſt enim poteſtatis Paſtoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus eſt, & non Paſtor.* Quare baculus ipſi abreptus fuit: & Legati Apoſtolici dedignati eum alloqui, dixerunt ad Bahanem Patricium: *In præcedenti Actione venit ad nos vir iſte forēſis & curialis Photius, & admonuimus illū per Apoſtolicā auctoritatē ad revertendū in Eccleſiā per libelli expoſitionē, vt recipiamus eum in communionē ſæculariū.* Ille verò, vt erat iam obſtinatus in odio ac nequitia adverſus Romanā Eccleſiam, repoſuit Patritio: *Omnes Imperatorem noſtrum ſanctū cuſtodiant per multos annos.* Gregorius quoq; Syracuſanus, ſuo & reliquorū Photianorū nomine, dixit pariter: *Et nos ſimiliter oramus Imperatori noſtro ſancto:*

Vicarijs autem (nimirū, Legatis Pontificijs) *rationem non præbemus.* Cumque vrgerentur ab ijſdem Legatis ad pœnitentiam agendam, auſi ſunt reponere: *Ipſi pœnitentiam agant, ſuper quibus deliquerunt.* Neque aliud ab ijs extorqueri potuit.

11. Deinde ingreſsi Epiſcopi à Photio conſecrati, admoniti fuerunt ad exhibendam ſatiſfactionem, quò ſic reciperentur in laicam communionem, veluti ſæculares; verùm palam reſtiterunt: præſertim Ioannes Heracleæ Epiſcopus, Europæ Metropolita dictus, & Euſchemus Cęſareenſis in Cappadoçia Archiepiſcopus: qui & auſus fuit dicere: *Ego ijs, quæ per rationem non ſunt acta, & qui non ſectantur Canones ſanctorum Apoſtolorum & ſanctarum atque Vniuerſaliū Synodorū, non tantū ſi Romanus, vel Hieroſolymitanus ſit, ſed etſi Angelus de cœlo veniat, & non conveniat ſano verbo, neque pareo, neque ſequor.* Sic ille incuſabat Sedes Patriarchales, & in ijs Romanam, ſibi ac cæteris Photianis contradicentes: quaſi eæ omnes miſerè erraſſent & deliquiſſent in ſacros Apoſtolorū & Synodorū Generaliū Canones. Eodē ſenſu præmiſerat in ipſa Synodo Actione 6. Zacharias Archiepiſcopus Chalcedonēſis pariter ſchiſmaticus: *Et Papæ Nicolai, & cæterorū Patriarcharū Canō Princeps eſt, & ſecundum illū agentes non faciunt id, quod extra docetur. Cum ergo extra hunc faciunt, ſiue Nicolaus Papa, ſiue alius quis, non acquieſcimus.* Vel vt alij ex Græco clariùs vertunt: *Canones ſupra Patriarchas etiā ſunt. Quādo ergo ij in Canones peccāt, eos non ſequimur.* Cumq; Bahanes Patricius, Baſilij Imperatoris in eadē Synodo Vicarius & Legatus interrogaret, Quinā poſſet abſolvere Epiſcopos Photianos damnatos pariter à quinque Patriarchis, reſponderunt illi: *Canones Apoſtolicæ Sedis autem Apoſtolicæ Legatos nō admittimus.* Nimirū S. Nicolaus Papa dum viveret, damnaverat Photium, omneſque eius fautores, & Ignatiū virum ſanctum ab eo extruſum, Conſtantinopolitanæ Sedi reſtituerat, conſentientibus eius iudicio omnibus Patriarchis, & Eccleſijs ipſorū. Vt autem Photius declinaret aut elevaret vim eius ſententiæ in ſe ac ſuos latæ, obiecit, Nicolaū violaſſe ſacros Canones, & Romani Pōtificis decreta ijs contraria nullius eſſe momenti, nec flocci haberi à cæteris Eccleſijs, præſertim à Conſtantinopolitana. Romanum enim Præſulem non eſſe dominū, ſed executorē ſacrorum Canonum, nec poſſe novos condere, ſed ſolùm ſervare antiquos, *Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos.* Quare recuſata Nicolai, & aliorū Patriarcharū ſententia, cum ſequacibus ſuis ad Canones confugit; quaſi pro illo ſtarent. Eodem ferè modo ſe geſsit ſub idem tempus in Gallia Hincmarus Archiep. Rhemenſis cum ipſo S. Nicolao Papa, qui reſciſsis illius ſententijs in Rhotaldum Sueſsionenſem Epiſcopum, & Rhemenſes Clericos, per appellationē ad Sedem Apoſtolicam devolutis, ipſum notaverat, tanquā chamæleontē ob ingeniū verſatile, novū Dioſcorum, & alterū Pharaonem. Sed & Photiani & Hincmariani genij apparere aliquid hodie in ijs, qui Gallicanæ libertatis immunitatiſque partes agunt, & tertio quoque verbo ſacrorum auctoritatē Canonum prædicant, vt decretis Innocentij XI. adverſentur, aut non obediant; clarius videtur, quàm vt probatione egeat, & ſuo iam loco rejectum fuit.

12. Sed enim Photio & ſequacibus tam audenter appellantibus ſacros Canones, quos vel in ſpeciem quidem pro ſe haberent, indignatus Baſilius Auguſtus, per Bahanem Patricium repoſuit: *Dicite, quis Canon vos adiuvet. Et vbi poſuerit Dominus Canones; in Eccleſijs ſuis, an in aliquo alio loco? Et vbi Eccleſiæ ſunt hodie, & vbi prædicetur Evangelium? Eſt alius locus, præter quem tenent ſanctiſsimi Vicarij?* Quo etiam ferè modo olim S. Gelaſius Papa factioni Acacianæ ad ſacros Canones provocanti reſponderat Epiſt. 4. *Viderint, ſi alios habent Canones, quibus ineptias ſuas exequantur.* Nimirum, veri Canones abſdubio erant, quos quinque Patriarchales Sedes probabant; & iuxta quos Nicolaus Papa, atque illius Succeſſor Adrianus II. in Photium & gregales ſententiam ferebant. Verùm ij perduelles & ſchiſmatici nullum pro ſe Canonem videntur allegare potuiſſe: ſiquidem invitati ad id ab Imperatore, & coram tota Synodo, nullum in medium protulerunt, indicarunt ve ſpeciatim: ſed potiùs conqueſti ſunt, promiſsionem ſibi factam, vt liberè loquerentur in Synodo, violatam fuiſſe per terrorem ab Imperatore incuſſum: quam tamen criminationem ille mitiſsimè reiecit, & licentia loquendi allegandique, ſiquid pro ſe haberent, denuo indulta, falſam oſtendit.

13. Quapropter Patres in ea Synodo congregati, cùm experti eſſent poſt plures moras, & inducias, exhortationeſque, nec Photium, nec eius ſequaces, ad meliorem frugem converſos, quin neque ſpem aliquam apparere vt ad ſanum ſenſum redirent; communi conſilio decreverunt eos penitus ab Eccleſiæ corpore abſcindere. Ideòque, Apoſtolicis Vicarijs iubentibus, Stephanus Eccleſiæ CP. Diaconus ac Notarius legit S. Nicolai Papæ litteras ad eiuſdem Conſtantinopoli-

litanæ Diœceſeos Epiſcopos, & Clericos datas in eadem cauſa: ſimiliterque Adriani II. Papæ Epiſtolam ad ipſam Synodum, quam S. Ignatius Patriarcha CP. & Legati Orientales varijs acclamationibus celebrarunt: ac tandem ex ambone pronuntiavit Synodalem hunc Anathematiſmum: *Photio curiali, & invaſori, anathema; Photio ſæculari, & forenſi, anathema; Photio tyranno, & neophyto, anathema; Photio ſchiſmatico, & damnato, anathema; Photio mœcho, & Parricidæ anathema; Fabricatori mendaciorum anathema; Inventori perverſorum dogmatum anathema; Photio novo Maximo Cynico anathema; novo Dioſcoro anathema; novo Iudæ anathema; omnibus ſequentibus, & fautoribus eius anathema; Gregorio dudum Epiſcopo Syracuſano anathema; Eulampio depoſito, & ſchiſmatico anathema.* Mitto plures alias execrationes nominis Photij, quæ in Actis eius Synodi leguntur, & tales ſunt, vt illud reddiderint infame, æternoque opprobrio dignum in Eccleſia; quin eruditio & claritas mira ingenij, qua polluit, fuerint ſatis ad eam notam abſtergendam, ſed potiùs exaggerandam.

14 Hoc itaque fuit Catholicæ Eccleſiæ in Octava Synodo Generali iudicium de Photio Romanæ & Apoſtolicæ Sedis impugnatore, & accuſatore, quaſi illa in ſuis decretis, & definitionibus ſæpè erraſſet, immo & hæreſes tradidiſſet. Nec tamen ille poſt tam horribile anathematis fulmen reſipuit; ſed durus obſtinatuſque manſit, pluraque adiecit ſcelera, quæ apud ſacræ Hiſtoriæ ſcriptores, præſertim Baronium, legi poſſunt: ac tandem poſt varios caſus & viciſsitudines rerum pulſus iterum Patriarchatu Conſtantinopolitano ab Imperatore Leone, & detruſus in Monaſterium quoddam loco carceris, tandem vitæ periodum incerto anno & loco clauſit, peſſima apud Catholicos omnes opinione ſui relicta.

SECTIO TERTIA.

Progreſsio eiuſdem opinionis Græcorum negantium auctoritatem infallibilem Romani Pontificis vſque ad tempus S. Anſelmi. Vbi de Michale Cerulario Patriarcha CP. ſchiſmatico.

15 IN Eodem Photij errore quoad fallibilitatem Romani Pontificis fuerunt alij ex Græcis, criminati definitiones aliquas Sedis Apoſtolicæ extra Synodū Oecumenicam latas: præſertim circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio. Neque enim ea veritas in aliquo Concilio Generali ſtabilita legitur in tota prima chiliade Chriſtiana annorum, vt oſtendemus Diſp. ſequenti. Quare non modò nihil circa id definitum legitur in octo primis Synodis Oecumenicis, ſed nec in nono, decimo, aut vndecimo, per ſpatium duodecim primorum ſæculorum epochæ Chriſtianæ. Solùm itaque & ſummùm ab aliquo ex Romanis Pontificibus definita fuit proceſsio Spiritus ſancti ex Filio: & fortaſſe primò omnium à S. Leone Papa, qui Pontificatum geſsit ab anno Chriſti M.XLIX. vſque ad M.LIV. quo tempore Romana Eccleſia Symbolo Conſtantinopolitano in Miſſa cantari ſolito, invenitur iam addidiſſe particulam *FILIOQVE*, euſque ſolùm in alijs Latinorum Regionibus, & Eccleſijs introductam.

16 Eam additionem iam antea in alijs Eccleſijs Occidentalibus criminati fuerant multi Græcorum: at verò factam in Eccleſia Romana longè acriùs inſectati ſunt, vſque adeò, vt circa annum Chriſti M.L. Michael Cerularius Patriarcha CP. fretus auxilio Imperatoris ſui *Pontificem Romanum cum ſuis excommunicatum eſſe proclamaret, eo quòd in Symbolo addidiſſent illud FILIOQVE.* Ita enim de illo teſtatur S. Leo IX. Papa paulò poſt prædictum annum ſcribens ad Conſtantinum Monomachum Auguſtum. Quo ingenti & temerario auſu non ſolùm denotavit Michael, Pontificem Romanum erraſſe in re ſummi momenti, ac potò ſpectante ad ipſum fidei Catholicæ Symbolum, ſed etiam Apoſtolicam Sedem extra Cōcilium Oecumenicum nihil ad eandem fidem ſpectans ritè definire poſſe, ſive abſque periculo erroris.

17 Sed vt appareat quiſnam eſſet Michael prædictus Conſtantinopolitanæ Sedis Patriarcha, auſus maledicere Romano Pontifici, obſervandum eſt, S. Leonem Papam ſtudio pacis ineundę inter Eccleſias Occidentalem Orientalemque miſiſſe Legatos Conſtantinopolim Humbertum & Fridericum S. R. E. Cardinales, illum Epiſcopum Silvæ Candidæ, Virum innocentia vitæ ac doctrina clariſſimum, hunc Archidiaconum & Cancellarium: iiſque tertium addidiſſe Petrum Archiepiſcopum Amalphitanum, datis litteris ad Imperatorem Conſtantinum, & Michaelem Patriarcham, quibus hortabatur ad pacem inter Latinos & Græcos. Porrò Imperator Legatos Pontificis honorificentiſſimè excepit: Patriarcha autem vitavit colloquium & præſentiam ipſorum, quin & Eccleſijs ad ſacra facienda interdicere auſus fuit. Cumque ab iis ſæpe requiſitus & admonitus

nollet reſipiſcere, & planè convictùs eſſet multorum errorum, tam veternm, quàm recentium. ſimul cum Leone Acridano, & alijs ſequacibus, anathemate inuſtus fuit palam in templo inſigni S. Sophiæ coram Clero & populo. Curavit autem Imperator, vt Legati liberi eſſent ab inſidijs, quas ijs paraverant Michael & gregales illius: ſicque Romam redierunt.

18 Porrò errores (verba ſunt Spon-
,, dani ex Baronio ad annum Chriſti M.LIV.
,, num 3.) ob quos Patriarcha cum ſuis dam-
,, natus eſt, hi recenſentur in eadem excom-
,, municationis ſententia adverſus eos lata:
,, nimirum, quòd ſicut Simoniaci, donum
,, Dei venderent: ſicut Valeſij, hoſpites ſuos
,, caſtrarent, & non ſolùm ad Clericatum, ſed
,, inſuper ad Epiſcopatum promoverent: ſi-
,, cut Ariani, rebaptizarent in nomine ſan-
,, ctæ Trinitatis baptizatos, & maximè Lati-
,, nos: ſicut Donatiſtæ, affirmarent, excepta
,, Græcorum Eccleſia, Eccleſiam Chriſti,
,, & verum ſacrificium, atque baptiſmum ex
,, toto mundo perijſſe: ſicut Nicolaitæ, car-
,, nales nuptias concederent, & defenderent
,, ſacri altari miniſtris: ſicut Severiani, ma-
,, ledictam dicerent legem Moyſi: ſicut
,, Pneumatomachi, vel Theomachi, negarent
,, Spiritus ſancti proceſsionem à Filio: ſicut
,, Manichæi, inter alia, quodlibet fermenta-
,, tum faterentur animatum eſſe: ſicut Naza-
,, reni, carnalem Iudæorum munditiam, adeò
,, ſervarent, vt parvulos morientes ante octa-
,, vum à nativitate diem, baptizari contradi-
,, cerent, & mulieres in menſtruo, vel partu
,, periclitantes communicare, vel ſi Paganæ
,, fuerint, baptizari prohiberent; & capillos
,, capitis, ac barbas nutrientes, eos qui co-
,, mas tonderent, & ſecundùm inſtitutionem
,, Romanæ Eccleſiæ barbas raderent, in
,, communionem non reciperent. His autem
,, erroribus, & alia plura æquè impia facta ad-
,, iungens Michael inter alia Conſtantinopo-
,, li Latinotum Eccleſias clauſerat, & eos
,, Azymitas vocans, verbis & factis vbique
,, perſecutus fuerat; in tantum, vt in filijs ſuis
,, anathematizaſſet Sedem Apoſtolicam, &
,, contra eam ſe Oecumenicum Patriarcham
,, ſcriberet. Porrò ipſum poſt excommuni-
,, cationem non ſolùm in ſua ſtultitia perſe-
,, veraſſe, ſed & conatum eſſe Petrum Antio-
,, chenum, alioſque Orientales Patriarchas à
,, Communione Romanæ Eccleſiæ divellere;
,, multis in eam mendacijs, calumnijſque in-
,, geſtis; teſtes ſunt ipſius litteræ ad eundem
,, Petrum conſcriptæ. Hucuſque Spondanus.

Sed & Michaelem ipſum anno M.LVII. fuiſſe auctorem iniquæ rebellionis adverſus Imperatorem Michaelem, & anno proximè ſequenti intolerabilem redditum Iſacio Imperatori, pulſumque propterea in exilium, tandem in eo diem extremum egiſſe, Curapalates à Baronio allegatus auctor eſt.

19 Tales itaque vita, doctrina, & exitu fuere Patriarchæ Græci impugnatores Apoſtolicæ Sedis, veluti erraticæ in ſuis definitionibus: vt proinde ex qualitate illorum, nequitia, dolis, & erroribus, auctoritas Cathedræ S. Petri firmiùs aſſeratur. Optima enim abſdubio cauſa fuit Romanæ Eccleſiæ, quandoquidem à Photio & Michaele Cerulario, hominibus refractarijs, ſuperbis, iniquis, & ſchiſmaticis, tam dirè exagitata fuit. Nec ij vnquam ſuum erroré agnoviſſe, multò autem minùs correxiſſe inveniuntur, quoad deprehendere potui. Schiſmaticos & perduelles Romanæ Eccleſiæ, atque ab ea anathemate fulguritos invenio: pœnitentes abſolutos nullibi invenio. Longè aliter ij duo Patres Græci, S. Firmilianus Cæſarienſis, & S. Dionyſius Alexandrinus, cum Cypriano Carthaginenſi: nã licèt initio erraſſent, & hæreticos rebaptizandos ſtatuiſſent contra decretum S. Stephani Papæ; poſtea errore cognito & emendato, in pacem cum eo redierunt, ac pro Eccleſia Catholica & auctoritate Sedis Apoſtolicæ verbo & opere decertarunt. Quare licèt ad tempus obſcuritatem aliquam ſubierint, poſtea veterem lucem recuperarunt & novis ſplendoribus effulſerunt. Eoque forſitan ſpectans Facundus Hermianenſis lib. 6. inquit, errores, ſiqui in Patribus Eccleſiæ inveniuntur, *luminarium eſſe defectus, quæ, licèt nonnunquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant; non tamen amittunt luminaria eſſe quod ſunt.* Ideoque S. Auguſtinus quoties errorem illum ab ijs Patribus aliquando traditum impugnat, neminem eorum carpit, aut inciviliter tractat, ſed potiùs honorificè deſerit: ideoque lib. 6. contra Donatiſtas c. 2. mitiſsimè commemorat opinionem illam veterem S. Cypriani, dicens: *Quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, perſoluens pacifico Epiſcopo, & glorioſo Martyri Cypriano; audeo tamen dicere, eum aliter ſenſiſſe de ſchiſmaticis vel hæreticis baptizandis, quàm poſtea veritas prodidit.* Nimirum, ne Patres Eccleſiæ ſanctitate & doctrina celebres, ſicubi humano lapſu errant, traducantur, ſed potiùs honorificè tractentur, vrget, vel Philoſophorum Gentilium monitum, ac præſertim Platonis: qui, referente Heraclide Pontico, cùm decreviſſet excludere Poetas ab ea Republica, quam moliebatur animo, & in ijs Homerum; voluit hunc

non

non ignominioſè aut vi illata extrudi,ſed potiùs honorificè deduci extra civitatem, λευκοῖς ἐρίοις ἀνεστεμμένον, καὶ πολυτελεῖ μύρῳ τὴν κεφαλὴν διάβροχον. *Vittis priùs albis redimitum,& effuſo in eius caput vnguento pretioſiſsimo.*

SECTIO QVARTA.

Anſelmum palam ſtetiſſe pro auctoritate ſuprema & infallibili Sedis Apoſtolicæ, atque obedientia Romanorum Pontificum, adverſus omnes ſui temporis hæreticos,& ſchiſmaticos,tum Latinos,tum Græcos. Illuſtria eius teſtimonia exſcribuntur.

20 PERFIDIA Michaelis Cerularij Patriarchæ Conſtantinop. traducentis Sedem Apoſtolicam,ſive Romanos Pontifices, quaſi in ſuis definitionibus erraſſent, aut hæreſes tradidiſſent,non potuit ſatis extirpari, adhuc poſt obitum ipſius, qui contigit anno M.LVIII. vt paulo antè monuimus. Adhuc enim plures imitatores habuit in Græcia de cætero, atque eo ipſo tempore, quo S. Anſelmus in Beccenſi Monaſterio cum ingenti nominis celebritate ob ſanctitatem & doctrinam florebat. Nimirũ tempore Alexandri Papæ II. qui vivere deſijt 21. Aprilis anno M.LXXIII.iam Anſelmus ediderat Monologion,Proslogion, & Meditationes plures. Succedente autem S. Gregorio VII. Papa eodem anno ac die electo, Anſelmus multas alias lucubrationes edidit, celebrior quotidie factus. vt propterea idem Summus Pontifex afflictus innumeris calamitatibus, & impetitus multipliciter ab hæreticis,ſchiſmaticis, Simoniacis, alijſque peſtibus, præſertim duce eorum Henrico IV.aliàs III. cognominato Imperatore,& Guiberto Antipapa, opus habuerit ſcribendi ad Anſelmum,vt Eccleſię tantoperè laboranti ſuccurreret. Epiſtolã ſubiungo,quę inter cæteras apud S.Anſelmum eſt trigeſima prima libri ſecundi.

GREGORIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, Anſelmo Venerabili Abbati Beccenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

QVONIAM Fructuum tuorum bonus odor ad nos vſque redoluit, quàm dignas grates Deo referimus, & te in Chriſti dilectione ex corde amplectimur, credentes pro certo tuorum ſtudiorum exemplis Eccleſiam Dei in meliùs promoveri, & tuis, ſimiliumque tibi precibus, etiam ab inſtantibus periculis, Chriſti ſubveniente miſericordia, poſſe eripi. Noſti,Frater,ſi iuſti apud Deum prævaluit oratio,quid iuſtorum? Prævalebit equidem, imò impetrabit ſine dubio quod petierit. Ipſius etiam Veritatis auctoritate cogimur hoc confiteri: *Pulſate*, inquit, *& aperietur vobis: petite & accipietis.* Pulſate ſimpliciter, petite ſimpliciter, hæc etiam quæ ſibi placeant. Simplex eſt oſtium,ſimplex dator vult peti ſimplicia,& quæ ſibi conveniant: hoc modo aperietur,hoc modo accipietis, hoc modo iuſtorum exaudietur oratio. Vnde volumus tuam, tuorumque Fraternitatem aſsiduè Deum orare,vt Eccleſiam ſuam, & nos (qui ei, licèt indigni, præſidemus) AB INSTANTIBVS HAERETICORVM OPPRESSIONIBVS ERIPIAT, & illos, errore dimiſſo, ad viam veritatis reducat. Querimoniam apud nos fecit quidam peregrinus de quodam converſo tuo: *Iuſtus Dominus iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Imitare Dominum tuum, imitare Magiſtrum, à quo habes doctrinam vitæ. Præcipimus etiam & nos, vt ei iuſtitiam facias coram Huberto dilecto filio noſtro,& (vt intelleximus) amico tuo.

Hu-

21 Hucuſque S. Gregorius Pontifex ad Anſelmum in tot illis calamitatibus & perſecutionibus Sedis Apoſtolicæ. Non enim ſolùm inter Græcos impetebatur à ſchiſmaticis, præſertim negantibus proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, iam definitam à S. Leone Papa IX. extra Concilium Oecumenicum: ſed etiam, immo multò atrociùs ab Henrico IV. & Guiberto Antipapa, atque innumeris ſequacibus vtriuſque. Succedente tempore, nondum ſedata perſecutione Eccleſiæ Romanæ, commota partim à Regibus ſeu Imperatoribus Germaniæ, partim à Græcis, electus fuit Pontifex Vrbanus II. anno M.LXXXVII. qui per epiſtolam aliam Capuæ ſcriptam Kalendis Augusti, amoris plenam, ipſum invitavit vt Romam accederet, & quædam alia in obſequium Sedis Apoſtolicæ perageret, prout habetur eodem lib. 2. Epiſt. 32. Anſelmus verò eidem Pontifici reſcripſit illam, quæ eſt 33. & initio inquit: *Gratias ore & corde Celſitudini Veſtræ, quantas poſſum, ago: quia parvitatẽ meam dignata eſt ſuæ benignitatis epiſtola honorare, & Apoſtolica benignitate lætificare. PRO VESTRA ET ROMANÆ ECCLESIÆ TRIBVLATIONE, QVÆ NOSTRA ET OMNIVM VERE FIDELIVM EST, NON CESSAMVS ORARE DEVM ASSIDVE.* Cùm verò perduraret ſchiſma inter eundem Vrbanum Pontificem, & memoratum Antipapam Guibertum, Anſelmus Romano Præſuli palam adhæſit, idque etiam antequam conſentiret electioni ſuæ in Archiepiſcopum Cantuarienſem. Quod ipſe teſtatur lib. 3. Epiſt. 24. ad Hugonem Archiep. Lugdunenſem, illis verbis: *Antequam præberem aſſenſum, palam dixi, me favere Domino Papæ Vrbano, & Guiberto adverſari.* Deinde circa finem Epiſtolæ, commemorata indignatione Regis Angliæ, non ſinentis vt Pallium peteret à Romano Pontifice, nec Romam accederet (alterutro enim intra annum opus erat ad retinendum Archiepiſcopatum, quem diu ac multùm invitus admiſerat) inquit: *Melius eſt vt ego Archiepiſcopatum reyciam, quàm vt Apoſtolicum* (nimirum, Romanum Pontificem) *abnegem.* Tanta & tam aperta fuit obedientia Anſelmi erga Sedem Apoſtolicam in iis aſperrimis temporibus, & nulla ratione habita indignationis Regiæ. Vide etiam Epiſt. 36. eiuſdem libri tertij, in quo clariùs Vvaltero Cardinali & Epiſcopo Albanenſi fidelitatis ſuæ in Pontificem Romanum rationem reddit, quam & vberiùs proſequitur Epiſt. 37. ad eundem Pontificem Vrbanum II. ſed & lib. 2. Epiſt. 34. reprehendit Vvaleramnum Epiſcopum, quòd ſequeretur partes Henrici III. quem appellat *ſucceſſorem Neronis, & Iuliani Apoſtatæ.*

22. Illuſtris autem omnino locus eſt Anſelmi pro auctoritate ſuprema Romani Pontificis in controverſiis fidei dirimendis, qui habetur in Epiſtola nuncupatoria libri de Fide Trinitatis, & Incarnatione Verbi, ad Vrbanum II. Papam, vbi orta quæſtione quadam in Galliis ad fidem maximè ſpectante, ita illum alloquitur: *Quoniam divina Providentia Veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendã, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, AD NVLLVM ALIVM RECTIVS REFERTVR, SIQVID CONTRA CATHOLICAM FIDEM ORITVR IN ECCLESIA, VT EIVS AVCTORITATE CORRIGATVR: nec vlli alij tutiùs, ſiquid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentia examinetur.* Si autem Romani Pontificis definitiones ex cathedra prolatæ in cauſis fidei non eſſent irreformabiles, niſi accedente conſenſu Concilij Oecumenici, vel Eccleſiæ; iam controverſiæ ortæ circa fidem rectiùs ad aliquem alium examinandæ & dirimendæ referrentur, quàm ad Romanum Pontificem. nimirum, ad Concilium Oecumenicum, vel ad Eccleſiam, prout ab ipſo Pontifice diſtinctam. quæ eſt propoſitio contradictoria doctrinæ Anſelmi.

23 Idem mentis & voluntatis obſequium erga Sedem Apoſtolicam profitetur lib. Epiſtolarum tertio epiſt. 37. dum ad ipſum Vrbanum II. inter alia, ſcribit: *Conſilio & alloquio veſtro frui deſiderabam, vt me de rebus neceſſariis, tam publicis, quàm privatis, interrogantem, veſtra prudentia doceret, & auctoritas roboraret.* Deinde Epiſt. 48. ſcribens ad Paſchalem II. Pontificem eius Succeſſorem, ait: *Quanto ſtudio mens mea pro ſua poſsibilitate, Sedis Apoſtolicæ reverentiam & obedientiam amplectatur, teſtantur multæ & graviſsimæ tribulationes cordis mei, ſoli Deo & mihi notæ, quas ab initio Epiſcopatus mei continuè iam per novem annos, & in exilio, & in Epiſcopatu, paſſus ſum, QVIA EIVSDEM SEDIS SVBIECTIONI ET OBEDIENTIÆ INSEPARABILITER ADHÆREO: A qua intentione ſpero in Deo quia nihil eſt quod me poſsit retrahere.* Deinde in fine Epiſtolæ ſubdit, ſe miſiſſe Legatos ad ipſum conſulendum, & rogat vt quæſitis reſpondeat. Præterea Epiſt. 75. ita eundem Paſchalẽ alloquitur:

Non

Non timeo exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem: QVIA AD HAEC OMNIA, DEO CONFORTANTE, PARATVM EST COR MEVM PRO APOSTOLICAE SEDIS OBEDIENTIA, ET MATRIS MEAE ECCLESIAE CHRISTI LIBERTATE. CERTITVDINEM TANTVM QVAERO, VT SCIAM ABSQVE OMNI AMBIGVITATE, QVID AVCTORITATE VESTRA TENERE DEBEAM. Fruſtra autem tantam certitudinem quæreret ſperaretque Anſelmus à Pontifice Romano, ſi hic in Reſponſis ſuis ex cathedra prolatis errare poſſet. Inſuper eodem lib. 3. Epiſt. 152. ſic loquitur ad ipſum Paſchalem II. QVONIAM FORTITVDO ET DIRECTIO ECCLESIARVM DEI MAXIME, POST DEVM, PENDET EX AVCTORITATE PATERNITATIS VESTRAE; *quando ratio exigit, ad eius libenter recurrimus auxilium & conſilium.* Si autem definitiones Pontificiæ in controverſiis fidei & morum eſſent fallibiles, aut corrigi poſſent à Concilio Oecumenico, ſive à reliquo Eccleſiæ corpore; iam fortitudo & directio Eccleſiæ non penderet maximè, poſt Deum, ab auctoritate Pontificis, contra quàm Anſelmus teſtatur. Similiter lib. 4. Epiſt. 2. ad eundem Paſchalem II. *Quoniam de Sedis Apoſtolicæ auctoritate pendent filiorum Eccleſiæ directiones & conſilia: idcirco ad Veſtræ Paternitatis recurro præceptum & conſilium.* Deinde Epiſtol. 47. ad eundem: *Propter Veſtram, & Anteceſſorum Veſtrorum obedientiam, & libertatem Eccleſiæ, quas abnegare nolo, exul ſum ab Epiſcopatu, & rebus omnibus ſpoliatus.*

24 Mitto plura alia teſtimonia, in quibus Anſelmus eandem mentis & voluntatis ſubiectionem profitetur erga Sedem Apoſtolicam. Mitto deinde celeberrimam ipſius diſputationem adverſus Græcos ſchiſmaticos, negantes ſuo ipſius tempore Spiritus ſancti proceſſionem à Filio, needum eo uſque definitam ab aliquo Concilio Generali, ſed ſolùm à Pontificibus Romanis, ac fortaſſe primùm eo ipſo vndecimo ſæculo. Nimirum, de hoc & pluribus eodem ſpectantibus, diſſeremus latè in progreſſu.

SECTIO QVINTA.

Anſelmum in dubiis & controverſiis ad fidem vel mores ſpectantibus ſolitum conſulere Sedem Apoſtolicam, veluti regulam credendi infallibilem. Exhibetur quoddam Reſcriptum Paſchalis II. Papæ, ad varias illius conſultationes.

EX dictis ſectione præcedenti conſtat, S. Anſelmum, in dubiis aut controverſiis ſpectantibus ad fidem vel mores, confugiſſe ad Sedem Apoſtolicam, veluti Chriſtianæ doctrinæ Oraculum, nulli prorſus errori obnoxium: vt ab ea Reſponſa acciperet. Qui ſanè mos antiquiſſimus in Eccleſia per omnes temporum ætates ſolemnis fuit in omnibus Epiſcopis Catholicis, & nominatim in Gallicanis: vt fuſe oſtenſum fuit Tract. 1. Poſſemus hoc loco exſcribere plurimas S. Anſelmi Conſultationes, miſſas ad Romanos Pontifices, quæ habentur in quatuor libris Epiſtolarum ipſius, & præterea in Hiſtoria Novorum, ab Eadmero eius ſocio ſcripta, & nuperrime Pariſiis edita. Verùm iis relictis, placet ſolum exſcribere Reſcriptum quoddam Paſchalis II. Papæ ad varias Anſelmi cõſultationes, interrogationeſque, maximè dignum memoratu. Habetur apud ipſum lib. Epiſtolarum tertio, epiſt. 45.

PASCHALIS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI.

VENERABILI FRATRI ET COEPISCOPO ANSELMO, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Anſelmo eum conſulenti circa plura dubia reſpondet.

CONSVLTA illa, quæ per venerabiles nuntios tuos Baldeinum & Alexandrum ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſiſti, poterat vtique Fraternitas tua, & Fratrum, qui circa ipſam ſunt, collatione, & datæ divinitus ſapientiæ & intelle-

ctus

ctus conſideratione diſcutere. Cæterum, *ſicut in cæteris conſueuiſti, in hoc quoque communi Catholicorum Matri reuerentiam ſeruare curaſti.* Nos itaque SS. Patrum, qui nos in Sede Apoſtolica, diſponente Domino, præceſſerunt, veſtigijs inhærentes, hæc conſultationi tuæ reſpondenda deliberavimus.

27 ANSELMVS. Si de manu laici liceat Epiſcopo, vel Abbati, accipere Eccleſias, quas in ſuo dominio habent; cùm eas non perſonæ, ſed Epiſcopatui, vel Abbatiæ donent.

28 PASCHALIS. De manu laici Epiſcopus iam conſecratus ſuſcipere non debet Eccleſias, ſi in aliena parochia ſint; ſi verò in ſua ſunt, licenter accipiat: hoc enim non videtur dare, ſed reddere; cùm Eccleſiæ omnes per ſingulas parochias in Epiſcoporum eſſe debeant poteſtate: Abbates verò per Epiſcoporum manus accipiant.

29 ANSELMVS. De Sacerdotum filijs, vel concubinarum, qui quoſdam olim gradus acceperunt, & volunt omnino redire ad immunditias ſæculi, niſi ad maiores promoveantur; & ſi promoveantur, promittunt religioſam vitam, quid agendum?

30 PASCHALIS. De Sacerdotum filijs, vel concubinarum, quam vitam tenendam Prædeceſſores noſtri Sedis Apoſtolicæ Pontifices inſtituerunt, noſſe te credimus. Nec nos ab illorum volumus aberrare veſtigijs. Quod igitur tibi ſuper his in barbaris regionibus ſit diſponendum, ex ipſius præcepti poteris collatione diſtinguere.

31 ANSELMVS. Si à Presbyteris fœminas habentibus, liceat pœnitentiam, & Corpus Domini in periculo mortis accipere, cùm nullus continens adeſt: & ſi licet, & illi dare nolunt, quia Miſſæ eorum contemnuntur, quid faciendum?

32 PASCHALIS. In periculo mortis poſitum melius æſtimamus de manu cuiuslibet Clerici Dominicum Corpus accipere; quàm de Corpore ſine Viatico, dum religioſus Sacerdos expectatur, exire. Siqui verò Presbyterorum, pro vitæ ſuæ contemptu præterito, in illo extremitatis articulo poſitis Viaticum denegaverint, tanquam animarum homicidæ diſtrictiùs puniantur.

33 ANSELMVS. Si Rex habet terras Epiſcopatus, vel Abbatiæ, quas nullo modo reddere vult, & pro eis vult dare aliquam Eccleſiam, quam in ſua manu tenet, non minùs vtilem: ſi liceat eam accipere, ne iudicetur emptio?

34 PASCHALIS. Pro terris Eccleſiarum de manu Regis Eccleſias ſuſcipere minùs licet, ne ſacrilegio dari videatur aſſenſus. Divina enim in nullius bonis ſunt; & quod Deo ſemel oblatum eſt, in alienos vſus non expedit vſurpari. Porrò ſub huiuſmodi commutationibus ſæculari poteſtati ſecuriùs indulgetur. AN-

35 ANSELMVS. Si nullus Clericus debet fieri homo laici;& aliqua beneficia, aut poſſeſsiones nõ Eccleſiaſticas debet tenere de laico; nec laicus vult ei dare, niſi fiat ſuus homo; quid faciet?

36 PASCHALIS. Liberam eſſe Eccleſiam Paulus dicit. Indignum eſt igitur, vt Clericus, qui iam in Dei ſortem eſt aſſumptus, & iam laicorum dignitatẽ exceſsit, pro terrenis lucris, hominium faciat laico; ne fortè dum teperitur ſervi ſæcularis obnoxius, vacet, aut gravetur Eccleſia. Scriptum eſt enim: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus*, 2. Timoth. 2. v. 4.

37 ANSELMVS. Sæpè neceſſe eſt aliquid de Apoſtolicis, & Canonicis ſtatutis pro compenſationibus relaxare, & maximè in regno, in quo ferè omnia ſic corrupta, & perverſa ſunt, vt vix ibi aliquid omnino ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ fieri poſsit: peto vt per licentiam veſtram poſsim quædam, prout mihi diſcretionem Deus dabit, temperare. Quod petij à Domino Papa Vrbano, & ipſe poſuit in mea deliberatione.

38 PASCHALIS. Diſpenſationis modus, ſicut D. Cyrillus in Epiſt. Epheſinæ Synodi loquitur, nulli vnquam ſapientum diſplicuit. Novimus enim SS. Patres noſtros, & ipſos Apoſtolos pro temporum articulis, & qualitatibus perſonarum, diſpenſationibus vſos. Quam obrem nos de religione, & ſapientia tua diu, longeque ſpectata, nihil penitùs ambigentes, tuæ deliberationi committimus; vt iuxta datum tibi divinitùs intellectum, cùm Eccleſiæ, cuius præpoſitus es, tanta neceſsitas expetit, SS. Canonum, Decretorumque difficultatem opportuna, & rationabili valeas providentia temperare.

39 ANSELMVS. Ranulfus, de quo veſtrum olim petij conſilium, à Rege reſtitutus eſt in Epiſcopatum. Si ergo Vobis placuerit, inquirite vitam eius ab Epiſcopis noſtris, qui nunc ad Vos venerunt; ac de eo, Archiepiſcopo eius, & mihi Primati eius conſulite.

40 PASCHALIS. Ranulfi Epiſcopi cauſam, quandoquidem iuxta præceptum noſtrum in Cathedram propriam reſtitutus eſt, indiſcuſſam prætetire non patimur. Eius enim facinora graviſsima ad Sedem Apoſtolicam multorum ſunt relatione perlata. Volumus ergo, vt apud præſentiam veſtram in Epiſcoporum Convẽtu, quæ de eo ad nos ſcripta ſunt, pleniùs pertractetis. Diſcuſsione habita, niſi ſe ſeptima ſui Ordinis manu expurgare potuerit; mox cum litterarum veſtrarum teſtimonio tranſmittatur ad Nos. Si autem de conſcientia ſua trepidans, ad examen noſtrum pervenire noluerit; per experientiam veſtram ab Eccleſia, quam occupat, depellatur; & in ea, iuxta Canonicas ſanctiones, Epiſcopus ſubrogetur.

HACTE-

41 Hactenus ibi. Itaque eodem ſæculo quo Græci plures rebellabant in Eccleſiam Romanam, & Pontificias definitiones ex cathedra S. Petri prolatas reijciebant, S. Anſelmus ex oppoſito ſummam eius auctoritatem ac prorſus infallibilem teſtabatur, conſulens frequenter Romanos Pontifices, eorumque Reſcripta excipiens, veluti Oracula divina. Quin & ſæviente procella diuturni & cruenti ſchiſmatis excitati ab Henrico III. alias IV. Germaniæ Imperatore, & Guiberto Antipapa, contra Vrbanum II. & Paſchalem II. Pontifices Romanos ritè electos; non dubitavit horum cauſam tueri, & auctoritatem ſummam in Anglia ſtabilire, cum ingenti periculo capitis ſui. Propterea enim perſecutionē diram Vvillelmi Angliæ Regis, & iacturam bonorum, & longum exilium, innumeraque alia incommoda paſſus fuit. Quot etiam, & quàm dura, ac terribilia tulerit pro libertate Eccleſiæ tuenda, videbimus in progreſſu.

DISPVTATIO XLII.

AN PROCESSIO SPIRITVS SANCTI EX Filio fuiſſet ab Eccleſia definita in aliquo Concilio Generali, aut Provinciali, antequam Anſelmus illam tueretur contra Græcos.

EX Diſputatione hac & ſequenti pleniùs innoteſcet, quàm ſtrenuè ſe geſſerit S. Anſelmus in aſſerenda auctoritate infallibili Romani Pontificis ad dirimendas quæſtiones fidei, etiam extra Concilium Oecumenicum, aut independenter à conſenſu Eccleſiæ accedente. Præmittendum verò eſt ex dicendis in progreſſu, Anſelmum in Concilio Barenſi apud Provinciā Apuliæ Epiſcopos Græcos negantes proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, eruditiſsimè refutaſſe; & contrariam veritatem, taquam diuina fide certam, aſſeruiſſe. Nunc veſtigare oportet, An tunc ea veritas iam fuiſſet definita in aliquo ex octo Concilijs Generalibus, quæ præceſſerant. Neque enim pluſquam octo celebrata fuerant euſque. nam Concilium Barenſe Provinciale, aut Nationale, cui interfuit S. Anſelmus celebratum fuit anno M. XCVIII. Concilium verò Nonum Generale, nimirum, Lateranenſe I. ſub Gelaſio II. fuit coactum viginti quatuor poſt annis, Chriſti M. CXXII. tredecim poſt obitum S. Anſelmi. Denique veſtigabimus, an ea veritas definita fuiſſet jam in aliquo Concilio Provinciali ante illud Barenſe, cui S. Doctor interfuit.

SECTIO PRIMA.

Prepoſitis rationibus dubitandi, excurritur per octo priora Concilia Generalia antiquiora ſæculo vndecimo, in quo Anſelmus floruit: & oſtenditur, in nullo eorum fuiſſe definitam proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio. Variæ aliorum opiniones reiectæ, & plura obſervata ad hiſtoriam & chronologiam eorundem Conciliorum ſpectantia.

2 RATIO Præcipua dubitandi oritur ex varijs Concilijs Generalibus longè antiquioribus ſæculo S. Anſelmi, ſicuti & Synodo Oecumenica Lateranenſi ſub Innocentio III. in quibus videtur, Eccleſiam definiſſe Spiritus ſancti proceſsionem ex Filio. Ac primò quidem eruditiſsimus & graviſsimus Loayſa in Notis ad Concilium Tertium Toletanum, verbo *Item fides ſancta*, pagina 237, cenſet, illam fuiſſe definitam in Secunda Synodo Generali, id eſt, Conſtantinopolitana Prima, cœtum quinquaginta Patrum, quæ novum quoddammodo Symbolum edidit, ſupra Nicænum, ad confutandas hæreſes Macedonij, Apollinarij, & aliorum hæreticorum, qui infami nomine Pneumatomachi dicti ſunt, quòd adverſus Spiritum ſanctum pugnarent. Nititur teſtimonio S. Hieronymi in Symbolo cap. 9. & Tripartitæ cap. 16.

3 Verum refellitur hæc opinio: quoniam in nullo exēplari Græcò aut Latino eius Synodi, ſive manuſcripto, ſive typis edito, inventum eſt hactenus verbum aliquod circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio. Id certè ſolùm habent exemplaria omnia vt cùm in Symbolo Nicæno ſolùm fuiſſet dictum, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα ἅγιον, *Et in Spiritum ſanctum*, id eſt, πιστεύομεν, *Credimus*, poſtea Patres Conſtantinopolitani Symbolo ſuo addiderint,

ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, Ex Patre procedentem. Solùm itaque in ea Synodo definita fuit proceſsio Spiritus ſancti ex Patre, quæ nondum expreſſa fuerat in Concilio, & Symbolo Nicæno CCC.XVIII. Patrum, quoniam, vt monet Sanct. Baſilius, & alij Patres, ibidem controverſia præcipua & pene vnica fuit cum Arianis circa ſolidam divinitatem Filij, quàvis indirectè & conſequenter etiam ad Spiritum ſanctum extenderetur. Nec Sanct. Hieronymus favet Loayſæ, cùm id Opuſculum non cenſeatur Sanct. Doctoris fœtus, ſed potiùs Pelagij Hæreſiarchæ ad Innocentium: vt palam oſtendit ſapientiſsimus ac pijſsimus Cardinalis Bellarminus aureo libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis verbo Hieronymus, in criſi Tomi IX. allegato in eum ſcopum Sancto Auguſtino libro de Gratia Chriſti cap. 30. & tribus ſequentibus. Denique quidquid dicemus contra aliorum opiniones, fortiùs, & vrgentiùs evertet prędictam Loayſæ conjecturam.

4 Secunda ratio dubitandi eſſe poteſt circa Synodum III. Generalem, id eſt Epheſinam, quæ coacta fuit anno Chriſti CD.XXX. ſub Cæleſtino Papa, Theodoſio Iuniore imperante. Etenim inter eius Acta habetur Epiſtola Sancti Cyrilli Epiſcopi cum toto Concilio Alexandrino ad Neſtorium, in qua de Spiritu ſancto dicitur: *πνεῦμά ἐστι, καὶ οὐχ υἱός. ἀλλ' οὖν ἔστιν οὐκ ἀλλότριον αὐτοῦ· πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὠνόμασται, καὶ ἔστι χριστὸς ἡ ἀλήθεια. καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ πατρός.* id eſt: *Spiritus eſt, & non Filius: non eſt tamen ab eo alienus, quandoquidem Spiritus Veritatis nominatur; Chriſtus autem Veritas eſt: ſed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Ita ad verbum habetur Græcè & Latinè iuxta editionem Pariſienſem Severini, Binij anni M. DC. XXXVI. qua vtor, pagina 212. Atqui ea Epiſtola non ſolùm habetur inter Acta eius Concilij, ſed poſtea ſimul cum alijs Synodicis eiuſdem Sancti Cyrilli probata fuit triginta annis pòſt in Quarta Synodo Generali, id eſt, Calchedonēſi, coacta ſub Sancto Leone Papa, & Martiano Auguſto, anno CD. LI. Actione quinta in poſteriori definitione Fidei, quæ habetur in eadem editione Binij Tomo III. pagina 339. *Præterea.* In Sexta Synodo Generali, id eſt, Conſtantinopolit. III. ſub Sancto Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Imperatore, anno DC.LXXX. Actione decima octava, probatæ iterum fuerunt eædem Epiſtolæ Synodicæ Sāncti Cyrilli. Cùm igitur in ea, cuius verba nuper exſcripſimus, videatur palam tradere proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quemadmodum & ex Patre; id iam cenſeri debet tunc fuiſſe ab Eccleſia definitum. Quare Baronius ad prædictum annum DC. LXXX. cenſet à Sancto Agathone Papa fuiſſe eam controverſiam definitam. Alij verò indicant id factum longè antea in Concilio Calchedonenſi, quatenus probavit eam Epiſtolam S. Cyrilli.

5 Verùm hæc opinio doctiſsimi Cardinalis, & aliorum, difficilis eſt multiplici ex capite. Primò: quia in verbis allegatæ Epiſtolæ ſolùm habetur Græcè de Spiritu ſancto relatè ad Filium: *καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ*, id eſt, *Et effunditur ab eo.* Nec refert quòd Binius, vel quivis alius Interpres in columna oppoſita verterit: *Et procedit ab eo*. Hoc enim non reſpondet Græcis exemplaribus, quotquot extant. Neque obſtat quòd Peltanus dicatur alium codicem inveniſſe, in quo Græcè exprimeretur proceſsiò Spiritus ſancti à Filio, ſicut à Patre. In oppoſitum enim eſt, maiorem fidem deberi cæteris exemplaribus, quibus tota Eccleſia vtitur, quàm vni ſoli. Quod ipſum confirmo: quia etiam in Synodo V. Generali Collat. ſexta longè poſt medium pag. 271. editionis Binij, vbi iterum exſcribitur eadem Epiſt. S. Cyrilli, ſolùm habetur Latinè: *Et effunditur ab eo.* Hæc igitur lectio præferenda eſt. Porrò Spiritum ſanctum à Filio effundi, poteſt nòn incommodè vſurpari & ſolet in ſacris litteris de miſsione ad creaturas: vt vidimus Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi, Diſp. LXXXIX. num. 22. & poſtea dicemus ſect. ſeq. atque adeò quamvis illa Epiſt. S. Cyrilli eſſet probata ab ijs Concilijs, non ſolùm generatim, ſed ſpeciatim quoad omnia & ſingula in ea contenta; non ideo *ἐκπόρευσις*, ſeu proceſsio ad intra Spiritus ſancti à Filio deberet certò definita cenſeri.

6 Secundò diſplicet: Quia Concilia Generalia non definiunt (certè non ſolent definire) niſi controverſias de quibus in ijs diſputatur: vt præmiſſo accurato examine ſacræ Scripturæ, Conciliorum præcedentium, & doctrinæ SS. Patrum, auditis partibus & implorata Spiritus ſancti ope, decernatur quod antea ſub lite erat. Atqui in nullo ex ſex primis Generalibus Concilijs, neque in ipſorum Actis, neque in Hiſtoricis eorum temporum, legitur vnquā ea cōtroverſia excitata, An Spiritus ſanctus procedat ex Filio: multò autem minùs examinatum quid circa illam habeatur ex ſacris litteris, aut Concilijs præcedentibus, aut Patribus: nec Baronius, aut alij, vllum ea de re teſtimonium fidedignum proferunt. Ergo quamvis ea Concilia probaverint generatim Epiſtolam illam Sancti Cyrilli, & in ea habeatur palā proceſsio Spiritus ſancti ex Filio (quæ tamen nō habetur, vt nuper vidimus) non propterea illa deberet cenſeri definita.

Ter-

7 Tertiò: Quoniam approbatio Epiſtolarum S. Cyrilli in ijs Concilijs ſolùm fuit quoad præcipuam doctrinam in ijs contentam, & ad novem anathematiſmos poſtea redactam, adverſus impijſsimum Neſtorium, diſtinguentem in Chriſto duas perſonas, alterã divinam, humanam alteram, quamvis mirabiliter vnitas; & aſſerentem, Virginem Mariam non eſſe Theotocon, id eſt; Deiparam, ſed Chriſtotocon, id eſt, Chriſtiparam. Quare in Calchedonenſi Synodo lectâ Epiſtola pacificatoriâ S. Cyrilli ad Ioannem Antiochiæ Patriarcham, duas in eadem Chriſti perſona plenas naturas tradentis, omnes Illyricianæ diœceſeos Epiſcopi alta voce dixerunt: *Sic credimus, ſicut & Cyrillus. Cyrilli æterna memoria.* Tunc verò ne verbum quidem fuit circa proceſsionẽ Spiritus ſancti. Vide Chriſtianum Lupum in Appendice ad eam Synodum pagina 902. Similiter nec in Epheſina Synodo, cui præfuerat idem Cyrillus anno CD.XXX. & in qua tractabantur res Neſtorij, ſubindeque ſequacium ipſius, inter quos tunc maximè notabatur Theodoretus, quidquam ea de re diſputatum aut definitum legitur. Nec in Anathematiſmis S. Cyrilli contra ipſum Neſtorium aliquid continetur, quod eò ſpectet, vt in ipſis legere eſt parte prima eiuſdem Concilij cap. 26. & 27. apud Binium pag. 215. & 218. ſimiliterque apud Baronium ad annum CD.XXX. & Lupum in Scholijs ad eã Synodum, vbi & ijs alios Neſtorij Anathematiſmos inanes ac blaſphemiæ plenos contraponit. Ergo approbatio Epiſtolarum Sancti Cyrilli teſtata poſtea in Concilio Calchedonenſi, & in nonnullis alijs, ſolùm debet intelligi quoad doctrinam traditam ab ipſo contra Neſtorium, & in Concilio Epheſino maturè diſcuſſam; non verò quoad proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quam Cyrillus in nulla illarum docuit, aut ſolùm obiter & ſubobſcurè indicavit, quæque in nullo ex ijs Concilijs examinata aut memorata legitur.

8. Quartò: Quia approbatio Operum alicuius ex Patribus, facta ab Eccleſia, etiam intra Concilium Generale, non cenſetur extendi ad omnia & ſingula in ijs contenta, tanquam ea habenda ſint certa ſecundùm fidem: vt latè & ex communi Theologorum ſenſu probavimus Tomo I. Diſp. II. ſect. 5. & ſeq. docetque ex profeſſo Hiſpanus Salomon, huius olim Academię Oraculum, & eximium Veteris Collegij D. Bartholomæi decus Alphonſus Toſtatus in Defenſorio parte ſecunda cap. 81 & ſeq. Etenim Gelaſius Papa in Concilio I. Romano cuſtodienda & recipienda decernit Opuſcula omnium ferè Sanctorũ Patrum, qui eouſque præceſſerant, indicatis ſingulorum nominibus. Similiterque Quinta Synodus Generalis, aliàs II. Conſtantinopolit. ſub Vigilio Papa & Iuſtiniano Imperatore coacta anno D.LV. Collatione tertia ait: *Super hæc ſequimur per omnia ſanctos Patres & Doctores Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologũ, Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum, Theophilum, Ioannem Conſtãtinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum.* Ecce vbi Synodus ipſa teſtatur, ſe Patres prędictos ſequi *per omnia.* Quomodo autem per omnia, ſiquidem ipſi Patres ſæpe diviſi ſunt in opiniones contrarias aut contradictorias, etiam circa ſenſum litteralem Scripturæ: duo autem contraria aut contradictoria nequeunt eſſe ſimul vera, aut digna aſſenſu Catholicæ Eccleſiæ? Quæ eſt conſideratio laudati Abulenſis. Huic vero difficultati occurrunt verba immediatè ſequentia eiuſdem Synodi: *ET SVSCIPIMVS OMNIA, QVÆ DE RECTA FIDE, ET CONDEMNATIONE HÆRETICORVM EXPOSVERVNT.* Itaque per approbationem illam generatim datam, non omnia & ſingula à SS. Doctoribus tradita probantur, veluti certa ſecundùm fidem; ſed illa dumtaxat, quæ conſtat ab ijs ſcripta fuiſſe de recta fide & condemnatione hæreticorum: nimirum, ea in quibus continetur doctrina fidei tradita & ritè definita ab Eccleſia contra hæreticos. Cæterum reliqua, quę aliorſum ſpectant, & ab Eccleſia nondum controverſa aut definita ſunt, obtinent aliud genus approbationis longè inferius, & à nobis eo loco latè explicatum. Ergo dato quòd S. Cyrillus in illa Epiſt. Synodica obiter expreſsè docuiſſet, Spiritum ſanct. procedere ex Filio, dum tamen conſtat, eam rem non fuiſſe in ijs Concilijs examinatam, nec definitam in ſpecie ab Eccleſia; approbatio illius veluti in genere non convincit, vt proceſsio ipſa in ijs definita cenſeatur.

9 Confirmatur ratio eadem: Quia vt omnes particulæ illius Epiſtolæ cenſeantur definitæ tunc ab Eccleſia, debuiſſet illa probari ſimili formula, ac Epiſt. S. Leonis Papæ ad Flavianum Patriarcham Conſtantinop. de qua inquit Gelaſius Papa vbi ſupra: *Item* (probamus) *Epiſtolam B. Leonis Papæ ad Flavianum CP. Epiſcopum deſtinatam: CVIVS TEXTVM QVISPIAM SI VSQVE AD VNVM IOTA DISPVTAVERIT, ET NON EAM IN OMNIBVS VENERABILITER RECEPERIT, ANATHEMA SIT.* Nec mirum ita decreverit Gelaſius, & tantam venerationem eidem Epiſt. conciliaverit: vtpotè circa quam plura divinitus accidiſſe memoratur in Prato Spi-

Spirituali cap. 147. & 148. dum S. Leo illam ſcriberet: ideoque ſtatim à tota Eccleſia ſummis laudibus excepta fuit, & à Synodo Chalcedonenſi probata Actione ſexta. Quin & teſtante id codice pervetuſto S. Mariæ ad Martyres apud Baronium anno Chriſti 449. mos fuit Romanæ Eccleſiæ, aliarumque Occidentalium, eandem legere publicè in Eccleſia menſe Decembri ante Dominicam Nativitatem: quoniam in illa continetur & exponitur mirè abſolutiſsima Incarnationis Verbi doctrina. Itaque talis & tantus honos delatus fuit à tota Eccleſia illi Epiſt. antequàm Gelaſius Papa ſub formula adeò inſolita vſque ad apices illam approbaret. Cùm igitur Epiſtola illa S. Cyrilli non fuerit à Romano Pontifice, nec ab ijs Concilijs probata ſub ſimili formula, ſed generatim ſolùm; cenſeri non debet, definitam tunc fuiſſe proceſsionem Spiritus S. ex Filio, dato quòd in ea obiter & expreſsè traderetur.

10 Denique quod ait Baronius loco indicato numero 4. id definitum fuiſſe à ſancto Agathone Papa in Concilio ſexto Generali, reijcitur. Vel enim ideo eſſet, quia in ea Synodo Actione decima octava, probatur Epiſtolæ ſancti Cyrilli; & hoc iam relinquimus confutatum: vel quoniam tunc Agatho expreſsè definierit proceſsionem Spiritus ſancti à Filio. At hoc nullo firmo teſtimonio probatur. Quin potiùs in Symbolo prolato ab ea Synodo apud Binium Tomo quinto, pagina 257. ſolùm exprimitur formula credendi in Spiritum ſanctum, *ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ex Patre procedentem*; & nihil præterea. Non ergo in Synodo Sexta Generali id definitum fuit.

11 Tertia ratio dubitandi eſſe poteſt circa Concilium Romanum à Damaſo Papa celebratum, in quo probavit Acta Secundæ Synodi Generalis, id eſt, Conſtantinopolitanæ Primæ. Nimirum, in illo ipſo proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio definitam volunt ab ipſo Damaſo, Emmanuel Caleças libro adverſus Græcos, Ioſephus Methones, alijque quos allegant Noſter Genebrardus libro tertio de Trinitate, & Staniſlaus Socolovius in Annotationibus ad caput primum Cenſuræ Orientalis. Verùm hanc exiſtimationem falſam eſſe, & omni ſolido fundamento carere oſtendi Diſputat. XCII. Tomi II. numero decimo, & ſequentibus: conſtabitque præterea ex dicendis ſtatim: nam quæ ſuperſunt dicenda, vrgentiùs extrubant opiniones præcedentes, quàm ſequentes.

12 Ideo alij iudicant, aut ſuſpicantur, id definitum fuiſſe in Septima Synodo Generali, id eſt, Nicæna Secunda, coacta anno Chriſti DCC. LXXXII. ſub Adriano I. Papa, imperantibus Conſtantino, eiuſque matre Irene. Nam ibidem Actione ſeptima in Symbolo legitur addita particula *FILIOQVE*, quâ exprimitur proceſsio Spiritus S. ab illo, iuxta illud vetuſtiſsimum exẽplar quod ſe vidiſſe teſtatus fuit Andræas Theologus Latinæ Eccleſiæ coram Patribus Florentini Concilij.

13 Sed enim id refellitur triplici ex capite. *Primò* enim alia omnia exemplaria Græca ſunt in oppoſitum, & illud nominatim quod ibidem habetur in Symbolo ex editione Binij Tomo V. nuper allegato pagina 812. vbi ſolùm legitur, *ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ex Patre procedentem*; quamvis ipſe Binius in colũna oppoſita Latinè expreſſerit, *Qui ex Patre Filioque procedit*. Potior verò & amplior fides habenda eſt, cæteris paribus, lectioni omnium ferè exemplariũ, quàm vnius dũtaxat. Nec facilè fuit Græcis tot exẽplaria eius Synodi apud Latinos extantia corrumpere, quidquid conqueſtus fuerit Iulianus S.R.E. Cardinalis in Concilio ipſo Florentino, allegatus à Baronio. *Secundò*: quoniam in Actis eius Synodi nulla legitur orta circa hoc controverſia: ſed totum pene diſsidium fuit circa cultum ſacrarum Imaginum. *Tertiò* denique & potiſsimùm obſtat, quòd vigintĩ circiter annis poſt eam Synodum Leo Papa III. in lamina argentea exaravit Symbolum Conſtãtinopolitanum ſine particula *Filioque*; illamque collocavit Romæ poſt Altare S. Petri ad perpetuã rei memoriam: vt teſtatur Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 11. cap. 2. Non ergo paucis annis antè in Synodo VII. Generali addita fuerat particula illa Symbolo. Neque enim putari debet Summum Pontificem deleviſſe quod paulo antè Oecumenica Synodus ſcripſerat, & definierat veluti fide certum.

14 Quapropter non deerunt fortè qui velint eam controverſiam fuiſſe tandem definitam in Synodo VIII. Generali. id eſt, Conſtantin. IV. anno Chriſti DCCCLXIX. ſub Adriano II. Papa, imperante Baſilio Auguſto: quæ coacta fuit occaſione ſchiſmatis inducti à Photio, qui contra ius & fas, ac non per oſtium, ſed aliunde, in cathedrã Patriarchalem CP. aſcenderat, & totum penè orbem Chriſtianum conturbaverat, pulſo ac procul relegato Ignatio, viro optimo, & legitimo Præſule: propterea que in eâdem Synodo can. 4. dicitur contra illum: *Amorem principatus, vtpotè quandam malam radicem exortorũ in Eccleſia ſcandalorum, radicitus excidẽtes, eum, qui temerè & prævaricatoriè, ac irregulariter, veluti quidam*

gravis lupus, in Chriſti ovile inſiliit, Photium, ſcilicet, qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ replevit, iuſto decreto damnamus, &c. Is verò, inter alias calumnias, inde potiſsimùm Eccleſiam Latinã criminabatur, quòd in ea traderetur Spiritus ſancti ex Filio proceſsio. Cùm ergo propter eas calumnias, & alia ſcelera; damnatus fuerit in ea Synodo, atque anathemate inuſtus; videtur ſiniſtram eius opinionem de Spiritus ſancti proceſsione ex ſolo Patre, damnatam pariter fuiſſe.

15 Cæterùm nec in ea Synodo invenio quidquam circa hanc controverſiam tractatum, vel definitum, inter omnes viginti ſeptem canones illius, iuxta verſionem Anaſtaſij Bibliothecarij; nec inter quatuordecim iuxta exemplaria Græca, quorũ ſummam noviſsimè præſtringit Cabaſſutius in Notis ad eam Synodum, pag. 532. & ſeqq. Illorum plerique editi ſunt contra prædictum Photium; nec in ijs legitur quidquam tractatũ, diſputatum, aut definitum circa proceſsionem Spiritus S. ex Filio, aut circa calumniam illam peculiarẽ Photij contra Latinos ea de re. Mitto Synodum erraticam, ſeu conciliabulum ab ipſo coactum: quod Schiſmati Græci, lutum pro auro venditantes, auſi ſunt appellare VIII. Synodũ Generalem. Sive enim in illo res hæc tractata fuerit ab ipſis Schiſmaticis, ſive non, nihil refert ad noſtram controverſiam. Quin etiam adhuc in vera & legitima Synodo Octava, de qua nuper agebamus, nondum fuiſſe additam Symbolo particulam *Filioque*, conſtat ex teſtimonio Andreæ Rhodiorum Epiſcopi in Concilio Florentino ſeſſ. 7. aientis, Patres Occidentales in eadẽ Synodo Octava ad Græcos dixiſſe: *Nos ita legimus & credimus, vt & vos, abſque vlla additione Symbolum &c. vt ita ſe habens ſit verè Symbolum veræ fidei: ſed & eos qui addunt aut detrahunt aliquid, anathematizamus.* Vnde duo inferuntur, maximè in rem noſtram. Alterum, ſi qua diſputatio in eo Concilio habita eſt, illã non fuiſſe circa proceſsionem Spiritus ſancti, quæ ibidem non legitur tractata; ſed circa additionem particulæ *Filioque* ad Symbolum: de qua late Diſp. ſequenti. Alterum eſt, in nulla ex Synodis Septem Generalibus præcedentibus fuiſſe ab Eccleſia ſtatutam eam additionem: quidquid Baronius & alij ex ſupra memoratis voluerint. Nam alioqui, quo auſu Patres Occidentales Octavæ & legitimæ Synodi anathematizaſſent quoſlibet addentes eam particulam?

16 Deinde nulla etiam de hac re diſputatio aut definitio legitur in Concilio IX. Generali, aliàs I. Lateranenſi ſub Calixto II. Papa; imperante Henrico II. anno Chriſti M.C.XXII. vt patet ex illius Actis, & ex Hiſtoricis illius temporis. Lege Caſſabutium in Notis ad illud cap. 84. Idem dicendum de Cõcilio X. Generali, aliàs II. Lateranenſi ſub Innocentio II. & de XI. Generali, aliàs Lateranenſi III. ſub Alexandro III. In nullo enim eorum invenio quidquam de hac controverſia ab Eccleſia Catholica definitum. Vnde demum, & maximè ad noſtrum Inſtitutum, colligitur, eo tempore quo S. Anſelmus diſputavit contra Græcos in Concilio Barenſi coram Vrbano II. Papa, id eſt, anno Chriſti milleſimo nonageſimo octavo, proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, nondum fuiſſe ab Eccleſia in aliquo Generali Concilio definitam: cùm adhuc in Nono, Decimo, & Vndecimo, quæ duo celebrata ſunt pluribus annis poſt obitum S. Doctoris, nondum definita inveniatur.

SECTIO SECVNDA.

Nonnullæ difficultates in oppoſitum obiectæ, & ſolutæ.

17 OBIICIES Contra ea, quæ hactenus diximus. Synodus V. Generalis, id eſt, Conſtantinop. II. collat. 6. longè poſt medium, non ſolùm approbat Epiſtolam illam Synodicam S. Cyrilli ſupra memoratam, in qua docet, Spiritum S. procedere à Filio, ſicut à Patre; ſed etiam refert illius exemplar. Ergo videtur totam illam probare quoad omnia & ſingula in ea contenta. Deinde verò Canone XII. anathematizat defendẽtes ea, quæ Theodoretus Cyri Epiſcopus ſcripſit contra duodecim Capitula eiuſdem Cyrilli; contenta in eádem Epiſtola. Inter ea verò, quæ Theodoretus ſcripſit cõtra Capitula Cyrilli, habetur proceſsio Spiritus S. ex ſolo Patre. Nimirum, Cyrillus Anathem. nono Spiritum S. dixerat ἴδιον τοῦ υἱοῦ πνεῦμα, id eſt, *proprium Filij Spiritum.* Theodoretus verò ſic in oppoſitum ſcripſit: * Proprium Spiritũ Filij, ſiquidem vt eiuſdem naturæ, & à Patre procedentem dixit (Cyrillus) ſimul & nos cõfitemur; & vt piam vocem amplexamur. Si verò tanquam ex Filio, vel per Filium ſuam habere eſſentiam dicit; vt blaſphemiam hanc, & ſicut impiam abiicimus. * Ergo Synodus illa Generalis anathematizat defendentes proceſſionem Spiritus S. ex ſolo Patre: atque adeò definit; virtute ſaltem, aut æquivalenter, proceſsionem illius pariter à Filio. Ita poſſet quiſquam arguere ex Ruiz diſput. 67. ſect. 4. num. 4.

18 Reſp. Epiſtolam illam S. Cyrilli referri eo loco à V. Synodo Generali, & pro-

probari quidem quoad omnia ea, quæ iuxtà illam controverſa & definita ſunt in Synodo III. Generali, id eſt, Epheſina, adverſus Neſtorium: id eſt, quoad duodecim Capitula eiuſdem Cyrilli, quæ ſingillatim exprimuntur ad finem eiuſdem Epiſtolæ. In his verò ne verbū quidem habetur circa proceſsionem Spiritûs ſancti; nec in aliquo eorum Conciliorum vlla de hoc diſputatio fuit; quamvis alioqui Neſtorius, & cum ipſo Theodoretus, errarent negantes, Spiritum ſanctum ex Filio procedere. Quare approbatio eiuſdem Epiſtolæ non videtur cadere ſingillatim, ac per modum Catholicæ definitionis, ſupra particulam illam, in qua obiter indicat Cyrillus, Spiritum S. etiam ex Filio procedere.

19 Dixi *indicat*, nam, vt ſuprà monui num. 14 in exemplaribus Græcis eius Epiſtolæ non dicitur Spiritus ſanctus ex Filio *procedere*, ſed *effundi*. Immò & loco ipſo Quintæ Synodi allegato in obiectione, id eſt, Collatione ſexta longè poſt medium pag. 271. column. 2. editionis Binij ita habetur Latinè: *Et effunditur ab eo, ſicut & ex Deo & Patre.* Verbum autem προχεῖται, ſive *effunditur*, poteſt congruenter accipi de miſsione ad creaturas: vt ex plurimis locis Scripturæ conſtat, in quibus dicitur Deus effundere ad homines Spiritum ſuum. Quare adhuc ex his Epiſtolæ verbis non evincitur manifeſtè ἐκπόρευσις, ſeu proceſsio ad intra Spiritus ſancti à Filio, quamtumvis apertè Cyrillus eam tradiderit alijs locis, quod non nego; immo quamvis illa apertè ex varijs teſtimonijs Scripturæ colligatur.

20 Quin & Collatione eâdem ſexta ſex columnis ante finem, id eſt, pag. 276. in Symbolo 40. Patrum, quo eadem V. Synodus exprimit formulam credendi, ſolum dicitur: *Et in Spiritum S. Dominum, & viuificatorem, EX PATRE PROCEDENTEM.* Si autem in ea Synodo, vel alia ex Generalibus præcedentibus, fuiſſet definita proceſsio Spiritus ſancti ex Filio; profectò id quoque fuiſſet expreſſum in eodem Symbolo Fidei. Quæ ratio videtur pariter evincere, in nullo Concilio Generali ſaltem vſque ad Duodecimum, id eſt, Lateranenſe IV. vel Quartū-decimum, id eſt, Lugdunenſe II. fuiſſe id definitum: quoniam in nullo ex ijs adhibita eſt in Symbolo particula *Filioque*, ſeu formula proceſsionis ex Filio. Denique multi exiſtimant S. Ioannem Damaſcenum apertè illam negâſſe: cùm tamen ipſe ſcripſerit longè poſt V. immo & VI. Synodum Generalem, cùm palam vtramque alleget. Non ergo tempore illarum fuit definita aut fuerat in Cōcilio aliquo Generali proceſsio Spiritus ſancti ex Filio. Alioqui Damaſcenus in apertam hæreſim incidiſſet, quod de tam ſublimi & ſancto Doctore dicere aut putare impium eſt.

21 Non itaque in aliqua ex ſex primis Synodis Generalibus definita fuit ab Eccleſia proceſsio Spiritus ſancti ex Filio. Iam verò quod in obiectione additur ex eodem Cyrillo his verbis Spiritum appellante *proprium Filij*, non ſatis, aut ſaltem non omnino evidenter probat, ibidem tradi proceſsionem à Filio, vt patet ex ipſa interpretatione Theodoreti. Quàvis verò damnentur ab Eccleſia quæ hic ſcripſit contra duodecim Capitula Cyrilli, nihil inde convincitur, cùm in ijs non habeatur verbum vllum de proceſsione. Immò licèt quis contendat, damnari quæ ille ſcripſit contra Anathematiſmos Cyrilli, ac proinde verba præiacta, reſponderi poteſt, illa damnari propter cenſuram & impietatem, quâ loquitur contra verba illa Cyrilli in ea parte.

22 Iam quod in obiectione additur de anathemate indicto defendentibus doctrinam Theodoreti contra Capitula Cyrilli, pariter intelligitur quoad ea omnia & ſola, quæ damnata fuerunt in Synodo Epheſina, & reiecta in ijs Capitulis. Porrò verba ipſa Canonis XII. habentur in Fragmentis V. Synodi pagina 557. apud Binium: Græcè quidem: εἴτις ἀντιποιεῖται τῶ συγγραμμάτων Θεοδωρήτου, &c. Latinè autem: *Si quis defendit conſcripta Theodoreti, quæ expoſuit pro Neſtorio hæretico aduerſus rectam fidem, & Epheſinam primam S. Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim eius Capitula, in quibus ſceleratis conſcriptis idem Theodoretus effectualem dicit vnitatem Dei Verbi ad hominem quendam, de quo blaſfemans dixit, quod palpavit Thomas eū, qui reſurrexit, & adoravit eum qui reſuſcitavit, & propter hoc impios vocat Doctores Eccleſiæ, qui vnitatem ſecundùm ſubſiſtentiā Dei Verbi ad carnem confitentur, & ſuper hæc Dei genitricem abnegat ſanctam & glorioſam ſemper Virginem Mariam: Si quis igitur memorata cōſcripta Theodoreti defendit, & non anathematizat ea, talis anathema ſit. Propter tales enim blaſphemias ab Epiſcopatu deiectus eſt, & poſtea in ſancto Chalcedonenſi Cōcilio compulſus eſt omnia contraria memoratis ſuis conſcriptis facere, & rectam fidem confiteri.* Hactenus ibi.

23 Ex quibus conſtat, ſcripta Theodoreti nominatim iuſta fuiſſe à Concilio, quatenus contraria erant rectæ Fidei in Synodo Epheſina traditæ à ſancto Cyrillo in duodecim Capitulis, ſeu Anathematiſmis adverſus Neſtorium. Summa verò eiuſdē doctrinæ in ipſa Synodo & Anathematiſmis

traditæ ad hoc reducitur, vt vnica perſona Chriſti, eaque diuina aſſeratur, in duplici natura ſubſiſtens, & proinde Virgo Maria verè Deipara cenſeatur dicaturque: non autem ad hoc, vt Spiritus S. credatur à Filio procedere. De hoc enim ne verbum quidem legitur tractatum, multò autem minùs definitum, vel in Synodo Epheſina, vel in Anathematiſmis. Nō ergo in eo canone damnantur ſcripta Theodoreti quoad hanc poſteriorem partem, ſed quoad illam priorem, de qua fuit tota diſceptatio in Epheſina Synodo, & cuius mentio expreſſa fit in prædicto canone. Præterea, idem Theodoretus licet initio fuiſſet fautor Neſtorij, & propterea peſſimè audiſſet in Eccleſia; poſtea illum ex animo ſententia damnavit, & cum S. Cyrillo in pacem redijt, ab omnique hæreſeos ſuſpicione ſeſe liberavit, & in Concilio Chalcedonenſi cauſam Fidei Catholicæ ſtrenuè egit. Quare ibidem anathema dixit Neſtorio, & propterea Sedi ac Dignitati ſuæ reſtitutus fuit, non ſine elogijs ſui nominis apud Patres. Et tamen non retractavit vnquā opinionem illam ſuam de proceſsione Spiritus S. à ſolo Patre, quam tradiderat palam in ſcriptis ſuis cōtra Anathematiſmos S. Cyrilli. De quo vide ſuprà apud Chriſtianum Lupum in Scholijs ad Canones Quintæ Synodi Generalis, præſertim pag. 785 Tomo I. Non ergo tempore Concilij Epheſini, immo nec Chalcedonenſis, cenſebatur hæretica opinio tradens proceſsionem Spiritus ſancti à ſolo Patre. Alioqui ſicut Theodoretus in Synodo Generali Chalcedonenſi iuſſus fuit abiurare hæreſim Neſtorij, cui antea ſuffragium tulerat; ita etiam compulſus fuiſſet opinionem illam de proceſsione Spiritus ſancti palam corrigere.

24 Inſtabis: quia ſaltem Agatho Papa in Epiſt. 2. quæ etiam eſt Romanæ Synodi (habeturque in VI. Synodo Generali Act. 4.) columna 2. eiuſdem Epiſtolæ inquit de Spiritu ſancto: *Ex Patre Filioque procedit*. Ergo ſaltem tunc fuit ea veritas definita. Reſp. negando aſſumptum: quia in ea Epiſtola, ſaltem prout extat in exemplaribus, quibus omnes vtimur, non ita habetur, prout videre eſt in editione ipſius Sextæ Synodi apud Binium p. 62. vbi exhibetur ab Agathone Symbolum, ſeu formula credendi in Spiritum ſanctum, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, id eſt, *ex Patre procedentem*. neque quidquam ampliùs. Quod verò Iulianus Cardinalis in ea diſputatione, quam habuit cum Græcis in Concilio Florentino, conqueſtus ſit, locum illum ab his depravatum fuiſſe; non facit certam fidem, ſed rem incertam relinquit. Videturque potiùs ſtandum eſſe exemplaribus, tum Latinis, tum Græcis, eius Epiſtolæ, quæ teruntur omnium manibus, & nihil ampliùs, quàm diximus, vel Græcè, vel Latinè habent.

SECTIO TERTIA.

In quonam ex Concilijs Provincialibus, ſeu Nationalibus, primum definita fuerit proceſsio Spiritus ſancti ex Filio, an è tempus S. Anſelmi. Vbi plura obſervatu digna.

25 OSTENSO iam in præcedentibus, nullum Generale Concilium ante Latranenſe ſub Innocentio III. definiſſe proceſsionem Spiritûs ſancti ex Filio, inquiramus oportet, in quonam Concilio Provinciali primùm ea fuerit definita. Eruditiſsimus Ruiz de Montoya d. 67. de Trinit ſect. 4. n. 4. cenſet illud fuiſſe Alexandrinum, cui præfuit S. Cyrillus: qui ſimul cum Patribus ibidem congregatis ſcripſit Epiſtolam illam ſæpe in ſuperioribus memoratam, & in ea palam profitetur proceſsionem Spiritus ſancti à Patre, ſicut à Filio. Verùm hæc Ruizij coniectura infirma eſt: vt oſtendimus ſuprà num. 14. & 23. cùm iuxta exemplaria Græca, quibus vtimur, quæque omnium manibus teruntur ex editione Binij, non dicatur ibidem Spiritus S. *procedere* ex Filio, ſed *effundi* ab illo, ſicut à Patre. Hoc enim ſignificatur in Græco per verbū illud προχεῖσθαι. Effuſionē autem Spiritus S. in ſacris litteris ſæpe accipi de miſsione illius ad creaturas, potiùs quàm de proceſsione ad intra, iā ante monuimus, & cuilibet Theologo cōpertum eſt.

27 Quare aliter dicendum eſt, primum Concilium Provinciale, in quo definita vnquam eſt proceſsio Spiritûs ſancti ex Filio, ſicut ex Patre, fuiſſe Toletanum I. Epiſcoporum XIX. Era 438. temporibus S. Leonis Papæ, imperantibus Arcadio & Honorio, Stilicone Conſule. Ita habetur in editione Loayſæ: verùm Eram credo accipiendam eſſe ibidem pro anno eodem Chriſti 438. quo regebat Eccleſiam Leo, & Arcadius Orienti imperabat, quamvis alioqui in Concilijs ipſis Toletanis ſequentibus Era Cæſaris intelligatur, triginta octo annis anterior. Ibidem ergo in Conſtitutione, ſeu Regula Fidei Catholicæ contra omnes hæreſes (quæ habetur in editione eiuſdem eruditiſsimi Archiepiſcopi Loayſæ pag. 45.) dicitur Spiritus S. *A PATRE FILIOQVE PROCEDENS*. Si autem divinare fas eſt, quam ob cauſam prima omnium ea Toletana Synodus proceſsionem Spiritus S. ex Filio publicè teſtata ſit, & abſque exemplo in alijs Synodis præcedentibus,

tum

tum Provincialibus, tum Generalibus; Reſpondeo id fortè factum fuiſſe, quoniam SS. Patres Græci ac Latini, tam qui paulo antè præceſſerant, quàm Leo Papa, qui tunc Eccleſiam regebat, conſtãter id ipſum tradiderunt: nominatim vero ipſe Leo in Epiſtola ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum cap. 1. ait de Spiritu ſancto: *Ex vtroque proceſsit.* De quo plura in Scholijs ad Opuſculum Anſelmi de Proceſsione infrà, Diſp. ſeq.

28 Id ipſum poſtea confirmatum fuit in Concilio III. Toletano LXII. Epiſcoporum, ſub Gelaſio II. Papa, anno quarto Reccaredi Regis, Era DC.XXVII. pręſentibus inter alios Antiſtites Hiſpaniæ Galliæque, S. Euphemio Toletano Archiepiſcopo, & S. Leandro Hiſpalenſi. Ibidem nanque in Confeſsione Fidei (quæ habetur apud Loayſam pag. 203.) Patres proferunt Symbolum Cõſtantinopolitanum CL. Patrum, & teſtantur ſe credere in Spiritum ſanctum, *EX PATRE FILIOQVE PROCEDENTEM.* Deinde in alia Fidei Confeſsione ab Epiſcopis, Præsbyteris, & præcipuis Gothorum edita, inter alia anathemata, hoc indicitur pag. 207. *Quicumque Spiritum ſanctum nõ credit, aut non crediderit, a Patre & Filio pro edere*, &c. *anathema ſit.* Mirabile profectò vtrumque eo tempore, ſi res non fuerat ab Eccleſia definita. Mirabilius tamen quòd ipſi Conſtantinopolitano Symbolo ij ſancti Patres addiderint particulam *FILIOQVE* quod nunquam, nuſquam euſque factũ alibi, oſtendemus in progreſſu.

29 Deinde eadẽ doctrina tradita fuit in Concilio Toletano IV. Epiſcoporũ LXII. Hiſpaniæ & Galliæ, Era DC.LXXI. regnante Siſenando, circa tẽpora Honorij I. vbi Patres congregati, titulo ſeu cap. 1. cui epigrapha. *De evidente Catholicæ Fidei veritate*, pag. 331. apud Loayſam aiunt: *Spiritum ſanctũ verò, nec creatum, nec genitum, SED PROCEDENTEM EX PATRE ET FILIO profitemur.* Similiter in Concilio VI. Epiſcoporũ XLVIII. regnante in Hiſpanis Cinthilano, Era DC.LXXVI. tit. 1. inſcripto, *De plenitudine Fidei Catholicæ*, Patres ſe credere profitẽtur in Spiritum ſanctum, *DE PATRE FILIOQVE PROCEDENTEM.* Extat apud Loayſam pag. 385. Similiter in Concilio VIII. Epiſcoporum LII. regnante Receſuinto, Era DC.XCI. circa tempora Martini Papæ, poſt profeſsionem Fidei à Rege ipſo editã & ſubſcriptam, Patres congregati, tit. 1. proferunt Symbolum Conſtantinopolitanum, atque in eo Spiritum ſanctum exprimunt, *EX PATRE ET FILIO PROCEDENTEM*, vt eſt apud Loayſam pag. 422. Denique in Concilio Toletano XI. Epiſcoporum XVII. anno quarto Regis Vvambæ, Era DCC. XIII. circa tempora Adeodati Papæ, in ipſa Fidei Profeſsione columna quarta, pag. apud Loayſam 544. diciłur de Spiritu ſancto, inter alia: *Nec Patris tantùm, nec Filij tantùm, ſed ſimul Patris & Filij Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam: SED SIMVL AB VTRISQVE PROCESSISSE MONSTRATVR, quia charitas, ſive ſanctitas amborum agnoſcitur.*

30 Notandum verò eſt, omnia prędicta Concilia Toletana præceſsiſſe tempore VI. Synodum Generalem. Hæc enim coacta fuit ſub S. Agathone Papa, Imperante Cõſtantino Pogonato, anno Chriſti DCLXXX. Ex Concilijs verò Toletanis hactenus memoratis Primum fuit celebratum aliquibus retrò ſæculis, & Vndecimum quibuſdam antè annis. nimirum, anno Chriſti DC. LXXV. cui reſpõdet Era DC.XIII. Ingentis autem gloriæ eſt Eccleſijs Hiſpaniæ, ac præſertim Toletanæ reliquarum Primati, quòd in ea primùm definita inveniatur proceſsio Spiritus ſancti ſimul ex Patre & Filio. Conſtat enim ex dictis ſect. 2. & 3. in nulla ex ſex primis Synodis Generalibus ſaltem, fuiſſe id definitum: immo neque in alijs quinque poſterioribus: cum iam ab ipſo tempore S. Leonis Papæ, quo coacta eſt Synodus IV. Generalis, id eſt, Calchedonenſis, id inveniatur definitum à Concilio Toletano I.

31 Dices: Ergo temerè & inconſultò ſe geſſerunt Patres Concilij Toletani, & quorumdam ſequentium: ſiquidem auſi ſunt in Profeſsione Fidei exprimere proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quam nondum Eccleſia Catholica definierat in aliquo Concilio Generali, vt ſuprà diximus. Reſpond. negando aſſumptum ex duplici capite. Primò: quoniam proceſsio Spiritus ſancti, ex Filio adeò apertè colligitur ex locis Scripturæ, præſertim adiuncta interpretatione omnium Patrum & DD. Eccleſiæ, quotquot ferè vſque ad id tempus ſcripſerant, vt viſum fuerit Toletanæ Synodo id eſſe fide divina certum. Secundò: quoniam putari debet, id minimè factum ſine conſenſu tacitò aut expreſſo Summorum Pontificum, qui nullum abſurdum ſequi putarunt ex eo, quòd id pro Regnis & Eccleſijs Hiſpaniæ decerneretur in Synodo Nationali aut Provinciali, preſertim contra Arianos tunc potiſsimùm in Hiſpania graſſantes. Quod tamen tunc fortè non viſum eſt conveniens definire in aliquo Generali Concilio, ſive aliàs pro tota Eccleſia. Sic certè in multis Eccleſijs, Academijs, Civitatibuſ-

que, ſanctè proponitur aut iuratur profeſsio alicuius doctrinæ nondum ab Eccleſia definitæ: v.g. Conceptionis Deiparæ abſque nævo originalis peccati: idque ipſo Summo Pontifice ſciente, & approbante, nihil tamen è cathedra definiente.

32 Verum quidem eſt, in alijs quoque Synodis Provincialibus, aut Nationalibus, eandem doctrinam fuiſſe traditam priuſquam ab Eccleſia Catholica in aliquo Concilio Generali, ſive Oecumenico definiretur. Cæterùm eæ Synodi fuere poſteriores Toletanis, & ſaltem longè poſt primam num. 27. memoratam. Talis fuit Synodus Herfeldenſis allegata à noſtro Venerabili Beda lib. 4. Hiſtoriæ Anglianæ cap. 17. & coacta anno DC. L. in qua definitum fuit, *Spiritum ſanctum à Patre, & Filio* procedere. Nimirum ducentis circiter annis illam præceſsit Conciliũ Toletanum I. Talis etiam Synodus Aquiſgrani coacta à Corolo Magno, vt eadem doctrina definiretur circa annum DCCC. VIII. prout refert Ammonius lib. 4. de Geſtis Francor. c. 95. Sed hæc quatuor circiter ſæculis poſt Primam illam Toletanam celebrata fuit. Poſterior adhuc Aquiſgranenſi fuit Vvormatienſis circa annum DCCC. LVIII. in qua Patres eandem doctrinam profitentur. Quando autẽ primùm Romani Pontifices ex cathedra definierint proceſsionem Spiritus S. ex Filio, & quando Romana Eccleſia cœperit in Symbolo Conſtantinopolitano addere ſolemniter particulam *FILIOQVE*; examinabimus in progreſſu.

SECTIO QVARTA.

Opinionem illam Græcorum fuiſſe diſcuſſam in Concilio Barenſi, & erroris convictam ab Anſelmo. Eius victoria & triumphus inſignis coram Romano Pontifice, & reliquis Patribus congregatis.

33 ITAQVE Poſt omnes eas Synodos, tum Generales, tum Provinciales, tũ Nationales, fuit congregatum Conciliũ Bari in Apulia ab Vrbano II. Papa anno M. XCVIII. contra Græcos, præſente eodem Sũmo Pontifice, ac B. Anſelmo: qui, iubente ipſo coràm cum ijs diſputavit, ea ſapientia, eruditione, & ſpiritu, vt omnium Patrum adſtantum iudicio actum penitus fuerit de opinione, qua ij Spiritum ſanctum ex Filio procedere negabant.

34 Quamvis verò in ea Synodo ipſe Romanus Pontifex præſens fuerit, illaque ipſius iuſſu coacta ſit, non cenſetur inter Cõcilia Generalia, aut Oecumenica. Quin nec illius Acta extant authenticè; ſed ſola Hiſtoricorum fide conſtant, præſertim Eadmeri, convictoris S. Anſelmi, & ſimul ſcriptoris vitæ ipſius, qui adfuit eidem Concilio, & veluti oculatus teſtis refert quæ ibidem geſta ſunt; præſertim in Hiſtoria Novorum nuperrimè à Gabriele Gerberone edita lib. 2. quod opus hucuſque ferè ignotum, & recèns inventum in Gallijs, vtinã vidiſſet Baronius Tom. XI. ad annum Chriſti M.XCVII. ſic enim maiorem præſtitiſſet fidem Vvillelmo Malmesburienſi lib. 1. de Geſt. Angl. Pontific. cui conſentit Oderic. Vital. lib. 10. Hiſtoriæ ad an. 1098. & Vvillelmus Gemmeticenſis lib. 6. Hiſtoriæ Normannorum, quos noviter ſequutus fuit Theophilus Raynaudus Tomo XI. in Syntaxi pag. 7. etiam priuſquam Hiſtoria Novorum prædicta è tineis, & blattis veterum bibliothecarum in lucẽ eruta à Gerberone fuiſſet anno MDCLXXV. Cùm verò pauca admodum exemplaria illius ad Hiſpaniam allata fuerint, placet hoc loco exſcribere verba ipſa Eadmeri, individui comitis S. Anſelmi, & oculati teſtis eorum, quæ in ipſo Concilio Barenſi gerebantur. Sic ergo loquitur ille, citato libro ſecundo Hiſtoriæ Novorum columna 19. pag. 53. editionis Pariſienſis.

35 Inſtante autem termino Conci-
„ lij, ad Apoſtolicum reverſus eſt (nimirum,
„ redijt Anſelmus ad inviſendum Vrbanum
„ II. Papam) & cum eo Barum vſque profe-
„ ctus. In ipſo verò Concilio, dum plurima
„ de fide Catholica Summus Pontifex, facun-
„ dà ratione, rationabilique facundiâ diſſe-
„ ruiſſet; mota eſt quædam quæſtio ex parte
„ Græcorum, Evangelicâ auctoritate probare
„ volentium, *Spiritum ſanctum proceſsio-*
„ *nem non habere; niſi tantùm à Patre.*
„ Huic errori tum multis argumentis, tum
„ plurimis rationibus Papa contraire niſus,
„ inter alia quiddam de Epiſtola ſibi olim
„ ab Anſelmo, *de Incarnatione Verbi*, editâ,
„ & directâ, exempli gratia, intulit, quod
„ ſuæ diſputationi non parùm claritatis, ac
„ firmitudinis attulit.

36 Verùm cùm nonnulla obijce-
„ rentur, & redditæ rationes, quemadmodum
„ inſtabilibus mos eſt, diſquiſitæ enucleatiùs
„ exponi peterentur, imperatum ſilentium
„ primus ipſe Pontifex rupit altâ voce di-
„ cens: *PATER ET MAGISTER AN-*
„ *SELME, ANGLORVM ARCHIE-*
„ *PISCOPE, VBI ES?* Sedebat enim idem
„ Pater in ordine cæterorũ inter primos Cõ-
„ cilij Patres, & ego ad pedes eius. Vbi ergo
„ ſe requiri audivit, ſurrexit continuò, & reſ-
„ põdit: *Dñe Pater, quid præcipitis? Ecce me*

At

„ *At ille. Quid quæſo facis? Cur in aliorum*
„ *ſilentio degis? Veni, veni, obſecro; aſcen-*
„ *denque ad nos, & pugnans pro Matre*
„ *tua, & noſtra; adiuva nos, cui ſuam in-*
„ *tegritatem vides Græcos iſtos conari adi-*
„ *mere; & nos in id ipſum nefas, ſi facul-*
„ *tas eis tribuitur, præcipitare. Succurre*
„ *igitur quaſi verè pro hoc miſſus à Deo*
„ *huc.*

37 Videres itaque circa ſolium Pa-
„ pæ quoſque perſtrepere, ſedes mutare, locum
„ ſedendi viro parare, & ſic demum honorifi-
„ cè levatum ad ſe prope Papam collocare
„ Concilio ſtupente ad hæc, & percunctante
„ quis eſſet, aut vnde. Tum compreſſo tumul-
„ tu, omnibus in communi viri ſanctitatem,
„ atque induſtriam Papa expoſuit; & quia
„ propter iuſtitiam multas perſecutiones paſ-
„ ſus, atque iniuriâ de ſua ſit terra expulſus,
„ reverendâ voce innotuit.

38 Cùm igitur ad imperium eius
„ Anſelmus præſtò eſſet, moræ quæſtioni mox
„ reſponderet; viſum nonnullis eſt melius for-
„ te in craſtinum rem differri, quo liberiori-
„ bus animis dicenda expeditiùs proponeren-
„ tur. In craſtino itaque maturiùs conventu
„ diſpoſito, Anſelmus ex condicto debitum
„ ſolvere poſtulatus eſt. Surrexit ergo, & co-
„ ram vniverſis in editu ſtans, ſic de negotio,
„ REGENTE COR EIVS ET LINGVAM
„ SPIRITV SANCTO, tractavit, diſſeruit,
„ abſolvit, vt in ipſo Conventu nemo exiſte-
„ ret qui non inde ſibi ſatisfactum cõſentiret.

39 Sed quibus hoc argumentis, qui-
„ bus rationibus, quibuſve divinæ Scripturæ
„ auctoritatibus, & exemplis egerit, ſcribere
„ ſuperſedemus; eo quòd ipſemet Anſelmus
„ poſtmodum inde diligentiùs, atque ſubti-
„ liùs tractans, egregium Opus ſcripſit; idque
„ per multa terrarum loca, vbi eiuſdem erro-
„ ris fama pervenit, ab amicis ſuis rogatus di-
„ rexit. Ergo vbi finem dicendi fecit, inten-
„ dens in eum Summus Pontifex, ait. BENE-
„ DICTVM SIT COR, ET SENSVS
„ TVVS; ET OS ET SERMO ORIS TVI
„ SIT BENEDICTVS. Hinc in laude viri
„ demoratum eſt, & fides eius, atque pruden-
„ tia divulgata, ac magnificata; necnon eorum
„ perfidia, ſi qui forent, qui ea quæ de propo-
„ ſita quæſtione docuit, ſuſcipere, & credere
„ nolent, exprobrata ac perpetuò anathemate
„ percuſſa, atque proſtrata.

40 Huc uſque Eadmerus, cui per omnia conſonant alij Hiſtorici num. 34 laudati. Addit Gervaſius Dorovernenſis allegatus à Balluzio in Epiſtolam 81. Servati Lupi, hæc verba de Anſelmo: *Hic in Cantuarienſi ciuitate conſecratus ab Vrbano II. Papa pallium ſuſcepit; & tantam eius gratiam habuit, vt eum ALTERIVS ORBIS PAPAM vocaret.* Itaque curante & hortante Anſelmo coram Vrbano II. error ille Græcorum iuſtus fuit perpetuo anathemate in eo Concilio Provinciali, ſeu Nationali, à Romano Pontifice. Cùm verò iam diu apud me receperim, omnia Opuſcula Didactica S. Anſelmi Commentarijs explanare; nullus locus viſus fuit opportunior, quàm præſens, ad ipſam diſputationem contra Græcos exhibendam, & Scholijs exornandam. Cumque ille verſetur in tuenda veritate proceſsionis Spiritus ſancti ex Filio, nondum eouſque definita in aliquo Generali Concilio (vti latè oſtẽſum relinquimus) ſed ſolùm à Sede Apoſtolica; conſequens eſt, vt ne in hac quidem controverſia recedamus à ſcopo Operi præfixo, in quo Cathedræ S. Petri auctoritatem ſummam & prorſus infallibilem aſſerere conamur, independenter à Concilio Oecumenico, vel conſenſu Eccleſiæ accedente.

DISPVTATIO XLIII.

IDEST, VNICA DISSERTATIO S. ANSELMI CONTRA GRÆCOS, DE PROCESSIONE SPIRITVS S. EX PATRE, ET FILIO, NONDVM EOVSQVE DEFINITA IN ALIQVO GENERALI CONCILIO; NVNC COMMENTARIIS ILLVSTRATA.

PROLOGVS S. ANSELMI.

NEGATVR à Græcis quòd Spiritus S. de Filio procedat, ſicut nos Latini confitemur. Nec recipiunt Doctores noſtros Latinos, quos in hoc ſequimur. Qui, quoniam Evangelia nobiſcum venerantur, & in alijs de Trino, & Vno Deo credunt hoc ipſum per omnia, quod nos, qui de eadem re certi ſumus; ſpero per auxilium

eiuſ-

eiuſdem Spiritus S. quia ſi malunt ſolidæ veritati acquieſcere, quàm pro inani victoria contendere, per hoc quòd abſque ambiguitate confitentur, ad hoc, quod non recipiunt, rationabiliter duci poſſunt. Quamvis igitur multi ſint, qui hoc meliùs me poſſunt efficere; tamen quoniam mihi à pluribus hoc iniungitur, quorum petitioni, tum pro debito veritatis amore, tum pro eorum charitate, & religioſa voluntate, non audeo reſiſtere; invoco eundem Spiritum S. vt ad hoc me dignetur dirigere. Hac itaque ſpe, pro meæ ſcientiæ humilitate, ſcientioribus altiora relinquens, quod poſtulant aggrediar: & Græcorum fide, atque ijs, quæ credunt indubitanter, & confidenter, pro certiſsimis argumentis ad probandum, quod non credunt, vtar.

SCHOLIA IN PROLOGVM.

Quinam ex Græcis negaverint proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio? Porrò omnes ferè Patres Græcos illam tradidiſſe, ſimiliter & Latinos. Excurritur per varia illorum loca, præſertim Damaſceni. Quiſnam fuerit primus author contrarij erroris, eiuſque progreſſus vſque ad tempus S. Anſelmi. Eius diſputatio in Concilio Barenſi, & victoria ex Græcis reportata: ſummus quoque ipſius apud Pontificem, & Romanos honor.

1 *NEGATVR A GRÆCIS QVOD SPIRITVS SANCTVS A FILIO PROCEDAT, &c.* Ex primis hiſce verbis S. Anſelmi conſtat, ſuo ipſius tempore popularem & communem Græcorum opinionem fuiſſe, quòd Spiritus ſanctus non procedat ex Filio: immò & conqueſtos fuiſſe quòd Latini ſymbolo fidei addidiſſent particulam *Filioque*: vt idem refert poſteà cap. 5. Loquitur itaque Anſelmus de Græcis ſui temporis: non autem de ijs, qui pluribus retrò ſæculis præceſſerant. Quippe omnes, aut ferè omnes Græci Patres, proindeque & populi ipſorum curæ commiſſi, proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre Filioque tradiderant luculentis teſtimonijs: quorum aliqua ſeligere & in medium afferre placet: vt Græculi, quotcumque etiam poſt definitionem Concilij Florentini in hac re deſipiunt, nullam ſui erroris excuſationem poſſint obtendere.

3 Primum teſtimonium eſt S. Cyrilli lib. trigeſimo quarto Theſauri in eo capite, cui epigrapham poſuit, ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, τὸ ἅγιον. id eſt: *Quod ex ſubſtantia Patris & Filij ſit Spiritus S.* Sufficiebat autem eã vnã inſcriptio capitis vt conſtaret de mente Cyrili apertiſsimè. Verùm poſtea in capitis progreſſu, inter plura alia, ait: *Cùm ergo Spiritus S. in nobis exiſtens conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre & Filio; perſpicuum eſt diuinæ ipſum eſſe ſubſtantiæ, ſubſtantialiter in ipſa & ex ipſa procedentem: quemadmodum vtique flatus ille, qui ex ore hominis excurrit.* Vbi, vt omnem interpretationem excludat, non ſolùm ait, Spiritum S. procedere ex Patre & Filio, ſed οὐσιωδῶς, *ſubſtantialiter.* Quin & poſtea in alio eiuſdem libri capite perſpicuè probat Spiritum S. eſſe Deum, & non creaturã, quia procedit è ſubſtantia Filij, idque naturaliter. Ἀνάγκη τὸ πνεῦμα τῆς οὐσίας ὁμολογεῖν τοῦ υἱοῦ, &c. *Neceſſe eſt fateri Spiritum è ſubſtantia eſſe Filij. Nam vt ex ipſo naturaliter exiſtens, & in creaturam ab ipſo miſſus, renovationem efficit: complementum nempe S. Trinitatis. Quod ſi ita eſt, Deus ergo & ex Deo eſt Spiritus, & non creatura.* Idem docet Dialogo VI. & VII. & X. de Triniſtate, & lib. de Recta Fide ad Reginas, qui eſt inter Acta Concilij Epheſini: ac præterea luculentiſsimè lib. X. Comment. in Ioannem, præſertim verbis illis à Georgio Pachymere obſervatis lib. VII. Hiſtoriæ, τὸ πνεῦμα ἐξ ἀμφοῖν οὐσιωδῶς ὑπάρχειν, *Spiritum ex ambobus eſſentialiter eſſe.* Ac denique in Declaratione Anathematiſmi ſui noni, prout habetur in Actis Concilij Epheſini Tomo, ſeu Parte V. iuxta verſionem Peltani, inquit de Verbo incarnato: *SPIRITVM S. QVI EX IPSO EST, ipſique eſſentialiter ineſt, tanquam proprium peculium poſsidens, diuinæ potentiæ ſigna operabatur.* quamvis alij aliter vertant ex Græco, in quo eſt verbum προχεῖται, vt monuimus Diſp. XLII.

Se-

4 Secundò S. Epiphanius apertè eandem doctrinam tradit in Ancorato N. 8. vbi ait, Spiritum S. eſſe ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, *ex Patre & Filio*. Et N. 67. ac 71. ſemel & iterum inquit, Spiritum S. eſſe παρ᾽ ἀμφοτέρων, *ab ambobus*. Præterea Hæreſi LXXIV. vbi adverſus Pneumatomachos diſſerit, ſæpe eandem doctrinam tradit, præſertim N. 7. vbi ait: *Porro Spiritus S. ex ambobus: Spiritus è Spiritu. Deus enim Spiritus eſt.* Præmiſſerat verò Hæreſi LXII. adverſus Sabellianos: *Non alienus eſt à Patre & Filio: ſed ex eadem ſubſtantia, ex eadem divinitate, EX PATRE ET FILIO, cum Patre & Filio, ſubſiſtens ſemper Spiritus.* Mitto alia eiuſdem loca, quæ nullam interpretationem admittunt. Eiuſdem omninò ſententiæ eſt Nazianzenus Orat. 49. prope finem: vbi de Chriſto D. inquit: *Miſsit nobis Spiritum S. DE PROPRIA SVA, EX VNA EADEMQVE SVBSTANTIA.* Et paucis interiectis: *Ipſe Dominus Saluator noſter, DE MEO, inquit, ACCIPIET: ex eo vtique, quod eſt Filius: quia & Filius de eo quod Pater eſt.*

5 Tertiò S. Gregorius Nyſſæ Antiſtes varijs locis doctrinam eandem tradit: præſertim verò in calce lib. I. adverſus Eunomium ſeorſim editi à Iacobo Gretſero: vbi diſſerens de perſonarum ordine ac diſtinctione in divinis, ſolùm agnoſcit differentiã perſonarum propter originem vnius ab alia, veluti à principio aut cauſa. Verba ſunt: *Porrò idem nobis de Spiritu S. dicendum eſt, cuius in ſolo ordine differentia conſtituta eſt. Nam vt Patri coniunctus eſt Filius, & cùm ex illo eſſe habeat, non tamen poſterius exiſtit; ſic etiam Spiritus S. proximè hæret Filio; qui ſola cogitatione*, κατὰ τὸν αἰτίας λόγον, &c. *SECVNDVM RATIONEM CAVSAE, PRIVS CONSIDERATVR PRODVCTIONE SPIRITVS. Nam temporum intervalla in illa vita, quæ ſæculum omne præcedit, locum non habent: adeò, vt DETRACTA CAVSSAE* (ſive principij) *ratione, nulla re ſancta Trinitas à ſe ipſa diſsideat.* Vbi plura ſunt, in quibus planè docet, probatque Spiritum S. ex Filio procedere. Primò enim ait, Spiritum S. ſolo ordine differre à reliquis duabus perſonis: cum verò ordinem non eſſe alium, quàm originis. Secundò, Spiritum S. copulatum eſſe cum Filio: quoniam licèt habeat ab illo eſſe, non tamen poſteriùs illo exiſtit: ſicuti ob eandem rationem Filius copulatur cum Patre. Tertiò, Filium eſſe priorem Spiritu S. *ſecundùm rationem principij aut cauſæ*, quod eſſe non poſſet, niſi hic ab eo procederet. Quartò, ſublata ratione principij aut cauſæ, nullum eſſe locum differentiæ perſonarum in S. Trinitate. Vnde palam infertur, Spiritum S. procedere à Filio, ſiquidem ab eo re ipſa differt. Qui locus maximè notandus eſt, tum ad præſens inſtitutum: tum ad dirimendam illam controverſiam Theologorum, in qua quæritur, differretne Spiritus S. à Filio ſi non procederet ab eo. Gregorius enim iis verbis ſententiam negantem tradit & probat. Legendus præterea Epiſt. ad Ablabium quæ habetur Tomo II. vbi confirmat, nullam in perſonis divinis eſſe aliunde differentiam, quàm quòd altera ſit principium, altera ex principio. Cùm igitur perſonæ Filij & Spiritûs S. differant, neceſſum eſt, vt altera ſit alterius principium. At Spiritus ſanctus non eſt principium Filij. Ergo reſtat vt hic ſit principium, à quo procedat Spiritus S. Quo argumento vtitur latè Anſelmus infrà, & nos cùm ipſo latè illud proſecuti fuimus Tomo II. Diſp. XCIII. præſertim ſect. 3.

6 Quartò Didymus auctor trium illorum inſignium librorum de Spiritu S. quos D. Hieronymus Latinos fecit, in ſecundo eorum ſuffragatur eidem Catholicæ doctrinæ. Declarans enim verba illa Chriſti loquentis de Spiritu S. Ioannis 16. *Non enim loquetur à ſemetipſo*, hæc habet: *Hoc eſt, non ſine me, & Patris arbitrio: quia inſeparabilis à mea, & Patris eſt voluntate. Quia non ex ſe, ſed ex Patre, & ex me eſt. Hoc enim ipſum, quod ſubſiſtit, à Patre & me illi eſt.* Quid clariùs? Quare prætermitto reliqua eiuſdem teſtimonij verba, in quibus fusè eandem doctrinam confirmat.

7 Denique, ſufficiat indicare plurimorum aliorum è Græcis Patribus loca, in quibus planè traditur Spiritus S. ex Filio proceſsio, quemadmodum & ex Patre. Nimirum, id tradunt Philo Carpathius *in Commentario ad Canticum Canticorum*, Simeon Metaphraſtes *in Martyrio S. Dionyſij ſub initium*, Anaſtaſius Sinaita *lib. 1. de rectis dogmatibus*, Athanaſius *lib. de Humana natura ſuſcepta*, & in verbis illis Symboli ſui, *Spiritus S. à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Quod teſtimonium illuſtre Græculos in rabiem & furorem impulit: vt Gennadius lib. de Spiritu S. c. 1. refert ac deplorat, ſcribens circa annum Chriſti CDXC. Vide quæ diximus Tomo II. Diſp. XC. num. 25. circa ea Symboli verba. Id ipſum tradit Chryſoſtomus Tomo. VI. *Homilia quadam de Spiritu S.* cui initium: χθὲς ὑμῖν, ὦ φιλόχριστοι. S. Maximus *in Tractatu de Candelabro Zachariæ*

riæ

riæ Prophetæ. Mitto denique varia Baſilij Magni loca, quæ in Concilio Florẽtino magna contentione inter Latinos & Græcos agitata ſunt: aliorúmque plurium e Græcis Patribus teſtimonia adſtruentia proceſsionem Spiritûs S. ἐκ τῆς οὐσίας, *ex ſubſtantia* Filij: quæ omnia legi poſſunt apud Beſſarionem *lib. de Proceſſ. Spiritus S.* Manuelem Calecam *lib. de eadem re pro Latinis contra Græcos,* Demetrium Cydonem idem argumentum tractantem: & ex Recentioribus Latinis apud Bellarminum *Tomo I. lib. 2. de Chriſto c. 20. & ſeqq.* Petavium *lib. VII. de Trinit. cap. 3. & 4.* Lupum *in Synodum VIII. cap. 5.*

8 Itaque Græci illi, quibus S. Anſelmus contrarium errorem tribuit, pauci ex antiquis fuerunt. Primus omnium, qui negâſſe legitur proceſsionem Spiritûs S. ex Filio, exiſtimatur Theodoretus poſt Neſtorium, in Diſputatione quadam contra Cyrillum, & nonum illius Anathematiſmum. Deinde ſopita hac controverſia, idem error inſtauratus fuit tempore Iconoclaſtarum imperante Conſtantino Copronymo circa annum Chriſti DCCLXVII. quo tempore, vt inquit Ado in Chronico, *quæſtio ventilata eſt inter Græcos & Romanos de Trinitate: & vtrùm Spiritus S. ſicut procedit a Patre, ita etiã procedat a Filio.* Concilium verò ipſum in quo ea controverſia exagitata fuit, in villa Gentiliaco prope Luteriam Pariſiorum fuiſſe coactum, Regino auctor eſt. Poſtea anno DCCCIX. alia Synodus Aquiſgrani celebrata fuiſſe dicitur ob eandem controverſiam, quam denuò excitavit Ioannes quidam, quem ipſe Ado monachum Hieroſolymitanum appellat, Pithœus autem ſuſpicatur fuiſſe Damaſcenum illum ſanctitate & doctrina celebrem, qui communiter exiſtimatur Theodoreto ſubſcripſiſſe. Vnde & Beſſarion Cardinalis Marco Epheſiorum Primati obijcienti Latinis Patribus authoritatem Damaſceni, reſpondit, *Damaſcenum vt vnum è multis haberi, nec tanti momenti nomen, vt propter illud debeat in Eccleſia aliquid innovari.* Quo ipſo, videtur fateri, Damaſcenum in ea opinione fuiſſe. Nec diſſentiunt plurimi ex Scholaſticis, qui poſt D. Thomam *q. 10. de Potentia ar. 4.* reijciunt Damaſcenum, quaſi ſequutus fuerit errorem Theodoreti.

9 Verumtamen quod attinet ad Concilium illud Aquiſgranenſe, cenſeo nullatenus fuiſſe congregatum ob præcipuam illam controverſiam circa proceſsionem Spiritus S. ſed ſolùm circa additionem illam Symboli, *Filioque*, quæ tunc primùm in quibuſdam Regionibus Eccleſiæ Latinæ cœpit cantari ſolemniter. Id colligó ex Actis Collationis illius: ex quibus apparet, ſolùm diſceptatum fuiſſe à Patribus de nova illa additione ad Symbolum. Præterea id ipſum conijcere licet ex Adelmo in annalibus teſtante, Carolum Magnum miſsiſſe Romam Legatos Bernhariũ Epiſcopum Vvormacienſem, & Adalardum Monaſterij Corbeiæ Abbatem, ad Pontificem Leonem III. vt controverſiam in eo Cõcilio agitatam definiret. Conſtat verò, Pontificem nihil tunc definiſſe circa proceſsionem Spiritûs S. an ſit ex Patre & Filio ſimul; ſed ſolùm improbaſſe additionem illam in Gallijs factam in cantu ſolemni. Igitur quæſtio in Concilio mota non fuit circa proceſſionem ipſam, ſed circa additionem. Alioqui Legati Caroli Magni non de hac, ſed illa, Pontificem conſuluiſſent: neque hic diremiſſet controverſiam Concilij, circa quam interrogabatur. Vnde conſequenter infertur, Ioannem illum, ſive Damaſcenus fuerit, ſive quiſquam alius, non excitaſſe tunc in Eccleſia errorem Theodoreti circa proceſsionem Spiritus S. ſed quæſtionem circa additionem illam verborum *ex Filioque*, tunc in Gallijs factam.

10 Quod autem ſpectat ad ſenſum Damaſceni, imprimis lapſus fuit Pithœus, alioqui eruditiſsimus, dum exiſtimat, fuiſſe illum ipſum Ioannem Monachum, qui controverſiam prædictam excitavit. Damaſcenus enim plurimis annis ante eam Synodum Aquiſgranenſem obierat, ſexagiora annis lalatem, vt oſtendimus Tomo II. Diſp. XCII. num. 30. Deinde laudandi ſunt quotcumque illum piè interpretantur. Inter quos legendus præcipuè Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis Epiſt. 2. ad amicos ſuos Græcos, vt pacem & vnitatem cum Eccleſia Latina haberent, ſimulque cum ipſa fa eâtur Spiritum S. ex Patre & Filio procedere. Ibidem enim ait, ita ſenſiſſe Græcos Patres omnes, *præter vnum Ioannem Damaſcenum, qui videtur contrarium dicere. Quamquam non dicit ipſe, quòd Spiritus S. nõ eſt ex Filio, ſed QVIA NON DICITVR EX FILIO. Ac ſi diceret, quòd in divina Scriptura non videtur verbo dictum, QVIA EX FILIO.* Opera autem Barlaami invenies edita nuper in Biblioth. Magna Anniſſoniana Tomo XXVI. Sæculo XIV. Porrò verba ipſa Damaſceni circa rem hanc habentur *lib. 1. de Fide cap. 11.* vbi ita loquitur: καὶ υἱοῦ δὲ πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. μόνος γὰρ αἴτιος ὁ πατήρ. *Sed & Filij Spiritus eſt: non tanquam ex ipſo: SED QVOD PER IPSVM EX PATRE PROCEDAT.*

DAT. Solus enim Pater principium eſt. Vbi nonnulla obſervanda ſunt. Primum eſt, Damaſcenum nullatenus ſubſcripſiſſe Theodoreto: vtpotè apertè neganti, Spiritum eſſe ex Patre per Filium: vt patet ex Confutatione Capitulorum S. Cyrilli ab ipſo ſcripta contra Anathematiſmum nonum. Damaſcenus autem verbis relatis fatetur Spiritum ex Patre procedere *PER FILIVM.* Diſſentit igitur, & contradicit Theodoreto. Secundum eſt, negari non poſſe aliquod diſcrimen inter præpoſitiones illas Græcorum, *διὰ*, & ἐξ, quarum priorem admittit Damaſcenus, & poſteriorem reijcit. Nimirum, vt exponũt Manuel Calecas, Demetrius, & Beſſario Cardinalis, Auctores Græci & doctiſsimi, explanantes præindicatũ Damaſceni locũ, præpoſitio ἐξ, ſive ἐκ, ſignificat *τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν, principalem cauſam*: nimirum, illam, quæ non accipit ab alia vim producendi, ſed illam habet à ſe ipſa. Hoc autem ſenſu Spiritus S. non eſt *ἐκ τοῦ υἱοῦ, ex FILIO.* Quippe Filius non habet à ſe ipſo virtutem producendi, ſive ſpirandi: ſed ſolum acceptam à Patre, qui *omnia dedit ei, præter eſſe Patrem.* Vnde in eo ſenſu, meritò Damaſcenus negat Spiritum S. eſſe *ex Filio.* Præpoſitio autem *διὰ, per*, ſignificat eam cauſam, ſeu principium activum, quod in gignendi caſu nomen illud, cui attribuitur, exprimit veluti interiectũ inter principalem cauſam, & illud quod producitur: ac proinde indicat quemdam ordinem. Quo ſenſu Gregorius Nyſſæ Antiſtes ait, *Filium eſſe proximè ex primo principio:* Spiritum S. verò *per eum; qui proximè eſt ex primo*, veluti interiectus aut medius. Dum igitur Damaſcenus verbis relatis docet, Spiritum S. eſſe *per Filium*; ſignificat Spiritum ſanctum procedere ab eo, veluti à principio interiecto, ſeu medio; non autem tanquam à principali & primo, aut à ſe habente vim producendi. Quæ doctrina ſanè Catholica eſt, & in nullo contradicens proceſsioni veræ Spiritus S. ex Patre & Filio. De qua re iterum redibit ſermo in cap. nonũ huius Epiſtolæ. Denique Damaſcenũ non negaſſe proceſsionem Spiritus S. ex Filio in ſenſu quo Eccleſia id tradit, facilè ſuadetur: quoniam loco allegato Spiritum S. non ſemel appellat *τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, Spiritum Filij.* Non poſſet autem verè & propriè dici Spiritus Filij, niſi verè ex Filio procederet: vt obſervat Synodus Alexandrina in Epiſtola quadam adverſus Theodoretum, & probat Anſelmus infrà. Docet itaque Damaſcenus in re, Spiritũ S. ex Filio procedere eo ſenſu, quo Eccleſia id credit & fatetur. Quæ interpretatio longè melior eſt, quàm ſi cum Clictoveo dicatur, Damaſcenum ex ignoratione docuiſſe oppoſitum. Contrà enim eſt, videri incredibile Damaſcenum ignoraſſe definitionem eiuſdem Synodi Alexandrinæ contra Theodoretum, & illius confirmationem in Synodis Generalibus, Quarta ſub S. Leone Magno, & Sexta ſub S. Agathone Papa. Cùm verò impium ſit credere S. Doctorem de induſtria & obfirmato animo quidquam docuiſſe adverſus vtramque Synodum; ſupereſt demum vt in re iuxta earum ſenſum tradiderit proceſsionem Spiritus S. per Filium. Et hoc quidem dixerim, dato quòd in ea Epiſtola tradatur palam proceſſio Spiritus S. ex Filio, eaque ab ijs Synodis Generalibus IV. & VI. fuerit confirmata quoad eam partem. Nam abſolutè vtrumque id negari poteſt valde probabiliter, aut etiam certò: vt latè oſtendimus Diſp. XLII.

11 Quæ doctrina adaptari debet alijs quorumdam Patrum Græcorum locis, ſicubi fortè negant, Spiritum S. *eſſe ex Filio*, & fatentur eſſe *per Filium.* Dicendum enim eſt cum Concilio Florentino *Seſſ. vlt. in litteris Vnionis*, & cum Cardinali Beſſarione, illos negâſſe Spiritum S. eſſe *ἐκ τοῦ υἱοῦ, ex Filio*, quia putarunt præpoſitionem *ex* denotare primum principium, ſeu habens à ſe vim producendi aut ſpirandi. Cũ igitur Filius nõ ſit principium primũ eo ſenſu, ſed principiũ de principio, ij Patres Græci, *ne* viderentur admittere duo principia Spiritus S. aut duas ſpirationes, dixerunt potiùs Spiritum S. eſſe *per Filium*, quàm ex *Filio.* Quare ijdẽ Græci in Concilio Florentino ita demum loquũtur: *Nos Græci declaramus illud, quod nos aſſerimus; Spiritum S. à Patre procedere, non ea mente à nobis proferri, vt Filius excluderetur, à quo non negamus Spiritum S. æternùm proceſſiſſe, ſuamque eſſentiam deriuaſſe æquè ac à Patre: ſed quia ſuſpicabamur Latinos affirmaſſe Spiritum S. à Patre & Filio promanaſſe, tanquam à duobus fontibus, & duabus ſacroſanctæ Trinitatis ſpirationibus: ideo ab hoc loquendi modo, & in eo ſenſu, Spiritum S. à Patre & Filio procedentem dicere cavimus.* Vide infrà *cap. 9. à num.* 153. Vnde & obiter colligitur, quamvis Damaſcenus vidiſſet Acta VII. Synodi (quod non ſatis conſtat) adhuc potuiſſe ita loqui abſque erroris labe: quoniam in eo Concilio ſolùm definitum fuit, Spiritum S. eſſe *διὰ τοῦ υἱοῦ, per Filium*: quod Damaſcenus planè fatetur. Itaque vnus ex Græcis Patribus Theodoretus negavit proceſsionem Spiritus S. ex Filio: proptereaque erroris in ea parte notatus fuit. Quare quòd noſter Anſelmus initio huius Epiſtolæ ait, *Negatur a Græcis quòd Spiri-*

tus Sua Filio procedat, non de Græcis Patribus accipiendum: ſed de Græculis Schiſmaticis, quorũ ingens vbertas fuit à tempore Photij Patriarchæ, Eccleſiæ Romanæ hoſtis, damnati in VIII. Synodo, & in Romana Synodo degradati. cuius rês latè ex Recentioribus refert, poſt plures alios, Chriſtianus Lupus in Scholijs ad eandem VIII. Synodum.

12 *SICVT NOS LATINI CONFITEMVR.* Nimirum, quemadmodum è Græcis Patres tradiderunt, proceſsionem Spiritus S. ex Patre & Filio, ita etiam omnes Patres Latini. Quod totum ex ipſis Græcis fatetur Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis, gravis auctor, circa annum Chriſti. M.CCC.III. ſcribens ad amicos ſuos in Græcia conſtitutos, vt vitarent errorem Photij in VII. Synodo damnatum. Sic enim ait Epiſt. 11. *Spiritum S. ex Patre Filioque tanquam ex vno principio procedere, videtur Eccleſia Romana tenere ante inchoatum ſchiſma pluſquam quingentis annis. Beati enim illi viri, diuinus Auguſtinus, Ambroſius Mediolanenſis, & Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodoſij Magni, ex quo præterierunt vſque nunc pluſquam octingenti anni, quos Latinorum Eccleſia Doctores, & regulas, & pietatis duces habuit, ij diuinam aperientes Scripturam, multis locis ſuorum Operum manifeſtè notant, quod Spiritus S. ex Patre Filioque, tanquam vno principio, procedit. At verò Romanus Pontifex B. Gregorius, qui dicitur fuiſſe ſub Iuſtiniano, ante ſchiſma pluribus quàm trecentis annis, ſuperiores ſuos & ipſe ſequens, eandem de Spiritu S. tradit ſententiam. Quare ſi rationabile eſſet propter has cauſas a Latinis diuidi, oporteret vtique ab initio hoc facere, & neque hæc ſapientes putare ſanctos, nec communia cum illis Concilia patefacere. Nũc autem poſt vna cum eis ſeptem celebrata Cõcilia Generalia, & multos prædictam de Spiritu S. ſententiam in ſuis ſcriptis manifeſtè prædicantes, ſanctos & ipſis Græcis reputatos, propter eadem ipſa poſt multos annos velle ab eis diuidi, quomodo non caret omni ratione? Quanquam de Spiritu S. ſi ſoli illius linguæ Patres hoc traderet, nolle credere nondum tantum eſſet malum. Nunc autem & lingua Græcæ Patribus ipſum prædicantibus, ſcilicet, Magno Baſilio, S. Athanaſio, S. Cyrillo, S. Gregorio Nyſſeno; quomodo non abſurdum eſt eos, qui eadem cum illis ſapiunt, hæreticos reputare?* Addit idem Author Epiſt. 2. omnes Græcos Patres ita ſenſiſſe, ſolumque dubitari poſſe de S. Ioanne Damaſceno, quem tamen piè interpretatur pro ſententia Catholica, vt ſuprà vidimus.

13 Vt autem appareat in ſingulari, quinam ex Latinis Patribus, & quibuſnam ſuorum Operum locis, tradiderint proceſsionem Spiritus S. ex Patre Filioque placuit eos hoc loco indigitare. Refertur à Vaſquio in primis Tertullianus *lib. aduerſus Praxeam cap. 4.* vbi vtitur particula *per* inſtar Græcorum ſuprà indicatorum, qui *διὰ* habent, & *cap. 8.* vbi inſtar cæterorum Patrum Latinorum vtitur præpoſitione *a*, quæ Græcis eſt *ἐξ*, vt proinde Spiritus S. ſit *per* Filium, & *ex* Filio. Sed tamen fallitur Vazquez quoad ſecundam partem: quoniam Tertullianus eo cap. 8. ſolùm ait: *Tertius eſt Spiritus à Deo & Filio.* Vbi non de proceſsione agit, ſed de ordine perſonarum, iuxta quem tertius poſt Patrem eſt Spiritus S. Verùm alij perſpicuè proceſsionem illius *ex Filio* tradunt: vt Cyprianus *ſerm. de Aduentu Spiritus S.* Ruffinus *in ſuo Symbolo,* Hilarius *lib. 1. de Trinit.* Ambroſius *lib. 1. de Spiritu S. cap. 10.* Auguſtinus *tract. XCIX. in Ioannem & lib. 4. de Trinit. ac rurſus lib. 15. cap. 17. & 26.* & ſæpe alibi. Quare dignus reprehenſione eſt Planudes Maximus: qui cùm libros Auguſtini de Trinitate Græcè reddidiſſet, in calce illorum argumenta quædam obiecit contra proceſsionem Spiritus S. ex Filio, ab Auguſtino traditam. Ideoque in ipſum Planudem invehitur Demetrius Cydoniates, & ipſe Græcus, tanquàm irrationabile fuerit oppugnare doctrinam eius Authoris, quem Græce vertiſſet. Cenſet verò Petavius, & colligit ex m. ſ. quodam Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis, Planudem addidiſſe eam laciniam Operi metu Imperatoris & carceris. Subſcribunt doctrinæ Catholicæ Proſper Aquitanus *lib. 1. de vita contemplatiua cap. 18.* Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap. 2.* Severinus Boetius *lib. 1. de Trinit. cap. 12.* Gregorius Magnus in Symbolo quod recitatur in eius vita *lib. 2. cap. 2. & lib. 2. Dialog. cap. extremo,* & *lib. 1. Moral. cap. 18.* Homiſda Papa *in Epiſtola ad Iuſtinum Imperatorem cap. 2.* Idacius *contra Varimadum,* Leo Papa (cuius Opera in IV. Synodo Generali Patres appellant *στήλην ὀρθοδοξίας, columnam orthodoxæ fidei,* & ſequentibus Concilijs efferunt miris laudibus) id ipſum tradit *Epiſt. 91. alias 93.* quæ eſt ad Turibium: ſimiliterque Gennadius Maſſilienſis *lib. de Eccleſ. Dogmatibus cap. 2.* Vigilius Papa *lib. 1. contra Eutychem,* Eucherius *lib. Quæſtionum q. 1.* Etherius & Beatus *lib. 1. contra Elipandum,* Agnellus Ravennas Epiſcopus *in Epiſtola ad Armenium,*

nium, Venerabilis Beda *lib. 1. de Elementis Philoſophiæ*, Concilium Toletanum I. in Aſſertione Fidei, illis verbis: *Credimus Spiritum quoque eſſe Paraclitum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre Filioque procedens.* Prudentius quoque Hymno quinto Cathemerinon de Filio accinit:

Qui noſter Dominus, qui tuus Vnicus
Spirat de patrio corde Paraclitum.

Mitto innumeros alios è Recentioribus Patribus Latinis, qui paſsim eandem Catholicam doctrinam tradunt. Quare Anſelmus iure ac meritò adſcribit Latinis vnanimem ſententiam de proceſsione Spiritus ſancti ex Patre & Filio.

14 Itaque ex omnibus Græcis Patribus ſolus Theodoretus apertè negaſſe invenitur proceſsionem Spiritus S ex Filio, & quidem primus omnium, quod ſciam. Nec enim aſſentior quibuſdam exiſtimantibus, eam hæreſim priùs fuiſſe à Macedonio traditam, quòd in epiſtola quadam Iuſtiniani Epiſcopi Siciliæ ad Petrum Epiſcopum Antiochenũ, quæ habetur in V. Synodo Generali, legantur hæc verba: *Macedonius autem ſpirat à Patre ſolo Spiritum S.* In oppoſitum enim eſt, quòd, iuxta obſervationem eruditorum Theologorum, verba illa ſint vitiata ob iniuriam ſcriptorum, legendumque ſit, non *ſpirat*, ſed *ſeparat*. Macedonius enim, cũ eſſet Arianus, exiſtimabat Filium & Spiritum S. non eſſe eiuſdem eſſentiæ cum Patre, ſed ſimilis: ideoque Spiritum S. à Patre ſeparabat ſecundùm eſſentiam. Idque patet exemplo Eunomij, pariter Ariani, qui proinde Spiritum S. à Patre ſeparabat. Etenim, vt conſtat ex Baſilio Magno lib. ſecundo adverſus ipſum Eunomium prope finem, ipſe ita loquebatur: *Si è creaturis ſubvehatur aliquis ad ſubſtantiæ comprehenſionem, intelligit Filium Ingeniti* (id eſt, Patris) *eſſe facturam; Vnigeniti verò Paraclitum.* Ex quibus conſtat, Eunomium in eo errore fuiſſe, vt exiſtimaret, Spiritum S. eſſe factum à Filio, ſed non à Patre. Eam verò hæreſim impugnat ſic Baſilius: *Quo pacto autem diuidere Spiritum S. à Filio, non habet manifeſtum periculum?* Et paucis interiectis: *At hic in deſtructionem maieſtatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, à Patre quidem Spiritum S. removet.* Cùm igitur Macedonius, pariter ac Eunomius, eſſet Arianus, putandus eſt in eodem illius ſenſu removiſſe, ſive ſeparaſſe Spiritum S. à Patre: quaſi non ab eo, ſed dumtaxat à Filio procederet. Eiuſmodi autem error longè alius eſt, & quodammodo oppoſitus hæreſi negauti m Spiritum S. procedere ex Filio, & aſſerenti ẽm à Patre ſolo ducere originem. Hi enim potiùs videntur ſeparare Spiritum S. à Filio, quàm à Patre.

15 Quidquid verò ſit de hoc, &c. dato quòd in ſenſu Ariano negata fuerit à Macedonio Spiritus S. proceſsio ex Filio; longè alio ſenſu illam negavit Theodoretus, ad mentem Neſtorianorum, quorum partes ſequebatur: vt conſtat ex impugnatione Anathematiſmi noni Concilij Alexandrini apud S. Cyrillum *in libro ad Evoptium*. Quin & in Concilio Epheſino c. 37. extat Symbolum quoddã Neſtorianorũ (quorum multi Theodoretum ſequebantur) in quo definiebatur, Spiritum S. nec eſſe à Filio, nec per Filium, quẽadmodum Theodoretus ipſe docebat. Ideoque S. Thomas 1. *p. q. 36. ar. 2. ad* 3. dum eius pſeudo-ſymboli mentionem facit, illius erroris originem Neſtorianis adſcribit. Verùm cùm Theodoretus eſſet anathemate inuſtus ab eodem Concilio Epheſino, ſicuti & ea, quæ adverſus Anathematiſmos Synodi Alexandrinæ ſcripſerat; paulò poſt abiuravit hæreſim Neſtorij, & in Concilio Chalcedonenſi ad communionem Eccleſiæ receptus fuit. Neque vnquam poſtea invenitur ſuſcitaſſe errorem aliquem ex ijs, quos Neſtorius antea diſſeminaverat. Quin potiùs inſigni laude honoratus fuit in eo Concilio, vt refert Facundus Epiſcopus Hermianenſis *lib. 2. cap. 1.* vbi hæc de illo habet: *Theodoretus deliberationi ac defenſioni Chalcedonenſis Synodi interfuit: atque epiſtolã Papæ Leonis, Eutychis dementiam confutantem, ibi defendit, & quibuſdam minùs intelligentibus rectam eſſe monſtravit.* Ac præterea cap. 4. eiuſdem libri: *Theodoretus inter alios Patres adfuit Chalcedonenſi Concilio: & beati Leonis epiſtolam, quam Eutychiani anathematizant, cùm ibi relegeretur, adſtantibus Epiſcopis Illyricianis ac Palæſtinis aſſeruit.* Quare idem S. Leo Papa per Legatos ſuos reduces inſtructus ſolemnes gratias Theodoreto egit, & de glorioſo labore gratulatus fuit.

16 Itaque controverſia nulla videtur fuiſſe in Eccleſia circa proceſsionem Spiritùs S. ex Filio à tempore quo reconciliatus fuit Theodoretus in Chalcedonenſi Synodo (quæ celebrata fuit anno Chriſti 451. ſub S. Leone Papa, & Marciano Auguſto) vſque ad annum 764. in quo, aut circiter, coacta eſt Synodus illa apud Gentiliacum prope Lutetiam, de qua ſupra loquebamur. Quippe illud Concilium provinciale videtur congregatum iuſſu Pipini Galliarum Regis, vt quæſtio inter Latinos & Græcos de Trinitate definiretur: quæ ſanè non videtur alia eſſe potuiſſe, quàm circa proceſsionem Spiritus ſancti, vt vidi-

vidimus ex Adone in Chronico: licèt ea ibidem non inveniatur definita. Deinde. Photius Conſtantinopolitanus Romanæ Eccleſiæ infenſus hoſtis, errorem illum veterem Theodoreti inſtaurauit, ſeu ab Oreo revocavit, & multis argumentis probare conatus fuit circa annum 864. Ideoque de illo ſcribit Hugo Etherianus lib. 2. contra Græcos cap. 15. *Hic eſt qui poſt Theodoretum in æquorea puteum fodiens arenas non ſemina, ſed venena ſepeliendo, duri valdè languoris fidei Chriſtianorum cauſa factus eſt.* Nimirum, exinde potiſsimùm Græci adverſus Eccleſiam Latinam quaſi pro aris & focis certare cœperunt pro Spiritus S. proceſsione ex ſolo Patre, eamque veluti publicam fidei ſuę teſſeram habere. Qua de re multæ intèr eoſdem Græcos & Latinos controverſiæ, partim obſcuræ, partim illuſtres fuerunt per duo ſecula, vſque ad tempus Vrbani II. Papæ prudentiſsimi & pijſsimi ex Ordine S. P. Benedicti, cum quo S. Anſelmus ſtrictiſsimam amicitiam habuit.

17 Eius autem tempore, id eſt, anno Chriſti 1098. paulo antequam Hieroſolyma in Chriſtianorum dominium quaſi poſtliminio redirent, coacta eſt ab eodem Vrbano Synodus Barenſis: in qua *Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus* (verba ſunt Petavij lib. 7. de Trinit. cap. 1. n. 4.) *vtilem Romanæ Eccleſiæ navavit operam; multumque veræ laudis inde reportavit. Nam cùm Græci pro ſuo dogmate contra Latinos ſtrenuè decertarent, eoſque diſputando acriùs vrgerent, productus in publicum Vrbani iuſſu Pontificis Anſelmus, eruditè ac ſubtiliter de ea quæſtione diſſeruit, & aduerſariorum impetum atque audaciam compreſsit: vt illius vitæ ſcriptor Edinerus, & Vvillelmus Malmesburienſis in libro primo de geſtis Anglorum Pontificum, referunt. Ac ſummam poſtea diſputationis illius in librum redegit, qui DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI CONTRA GRAECOS, inſcribitur.* Hucuſque Petavius. Porrò verba præcipuè Eadmeri iam in ſuperioribus exſcripſimus, lectu ſanè dignisſima, & narrationem geſtorum in eo Concilio, quorum ipſe oculatus teſtis fuit. Legẽdi quoque ea de re Odericus Vitalis lib. 10. Hiſtoriæ ad annum 1098. Vvillelmus Gemeticenſis lib. 6. Hiſtoriæ Normanuorum, & Baronius Tomo XI. ad annum Chriſti 1097. Subdit autem Eadmerus, Anſelmum finito Concilio Barenſi cum Pontifice Vrbano II. Romam rediſſe, & ſummo in honore habitum, vt non modò ſecundus ab ipſo Summo Pontifice eſſet in quibuslibet locis & congreſsibus publicis, ſed etiam ab Anglis Romam adventantibus pedum oſculo honoraretur, primùm reluctante, & poſtea id permittente Anſelmo, ob præceptum ſibi à Papa impoſitum, ne talem ac tantam ſui venerationem impediret.

18 Hæc igitur fuit occaſio vt Anſelmus cùm Græcis diſſereret de Proceſsione Spiritus S. vt autem illam ſcripto ederet, vulgaretque, preces amicorum & graviũm hominum in cauſa fuerunt. Quod ille in hoc ipſo capite indicat verbis illis: *Quoniam mihi à pluribus iniungitur*, &c. Inter eos verò, qui hortati ſunt Anſelmum ad hoc Opuſculum edendum, videtur vnus ex præcipuis fuiſſe Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus: ſiquidem ipſe Epiſt. 21. ita alloquitur eundem Anſelmum: *Appulſorum relationibus didici, vos in Concilio Barenſi ſermonem habuiſſe de Spiritu ſancto: quem calumnioſa Græcorum verſutia a Filio minimè procedere fabulatur. Quod igitur adverſus hanc illorum dementiam in præfato promulgaſtis Concilio, ſuccincto tractatu deprecor annotari. Et quia ipſi Latinorum Patrum teſtimonia non ſucipiunt, his auctoritatibus flagitatum opus mutuare non tædebit, quas Græca calliditas & ſuas fateatur & noſtras.* Deinde in Epiſtola ſequente gratias agit Anſelmo, quod idẽ Opuſculum miſiſſet. Et quidem illud ſcripſit iuxta preces & modum ab Hildeberto deſideratum. Non enim vtitur in hoc tractatu teſtimonijs Patrum Latinorum, à quibus Græci facilè pro ſuo faſtu & ſupercilio ſe expedirent: ſed ſolis Scripturæ teſtimonijs, & principijs apud eos certis. Quod in toto ferè hoc capite ſe facturum pollicetur Anſelmus: præcipuè dum ait: *PER HOC QVOD ABSQVE AMBIGVITATE CONFITENTVR, AD HOC QVOD NON RECIPIVNT, RATIONABILITER DVCI POSSVNT;*

CAPVT PRIMVM S. ANSELMI.

PRAEMITTVNTVR EA, IN QVIBVS GRAECI CVM Latinis conveniunt, circa myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, & proceſsionem Spiritus ſancti.

CREDVNT Quidem vnum & ſolùm, ac perfectum eſſe Deum: nec vllam eum habere partem, ſed totum eſſe quidquid eſt. Hunc quoque confitentur eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: ita vt ſive ſolus dicatur Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus, ſive duo ſimul Pater, & Filius, aut Pater & Spiritus S. aut Filius, & Spiritus S. ſive tres ſimul Pater, Filius, Spiritus S. idem totus & perfectus deſignetur Deus; quamvis non idem ſignificet nomen Patris, aut Filij quod nomen Dei. *Non enim idem eſt eſſe Deum, quod eſt eſſe Patrem, aut Filium. Nomen autem Spiritus S. ideò quia Spiritus S. alicuius intelligitur ſpiritus, pro relativo nomine ponitur. Nam quamvis Pater ſit ſpiritus, & ſanctus; & Filius ſit ſpiritus, & ſanctus; non eſt tamen Pater alicuius ſpiritus, nec Filius alicuius ſpiritus, ſicut Spiritus S. alicuius eſt ſpiritus.* Eſt enim ſpiritus Dei, & ſpiritus Patris, & Filij. *Quamvis enim Græci negent de Filio illum procedere; non tamen negant eum eſſe ſpiritum Filij. Credunt quoque, & confitentur,* Deum de Deo eſſe naſcendo, & Deum eſſe de Deo procedendo: quia Filius Deus eſt de Patre Deo, naſcendo: & Spiritus S. Deus eſt de Patre Deo, procedendo. Nec putant alium eſſe Deum, qui naſcitur, quàm de quo naſcitur, & qui procedit, quàm de quo procedit: quamvis ſecundùm nomina ſignificantia, quia eſt de quo aliquis naſcitur, & eſt qui de aliquo naſcitur, & eſt qui de aliquo procedit, pluralitatem admittat: ſecundùm quam plures, & alij ſunt abinvicem Pater, & Filius, & Spiritus S. Nam cùm dicitur Deus eſſe Pater, ſignificatur eſſe, de quo aliquis naſcitur: & cùm nominatur Filius, intelligitur eſſe, qui de aliquo naſcitur: & quando Spiritus S. nominatur, quia non abſolutè ſpiritum, ſed ſpiritum Dei intelligimus, moſtratur eſſe, qui de aliquo procedit. Sed cùm dicitur, quia Filius eſt de Patre, & Spiritus S. eſt de Patre, intelligitur, quia hoc, quòd eſt Filius, aut Spiritus S. habent de Patre. Sed aliò modo intelligitur Filius eſſe de Patre, & aliter Spiritus S. Filius enim eſt de Patre ſuo, id eſt, de Deo, qui eſt Pater eius, Spiritus S. verò non eſt de Deo Patre ſuo: ſed tantùm de Deo, qui eſt Pater. Ergo Filius ſecundùm quòd eſt de Deo dicitur Filius eius, & ille de quo eſt, Pater eius: Spiritus S. autem, non ſecundùm quòd eſt de Deo Filius eius: neque ille de quo eſt Pater eius. Certum eſt etiam, quia Deus non eſt Pater, aut Filius, aut

Spiritus S. alicuius; niſi Dei; neque vlla res eſt Deus, niſi idem Pater, & Filius, & Spiritus S. Et ſicut vnus Deus eſt, ſic vnus tantùm Pater, vnus Filius, vnus Spiritus S. eſt. Vnde fit, vt non ſit in illa Trinitate Pater, niſi eiuſdem Filij; neque Filius, niſi eiuſdem Patris, neque Spiritus S. alicuius ſpiritus, niſi eiuſdem Patris, & Filij. *Hac itaque ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo*, vt Pater, & Filius, & Spiritus S. dici non poſsint de invicem: ſed alij ſint abinvicem; quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo, quod totum poteſt dici relatio. *Nam quoniam Filius exiſtit de Deo naſcendo*, & Spiritus S. procedendo, ipſa diverſitate nativitatis, & proceſsionis referuntur adinvicem: vt diverſi, & alij abinvicem. *Et quando ſubſtantia habet eſſe de ſubſtantia*, duæ fiunt ibi relationes inſociabiles, ſi ſecundùm illas nomina ponantur ſubſtantiæ. Cùm enim homo eſt gignendo, de homine, dicitur homo, de quo eſt homo, Pater; & homo, qui eſt de homine, Filius. Impoſsibile igitur eſt Patrem eſſe illum Filium, cuius Pater eſt: & Filium eſſe illum Patrem, cuius Filius eſt: quamvis patrem eſſe filium, & filium eſſe patrem nihil prohibeat, cùm vnus homo pater eſt, & filius: quoniam ad alium eſt pater, ad alium filius. Nempe cùm Iſaac ſit pater Iacob, & filius Abrahæ, pater eſt filius, & filius pater ſine repugnantia: quoniam ad alium pater dicitur, quàm ad ſuum patrem; & filius ad alium, quàm ad ſuum filium. Patrem autem eſſe in eodem Iſaac illum filium, cuius pater eſt, aut filium eſſe illum patrem, cuius eſt filius, non eſt poſsibile. Ita ergo in Deo, cùm Deus ſit Pater, & Filius, & Spiritus S. nec ſit Pater, niſi eiuſdem Filij; neque Filius, niſi eiuſdem Patris; neque Spiritus alicuius, niſi eiuſdem Patris, & Filij: Pater non eſt Filius, aut Spiritus S. Filius non eſt Pater, aut Spiritus S. neque Spiritus S. eſt Pater. Quippe quoniam Filius eſt de Patre, & Spiritus S. eſt de Patre, neque ille de quo eſt aliquis, poteſt eſſe ille, qui de ſe eſt; neque ille qui de aliquo eſt, valet eſſe is, de quo eſt, ſicut iam dictum eſt; idcircò neque Pater eſt Filius, aut Spiritus S. nec Filius ſive Spiritus S. eſt Pater. *Filius autem*, (vt interim aliam cauſam dicam quoniam nondum conſtat, quòd Spiritus S. de illo ſit, & procedat) ideo non eſt Spiritus S. nec Spiritus S. eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe de Patre; Spiritus S. verò, non naſcendo, ſed procedendo; *neque Filius poteſt eſſe ſuus ſpiritus*, nec Spiritus S. valet eſſe ille, cuius ſpiritus eſt.

SCHO-

SCHOLIA IN CAPVT I.

Deum vnum in eſſentia, & Trinum in perſonis eſſe: ex quibus tertia, id eſt, Spiritus ſanctus, dicatur & ſit Spiritus Patris, & Filij, etiam iuxta Græcos. Porrò perſonarum diuinarum diſtinctionem non aliunde provenire, quàm ex proprietatibus relatiuis, iuxta quas vna oritur ab alia, & vicißim ad eam refertur.

20 PRÆMITTIT Anſelmus in hoc capite doctrinam Catholicam, & plura dogmata, circa myſterium SS. Trinitatis, & proceſsionem Spiritus S. in quibus Græci vnanimiter Latinis cōſentiunt: vt exinde progreſſu Operis probet Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere.

21 *CREDVNT QVIDEM VNVM ET SOLVM*, &c. Nimirum, ea eſt teſſera propria fidei Catholicæ, fateri Deum vnum, ſolum, ac perfectum, in Trinitate perſonarum, & vnitate eſſentiæ, ſive ſubſtantiæ. De quo iam egit Anſelmus in Monologio, ac Proſlogio, & nos ibidem in Scholijs plura obſervavimus, quæ non vacat nec opus eſt repetere.

22 *NON ENIM IDEM EST ESSE DEVM, QVOD EST ESSE PATREM, AVT FILIVM.* Nimirum, vt paulò antè præmiſerat, & poſtea ſubiungit, licèt Pater, Filius, & Spiritus S. tum ſimul, tum ſinguli, ſint vnus ſolus & perfectus Deus; non tamen idem eſt eſſe Deum, ac eſſe Patrem, aut Filium: quoniàm Deus, & Deitas eſt ratio abſoluta; eſſe verò Patrem aut Filium, eſt ratio relativa, ſive *πρὸς ἕτερον, ad alterū*. Nec exinde inferas eſſentiam à relationibus differre, aut diſtinctione formali ex natura rei, aut modali, vt intulerunt Scotus & Durandus ex hoc teſtimonio Anſelmi. Solùm enim ponit ſanctus Doctor diſtinctionem virtualem, aut eminentialem inter eſſentiam & relationes, de quo latè egimus Tomo I. Diſp. XXV. ſect. 3. & ſequentibus contra eoſdem Auctores.

23 *NOMEN AVTEM SPIRITVS S.* &c. Quoniam ſpiritus, alicuius ſpiritus eſt, nomen *SPIRITVS SANCTI* eſt *πρὸς ἕτερον*, ſeu relativum. Nimirum vox ipſa *πνεύματος* eſt omnino *σχετικὸν*, & eadē ferè ac *πνοή*, quæ ordinem denotat ſeu habitudinem ad *πνέοντα*; id eſt, *ſpirantem*: ſicut *πρόβλημα* refertur ad *προβολέα*, & ſimiliter *γέννημα* ad *γεννῶντα*. Ideoque S. Thomas 1. part. quæſtion. 26. art. 1. ait: *Nomen ſpiritus in rebus corporeis impulſionem quandam & motionem ſignificare videtur. Eſt autem proprium amoris quòd moveat, & impellat voluntatem amantis in amatum:* Patet verò, motionem impulſionemque eſſe ad aliquid aliud.

23 *NAM QVAMVIS PATER SIT SPIRITVS*, &c. Verè quidem Pater eſt ſpiritus, & ſanctus: Filius quoque ſpiritus, & ſanctus: cæterum vtraque ea appellatio communis eſt, & abſoluta, convenienſque vnicuique eorum prout Deus eſt. Cæterum eſſe ſpiritum alicuius, eſt ratio relativa & peculiaris, quæ nec convenit Patri, nec Filio, ſed ſoli tertiæ perſonæ: quæ prout ab alijs duabus diſtincta, dicitur Spiritus ſanctus. Eum loquendi modum deſumpſiſſe videtur Anſelmus ex Ambroſio & Auguſtino. Prior enim illorum libro in Symbolum Apoſtolorū cap. 1. ita loquitur: *Licet Pater ſit ſpiritus, & Filius ſit ſpiritus, & Pater ſit ſanctus, & Filius ſit ſanctus; ſola tamen tertia perſona propriè SPIRITVS SANCTVS nuncupatur. Quia ergo coæterna, & communis ambobus, id ipſa vocatur, quod ambæ ſunt.* Poſterior verò lib. 15. de Trinitate cap. 19. id ipſum docet, & opportunè confirmat ex appellatione charitatis, quæ, licèt ſit communis tribus perſonis, ſpeciatim tribuitur Spiritui ſancto. Verba ſunt: *Etſi charitas, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum; quid convenientius, quàm vt ille CHARITAS dicatur propriè, qui SPIRITVS eſt communis ambobus? Hoc enim ſanius creditur, vel intelligitur, vt non ſolus Spiritus ſanctus charitas ſit in illa Trinitate; ſed non fruſtra propriè charitas nuncupetur, propter illa, quæ diſtincta ſunt. Sicut non ſolus eſt in illa Trinitate, vel ſpiritus, vel ſanctus; quia & Pater ſpiritus, & Filius ſpiritus: & Pater ſanctus; & Filius ſanctus, quod nō ambigit pietas: & tamē iſte non fruſtra propriè dicitur SPIRITVS SANCTVS: Quia enim eſt communis ambobus, id vocatur ipſe propriè, quod ambo communiter.*

24 *QVAMVIS ENIM GRÆCI NEGENT, DE FILIO ILLVM PROCEDERE; NON TAMEN EVM NEGANT ESSE SPIRITVM FILII.* Nimirum, Græci indifferenter appellant Spiritum S. modò Spiritum Dei, modò Spiritum Patris, modò Spiritum Filij, modò denique Spiritum Patris, & Filij. Ideoque Cyrillus lib. 10. Cōmentar. in Ioannem aiebat & quidem opportunè admodum, ac diſertè: *Nam cùm Spiritum veritatis, id eſt, ſuum (ipſe enim veritas eſt) paraclitum appellaverit, ex Patre illum procedere ait. Nam ſicut*

Filij Spiritus eſt naturaliter in ipſo manens, & per ipſum procedens: ſic certè Patris quoque Spiritus eſt. Et mox: *Credere namque debemus, quoniam Spiritus ſic proprius Filij eſt, ſicut ſanè ipſius quoque Patris,* Ac præterea reſpondens obiectionibus Theodoreti contra nonum Anathematiſmum ait, *perinde eſſe Filij Spiritum, atque ipſius Patris.* Similiter S. Maximus Tractatu de Candelabro Zachariæ Prophetæ apud Ioannem Beccum inquit: τὸ γὰρ πνεῦμα τὸ ἅγιον, &c. *Spiritus S. quemadmodum natura Dei eſt, ac Patris ſecundùm ſubſtantiam: ſic eſt Filij ſecundùm ſubſtantiam.* Manuel Calecas quoque lib. contra Græcos: τὸ δὲ ἴδιον εἶναι αὐτοῦ (υἱοῦ) τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, αἰώνιον. *Propriū verò (Filij) ſſe Spiritum ſanctum, æternum eſt.* Et cap. 2. eiuſdem libri, non modò ex cōmuni modo loquēdi Patrum, ſed & popularium Græcorum, ſupponit Spiritum ſanctum appellari τὸ πνεῦμα τὸ ἴδιον τοῦ υἱοῦ, *Spiritum proprium Filij.* Mitto alia quamplura teſtimonia Patrum, præſertim Latinorum, quibus is loquēdi modus familiaris eſt.

25 *CREDVNT QVOQVE ET CONFITENTVR, DEVM DE DEO ESSE NASCENDO ET DEVM DE DEO ESSE PROCEDENDO*, &c. Hoc loco tangit diſcrimen vtriuſque proceſsionis divinæ: de quo iam egit in Monologio cap. 53 & nos ibi plura obſervavimus, hoc loco potiùs ſupponenda, quàm tractanda. Vide præſertim quæ tradidimus Tomo II. Diſput. XCIV. & XCV. & C.

26 *HÆC ITAQVE SOLA CAVSA PLVRALITATIS EST*, &c. *QVOD TOTVM POTEST DICI RELALIO.* Nimirum, cùm tres divinæ perſonæ in Deitate abſoluta conveniant, immò & vnum atque idem omnino ſint, non aliunde differre poſſunt, quàm ratione relationum, quibus invicem conſtituuntur, & opponuntur. Vnde illud axioma Theologorum ex eodem Anſelmo infrà cap. 3. deſumptum, *in diuinis omnia eſſe vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio:* de quo ibidem in Scholijs. Hinc occaſio ſeſe offert ſimiliter differendi cum eiſdem Scholaſticis, An perſonæ divinæ conſtituantur & invicem diſtinguantur relationibus. de quo latè diſſeruimus eodem Tomo II. Diſp. 79. & 80. Nunc tamen obiter moneo, non modò ex mente S. Anſelmi hoc loco, ſed etiam ex cōmuni Patrum, formas illas, quibus perſonæ divinæ conſtituuntur & diſtinguuntur, eſſe relationes meras, abſque admiſtione alicuius abſoluti. Quippe omnium Patrum communis vox eſt, quidquid in Deo eſt abſolutum, id eſſe commune tribus perſonis, abſque diſtinctione vlla: hanc verò dumtaxat provenire ex relatione ſeu mutua habitudine, quam Græci σχέσιν, Latini Scholaſtici relativam oppoſitionem appellant.

27 Ex multis ipſorum Patrum teſtimonijs placet nonnulla ſatis illuſtria hoc loco indicare. Gregorius Nyſſæ Antiſtes lib. de communibus notionibus, qui habetur Tomo I. οὔτε γὰρ χρόνῳ διαιρεῖται ἀλλήλων τὰ πρόσωπα τῆς θεότητος, &c. *Non enim tempore diuiduntur à ſe invicem perſonæ diuinitatis, neque loco, non voluntate, non ſtudio, non inſtituto, non actione, non affectione aliqua ex iis, quæ in hominibus ſpectantur: ſed hoc ſolùm quòd Pater, pater eſt, & non Filius: Filius eſt filius, & non Pater: ſimiliter & Spiritus ſanctus, neque Pater, neque Filius.* Patet verò eiuſmodi formas diſtinguentes eſſe meras relationes. Cyrillus lib. 9. Theſauri: *Quidquid de vna perſona, Patris, vel Filij, dicitur, in vtraque competit,* δίχα μόνης τῆς τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ προσηγορίας, καὶ πράγματος, *excepto ſolo Patris, & Filij nomine, ac re.* Præterea lib. 23. loquens de Filio, *Habet,* inquit, *naturaliter, vtpote proprium ipſius Verbū, & ſplendor, omnia, quæ ſunt illius, excepto eo, quod eſt eſſe, dicique Patrem.* Denique lib. 11. Commentar. in Ioannem docet, *Nihil eſſe, quod Filium à Patre diſtinguat, ac differre faciat, quominus in omnibus ſimilis æqualiſque ſit, præter hoc vnum, quòd Pater eſt.* Damaſcenus quoque lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. 11. ὅτι κατὰ πάντα ἕν εἰσιν ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς, &c. *In omnibus vnum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, excepto eo quod eſt, Ingenitum eſſe, & Genitum, & Procedentem: cogitatione vero diuiſio conſtat. Nam vnū cognoſcimus: ſed in ſolis proprietatibus Paternitatis, Filietatis, ac Proceſsionis, ac ſecundùm rationem Principij, & eius quod eſt ex principio, & perfecti, & hypoſtaſis, ſiue modi exiſtēdi, diſcrimen intelligimus.* Idem planè colligitur ex Chryſoſtomo *Orat. 5. contra Anomæos*, Epiphanio *in Ancorato*, atque *Hæreſi LXXIV.* Nazianzeno *Orat. XXIII. & XXIV. & XXXVII.* vbi τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως τὸ διάφορον, *differētiam relationis, & habitudinis, quâ invicem reſpiciunt*, docet efficere diverſas appellationes & perſonas: Baſilio *Epiſt. CCC. XLIX.* & ex VI. Synodo Generali in Epiſtola Agathonis, Actione IV. ac Sophronij Actione XI.

Lati-

28 Latini Patres ſimiliter loquuntur. Auguſtinus imprimis lib. VII. de Trinitate cap. 2. & lib. VIII. cap. 1. & lib. XI. de Ciuit. cap. 10. & Tract. XXXIX. in Ioannem, vbi inquit: *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt, non quod ad ſe ſunt.* Atqui eſſe ad invicem, nihil aliud eſt, quàm mutua relatio. Et Sermone LVIII. de verbis Domini: *Nec aliqua cauſa eſt alia, quæ diuiſionem faciat perſonarum, niſi quod hic ingenitus eſt, & ille genitus; id eſt, hic Pater eſt, & ille Filius; quia Pater ſemper Pater eſt, nunquam Filius: quia vt diximus, nō eſt genitus, ſed ipſe genuit. Et Filius ſemper Filius eſt, nunquam Pater: quia non genuit, ſed genitus eſt.* Atqui ea omnia planè relativa ſunt. S. Fulgentius lib. de Trinitate: *Pater non ſibi eſt, ſed Filio: Filius non ſibi eſt, ſed Patri. Spiritus alterius eſt adſpirantis: ergo ad Patrem Filiumque refertur. ISTA ITAQVE RELATIVA NOMINA TRINITATEM FACIVNT: eſſentialia vero nullo modo triplicantur.* Non facerent verò Trinitatem nomina relativa, niſi tres perſonæ conſtituerentur & invicem diſtinguerentur relationibus. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. de Differentijs, diff. 2. *In relatione perſonarum,* ait, *Trinitas eſt: in ſubſtantia vero naturæ vnus Deus eſt, Pater, ſcilicet, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Non eſſet autem Trinitas in relatione perſonarum, niſi illæ formis relativis conſtituerentur invicem diſtinctæ. Bernardus Epiſt. CXC. quæ eſt contra Abaillardum, diſtinctionem perſonarum ex ſola origine & relativa proprietate agnoſcit. Ait enim: *Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veraciſſimè dicitur, perſonarum ſanè deſignatio eſt, non vnitatis diuiſio.* Ac præterea: *Alia illa ſunt profecto vocabula, quæ non ad ſe ipſos dicuntur, ſed ad alterutrum: & ideo eſt cuique ſuum, & non commune cum altero. Nam qui Pater eſt, Filius non eſt: & qui Filius eſt, Pater non eſt: quoniam non quod ad ſe, ſed quod ad Filium Pater eſt, Patris nomine deſignatur: & item nomine Filij non quod ad ſe Filius, ſed quod eſt ad Patrem exprimitur. Non ſic potentia, non ſic ſapientia, neque alia multa, quæ ad ſe dicuntur Pater, & Filius; non ſingulariter alter reſpectu alterius.* Vbi Bernardus ſolam perſonarum diſtinctionem agnoſcit, penes id, quo ad invicem ſunt: id verò planè relativum eſt. Clariùs adhuc id ipſum habetur in Concilio Toletano XI. his verbis: *In relatiuis perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad vtroſque refertur: QVÆ CVM RELATIVE TRES PERSONÆ DICANTVR, vna tamen naturalis ſubſtantia creditur.* Ac parvo interſtitio: *In relatione perſonarum numerus cernitur: in diuinitatis verò ſubſtantia quid enumeratum ſit, non comprehenditur. ERGO HOC SOLO NVMERVM INSINVANT, QVOD AD INVICEM SVNT: & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Quid illuſtrius.

29 Vnde proſequitur Anſelmus ad id vberiùs exponendum, & ait: *Nam quomodo Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo, ipſa diuerſitate natiuitatis & proceſſionis REFERVNTVR AD INVICEM, VT DIVERSI ET ALII AB INVICEM.* Vbi ex ſola diverſitate originum relationumque, diverſitatem perſonarum agnoſcit: quoniam alioqui tres divinæ perſonæ vnum atque idem omnino ſunt.

30 *ET QVANDO SVBSTANTIA HABET ESSE DE SVBSTANTIA,* &c. Exponit generatim quomodo ex origine vnius ab altero ſecundùm ſubſtantiā proveniat duplex relatio, altera in principio, altera in termino, ratione quarū ſe invicem ſpectent, diſtinguanturque; vt proinde repugnet omnino, patrē eſſe indiſtinctum à filio, quem genuit; aut filium à patre, qui ipſum genuit. Hæc autem doctrina generatim evidens eſt, & abſtrahendo à divinis & creatis: vt propterea Zacharias Mitylenæus, alioqui elegans & eruditus author, erraverit *lib. de Opificio Mundi*, ſolùm in rebus corporatis admittens relationes; non autem in Deo, & ſubſtantijs materiæ expertibus. Verùm apage doctrinam, non modò communi Theologorum ſenſui, ſed Concilijs ipſis, & Catholicæ Fidei adverſam, quæ veras perſonarum divinarum relationes agnoſcit.

31 *FILIVS VERO, VT INTERIM ALIAM CAVSAM DICAM,* &c. Cùm præmiſiſſet, perſonarum diſtinctionem provenire ex proprietatibus relativis; ſubdit præterea aliā diſcriminijs rationem inter Filium & Spiritum ſanctum, quòd ille habeat eſſe de Patre *NASCENDO*; Spiritus autem, *non naſcendo, ſed PROCEDENDO.* De quo iam egimus cum ipſo in *Monologio cap.* 53. aliàs 54. Diſp. XCIII. ferè per totam, & infrà à numero 36. diſſeremus breviter.

32 *NEC FILIVS POTEST*

 ESSE

ESSE SVVS SPIRITVS, &c. Cùm enim πνεῦμα, ſive πνοή, id eſt, *ſpiritus*, ſit ad alterum, vt initio capitis obſervavimus: neque Filius poteſt eſſe ſuus ſpiritus, nec Spiritus ſanctus poteſt eſſe ille ipſe cuius ſpiritus eſt.

CAPVT SECVNDVM.

Præmittitur vlterius, & explanatur, qualiter cum vnitate in eſſentia cohæreat diſtinctio perſonarum, orta ex relatiua oppoſitione. Porrò neceſſum eſſe alterutrum, vt vel Filius procedat ex Spiritu S. vel hic ex illo.

HIS Præmiſsis, quomodo indiviſibilis vnitas, & inſociabilis pluralitas, in Deo ſe adiuvicem habeant, inquiramus. Quoniam autem hæc, quæ dicta ſunt, pariter credimus indubitanter, & confitemur; & nos, qui dicimus Spiritum S. de Filio procedere; & Græci, qui nobiſcum de hac re, non ſentiunt; debemus abſque vlla ambiguitate, quæ ex ijs neceſſariò conſequuntur, vno conſenſu ſuſcipere. Sequitur enim ſecundùm *vnitatis Dei, quæ nullas habet partes*, proprietatem, vt quidquid de vno Deo (qui totus eſt quidquid eſt) dicitur, de toto Deo Patre dicatur, & de Filio, & de Spiritu S. quia vnuſquiſque ſolus, & totus, & perfectus Deus eſt. *Supradicta verò relationis oppoſitio*, quæ ex eo naſcitur, quia ſupradictis duobus modis Deus de Deo eſt, prohibet Patrem & Filium, & Spiritum S. de invicem dici, & propria ſingulorum alijs attribui. Sic ergo huius vnitatis, & huius relationis conſequentiæ ſe contemperant, vt nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, tranſeat ad ea, in quibus prædictæ ſimplicitas ſonat vnitatis: nec vnitas cohibeat pluralitatem, vbi eadem relatio ſignificatur: quatenus nec vnitas amittat aliquando ſuam conſequentiam, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio: nec relatio perdat, quod ſuum eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis. *Quod ſi per exempla conſideremus, clariùs apparebit.* Qualiter quidem vnitatis ſimplicitas à ſe excludat pluralitatem, quæ eſt in relativorum nominum ſignificatione, facile eſt cognoſcere. Confitemur enim quia Pater non eſt Filius aut Spiritus S. nec Filius Pater, aut Spiritus S. nec Spiritus S. Pater aut Filius. Sequitur ergo alios abinvicem, & plures eſſe, Patrem & Spiritum S. At Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus S. eſt Deus. Quid itaque conſequentius, ſi prædicta perſonarum pluralitas ſuam ſervat proprietatem, quàm Patrem, & Filium, & Spiritum S. plures Deos, & alios abinvicem? Sed hoc nullatenus admittit inviolabilis ſimplicitas Deitatis, quam vnum ſolum Deum eſſe credimus. Sic repellit vnitas eſſentiæ Dei relativorum conſequētiam. Conſiderādum quoque eſt, quomodo relationum pluralitas obviet vnitatis conſequentię, ſi priùs poſuerimus aliqua ex his, in qui-

quibus nulla obſiſtit oppoſitio. Dicimus vnum Deum eſſe Patrem,& eſſe Filium,& eſſe Spiritum S.& vnum eundemque Deum eſſe,ſiue ſinguli,ſiue bini, ſiue tres ſimul dicantur. Si ergo Deus eſt æternus propter vnitatem Deitatis,ex neceſsitate ſequitur,quia æternus eſt Pater,æternus eſt Filius,æternus eſt Spiritus S.Et quoniam ſiue ſinguli,ſiue plures, ſimul ſunt vnus Deus,non eſt niſi vnus æternus. Similis eſt conſequentia,ſi Deus dicitur creator,ſiue iuſtus,ſiue aliquid aliorũ,in quibus nulla prædicta intelligitur relatio. *Videamus nunc quomodo hanc vnitatis Dei conſequẽtiam reſtringat relatio.* Dicimus enim,quia Deus eſt Pater. Quoniam ergo vnus eſt Deus Pater,& Filius,& Spiritus S.exigit vnitas Dei, vt Filius ſit Pater,& Spiritus S.ſit Pater: ſed obuiat relatio, quæ prohibet Filium, aut Spiritum S. eſſe Patrem. *Quippe nec natura permittit, nec intellectus capit exiſtentem de aliquo eſſe, de quo exiſtit; aut de quo exiſtit eſſe exiſtentem de ſe.* Exiſtit autem Filius,& Spiritus S.de Patre: quare non poteſt Filius, aut Spiritus S.eſſe Pater,quamvis Deus ſit Pater,& vnus idemque Deus ſit Pater,& Filius, & Spiritus S. *Id ipſum & cognoſcitur*, ſi dicitur Deus eſſe Filius. Vult enim vnitatis Dei conſequẽtia, vt Pater & Spiritus S.ſit Filius. Sed Pater de quo eſt Filius non poteſt eſſe, qui de ſe eſt. Spiritus verò S. qui exiſtit de Patre procedendo,non eſt ille,qui eſt de Patre naſcendo. Item cùm dicitur, Deus eſt Spiritus S. te quirit vnitas prædicta, Patrem quoque,& Filium eſſe Spiritum S.ſed nec Pater de quo eſt Spiritus S. poteſt ille eſſe,qui de ſe eſt: nec Filius,qui exiſtit de Patre naſcendo,eſt ille,qui de eodem Patre eſt procedendo, id eſt, Spiritus S. *Cùm autem apparebit,* quia Spiritus S. eſt de Filio; tunc quoque palàm erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus S. & Spiritus S. Filius. *Conſideremus adhuc,* quomodo ſupradictæ oppoſitiones obſiſtunt conſequentiæ prædictæ vnitatis. Deus eſt de Deo. Hoc ergo ſemel accepto, quoniam idem Deus eſt Pater,& Filius, & Spiritus S.ſequitur ſecũdùm hanc identitatẽ, vt Deus Pater ſit Deus de Deo,& Deus de quo eſt Deus: & ſimiliter Filius Deus de Deo,& Deus de quo eſt Deus;& eodem modo Spiritus S. Verũ quęrere vtrũ vnuſquiſque ſit Deus,de quo eſt Deus;non eſt aliud,quã conſiderare, vtrùm ſingulus quiſque ſit Deus de Deo. Non enim poteſt de Deo Deus eſſe,niſi Pater,aut Filius,aut Spiritus S.& niſi de Patre,aut de Filio,aut de Spiritu S.Inſpiciamus ergo vtrùm vnuſquiſque ſit Deus de Deo:& patebit vtrùm ſit ſingulus quiſque Deus, de quo eſt Deus. *Sed Pater non poteſt eſſe de Deo, propter prædictam oppoſitionem.* Cùm enim non ſit Deus,niſi aut Pater, aut Filius,aut Spiritus S. aut duo ex his, aut tres ſimul: non poteſt eſſe Deus Pater de Deo,niſi aut de Patre, hoc eſt de ſe ipſo,aut de Filio,aut de Spiritu S.aut de duobus,aut de tribus. De ſeipſo non poteſt eſſe: quia exiſtens de aliquo,& de quo exiſtit, non poteſt idẽ eſſe. De Filio non eſt,quia Filius eſt de ipſo, & ideo nõ poteſt eſſe de Fi-

lio. De Spiritu S. non eſt, quia de illo eſt Spiritus S.neque valet eſſe ille, qui de ſe eſt. De duobus vel de tribus ſimul nequit eſſe Pater, propter eandẽ oppoſitionis rationem. Filium verò Deum neceſsè eſt eſſe de Patre Deo, quia Pater non eſt de illo. De Filio verò, hoc eſt, de ſe ipſo eſſe nequit: quia non eſt idem exiſtens de aliquo, & de quo exiſtit. Vtrũ autẽ ſit de Spiritu S.aut Spiritus S.de illo pòſt mõſtrabitur. Sed priùs dicemus de Spiritu S. ſi ſecúdùm conſequentiã prædictã ſit de Patre, & de ſeipſo. De Patre quidẽ, neceſſe eſt eũ eſſe, quia nulla obviat oppoſitio; nõ enim Pater eſt de illo. De ſeipſo verò impoſsibile eſt eum eſſe: quia non poteſt exiſtens de aliquo, & de quo eſt, idem eſſe. In his omnibus nihil obviat conſequentiæ vnius identitatis, niſi aliqua de ſupradictis oppoſitio. Quod verò cognoſcitur, in omnibus, quæ de Deo dicuntur, immutabiliter evenire neceſſe eſt.

SCHOLIA IN CAPVT II.

Omnem rationem abſolutam eſſe communẽ tribus perſonis, & omnia vnum vbi non obviat relationum oppoſitio. Porrò id Theologorum effatum tradi ab Anſelmo hoc loci, quidquid alij negent. Mutua perſonarum activitas reijcitur. Error Sabellij refutatur: item & Arij. Qualiter vnitas, & pluralitas relationum ſuam conſequentiam ſervent.

34 EX Præmiſsis hucuſque nonnulla infert Anſelmus in hoc capite, quæ deſerviant controverſię dirimendæ. Præcipuũ verò omnium illorũ, & quaſi cæterorum baſſis eſt: Quidquid de vno Deo dicitur, affirmari debere de ſingulis perſonis: quoniam vnaquæque illarum eſt vnus, verus, & perfectus Deus. Porrò omnia quæ de vno Deo verè & catholicè dicuntur, ſunt abſoluta & cõmunia: penes quæ nulla relationis oppoſitio inter perſonas divinas eſt: ac proinde quidquid de vna perſona ſecundùm eam rationem dicitur, debet pariter de alia prædicari.

35 *VNITATIS DEI, QVÆ NVLLAS HABET PARTES*, &c. Si Deus partes haberet, ſive diviſionem aliquam penes abſoluta acciperet, poſſet alicui ex perſonis aliquid abſolutum convenire, quod non alteri. At vnitas Dei nullas habet partes: id eſt, nullam ſecundùm abſoluta diviſionem admittit. Nulli igitur ex perſonis convenit aliquid abſolutum, quin & alteri. Porrò vnitatem Dei in tribus perſonis eam eſſe, vt omnẽ partium diviſionem & compòſitionem excludat, veluti rem omnino certam ſtatuit Anſelmus ex traditis à ſe & demõſtratis in Monologio, cap. 15. & 16. De quibus vide plurima à nobis fusè tractata ibidem Tomo I. varijs Diſputationibus de Simplicitate divina, ſeu de ſumma vnitate trium perſonarum in eſſentia & perfectionibus abſolutis, quam & vno ore Patres Eccleſiæ Græci ac Latini profitẽtur. Porrò Athanaſius Orat. V. profert, μόναδα θεότητος ἀδιαίρετον, καὶ ἄσχιστον, id eſt, *vnitatẽ diuinitatis indiuiduã, minimeque ſciſſam.* Similiter & in lib. de Decretis Nicænæ Synodi ait: *Non oportere tres in deitates partiri admirabilem ac diuinam vnitatem.* Nazianzenus quoque Orat. XXXVII. *Indiuidua indiuiduis, vt vno verbo dicam, eſt diuinitas; ac velut in tribus Solibus ſibi cohærentibus vna lucis eſt commiſtio & temperatio.* Dionyſius cap. 5. de Divin. nomin. vnitatem Dei appellat, non ſolùm *vnificam vnitatis omnis*, verùm etiam *monadem, & henadem, propter ſimplicitatem & vnitatẽ excellentis impartilitatis.* Baſilius Epiſt. XLIII. ſimili ſtylo ait, inter Patrem, Filium, & Spiritum S. *nullã omninò ſectionẽ, aut diuiſionẽ, vel cogitatione cõcipi poſſe.* Mitto pleraque alia ex Græcis, ſimiliter & innumera ex Latinis Patribus teſtimonia, quoniam obuia ſunt.

36 *SVPRADICTA VERO RELATIONIS OPPOSITIO*, &c. Cùm tres divinæ perſonæ nullam diſtinctionem admittant penes vnitatem eſſentiæ, quæ tota in ſingulis & eadem prorſus eſt; ſubdit Anſelmus, ex oppoſitione relationum oriri, ne vna perſona ſecundùm proprietatem relativam ſit eadem cùm alia, aut dicatur de alia. Ita enim invicem cohærent vnitas eſſentiæ, & oppoſitio relationum, vt neutra impediat alteram: *nec vnitas* (Inquit) *amittat aliquando ſuam cõſequentiam, VBI NON OBVIAT ALIQVA RELATIONIS OPPOSITIO: nec relatio perdat quod ſuũ eſt, niſi vbi obſiſtit vnitas inſeparabilis.*

36 Ex his verbis Anſelmi emanavit commune illud Theologorum effatum: *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio.* Quare miror P. Vazquez, alioqui verſatiſsimum in lectione SS. Patrum, dixiſſe *I. P. diſp.* 147. *cap.* 4. tum id axioma eſſe falſum, tum præterea illud in S. Anſelmo nullum fundamentum habere. Miror, inquam: cùm Anſelmus verbis nuper exſcriptis, luculenter adſcribat diverſitatem differentiamque perſonarum divinarum ſoli relationum oppoſitioni. Perinde enim eſt dicere, *Vnitas non amittit aliquando ſuam conſequentiam, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio*; ac dicere, *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio.* Neque vllum diſcrimen, vel apparens, aſsignari poteſt inter vtramque propoſitionem. Quare dum Anſelmus priorem illam ad litteram tradit, meritò Theologi poſteriorem hanc ipſi acceptam ferunt. Quam multipliciter ex Concilijs & PP. probat Ruiz Tomo de Trinitate diſp. 1. ſect. 3. & diſp. 9. ſectione 5. Vnde & ad Græcos tranſlata fuit. inter quos Manuel Calecas lib. de Proceſſ. cap. 39. illam proponit generatim dicens: πάντα τὰ ἐπὶ θεοῦ λεγόμενα κοινῶς, &c. *Omnia quæ de Deo dicuntur communiter, & ſine vlla differentia, prædicari de omnibus perſonis, vbi non obſtat, relationis oppoſitio.* Vide quæ latè diximus circa hoc ſæpe Tomo II. præſertim Diſput. XCIII. Porrò axioma ipſum eſſe veriſsimum conſtat ex capite præcedenti: in cuius Scholijs oſtendimus luculentis Patrum teſtimonijs, diſtinctionem divinarum perſonarum vnicè oriri ex relationibus, quibus ſe invicē reſpiciunt. At in eo mutuo reſpectu conſiſtit relationum oppoſitio. Igitur diſtinctio perſonarum divinarum vnicè oritur ex relativa oppoſitione.

37 Dices, Anſelmum non potuiſſe exiſtimare, diſtinctionem perſonarum divinarum vnicè oriri ex relativa oppoſitione. Etenim cap. 4. ſequenti ait: *Habent vtique à Patre eſſe Filius, & Spiritus S. ſed diverſo modo; quia alter naſcendo, alter procedendo. Et ideo cùm naſcitur vnus, non poteſt cum eo naſci ille, qui per hoc alius ab eo, quia non ſimiliter naſcitur, ſed procedit. Et cùm vnus procedit, nequit ille ſimul procedere, qui per hoc eſt alius ab illo, quia non ſimiliter procedit, ſed naſcitur. Et ideo non habet vnitas illa vim conſequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex natiuitate naſcitur, & proceſsione. NAM ETSI PER ALIVD NON ESSENT PLVRES FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS, PER HOC SOLVM ESSENT DIVERSI.* Igitur Anſelmus exiſtimat Filium diſtinguendum fore ab Spiritu ſancto per hoc ſolùm quòd ille naſcatur, hic procedat à Patre, adhuc dato quòd aliunde non eſſent plures, aut diverſi: id eſt, dato adhuc quòd Spiritus S. à Filio non procederet. At in ea hypotheſi, nulla eſſet inter vtrumque relationis oppoſitio. Hæc enim ſolum datur inter principium & terminum ab eo procedentem. Non ergo Anſelmus exiſtimat diſtinctionem perſonarum in divinis vnicè oriri ex oppoſitione relationum.

38 Reſpondent aliqui S. Doctorem verbis nuper exſcriptis non ex ſuo, ſed aliorum ſenſu loquutum. quippe ex animi ſententia affirmantem in hoc capite vnitatem in divinis nunquam amittere ſuam cōſequentiam, vbi non obſiſtit aliqua relationis oppoſitio. Quare hac excluſa, nullam inter divinas perſonas diſtinctionem ſeu diverſitatem realem agnoſcere.

39 Sed enim videtur abſque fundamento dictum, S. Anſelmum non protuliſſe ea verba ex animi ſententia. Quin & oppoſitum planè conſtat ex contextu. Cùm enim obieciſſet ſibi quandam difficultatem, reſpondet dicens: *Ad quod ego: Habent vtique à Patre eſſe, &c.* vt nuper vidimus. Ipſe igitur Anſelmus ex ſenſu ſuo illam doctrinā tradit. Quare vtrumque componendum eſt ex ipſius mente: alterum, divinas perſonas invicem differre pro oppoſitione relationum; vnāque ab altera diſtingui quatenus ipſi reſpondet oppoſita relatione: alterum, eas quoque differre iuxta modum diverſum procedendi. Et quidem prior pars ex verbis prioribus Anſelmi in hoc capite, atque ex effato illo Theologorum communi inde deſumpto, conſtat. Si enim in divinis *vnitas ſuam conſequentiam ſervat*, vt loquitur Anſelmus, ſive *omnia ſunt vnum*, vt ingeminant Theologi, *vbi nulla obviat relationis oppoſitio*; planè ſequitur, quamvis plures ſint relationes, ſi tamen non opponuntur invicem, non poſſe plures eſſe perſonas. Nimirum, diſtinctio realis perſonarū provenit ab oppoſitis relationibus in ſenſu formali, ſive tanquam à formis, quibus perſonæ ipſe conſtituuntur, & diſtinguuntur: vt ſuperiori capite ex eodē Anſelmo, & alijs Patribus, oſtenſum planè eſt. Cūque nullus effectus, aut quaſi effectus formalis eſſe poſſit, niſi proveniens à forma; neceſſariò ſequitur, diſtinctionem perſonarum fore nullam, ſi nulla inter eas eſſet relationum oppoſitio.

40 Poſterior verò pars, nimirum, perſonas Filij & Spiritus ſancti diverſas exiſte-

exiſtere penes diverſam originem, ſeu modum procedendi, traditur quidem à D. Anſelmo, & vera eſt: ſed in ſenſu, qui *cauſalis* dicitur. Quamvis enim formæ diſtinguentes ſint relationes oppoſitæ, vt modò diximus; tam relationes ipſæ, quàm perſonæ, ex diverſis proceſsionibus exiſtunt: & rurſus proceſsiones ab ipſis relationibus oppoſitis, tanquam à formis, habent vt ſint diverſæ. Quod luculenter exponit idem Anſelmus in præſenti verbis illis: *Supradicta verò relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia ſupradictis duobus modis* (nimirum, naſcendo, & procedendo) *Deus de Deo eſt*, &c. Vbi ipſam relationum oppoſitionum naſci ait ex diverſo procedendi modo: tanquam hic ſit origo, & veluti cauſa illius. Exemplo res vtrumque declarari poteſt in eodem architecto, & filium gignente, & domum ædificante. Etenim filius dupliciter à domo differt: primò & in ſenſu formali, ratione diverſæ naturæ, quâ conſtituitur in ſe, & diſtinguitur ab omni alio: ſecundò & in ſenſu cauſali, rationе diverſæ actionis, per quam procedit: ſiquidem filius habet eſſe per generationem; domus autem per molitionem & ædificationem. Sic etiam quoddammodo in divinis, Filius & Spiritus ſanctus in ſenſu formali differunt ſola relationum oppoſitione: in cauſali verò, diverſa proceſsione, ſive modo procedendi.

41 Hoc eodem modo mentem & ſenſum S. Anſelmi interpretatur D. Thomas 1. P. q. 36. ar. 2. ad 2. vbi cùm obieciſſet ſibi verba illa eiuſdem Anſelmi ſuperiùs exſcripta, reſpondet: *Spiritum ſanctum diſtingui perſonaliter à Filio in hoc, quòd origo vnius diſtinguitur ab origine alterius: ſed ipſam differentiam originis eſſe per hoc, quòd Filius eſt ſolùm à Patre; Spiritus S. verò à Patre & Filio. Non enim aliter proceſsiones diſtinguerentur.* Itaque ex mente vtriuſque communis Magiſtri, diſtinguuntur quidem perſonaliter Filius & Spiritus ſanctus; quoniam diverſis proceſsionibus exiſtunt, quaſi ſenſu cauſali. Verùm ipſa originum diverſitas deſumitur in ſenſu formali per hoc quòd Spiritus S. procedat à Patre & Filio, in quo conſiſtit relativa cum vtroque oppoſitio. Quapropter ex mente ipſorum, niſi inter Filium & Spiritum S. intercederet relativa illa oppoſitio producentis & producti, non diſtinguerentur perſonaliter, ſed illi duo proceſsionis modi confluerent in vnam eandemque reipſa perſonam: quemadmodum in re vnica perſona eſſet filius & domus architecti, ſi non haberent formam diſtinguentem intimè vnum ab alio, quamvis filius per generationem, & domus per ædificationem exiſteret. Eſt & aliud ſimile apud eundem Anſelmum infrà *cap.* 5. dum ait: *In Patre & Spiritu ſancto, non quia alius Filium habet, idcirco ſunt diverſi: ſed quoniam diverſi ſunt, idcirco nihil prohibet, eos in habendo & non habendo Filium eſſe diſsimiles.* Nimirum, tota diſtinctio Spiritus S. à Patre in ſenſu formali provenit à relationum oppoſitione, & ex illa colliguntur cæteræ inter vtrumque diſtinctiones; quemadmodum & ex relativa oppoſitione inter Filium & Spiritum S. veluti ex ratione formali, colligitur diverſa origo vtriuſque. Sic etiam ex diverſitate formali filij atque domûs, ſuadetur diverſitas originis vtriuſque, vt proinde filius per generationem à patre, & domus per molitionem ædificationemque ab architecto procedat. Sed de hoc latiùs egimus Tomo II. Diſp. XCIII. adverſus Scotum, eiuſque diſcipulos, & præſertim Maſtrium, inquirentes, differretne Spiritus ſanctus à Filio ſi non procederet ab illo. Vide Scholia cap. ſeq. prope finem.

42 *QVOD SI PER EXEMPLA CONSIDEREMVS, CLARIVS ERIT*, &c. Exponit qualiter nec vnitas in divinis amittat ſuam conſequentiam, vbi non obviat aliqua relationis oppoſitio; nec relatio perdat quod ſuum eſt, vbi non obſiſtit vnitas inſeparabilis: vt immediatè præmiſerat. Ac primò quidem ait, eo quòd Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſint perſonæ invicem diſtinctæ, nullatenus inferri eſſe plures deos: quoniam diſtinctio illorum ſecundùm oppoſitionem relativam, non impedit vnitatem eſſentiæ, quæ in tribus perſonis abſoluta, & eadem omnino eſt. Deinde cùm tres perſonæ ſervent vnitatem in eſſentia, neceſſum eſt, vt etiam illâ ſervent in æternitate, omnipotentia, iuſtitia, & qualibet alia perfectione abſoluta: ac proinde vt non ſint tres æterni, omnipotentes, iuſti, &c. ſicut non ſunt tres dij, ſed vnus. Quippe in his perfectionibus nullam oppoſitionem relativam habent, ac proinde nec pluralitatem. hæc enim dumtaxat oritur ex oppoſitione relativa. Quod totum ferè habetur in Symbolo S. Athanaſij, vbi quemadmodum tres deos dicere prohibemur, aut credere; ita etiam tres omnipotentes, increatos, immenſos, aut æternos. Circa quæ diſſeruimus latè & ex profeſſo eodem Tomo II. Diſput. LXXI. & tribus ſequentibus cum Anſelmo in cap. 38. Monologij, inquirentes, quænam nomina, ſeu prædicata, multiplicentur in divinis perſonis.

43 *VIDEAMVS NVNC QVOMODO HANC VNITATIS CONSEQVENTIAM RESTRINGAT RELA-*

LATIO. Quemadmodum paulo antè probavit, ex pluralitate perſonarum non inferri pluralitatem in eſſentia, & quibuſlibet perfectionibus abſolutis, quoniã obſiſtit vnitas, penes quam nulla eſt relativa oppoſitio: ita etiã modò probat ex vnitate eſſentiæ non impediri pluralitatem perſonarum; quoniam obviat relationis oppoſitio, quæ prohibet Patrem, Filium, & Spiritum S. eſſe vnam perſonam.

44 *QVIPPE NEC NATVRA PERMITTIT, NEC INTELLECTVS CAPIT, EXISTENTEM DE ALIQVO ESSE, DE QVO EXISTIT*, &c. Affert rationem aliam, vt probet conſequenter perſonam Patris eſſe omninò aliam à perſonis Filij & Spiritus ſancti, in hunc ferè modum. Omne quod accipit eſſe ab aliquo, debet diſtingui re ipſa ab illo. At perſona Filij & Spiritus ſancti habet eſſe à perſona Patris. Ergo perſona Filij & Spiritus ſancti diſtinguuntur realiter à perſona Patris. Maior propoſitio, in qua ſola poſſet eſſe diſſidium, videtur lumine naturæ nota: quoniam nec reipſa fieri, nec cogitatione comprehendi poteſt, vt aliquid procedat à ſe ipſo, vel, quod perinde eſt, ſit principium, aut cauſa ſui ipſius, ſed alterius dumtaxat. Eſt equidem ſub opinionibus poſitum, an aliquid poſſit eſſe principium ſui ipſius quoad ſecundum eſſe: & affirmantem ſententiam tuentur Suarez *3. P. diſp.* 50. Arriaga in Phyſicâ *diſp. 7. num.* 14. Tellez *diſp. 26. ſect.* 2. Comptonus *diſp.* 59. Alij negant, vt Valentia *diſp. 2. q.* 23. Coninch. *q.* 75. *num.* 176. Lugo *diſp.* 7. de *Euchar. ſect.* 2. Moneæus *diſp.* 10. *cap.* 16. Vazquez *1. P. diſp.* 176. & ex Philoſophis Oviedus *in Phyſica controv. 9. puncto* 10. Pontius *diſp.* 40. *ſect.* 4. vt alios omittam. Cæterum omnes ij, ac cæteri, ſive Philoſophi, ſive Theologi, certum exploratumque habent, nullam rem poſſe efficere ſe ipſam, quoad primum eſſe, ſive, quod perinde eſt, nullam rem poſſe eſſe principium vel cauſam ſui ipſius quoad primum eſſe. Idque demonſtratur ſic. Omne quod habet rationem principij aut cauſæ, debet præcedere, ſeu præſupponi exiſtens, antequam det primum eſſe alicui. At nulla res poteſt præcedere, ſeu præſupponi exiſtens ante ſe ipſam. Nulla igitur res poteſt eſſe principium aut cauſa ſui quoad primum eſſe. Vrgetur primò. Quidquid accipit primũ eſſe, ante ſui productionem ſupponitur nondum eſſe: quidquid autem eſt principium aut cauſa dans primum eſſe alicui, ante ipſam productionem ſupponitur iam eſſe. Atqui repugnat eandem rem ſupponi exiſtentem iam, & nondum exiſtentem. Ergo repugnat eandem rem à ſe ipſa accipere primum eſſe, aut eſſe cauſam vel principium ſui quoad eſſe primum. Vrgetur ſecundò. Ideo, admiſſa illa priori opinione, poteſt aliquid eſſe principium aut cauſa ſui ipſius quoad ſecũdum eſſe, quia ante illud ſupponitur ſimpliciter exiſtẽs per primum eſſe. At repugnat omnino aliquid ante ſuum primum eſſe ſupponi ſimpliciter exiſtens per primum eſſe. Ergo & omnino repugnat aliquid eſſe principium aut cauſam ſui ipſius quoad primum eſſe. Cùm igitur perſona Patris det Filio ac Spiritui ſancto primum eſſe; repugnat pariter Patrem eſſe vnam eandemque cum ijs perſonam. Qua ratione ſæpe vtitur Anſelmus in hoc Opuſculo, & ſemel id adnotaſſe ſufficiat. Vide plura circa id ipſum à nobis obſervata in Metaphyſica Diſp. 4. ſect. 2. & Tomo I. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. XII. ſect. 6. & 7. ad mentem eiuſdem S. Doctoris.

45 *ID IPSVM ET COGNOSCITVR*, &c. Proſequitur eandem doctrinam, ne Filius ſit Pater, & ne Spiritus S. Pater ſit, quamvis eandem cum illo naturam divinam habeant: quia, non obſtanti vnitate eſſentiæ, verè Filius & Spiritus ſanctus habent ſuum eſſe à Patre, tanquam à principio dante ijs eſſe. Nulla autem res poteſt eſſe eadem cum principio aut cauſa, quæ dat ipſi eſſe: vt nuper demonſtratum eſt. Non ergo Filius aut Spiritus ſanctus poteſt eſſe eadem perſona, ac Pater.

46 *CVM AVTEM APPAREBIT, QVIA SPIRITVS S. EST DE FILIO*, &c. Nimirum, in hoc capite nondum probat Spiritum S. de Filio procedere. Sed tantum præmittit, ſi ſemel Spiritus S. de Filio procedat, aut è contrà, neceſſum eſſe vt alter ab altero re ipſa diſtinguatur: quoniam neceſſaria eſt realis diſtinctio *τοῦ αἰτίου, καὶ αἰτιατοῦ*, vt Græci loquuntur, id eſt, principij, & procedentis à principio, quod barbarè aliqui dicunt *principiatum*.

47 Nota, doctrinam præiactam Anſelmi directè contrariam eſſe errori illorum hæreticorum, qui nullam in divinis perſonarum diſtinctionem realem admittebant. Tales erant ij, quos S. Cyprianus *Epiſt.* 73. & Marius Victorinus *lib. 1. contra Arium*, & Tertullianus *lib. de Præſcriptionibus cap. extremo*, redarguunt, quòd dicerent Patrem Filiumque vnam eſſe perſonam; ideoque Patrem ipſum pro hominibus incarnatum & paſſum fuiſſe. Propterea *Patripaſſiani* communiter appellati ſunt. Monet verò Tertullianus ipſe eo loco ſub finem, Praxeam hæreticum tradidiſſe eiuſmodi errorem. Ait enim: *Sed poſt hos omnes* (nimirum, Cataphryga-

ſtas;

ſtas, de quibus paulo antè egerat) *etiam Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deū Patrem omnipotentem Ieſum-Chriſtum eſſe dixit, hunc crucifixum, paſſumque contendit. mortuum præterea ſeipſum ſibi ſedero ad dexteram ſuam cum profana & ſacrilega temeritate contendit.* Valentinus quoque, hæreticus antiquiſsimus dixit, totam Trinitatem paſſam fuiſſe: fortaſſe quia nullam agnovit diſtinctionem perſonarum in divinis. S. Ignatius Martyr ſimiliter in Epiſtola ad Trallianos meminit erroris quorundam vnam dumtaxat perſonam in Deo ponentium. Verùm poſtea Sabellius eam ſectam inſtauravit, ac ſuo ipſius nomine famoſiorem reddidit, quàm olim fuiſſet apud Noetianos, qui & ipſi illam tradiderant: vt obſervat S. Auguſtinus *lib. de Hæreſ. ad Quod vult Deum hær.* 41. vbi & miratur S. Epiphanium diſtinxiſſe hæreſim Noetianorum à Sabelliana, cùm verè vna eademque fuerit. *Noetiani enim,* ait, *difficillimè ab aliquo ſciuntur: Sabelliani autem ſunt in ore multorum. Nam & Praxeanos à Praxea quidam vocant, & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt; qui Praxeas & Hermogenes eadem ſentientes in Africa fuiſſe dicuntur. Nec tamen iſtæ plures ſectæ ſunt, ſed vnius ſectæ plura nomina ex ijs hominibus, qui in ea maximè innotuerunt: ſicut Donatiſtæ ijdem Parmenianiſtæ: ſicut Pelagiani ijdem Cœleſtiani.* Porrò præcipuam hęreſim Sabellij ſcribit Euſebius *lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap.* 4. cœpiſſe audiri tempore Imperatorum Decij ac Voluſiani, ſub Pontifice Romano Stephano aut Sixto, circa annum Chriſti CC. LVII. Eius verò ac ſequacium errorem deſcribit Epiphanius Hæreſi LXII. hiſce verbis: Δογματίζει γὰρ οὗτος, &c. *Docet enim ipſe* (Sabellius) *& qui ab eo Sabelliani dicuntur, eandem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; vt ad eandem hypoſtaſim tres appellationes conveniant, aut perinde atque in vno homine corpus, & anima, & ſpiritus ineſt: ita vt corporis inſtar ſit Pater, animæ Filius, Spiritus denique in ipſa Diuinitate ſpiritus inſtar habeatur.* Iidem verò Sabelliani etiam Patripaſſiani dicti ſunt, teſte Athanaſio *in lib. de Synodis,* & Auguſtino Tractatu XXXVI. in Ioannem, vbi ita loquitur: *Sabelliani dicti ſunt quidam hæretici, qui vocantur Patripaſsiani; qui dicunt ipſum Patrem paſſum fuiſſe.* Porrò ij ſola nominum appellatione, aut functione, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum diſtinguebant. Quem ipſum errorem S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXI. appellat θεότητος συστολὴν *diuinitatis contractionem,* quaſi numerus perſonarum divinarum ad vnitatem contrahatur. Similiter Orat. I. illum appellaverat ἀθεότητα, *atheiſmum:* quoniam negare Trinitatem veram perſonarum eſt, quaſi de medio tollere divinitatem veram, quæ non, niſi in tribus perſonis eſt. Baſilius autem Epiſt. quarta & ſexageſima illum notat veluti Iudaiſmum palliatum, dum ait: Ἰουδαϊσμός ἐστιν ὁ Σαβελλισμός, &c. *Iudaiſmus eſt Sabelliſmus ſub prætextu Chriſtianiſmi in Euangelicam prædicationem invectus. Qui enim rem vnam pluribus nominibus appellatam eſſe dicit Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & vnam trium hypoſtaſim exponit, quid aliud facit? Nonne ſempiternam Vnigeniti, qui ſæcula anteceſsit, exiſtentiam negat? Negat item adventum illius ad homines quadam diſpenſatione factum, deſcenſum ad inferos, reſurrectionem, iudicium. Negat porrò peculiares etiam Spiritus operationes.* Deinde circa finem epiſtolę notat veluti *perſonarum fictionem ſubſiſtentiæ expertem,* quod Sabellius comminiſcebatur, *eundem Deum vnum ſubiecto exiſtentem, prout rerum opportunitates ſingillatim poſtulant, transformari; ac modo tanquam Patrem, modò tanquam Filium, modò tanquàm Spiritum ſanctum loqui.*

48 Hunc itaque errorem obiter confutat Anſelmus impræſentiarum ex doctrina fidei, in ſacris litteris expreſſa, qua dicitur, Filium à Patre gigni, & Spiritum ſanctum ex Patre procedere. Si autem vna eademque perſona eſſent ij cum Patre reipſa, neuter illorum procederet ex Patre: quippe nihil poteſt oriri aut procedere ex ſe ipſo, ſed dumtaxat ex principio reipſa diſtincto. Neceſſum igitur eſt, perſonas Filij & Spiritus ſancti eſſe reipſa, & non appellatione ſolùm, alias à perſona Patris. Quo eodem ferè argumento contra ipſos Sabellianos vſi ſunt Eccleſiæ Patres: atque in primis Athanaſius Orat. V. Cyrillus Alexandrinus, & Hilarius initio lib. XII. de Trinitate illis verbis: *Non per ſe eſt qui per natiuitatem eſt; neque non natus eſt, qui Filius eſt.* Quaſi dicat, neminem poſſe eſſe filium ſui ipſius, ſed alterius, à quo naſcitur. Cùm igitur Filius Dei naſcatur ex Patre, ſanè alius à Patre eſt. Eadem verò ratio vrget, vt Spiritus ſanctus ſit alius à Patre, quoniam ab illo procedit; & nihil poteſt ex ſe ipſo procedere. Plura alia circa eum Sabellij errorem, eiuſque impugnationem, fusè dedimus iuxta mentem Anſelmi Tomo II. Diſputatione LIV. ſectione 3. & Diſputat. LVII. per totam.

CON-

49 *CONSIDEREMVS ADHVC QVOMODO SVPRADICTÆ OPPOSITIONES OBSISTVNT CONSEQVENTIÆ PRÆDICTÆ VNITATIS: DEVS EST DE DEO.* Expendit ampliùs qualiter cohæreat vnitas perſonarum ſecundùm eſſentiam, & oppoſitio ſecundùm relationes, aſſumpta priùs, ſeu ſuppoſita hac propoſitione: *DEVS EST DE DEO.* Quæ particula primùm adiecta eſt Symbolo Apoſtolorum in Nicæna Synodo contra Arium, Euſebium Nicomedienſem, & alios vtriuſque aſſeclas, infeſtos *τοῦ ὁμουσίου*, id eſt, *conſubſtantialitatis* hoſtes, qui dolis ac varijs artibus eludere conabantur Catholicam doctrinam de vera divinitate Verbi. Ideo Nicæni Patres in Symbolo exprimi voluerunt: *Ex Patre natum vnigenitum, id eſt, ex ſubſtātia Patris, DEVM EX DEO, lumen ex lumine, DEVM VERVM EX DEO VERO, genitum non factum, conſubſtantialem Patri.* Quibus particulis omnia Arianorum effugia præcluſa ſunt. Aiebant illi, Verbum ex nihilo, inſtar aliarum rerum, fuiſſe productum. Patres Nicæni è contrà, *ex Patre, ex ſubſtantia Patris*: quod nulli creaturæ competit. Ariani non Deum, aut certè non verum aiebant. Patres contrà, *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero.* Dicebant illi, Verbum eſſe filium Dei per gratiam: quod & hominibus iuſtis commune eſt. At Patres *Vnigenitum* expreſſerunt, quod eſt ſingulare prorſus. Ariani factum diſſeminabant. Synodus Nicæna contrà, *genitum, non factum.* Denique ne, vel apparenter eluderent Ariani doctrinam Symboli, dum quidam illorum Verbum appellabant *ὁμοιούσιον*, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ cum Patre, Nicæni Patres poſuerunt, *ὁμοούσιον*, *conſubſtantialem*: quo ſignificaretur, eandem prorſus eſſe ſubſtantiam, ſive eſſentiam Patris & Filij.

50 Ex illo itaque articulo fidei, *DEVS EST DE DEO*, procedit Anſelmus ad veſtigandum, qualiter oppoſitio relationum in divinis obſiſtat, aut non obſiſtat conſequentiæ illatæ ex vnitate in eſſentia. Ac primò quidem obijcit ſibi rationem dubitandi: quia ex illa propoſitione videbatur dicendum, vnamquamque perſonam, ſicuti verè eſt Deus, ſic eſſe Deum de Deo: proindeque & Patrem futurum Deum de Deo. Reſpondet verò ſtatim,

51 *SED PATER NON POTEST ESSE DE DEO, PROPTER PRÆDICTAM OPPOSITIONEM.* Idque ferè ſic probat. Non poteſt Pater eſſe Deus de Deo, niſi ſit, vel de ſeipſo, vel de Filio, vel de Spiritu ſancto. Neque enim quiſquam alius præter illos tres eſt Deus. At ex ſe ipſo eſſe non poteſt: cùm nemo poſsit dare exiſtentiam ſibi, aut eſſe principium vel cauſa ſui ipſius. Præterea, nec Pater poteſt habere oppoſitionem relativam cum ſe ipſo: quoniam omnis oppoſitio eiuſmodi eſt ad alterum. Deinde non poteſt eſſe Deus de Filio Deo, nec de Spiritu ſancto Deo: quoniam vnicuique eorum dat eſſe. repugnat verò vt Pater accipiat eſſentiam vel eſſe ab ijs, quibus eſſentiam communicat & dat eſſe. Non ergo vllo pacto Pater eſt Deus ex Deo. Supereſt itaque vt Filius ſit Deus de Deo; & ſimiliter Spiritus ſanctus, quoniam vnuſquiſque eorum habet eſſe ex Patre, alter naſcendo, & alter procedendo; atque vterque habet relativam cum eo oppoſitionem, producti & producentis.

52 Obiter nota, præiactâ conſideratione S. Anſelmi præcludi evaſionem atheorum hominum recurrētium ad circulum cauſarum, vbi impetuntur & vrgentur principio illo, *OMNE QVOD FIT, AB ALIO FIT.* Nimirùm, nullus eſt locus vt in toto cauſarum circulo ſint aliquæ invicem efficientes, quæ vel immediatè, vel etiam mediatè, ſibi mutuò exiſtentiam tribuant: quoniam cauſa efficiens cuiuslibet rei debet ſupponi exiſtens antequam illam producat: ac proinde in ſuo eſſe nullatenus poteſt pendere ab eo, neque ab vllo ipſius effectu, in quo eadem ratio vrget. Ergo oportet ac neceſſum eſt in toto cauſarum omnium cumulo eſſe aliquam nullatenus factam, à qua cæteræ omnes fiant, & pendeant, tum in eſſe, tum in operari; quam Deum Optimum Maximum appellamus. Verùm de hoc ex profeſſo, & iuxta ſeveram diſſerendi methodum egimus in Metaphyſica allegata *diſp. 4. ſect. 2.* Præcluditur, inquam, ea evaſio eâdem ratione, quâ Anſelmus hoc loco probat, Patrem non poſſe procedere à Filio aut Spiritu ſancto, quoniam vtrique illorum tribuit eſſe: & nulla res poteſt accipere eſſe ab illo, cui exiſtentiam tribuit.

53 *QVOD VERO IN HIS COGNOSCITVR*, &c. Ex conſiderationibus præiactis monet plures alias inferri poſſe, iuxta quas vnitas Dei ſecundùm eſſentiam, & quamlibet perfectionem abſolutam, cohæreat cum pluralitate perſonarum, proveniente in ſenſu formali ex oppoſitione relativa. Itaque omnia illa, in quibus divinæ perſonæ nullam prorſus oppoſitionē relativam inter ſe habēt, debent eſſe vnū & omninò idem in tribus: ea verò, penes quæ invicem opponuntur, neceſſariò plura ſunt. Ex qua doctrina, ac cæteris toto capite traditis, vberrima ſeges & opportuna occaſio ſeſe offert Theologis ad plures diſputationes iuxta ritum Scholæ, quas profligavimus locis paulo antè indicatis.

CAPVT TERTIVM.

ASSERTIO PRAECIPVA S. ANSELMI, SPIRITVM S. ex Filio procedere. Prima probatio ex vnitate Dei, iuxta quam neceſſum ſit Spiritum S. ex Filio procedere, ſiquidem hic ex eo non oritur.

NVNC Quærendum eſt per ſupra dictas irrefragabiles rationes, vtrùm Filius ſit de Spiritu S. aut Spiritus S. de Filio. Dico, quia ſicut per ſupra dictam rationem, aut Pater eſt de Filio, aut Filius de Patre, & ſimiliter aut de Spiritu S. Pater, aut Spiritus S. de Patre: Ita eſt, aut Filius de Spiritu S. aut Spiritus S. de Filio. *Quod, qui negat*, neget etiam neceſſum eſt, vnũ ſolum Deum eſſe, aut Filium Deum eſſe, aut Spiritum S. Deum eſſe, aut Deum eſſe de Deo: quia ex his, ſequitur quod dico. *Ampliùs* non eſt Filius, aut Spiritus S. de Patre, niſi de Patris eſſentia: quæ vna eſt illi cum Filio, & Spiritu S. Cùm ergo dicitur, quia Filius eſt de Deo Patre; ſi idẽ Deus eſt, Pater & Spiritus S. ſequitur ſecundùm vnitatem Deitatis, vt ſit etiam de Spiritu S. *Eodem modo*, quando confitemur Spiritum S. eſſe de Deo Patre, ſi idem Deus eſt Pater, & Filius, ſequitur ſecundùm eandem Deitatis vnitatem, vt ſit & de Filio. *Ex his igitur* apertè cognoſcitur, quia aut Filius eſt de Spiritu S. aut Spiritus S. de Filio, quoniam vtrũque nequit eſſe verum, aut falſum. Neceſſe eſt ergo Spiritum S. eſſe de Filio, ſi poteſt monſtrari Filium non eſſe de illo. *Nam ſi quis dicit* non ſequi Filium eſſe de Patre, & Spiritu S. idcirco, quoniam vnus eſt Deus Pater, & Spiritus S. etiam ſi non opponitur aliud; aut Spiritum S. eſſe de Patre, & Filio, quoniam vnus eſt Pater, & Filius, quamvis non ſit Filius de Spiritu S. *Conſideret*, quia cùm eſt Deus de Deo, aut eſt totus de toto, aut pars de parte, aut totus de parte, aut pars de toto. Sed Deus nullam habet partem. Impoſsibile igitur eſt, ſi Deus eſt de Deo, vt totus ſit de parte, aut pars de toto, aut pars de parte. Neceſſe eſt igitur, vt ſi eſt Deus de Deo, totus ſit de toto. Cùm ergo Filius dicitur eſſe de Deo, qui eſt Pater, & Spiritus S. aut alius totus erit Pater, alius totus Spiritus S. vt de toto Patre ſit, & non de toto Spiritu S. aut ſi idem totus Deus eſt Pater, & Spiritus S. ex neceſsitate cùm eſt de Deo toto, qui eſt vnus totus, tam Pater, quàm Spiritus S. eſt pariter de Patre, & Spiritu S. ſi non repugnat aliud. *Eodem modo*, cùm dicitur Spiritus S. eſſe de toto Deo, qui eſt Pater & Filius, aut alius totus erit Pater, alius totus Filius, vt ſit de toto Patre, & non de toto Filio Spiritus S. aut cùm eſt de Patre Spiritus S. non poteſt non eſſe de Filio, ſi non eſt Filius de Spiritu ſancto. Nulla enim alia ratione poteſt negari Spiritum ſanctum eſſe de Filio. *Dicet aliquis*, ſi quoniam vnus Deus eſt Pater, & Spiritus, cùm Filius

eſt de Patre, ſequitur eum eſſe de Spiritu S. aut cùm Spiritus S. eſt de Patre, quia idem eſt Deus Pater, & Filius, eſt etiam de Filio: cùm Pater gignit Filium, neceſſe eſt eum gignere quoque Spiritum ſanctum, quia vnus idémque Deus eſt Filius, & Spiritus S. Et cùm Spiritus ſanctus procedit de Patre, propter eandem vnitatem Deitatis Filij, & Spiritus ſancti procedit & Filius de Patre, ita ſicut Spiritus ſanctus. Si verò vnitas Dei in Filio, & Spiritu ſancto, non illam habet vim conſequentiæ, vt vterque ſimiliter ſit genitus, & procedens: videtur, quòd non ex eo, quòd vnus Deus eſt Pater, & Spiritus ſanctus, ſequitur Filium eſſe de Spiritu ſancto, aut Spiritum ſanctum eſſe de Filio: quoniam idem Deus eſt Pater, & Filius, vt dicis. *Ad quod ego*: Habent vtique à Patre eſſe Filius, & Spiritus S. ſed diverſo modo: quia alter naſcendo, alter procedendo, vt alij ſint per hoc ab invicem, per hoc, quod dictum eſt. Et ideo, cùm naſcitur vnus, non poteſt cum eo naſci ille, qui per hoc eſt alius ab eo, quia non ſimiliter naſcitur, ſed procedit. Et cùm vnus procedit, nequit ille ſimul procedere, qui per hoc eſt alius ab illo: quia non ſimiliter procedit, ſed naſcitur. Et ideo non habet hic vnitas illam vim conſequentiæ: quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate naſcitur, & proceſsione. *Nam, & ſi per aliud non eſſent plures*, Filius, & Spiritus ſanctus: per hoc ſolùm eſſent diverſi. *Cùm autem dico* ex eo, quia Pater vnus Deus eſt cum Filio, aut cum Spiritu ſancto, ſequi Filium eſſe de Spiritu ſancto, aut Spiritum ſanctum eſſe de Filio; nulla ibi pluralitas generatur, quæ vnitatis obviet conſequentiæ: quia non vtrumque dico eſſe, ſed alterum tantùm. Omnimoda igitur, & inexpugnabili neceſsitate concluditur, quia (ſi vera ſunt, quæ ſuprà dixi, nos pariter cum Græcis credere) aut Filius eſt de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus eſt de Filio. Quòd autem Filius non ſit de Spiritu ſancto, palam eſt ex Catholica Fide. Non enim eſt Deus de Deo, niſi aut naſcendo, vt Filius, aut procedendo, vt Spiritus S. Filius autem non naſcitur de Spiritu ſancto. Si enim naſcitur de illo, eſt Filius Spiritus ſancti, & Spiritus S. Pater eius: ſed alter alterius, nec Pater, nec Filius eſt. Non ergo naſcitur de Spiritu ſancto Filius. Nec minùs apertum eſt, quia non procedit de illo. Eſſet enim ſpiritus eiuſdem Spiritus S. Quod apertè negatur, cùm Spiritus ſanctus dicitur, & creditur ſpiritus Filij. Non enim poteſt eſſe ſpiritus ſui ſpiritus. Quare non procedit Filius de Spiritu ſancto. Nullo ergo modo eſt de Spiritu ſancto Filius. Sequitur itaque inexpugnabili ratione, Spiritum ſanctum eſſe de Filio, ſicut eſt de Patre.

SCHOLIA IN CAPVT III.

Inſtauratur breviter præmiſſa apud Græcos & Latinos certas expenditurque præcipua ratio. Anſelmi probans, neceſſum eſſe, vt vel Filius procedat ex Spiritu ſancto, vel è contra. Porrò prius ex his repugnare, ideoque poſterius eſſe neceſſarium.

55 DIRIMIT Anſelmus præcipuam cõtroverſiam, & decernit, Spiritum S. verè ex Filio procedere: idque probare aggreditur ex doctrina in ſuperioribus tradita, communique apud Græcos & Latinos: cuius ſumma ad quædam præcipua capita revocatur. *Primum* eſt, vnum ſolum ac perfectum Deum eſſe, partium quarumlibet expertem, qui proinde totus ſit quidquid eſt: eum verò eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: vt ſive ſingulus dicatur, ſive tres ſimul, intelligatur ſemper vnus Deus; quamvis non idem ſignificet nomen Dei, ac Patris & Filij. *Secundum* eſt, nomen *SPIRITVS SANCTI* eſſe relativum: quoniam *ſpiritus* apud Latinos, ſicuti *πνεῦμα*, ſive *πνοὴ* apud Græcos, alicuius ſpiritus eſt, veluti *πνέοντος*, id eſt, ſpirantis. *Tertium*, aliam eſſe proceſsionem Spiritus ſancti, quàm Filij: quoniam ſecundùm quod eſt de Deo, hec eſt, nec dicitur Filius; neque ille, de quo eſt, dicitur eius Pater: vt in Filij origine contingit. *Quartum*, vnicam rationem pluralitatis perſonarum in divinis eſſe oppoſitionem relationum; eam verò exinde provenire, quòd Deus ſit de Deo, ſive ex origine vnius perſonæ ab alia. *Quintum*, quidquid de vno Deo, & de vnaquaque perſona dicitur, pariter dici debere, de omnibus & ſingulis, niſi obſiſtat relationis oppoſitio, exinde orta, quòd Deus ſit de Deo, ſive quòd vna perſona oriatur ex alia. Tunc enim neceſſum eſt, vt vna ab alia diſtinguatur penes id, in quo opponitur. *Sextum*, & conſectarium prædictis, nullam perſonam divinam diſtingui ab alia, niſi altera illarum procedat ex altera: quia diſtinctio perſonarum provenit neceſſariò ab oppoſitione relativa, hæc verò ex origine vnius perſonæ ab alia perſona: vt fusè explanatum eſt capite præcedenti

56 His præmiſsis eruitur formula probationis, quam ſic digerere poſſumus: Omnis diſtinctio perſonarum in divinis provenit ex origine vnius ab alia. At inter Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſt vera diſtinctio perſonarum. Ergo inter eaſdem perſonas debet eſſe origo vnius ab alia. Conſequentia eſt in modo & figura perfecta. Minor propoſitio eſt certa ſecundùm fidem, ac definita contra Sabellium. Maior probata relinquitur ex capite præcedenti: quia in divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio: nulla autem relationis oppoſitio eſſe poteſt, niſi proveniens ex origine vnius perſonæ ab alia. Modò ſic: Igitur vt perſona Filij & perſona Spiritus S. verè diſtinguantur, neceſſum eſt vt alter eorum ex altero procedat. Atqui Filius non procedit ex Spiritu ſancto. Ergo de primo ad vltimum neceſſum eſt vt Spiritus ſanctus procedat ex Filio. Porrò in toto hoc diſcurſu ſolùm reſtat probandum, Filium ex Spiritu ſancto non procedere. At, præterquam id fatentur ipſi Græci, veluti fide certum, probatur ab Anſelmo: Quia non eſt Deus de Deo, niſi aut naſcendo vt Filius, aut procedendo vt Spiritus ſanctus. Atqui Filius nec naſcitur de Spiritu ſancto, ſiquidem hic non eſt Pater eius: nec procedit de illo, quoniam ſic eſſet ſpiritus ipſius Spiritus ſancti; quorum vtrumque Chriſtiana Religio abhorret: præcipuè dùm in divinis ſolàm vnam perſonam agnoſcit Patrem, & ſolam aliam Spiritum ſanctum. Patet igitur ad tuendam diſtinctionem perſonarum in divinis, cum vnitate eſſentiæ, neceſſum eſſe fateri, Spiritum ſanctum procedere ex Filio. Hæc ferè eſt prima ratio, quam ſaltuatim proſequitur Anſelmus toto decurſu huius capitis.

57 Porrò ratio eadem Anſelmi ad probandam proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, invenitur multò antea propoſita à Gregorio Nyſſeno in fine lib. 5. contra Eunomium in idem probandum. Etenim diſſerens eo loco de ordine ac differentia perſonarum in ſancta Trinitate, docet illas ſolùm differre inter ſe penes originem vnius ab alia, & rationem principij aut cauſæ proindeque perſonam Spiritus ſancti ex eo differre à Filio, quia procedit ab illo, vt principio ſui eſſe. Verba ſunt: Ὁ δὲ αὐτὸς ἡμῖν καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος λόγος, &c. *Idem verò nobis dicendum eſt de Spiritu ſancto, cuius in ſolo ordine differentia conſtituta eſt. Nam vt Patri coniunctus eſt Filius, & cùm ex illo eſſe habeat, non tamen poſteriùs exiſtit; ſic etiam Spiritus ſanctus proximè hæret Filio; qui ſola cogitatione ſecùndùm rationem principij, priùs conſideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita, quæ ſæculum omne præcedit, locum non habent: ADEO VT DETRACTA PRINCIPII RATIONE, NVLLA IN RE SANCTA TRINITAS A SE IPSA DISSIDEAT.* Quid illuſtrius, aut opportunius? Præterea in Epiſt. ad Ablabium

fusè

fusè oſtendit totum perſonarum diſcrimen in divinis provenire ex ratione principij, & eius quod ex principio habet eſſe; non autem ex natura, quæ vna & indiviſa in tribus eſt. Ac ſub finem eiuſdem Epiſtolæ concludit: τὴν δ᾽ ἐν τοιαύτην διαφορὰν ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος λέγοντες, &c. *Talem igitur differentiam in ſancta Trinitate profitentes, vt aliud principium, aliud ex principio eſſe credamus; non iam amplius accuſari poterimus, quod per communionem naturæ rationem hypoſtaſeon confundamus. QVONIAM IGITVR HYPOSTASES SANCTÆ TRINITATIS PRINCIPII RATIO DISTINGVIT, quæ aliud expers principij, aliud ex principio exiſtens dici poſtulat; diuina autem natura inVariata, & indiuiſa ſecundùm omnem conſiderationis modum intelligitur: propterea Vna diuinitas, Vnus Deus: ac cætera omnia Deo digna Vocabula ſingulariter efferuntur.* Itaque Nyſſenus luculenter docet, & probat, perſonarum divinarum diſtinctionem nullam eſſe penes naturam, ſed dumtaxat quatenus vna habet rationem principij, altera procedentis ex principio. Cumque Spiritus ſanctus, iuxta fidem Catholicam, ſit perſona diſtincta à Filio, & nullo modo ipſius principium; ſequitur planè vt ille ex Filio, veluti principio, procedat. Qui certè Nyſſeni locus, cùm adeò illuſtris ſit, & qui ſolus ſufficeret ad confundendam Græcorum pervicaciam, neſcio quomodo in Florentina Synodo fuerit prætermiſſus: cùm tamen inveniri poſſet ducentis ante ipſam annis obſervatus à Ioanne Becco contra ſuos Græcos *lib. 3. cap. 13.*

58 Statuta iam præcipua ratione, faciliùs capietur littera Anſelmi; cuius præcipuas partes obiter & excurſu brevi explanare ſufficiet.

NVNC QVÆRENDVM EST PER SVPRADICTAS IRREFRAGABILES RATIONES, Vtrùm Filius ſit de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus de Filio. Nimirum, alterutrum eorum planè ſequitur ex doctrina præiacta in ſuperioribus: cùm nulla inter perſonas diſtinctio eſſe poſſit, niſi altera illarum ſit ab altera, compareturque vna in ratione principij, alia verò tanquam id quod ex principio procedit; ſive, quod perinde eſt, tanquam Deus de Deo. Cùm igitur fide certa ſit diſtinctio perſonarum Patris, Filij, & Spiritus ſancti, ſicuti & vnitas in natura; neceſſum eſt, vt ex ijs tribus perſonis vnaquæque ad duas reliquas, ſive ſeorſim, ſive coniunctim, comparetur, vel tanquam principium, vel tanquam id quod ex principio procedit, ſive vt Deus de Deo.

59 *QVOD QVI NEGAT*, &c. Si quis neget vnam perſonam in divinis debere procedere ex alia, aut eſſe principium alterius; negare cogitur vnitatem Dei in tribus perſonis. Quippe ſecluſo ordine proceſſionum, vnaquæque ex ijs perſonis haberet ſuam propriam ac diſtinctam divinitatem, nullatenus ſibi communicatam ab alia, nec à ſe communicatam alteri. Eſſent itaque plures dij. Aut certè nec Filius eſſet Deus, nec Spiritus ſanctus eſſet Deus: quoniam non haberent deitatem ſibi à Patre communicatam; nec alter alteri illam daret. Ac denique, Deus non eſſet de Deo: quia neuter illorum procederet, ſeu haberet divinitatem à Patre, neque vnus ab alio. Ne igitur aliquod ex ijs abſurdis ſequatur, opus eſt fateri, omnes perſonas in divinis ita invicem comparari, vt vna ſit alterius principium, alia procedens ex principio, ſive Deus de Deo.

60 *AMPLIVS DICO*, &c. Proponit rationem dubitandi, ob quam videbatur dicendum, Filium procedere de Spiritu ſancto. Hic enim procedit de Patre, id eſt, de eſſentia Patris, quæ vna eſt ſibi cum Patre & Filio: ſiquidem vnus cum ijs Deus eſt. Ergo cùm Filius ſit de Deo Patre, pariter debet eſſe de Spiritu ſancto: nequit enim de vno eodemque Deo eſſe ſimul & non eſſe. Atqui Filius eſt de Deo Patre, qui eſt vnus Deus cum Spiritu ſancto. Ergo pariter idem Filius de Spiritu ſancto Deo eſt.

EODEM MODO, &c. Proponit eandem ferè dubitandi rationem, vt videatur dicendum, Spiritum ſanctum procedere ex Filio: ſiquidem Spiritus ſanctus procedit ex Deo Patre, qui vnus cum Filio Deus eſt. Atqui ab eodem Deo ſimul procedere & non procedere nequit. Igitur Spiritus ſanctus procedit à Filio.

61 *EX HIS IGITVR APERTE SEQVITVR*, &c. nimirum, aut Spiritum ſanctum procedere ex Filio, aut hunc ex Spiritu ſancto: quorum alterum neceſſe eſt verum eſſe, alterum falſum. Nimirum, vt relinquit probatum ex capite præcedenti, fieri prorſus nequit, duo aliqua eſſe ſibi invicem principia exiſtendi: ac proinde repugnat vt Filius & Spiritus ſanctus ab invicem procedant. Igitur neceſſum eſt vt Spiritus ſanctus ex Filio procedat, ſi ſemel probatur Filium ipſum ex Spiritu ſancto non procedere.

62 *NAM SI QVIS DICIT*, &c. Proponit evaſionem quandam, qua aliquis occurere poſſet difficultati præcedenti

denti, & dicere, quamvis Spiritus ſanctus non procedat ex Filio, nullatenus ſequi, Filium procedere ex Patre & Spiritu ſancto, ex eo quòd ambo ſint vnus Deus; neque Spiritum ſanctum procedere ex Patre & Filio, quoniam ambo ſunt vnus Deus.

63 *CONSIDERET*, &c. Quiſquis ita reſpondet, conſideret Deû nullas partes habere, ac proinde quamlibet ex perſonis diuinis, quæ ſis Deus de Deo, debere illam eſſe totum Deum de Deo toto. Cùm ergo Filius dicitur eſſe de Deo, qui eſt Pater, & Spiritus ſanctus; aut alius totus erit Pater, alius totus Spiritus ſanctus, vt de toto Patre ſit, & non de toto Spiritu ſancto: aut ſi idem totus Deus eſt Pater, & Spiritus ſanctus, neceſſariò ſequitur, cùm Filius eſt de Deo toto, eſſe pariter de Patre & Spiritu ſancto, niſi aliunde id repugnet.

64 *EODEM MODO*, &c. Eandem ferè conſiderationem præcedentem adaptat Spiritui ſancto, vt pariter exiſtimetur procedere ex Patre, & Filio. Cùm enim dicitur Spiritus ſanctus procedere de toto Deo, qui eſt Pater & Filius; aut alius totus erit Pater, alius totus Filius, vt Spiritus ſanctus ſit de toto Patre, & non de toto Filio: aut cùm eſt de Patre Spiritus ſanctus, neceſſariò debet eſſe ex Filio, ſi hic ex illo non eſt. Cùm igitur Filius ex Spiritu ſancto non ſit, debet hic ex illo procedere.

65 *DICET ALIQVIS*, &c. Proponit obiectionem quandam adverſus diſcurſum præiactum, fere in hunc modum. Ex eo quòd Pater & Spiritus ſanctus ſit vnus Deus, videtur neceſſariò ſequi, Filium ex Spiritu ſancto eſſe, dum ille procedit ex Patre. Similiter & ex eo quòd Pater & Filius ſint vnus Deus, videtur etiam ſequi, Spiritum ſanctum ex Filio eſſe, eo ipſo quòd ſit ex Patre. Hinc autem infertur, Spiritum ſanctum æquè ac Filium gigni, cùm ambo ſint vnus Deus: ſimiliterque ex Patre procedere Filium æquè ac Spiritum ſanctum, ob eandem rationem: quia, nimirum, de vno eodemque Deo verificari debet, procedere, ſicuti & gigni ab eodem Deo. Cùm igitur ex vnitate Filij & Spiritus ſancti ſecundùm naturam divinam non inferatur Filium & Spiritum ſanctũ æquè gigni, aut æquè procedere à Patre; neque etiã colligere licet, ex vnitate Patris & Spiritus ſancti ſecundùm naturam divinam, quòd Filius ſit ex Spiritu ſancto, ſicuti eſt ex Patre: neque ſimiliter Spiritum ſanctum eſſe ex Filio, eò quòd hic vnus eum Patre Deus ſit.

66 *AD QVOD EGO*, &c. Huic obiectioni occurrit Anſelmus ſic. Habent quidem eſſe à Patre Filius & Spiritus ſanctus, ſed diverſimodè, ille naſcendo, hic procedendo, vt propterea ſint alij ab invicem, vt dictum fuit capite præcedenti: nimirum, vt ratione diverſarum proceſsionum differant in ſenſu cauſali; ratione verò oppoſitarum relationum in ſenſu formali. quod ibidem ſatis explanatum fuit. Et ideo cùm Filius naſcitur, non poteſt æquè naſci Spiritus ſanctus: quoniam hic penes proceſsionem ab eo differt. Similiter, nec cum Spiritus ſanctus procedit ex Patre, procedit pariter Filius, cuius proprium eſt naſci. Quare in neutro eorum habet locum conſequentia illa ex vnitate deducta: quoniam obſtat pluralitas, nimirum, relationum oppoſitarum, quæ ex nativitate & proceſsione oritur.

67 *NAM SI PER ALIVD NON ESSENT PLVRES, FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS, PER HOC SOLVM ESSENT DIVERSI.* Eſſent, inquam, diverſi, in ſenſu cauſali, ratione diverſæ originis, ex eo quòd à Patre haberet eſſe Filius naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo: quamvis in ſenſu formali & re ipſa non differrent, niſi Spiritus ſanctus procederet à Filio. Quoniam in ſenſu formali & reipſa ſolùm differre poſſunt relationibus invicem oppoſitis. Nullus autem eſſet locus relationibus oppoſitis inter Filium & Spiritum ſanctum, niſi hic procederet ex illo, vt principio ſui eſſe. Nulla ergo eſſet vtriuſque diverſitas in ſenſu formali, & reipſa. De quo ſufficiant quæ diximus in caput præcedens. Solùm addere oportet, data hypotheſi, in qua Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ſolùm inferri futuram in Filio relationem filiationis ad Patrem generantem, & in Spiritu ſancto relationem ſpirationis paſsivæ ad eundem Patrem ſpirantem. Eiuſmodi autem relationes non ſunt oppoſitæ, vt patet, ſed diſparatæ: quia non ſunt relationes producentis & producti. Ad diſtinctionem autem realem perſonarum divinarum non ſufficiunt relationes diſparatæ, ſed exiguntur invicem oppoſitæ: vt ibidem probatum eſt, & præterea docet S. Auguſtinus *lib. 7. de Trinit. cap. 11* vbi hanc regulam ſtatuit: ***Ea dici propriè in illa Trinitate diſtinctè ad ſingulas perſonas pertinentia, quæ relatiuè dicuntur ad invicem.*** Cùm igitur in ea hypotheſi, Filius & Spiritus ſanctus non dicerentur relativè ad invicem; quamvis relationibus diſparatis cõſtarent, & diverſo modo orirentur, non eſſent reipſa diverſi. Nimirum, Patres, & in ijs Gregorius Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium, & Epiſt. ad Ablabium, perſonarum divinarum realem differentiam ſolùm agnoſcunt, κατὰ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν, id eſt, ſecundùm ratio-

rationem principij, & procedentis ex principio, inter quæ duo ſolùm eſt oppoſitio relativa. Quin & diſtinctionem ortam ex relationibus diſparatis; immo & generatim ortã aliunde quàm ex oppoſitione relativa, non poſſe habere locum in divinis, eo quòd ſemper ex limitatione ortum ducat; evicimus latè Tom. II. Diſp. 93. præſertim ſect. 3. & 4. nec repetere vacat.

68 *CVM AVTEM DICO*, &c. Proſequitur ſolutionẽ difficultatis ſuprà obiectæ, & confirmat, ex eo quòd Pater ſit vnus Deus cum Filio, aut cum Spiritu ſancto, optimè inferri alterutrum duorum; aut Filium eſſe de Spiritu ſancto, ſicuti eſt ex Patre; aut Spiritum ſanctum eſſe ex Filio, ſicuti ex Patre eſt. Non enim ibi obviat aliqua pluralitas, quæ impediat conſequẽtiam ex vnitate deductam, ſiquidem, Pater eſt vnus Deus cum Filio, & Spiritu ſancto. Ergo ex ea vnitate legitimè infertur, aut Filium eſſe ex Spiritu ſancto, ſicuti eſt à Patre; aut Spiritum S. ex Filio non minùs, quàm à Patre procedere.

69 *QVOD AVTEM FILIVS NON SIT EX SPIRITV SANCTO, PALAM EST EX CATHOLICA FIDE.* Idque probare adhuc pergit, vt ſupra vidimus in ipſa probationis formula. Vnde demum inexpugnabili ratione concluditur, Spiritum ſanctum procedere ex Filio ſicut ex Patre.

CAPVT QVARTVM.

DIGRESSIO ADVERSVS QVENDAM GRAECORVM NEGANTEM Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo.

FORSITAN Negabũt Græci Spiritum S. eſſe Deum de Deo, ſicuti eſt Filius Deus de Deo: quoniam probamus per hoc illum eſſe, & procedere de Filio; *nec eſt poſitum in illo Symbolo*, in quo reprehendimur ab illis addidiſſe proceſsionem eius de Filio. Sed qui hoc putat, negat, aut Patrem eſſe Deum, de quo eſt Spiritus S. aut Spiritum S. eſſe Deũ, qui eſt de Patre: aut hoc ipſum, quòd eſt Spiritus S. eſſe de Patre. At Patrem non eſſe Deum, aut Spiritum S. nullus ſuſcipit Chriſtianus. Videamus igitur, vtrum hoc ipſum, quòd eſt eſſentialiter Spiritus, ſit de Patre: quod quẽdam Epiſcopum, Græcis forſitan faventem, in Barenſi civivitate ſenſi nolle ſentire. *Nam, ſi non eſt ipſum de Patre, quod eſt*; cùm ſit vnus idemque Deus, qui Pater, inveniri nequit, vnde ſit alius à Patre. *Non enim, inde alius eſt*, quia Pater habet Filium, & Spiritus S. non habet Filium. Per hoc enim probari poteſt, quia alij ſunt abinvicem: non tamen hæc eſt cauſa, vt diverſæ ſint perſonæ. Quippe ſi duo ſint homines, quorum alter habeat filium, alter non: quamvis per hoc oſtendi poſsint eſſe diverſi, non tamẽ ob hoc alij ſunt abinvicem: quia quoquo modo ſe habeant in habendo, vel non habendo filium; diverſitatem tamen non amittunt. Ita in Patre & Spiritu S. non quia alius Filium habet, alius non habet, idcirco ſunt diverſi: ſed quoniam diverſi ſunt, idcirco nihil prohibet eos in habendo, & non habendo Filium eſſe diſsimiles. Similiter reſponderi poteſt, ſi ideo alius dicitur, quia non ab illo procedit Spiritus S. ſicut ipſe procedit à Patre. *Quippe, vt ſecundùm illos loquar*, qui negant Spiritum S. de Filio procedere,

ſicut non eſt hæc cauſa, quia Spiritum S. Filius de ſe procedentem non habet, ſicut Pater, vt alius ſit à Patre (ſequeretur enim vt ſi Spiritus S. procederet de Filio, Filius non eſſet alius à Patre) ita per hoc nō eſt Spiritus S. à Patre alius, quia non habet Filium, aut ſpiritum de ſe procedētem, ſicut Pater. *Et quemadmodum Filius,* non ideo eſt alius à Patre, quia Patrem habet, & Pater non habet Patrem (ſi enim Pater haberet Patrem, alius tamen eſſet à Filio) ita Spiritus S. quia de aliquo procedit, & Pater à nullo, non propter hoc eſt alius à Patre: quia ſi Pater ab aliquo procederet, non minùs tamen eſſet alius à Patre, de quo procedit. Palàm igitur eſt, quia non ideo eſt Spiritus S. alius à Patre, quia non habet Filium, aut Spiritum S. de ſe procedentem ſicut Pater: nec quia de aliquo procedit, & Pater de nullo. *Sed nec per hoc* intelligi poteſt eſſe à Patre alius quia ſpiritus eſt Patris, ſi de illo non habet eſſe. Poteſt enim intelligi aliquis alius ab aliquo, priuſquàm ſit illius: quamvis alicuius nequeat eſſe, niſi ſit alius: vt cùm dicitur homo dominus alicuius, aut homo alterius hominis; priùs intelligitur alius ab illo, cuius eſſe dicitur, quàm ſit eius dominus vel homo. Sic itaque ſi Spiritus S. non eſt de Patre, nihil prohibet, eum intelligi priùs alium ab illo, quàm ſit illius. Quare non facit illum alium eſſe à Patre, hoc quòd ſpiritus eius eſt, ſi per hoc non habet, vt ſit alius ab illo, per quod eſt ſpiritus illius. Sicut Filius, per hoc eſt alius à Patre, per quod eſt Filius eius, quod non eſt aliud, niſi quia de ipſo exiſtit naſcendo. *Videtur itaque,* quòd Spiritus S. non ſit per aliud à Patre alius, niſi quia ab illo habet eſſe, quod eſt: quāvis alio ſuo modo, quàm Filius. Inveſtigemus tamē hoc diligentiùs, vtique aut poſtquam fuit Spiritus S. hoc quod eſt, contigit illi alium eſſe à Patre, aut in exiſtēdo habet, vnde alius eſt. Cōtingit enim aliquē eſſe, quod eſt, priùs quàm ſit alius: & cōtingit aliquem aliū in exiſtendo fieri: priùs autem quēquā eſſe alium, quàm ſit hoc, quod eſt, non eſt poſsibile. Namque primus homo, priuſquàm de illo eſſet homo aliquis, erat ipſe homo, ſed nō erat alius: cùm verò primùm extitit de illo aliquis, & ille de quo extitit, poſtquam fuit, factus eſt alius, & qui de illo extitit, ſimul habuit eſſe, & aliū eſſe. Aut ergo Spiritus S. ſicut dixi, poſtquam fuit, factus eſt à Patre alius, aut habet in exiſtēdo, propter quod alius dicitur. Sed ſi poſtquam fuit, contigit illi alium eſſe à Patre; cùm non ſit alia perſona, niſi quoniam alius eſt ab illo; non fuerunt illæ ſemper tres perſonæ: quia iſta non ſemper fuit, ſi non ſemper fuit Spiritus ſanctus alius à Patre. Quoniam itaque falſa ſunt hæc, patet quoniam in exiſtendo, habet vnde alius eſt. *Eſſe autem nequit,* niſi aut ex aliquo, ſicut Filius; aut ex nullo ſicut Pater. Quòd ſi ex nullo, quemadmodum Pater, exiſtit; aut ita exiſtit vnuſquiſque per ſe, vt neuter ab altero quidquam habeat; ſunt duo Dij; Pater & Spiritus ſanctus: aut quoniam vnus Deus ſunt,

ſi vterque de nullo eſt, penitus nihil inveniri valet in Fide Chriſtiana vnde ſint abinvicẽ alij; ſed vnus idemque eſt Pater & Spiritus ſanctus, & vna perſona, quæ vera Fides abhorret. Non eſt ergo verum Spiritum ſanctum à nullo eſſe. Si autem eſt ab aliquo; non eſt, niſi ex Deo, qui eſt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus. Sed à ſe ipſo nequit eſſe; quoniam nulla perſona à ſe ipſa poteſt exiſtere. Quare, ſi quis eum negat eſſe à Filio, negare nequit illum à Patre eſſe. *Si quis autem dicit*, quia licèt non habeat eſſe de Patre; tamen per proceſsionem alius poteſt intelligi: Ad hoc quoque reſpondendum arbitror, ne poſsit aliquid, in hac quæſtione noſtræ obijci aſſertioni, cui noſtra reſponſio non obviet. Nec miretur aliquis, me tantum in hoc immorari, quoniam non parvæ auctoritatis erat ille inter ſuos, quem ſenſi, non ſentire Spiritum ſanctum hoc quod eſt, habere ex Patre: nec tunc habui opportunitatem reſpondendi.

SCHOLIA IN CAPVT IV.

Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, quãvis id non exprimeretur in illo Symbolo, cui Latini addiderunt particulam Filioque, reclamantibus Græcis. Quodnam ſit illud Symbolum, & in quibus Orbis Chriſtiani partibus, & quo tempore additum. Vbi plura ad hiſtoriam & eruditionem Eccleſiaſticam ſpectantia.

71 F*ORSITAN NEGABVNT GRÆCI, SPIRITVM SANCTVM ESSE DEVM DE DEO*, &c. Digreditur opportunè Anſelmus hoc loco ad diſputandum adverſum quemdam ex Epiſcopis, in Concilio Barenſi congregatis, ſeu Græcum, ſeu Græcis faventem, qui negabat Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, ſeu habere à Patre id, quod in ſe ſubſtantialiter eſt. Quippe eo negato, corruit fundamentum ſuperiori capite propoſitum ex eo quòd Spiritus ſanctus ſit Deus de Deo. Sic enim nec Pater erit Deus, de quo ſit Spiritus ſanctus: nec Spiritus ſanctus erit Deus de Patre procedens: nec demùm ex Patre habebit Spiritus ſanctus id quod eſt. Verùm eiuſmodi errorem refellit primò Anſelmus: quoniam inde fiet, nec Patrem, nec Spiritum ſanctum eſſe Deum, contra quàm Chriſtiana Religio docet. Non enim Pater & Spiritus ſanctus poteſt Deus eſſe, niſi ambo ſint vnus Deus: nec ambo poſſunt eſſe vnus Deus, niſi alter ab altero habeat vt ſit vnus Deus cum illo, per cõmunicationem eiuſdem divinitatis ab ipſo præſtitam. Si igitur neuter eorum ab altero accipit vt ſit Deus, ambo nequeunt eſſe vnus Deus, proindeque nec Deus verus. Igitur neceſſarium eſt fateri, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, proindeque procedere à Patre, ſiquidem hic ab eo non procedit, vt iam in præcedentibus demonſtratum eſt, & ipſi Græci catholicè fatentur. Sed de hoc vberiùs poſtea.

72 *NEC EST POSITVM IN ILLO SYMBOLO, IN QVO REPREHENDIMVR AB ILLIS (GRÆCIS) ADDIDISSE PROCESSIONEM EIVS DE FILIO.* Nimirum, dicere poterunt Græci ad præiactam evaſionem tuendam, quòd Spiritus ſanctus ſit Deus de Deo, non haberi in illo Symbolo, cui conqueruntur à Latinis additam fuiſſe particulam illam *Filioque*. Videamus modò, quodnam ſit illud Symbolum, & quo tempore, aut à quibus fuerit addita particula illa. Id enim ad illuſtrandam litterã Anſelmi ſpectat, & noſtri muneris eſt. Ac primò quidem certum eſt, Symbolum illud non eſſe Apoſtolicum, ſeu ab Apoſtolis ipſis traditum, duodecim articulis diſtinctum: quod ſumma vbique veneratione receptum fuit à tempore naſcentis Eccleſiæ: vt teſtantur Tertulianus *lib. Præſcriptionum cap. 37.* Ambroſius *Epiſt. ad Siricium Papam*, Hieronymus *Epiſt. 61. ad Pammachium cap. 9.* S. Leo Magnus *Serm. de Natiuit. Domini*, & *IV. de Epiphania, & XI. de Paſsione Domini*, ac denique plurimi alij Patres, & integra Synodus Epheſina in Relatione ad Theodoſium Auguſtum. Quippe particula *Filioque*, nec in eo Symbolo ab initio fuit, neque vnquam ab Eccleſia addita eſt,

Ideoque aiebat Ambroſius loco allegato: *Creditur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat*: nimirum, abſque additione, aut imminutione vlla. Sicque retentum fuiſſe in Romana Eccleſia, Africana, Italica, Gallica, & Latinis omnibus, conſtat ex Rufino, Auguſtino, Chryſologo, Maximo Taurinenſi, Socrate, Theodoreto, & Sozomeno, varijs locis.

73 Deinde certum eſt, Symbolum illud, cui addita fuit particula, *Filioque*, non eſſe Nicænum; neque in hoc expreſſum fuiſſe, quod Spiritus ſanctus ſit Deus de Deo. Quippe Nicænum Symbolum ad litteram hæc habet: Πιστεύομεν εἰς τὸν ἕνα Θεόν, &c. *Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem: Et in vnum Dominum IESVM Chriſtum, Filium Dei, ex Patre natum vnigenitum; id eſt, ex ſubſtantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; Natum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Et aſcendit in cælum, & iterum venturus eſt iudicare viuos & mortuos. ET IN SPIRITVM SANCTVM. Eos autem qui dicunt, Erat aliquando quando non erat; &, quia ex iis, quæ non ſunt, factus eſt; aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Hactenus ad litteram in eo Symbolo, vbi nec Spiritus ſanctus dicitur Deus de Deo, nec eius proceſsio à Patre vel à Filio exprimitur: ſed dumtaxat habetur: *Et in Spiritum ſanctum*: ſcilicet, πιστεύομεν, *credimus*, vt initio præfixum fuerat. Cur autem tam parcè loquuti ſint Patres Nicæni de Spiritu ſancto in eo Symbolo, rationem aſsignat S. Gregorius Nazianzenus ad Cledonium ſcribens, his verbis: *A Patribus illis minus plenè de Spiritu ſancto dictum eſt, quoniam nondum coacta atque excitata hæc quæſtio fuerat.* nimirum, cum Macedonio. Similiter S. Baſilius in profeſsione Euſtatij Sebaſtienſis, *Sententia*, inquit, *de Spiritu ſancto in tranſcurſu ſine omni diligentia poſita eſt, propterea quod nondum eſſet mota iſta quæſtio, ſed adhuc credentium mentibus ſecurus, & nullis obiectus inſidijs ineſſet de Spiritu S. intellectus.* Porrò ipſum Nicænum Symbolum tantæ ſemper venerationi fuit, hodieque, vt nunquam illi quidquam additum fuerit, nec particula quidem *Filioque*. Nec mirum tantus honos eidem Symbolo habeatur: quoniam ab initio fuit *pauciſsimis quidem ſermonibus, ſed perfectis ſenſibus Scripturæ Diuinæ, per viros eius ſcientiæ peritiſsimos completum*: vt loquitur Pergamius Antiochiæ Epiſcopus in litteris poſt Synodum Chalcedonenſem editis ad Leonem Auguſtum Epiſt. 41. Similiter ſummam eiuſdem Symboli auctoritatem agnoſcit eadem Synodus in Relatione ad Marcianum Auguſtum, dicens: *Vnam eſſe, veluti principali loco, trecentorum decem & octo Patrum doctrinæ confeſſionem, lex nobis Eccleſiæ præſcribit: quam, VELVT COMMVNE SANCTORVM DECRETVM, ad eorum, qui vocantur in adoptionem filiorum, tradimus firmitatem.* Atque in ſecunda eiuſdem Synodi Actione poſt recitatum id Symbolum, *Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt: HÆC CATHOLICORVM FIDES: huic omnes credimus, in hanc baptizati ſumus: in hac baptizamus.* Similiter & Patres clamaverunt in V. Synodo collat. IV. Quare ob ſummã eius Concilij venerationem, nunquam aliquid Symbolo Nicæno additum fuit, nec quidem particula illa *Filioque*. Vide plura alia Diſp. LV. ſect. 2. Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi.

74 Hinc Chriſtianus Lupus in Notis ad Concilium Nicænum impugnat Gelaſium Cyzicenum, quoniam in præfatione ſua ait, Arianos, non modò in Filium Dei, ſed in Spiritum ſanctum blaſphemaſſe. Quippe cùm controverſia de Spiritu ſancto illorum tempore prætermiſſa fuerit in Nicæna Synodo, videtur Arianos ipſos nihil adverſus Spiritum ſanctum dixiſſe. Verùm refellitur Lupus: quoniam Ariani negantes verum Trinitatis myſterium, ſicuti Filium Dei Deum verum & ὁμοούσιον Patri negabant, ita etiam veram divinitatem Spiritus ſancti de medio tollebant. Quare ij blaſphemarunt in Spiritum ſanctum. Vnde & illorum error in ea parte, ſicuti & Macedonianorum poſtea ortus, divinitatem pariter Spiritui ſancto auferentium, confixus fuit in eódem Symbolo Nicæno, verbis illis: *ET IN SPIRITVM SANCTVM*, ſcilicet, *CREDIMVS*; Quippe non credimus, niſi in verum Deum. Quare ſanctus Athanaſius ad Africanos Epiſcopos ſcribens, invehitur adverſus Macedonianos, qui ſuum de Spiritu ſancto errorem aiebant non eſſe contrarium Nicænæ fidei. Sic autem eos refellit: *Eadem illa Synodus blaſphematores*

res

tes Spiritus ſancti ſubverterit. Nam cùm Patres ſtatuiſſent de Fide in Filium, id ſtatim adiectum voluere: CREDIMVS ET IN SPIRITVM SANCTVM: vt perfectam & plenam de ſancta Trinitate fidem, confeſſionemque abſoluentes, formam eius, quæ in Chriſto eſt, fidei, & doctrinam Catholicæ Eccleſiæ exhiberent. Hactenus ille. Qui ſanè in eo Symbolo verant Spiritus ſancti divinitatem traditam adverſus Arianos, aut quoſvis alios hæreticos, agnoſcit, æquè ac divinitatem Filij: quamvis aliunde nihil ibi expreſſum fuerit de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre aut Filio: quoniam nondum ea controverſia fuerat eouſque excitata: vt nuper ex Nazianzeno & Baſilio audivimus.

75 Itaque Spiritus ſancti proceſsio ex Patre non fuit expreſsè tradita in Symbolo Niceno, ſed in Symbolo Conſtantinopolitano, quo fidem Catholieam profeſsi ſunt Patres Latini, & Græci in ipſo ingreſſu ad celebrandum Concilium Conſtantinopolitanum I. aliàs II. Synodum Generalem; anno Chriſti CCCLXXXI. ſub Damaſo Papa, Theodoſio Maiore Auguſto, & Gregorio Nazianzeno eiuſdem Conſtantinopolitanæ vrbis Antiſtite: in quo fides Nicæna confirmata fuit, & prætereà damnata hæreſis Macedonij, atque Apollinarij. Forma autem eius Symboli ad litteram hæc eſt, *Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν*, &c. *Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium conditorem: Et in vnum Dominum IESVM Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo: lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum, ὁμοούσιον,* id eſt, *conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato paſſus, ac ſepultus. Et tertia die reſurrexit ſecundùm Scripturas. Aſcendit in cœlos: ſedet ad dexteram Dei Patris. Inde venturus eſt cum gloria iudicare vivos & mortuos: cuius regni non erit finis. CREDIMVS IN SPIRITVM SANCTVM Dominum, & vivificantem, EX PATRE PROCEDENTEM, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.* Hactenus ibi. in quibus patet, non exprimi proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, ſed à Patre. Vnde refelluntur quotquot aiunt, particulam illam *Filioque*, additam fuiſſe in eâdem Synodo Conſtantinopolitana.

76 Alij opinantur, eius additamenti auctorem fuiſſe poſtea Damaſum Papam, ſub quo eadem Synodus coacta fuerat. Ita Manuel Calecas libro adverſus Græcos; addens, Damaſum id feciſſe, vt frænaret novam hæreſim, quam *υἱοπατρίας* appellat; *quòd Filium Dei affirmaret eſſe Patrem Spiritus ſancti, & hunc Patris nepotem. Idcirco Damaſus Romanus Epiſcopus, collecta Synodo ad Symbolum adiecit à Filio procedere Spiritum ſanctum; vt illud refelleret, quod gigni dicebatur à Filio.* Porrò Calecas eius rei teſtem appellat Hiſtoricum quendam Græco nomine Σανλ·τζῶν. Ioſephus autem Methones Gregorium Ariſtinum citat pro eâdem narratione, ſicuti & noſter Genebrardus lib. 3. de Trinitate allegat Alexium Areſtinum. Verùm illa narratio, à quocumque Hiſtorico tradita fuerit, eſt prorſus aliena à veritate: quoniam à tempore Concilij I. Conſtantinopolitani, & eiuſdem Papæ Damaſi, aliquot ſæcula fluxerunt antequam illa additio *Filioque*, probaretur ab Eccleſia Romana. Neque id aliquo fundamento ſolido confirmant ij Auctores, ſicuti nec Staniſlaus Socolovius in annotationibus in cap. 1. cenſuræ Orientalis. Quin potiùs in ipſo Romano Concilio, cuius decreta habentur lib IX. Hiſtoriæ Tripartitæ cap. 16. nihil ſancitum fuit de proceſsione Spiritus ſancti à Filio. Præſertim verò certum eſt particulam illam non fuiſſe admiſſam ab Eccleſia Romana in cantu ſolemni multis pòſt ſæculis. Quippe, vt diximus in Scholijs ad caput ſecundum, ex Actis Synodi Aquiſgranenſis ſub Leone Tertio Papa, & Carolo Magno Imperatore, circa annum Chriſti DCCCIX. (nimirum quadringentis annis poſt Damaſum Papam) conſtat, eam additionem in cantu ſolemni fuiſſe introductam à quibuſdam Occidentalibus Eccleſijs, antequam Romana id probaret, aut exemplo ſuo confirmaret. Vnde poſt longam alrereatlonem in eo Concilio, & legationem ad ipſum Leonem III. Papam, hic reprehendit quòd aliquid adiectum Symbolo ſolemniter in ijs Eccleſijs caneretur. Quare & ad Legatos dixit. *Si prius quam ita cantaretur, interrogatus eſſem; ne inferretur, vtique reſpondiſſem. At*

nunc; quod tamen non affirmando, ſed vobiſcum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur poſſe vtrumque fieri: vt paullatim in Palatio, quia in noſtra ſancta Eccleſia non cantatur, cantandi conſuetudo eiuſdem Symboli intermittatur: ſicque fiat, vt quod idipſum vt cantaretur non quælibet imperantis auctoritas, ſed potius audiendi id fecerat novitas, ſi dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus. Et ita fortaſsè quantum eſſe poteſt, non incongruè vtrumque fieri poſsit: vt quod iam nunc à quibuſdam prius neſcientibus rectè creditur, credatur: & tamen illicita cantandi conſuetudo ſine cuiuſque fidei læſione tollatur. Hactenus Pontifex: ex cuius verbis planè conſtat, ipſius tẽpore nõdum receptam fuiſſe eam additionem in Symbolo ab Eccleſia Romana cantari ſolito: quin potiùs reprehenſos qui eam induxerant in cantu, ſive in Gallijs, ſive in alijs etiã Occidentalibus Eccleſijs.

77 Inter eas verò, quæ primùm in Symbolo, ſaltem extra cantum ſolemnem, eam particulam *Filioque* addiderunt, vnam, ac fortaſsè omnium primam fuiſſe Hiſpanam Eccleſiam, poteſt facilè probari. Nam in Synodo I. Toletana anno Chriſti CCCC. vel potiùs in Callecienſi (vt conijcit eruditiſsimus Petrus Pithœus in Opuſculo de Proceſſione Spiritus ſancti) anno CCCCXLVII. in ipſa Fidei profeſsione poſita fuit proceſsio Spiritus ſancti ex Patre Filioque: quamvis tunc addita non fuerit Symbolo. Deinde verò in Concilio III. Toletano ſub Gelaſio II. Papa, Recaredo Hiſpaniarum Rege, cui interfuerunt LXVIII. Patres, atque in his S. Euphemius Toletanus, & S. Leander Hiſpalenſis, anno DLXXXIX. particula *Filioque* addita legitur Symbolo, quod Patres illi poſt Symbolum Nicænum ediderunt, & ſolùm ab eo differt paucis verbis, cum quibus nunc publicè non cantatur. Eiuſmodi verò Symbolum in editionibus antiquis Concilij III. Toletani non legebatur cum illa additione, donec clariſsimus Vir Loayſa eam invenit in antiquis exemplaribus, & publicæ luci dedit. Nimirum ibidem pag. 203. habetur: *Et in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem, ex Patre & Filio procedentem* Fallitur autem P. Vazquez *diſp. 146. in 3. p. cap. 3. & 4.* dum ait, id Concilium fuiſſe celebratum anno 597. cùm ex ipſa editione Loayſæ planè conſtet coactũ fuiſſe Era Chriſti DC. XXVII. id eſt anno 589. Similiterque ex ipſius ſubſcriptionibus patet, congregatos Patres fuiſſe LXVIII. & ex ijs LXII. Epiſcopos. Idem habetur in Concilijs Toletanis IV. ſub Honorio I. & VIII. ſub tempus ferè Martini I. & in XI. ſub Rege Hiſpaniarum Vvambæ, quæ omnia Concilia ante VI. Synodum Generalem coacta fuerunt. Itaque primum Regum vbi ſolemniter addita eſt Symbolo particula *Filioque*, videtur fuiſſe Hiſpania: idque in III. Concilio Toletano, & alijs ſequentibus, multò antea, quàm in Gallia oriretur controverſia circa eam additionem in Concilio Aquiſgranenſi ſub Carolo Magno, vel in Gentiliacenſi ſub Ludovico Pio. Quare quod ait Divus Thomas I. Parte, quæſtione 46. articulo 2. ad 2. eam additionem videri factam in aliquo Occidentali Concilio; intelligendum eſt de Toletano III. ante quod in nullo alio additum legitur. An verò in Hiſpania, priuſquam in Gallia, cantari cœperit ſolemniter Symbolum cum additione illa, incertum eſt, nec facilè id decerni poterit. Solùm conijcere licet ex verbis Leonis III. Papæ ſuprà exſcriptis ad Legatos Concilij Aquiſgranenſis, id primùm in Gallijs factum: cùm Pontifex id reprehendat, quaſi noviter introductum apud Gallos; dicatque, facilè dimittendum ab omnibus, ſi ab ijs dimittatur. Quo ipſo ſatis ſignificat, id in Eccleſijs Galliarum initium habuiſſe; vtpotè quibus deſiſtentibus ab ea additione in cantu ſolemni, cæteræ quoque deſiſterent, aut inducere non auderent. Itaque additio ipſa præter cantum, apud Hiſpaniam; in cantu verò apud Galliam cœpiſſe videtur. Plura alia huc ſpectantia, & ſcitu digna ab ijs præſertim, quibus antiquitas, & eruditio Eccleſiaſtica curæ eſt, fusè dedimus Tom. II. Diſp. XCI. XCII.

78 Id certum eſt, Iuſtinum II. Imperatorem anno primo Imperij ſui, qui fuit Chriſti DLXV. *Symbolum Conſtantinopolitanum centum quinquaginta Patrum in omni Catholica Eccleſia à populo continendum intromiſsiſſe, priuſquam Dominica diceretur oratio.* quæ ſunt verba Ioannis Abbatis Biclarienſis, Auctoris ſanè gravis, & circa id tempus ſcribentis. Itaque vice Nicæni Symboli, quod antea publicè cantabatur, inductum fuit Conſtantinopolitanum, quo in Miſſa ad hæc vſque tempora vtimur. Porrò XXIV. annis pòſt decretum illud Iuſtini in Eccleſijs Hiſpaniæ receptũ fuit ſub Recaredo ipſarum Rege, iuſſu Concilij III. Toletani canone ſecundo, in quo Patres congregati ſtatuerunt: *Vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ, ſecundùm formam Orientalium Eccleſiarum Concilij Conſtãtinopolitani CL. Epiſcoporum Symbolum recitetur: vt priusſquam Dominica dicatur oratio, voce clara à populo decantetur:*

Ita-

Itaque ſicut ſuprà oſtenſum fuit, particulam illam *Filioque* in nullo alio Concilio ante Toletanum I. inveniri, neque legi Conſtantinopolitano Symbolo additam ante Concilium III. Toletanum: ita etiam nunquam antea in Occidente cantatum ſolemniter invenitur Concilij Conſtantinopolitani Symbolum, quàm in Hiſpania, à tempore eiuſdem III. Concilij Toletani anno Chriſti 589. qui fuit vigeſimus quartus poſt Conciliũ Cõſtantinopolitanum II. aliàs V. Synodum Generalem, celebratam tempore Vigilij Papæ, & Iuſtiniani Auguſti. Deinde poſt Eccleſiam Hiſpanam Gallica idem Symbolum in Miſsis cantare cœpit, & præſertim ſub Carolo Magno. nam Vvalafridus Strabo in libro de Rebus Eccleſiaſticis cap. 22. teſtatur, *apud Gallos & Germanicos; poſt deiectionem Felicis hæretici, ſub glorioſiſsimo Carolo Francorum Rege damnati; idem Symbolum* (Conſtantinopolitanum) *latiùs & crebriùs cœpiſſe in Miſſarum officijs celebrari.* Subiungit verò rationem cur id factum fuerit, *quia aptius videbatur modulis ſonorum, quàm Nicænum.* Verùm ea ratio frivola eſt: cùm id factum fuiſſe conſtet, quoniam Symbolum Conſtantinopolitanum eſt plenius, recentiùs ab Eccleſia traditum, & integra antidotus adverſus omnes hæreſes eouſque natas: vt benè obſervat Chriſtianus Lupus in Scholijs ad Concilium Nicænum cap. 4. Inſuper & in Hiſpania fuit peculiaris ratio: quoniam cùm ab Arianis Gothis, Vandalis, & Suevis, pervaſa ac poſſeſſa fuiſſet; oportuit vt vſum Nicæni Symboli mutaret in vſum Conſtantinopolitani, longè illuſtriùs ac pleniùs explanantis myſterium Trinitatis contra eoſdem Arianos. Quæ ratio non vrgebat à principio in alijs Eccleſijs Occidentis. Inducta verò iam conſuetudine cantandi id Symbolum in Eccleſijs Hiſpaniæ, Galliæ, & Germaniæ (nã in Orientalibus ſtatim cantatum fuit iuxta decretum Iuſtini imperantis in Oriente) tandem Eccleſia Romana in ſolemni Miſſæ cantu idem Symbolum recepit. Quo autem tempore, non conſtat ex Hiſtoricis; præſertim addita particula *Filioque*. Quippe ſolùm habemus exploratum, id accidiſſe poſt tempus Leonis Papæ III. qui, vt ſuprà vidimus, eam additionem in cantu ſolemni apud Gallos reprehendit, veluti abſque ſufficienti authoritate introductam. Oportet igitur fateri, Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione illa, ſaltem in cantu, nondum ijs temporibus, ſed poſteà, fuiſſe à Romana Eccleſia receptum; & quidem incerto tempore, vt iam dixi, neque enim Hiſtorici tempus aſsignare inveniuntur. Iam verò plura ſæcula fluxerunt ex quo tempore eadem Eccleſia Romana publicè in Miſſa, ſive cantari, ſive recitari ſolita, idem Symbolum Conſtantinopolitanum accepit, & retinet vſque modò. Vnde & Synodus Baſileenſis anno Chirſti M.CCCC. XXXI. coacta ſeſsione 21. graviter reprehendit quaſdam Eccleſias *quòd illud non completè vſque in finem cantarent.* Quo ipſo ſatis indicatur, eam conſuetudinem longè ante ipſum Concilium ab Eccleſia Romana receptam fuiſſe. Et ſeptem poſt annis, id eſt, Chriſti 1438. Eugenius IV. Papa poſt vnionẽ Græcorum cum Latinis in Concilio Florentino, idem Symbolum cum additione *Filioque* Armenijs tradidit in decreto vltimo, non longè ab initio, illis verbis: *Imprimis ergo damus eis* (Armenijs) *ſanctum Symbolum, à centum quinquaginta Epiſcopis in Oecumenico Conſtantinopolitano Concilio editum, cum illa additione, FILIOQVE, ipſi Symbolo declarandæ veritatis gratia, & vrgente neceſsitate, licitè, & rationabiliter appoſita, cuius talis eſt tenor: CREDO IN VNVM DEVM,* &c. vt habetur in Symbolo ipſo, quo vtimur in Miſſa. Subdit ſtatim Pontifex: *Hoc autem ſanctum Symbolum, ſicut apud Latinos mos eſt, ita decernimus per omnes Armenorum Eccleſias intra Miſſarum ſolemnia, ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & maioribus feſtivitatibus, decantari, vel legi.* Hactenus ibi: in quibus obſervanda ſunt verba illa: *ſicut apud Latinos mos eſt.* Quippe ex his conſtat, conſuetudinem illam eo tempore iam in Eccleſia Romana introductam fuiſſe.

79 Immò & ex verbis ipſis Anſelmi, quæ habemus præ manibus, videtur colligi, tempore Concilij Barenſis, in quo ille cum Græcis coràm & ſcripto diſputavit, nimirum anno Chriſti MXCVIII. iam fuiſſe receptam ab Eccleſia Romana additionem illam *Filioque*. Etenim Anſelmus nomine Patrum omnium Latinorum, qui eidem Concilio intererant, ait in hoc ipſo capite: *Nec eſt poſitum in illo Symbolo, IN QVO REPREHENDIMVR AB ILLIS addidiſſe proceſsionem eius de Filio.* Iam igitur eo tempore recepta erat additio illa apud Latinos generatim, proindeque apud Romanos: non tamen in Symbolo Apoſtolorum, nec in Nicæno, quæ duo illibata vſque modò permanſerũt, abſque additione aut diminutione vlla: ſed in Conſtantinopolitano à centum quinquaginta Patribus edito, quo in Miſſa vtimur omnes Catholici cum additione *Filioque*: vt ſatis iam explanatum & probatum eſt. Deinde ex Epi-

ſtola quinta S. Leonis IX. Papæ, quæ eſt ad Petrum Epiſcopum Antiochenum, & ſcripta fuit circa annum Chriſti MLII. cùm S. Anſelmus adhuc iuvenis eſſet, conſtat iam eam additionem fuiſſe factam ab Eccleſia Romana. Non enim solùm ille S. Pontifex eam adhibet in formula profeſsionis fidei: ſed præterea illam probavit in Symbolo, & defendit contra audaciam Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui inſolẽter elatus non dubitaverat Pontificem ipſum excommunicare ob eius particulæ additionem.

80 Itaque regrediendo ad inſtitutum Anſelmi, probat ille Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, id eſt, de Patre procedentem, ſiquidem hic ab eo non procedit. Alioqui enim ambo non eſſent Deus vnus, & alteruter eorum non eſſet verus Deus. Quæ illatio Anſelmi, licèt ſubobſcura appareat, ſi paulo attentiùs conſideretur, eſt manifeſta. Vt enim plures perſonæ diſtinctæ ſint vnus Deus, & vnaquæque earum Deus verus, neceſſarium omninò eſt vt altera earum ab altera ducat originem. Nam ſi neutra ab altera originem ducat, vnaquæque à ſe ipſa, ſive per ſe ac ſeorſim naturam habebit: ac proinde non erit vnus Deus cum alia: immo & altera earum non erit Deus, cùm lumine naturæ evidens ſit non eſſe ſimul plures Deos. Cùm igitur perſona Patris non ducat originem ex perſona Spiritus ſancti, vt omnes Catholici fatentur, & ambo ſint vnus Deus, & vnuſquiſque eorum Deus verus; neceſſum eſt fateri, Spiritum ſanctum ex Patre originem ducere.

81 *NAM SI NON EST IPSVM DE PATRE, QVOD EST*, &c. Si enim Spiritus ſanctus non accipit divinitatem à Patre per veram proceſſionem ab illo, nullus erit locus vt amborum perſonæ reipſa diſtinguantur. Non enim diſtingui reipſa poſſunt ratione divinitatis, quæ ambobus eſt communis, & eadem in vtroque: eademque ratio eſt de qualibet perfectione abſoluta. Vt ergo reipſa ſit alius Pater à Spiritu ſancto, neceſſum eſt vt alter accipiat divinitatẽ ab altero per veram proceſsionem ex illo. Cumque Pater non accipiat divinitatem à Spiritu ſancto, ſupereſt vt hic ab eo illam habeat per veram proceſsionem.

82 *NON ENIM INDE ALIVS EST*, &c. Cenſeo expungi debere τὸ *niſi*, quod habetur in alijs editionibus, irrepſiſſeque exſcriptorum aut typographorum incuria: vt planè conſtat ex contextu: cuius ſenſus eſt, rationem præiactam non eludi, ſi quiſquam dicat, Spiritum ſanctum fore alium à Patre, quamvis ab eo non procederet. quia adhuc eſſet diſcrimen vtriuſque in eo quòd Pater haberet Filium, Spiritus verò ſanctus illum non haberet. Hanc evaſionem refellit Anſelmus: quia licèt in eo differant Pater & Spiritus ſanctus, quoniam hic non habet Filium, quem ille habet; non tamen hæc eſt ratio diſtinctionis, ſeu cauſa, vt ſint diverſæ perſonæ. Quippe ſi duo ſint homines, quorum alter habeat filium, alter non habeat, verè quidem in hoc differunt: non tamen ea erit cauſa diverſitatis inter vtrumque, ſed ſolùm propria ſingularitas vniuſcuiuſque, independenter ab eo, an aliter ſe habeant in habendo aut non habendo filium. id enim diſcrimen eſt κατὰ συμβεβηκὸς, ſeu adventitium, quod ſupponit ſolidam diſtinctionem vtriuſque ratione ſingularitatis vnius & alterius. Similiter ergo diſtinctio illa Patris à Spiritu ſancto, quòd alter habeat, alter non habeat filium, eſt ſubſecundaria, & quaſi adventitia; quæ proinde ſupponit ſolidam diſtinctionem vtriuſque per proprietates perſonales. Hæc autem ſolida vtriuſque diſtinctio nequit eſſe, niſi ratione originis, ſeu proceſsionis alterius ab altero: quoniam nullum aliud eſt caput diſtinctionis perſonarum in divinis, cùm alioqui in divinitate ſint vnum & idem. Neceſſum igitur eſt, vt ſiquidem Pater non procedit à Spiritu ſancto, hic ex illo procedat, ſitque Deus de Deo per originem ab illo.

83 *QVIPPE, VT SECVNDVM ILLOS LOQVAR*, &c. Confirmat impugnationem præcedentem, vel ex doctrina ipſorum Græcorum negantium Spiritum ſanctum ex Filio procedere. Adhuc enim iuxta illos, cauſa cur Spiritus ſanctus re ipſa ſit alius à Patre, non eſt quod hic habeat alium à ſe procedentem. Alioqui in ſententia Latinorum, aſſerentium Filium habere alium à ſe procedentem, Filius neutiquam eſſet alius à Patre. Igitur neque cauſa eur Spiritus ſanctus ſit alius à Patre, eſt quòd hic Filium habeat, ille non habeat. Vnde cauſa diſtinctionis ſolidæ inter perſonas Patris, & Spiritus ſancti debet conſiſtere in eo vt alter ab altero originem ducat.

84 *ET QVEMADMODVM FILIVS*, &c. Confirmat iterum eandem rationem: Quia Filius non ideo eſt alius à Patre, quia Patrem habet; quem non habet Pater. Etenim qvamvis Pater ipſe haberet patrem, Filius à Patre differret: vt in nobis videre eſt, vbi filius differt à patre ſuo, quamvis hic etiam patrem habeat. Igitur neque ideo Spiritus ſanctus differt à Patre, quia ille procedit ab aliquo, & hic à nullo. Quippe etiamſi Pater ipſe procederet ab alio, differret à Spiritu ſancto per hoc vt hic ex illo procederet.

SED

85 *SED NEQVE PER HOC*, &c. Aliam quoque evaſionem præcludit, qua dici poſſet, Spiritum ſanctum ideo eſſe alium à Patre, quia Spiritus Patris eſt, licèt ab illo non procedat. Licet enim nequeat eſſe ſpiritus Patris, niſi ſit alius ab eo, tamen priùs debet intelligi diſtinctus à Patre, quàm intelligatur eſſe Spiritus ipſius. Quidquid enim eſt alterius idipſum quod eſt, priùs debet intelligi ab eo diſtinctũ, quà intelligatur eſſe aliquid illius. Sic cùm dicitur homo aliquis eſſe alterius hominis, puta ſervus, intelligitur quidem alius ab illo: ſed tamen priùs intelligi debet ab eo diſtinctus, quàm ſervus illius intelligatur. Quare antequam Spiritus S. intelligatur ſpiritus Patris, debet aſsignari aliquid, ratione cuius ſit alius ab illo. Hoc autem nihil eſt aliud, quàm proceſsio Spiritus ſancti à Patre, ex qua provenit vt ſit Spiritus Patris. Igitur vt Spiritus ſanctus ſit ſpiritus Patris, neceſſum eſt vt ex Patre procedat, & ex hoc potiſsimùm ab eo diſtinguatur: ſicuti Filius exinde potiſsimùm diſtinguitur à Patre, quia eſt Filius ipſius, ſive quia ex Patre naſcitur.

86 *VIDETVR ITAQVE*, &c. Proſequitur aſſumptionem eandem, & colligit, Spiritum ſanctum ideo potiſsimùm eſſe alium à Patre, quia ab illo habet eſſe, licèt non eodem modo ac Filius. Quod vt diligentiùs veſtiget, proponit quoddam dilemma. Aut enim diſtinctio à Patre competit Spiritui ſancto pro poſteriori ad ſui exiſtentiam, aut in primo ſui eſſe. Neque enim pro priori ad illud poteſt intelligi alius à Patre: ſed vel in primo ſui eſſe, aut pro poſteriori ad illud. Quippe licèt intelligamus aliquẽ eſſe id quod eſt, priuſquam intelligatur alius; non tamen priùs poteſt intelligi alius, quàm intelligatur eſſe id quod eſt. Exemplo res illuſtratur in Adamo, ſeu primo homine: qui certè homo fuit priùs quàm eſſet pater, ac proinde priuſquam alius homo exiſteret. Vnde Adamus pro illo priori nòn erat alius, & tamen homo in ſe erat. Sic igitur, & Spiritus ſanctus aut fuit alius à Patre in primo ſui eſſe, aut pro poſteriori ad ſuum eſſe. At non fuit alius à Patre pro poſteriori ad ſuum eſſe: ſiquidem ſemper ex æternitate ambo fuerunt diſtinctæ perſonæ. Ergo ſupereſt vt Spiritus ſanctus fuerit alius à Patre ex primo ſui eſſe, ac proinde vt habuerit aliquod caput, propter quod ſemper fuerit alius ab illo.

87 *ESSE AVTEM NEQVIT*, &c. Subiungit Anſelmus conſiderationi præiactæ novum robur. Nequit Spiritus ſanctus à primo ſui eſſe exiſtere alius, niſi aut ex aliquo ſit, ſicut Filius, aut ex nullo, ſicut Pater. Non ex nullo, ſicut Pater: quia ſic eſſent duo dij, conſtantes alia atque alia divinitate. Neque enim eandem omnino divinitatem habere poſſunt in diſtinctis numero perſonis, ſi neuter eorum illam accipiat per proceſsionem ab altero: vt iam ſatis in præcedentibus oſtenſum fuit. Cùm igitur conſequens ſit abſurdum, & contrarium fidei Catholicæ; neceſſum eſt dicere, Spiritum ſanctum non eſſe ex nullo, ſicut Patrem. Ergo oportet fateri alterum è duobus prædictis, nimirum, Spiritum ſanctum ex aliquo eſſe, ſicut Filius ex aliquo eſt. At non ex ſe ipſo: quia nulla perſona, niſi Patris, à ſeipſa exiſtit; vtpote quæ à nullo eſt. Ergo ſi alioqui non eſt à Filio; ſupereſt vt ſit à Patre. Quiſquis ergo Græcorum negaverit Spiritum ſanctum à Filio procedere, neceſſaria & ineluctabili ratione fateri tenetur, illum procedere à Patre; qui eſt ſcopus huius capitis.

88 *SI QVIS AVTEM DICIT*, &c. Hæc eſt alia evaſio, quæ excogitari poterat: quòd, nimirum, licet Spiritus ſanctus non habeat eſſe de Patre; tamen per proceſsionem poſsit intelligi alius ab illo. Id verò impugnandum proponit ſequenti capite: tum ne aliquod effugium ſuperſit prædicto errori: tum præterea quia plurimum authoritatis habebat inter ſuos Epiſcopus ille, qui in Concilio Barenſi videbatur negare Spiritum ſanctum habere ſuum eſſe ex Patre.

CAPVT QVINTVM.

Vlterior eiuſdem erroris impugnatio, deſumpta ex proceſſione & miſſione Spiritus ſancti, qualitercumque illa accipiatur. Porrò ex eo quòd Spiritus S. ſit Deus de Deo, planè conuinci ipſius proceſſionem ex Patre & Filio.

QVI Ergo Spiritum S. dicere vult ex ſola proceſsione alium eſſe à Patre, licèt non ſit ex illo; intelligit, aut id ipſum eſſe procedere

dere de Patre ſolùmodò, quod eſt mitti, vel dari à Patre: vt cùm mittit, vel dat eum Pater, tunc tantùm procedit à Patre: aut hoc eſſe procedere, quod eſt de Patre eſſe. Sed ſi idem eſt procedere, quòd eſt dari, vel mitti; procedit pariter à Filio, ſicut à Patre, Spiritus S. quoniam ab illo ſimiliter mittitur, & datur. Item, ſi non eſt aliud Spiritui S. procedere, quàm mitti, vel dari; non eſt alius à Patre, nec procedit à Patre, niſi cùm datur, vel mittitur: quòd nemo, puto, intelligit. Semper enim eſt alius à Patre Spiritus S. etiam ante creaturam: nō autem datur, vel mittitur, niſi creaturæ. *Nec tamen dicendum eſt, quòd accidat ei dari, vel mitti.* Nam cùm ipſe ſit vbique, & immutabilis, accipienti quidem accidit aliquid; quia circa illum fit, quod priùs non erat, & abeſſe poteſt: circa Spiritum S. verò nihil fit, quod priùs non erat. Cùm enim cæcus in luce nō ſentit lucem, non magis, nec minùs habet aliquid lux; & ſi depulſa cæcitate ſentiat cæcus lucem, circa illum fit motus, non circa lucem. *Patet itaque* non eſſe Spiritum ſanctum alium à Patre per ſic intellectam proceſsionem, vt non ſit aliud illi procedere, quàm dari, vel mitti. Eſt ergo patens, eum per proceſsionem habere eſſe à Patre, & per hoc alium eſſe à Patre: ſicut Filius non per aliud eſt à Patre alius, quàm per hoc, quia de illo exiſtit. Eſt igitur Deus de Deo, & procedit de Deo, quia & ipſe eſt Deus, & Pater Deus, de quo eſt, & procedit. *At ſi dicimus*, duas Spiritus S. poſſe nominari proceſsiones; vnam, quando exiſtit de Patre; alteram quando datur, vel mittitur: Nō puto hoc eſſe negandum, ſi vnaquæque in ſuo ſenſu accipitur. De illa quippè proceſsione, qua datur, vel mittitur, non incongruè Dominum ſic dixiſſe intelligimus: *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis, vnde veniat, aut quò vadat.* Sic enim hoc potuiſſe dici videtur: neſcis, vnde procedat, aut quò recedat. Cùm enim datur, quaſi de occulto venit, & procedit: cùm verò ſubtrahitur, velut ad occultum vadit, & recedit. De hac proceſsione poteſt dici, quia idem illi eſt procedere, quòd mitti. *Siue igitur non procedat*, niſi exiſtendo de Patre; ſiue non, niſi cùm datur, vel mittitur & procedit ad ſanctificandam creaturam, ſiue vtroque modo procedat; ſequitur vt procedat de Filio. Si enim eſt de Patre, Deus eſt de Deo: vnde probatur, vt dictum eſt, eſſe quoque de Filio, & procedere. Ab illo namque procedit, de quo eſt, & de illo exiſtit, à quo procedit. Si verò tunc tantùm procedit, cùm mittitur, vel datur; procedit à Filio, à quo datur, & mittitur. Quòd ſi vtroque modo procedit; pariter vtroque modo procedere cognoſcitur à Filio. *Ecce videmus Spiritum ſanctum* eſſe Deum de Deo, & procedere de Deo; quod non eſt poſitum in præfato Symbolo. Si ergo ideo negant eum eſſe, & procedere de Filio, quia ibi tacetur; negent eſſe ſimiliter Deum de Deo, & procedere, quòd ibidē non dicitur. Aut ſi hoc diffiteri nequeunt, non timeant confiteri nobiſcum, Spiri-

tum ſanctum eſſe, & procedere de Filio: quoniam hæc in eodem Symbolo non inveniunt. *At dicent, ſatis* ibi ſignificatur, quia eſt & procedit de Deo, cùm dicitur quia à Patre procedit, quoniam Pater eſt Deus: *& nos ſimiliter dicimus*, quia apertè monſtratur procedere de Filio, cùm dicitur procedere de Deo, quia Filius eſt Deus. *Interrogo enim*, vtrum ideo intelligendus ſit Spiritus ſanctus eſſe de Patre, quia de Deo eſt; aut idcirco eſſe de Deo, quia eſt de Patre. Licèt enim invicem alterum altero probetur (ſi enim eſt de Patre, eſt de Deo; & ſi eſt de Deo, eſt de Patre: quoniam nulla ſupradicta obviat relatio) non tamen ſimiliter invicem ſunt, alter alterius cauſa. Nam ſi eſſe Spiritum ſanctum de Patre, eſt cauſa, vt ſit de Deo; cùm dicitur eſſe de Patre, non eſt intelligendum, quòd ſit de hoc, quòd Pater eſt Deus, id eſt, de divina eſſentia: ſed de hoc quòd Deus Pater eſt, id eſt, de hoc, vnde refertur ad Filium. Erit igitur divina eſſentia in Spiritu ſancto, non de deitate Patris, ſed de relatione; quod ſtultiſsimum eſt dicere. Quamvis, & ſi hoc velit aliquis accipere, non minùs ſequitur Spiritum ſanctũ de Filio, quàm de Patre procedere: nempè, nulla relatio eſt Patris, ſine relatione Filij: ſicut nihil eſt Filij relatio, ſine Patris relatione. Si ergo altera nihil eſt ſine altera; non poteſt aliquid de relatione Patris eſſe, ſine relatione Filij. Quare ſequitur Spiritum ſanctum eſſe de vtraque, ſi eſt de vna. Itaque ſi eſt de Patre ſecundùm relationem; erit ſimul, & de Filio ſecundùm eundem ſenſum. Verùm, quia nemo tam inſipiens eſt, qui hoc opinetur; credendum, & confitendum eſt, ideo de Patre Spiritum ſanctum eſſe, quia eſt de Deo. Non autem magis eſt Pater Deus, quàm Filius, ſed vnus ſolus verus Deus, Pater, & Filius. Quapropter ſi Spiritus ſanctus eſt de Patre, quia eſt de Deo, qui Pater eſt; negari nequit eſſe quoque de Filio, cùm ſit de Deo, qui eſt Filius.

SCHOLIA IN CAPVT V.

Præcluditur iterum evaſio negantium, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo. Porrò id neceſſariò colligi ex proceſſione, ſeu miſſione Spiritus ſancti. Multiplex eius acceptio ab Anſelmo tradita, & ex Patribus Græcis ac Latinis eruta. Vtcumque illa accipiatur, planè convinci Spiritum ſanctum à Patre & Filio miſſum, ex vtroque oriri; idque planè ſequi ex eo quod ſit Deus de Deo.

90 IN Fine capitis præcedentis indicata fuit evaſio, quam excogitare aliquis poterat ne argumentis ibidem propoſitis actum eſſet de opinione, ſeu potiùs errore, negantium, Spiritum ſanctum eſſe ex Patre. Porrò evaſio ipſa in eo ſita eſſe poſſet, vt diceretur, Spiritum ſanctum ratione proceſsionis eſſe alium à Patre, quamvis ex illo non habeat eſſe. Hoc effugium præcludere tentat Anſelmus impræſenti multipliciter.

91 *QVI ERGO SPIRITVM SANCTVM*, &c. Præcludit evaſionem dictam Anſelmus hoc ferè dilemmate. Quiſquis ait, Spiritum ſanctum eſſe alium à Patre ex ſola proceſsione, quamvis ab eo non habeat eſſe; aut nomine proceſsionis Spiritus ſancti intelligit dumtaxat idem quod mitti vel dari à Patre: aut præterea intelligit idem, quod eſt de Patre eſſe. Si hoc ſecundum dicere vadit, planè fatetur quod probare inſtituebamus. Iam enim Spiritus S. habebit ſuum eſſe de Patre per veram proceſſionem, & per hoc erit alius ab eo: ſicuti Filius eſt alius à Patre eò quòd ab illo habet ſuum eſſe per veram nativitatem. Si autem

Ad

Adverſarius intelligat illud primum, impugnatur multipliciter. *Primo*, quia iuxta eum dicendi modum, Spiritus ſanctus ſimul procedet à Filio & Patre: quoniam ab vtroque ſimul mittitur, ſeu datur: vt conſtat ex varijs Scripturæ locis, & poſtea pleniùs apparebit. Conſequens autem negatur à Græcis, qui nolunt Spiritum ſanctum ſimul à Patre Filioque procedere. Non ergo poſſunt conſequenter dicere, proceſsionem Spiritus ſancti dumtaxat ſitam in eo eſſe vt detur, vel mittatur. *Secundò*. Si Spiritum ſanctum procedere, nihil aliud eſſet, quàm dari, ſeu mitti; ſolùm procederet à Patre quando ab eo datur, vel mittitur: ac proinde ſolùm eſſet alius à Patre quando ab eo mittitur vel datur; quia tunc ſolùm intervenit proceſsio, quæ eſt cauſa diſtinctionis inter vtrumque. At conſequens eſſe falſum, non modò videtur patere ex ipſa Græcorum confeſsione, ſed præterea exinde; quòd Spiritus ſanctus ex æternitate, & ante exiſtentiam omnis creaturæ, ſit alius à Patre; cùm tamen non ex æternitate, nec ante creaturarũ exiſtentiam mittatur, aut detur ab illo. Non ergo dumtaxat procedit à Patre, vel alius ab eo eſt, quatenus ab ipſo datur vel mittitur. Procedit igitur à Patre, quatenus ex æternitate habet vt ſit ab illo, ſeu exiſtat per veram proceſsionem à Patre. qui eſt ſcopus huius digreſsinnis contra Epiſcopum illum Græcis faventem.

92 *NEC TAMEN DICENDVM EST QVOD ACCIDAT EI DARI, VEL MITTI*, &c. Occurrit obiectioni, quæ ex dictis ſuboriri poſſet. Si enim non ex æternitate, ſed in tempore, Spiritus ſanctus mittitur, vel datur; profectò id conveniet ipſi ex accidenti. Hoc autem videtur abſurdum: quoniam cùm Spiritus ſanctus ſit immutabilis, non eſt capax alicuius formæ adventitiæ, vel accidentis. Ergo non in tempore, ſed ex æternitate mittitur, ſeu datur. Reſpondet verò huic obiectioni Anſelmus, nihil accidere, ſeu nullam advenire mutationem Spiritui ſancto ex eo quòd in tempore mittatur: quoniam cùm ipſe ſit vbique & immutabilis prorſus, nihil in eo incipit eſſe, quod non haberet antequam mitteretur: ſed tota mutatio eſt in creatura ad quam mittitur, quoniam in ea ſit aliquid, quod priùs non erat. Rem declarat exemplo lucis, quæ nihil habet magis aut minùs, ſive videatur à cœco, ſive non. Quippe ſolus hic mutationem ſubit, vbi incipit videre lucem, quam antea non videbat. Dum ergo Spiritus ſanctus in tempore mittitur, non ipſe, ſed ſola creatura mutatur. Quod ipſum eodem exemplo declarat Manuel Calecas infra *num. 96.* & vberiùs, ac iuxta ſtylum Scholæ expoſuimus cum eodem Anſelmo Tomo I. Diſp. XXXIV. & ſeq. agentes de Immutabilitate Dei.

93 *PATET ITAQVE*, &c. Proſequitur illationem eandem: nimirum, Spiritum ſanctum non eſſe alium à Patre per proceſsionem ſic intellectam, vt procedere non ſit aliud quàm dari, vel mitti: ſimiliterque, eum à Patre habere eſſe per proceſsionem, & ideo eſſe alium ab ipſo: ſicuti Filius propterea ſolùm eſt alius à Patre, quia habet eſſe ex illo. Nimirum, vt iam ſuperioribus probatum fuit, diſtinctio perſonarum divinarum non deſumitur ex natura divina, in qua illæ vnum omnino atque idem ſunt: ſed ex eo quòd invicem ſe habeant in ratione τοῦ αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ, *principij & procedentis ab eo*. Igitur de primò ad vltimum Spiritus ſanctus eſt Deus de Deo, & procedens de Deo, nimirum, de Deo Patre.

94 *AT SI DICIMVS*, &c. Subdit duas proceſsiones Spiritus ſancti nominari poſſe: vnam, qua procedit à Patre ex æternitate: aliam, qua datur vel mittitur in tempore. Quippe neutra earum neganda eſt, ſi vnaquæque in ſenſu debito accipiatur. Porrò ex ijs duabus poſterior non incongruè videtur intelligi verbis illis Chriſti: *Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat.* Sic enim hoc potuiſſe dici videtur: *Neſcis vnde procedat, aut quò recedat.* Cùm enim datur, quaſi de occulto venit & procedit: cùm verò ſubtrahitur, velut ad occultum vadit & recedit. De hac igitur proceſsione dici poteſt, Spiritui ſancto idem eſſe procedere, quod mitti. Nimirum, familiare Patribus eſt, vt proceſsio duplex Spiritus ſancti diſtinguatur; altera temporaria, altera æterna; ſimiliterque miſsio duplex: adeò vt etiam æterna illa proceſsio nonnunquam appelletur miſsio, ſive Filij à Patre, ſive Spiritus ſancti ab vtroque; ſicuti & temporaria in ſalutem, aut ſanctificationem noſtram. Ita Cyrillus *lib. 2. in Ioannem* declarans illa verba: *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.* Vbi inquirens quidnam ampliùs habeat Chriſtus, quàm Prophetæ, qui etiam miſsi à Deo ſunt, & ipſius verba locuti; reſpondet, miſsionem Filij peculiarem & excellentiorem eſſe, ac duplicitèr intelligendam: *aut ſecundùm Incarnationis rationem, quia in hunc mundum cum carne venit; aut altius, atque ſublimiùs, & vt Deum decet, intelligetur.* Ὁ Πατὴρ τὸν υἱὸν ἐκ τῆς ἰδίας ἐξέλαμψε φύσεως, &c. *Pater Filium ex propria natura coruſcare fecit, tanquam ex lumine ſplendorem, ſecundùm ineffabilem & inexplicabilem diuinæ generationis*

nerationis modum. Quod quidem & ipſe nobis Vnigenitus aperuit dicens: EGO EX PATRE EXIVI, ET VENIO. Exiuit enim ex Patre in propriam exiſtentiam Filius; etſi in ipſo ſecundùm propriam naturam ineſt. ET QVOD APVD NOS ILLIC EXISSE SIGNIFICAT, HOC RVRSVS ISTIC MISSVM ESSE DEMONSTRAT. Vbi perſpicuè tradit duplicem miſsionis ſenſum ac modum: alterum, quo ſignificatur temporalis Filij Incarnatio; alterum, quo æterna ipſius à Patre origo, ſiue exitus. Verum quidem eſt miſsionem Filij frequenter à Patribus accipi, non de æterna generatione, ſed de Incarnatione temporali: vt patet ex Auguſtino Tractatu XXVI. in Ioannem, & XXXVI. alijſque locis, Chryſoſtomo *Homil. 39. in Ioannem*, Nyſſeno *lib. de Deitate Filij & Spiritus*, S. Athanaſio *Orat. V. fine*, & Nazianzeno *Orat. XXXVIII.* illis potiſsimum verbis: Ἀπεστάλη μὲν ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος. *Miſſus quidem eſt, ſed vt homo.* Cæterum probabilis etiam eſt præiacta expoſitio Anſelmi, & Cyrilli, vt miſsio, ſicuti & proceſsio, tum de æterna, tum de temporali congruenter intelligatur. Quod ipſum colligit Emanuel Calecas Græcus Auctor ex Gregorio Magno Homil. 26. vbi in eo duplici ſenſu accipit miſsionem, dum ait: *Itaque rectè dicitur: SICVT MISSIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS. Id eſt, ea vos charitate diligo, cùm inter ſcandala perſecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas paſsiones fecit. QVAMVIS MITTI ETIAM IVXTA NATVRAM DIVINITATIS POSSIT INTELLIGI. Eo enim ipſo Filius à Patre mitti dicitur, quo à Patre generatur.* Idque probare pergit idem S. Pōtifex valde ad rem noſtram. *Si enim mitti, incarnari ſolummodo deberet intelligi; ſanctus proculdubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus eſt. SED EIVS MISSIO IPSA PROCESSIO EST, QVA DE PATRE PROCEDIT ET FILIO. Sicut itaque Spiritus ſanctus mitti dicitur, quia procedit; ita & Filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur.* Quæ planè eſt ipſa ſententia & explanatio Anſelmi, dum ait, duas intelligi poſſe Spiritus ſancti miſsiones, proceſsioneſve: alteram æternam, qua habet eſſe à Patre: alteram temporariam, qua mittitur ad homines. Non tamen vult Anſelmus eſſe duas in re, ſiue quoad quidditatem. nam vt latè apparebit *num. 96.* ex Patribus, eadem actio æterna, quæ ſecundùm eſſentialia eſt æterna proceſsio, ſiue Filij, ſiue Spiritus ſancti; ſubit in tempore denominationem miſsionis, vbi aliqua ex ijs duabus perſonis dicitur mitti ad creaturas iam exiſtentes, ſeu redimendas, ſeu ſanctificandas.

95 *SIVE IGITVR NON PROCEDAT*, &c. Statuta iam ea doctrina, regreditur Anſelmus ad præcipuum inſtitutum, quod aliquantò intermiſerat, proceſsionis Spiritus ſancti ex Patre & Filio. Nimirum, ex dictis infert, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo; ſiue non procedat, niſi exiſtendo de Patre; ſiue non, niſi cùm datur vel mittitur ad ſanctificandam creaturam; ſiue vtroque modo & ſenſu ab ipſo procedat. Quolibet enim ſenſu ex ijs procedat à Patre, iam eſt Deus de Deo. Hinc conſequenter infertur, Spiritum ſanctũ procedere ex Patre & Filio ſimul: quia, vt fusè probatum eſt toto capite quarto, ex eo quòd ſit Deus de Deo, neceſſaria & ineluctabili ratione conuincitur ipſius proceſsio ex Patre & Filio. Vnde ſi proceſsio illius à Patre ſit æterna, aut temporaria, aut vtraque ſimul; eadem pariter à Filio erit.

96 Explanatur vberiùs eadem ratio Anſelmi. Quippe conſtat manifeſtè ex ſacris litteris, Spiritum ſanctum procedere à Patre, & mitti à Filio. Id enim perſpicuè habetur in illis verbis Chriſti Domini Ioannis 15. v. 16. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Conſtat ſimiliter ex capite 14. eiuſdem Ioannis, Spiritum ſanctum à Patre mitti. Ait nanque ibidem Chriſtus Dominus: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, &c. Ecce vbi habemus expreſſum in Scriptura, Spiritum ſanctum procedere à Patre, ac mitti à Patre & Filio. Hinc autem manifeſtè conuincitur, Spiritum ſanctum ex ſubſtantia Patris ac Filij procedere, qualitercumque proceſsio illa & miſsio intelligatur. Si enim proceſsio illa ex Patre, accipiatur pro æterna origine; iam Spiritus ſanctus ex æternitate eſt Deus de Deo, ac proinde ſecundùm ſubſtantiam procedit ex Patre & Filio: vt probatum fuit *cap. 4.* ex eo quòd Spiritus ſanctus ſit Deus de Deo. Deinde ſi miſsio Spiritus ſancti à Patre & Filio accipiatur de æterna proceſsione, planè euincitur, Spiritum ſanctum ſecundùm ſuam ſubſtantiam ex vtroque procedere ab æterno. qui eſt ſcopus præcipuus huius Opuſculi. Porrò miſsionis nomine etiam intelligi æternam, & οὐσιώδη, id eſt, eſſentialem, conſtat ex Patribus ſupra allegatis *num. 94.* Inſuper & plures alij ex Græcis fauent: vt Gregorius Thaumaturgus, qui in Fidei pro-

feſsione

ceſsione, ἐκπορευόμενον; id eſt, *proceſsionem* Spiritus ſancti, appellat ἔκπεμψιν, id eſt, *emiſsionem*. Similiter Nazianzenus in Oratione ad Heronem Philoſophum, propriam Spiritus ſancti notionem, ſeu æternam proceſsionem, appellat ἔκπεμψιν, quæ & emiſſionem, & miſsionem indifferenter ac propriè ſignificat. Alios quoque Patres allegat Ioannes Beccus *cap. 6. de Proceſſ.* qui de eſſentiali productione Spiritus ſancti vſurpant verbum πέμπω, cuius primaria ſignificatio eſt eadem, ac verbi *emitto*. Vnde infertur, actionem ipſam, ſive rationem formalem & eſſentialem miſsionis, eſſe æternam, & ſitam in ipſa proceſsione οὐσιώδη, id eſt, eſſentiali: quamvis ſub denominatione ſecundaria *miſſionis*. ad creaturas non ſit æterna, ſed temporaria, quæ proinde connotat iam exiſtentem creaturam, ad quam dirigitur miſsio.

97. Quod ex ipſis Græcis illuſtrant Hugo Eterianus *lib. 3. contra Græcos cap.* 18. Cardinalis Beſſario *in libro Dogmatico*, & Gennadius *lib. contra Græcos cap.* 1. ac denique Manuel Caleeas lib. de Proceſſ. cap. 5. verbis illis: ἐξ οὗ καὶ δῆλον, &c. *Ex quo patet, non eſſe duas proceſsiones Spiritus Sã alterã expertem temporis, alteram ex tempore. Primùm, quia nemo ſanctorum id dixit vnquam. Deinde quòd eo conceſſo, abſurda plurima naſcerentur. Verùm vna quidem eſt proceſsio, eaque ſempiterna, ſecundùm quam ex Patre per Filium Spiritus ſanctus procedit. Cùm autem creaturæ extiterint, aut idoneæ viſæ fuerint ad proceſsionis eiuſmodi cognitionem, illuſtrationemve; dicitur ipſis procedere, & elucere, & profundi, & dari per Filium. Et tunc QVOD PER SE EST ÆTERNVM, ILLIS IN TEMPORE CONTIGIT. Nam illa quidem proceſsio vnica eſt omnino ac ſemper. Nunquam enim Deo novum aliquid aduenit, propter ſummam eius ſimplicitatem, ac perfectionem. Creaturis verò eadem & temporalis videtur, & dicitur; non ita, vt temporalis illi conditio; ſed illis ſolis addatur, qui eam in tempore cognoſcunt ac recipiunt. Vnde ſi id, à quo eſt, ſpectetur; vnica eſt: ſin id, in quod pervenit, duæ. Etenim ſingulariter à Patre per Filium procedit Spiritus ſanctus ita tamen vt in propriam hypoſtaſim ex Patre procedens per Filium, tanquam ex vno principio, ſecundùm vnam & ſimplicem proceſſionem ipſius progredi dicatur. Adiuncta verò creatura, in quam ſanctificandam procedere dicitur, tunc ille à Patre per Filium procedens, ET A PATRE PER FILIVM MISSVS, & ſuppeditatus, & allegatus intelligitur: AC TOTA ILLA DE PATRE PER FILIVM PROCESSIO SPIRITVS SANCTI IN CREATVRAM, MISSIO NOMINATVR, quæ in tempore fit, ob creaturam; quæ in tempore fit particeps: adeò vt iſta ipſa temporalis conditio nobis, non Deo tribuatur. Atque vna quidem eſt, ſed ratione differt. Non enim quia in tempore accipimus, affectionem in Deum transferentes, temporale quippiam illud fas eſt dicere. neque quoniam cæcus recuperato nunc viſu radijs frui cœpit, ideò radius è Sole, vel lumen prodire modò incepit. Perſpicuum eſt enim, etiam antequam homo viſum reciperet, lucem & radium eodem in Sole modo ſe habuiſſe, itidemque radium ad oculos appuliſſe.* Hucuſque Caleeas diſertè & ſapienter, vtens eodem exemplo cæci & lucis, quod Anſelmus in præſenti affert: vt vidimus *num.* 92. & aptiſsimè docens, miſſionem temporariam, ſeu Filij, ſeu Spiritûs ſancti, non differre in ſubſtantia, ſive eſſentia, ab ipſa actione æterna, qua Filius à Patre oritur, & Spiritus ſanctus ab vtroque procedit: ſed ſolùm addere manifeſtationem & cõmunicationem alicuius doni, vel beneficij in bonum creaturæ, ad quam mitti in tempore dicitur, ſeu Filius, ſeu Spiritus ſanctus. Quod ipſum ſignificat Baſilius lib. 4. contra Eunomium dum ait: οὐκ ἐν χρόνῳ τὸ προϊὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ προϊέναι, κἂν ἐν χρόνῳ τὰς ἐνεργείας ἀποδιδῷ. id eſt, *non in tempore procedere quod ex Deo procedit, tametſi efficientias ſuas in tempore explicet.* Denique, vt aliquid quoque ex Latinis Patribus afferam, idipſum luculenter tradit Noſter Beda in Homil. Dominicæ 1. poſt Aſcenſionem allegata ab Hugone Etheriano, dũ ait: *Cùm Spiritus gratia datur hominibus, profectò Spiritus mittitur à Patre, mittitur & à Filio: procedit à Patre, procedit & à Filio: quia ET EIVS MISSIO IPSA PROCESSIO EST, QVA EX PATRE PROCEDIT ET FILIO.* Itaque ex tot Patrum conſenſione, mitti à Patre Filium, nihil aliud eſt, quàm gigni ex æternitate Filium, naturam hominis aſſumpturũ, & congruo tempore aſſumentem. Mitti Spiritum ſanctum à Patre & Filio, eſt procedere ex æternitate ab vtroque, creaturas rationales ſanctificaturum, & ſanctificantem congruo tempore. Ergo qualitercumque proceſſio, ſeu miſsio Spiritus ſancti à Patre & Filio intelligatur, neceſſum eſt fateri, Spiritum ſanctum ex æternitate exiſtere, ſive ſuam ſubſtantiam habere ab vtroque. quæ eſt illatio præcipua S. Anſelmi.

98. Denique S. Doctor ait, quamvis

miſ-

miſsio Spiritus ſancti à Patre & Filio, accipiatur de temporaria, adhuc exinde probari, Spiritum ſanctum ex vtroque exiſtere, ſiue ſuam diuinitatem habere à Filio, ſicut & à Patre. Non enim cohærere poſſunt hæc duo inter ſe, vt perſona aliqua divina mittatur ab alia, & tamen ex eius ſubſtantia non procedat, ſiue ſuam divinitatem non habeat ab æterno communicatam. Sed de hoc vberiùs capite ſequenti.

99 *ECCE VIDEMVS, SPIRITVM SANCTVM ESSE DE DEO, ET PROCEDERE DE DEO*, &c. Concludit Anſelmus, quod probandum aſſumpſerat, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, & procedere de Deo: ac ſimul præcludit obiectionem præcipuam Græcorum deſumptam ex illo Symbolo, ſiue Niezno, ſiue Conſtantinopolitano: in quorum neutro exprimitur, Spiritum ſanctum ex Filio procedere. Præcludit, inquam, obiectionem hanc. nam etiã in neutro ex ijs Symbolis exprimitur Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, & procedere de Deo. Et tamen ipſi fatentur, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, ac de Deo procedere: quod præterea hactenus demonſtratum fuit. Igitur quamvis in neutro ex ijs Symbolis exprimeretur, Spiritum ſanctum ex Filio procedere; adhuc locus eſt vt, quemadmodum ex Patre, ita etiam procedat ex Filio. Quippe vtrumque pariter omiſſum fuit, tum in Niezno Symbolo, tum in Conſtantinopolitano, prout primùm à CL. Patribus in eo Concilio prolatum fuit. Ac proinde non magis vnũ, quàm alterum ex prædictis, exinde impugnari poteſt.

100 *AT DICENT*, &c. Forſan argumento præcedenti reſpondebitur, diſparem eſſe vtriuſque rationem: quia dum in Symbolo Conſtantinopolitano dicitur, Spiritum ſanctum ex Patre procedere, ijs ipſis verbis ſatis declaratur, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, quoniam Pater ex quo procedit, eſt Deus: at non habetur vllo modo in eo Symbolo quòd Spiritus ſanctus ſit ex Filio, neque dicitur aliquid, ex quo apertè colligatur.

101 *ET NOS SIMILITER DICIMVS*, &c. Verùm ſolutio eiuſmodi refellitur. Quia dum in eodem Symbolo declaratur, Spiritum ſanctum procedere de Patre, qui eſt Deus, etiam ſatis apertè exprimitur, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo; ac proinde habere ſuum eſſe ex Patre & Filio ſimul, quorum vnuſquiſque Deus eſt. Quemadmodum ergo ex illo Symbolo malè infertur, Spiritum ſanctum non eſſe Deum de Deo; ita & perperam colligitur, illum non procedere ex Filio.

102 *INTERROGO ENIM*, &c. Confirmat vberiùs eandem impugnationem hoc dilemmate. Aut Spiritus ſanctus intelligitur eſſe de Patre, quia de Deo eſt; aut eſſe de Deo, quia eſt de Patre. Alterum enim horum ex altero probare licet: quoniam, ſi eſt de Patre, eſt de Deo; & ſi eſt de Deo, eſt de Patre. Non enim obviat aliqua relationis oppoſitio ad id inferendum: nec præterea invicem ſunt alter alterius cauſa: quoniam id repugnat ex dictis *cap.* 3. Itaque aut Spiritus ſanctus intelligitur eſſe de Patre, quia de Deo eſt; aut eſt de Deo, quia eſt de Patre. Si hoc ſecundum aſſeratur; cùm in Symbolo dicitur Spiritum ſanctum eſſe de Patre, non erit ita intelligendum, vt ſit de eo, quo Pater eſt Deus; nimirum, de divina eſſentia: ſed de hoc, quo Deus eſt & denominatur Pater; nimirum, de paternitate, qua refertur ad Filium. Quare divina eſſentia erit in Spiritu ſancto, non de Deitate Patris, ſed de relatione paternitatis. quod ſtultiſsimum dictu eſt. Immo, eò gratis permiſſo, adhuc locus eſt inferendi, Spiritum ſanctum non minùs ex Filio, quàm ex Patre procedere: quoniam nulla relatio eſt Patris ſine relatione Filij, & è converſo: cùm eiuſmodi relationes ſint ſimul natura & cognitione: ac proinde nihil poſsit ab vna procedere, quin & ab altera. Si ergo Spiritus ſanctus procedit ex relatione Patris, pariter procedere debet ex relatione Filij; ac proinde ex vtroque ſimul. Cùm igitur nemo tam inſipiens ſit, vt opinetur Spiritum ſanctum procedere ex relatione paternitatis; nemo etiam, niſi abſurdè, opinari poteſt, ideo Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo, quia eſt de Patre. Recurrendum igitur eſt ad alterum extremum dilemmatis propoſiti, dicendumque, ideo Spiritum ſanctum eſſe de Patre, quia eſt Deus de Deo. Atqui Filius, non minùs quàm Pater, eſt verus Deus: immo vterque eſt vnus Deus verus. Igitur de primo ad vltimum, ex eo quòd Spiritus ſanctus ſit Deus de Deo, planè convincitur, quemadmodum procedit de Patre, ita etiam procedere de Filio.

(o)

CAPVT SEXTVM.

EADEM SPIRITVS SANCTI PROCESSIO EX PATRE & Filio probatur ex varijs Sacræ Scripturæ teſtimonijs.

CONSIDEREMVS Etiam quod Dominus dicit in Euágelio. Ait enim: *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum.* Aut ergo ita intelligendus eſt iſte ſolus verus Deus; vt cùm nominamus ſolum Patrem, non ſignificetur ille ſolus verus Deus; neque quando nominamus ſolum Filium: ſed tunc ſolummodo intelligatur iſte ſolus verus Deus, quando ſimul dicimus Patrem, & Filium. Aut ſolus verus Deus intelligitur, cùm nominamus ſolum Patrem, aut ſolum Filium. At ſi ſolo Patre nominato, aut ſolo Filio, non inteligitur ſolus verus Deus, ſine adiectione nominis alterius; non eſt Pater perfectus Deus, neque Filius perfectus Deus; ſed eſt Deus compoſitus ex Patre & Filio. Sed credimus Patrem eſſe perfectum, & ſolum verum Deum, & Filium ſimiliter perfectum, & ſolum verum Deum. Cùm ergo nominamus Patrem ſolum, aut Filium, non aliud intelligimus, excepta relatione, qua referútur adinvicem, quàm ſolum verum Deum, & eundem quem in vtriuſque prolatione cognoſcimus. Itaque cùm dixit Dominus: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum:* ſi addidiſſet dicens: Et de hoc ſolo vero Deo procedit Spiritus S. quis auderet ſeparare Filium ab illa Proceſsione; cùm ille ſolus verus Deus, non magis aut minùs ſit Pater, quàm Filius? Quapropter ſi idem ſolus verus Deus intelligitur, cùm ſolus Pater dicitur aut Filius, & cùm ambo ſimul nominantur; quid apertiùs, quàm quia de ſolo vero Deo, qui Pater eſt, & Filius, procedit Spiritus S. cùm dicitur à Patre procedere? Quare ſicut intelligeretur de Filio procedere, ſi idem Filius dixiſſet de ſolo vero Deo illum procedere; quando dixit, ſe & Patrem ſolum verum Deũ eſſe: ita cùm dicit, eum de Patre procedere, abſque dubio eum de ſe ſignificat procedere.

Ioan. 17. v. 3.

Ioan. 14. v. 26. Ioan. 15. v. 26. 103 *DICIT Etiam Dominus: Paraclitus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo. Et rurſum: Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Quid ergo intelligendum eſt, cùm dicit: *Quem mittet Pater in nomine meo?* An quia Spiritus S. habebit nomen eius, vt cùm mittet Pater Spiritum S. idem ſit quod mittere Filiũ? Sed quod ait: *Quem ego mittam vobis à Patre,* nõ recipit hunc ſenſum: quia eundem ipſum Spiritum S. quem mittit Pater, mittit Filius; neque mittit Filius Filium. Denique nuſquam legimus, & omnino negamus, Spiritum S. eſſe Filium. Quid

itaque eſt, *Quem mittet Pater in nomine meo*, niſi, quem Pater mittet, Filius quoque mittet? Sicut, cùm dicit, *Quem ego mittam à Patre*, non eſt aliud, quàm, Ego mittam, & Pater. Filius namque eſt nomen illius, qui dicebat: *Mittet Pater in nomine meo.* Non eſt ergo aliud: *Mittet Pater in nomine meo*, niſi, Mittet Pater in nomine Filij. Quid igitur eſt, Mittet Pater in nomine Filij, niſi Mittet Pater, tanquam ſi mittat Filius: vt in miſsione Patris, miſsio intelligatur Filij? Quòd verò ait: *Quem ego mittam vobis à Patre*, quomodò intelligendum eſt? Vtique, à quo eum mittit Filius, ab eo mittitur. Mittit autem eum à Patre. Ergo à Patre mittitur. Sed ille mittit, à quo mittitur. Pater itaque mittere intelligitur, cùm Filius dicit: *Ego mittam à Patre*. Quid eſt ergo: Ego mittam à Patre, niſi ego mittam, tanquam ſi Pater mittat, vt vna & eadem ſit miſsio mea, & Patris? Cùm itaque Filius tanta diligentia oſtendat, vnã eſſe miſsionem Patris, & ſuam; vt nec Pater mittat, niſi cùm Filius mittit; nec Filius mittat, niſi cùm mittit Pater: Quid vult ſignificari, aut quid vult intelligi, niſi quia non aliter ſe habet ad Patrem Spiritus S. & aliter ad Filium: nec magis eſt vnius, quàm alterius? Quamobrem nimis difficile, immò impoſsibile eſt oſtendere, quomodo non procedat ab vtroque. Vnde enim eſt Filio, cùm Patre dare ſimul, vel mittere Spiritum S. & hunc eſſe vtriuſque, ſi ſimul non eſt de vtroque? *Cur enim magis dat Filius* Spiritum S. quàm Spiritus S. Filium? Aut cur magis Spiritus S. eſt Filij, quàm Filius Spiritus S. niſi quia Filius non eſt ita de Patre ſimul, & de Spiritu ſancto, ſicùt Spiritus S. eſt de Patre, ſimul & de Filio? Si ergo Spiritus S. non eſt de Filio; non detur à Filio, nec dicatur eſſe Filij: ſicut Filius non datur à Spiritu S. nec dicitur eſſe Spiritus ſancti, quoniam non eſt de Spiritu S. *Si autem dicunt*, quia Spiritus S. mittit etiam Filium, ſicut idem ipſe dicit per Prophetam: *Et nunc Dominus* Iſaiæ 48.
Deus miſit me, & Spiritus eius: Hoc ſecundùm hominem quem gerebat v. 16.
intelligendum eſt, qui Patris, & Spiritus S. vna voluntate, & diſpoſitione mundum redempturus in mundo apparuit.

114 *QVAERO Tamen ab his* qui negant Spiritum S. eſſe, & procedere de Filio: quomodo intelligant eum ſic eſſe ſpiritum Filij, vt Filius tãquam ſuum Spiritum mittat? *An putant* quia Pater dedit Filio Spiritũ S. ſuum, tãquam à ſe non habenti? Aut enim habet à ſe, aut ab alio. Sed ab alio non poteſt habere, niſi à Patre. Accepit igitur à Patre, à quo habet; & dedit ei Pater Spiritum S. vt à ſe non habenti. Hic oſtendant, cùm æquales ſint Pater, & Filius, & Spiritus S. & vnuſquiſque ſibi ſufficiens, quæ fuit cauſa, vel quæ indigentia Filij, vt Pater daret ei ſpiritum ſuum, magis quam Spiritui S. Filium ſuum? *Non negamus* hoc modo habere Filium Spiritum S. à Patre: quia à quo habet eſſe, ab eo habet, vt de ſe Spiritum S. exiſtentẽ habeat, ſicut Pater; quoniã idem eſſe eſt Patris,

& Filij. Non eſt enim idem, accipere à Patre eſſentiam, de qua procedit Spiritus S. & accipere à Patre Spiritum S. Cùm enim dicitur habere à Patre eſſentiam, de qua Spiritus S. procedit, nulla mōſtratur indigentia Filij. Cùm verò dicitur, quia Filius accepit à Patre Spiritum S. quem de ſe non habet, ſicut Pater; videtur ſignificari Filius quaſi minùs aliquid habere, quàm habeat Pater, & velut ad ſupplementum ei dare Spiritum S. *Sed non apparet*, cur magis egeat Filius Spiritu S. quàm Spiritus S. Filio. *Si enim reſpondetur*, ad hoc enim datum eſſe Spiritum S. Filio, vt cùm ipſe, cū Patre quoque, eundem Spiritum S. daret, par illi cum Patre gratia imputaretur: Terrena eſt hæc opinio, & longè ab intellectu divinitatis extranea, vt tāquam homo homini, Deus Deo quaſi indigenti ſubveniat. Namque ſi dat Pater Spiritum S. Filio, dat Deus Deum Deo: Pater enim Deus, & Filius Deus, & Spiritus S. Deus, & vnus idemque Deus. Non autem intelligimus, Deū à Deo, Deum accipere; niſi hoc dicatur, cùm Deus eſt de Deo, vt Filius, & Spiritus S. Dicitur ergo Spiritus S. Filij ſpiritus, non ob aliud, niſi quia ex ipſo eſt.

SCHOLIA IN CAPVT VI.

Eadem Spiritus ſancti proceſsio ex Patre & Filio teſtimonijs Scripturæ, & rationibus exinde erutis comprobata; præſertim ex natura miſsionis; quæ aut includit, aut ſupponit æternam proceſsionem perſonæ miſſæ à mittente, ex conſenſu communi Patrum. Euaſiones Græcorum præcluſæ.

105 POSQVAM Digreſſus quoddámodo fuit Anſelmus ad præoccupandum effugium Epiſcopi illius negantis, Spiritum ſanctum eſſe Deum de Deo; nunc regreditur ad præcipuam controverſiam cum Græcis, & probare pergit proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio varijs Scripturæ teſtimonijs.

106 *CONSIDEREMVS ETIAM*, &c. Primum teſtimonium deſumit ex Ioanne cap. 17. vbi Dominus ait: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM.* Vbi verba *ſolum verum Deum*, dupliciter intelligi poſſunt. Primò, vt cùm nominamus ſolum Patrem, non ſignificetur ille ſolus verus Deus, neque quando nominamus ſolum Filiū: ſed tunc ſolùm ille intelligatur ſolus verus Deus, quando ſimul dicimus Patrem & Filiū. Secundò verba illa accipi ita poſſunt, vt ſolus verus Deus intelligatur, cùm nominamus, aut ſolum Patrem, aut ſolum Filium. Porrò ex ijs duobus ſenſibus, prior ille eſt abſurdus, & hic poſterior verus: quoniam Pater & Filius, ſive vnaquæque ex ijs perſonis, non modò ſimul cum alia, ſed etiam ſingulatim, eſt ſolus verus Deus, præter quē non eſt Deus alius. Etenim nulla ex divinis perſonis dicitur ſolus verus Deus præ alia, ſive vt excludat aliā: ſed dicitur ſolus verus Deus ad excludendos, & ſegregandos falſos Deos. Nimirum, ea vox *ſolus* ita frequenter in Scripturis accipitur: vt obſervant Auguſtinus *lib. 1. de Trin. c. 6. & lib. 3. contra Maximinum c. 15.* Cyrillus *lib. 14. Theſauri*, Baſilius *Epiſt. 141. & lib. 4. cōtra Eunomium*, Nazianzenus *Orat. 36.* & alij plures, ac recentee eruditiſsimus Petavius *lib. 2. de Trin. cap. 4.* Alioqui, ſi ſolo Patre nominato, aut ſolo Filio, non intelligeretur ſolus Deus verus, ſine adiectione alterius nominis; non eſſet Pater perfectus Deus, nec Filius perfectus Deus eſſet: ſed potiùs Deus eſſet compoſitus ex Patre & Filio, quod planè eſt abſurdum, & contrarium fidei. Credimus enim Catholici omnes, Patrem eſſe perfectum ſolum & verum Deum; ac Filium ſimiliter perfectum ſolum & verum Deum. Igitur quando nominamus Patrem ſolum, aut Filium; non aliud intelligimus, excepta relatione mutua vtriuſque, quam ſolum verum Deum & eundē, quem in vtriuſque prolatione cognoſcimus. Hoc ſuppoſito, argumentum procedit vlteriùs. Si Christus Dominus poſt illa verba addidiſſet: *& de hoc ſolo vero Deo procedit Spiritus ſanctus*; profectò nullus Græcorum auderet ſeparare Filium ab illa proceſſione: quoniam ille ſolus verus Deus non magis aut minùs eſt Pater, quàm Filius

proin-

proindeque omnes ij faterentur; Spiritum ſanctum procedere ex vtroque, tanquam ex vno ſolo ac vero Deo. Ergo ſimiliter, quando Spiritus ſanctus in Scriptura dicitur procedere ex Patre, intelligendus eſt procedere de ſolo Deo vero, qui eſt Pater & Filius; ac proinde ſimul ex Patre & Filio. Nimirum Spiritum ſanctum de ſolo ac vero Deo procedere, idem eſt, ac procedere ex Patre & Filio: vt oſtenſum fuit latè tribus capitibus præcedentibus, quorum doctrina hoc loco potiùs ſupponitur, quàm probatur.

107 *DICIT ETIAM DOMINVS*, &c. Secundũ teſtimonium eruit ex eodem Ioanne cap. 14. & 15. in quorum priore ait Christus: *Paraclitus Spiritus ſanctus, quem Pater mittet in nomine meo.* In poſteriore verò: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Ex quibus duobus locis conſtat, Spiritum ſanctum mitti ſimul à Patre & Filio: quia de eodem Spiritu ſancto, quem Pater dicitur mittere in nomine Filij, aſſerit Filius ſe miſſurum illum à Patre: tanquam alter non mittat, niſi mittente altero; nec diverſa ſit vtriuſque miſsio, ſed vna & eadem, Patris ac Filij nomine. Quod totum ſingillatim, & per verborum particulas, immò apices, expendit Anſelmus in vtroque teſtimonio; vbi diſtinctè & luculenter oſtendit Chriſtus Dominus vnam eſſe miſsionem Patris & ſuam, neque vnius, quin pariter & alterius. Hinc autem colligitur, Spiritum ſanctum non ſe habere aliter & aliter ad Patrem & Filium, ſed vno eodemque modo; nec magis aut minùs eſſe Spiritum vnius, quàm alterius: ac proinde illum indiviſim ab vtroque procedere. Quòd enim Spiritus ſanctus indiviſim à Patre & Filio mittatur, & vtriuſque pariter Spiritus ſit, non poteſt aliunde provenire, quàm quòd indiviſim ab vtroque procedat. Ergo Spiritus ſanctus pariter & indiviſim procedit à Patre & Filio.

108 *CVR ENIM MAGIS*, &c. Confirmatur idipſum. Ex iiſdem enim Scripturæ locis conſtat, Spiritum ſanctum dari vel mitti à Filio, eſſeque Spiritum Filij: ex nullo autem Scripturæ loco habemus, Filium dari aut mitti à Spiritu ſancto, vel eſſe Filium ipſius. Id autem diſcrimen inde ſolùm oriri poteſt, quòd Spiritus ſanctus procedat ex Filio, quemadmodum ex Patre; Filius autem de Patre ſolo, non autem de Spiritu ſancto. Nulla enim ex perſonis divinis datur vel mittitur, niſi ab ea, ex qua habet eſſe: ſive miſsio temporaria ad homines ſit eadem cum proceſsione ſui æterna, ſive ſolùm ratione aut extenſione quadam ab ea differat: vt ſatis *capite præcedenti à num. 94.* explicatum eſt. Non ergo negari poteſt Spiritum ſanctum indiviſim procedere ex Patre & Filio, ſicuti indiviſim ab vtroque mittitur.

109 Hoc ipſum argumentum S. Anſelmi adverſus Græcos invenio à Patribus traditum: qui negant Patrem à Filio aut Spiritu ſancto mitti, quoniam à neutro eorum procedit, & nulla ex divinis perſonis mittitur ab alia, niſi ſupponatur procedere ab illa, tanquam ex principio aut cauſa, à qua exiſtit. Ideo aiebat Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Pater, cùm ex tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus. NON ENIM HABET DE QVO SIT, AVT EX QVO PROCEDAT.* Ac ſtatim: *Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus eſt: ita Pater miſsit, Filius miſſus eſt.* Præterea: *Sicut natum eſſe, eſt Filio à Patre eſſe: ita mitti eſt Filio, cognoſci quòd ab illo ſit.* Et in fine eiuſdem libri quarti ait, *Patrem abſurdiſsimè dici miſſum à Filio, quem genuit; aut à Spiritu ſancto, qui de illo procedit.* Deníque To. VI. lib. cõtra Ser. Ar. c. 4. *Solus Pater,* inquit, *non legitur miſſus, quoniam ſolus non habet auctorem, à quo genitus ſit, vel à quo procedat. Et ideo, non propter naturæ diverſitatem, quæ in Trinitate nulla eſt; ſed propter ipſam auctoritatem, ſolus Pater non dicitur miſſus. Non enim ſplendor, aut fervor ignem; ſed ignis mittit, ſive ſplendorem, ſive fervorem.* Quid illuſtrius?

110 Similiter Fulgentius in Fragmento libri octavi contra Flavianum, quod habetur in Collectaneis Theoduli, nullam miſsionem agnoſcit, niſi is qui mittitur, procedere ab eo ſupponatur, à quo mittitur. Verba ſunt: *Filius eſt igitur à Patre miſſus, non Pater à Filio; quia Filius eſt à Patre natus, non Pater à Filio. Similiter etiam Spiritus ſanctus à Patre & Filio legitur miſſus, quia à Patre Filioque procedit.* Conſonant Græci Patres, qui in perſona mittente aiunt debere eſſe ἀξίωμα, id eſt, *dignitatem*, ſeu *auctoritatem*. quo ſenſu Nazianzenus Orat. 37. explanans verba illa Chriſti Spiritu ſancto Ioannis 16. v. 7. & 13. *EGO MITTAM EVM*: & præterea: *VENIET*: inquit: *Quorum priore auctoritatem ſuam* (Chriſtus) *oſtendit; poſteriore verò, Spiritus poteſtatem.* Eodem quoque ſenſu Baſilius libro tertio contra Eunomium ait, Filium eſſe auctoritate ſecundum à Patre, ὅτι ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτῷ ὁ πατήρ. *quoniam principium & cauſa vt ſit, Pater ipſi eſt.* Eam

verò auctoritatem, ſeu dignitatem, non eſſe præſtantiam aliquam in natura, aut perfectione, patet: cùm eadem natura & perfectio tribus divinis perſonis indiviſim competat, nec in aliqua ex ijs ſit peculiaris perfectio, adhuc relativa, ſed ſolùm abſoluta & communis, vt verior ſententia eſt, quam fusè tradidimus cum Anſelmo Tomo II. Diſp. LXXIII. Solùm itaque ſita eſt in notione principij, ſecundùm quam vna ex divinis perſonis communicat eſſe alteri per veram productionem. Neceſſum igitur eſt, vt quæcumque ex divinis perſonis dicitur propriè aliam mittere, habeat in eam τὸ ἀξίωμα, id eſt, dignitatem, ſive auctoritatem principij, communicantis ipſi eſſe per veram productionem. Nimirum, miſsio propriè dicta conflatur ex proceſsione æterna, & temporali efficientia, quâ perſona aliqua mitti dicitur ad creaturas: ſive ſub ſenſum cadat, vt cùm Verbum caro factum dicitur miſſum ad homines, vel Spiritus ſanctus ſub columbæ ſpecie: ſive res interiùs peragatur, vt cùm Spiritus ſanctus mittitur ad iuſtorum animas. Aut certè ſi miſsio non conflatur ex proceſsione æterna, & efficientia temporaria, ſaltem ſupponit neceſſariò æternam proceſsionem perſonæ miſſæ ab ea quæ mittit. Cùm igitur Spiritus ſanctus à Patre & Filio dicatur mitti in ſacris litteris; in ipſa miſsione aut includitur, aut ſupponitur æterna illius proceſsio ex Patre & Filio.

111 *SI AVTEM DICVNT*, &c. Poſſet reſponderi argumento præiacto, non bene probari proceſsionem Spiritus ſancti à Filio ex miſsione. Nam certum eſt Filium non procedere à Spiritu ſancto: & tamen ab eo mitti perhibetur. Quippe Filius ipſe Dei per Prophetam inquit: *Et nunc Dominus Deus miſsit me, & Spiritus eius.* Si igitur Filius mittitur à Spiritu ſancto quin ab eo procedat, poterit Spiritus ſanctus non procedere à Filio, quamvis ab eo mittatur.

112 *HOC SECVNDVM HOMINEM*, &c. Præcludit Anſelmus evaſionem præcedentem: Quia verba illa Prophetæ dicuntur à Filio Dei, ſecundùm naturam humanam redimente hominem, & in carne apparente. Quippe id vna Patris, ac Spiritus ſancti, ſicuti & eiuſdem Filij, divina voluntate & diſpoſitione factum eſt. quæ eſt miſsio communiter & minùs propriè dicta. Proindeque ſolùm ſupponit, aut includit efficientiam communem divinis perſonis in naturam humanam, à ſolo divino Verbo aſſumptam. At verò Spiritus ſanctus non ſecundùm naturam humanam, quam nunquam accepit, ſed ſecundùm eſſe divinū & perſonale dicitur propriè & nominatim à Patre & Filio miſſus: ac proinde ſecundùm illud ipſum eſſe divinum & perſonale ab vtroque procedit. Quæ doctrina & diſparitas longè antea fuerat tradita à Fulgentio vbi ſuprà dicente: *Sed quia non vno modo in Scripturis ſanctis dicitur miſsio, propterea in Sacramento Incarnationis non ſolùm à Patre, verùm etiam à Spiritu ſancto miſſus eſt Filius: quia mediator Dei & hominum Chriſtus IESVS totius eſt Trinitatis operatione plaſmatus. ALIO AVTEM MODO MITTITVR A PATRE ET FILIO SPIRITVS SANCTVS, QVI NATVRALITER A PATRE FILIOQVE PROCEDIT: Mittitur enim à Patre & Filio Spiritus ſanctus, cùm ab ipſa Trinitate vno Deo gratiæ ſpiritualis donatur effectus.* Præmiſſerat verò immediatè antea, Spiritum ſanctum à Patre & Filio mitti, quoniam ex vtroque procedit. Similiter eadem S. Anſelmi expoſitio traditur à Concilio Toletano XI. in Profeſsione Fidei his verbis: *Miſſus Filius non ſolùm à Patre, ſed & à Spiritu ſancto miſſus eſſe credendus eſt in eo, quod per Prophetam dicitur: ET NVNC DOMINVS MISSIT ME, ET SPIRITVS EIVS. A ſe ipſo quoque miſſus, accipitur, pro eo quod inſeparabilis non ſolùm voluntas, ſed & operatio totius Trinitatis agnoſcitur.* Quod item confirmat Auguſtinus *lib. 2. de Trin. cap. 5.* Fulgentius *libro de Fide ad Petrum cap. 15. & lib. 2. ad Monimum cap 6.* Porrò ſecundùm hanc communem & minùs propriam miſsionis acceptionem, etiā Spiritus ſanctus quoddamodo à ſe ipſo miſſus dici poteſt, dum ſub ſpecie colūbæ apparuit: quoniam externam illam columbæ ſpeciem, quâ ſe videndum oculis exhibuit, tota Trinitas vnica voluntate & operatione effecit. In eoque ſenſu minùs proprio, etiam Spiritum ſanctum à ſe ipſo mitti, & dari, & procedere, docent Auguſtinus loco nuper indicato, & *lib. 15. de Trin. c. 19.* Ambroſius *in Tract. de Symbolo*, Magiſter Sententiarum *in 1. diſt. 15.* & D. Thom. *1. P. q. 43. ar. 8.* In præſenti verò loquimur de miſsione propria & preſsè dicta, quæ æternam proceſsionem à mittente ſupponit.

113 *QVÆRO TAMEN AB HIS, &c.* Confirmat vberiùs argumentum præcedens, interrogando à Græcis, quomodo Spiritus ſanctus ſit Spiritus Filij, ab eoque mittatur tanquam Spiritus ipſius, ſi verè ex illo non procedit, ſive exiſtit? Neque enim ea duo cohærere invicem poſſunt: ſicut nec cohærere poteſt quòd Spiritus ſanctus ſit Spiritus Patris, ab eoque mittatur, veluti Spiritus ipſius, & tamen ab eo non procedat, ſive exiſtat.

AN

114 *AN PVTANT*, &c. Vrget præterea. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ſed à Patre dumtaxat; Filius illum à ſe non haberet, ſed à Patre acciperet, veluti illum ex ſe non habens. Cùm enim Spiritus ſanctus ſit Spiritus Filij, vt ipſi Græci fatentur, & ſuperioribus ſtatutum eſt; oportet vt Filius illum habeat, vel à ſe, vel à Patre; ac proinde ſi non habet illum à ſe, vt habeat à Patre dante Filio quod à ſe non habet. Conſequens autem eſt planè abſurdum: quia cùm Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſint æquales, & vnuſquiſque ſibi ſufficiens; nulla ratio eſſe poteſt, nullaque indigentia in Filio, vt Pater daret ei ſuum Spiritum, tanquam à ſe non habenti, magis quàm Spiritui ſancto Filium ſuum. Ergo Filius Spiritum ſanctum non accipit à Patre, quaſi illum à ſe non habens; ac proinde habet illum à ſe, veluti procedentem ab ipſo.

115 *NON NEGAMVS*, &c. Occurrit obiectioni, quæ ſuboriri poterat ex eo quòd Filius à Patre acceperit quidquid eſt & habet; ac proinde ab eo acceperit vim ſpirandi. Occurrit, inquam, & ait: Non negamus Filium hoc modo habere Spiritum ſanctum à Patre: quia ſicuti ab eo habet eſſe, ita etiam habet vt de ſe Spiritum ſanctum exiſtentem habeat, ſicut Pater: quoniam idem eſt eſſe Patris & Filij. Verùm non eſt idem accipere à Patre eſſentiam, & vim ſpirandi, ac accipere ab eo Spiritum ſanctum, nec par eſt vtriuſque ratio. Cùm enim Filius dicitur habere à Patre eſſentiam, de qua Spiritus ſanctus procedit; nulla monſtratur indigentia Filij. Si autem Filius à Patre acciperet Spiritum ſanctum, tanquam illum ex ſe non habens, ſicut Pater; denotaretur Filium minùs aliquid habere, quàm Patrem, & veluti ſupplementum quoddam, accipere ab eo Spiritum ſanctum. Quo ipſo non ſatis videretur ſervari æqualitas inter Patrem & Filium.

116 *SED NON APPARET*, &c. Proſequitur idem argumentum ab illatione abſurdi. Sequeretur enim Filium non fore omnino æqualem Spiritui ſancto, ſi ille hunc accipit à Patre. Videretur enim Filius egere Spiritu ſancto, qui tamen non eget Filio, quem nec habet, nec habere poteſt. Non poteſt autẽ eſſe omnimoda æqualitas inter duos, quorum vnus ſolùs eget altero. Non ergo eſſet omnimoda æqualitas inter Spiritum ſanctum & Filium, ſi hic illum à Patre acciperet, & à ſe non haberet.

117 *SI ENIM RESPONDETVR*, &c. Poſſet aliquis reſpondere, Spiritum ſanctum fuiſſe datum Filio, vt ipſe cum Patre eundem Spiritum hominibus daret, ac proinde par gratia Filio, ac Patri, ab ijs rependeretur. Verùm hanc opinionem, ſeu evaſionem reijcit Anſelmus, tanquam terrenam, & longè ab intellectu divinitatis extraneam. Non enim tanquam homo homini, Deus Deo indigenti ſubvenit; ac proinde non legimus Deum à Deo Deum accipere; quamvis legamus & catholicè fateamur, Filium, ſicuti & Spiritum ſanctum, eſſe Deum de Deo. Cùm igitur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, atque vnuſquiſque eorum ſit verus Deus; Filius non accipit à Patre Spiritum ſanctum, ſicut neque hic ab eo accipit Filium. Ergo Filius à ſe habet Spiritum ſanctum, tanquam Spiritum ſuum: qui propterea Spiritus Filij dicitur & eſt, quoniam ex ipſo procedit.

CAPVT SEPTIMVM.

Vberior eiuſdem doctrinæ confirmatio ex varijs Scripturæ locis.

POST Reſurrectionem legimus, quia inſufflavit Dominus in diſcipulos ſuos, & ait illis: *Accipite Spiritum ſanctum*. Quid ſibi vult iſta inſufflatio? Scimus enim, quia flatus ille, qui de ore eius tunc proceſsit, non erat Spiritus ſanctus. Non ergo credimus illam inſufflationem ſine aliquo myſterio factam eſſe. Quid igitur rectiùs hic intelligi poteſt, aut aptiùs, quàm hoc ideo illum feciſſe, vt intelligeremus Spiritum ſanctum de illo procedere? Ac ſi diceret: Sicut videtis hunc flatum, per quem vobis Spiritum ſanctum, ſicut ſenſibili- Ioan. 20 v. 22.

bilibus inſenſibilia ſignificari queunt, ſignifico de intimo corporis mei, & de perſona mea procedere: ita ſcitote, Spiritum ſanctum, quem vobis per hunc flatum ſignifico, de ſecreto Deitatis meæ, & de mea perſona procedere. *Vnam enim perſonam Verbi*, & hominis, & in ea duas naturas, diuinam, ſcilicet, & humanam, credimus, & confitemur. *Sed dicent forſitan*, flatus vtique ille non erat de ſubſtantia humana, & tamen quaſi ſuum illum emittebat. Quapropter docemur per huiuſmodi Spiritus ſancti dationem, quia cùm dat Filius Spiritum ſanctum, dat & mittit ſuum ſpiritum: ſed non de ſuæ diuinitatis eſſentia. *Dicant igitur*, ſi qui hoc opinantur: quia ſicut flatus non eſt humana natura, cùm emittitur ab homine; ita Spiritus ſanctus non eſt diuina ſubſtantia, cùm datur,
Pſal. 32. v. 6. vel mittitur à Deo Filio, quòd nullus confitetur Chriſtianus. *Dicant etiam* cùm audiunt: *Verbum Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*: Si ibi non negant intelligendum per Spiritum oris Domini, Spiritum ſanctum, non illum eſſe de eſſentia Domini, cuius oris ſpiritus dicitur: quia ſpiritus, qui ex ore ſolet hominum procedere, non eſt de ſubſtantia illius, de cuius ore procedit. Quod ſi non audent dicere, ſpiritum, ſcilicet, Dei, non eſſe de eſſentia Dei, & per verba rerum ſenſibilium, id eſt, per ſpiritum oris, intelligunt Spiritum ſanctum de ſecreto eius eſſentiæ procedere, cuius oris ſpiritus dicitur; fateantur etiam eundem Spiritum ſanctum, de illius eſſentia procedere, cuius labiorum ſpiritus dicitur. *Legimus enim* in Propheta de Chriſto: *Quia ſpiritu labiorum*
Iſaiæ 11. v. 4. *ſuorum interficiet impium*. Aut ergo oſtendant diuerſitatem inter ſpiritum oris, & ſpiritum labiorum, quod fieri nequit; aut pariter concedant Spiritum ſanctum procedere de illo, cuius oris, & de illo cuius labiorum ſpiritus deſignatur. *At ſi dicunt*, nequaquam per ſpiritum labiorum ibi intelligi Spiritum ſanctum debere; ſed verba prædicationis eius, quæ ex iſto aereo ſpiritu humano in ore formauit, quia verbis ſuis interficit impium, cùm docendo, ab homine auertit impietatem: Non vtique hoc faciunt verba ſenſibilia, & iſte ſpiritus ſenſibilis: ſed Spiritus
Ezech. 36. v. 26. ſanctus, de quo dicit Deus per Prophetam: *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor meum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri.* Spiritus ergo ſanctus interficit impium, cùm cor eius conuertit ab impietate, ad pietatem. Quòd ſi intelligimus in illo impio Antichriſtum, quem dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui: non puto quòd aliquis attribuat virtutem illam ſpiritui vocis humanæ tantum, quantum ſpiritui diuino. Si ergo Spiritus ſanctus intelligitur in his dictis; cùm pariter dicatur ſpiritus oris domini, cuius verbo cœli firmati ſunt, id eſt, Patris; & ſpiritus oris domini Ieſu, & ſpiritus labiorum eius; non apparet cur magis intelligi debeat procedere

de

de ore Patris, quàm de ore Filij. *Et ſi per os Patris* intelligimus eſſentiam Patris (non enim eſt aliud os eius quàm eſſentia eius; vt ſicut Verbum Domini eſt de eſſentia eius, ita ſpiritus oris eius, non ſit niſi de eſſentia eius) quid apertius, quàm ſicut ſpiritus oris Patris eſt de eſſentia Patris, & procedit, ita ſpiritus oris, & labiorum Filij, de Filij eſſentia ſit, & procedat? Puto enim, quia nemo intelliget ſimpliciter, vbi dictum eſt: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, verba tranſitoria, & ſpiritum, qui de hoc aere aſſumptus per loquentis os emittitur. *Sed quomodocumque hoc aliquis exponere conetur*, ſufficit, quòd in illa inſufflatione Domini in diſcipulos, cuius feci mentionem, factū eſt ad ſignificandum, quia de eiuſdem perſonæ ſecreto procedat ille ſpiritus, quem dabat: de cuius occulto ſpiritus ille procedebat, quem inſufflabat. Denique, cùm Scriptura diuina ſignificat aliquod ſecretum per ſenſibilium ſimilitudines, non per omnia, quæ ſignificant, & ſignificātur, ſimilia poſſunt eſſe. Non enim hoc eſſet ſimilitudo, ſed identitas: niſi fortè quis dicere voluerit, illam inſufflationem ita ſimpliciter eſſe factam à ſapientia Dei, ſine omni ſpirituali ſignificatione Dei. Sed neminem puto ita inſenſatum, vt hoc ſentiat.

ITEM Filius dicit de Spiritu S. *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur.* Quid eſt, non loquetur à ſemetipſo; niſi ab alio habet, quod loquetur? Et quid eſt, ab alio habebit, quod loquetur, niſi ab alio habebit ſcientiam eorum, quæ loquetur? Vnde poſtquam dixit: Non loquetur à ſemetipſo, addidit: Sed quæcumque audiet, loquetur. Quid eſt audire Spiritui S. niſi quaſi diſcere? Et quid eſt diſcere, niſi ſcientiam accipere? Si ergo ſcientia eius, non eſt aliud niſi ſcientia eius, ab illo habet eſſentiam, à quo audit ea, quæ loquitur, & quæ docet, quoniam idem eſt illi loqui quod docere. Non audit autem, neque habet eſſentiam ab alio, niſi aut à Patre, aut à Filio. Verùm ſi habet eſſe à Patre, ſecundùm ſupradictam rationem; habet etiam & à Filio. Vnde & idem Filius dicit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & anunciabit vobis.* Quippe, quid eſt aliud hoc dicere, quàm à me audiet, id eſt, à me ſciet, quod anunciabit vobis? Cùm dixit: *Quæcumque audiet, loquetur*; non determinauit à quo audiet. Cùm verò ait: *De meo accipiet*, ne quis ſoli Patri attribuat, quod ab alio audit, apertè ſe eſſe, à quo ſicut à Patre ſcientiā, ſiue eſſentiam accipiat, demonſtrat. Sicut enim cùm dicitur: Non loquetur à ſeipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur; ſignificatur ab eo eſſe, & procedere, à quo audit: ita cùm profert Filius, *De meo accipiet*, palam oſtendit, eum de ſuo, hoc eſt, de eſſentia ſua eſſentiam habere, & procedere. Quod enim diuina eſſentia non eſt, ſub Spiritu S. eſt, nec ipſe accipit aliquid de hoc, quod ſub ſe eſt. Quare cùm Filius dicit: *De meo accipiet*; nō aliud ibi ſuum ſignificat, quàm ſuam eſſentiam.

Ioan. 16. v. 13.

Ioan. 16. v. 14.

ILLVD Forſitan, quod dixit Filius: *De meo accipiet*, aliter conabuntur intelligere quàm ego expoſuerim. Sed quid dicent, vbi ait: *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare?* Audivimus, quia nemo novit Patrem, aut Filium, niſi Pater aut Filius, aut cui revelat Filius. Non dicit autem nemo, quaſi nullus homo: ſed ac ſi diceret, nullus omnino. Quippe ſi hoc intelligeret, non adderet, niſi Pater: quia Pater non eſt homo. Et cùm ait: *Neque Patrem quis novit*, in hac monoſyllaba dictione, videlicet, *quis*, non magis intelligitur humana, quàm quælibet perſona. Omninò igitur nullus habet hanc notitiam, niſi Pater, & Filius, & cui Filius idem revelat. Aut itaque Spiritus ſanctus nõ cognoſcit Patrem & Filium, quod impium eſt opinati: aut Filius revelat ei ſui, & Patris ſcientiam; quæ nõ eſt aliud, quàm eiuſdem Spiritus ſancti eſſentia. *Quod ſi dicunt*, quia licèt Filius, quantum ad pronuntiationem attinet, nullum ad hanc admittit notitiam, niſi ſe, & Patrem, & cui ipſe revelat: nõ tamen Spiritum S. aut ab illa ſeparatum, aut illam à Filio accipere fatendum eſt; quoniam Pater, & Filius non ſe cognoſcunt, niſi per hoc, quòd vnum ſunt cum Spiritu ſancto. Et ideo cùm ait: Patrem, & Filium invicem ſe noſſe; intelligendus eſt ſimul Spiritus ſanctus. Et cùm revelat Filius, non Spiritui S. ſed creaturæ revelat, *Si, inquam, hoc dicunt*; nos ſtatim conſtanter inferemus: Ergo ſi vbi apertè veritas, ſecundùm quòd verba oris eius pronũtiant, negat Spiritum ſanctum noſſe, niſi revelante Filio, Patrem, & Filium, dicunt etiam, non tantùm nos verba attendere debere, quantum vnitatem eſſentiæ, quæ vna tribus, & inſeparabilis eſt: multò magis debemus huius vnitatis ſervare conſequentiam, de qua ſuprà loquutus ſum; cùm eam nullo, aut ſcripto, aut ſenſu negat auctoritas, nec profert aliquid, quod contrarium ſit, aut aliquo modo repugnet. Eligant itaque Græci vnum de duobus, niſi apertè volunt veritati reſiſtere: aut ſcilicet Spiritum ſanctum non noſſe Patrem, aut Filium, niſi revelante Filio: aut propterea quia in hoc, quòd per ſe cognoſcunt Pater, & Filius, vnum ſunt cum Spiritu ſancto; quando ipſi dicuntur ſe noſſe, conſequi ex neceſſitate, vt in eadem notitia intelligatur Spiritus ſanctus. Nempe nihil eſt medium, niſi volunt hanc notitiam à Spiritu ſancto, aut veritatem à verbis penitus abdicare. Quæ vtraque execratur vera confeſſio. *Sic enim ait veritas:* Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare: ſiquidem eligunt, Spiritum ſanctum noſſe Patrem & Filium per revelationem Filij; habet à Filio noſſe, quod non eſt aliud illi, quàm eſſe. Eſt igitur, & procedit à Filio: quoniam ab illo procedit, à quo eſt. Si autem dicunt, cùm Pater, & Filius dicuntur noſſe ſe, quia eſſentia per quam ſe noſcunt eadem Spiritui ſancto, conſequi Spiritum ſanctum eiuſdem eſſe conſortem notitiæ:

cùm

cùm legitur, illum à Patre procedere, de quo ait Filius: *Ego, & Pater vnum ſumus;* confiteantur nobiſcum, propter eſſentialem identitatem Patris, & Filij, illum à Filio quoque proculdubiò procedere.

SCHOLIA IN CAPVT VII.

Triplex probatio eiuſdem proceſsionis ex alijs atque alijs Scripturæ teſtimonijs, ſubtiliter ab Anſelmo expenſis. Effugia Aduerſariorum præcluſa. Interpretationes eorum locorum cōfirmatæ ex doctrina Veterum Patrum. Neſtorij error obiter ab Anſelmo reiectus, qualis fuerit.

121 TOTVM Hoc caput, quemadmodum & præcedens, contextum eſt ex varijs Scripturæ locis, quæ Anſelmus diverſimodè expendit, ad confirmandam Spiritus ſancti proceſsionem ex Filio. Porrò quædam illorum etiam invenio ab alijs Patribus adducta in idem probandum: quædam verò à ſolo Anſelmo obſervata videntur.

POST RESVRRECTIONEM, &c. Nimirum, Ioannis cap. 20. Chriſtus Dominus iam iam aſcēſurus ad cœlos, cùm ſtetiſſet ſubitò coram diſcipulis, *inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum*, &c. Vbi licèt flatus ille, qui de Chriſti ore proceſsit, non eſſet ipſe Spiritus ſanctus, adhuc tamen aliquid myſterij denotat. Illud autem non videtur aliud, quàm Spiritus ſancti ex Filio proceſsio, in eo ſignificata, quòd Chriſtus inſufflans daret diſcipulis eundē Spiritum: tanquàm ſi diceret: Sicut videtis hunc flatum (per quem vobis Spiritum ſanctum, prout ſenſibus inſenſibilia ſignificari queunt, ſignifico) de intimo corporis mei, & de perſona mea procedere: ita & ſcitote, Spiritum ſanctum de ſecreto Deitatis meæ, & de perſona mea procedere. Nimirum, vna atque eadem eſt perſona Verbi & hominis: & in ea duas naturas, divinam, & humanam, credimus & cōfitemur. Proindeque ab eadem Verbi perſona in divina natura procedit ex æternitate Spiritus ſanctus, à qua in natura humana procedebat ille flatus.

122 *VNAM AVTEM PERSONAM*, &c. Profitetur doctrinam Catholicam adverſus Neſtorium, quâ credimus vnicam eſſe perſonam Verbi & hominis; atque in illa duas naturas, divinam vnam, humanam alteram. Ita enim definitum fuit in III. Synodo Generali Epheſi congregata anno Chriſti CCCCXXX. ſub S. Cæleſtino Papa, S. Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, & Theodoſio Iuniore Auguſto: vbi damnata fuit hæreſis Neſtorij aſſerentis, in Chriſto Domino duas naturas nullo ſubſtantivo nexu copulari: proindeque ſola connexione dignitatis, & auctoritatis, aut potentiæ coniunctas; non autem vnione naturali aut ſubſtantiva in eadem Verbi perſona. Contra hunc verò errorem definitur in Anatematiſmo III. S. Cyrilli ab eodem Synodo approbato: Εἴτις ἐπὶ τοῦ χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις, &c. *Si quis in vno Chriſto diuidit hypoſtaſes* (Petrus Diaconus *ſubſtantias* Interpretatur) *poſt vnionem* (alij τὴν ἕνωσιν latiniùs *vnitionem* vertunt) *eaque dumtaxat coniunctione inter ſe nectit, quæ eſt ſecundùm dignitatem, vel auctoritatem, vel poteſtatem; & non ea potius, quæ eſt ſecundùm naturalē vnionem: anathema ſit.* Quo canone confixus planè fuit error Neſtorij, qui, teſte eodem Cyrillo lib. de Recta Fide, *hominem ſeparatim collocabat æqualitate dignitatis, ſiue auctoritatis Deo coniunctū, ſed hypoſtaſi diuiſum, & quaſi ſeorſim per ſe poſitū.* Clariùs Theorianus in Dialogo cōtra Armenios Tomo XI. Bibliotecæ PP. inquit: Ἀλλ' ὁ Νεστόριος δύο φύσεις ἔλεγε κεχωρισμένας, οὐχ ἡνωμένας εἰς πρόσωπον ἕν. *Neſtorius duas aſſeveravit naturas a ſe invicem disiunctas, nec vnitas in vnam perſonam.* Sed cùm Anſelmus ſolùm obiter hoc loco tradat oppoſitum, ſufficiat id libaſſe modò, nam ea de re latiùs & opportuniùs diſſeruimus Tomo II. Diſp. LXXV. & LXXVI.

123 *SED DICENT FORSITAN*, &c. Poſſet fortè aliquis reſpondere argumento initio propoſito, flatum illum à Chriſto miſſum in Apoſtolos, non fuiſſe de ſubſtantia humana, quāvis illum mitteret quaſi ſuum. Quippe flatus ille non erat ſubſtantia humana, ſed aerea à Chriſto inſufflante miſſa. Ergo neque ex eo quòd Chriſtus Spiritum ſanctum miſſerit quaſi Spiritum ſuum, probare licet, ipſum eſſe de ſubſtantia divina Chriſti.

124 *DICANT IGITVR*, &c. Verùm eam evaſionem & obiectionem deſpicit Anſelmus: quoniam iuxta illam, ſicut flatus miſſus ab homine non eſt natura humana, ſed aerea: ita Spiritus ſanctus, cùm datur vel mittitur à Deo Filio, non erit divina ſubſtantia, ſed aerea. quod fidei Chriſtianæ adverſatur.

125 *DICANT ETIAM CVM AV-*

AVDIVNT, &c. Refellit vlteriùs eandem evaſionem ex verbis illis Pſalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Etenim hoc loco nemo negaverit, nomine Spiritûs oris Domini intelligi debere Spiritum ſanctum, qui ſit de eſſentia Domini, cuius oris ſpiritus dicitur, veluti de ſecreto eſſentiæ illius procedere. Nimirum, de perſona Spiritus ſancti locum illum interpretantur Patres à nobis allegati Tomo II. Diſp. LVIII. num. 15. id eſt, omnes Græci & Latini, qui totum illum verſiculum de tribus perſonis divinis intelligunt: atque in ſingulari Patres infra num. Diſput. allegandi, quorum teſtimonia eo loco prætermiſsimus. Et tamen ſpiritus ille, qui ex ore hominum ſolet procedere, non eſt de ſubſtantia hominis, de cuius ore procedit. Ergo quamvis flatus ille ſenſibilis, qui ex ore Chriſti inſufflantis exibat ad Apoſtolos non eſſet ſubſtantia Chriſti divina, ſed aerea; adhuc locus eſt, vt Spiritus ab eo miſſus in Apoſtolos eſſet ipſe Spiritus ſanctus procedens è Filio, ſive de eſſentia divina.

126 *LEGIMVS ENIM*, &c. Proſequitur idem argumētum, vt probet Spiritum ſanctum de illius eſſentia procedere, cuius labiorum ſpiritus dicitur. Et id probat teſtimonio Iſaiæ cap. 11. dicentis de Chriſto: *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Vbi nullum diſcriminis ſeu differentiæ caput eſt, inter ſpiritum labiorum ſuorum, quo Filius Dei interficiat impium; & ſpiritum oris Domini, quo virtus cœlorum firmata dicitur à Pſalmiſta. Sicuti ergo per ſpiritum oris Dei firmantis virtutes cœlorum intelligunt Spiritum ſanctum procedentem de illo cuius oris ſpiritus dicitur: ita quoque per ſpiritum labiorum Chriſti interficientis impium, intelligere debent Spiritum ſanctum de illo procedentem, cuius labiorum ſpiritus appellatur.

127 *AT SI DICVNT*, &c. Erit fortè qui dicat in illo Iſaiæ loco nequaquam intelligi debere Spiritum ſanctum, ſed duntaxat verba prædicationis eius, quæ ex iſto aereo ſpiritu humano in ore formavit: quoniam verbis ſuis interficiet impium, cùm docendo averterit impietatem ab homine. Verùm hoc dictum & interpretationem refellit Anſelmus: quoniam ab homine peccatore non auferunt impietatem verba ſenſibilia, & aereus ſpiritus, ſed ipſe Spiritus ſanctus, de quo inquit Deus per Ezechielem cap. 2. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri.* Ergo ipſe Spiritus ſanctus eſt qui interficiet impium, cùm cor eius convertatur ab impietate ad pietatem. Quòd ſi verò in illo impio intelligatur Antichriſtus (vt verè intelligi debet iuxta Apoſtolum 2. ad Theſſalon. c. 2. v. 8.) quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui: virtus illa non tam tribuenda eſt ſpiritui vocis humanæ, quàm ſpiritui divino. Quemadmodum ergo intelligitur Spiritus ſanctus, per ſpiritum oris Domini firmantis cœlorum virtutes, & ſpiritum labiorum Chriſti interficientis impium: ita etiam non apparet cur magis Spiritus ſanctus putandus ſit procedere magis de ore Patris, quàm de ore Filij.

128 *ET SI PER OS PATRIS*, &c. Subdit illico Anſelmus: Per os Patris intelligitur ipſius eſſentia. Non enim eſt aliud os Patris, quàm eſſentia eius: vt ſicut Verbum Domini exiſtit de eſſentia Patris, ita ſpiritus oris eius exiſtat de eadem eſſentia. Igitur quēadmodū ſpiritus oris Patris exiſtit, & procedit de eſſentia Patris: ita ſpiritus oris & labiorū Filij exiſtit & procedit de eſſentia Filij. Neque enim in eo loco Pſalmi: *Verbo Domini cœli firmati ſunt; & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum:* intelliguntur verba tranſitoria; aut ſpiritus, qui de hoc aere aſſumptus per os loquentis emittitur: ſed Verbum ipſum æterni Patris, & Spiritus ſanctus.

129 Ac meritò ſanè ita loquitur Anſelmus: quoniam nomine *ſpiritus oris Dei*, quo vtitur Rex David in eo Pſalmo, Patres communiter, nō halitum ſenſibilem oris, non flatum evanidum, ſed Spiritum ſanctum ex ore Dei, id eſt, ex Filio, ſeu Verbo ſubſtantiali procedentem intelligunt. Quare Baſilius in quarto lib. Antirr. adverſus Eunomium, allegatus à Manuele Caleca lib. de Proceſſ. cap. 15. ait: οὐ δὲ γὰρ ἔλαττον, &c. *Non enim minùs aliquid eramus habituri ad id, vt cognoſceremus Spiritū exiſtere à Deo, dici SPIRITVM ORIS audientes ipſum. Sed vel hoc nomen ſatis eſt ad illius ex Deo ſignificandam exiſtentiam.* Ac præterea lib. 5. contra eundem Eunomium: *Spiritus vivo Verbo ad procreandum adiunctus, viva virtus eſt, ac divina natura, inexplicabilis INEXPLICABILI EX ORE PRODVCTA.* Inſuper lib. de Spiritu ſancto ita de illo loquitur. Πατρὶ δὲ καὶ υἱῷ κατὰ τοσοῦτον ἥνωται, &c. *Patri verò & Filio in tantum vnitus eſt, quantum conſortij habet vnitas cum vnitate. Sed nec hinc ſolùm probatur naturæ communio: verùm illinc quoque, quòd ex Deo eſſe dicitur: non eo modo, quo ex Deo eſſe dicuntur omnia; ſed tanquam ex Deo procedens: neque per generationem, ſicut Filius, ſed TANQVAM SPIRITVS ORIS IPSIVS.*

Omnino tamen nec os membrum eſt, nec flatus reſolubilis, Spiritus: ſed & os ſic vſurpatur, vt Deo conſentaneum eſt: & Spiritus viuens eſt ſubſtantia, ſanctificationis domina: adeo, vt communio naturæ inde monſtretur, & exiſtentiæ modus ineffabilis ſervetur. Itaque Baſilius non ſemel *ſpiritum oris Filij*, vel Domini, Spiritum ſanctum intelligit, ſubſtantia divina, ſeu vera divinitate conſtantem. Præſertim verò & opportuniùs id declarat Homilia in allegatum Pſalm. 32. vbi exponens verba illa: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*: inquit, nihil aliud eſſe *Spiritum oris Dei*, quàm *Spiritum, qui ex Deo, & ex Patre procedit.*

130 Similiter Patres alij per os Dei, Filium: per ſpiritum oris Dei, Spiritum ſanctum accipiunt, tanquam non ſolùm ex Patre, ſed ex Filio quoque procedentem. Ita Anaſtaſius Antiochenus lib. 1. qui eſt de Rectis Dogmatibus ita loquens: Νοῦν δέ φαμεν τὸν πατέρα τοῦ λόγου, &c. *Mentem proinde diximus Patrem Verbi, mentem, in qua Verbum, quo cum & Spiritus ſanctus: QVI QVIDEM APPELLATVS EST SPIRITVS ORIS DEI. OS ENIM PATRIS EST FILIVS.* Atque inſuper eodem libro: *Corporis vero proprietate in exemplum aſſumpta, mutuum complexum diuinarum perſonarum expreſſimus proportione membrorum, ac ſimilitudine. Ita enim & Spiritus oris ipſius, nempe Dei, Spiritus ſanctus dicitur, cùm ſit os Vnigeniti, & rurſus Spiritus ex ipſo procedẽs, & qui mittitur non ſolùm a Patre, ſed etiam à Filio.* Vbi non modò eandem, quam Anſelmus, interpretationem illius loci amplectitur, ſed præterea ex ipſo probat Spiritùs ſancti proceſsionem ex Patre & Filio. Cyrillus quoque Hieroſolymitanus eiuſdem omnino ſententiæ eſt Catecheſi 17. dum ait, ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τὸ ἁγιάζον, &c. *Vnum & eundẽ eſſe Spiritum ſanctificantem, & ſubſiſtentem, qui perpetuò Patri adeſt, & Filio; non qui ab ore & labris Patris aut Filij loquendo formetur, vel ſpiretur, aut in aerem diffundatur; ſed ſubſtantialis.* Alter quoque Cyrillus, id eſt, Alexandrinus in ſecundo Dialogor. inquit: Ἅγιον δὲ πνεῦμα προσερεῖς, &c. *Spiritum verò ſanctum appellabis eum, qui ex Deo Patre per Filium naturaliter profunditur: & vt in figura reſpirationis ex ore manantis, propriam nobis exiſtentiam ſignificat.* Ac præterea lib. 4. contra Neſtorium exponens illam Evãgelij hiſtoriam Lucæ 8. iuxta quam fœmina à profluvio ſanguinis curata fuit, obſervat verba illa Chriſti eo loco: *Ego enim novi virtutem a me exijſſe*: ac præterea illa alia Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: & denique toties allegata verba Pſalmi 32. vbi dicitur, *Spiritus oris ſui.* Vnde infert Cyrillus: *Virtus igitur ipſius, eſt Spiritus ipſius. Os autem Dei Filius eſt.* Legendi quoque ſunt de hoc ipſo Ioannes Beccus cap. 1. & Manuel Calecas cap. 23. de Proceſſ. Spiritus S. Itaque argùmento eodem S. Anſelmi; & interpretatione Pſalmi 32. alij quoque Patres vſi ſunt, ad probandam Spiritùs ſancti proceſsionem ex Patre & Filio. Vide plura alia huc ſpectantia Tomo II. Diſput. LVIII. ſect. 2.

131 *SED QVOMODOCVMQVE HOC ALIQVIS EXPONERE CONETVR*, &c. Quidquid ſit de interpretatione diverſa eorum verborum Pſalmi 32. redit ad primum illud teſtimoniũ ex cap. Ioannis 20 vbi Dominus Inſufflaſſe legitur, & dixiſſe Apoſtolis: *Accipite Spiritum ſanctũ.* Etenim ijs verbis abſdubiò ſignificabat Dominus, de ſecreto ſuæ perſonæ procedere ac ſpirari ſanctum illum Spiritum, quem diſcipulis dabat per inſufflationem. Quemadmodum enim ſenſibilis illa inſufflatio egrediebatur ex intimo pectoris Chriſti: ita etiam Spiritus ſanctus procedit ex intimo perſonæ ipſius increatæ, quæ ſimul cum Patre ſpirat intra ſe eundem Spiritum ſanctum. Cùm verò ſacra Scriptura ſignificet aliquod ſecretum per rerum ſenſibilium ſimilitudinem, hæc non eſt exigenda quoad omnia inter ſignificans & ſignificatum, ſed quantum ad id, quod è re eſt. Alioqui *non eſſet ſimilitudo*, ſed *identitas*, inquit Anſelmus. Quare non oportet eſſe omnimodam ſimilitudinem inter inſufflationem illam externam Chriſti, & divinam ſpirationem. Dicere autem inſufflationem illam fuiſſe factam à ſapientia Dei, ſeu à Verbo incarnato, abſque myſterio, aut ſignificatione vlla, ſolus inſenſati hominis ſit. Itaque & myſterium ibi ſignificari, & aliqualem ſimilitudinem eſſe, putandum eſt. eam, nimirum, quã ex Anſelmo explicuimus, & quam longe antea tradiderat Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioannem ad cap. 14. v. 16. in illa Chriſti verba: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Vbi Cyrillus ita loquitur: *Etenim Dei ac Patris naturalium bonorũ ſubſtantialiter particeps Filius, habet Spiritum ſanctum eo modo, quo habere intelligitur & Pater, non aduentitium, nec extrinſecùs aſcitum (ſtultum enim eſt, vel furioſum potiùs ita ſentire) ſed quemadmodum vnuſquiſque noſtrùm proprium in ſe ipſo ſpiritum continet, & ex intimis viſ-*

ceri-

ceribus foras effundit. PROPTEREA ET CORPORALITER IPSVM CHRISTVS INSVFFLAVIT; ea re demonſtrans, vti humano ex ore corporaliter exit ſpiritus: ſic ex diuina ſubſtantia, EO MODO, QVI DEO CONGRVIT; illum, qui eſt ex ea, prodire Spiritum.

132 *ITEM FILIVS DICIT DE SPIRITV SANCTO*, &c. Aliam probationẽ eruit Anſelmus ex verbis illis Chriſti Domini apud Ioannem cap. 16. *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audies, loquetur.* Porrò in ijs verbis, quid aliud eſt, Spiritum ſanctum non loqui à ſe ipſo, niſi ab alio habere quod loquitur? ab alio autem habere quod loquitur, eſt ab alio habere ſciẽtiam eorum, quæ loquitur. Vnde ſtatim additur: *Sed quæcumque audiet, loquetur.* Vbi loqui ea, quæ audit, eſt quaſi diſcere, ſeu ſciẽtiam ab alio accipere. Cùm igitur ſcientia in Deo idem ſit ac eſſentia, cùm Spiritus ſanctus ab alio accipit ſcientiam, ab eo quoque eſſentiam divinam accipit. Non audit autem, neque habet ſcientiam, & eſſentiam, niſi à Patre & Filio: cùm iam ſuprà probatũ ſit, quantùm ad hoc eandem vtriuſque rationem eſſe: Quin & ipſe Filius eodem loco ait: *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quaſi dicat: A me audiet, ſcietque, quod annuntiabit vobis. Nimirum, verbis præcedentibus, *Quæcumque audiet, loquetur*; non expoſuerat, à quo audiet Spiritus ſanctus. quod fortaſse aliquis interpretaretur de ſolo Patre. Vt autem eam interpretationem præcludat, ſubdit verbis ſequentibus: *Ille de meo accipiet.* Quibus planè demonſtrat Filius, Spiritum ſanctum perinde ab ipſo, atque à Patre, audire, proindeque ſcientiam & eſſentiam accipere. Neque enim cogitare fas eſt, Spiritum ſanctum ex alio inferiori principio divino & ſibi æquali, audire, ac ſcientiam & eſſentiam habere. Atqui ſcientiam & eſſentiam habere à Patre & Filio, eſt ab ijs exiſtere, ſeu procedere. Ergo Spiritus ſanctus verè exiſtit, ſeu procedit à Patre & Filio.

133 Hoc eodem Anſelmi argumento vſi ſunt aliqui Patres Eccleſiæ antiquiores, & in ijs Didymus, eruditiſsimus Auctor, cuius libros de Spiritu ſancto Hieronymus Latinè reddidit, Etenim in ſecundo illorum, declarans priora illa Chriſti verba, *Non enim loquetur à ſemetipſo*, ita ſcribit: *Hoc eſt, non ſine me, & Patris arbitrio: quia inſeparabilis à mea, & Patris eſt voluntate. QVIA NON EX SE, SED EX PATRE, ET ME EST. HOC ENIM IPSVM, QVOD SVBSISTIT, A PATRE, ET ME, ILLI EST.* Deinde exponens quid ſit, vnam perſonam loqui alteri, vel ab alia audire, ait: *Spiritus quoque ſanctus, qui eſt Spiritus veritatis, Spiritusque ſapientiæ, non poteſt Filio loquente audire quæ neſcit, cùm hoc ipſum ſit, quod profertur à Filio, id eſt, procedens a veritate, conſolator manans de conſolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens.* Et poſt quædam interpoſita, accedit ad exponenda poſteriora illa verba Chriſti, *DE MEO ACCIPIET*: aitque: *Rurſum hic, accipere, vt diuinæ naturæ conveniat, intelligendum. Quomodo ergo Filius dans, non priuatur ijs quæ tribuit, nec cum damno ſuo impertit alijs: ſic & Spiritus non accipit quod antè non habuit. Si enim quod priùs non habebat, accepit, tranſlato in alium munere vacuus largitor effectus eſt, ceſſans habere quod tribuit. Quomodo igitur ſuprà de naturis incorporalibus diſputantes intelleximus; ſic & nunc Spiritum ſanctum à Filio accipere id quod ſuæ naturæ fuerat, cognoſcendum eſt; & non dantem, & accipientem, ſed vnam ſignificare ſubſtantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur, quibus ipſe ſubſiſtit. Neque enim quid aliud eſt Filius, exceptis ijs, quæ ei dantur à Patre: neque alia ſubſtantia eſt Spiritus ſancti, præter id quod datur ei à Filio.* Vides Didymum tot antea ſæculis ſemel & iterum ex vtroque illo teſtimonio, quo Anſelmus vtitur, eruditè probantem explanantemque ſubtiliter proceſsionem Spiritûs ſancti à Filio.

134 Præterea Cyrillus exponens eadem Chriſti verba, *Non enim loquetur à ſemetipſo*, probat ex ijs proceſsionem Spiritûs ſancti ex Filio, lib. 10. in Ioannem dicens: οὐ γὰρ ἀλλότριον τῆς τοῦ μονογενοῦς οὐσίας τὸ ἅγιον νοεῖται πνεῦμα, &c. *Nõ enim alienus ab Vnigeniti ſubſtantia Spiritus ſanctus intelligitur: procedit vero naturaliter ex ipſa, cùm nihil præter illum aliud ſit, quod ad naturæ identitatem attinet: quamvis in propria fortè ſubſiſtentia intelligatur exiſtens.* Ac deinde: *Propterea addidit: QVÆ VENTVRA SVNT, NVNCIABIT VOBIS; tantum non ita dicens: Id ſignum erit vobis, omnino ex mea eſſe ſubſtantia Spiritum ſanctum, ac velut mentem eſſe meam, quod ventura dicet vobis; quemadmodum & ego.* Similiter Epiphanius in Ancorato Num. 67. eodem teſtimonio viens, *Iam verò*, inquit, *cùm Chriſtus ex Patre credatur Deus ex Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſiue παρ' ἀμφοτέρων, ab ambobus; vt Chriſtus his verbis aſſerit: QVI A PATRE PROCEDIT; & præterea:*

HIC

HIC DE MEO ACCIPIET. Denique plures alij Patres hæc poſteriora verba intelligunt de proceſsione æterna, & eſſentiali eiuſdem Spiritus ſancti à Filio. Immò & Chriſtus ipſe, veluti συλλογιστικῶς, id probare videtur: Cùm enim præmiſiſſet: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*: ſubiecit deinde: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quaſi colligeret in hunc modum: Spiritus ſanctus de meo accipiet quæcumque mihi cum Patre cõmunia ſunt. At mihi omnia cum Patre communia ſunt. Ergo Spiritus ſanctus de meo omnia accipiet. Ideoque quidquid habet, accipiet per proceſsionem ex me.

135 *ILLVD FORSITAN*, &c. Verùm quia fortaſſe quidam aliter interpretabantur verba illa Chriſti, *De meo accipiet*; Anſelmus proponit aliud teſtimonium Matthæi, 11. vbi idem Dominus ait: *Nemo novit Filium, niſi Pater: nec Patrem quis novit, niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare.* Vbi *nemo* non accipitur pro eodem, ac nullus hominum, ſed quaſi dicat, nullus omnino. Alioqui non adderet exceptionem illã; *niſi Pater*: quoniam Pater non eſt homo. Ex cùm ait: *Neque Patrem quis novit*, in hac monoſyllaba dictione *quis*, nõ magis intelligitur perſona humana, quàm quælibet alia. Ergo nullus omnino habet notitiam hanc, niſi Pater & Filius, & cui Filius idem revelat. Hinc verò planè ſequitur alterum duorũ: vel quod Spiritus ſanctus non cognoſcit Patrem & Filium: vel quod Filius revelat, ſive communicat Spiritui ſancto ſuam & Patris ſcientiam, quæ profectò eſt eſſentia vtriuſque. Cùm ergo priùs ex ijs duobus ſit planè impium dictu & creditu; ſecundum neceſſariò dicendum eſt; proindeque Spiritum ſanctum accipere eſſentiam à Filio.

136 *QVOD SI DICVNT*, &c. Poſſet quiſquam occurrere rationi præiactæ, & dicere, Filium, quantum ad pronuntiationem attinet, nullum admittere ad hanc notitiam, niſi ſe, & Patrem, & cui ipſe revelat: non tamen Spiritum ſanctum eſſe ab ea ſeparatum, neque illam accipere à Filio. Etenim Pater & Filius non ſe cognoſcunt, niſi per hoc, quòd ſunt vnũ cum Spiritu ſancto. Proptereaque quando ait, Patrem & Filium ſe invicem nôſſe, intelligendus eſt ſimul Spiritus ſanctus. Non ergo ex illo loco infertur, Spiritum ſanctum habere ſcientiam à Filio, ac proinde nec eſſentiam. Neque cùm Filius revelat ſcientiam, ſive notitiam Patris, intelligendus eſt illam revelare Spiritui ſancto, qui eandem ſcientiam Patri & Filio communem habet; ſed creaturis dumtaxat.

137 *SI, INQVAM, HOC DICITVR*, &c. Ex ſolutione præcedenti Anſelmus vrget Græcos in hunc ferè modum: Quamvis ex verbis teſtimonij illius ad litteram, & vt ſonant, negetur Spiritum ſanctum nôſſe Patrem, niſi revelante Filio; adhuc non tam ſonus verborum attendendus eſt, quàm vnitas ſcientiæ & eſſentiæ, quæ in tribus perſonis eadem omnino eſt. Ergo multò vrgentiùs attendi debet eadem ſcientiæ & eſſentiæ vnitas, de qua ſuprà ſermo fuit *cap.* 2. & 3. ad colligendam proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quemadmodum & ex Patre: ſiquidem nullum eſt in tota Scriptura teſtimonium, cui repugnet proceſsio ipſius ex Filio. Igitur Græci alterum è duobus dicere debent, ſi nolunt apertè contradicere veritati: aut, ſcilicet, Spiritum ſanctum non nôſſe Patrem & Filium, niſi revelante Filio: aut nôſſe quidem vtrumque eo ipſo quòd Pater & Filius ſe invicem noſcentes, ſunt vnum & idem quoad ſcientiam & eſſentiam cum Spiritu ſancto. Nempe inter hæc duo nihil eſt medium, niſi velint prorſus negare Spiritui ſancto notitiam Patris & Filij; aut verbis illis Chriſti veritatem, quam continent. quorum vtrumque eſt Fidei Chriſtianæ contrarium.

138 *SICVT ENIM AIT VERITAS*, &c. Proſequitur eandem impugnationem. Cùm enim ait Chriſtus: *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*; ſi Græci id ita accipiant, vt Spiritus ſanctus noſcat Patrem & Filium per revelationem Filij; actum eſt de illorum ſententia. Sic enim Spiritus ſanctus habet à Filio notitiam illam, quæ planè eſt ſcientia & eſſentia divina. Ergo habet ſuum eſſe à Filio, & per conſequens procedit ab eo. Si autem dicunt, Spiritum ſanctum eſſe conſortem eiuſdem notitiæ, quâ ſe noſcunt Pater & Filius; quia notitia ipſa eſt eſſentia divina pariter Spiritui ſancto communis; fateri quoque tenentur, Spiritum S. æquè à Filio, atque à Patre procedere. Nimirum, etiam Filius ait Ioannis 10. *Ego & Pater, vnum ſumus.* Proindeque quemadmodum ex vnitate ſcientiæ infertur, Spiritum ſanctum illam habere inſtar Patris & Filij; ex vnitate quoque vtriuſque in eâdem eſſentia fateri debent Græci, Spiritum ſanctum procedere ex Filio, quemadmodum & à Patre.

139 Eodem ferè argumento & teſtimonio Evãgelij vſus fuiſſe videtur Epiphanius, ſimul cum alio præcedenti. Etenim in Ancoraro N. 72. & Hæreſi 74. vtrumque coniungit his verbis: εἰ τοίνυν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, &c. *Si igitur à Patre procedit;*

&

& de meo, vt ait Dominus, accipiet, quemadmodum nemo novit Patrem, niſi Filius, neque Filium niſi Pater: ita dicere audeo, neque Spiritum, niſi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit: & neque Filiũ ac Patrem, niſi Spiritus ſanctus; qui verè glorificat, qui docet omnia, qui teſtatur de Filio, qui a Patre, & ex Filio.

CAPVT OCTAVVM.

OBIECTIO QVAEDAM GRAECORVM ADVERSVS DOctrinam traditam, confutatur.

SI Verò obijcitur, cùm dicitur, Filium à Patre naſci, & Spiritum S. à Patre, & Filio procedere; quia quoſdam gradus, & quædam intervalla conſtituimus, quaſi Spiritus ſanctus eſſe non poſſit, niſi Filius priùs naſcatur à Patre, vt poſterior Filio ſit Spiritus ſanctus: & ideo rectiùs dici, quòd pariter ſint à Patre, Filius naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo: ita vt nec Filius à Spiritu ſancto ſit, nec Spiritus ſanctus à Filio, ſicut ſplendor, & calor pariter ſunt de vno ſole, nec ſplendor à calore eſt, nec calor à ſplendore: Si, inquam, hoc aliquis noſtræ obijcit aſſertioni: *Reſpondemus*: Nos nec gradus dignitatis ponimus in Deo, qui vnus eſt: nec in exiſtendo Filiũ de Patre, aut Spiritum ſanctum de Patre, & Filio, intervalla in æternitate, quæ eſt extra omne tempus, ſtatuimus. Similiter enim omnes Chriſtianam Fidem tenentes confitemur, nec minorem, nec poſteriorem Filium eſſe Patre: quamvis non niſi de illo ſit. Ita quoque nos, qui dicimus Spiritum ſanctum de Filio eſſe, ſive procedere; nec minorem, nec poſteriorem eum Filio fatemur. Nempe quamvis ſplendor & calor de ſole procedant, nec poſsint eſſe, niſi ſit ille de quo ſunt; nihil tamẽ priùs, aut poſteriùs in tribus, in ſole, & ſplendore, & calore intelligimus: multò itaque minùs, cùm hæc in rebus temporalibus, ita ſint, in æternitate, quæ tempore non clauditur, prædictæ tres perſonæ in exiſtendo ſuſceptibiles intervalli poſſunt intelligi. *Quod autem dicitur*, Quia Filius & Spiritus ſanctus ſic poſſunt eſſe de ſolo Patre, vt nec Filius ſit de Spiritu ſancto, nec Spiritus ſanctus de Filio; ſicut ſplendor, & calor ſimul procedunt de vno ſole, vt alter non ſit de altero; non rectè hoc nobis opponitur. Cùm enim dicimus Filium de Patre, & Spiritum ſanctum de Patre eſſe; Filium fatemur Deum, & Spiritum ſanctum Deum eſſe de Patre Deo, & has tres perſonas vnum ſolum Deum eſſe, & id ipſum eſſe de eodem ipſo. In ſole verò non dicimus, ſolem eſſe de ſole, cùm ſplendor, aut calor eſt de ſole; nec id ipſum eſſe ſolem, & quod eſt de ſole, nec illa tria vnum eſſe ſolem. Nam ſi ſol, & ſplendor, vnus eſſet ſol; aut ſi ſol & calor, ſimiliter vnus ſol eſſet; neceſſe eſſet, aut ſplendorem eſſe de calore, cùm eſſet de toto ſole, qui id ipſum eſſet, quod calor; aut calorem

de ſplendore eſſe, qui de ſole haberet eſſe, qui non à ſplendoris differret eſſentia. *Ponamus tamen* Filium & Spiritum ſanctum, ita pariter eſſe de ſolo Patre, ſicut calor, & ſplendor ſunt de vno ſole. Sed ſi ita eſt: vnde habent qui hoc dicunt, quòd Spiritum ſanctum confitentur eſſe Filij, & Filium negant eſſe Spiritus ſancti? Nam ſicut nulla ratio admittit, vt calor ſit ſplendoris, aut ſplendor caloris: ita non patitur veritas, vt Spiritus ſanctus magis ſit Filij, quàm Filius Spiritus ſancti. Quapropter ſi negare non audent Spiritum ſanctum eſſe Filij, negent Filium, & Spiritum ſanctum, ita eſſe pariter de ſolo Patre, ſicut ſunt ſplendor, & calor de vno ſole. Quare ſi hoc nobis obijciunt, quod dixi de ſplendore, & calore ſolis; nec cum illis, nec contra nos eſt.

SCHOLIA IN CAPVT VIII.

Non eſſe intervalla, aut gradationem aliquam penes prius & poſterius inter generationem Verbi, & proceſsionem ex Patre, quamvis Spiritus ſanctus ab vtroque ſit. Solis exemplum pro Græcis obiectum, in eoſdem regeritur. Quomodo illo vtantur Patres ad explanandum divinas proceſsiones.

141 S*I VERO OBIICITVR*, &c. Proponit obiectionem, quæ fieri poſſet contra ſententiam Catholicam, in hunc ferè modum. Non videtur verum, nec intellectus capit, quomodo Filius à Patre naſcatur, & Spiritus ſanctus à Patre ac Filio procedat. Sic enim conſtituerentur quidam gradus, & quædam intervalla, quaſi Spiritus ſanctus nequeat exiſtere, niſi priùs naſcatur Filius à Patre, vt proinde Spiritus ſanctus ſit poſterior Filio. Nimirum, eæ gradationes, & ſucceſsiones, videntur alienæ à perſonis divinis. Meliùs itaque dicetur, ſimul à Patre eſſe Filium naſcendo, & Spiritum ſanctum procedendo: ita, vt nec Filius ſit à Spiritu ſancto, neque hic à Filio: quemadmodum ſplendor & calor pariter profluunt de vno ſole; ita vt nec calor ſit à ſplendore, nec ſplendor à calore.

142 *RESPONDEMVS*, &c. Solvit obiectionem negando aſſumptũ illius. Latini enim nõ ponimus dignitatis gradus in Deo, qui vnus eſt; nec intervalla in eo quòd Filius exiſtat de Patre, & Spiritus ſanctus de Patre & Filio. quippe quorum vnunquemque æternum, & ante omnia tempora exiſtentem profitemur. Similiter omnes Chriſtiani fatemur, nec minorem nec poſteriorem Patre eſſe Filium, quamvis ex illo ſit. pariter quoque nec minorem, nec poſteriorem Filio eſſe Spiritum ſanctum, quamvis ab eo procedat. Si enim quamvis ſplendor & calor de ſole procedant, nec poſsint exiſtere, niſi exiſtente illo, adhuc nihil eorum trium eſt prius aut poſterius reliquis: multò minùs inter divinas perſonas, quæ ex æternitate habent eſſe, & infinitè præceſſerunt omnes temporum moras, inveniri aliqua poterat prior aut poſterior reliquis, quamvis vna ab alia procedat. An verò, quæris, in aliquo ſenſu vna perſona dici poſſet prior aliâ? Sanè hoc loci Anſelmus ſolùm videtur negare in divinis vnum eſſe prius alio penes durationem. quod fide ſanctum eſt, & expreſſum in Symbolo Athanaſij. Eodemque ſenſu Richardus Victorinus lib. 5. de Trinit. cap. 7. inquit: *Naturaliter prior eſt dualitas, quàm trinitas. nam illa poteſt eſſe ſine iſta, iſta verò nunquam ſine illa. Naturaliter itaque & proceſsio prior eſt, quæ poteſt ſubſiſtere in perſonarũ dualitate, quam illa, quæ non poteſt ſine perſonarum trinitate. Sed in illa perſonarum pluralitate, & vera æternitate, nihil ibi aliud præcedit, nihil ibi alteri ſuccedit; & eo ipſo nihil ibi prius tempore, nihil tempore poſterius.* Subdit verò ſtatim: *Sed quod non poteſt eſſe prius temporaliter, poteſt eſſe priùs cauſaliter, & eo ipſo naturaliter.* Vbi tamen τὸ *naturaliter* non eſt idem, at prius naturâ, ſed origine, aut ἐπινοίᾳ, id eſt, ratione principij, ſive cauſæ, vt loquitur Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium, & alij. Hodie verò dubito, an quiſquam audeat dicere in divinis eſſe aliquid naturâ prius alio.

143 *QVOD AVTEM DICITVR*, &c. Regerit in Adverſarios exemplum ipſum, quo vtuntur. Non enim Filius & Spiritus ſanctus ſic poſſunt eſſe de vno Patre, vt neque Filius ſit de Spiritu ſancto, neque Spiritus ſanctus de Filio: quemadmodum ſplendor & calor ſimul procedunt de vno ſole, ita

vt

vt neuter de altero ortum ducat. Nimirum, eſt manifeſta diſparitas inter vtrumque. Latini enim, cùm dicimus Filium de Patre, & Spiritum ſanctum de vtroque exiſtere, Filium fatemur Deum, & Spiritum ſanctum eſſe de Patre Deo; & has tres perſonas vnum ſolum Deum eſſe, & id ipſum eſſe de eodem ipſo: ſcilicet, Deum de Deo. In Sole verò contrà accidit. Non enim dicimus, Solem eſſe de Sole, cùm ſplendor aut calor eſt de Sole: neque id ipſum eſſe Solem, & quod eſt de Sole: nec tria illa eſſe vnum Solem. Quippe ſi Sol & ſplendor eſſent vnus Sol, aut ſi Sol & calor vnus Sol eſſent, neceſſariò inferretur, aut ſplendorem procedere de calore, cùm procederet à toto Sole, qui eſſet id ipſum quòd calor; aut è contrà calorem procedere de ſplendore manante à Sole, & eãdem cum illo eſſentiam habente. Cùm autem impoſsibile ſit Solem, ſplendorem, & calorem, eſſe vnum Solem, & vnam cum illo eſſentiam habere à quo procedunt (alioquì eſſet adæquatum exemplum Trinitatis in creaturis; quod abſurdiſſimum dictu eſt) nihil mirum quòd poſsint ſplendor & calor à Sole procedere, quin alter illorum ex altero ortum ducat.

143 *PONAMVS TAMEN*, &c. Verùm fingamus hypotheſim, Filium & Spiritum ſanctum ita pariter eſſe de ſolo Patre, ſicut calor & ſplendor ſunt de vno Sole: Certè iuxta hanc poſitionem nullus erit locus, vt idem Græci nobiſcum fateantur, Spiritum ſanctum eſſe Filij, & negent Filium eſſe Spiritus ſancti. de quo ſuprà tractatum fuit. cap. 4. Quippe ſuppoſito quòd nec ſplendor Solis procedat ex calore, nec calor ex ſplendore; nulla apparet ratio, cur potiùs ſplendor ſit caloris, aut ſplendoris calor. Igitur à ſimili, ſuppoſito quòd nec Filius procedat ex Spiritu ſancto, nec Spiritus ſanctus à Filio; nulla quoque ratio erit vt Spiritus ſanctus dicatur eſſe Filij id quod eſt; potiùs quàm Filius dicatur eſſe Spiritus ſancti. Vnde dum Græci fatentur Spiritum ſanctum eſſe ſpiritum Filij, negare tenentur conſequenter, Filium & Spiritum ſanctum eſſe pariter de ſolo Patre, ſicut ſplendor & calor ſunt de vno Sole: quippe quorum neuter neutrius eſt. itaque de primo ad vltimum deprehenditur extra rem exemplum caloris & ſplendoris à Sole procedentium, cùm nec Adverſarijs faveat, nec nobis difficultatem ingerat.

145 Porrò eodem exemplo Solis alij quoque Patres & Theologi Veteres vſi ſunt, ad explanandum quomodo Pater æternus ſit origo & fons Filij & Spiritus ſancti, quemadmodum Sol cœleſtis & vnicuique aſpectabilis gignit ex ſe ſplendorem & calorem. Verùm id diſcriminis eſſe obſervant (vt Anſelmus hoc loco monet) quòd Pater, ſive Sol ille inviſibilis, ſuam ipſius ſubſtãtiã indiviſim Filio communicat, ſicuti & vterque Spiritui ſancto: cæterum Sol corporatus & viſibilis nullatenus ſubſtantiam ſuam dat ſplendori aut calori, neque alter horum ab altero eſſe habet. Ac primo quidem obſervanda ſunt verba Theognoſti lib. 2. Hypotipoſeon apud S. Athanaſium lib. de Decret. Nicæn. dicentis: οὐκ ἔξωθέν τις ἐστιν ἐξευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία, &c. *Non eſt extrinſecùs excogitata Filij ſubſtantia; neque ex non extantibus introducta: ſed ex Patris nata ſubſtantia eſt: quemadmodum ſplendor luminis; aut vapor aquæ. Non enim ſplendor eſt Sol ipſe, neque vapor ipſa eſt aqua: neque verò alienum aliquid. Sed effluxio eſt ſubſtantiæ Patris: non vt diuiſionem paſſa ſit ipſa Patris ſubſtantia: Nam vt Sol permanens non minuitur defluentibus ab eo radijs: ita nec Patris ſubſtantia mutationem ſuſtinuit, imaginem habens ſui Filium.* Vbi τὸ ἀποῤῥοίας, id eſt, *effluxionis* vocabulum, quod alioqui Patres à divina generatione reijciunt, bono & Catholico ſenſu vſurpatur, vt non diviſionem ſignificet ſubſtantiæ in illo Sole æterno & increato, dum lucem, ſive eſſentiam ſuam communicat Filio.

146 Similiter Cyrillus lib. 6. Theſauri inquit: Ὁ Πατὴρ ἐξέλαμψεν ἐξ ἑαυτοῦ τὸν υἱόν, &c. *Pater Filium ex ſe ipſo illuminavit, ſine vlla partitione, vel ſeparatione; veluti Sol ſplendorem ex ſe emiſſum. Verùm intereſt quòd iſte nõ per ſe cõſiſtit, neque ſubſtantia ipſe per ſeſe perfectus eſt: ſiquidem in Sole habet eſſe ſuum. At diuinus ille fœtus hoc vnum de exẽplo trahit, quòd è Patre ſine diuiſione ac ſeparatione procedit, propriam habet extantiam neutiquam a Patre ſeiunctam, ſed in Patre & cum Patre intellectam, & exiſtentem.* Et hæc quidem de Filio, vt ſplendore aut lumine quodam ex illo æterno Sole procedente. Verùm adhuc loquendo de tribus perſonis, quaſi de Sole vnico, aut lumine in ijs exiſtente, loquitur Iuſtinus Martyr in Expoſitione Fidei, dicens: ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρός, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα, &c. *Quemadmodum Filius ex Patre, ſic & Spiritus. Verùm exiſtendi modus eſt diuerſus. Nam ille lumen de lumine tanquam genitus effulſit. Iſte verò lumen, & ipſe de lumine, non tamen tanquam genitus, ſed vt procedens prodijt.* Nimirum non triplex Sol eſt, ſed vnicus in triplici hypoſtaſi: de quo, prout exiſtit in Patre, naſcitur Sol Filius, & prout exiſtit in Patre & Filio, procedit Spiritus ſanctus: idque to-

rum abſque vlla luminis diviſione, aut diſtinctione in eſſentia, qualis eſt in Sole corporeo & viſibili relatè ad ſplendorem & calorem, quorum vtrumque ex ſe diffundit. Procul hinc inſana Ethnicorũ ſuperſtitio, qui in Novo Orbe adorabant ſæculo præcedente tres Solis ſtatuas: quorum vna SOL PATER ET DOMINVS appellabatur: altera SOL FILIVS: tertia SOL FRATER: vt refert Acoſta *lib. 5. Hiſtor. Moral. Indorum cap.* 27. Nimirum ij, non vnum, ſed triplicem Solem in divinis ponebant, & ex ijs tribus duos fratres, quaſi ambo à primo Sole per generationem extitiſſent. quamvis & in eo ipſo errore aliquòd appareat S. Trinitatis veſtigium. Alij Ethnicorum Trinitatem ignorantes vnicũ Solem adorabant, non inviſibilem, ſed corporatum & aſpectabilem, veluti ſupremum numen. Propterea que illum Theognis appellat ἀθανάτων κάλλιστον, *immortalium pulcherrimum*: & Homerus lib. 3. Iliad. videtur eundem cum Iove exiſtimare, dum accinit:

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.
Iuppiter pater, qui Idæ preæs, glorioſiſſime, maxime,
Solque, qui omnia aſpicis, & omnia audis.

147 Verum prętermiſsis pluribus circa Solis adorationem, quæ incidenter ſe obtulit, placuit hoc loco inſerere teſtimonium Manuelis Calecæ, Auctoris Græci, contra patrium errorem differentis, eodem Solis exemplo, ad probandam Spiritus S. proceſsionem, nõ immediatè à ſolo Patre, ſed per Filium, tanquam per medium. quo etiam ſtylo alij ex Patribus Græcis loquuntur, vt progreſſu Operis apparebit. Porrò Calecas præmittit, in vnaquaque re debere eſſe formam, quâ primò conſtat, & primariam itidem operationem aliquam, mediâ quâ ſubſequuntur reliquæ. Deinde ſubdit: Καὶ τὸ τοῦ ἡλίου δὲ εἶδος ἓν, &c. *Quin & Solis forma, cum vna ſit, per quam Sol ſubſiſtit; principium eſt primæ & immediatæ operationis in Sole, quæ eſt lucere, quæ nullam aliam priùs ſe conſideratam actionem Solis habet. Ac per iſtam lucendi operationem, quæ ante omnes conſideratur alias, & immediatè in Sole eſt ipſa, illuminationem, exſiccationem, aut calefactionem Sol efficiet. Ac rurſus humanus intellectus per intellectionem, quæ prima & immediata eſt ipſius operatio; per hanc, inquam, priùs conſideratam; etiam conſequentem operationem, hoc eſt, velle, efficit. Operationes enim & iſta dicuntur: quoniam intelligere & ratiocinari, & cogitare, & velle, ſicut & generare, eſt aliquid operari. Vnde quia ſecundùm id quod gignit, Patris perſona ſubſiſtit, per hoc ipſum quod gignit, emiſſor etiam erit Pater. EX QVO IVRE DICTVS EST EMISSOR PER VERBVM.* Itaque quemadmodum primaria Solis operatio eſt lucere, & ſubſecundaria illuminare atque calefacere, quæ tamen immediatè procedit à Sole & luce: ita etiam ordine rationis primaria Patris æterni functio eſt generatio, ſubſecundaria verò ſpiratio activa, quæ immediatè procedit à Patre generante & Filio genito. Quo ſenſu Pater priùs intelligitur generans, & ſubinde προβολεὺς διὰ λόγου, *emiſſor per Verbum*. Sed de hoc latiùs e ſeq.

CAPVT NONVM.

AN SPIRITVS SANCTVS SIT A PATRE PER FILIVM. Vbi de fonte, rivo, & lacu.

SICVT Nobis dicitur, ne omnino ſeparent Filium à Patris cõmunione in hac Spiritus ſancti proceſsione, aſſerunt, eum de Patre per Filium procedere. Sed hoc quomodo intelligi poſsit, non videtur: præſertim cùm nuſquam legant, vnde hoc apertè probare queant. Nam ſi hoc ſibi ſuffragari exiſtimant, quod legimus de Deo: *Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia,* vt ex quo ſunt omnia, ſit Pater; & per quem, Filius; & in quo, Spiritus S. & inter omnia, quæ ſunt per Filium, Spiritus S. intelligitur: Hoc quidem, quòd

ex Patre ſint omnia,& per Filium, & in Spiritu S. ſine ſcrupulo accipimus: illud verò, quòd Spiritus S. ſit inter omnia, quæ ſic eſſe dicit Apoſtolus, nimis eſt ſcrupuloſum aſſerere. Impoſsibile namque eſt, vnam quālibet de illis tribus perſonis inter omnia illa claudere, & duas alias excludere. Quòd ſi Pater,& Filius,& Spiritus S. ſunt inter omnia, quæ ſunt ex Patre,& per Filium,& in Spiritu S. videat mens rationalis, quāta ſequatur confuſio. Cùm ergo dicat Apoſtolus: *Ex ipſo,& per ipſum,& in ipſo ſunt omnia*: intelligere debemus ſine dubio omnia creata à Deo, quæ ita ſunt ex ipſo,& per ipſum,& in ipſo; ſicut aliud ex alio, & per aliud, & in alio. Quidquid enim factum eſt, non eſt idem Deo, ſed ab illo aliud. Spiritus autem S. non eſt aliud, ſed idē ipſum, quòd Pater & Filius; vtique nihil aliud intelligi poteſt, quo oſtendi poſsit, Spiritum S. per Filium de Patre (ſicut aiunt) procedere. *Cùm enim Pater,& Filius nō differant* in vnitate deitatis: neque Spiritus S. procedat de Patre, niſi de deitate: ſi eadem deitas eſt Filij, nequit intelligi quomodo procedat de deitate Patris, per deitatem Filij, & non de eiuſdem Filij deitate; niſi fortè quis dicat Spiritum S. non procedere de deitate Patris, ſed de paternitate; nec per deitatem Filij, ſed per filiationem: quæ opinio, ſua ſe patenti fatuitate ſuffocat.

149 *QVOD Si dicit aliquis*: Quia cùm dico illum procedere de deitate Patris,& Filij, non poſſum deitatem Spiritus S. ab hac Patris,& Filij deitate ſeparare: quoniam vna & eadem eſt deitas trium: & ideo ſequi, ſi de deitate Patris,& Filij procedit, de ſua quoque eum procedere & ob id Spiritū S. de ſe ipſo procedere: *Ad hoc iam ſuprà* me ſufficienter memini reſpondiſſe. quia nulla perſona ex ſe ipſa eſſe poteſt: nā ſicut Filius, cùm eſt de Patris eſſentia, quamvis non ſit alia, ſed eadem Filij eſſentia, quæ eſt Patris, non tamen eſt de ſe ipſo, ſed de Patre ſolo: ita Spiritus S. cùm eſt de eſſentia Patris,& Filij, quæ eſt eadem illi, non tamen eſt de ſe ipſo, ſed tantummodo de Patre, & Filio.

150 *DICENT*: *Cur non ſimiliter* dicere poſſumus Spiritum S. de Patre per Filium procedere, ſicut dicimus à Patre omnia per Verbum facta, quòd eſt Filius? Sicut enim, cùm Pater facit per Verbum ſuum, non facit per aliud, quàm per hoc, quòd ipſe eſt, hoc eſt, per eſſentialem poteſtatem, quæ eſt eadem Verbi; & non dicitur tamē facere, niſi per Verbum: cur nō ſimiliter dicimus Spiritum S. à Patre procedere per Verbū, cùm non procedat de Patre, niſi de hoc, quòd idē eſt illi, cū Filio, quāvis non vt creatura, ſed vt idipſū de eodē ipſo? *Videamus, quid ſequatur* ſi hoc dicimus, & pax ſit inter nos. Nēpè, quæ facta ſunt à Patre per Verbū; facta ſunt ab ipſo Verbo. Ipſum namque Verbum dicit: *Quæcumque Pater* Ioan. 5. v. 19.
fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Dicamus igitur, quia Spiritus S. cùm procedit à Patre per Filiū, procedit & à Filio ſimiliter: ſicut quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ſimiliter ab ipſo Verbo.

Niſi

151 *Niſi forte intelligunt* Spiritum ſanctum procedere de Patre per Filium: quemadmodum, cùm fons finit in rivum, & rivus colligitur in lacum; dicitur lacus eſſe de fonte per rivum. Sed ibi non eſt rivus in fonte, ſed extra fontem: ſicut eſt Filius in Patre, & non extra Patrem. Quare ſic non eſt Spiritus ſanctus de Patre per Filium, ſicut eſt lacus de fonte per rivum. Si tamen ſic eſt, negari nequit eſſe de Filio: quamvis ſit de Patre per Filium: ſicut fatendum eſt lacum eſſe de rivo, quamvis ſit de fonte per rivum. Qui enim negat lacum eſſe de rivo, quoniam priùs eſt de fonte rivus: dicat ſe non eſſe de Patre ſuo, ſed de Adam, quoniam per Patrem ſuum eſt de Adam. Dicat etiam, Filium Virginis non eſſe de Maria, neque de David, neque de Abraham: quoniam iſti priùs fuerunt de Adam; & dicat falſum eſſe, quod dictum eſt Abrahæ: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ad David: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et ad Mariam: *Benedictus fructus ventris tui.* Dicatque Chriſtum non eſſe ſemen horum, vel fructum, ſed Adæ: quoniam iſti ab illo deſcenderunt. *Sed neque de Adam* eſt Filius Virginis, ſecundùm hunc ſenſum: ſed de limo, de quo factus eſt Adam. Gen. 22 v. 18. Pſal. 131 v. 11. Lucæ 1 v. 42.

152 *At inferent:* benè dicimus, Spiritum S. non procedere de Filio; ſed de Patre per Filium, quamvis ſit de Patre, & de Filio, ſicut dicis lacũ eſſe de fonte, & de rivo. De proceſsionis namque Verbo, quæſtio eſt inter nos, quam vos aſſeritis eſſe de Filio, nos negamus. Ecce enim videtis rivum de fonte procedere, quaſi de originali principio. Lacus autem nõ procedit, ſed colligitur de rivo: quãvis habeat eſſe de illo. Ita igitur, etſi Spiritus S. habeat eſſe de Filio, non tamen procedere propriè dicitur de Filio, ſed de Patre, quaſi de principio. *Hoc forſitan diceretur rectè,* ſi Filius naſcens de Patre procederet extra Patrem, & medio quodam ſpatio interveniente priùs intelligeretur eſſe Spiritus ſanctus de Patre, quàm de Filio; ſicut rivus de fonte fluens extra fontem procedit, & quodam intervallo in lacum colligitur, & priùs eſt lacus de fonte, quàm de rivo: & ideo eſt de fonte per rivum, non de rivo per fontem. Verùm cùm Filius naſcens de Patre non exeat extra Patrem, ſed in ipſo manens: nec loco, nec tempore, nec eſſentia diverſus ſit à Patre: & cùm vnum ſit idemque Patri, & Filio, id vnde procedit Spiritus S. nec intelligi poteſt, neque dici debet Spiritum S. procedere de Patre, & non de Filio. Non ergo videtur, qua ratione dicatur Spiritus S. non procedere de Filio, ſed de Patre per Filium: cùm etiamſi per Filium, nequeat non de Filio. *Si quis tamen vult dicere,* Filium de Patre procedere magis propriè, quàm Spiritum S. de Filio, quamvis Spiritus S. de illo ſit (ſicut rivus magis illi videtur procedere de fonte, quàm lacus de rivo) ne concedat Spiritum S. procedere de Filio, de quo habet eſſe, ſicut lacus de rivo: *Nos non negamus,* naſcentem aliquomodo procedere de illo, de quo naſcitur: & Spiritum ſanctũ aſſe-

rimus ſuo modo, non quaſi de duobus fontibus, ſed verè de vno fonte procedere: ita tamen, vt nomen nativitatis, nec proceſsio Filij amittat, nec Spiritus ſancti proceſsio recipiat. Non eſt igitur, cur magis dici debeat Filius procedere de Patre, quàm Spiritus ſanctus de Filio.

SCHOLIA IN CAPVT IX.

Idem eſſe apud Patres, Spiritum S. procedere ex Patre per Filium, ac procedere pariter ex Filio. Oſtenditur id illuſtribus teſtimonijs iuxta mentem Anſelmi. Multiplex conſideratio fontis, rivi, & lacus, ad exponendum proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, non minus veram & propriam, quam Filij ex Patre.

153 TOTVM Hoc caput eſt plenum ſubtilitate & acumine: in eoque profligatur celebris illa quæſtio inter Latinos & Græcos: An Spiritus ſanctus dicendus ſit procedere de Filio, an potiùs de Patre per Filium. Et quidē multi ex Patribus Græcis hoc poſteriore modo locuti ſunt, vt Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Dialogorum inquiens: ἅγιον δὲ πνεῦμα προσερεῖς, &c. *Spiritum vero ſanctum appellabis, qui ex Deo Patre PER FILIVM naturaliter profunditur*, &c. Idemque ferè habet *lib. 11. in Ioann. cap. 1. & lib. 12. cap. 56. & lib. 13. Theſauri cap. 1. & lib. de Recta Fide ad Theodoſium poſt medium*, ac denique *lib. 5. 6. & 7. de Trinitate*. Eodem modo loquitur Tharaſius in Epiſtola ad ſummos Sacerdotes & Epiſcopos, quæ habetur in Confeſsione Fidei ipſius apud VII. Synodum Actione 3. Similiter Damaſcenus lib. 1. Fidei Orthodoxæ cap. 13. in Fine loquens de Spiritu ſancto ait: καὶ υἱοῦ δὲ πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ᾽ ὡς δι᾽ αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. μόνος γὰρ αἴτιος ὁ Πατήρ. *Et verò Filij Spiritus eſt; non tanquam ex ipſo, ſed quòd PER IPSVM ex Patre procedat. Solus enim Pater principium eſt.* Mitto aliorum teſtimonia ſimiliter luquentium, qui malunt dicere Spiritum ſanctum habere eſſe διὰ τοῦ υἱοῦ, *per Filium*, quàm ἐκ τοῦ υἱοῦ, *ex Filio*. Et hoc fuit præcipuum fundamentum Græcorum in Concilio Florentino, vt initio negarent proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quam demum amplexī ſunt.

154 Verùm obiectio eiuſmodi enervis eſt: quoniam ex frequenti vſu Patrum Græcorum liquet, particulam διὰ, *per*, idem plerumque ſignificare, quòd ἐκ, *ex*: nimirum, principium efficiens, ſeu producens. Id luculenter obſervavit in primis Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 2. ex Aetio Anomæorum ſectæ principe, qui ſoli Patri tribuit τὸ ἐξ οὗ, *ex quo*; Filio autem τὸ δι᾽ οὗ, *per quem*; & denique Spiritui ſancto τὸ ἐν ᾧ, *in quo*. Ducebatur Aetius teſtimonio Pauli 1. Corinth. 8. vbi ait (prout olim in Græco legebatur. nunc enim vltima particula non extat) εἷς θεὸς καὶ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα· καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς χριστός, δι᾽ οὗ τὰ πάντα· καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα. *Vnus Deus & Pater, EX QVO omnia: & vnus Dominus Ieſus-Chriſtus PER QVEM omnia: & vnus Spiritus ſanctus, IN QVO omnia.* Ex illa præpoſitionum diverſitate hæreſiarcha ille conabatur probare inæqualitatem perſonarum Patris & Filij, ſiquidem ille eſt *ex quo* omnia, hic verò *per quem* omnia: tanquam Pater ſit principium efficiens & cauſa primaria ac præcipua omnium; Filius verò non, niſi inſtrumentū. Itaque diſtinctio illarum præpoſitionum, in qua Græci hodieque nituntur ad ſuum errorem tuendum, tam ignobilis & fœculentæ originis eſſe deprehenditur, vt hæreſiarcham Aetium, Anomæorum prodromū, inventorem habuerit. Refellit verò eam hominis impietatem Baſilius: quoniam in ſacra Scriptura dictiones illæ accipiuntur promiſcuè, & abſque diſcrimine vllo: ac tam de Patre dicitur, δι᾽ οὗ καὶ ἐξ οὗ, *per quem & ex quo*, quàm de Filio. Quòd verò ſemel aut iterum prior particula adaptetur Patri, & poſterior Filio, nec denotat vtriuſque inæqualitatem, nec inducit ſtabilem aliquam loquendi formulam: ſed ſolùm indicat perſonarum diſcrimen. Vnde ait: *Hæ voces non præſcribentis legem ſunt, ſed hypoſtaſes diſcernentis. Non enim vt naturæ diverſitatem introducat, ſed vt minimè confuſam Patris & Filij notionem præbeat, ita pronuntiavit Apoſtolus.* Quod Baſilij teſtimonium illuſtre eſt, & ſufficiens ad claudenda ora Græculorum, qui tam debili argumento auſi ſunt, & audent, negare proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, toties ab Eccleſia definitam.

155 Quod autem eæ propoſitiones *per* & *ex* in ſacra Scriptura promiſcuè accipiantur, probat Baſilius adductis in medium quibuſdam locis. Etenim Geneſis 4. dicitur: *Poſſedi hominē per Deum*: quaſi diceret ex Deo. Et cap. 37. Ioſeph de inſomnijs loquens, ait: *Nonne per Deum horum manifeſtatio eſt?*

nimi-

nimirum, ex Deo. Alibi quoque: *Præcepit Moyſes Iſraeli per mandatum Domini*, id eſt, ex mandato. Præterea inſigne eſt illud Ioãnis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Vbi & Græcè eadem propoſitio eſt: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Pater verò cuilibet Chriſtiano, omnes res creatas à Filio, vt cauſa efficiente procedere, quamvis *per ipſum* factæ dicantur. Similiter Apoſtolus 1. Corinth. 8. v. 16. ait: *Nobis vnus eſt Deus Pater ex quo omnia, & nos in illum; & vnus Dominus IESVS Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Et ad Coloſſenſes 1. v. 16. *Omnia* δι' αὐτοῦ, *per ipſum, & in ipſo creata ſunt*. Vbi inter ex, quod tribuitur Patri, & *per*, quod adaptatur Filio, nullum eſt diſcrimen quoad ſignificationem principij activi, ſeu cauſæ efficientis. Si autem vel in ipſis ſacris litteris, à Deo revelatis, eæ particulæ promiſcuè accipiũtur, vt frequenter per quamlibet illarum explicetur cauſalitas principij efficientis: quantò magis licebit eaſdem particulas ſimili ſenſu in PP. quibuſdã interpretari, vt dum aiunt Spiritũ S. procedere *per Filiũ*, idẽ ſit ac procedere *ex Filio*, veluti principio activè ſe habente?

156 Præterea ex pluribus Patrum teſtimonijs apertè conſtat, particulam διὰ, *per*, accipi pro eodem ac particulam ἐκ, ex, qua ſignificatur agens, ſive principium efficiens. Ac primò quidem Cyrillus lib. 6. Dialogorũ ad Hermiam loquens de Incarnatione, modò ait, Chriſtum natum fuiſſe *per* Mariam Deiparam, modò ex Maria Virgine, quaſi vtrumque ſit idem, quoties iunguntur apud Græcos διὰ & ἐκ cum gignendi caſu. Atque lib. 1. Comment. in Ioan. cap. 1. illa verba, *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſic interpretanda eſſe docet, vt τὸ *per* ſignificet cauſam efficientem, non inſtrumentariam, ſed principalem. Et in libro de Recta Fide ad Imperatrices inquit, *Viuificum Spiritum procedere per ambos*; Patrem, ſcilicet, & Filium. Ergo quemadmodũ particula *per* de Patre activè ſumitur, ita etiã de Filio. Athanaſius quoque Orat. 2. contra Arianos loquens de generatione humana, ait: *Cùm igitur ad eã ætatem homo proceſſerit, cui vim ac robur natura tribuit, ſtatim ſine impedimento vllo, naturaliter homo fit pater filij, qui per ipſum exiſtit*. Vbi patet in Græco, δι' αὐτοῦ ſignificare principium efficiens, quod eſt pater. Quo etiam ſtylo ipſa Scriptura alicubi loquitur dum ait: *Honora patrem tuũ & matrem tuam, quia niſi per illos, non extitiſſes*. Vbi particula *per* ſignificat efficientiam. Idem conſtat ex Chryſoſtomo Homilia 11. in Epiſt. 2. ad Corinth. Nyſſeno lib. 1. contra Ennomium, alijſque pluribus, quorum teſtimonia de induſtria omitto, legenda apud Beſſarionem in Dogmatico libello, cap. 5. Demetrio *lib. de Proceſſ. cap. 11.* Petavio *lib. 7. de Trinit.* Vazquez 1. *p. d.* 146.

157 Ex quibus omnibus mirè illuſtratur doctrina Anſelmi in præſenti capite, cuius ſumma eſt, Spiritum S. procedere ex Filio, vt principio activo, quãvis interdum dicatur procedere *per Filium*. In quod probandum vtitur teſtimonio illo Ioannis initio ſui Evãgelij ſupra allegato, & inquit: *Quæ facta ſunt à Patre PER VERBVM, facta ſunt ſimiliter AB IPSO VERBO. Ipſum namque Verbum dicit: Quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Dicamus igitur, quia Spiritus S. cùm procedit à Patre PER FILIVM, procedit & à Filio ſimiliter: ſicut quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ſimiliter ab ipſo Verbo*. Et ſanè, vt oſtẽdit Beſſario loco nuper indicato, particula διὰ, *per*, vbi cum gignendi caſu coniungitur cauſæ principali, ſeu principio agenti, proculdubio eſt actuoſa, & ſignificat τὸ συναίτιον, nimirũ, *concauſam*, ſive cauſam ſociã aliquid de ſuo conferentem in exiſtẽtiam rei productæ. Eadem verò ratio eſt de particula *per* apud Latinos coniuncta cum accuſandi caſu, vt patet.

158 Vnde non obſtant teſtimonia quædam Patrum initio indicata, dum aiunt Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium: cùm particula *per* promiſcuè de vtroque accipiatur. Quod verò aliqui malint dicendum *per Filium*, quàm *ex Filio*, iam ſuprà ex Baſilio obſervatum eſt, id diſcriminis ſolùm adhiberi ad internoſcendam vtriuſque hypoſtaſim. Vel fortaſſe ideo ita loquuntur, vt explicent Patrem in ea productione quoddamodo primas habere, quatenus nullũ habet principium ſui eſſe; ſed eſt producens improductum. in quo differt à Filio, vt proinde præ illo dicatur à quibuſdam καταρκτικὴ αἰτία, id eſt, *principalis cauſa*. de quo poſtea cap. 14. Nunc iam ad explanandam litterã accedamus.

159 *SICVT NOBIS DICVNT*, &c. Græci negantes proceſsionem Spiritus S. ex Filio aiebant nihilominus illum eſſe per Filium, ne viderentur in ea proceſsione Filium à Patre abiungere, quaſi illius prorſus expertem. Verùm refellit eos Anſelmus, quoniam abſque fundamento loquuntur. Neque enim id probare poſſunt ex teſtimonio illo Pauli ad Romanos 11. *Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: quaſi ita intelligi debeat, vt ex quo omnia, ſit Pater; & per quem omnia, Filius; & in quo omnia Spiritus, ſanctus: ac denique ita, vt inter omnia quæ ſunt per Filium, Spiritus ſanctus intelligatur. Verùm in ea interpretatione illud ſolùm

probari debet, quòd omnia ſint ex Patre, & per Filium, & in Spiritu ſancto. Quod verò ipſe Spiritus S. intelligatur, ſeu comprehendatur inter omnia illa, quæ ſunt ex Patre, & per Filium, & in Spiritu S. irrationabile prorſus eſt. Quippe contradictionem involvit inter omnia illa vnam ex divinis perſonis claudere, & reliquas duas excludere: cùm omnia indiviſim ſingulis tribus perſonis adſcribantur, veluti principio rerũ omniũ. Si autẽ duę perſonæ, nimirum, Pater & Filius, inter omnia illa cõprehẽdũtur; ſenſus illius propoſitionis Apoſtoli erit, Patrem eſſe ex ſe ipſo, ſive ex ſe ipſo procedere; Filiũ verò ipſum eſſe id, per quod procedit Filius. At is ſenſus contradictione & cõfuſione plenus eſt: cùm planè repugnet Patrẽ ex ſe ipſo procedere, aut Filium eſſe id ipſum, per quod procedit Filius. Ergo inter *omnia* illa non cõprehenduntur Pater, aut Filius: proindeque nec Spiritus S. Dum igitur Apoſtolus ait, *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*; nulla ex divinis perſonis intelligenda eſt per *omnia*, aut comprehenſa ſub *omnibus*: ſed dumtaxat quælibet res creatæ à Deo, quæ ſunt ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo; ſicutì aliud ex alio, & per aliud, & in alio. Omne enim quod factum eſt à Deo, eſt aliud ab ipſo; id eſt, aliam eſſentiam habens: Filius autem non eſt aliud à Patre, neque Spiritus ſanctus eſt aliud ab vtroque: ſed ij tres eandem omnino eſſentiã habent. Ergo neuter eorum cõprehenditur inter illa *omnia*. Quare ex illo teſtimonio probari non poteſt, Spiritum S. potiùs per Filiũ, quàm ex Filio procedere.

160 Hoc eodem ferè argumento vſi ſunt Patres Eccleſiæ ad probandum, Filium Dei, ſive Verbum non eſſe creaturam: quoniam cùm dicitur de Verbo Ioannis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, particula vniverſalis *omnia* non cõprehẽdit Verbum: quippe quod per ſe fieri nõ potuit. Quare ibidẽ per *omnia* intelliguntur, quæcũque ſunt à Deo creata ſive facta per Verbum ipſum non factum. Ita enim exponunt Cyrillus *n.* 157. allegatus, & Auguſtinus Tract. 1. in Ioan. circa med. præſertim dum infert: *Crede ergo non factum, per quod facta ſunt omnia.* Eadem verò ratio eſt in loco illo Apoſtoli nuper indicato, ne per *omnia* comprehenſus intelligatur, vel Filius, per quẽ omnia, vel Spiritus ſanctus, in quo omnia eſſe dicũtur. Quod verò attinet ad particulas illas ex, & *per*, & *in*, cur quandoque ab Apoſtolo adhibeantur, & quo ſenſu, iam ſuprà *n.* 154. expoſuimus ex Baſilio in ſimili.

161 *CVM ENIM PATER ET FILIVS NON DIFFERANT*, &c. Oſtendit, Spiritum ſanctum non procedere per Filium eo ſenſu, quo aſſerebant Græci quibuſcum differebat: nimirum, in ſenſu excludente veram proceſsionem ex Filio. Cùm enim eadem omnino ſit Deitas Filij & Patris, nequit intelligi quomodo Spiritus ſãctus procedat de Patre, niſi de Deitate Patris; aut quomodo procedens de Deitate Patris, procedat per Deitatem Filij, & non de eiuſdem Filij Deitate. Nam quod fortè aliquis dicere poſſet, Spiritum ſanctum non procedere de Deitate Patris, ſed de paternitate, nec per Deitatem Filij, ſed per filiationem; eſt opinio fatua, & ſe ipſam interimens: vt in præcedentibus obſervatum eſt. Ergo Spiritus S. nec per filiationem, nec per Deitatem Filij procedit de Deitate Patris: atque adeo non procedit per Filium eo ſenſu, quo Græculi illi aſſerebant. Dum autem audis apud Anſelmum (quod ſæpe apud alios Patres legitur nominatimque apud S. Iulianum Archiep. Tolet. qui plures alios antiquiores ita loquentes allegat & ſequitur) Filium naſci, & Spiritum S. procedere de Patre, id eſt, de Deitate Patris; intelligendum eſt, tanquam illa ſit principium *quo*, vt in Scholis loquimur, ſeu ratio aut radix, vi cuius Pater generat Filium, & ſpirat Spiritum S. non autem ita vt Deitas ipſa ſit principium *quod* producit aliquam ex divinis perſonis. Hoc enim falſum eſt, & repugnans: cùm fide ſanctum ſit, Deitatem ipſam in re eſſe tres perſonas, & vnamquãque earum, abſque vlla ſuĩ diſtinctione reali ab ijs. Cumque aliunde evidẽs ſit nullam rem poſſe eſſe principium productivũ ſui ipſius; conſequens eſt, vt nec Deitas ſit principium *quod* productivum alicuius ex divinis perſonis. Poteſt etiam intelligi in ſenſu concreto, ſeu perſonali, quòd Filius & Spiritus S. ſint ex Deitate Patris; nimirum ex Deo Patre, vel ex Deitate prout in Patre: quo ſenſu conſtituit principium *quod*. Vide quæ circa ſimiles locutiones obſervavimus Tomo II. Theologiæ S. Anſelmi Diſput. LXXXIII. ſect. 2. ad cap. 44. aliàs 43. Monologij, & ſuprà Diſp. XXIII. num. 14. & 15. ac Loayſam in Notis ad Concil. XV. Tolet. pag. 663.

162 *QVOD SI DICIT*, &c. Obijcit ſibi Anſelmus difficultatem hanc. Cùm dicimus Spiritum ſanctum procedere de Deitate Patris & Filij, non poſſumus Deitatem Spiritus ſancti ab hac Patris & Filij Deitate ſeparare: cùm vna eademque trium illorũ Deitas ſit. Ergo Spiritus S. procedet de ſua Deitate, non minùs, quàm de Patris & Filij Deitate: ac proinde procedet de ſe ipſo, quod & abſurdum eſt, & ſuprà reiectum.

163 *AD HOC IAM SVPRA*, &c. Reſpondet, iuxta dicta *cap.* 2. & in Scholijs *numero* 44. nullam perſonam ex ſe ipſa eſſe poſſe: neque oppoſitum colligi obiectio-

ne præiacta. Sicuti enim licèt Filius ſit de Deitate Patris, quæ etiam eſt Deitas Filij; non propterea de ſe ipſo eſt, ſed de Patre ſolo: ita etiam quamvis Spiritus ſanctus ſit de Deitate Patris & Filij, quæ ipſa eſt ſua Deitas, non propterea procedit de ſe ipſo, ſed ſolùm de Patre & Filio.

164 *DICENT: CVR NON SIMILITER*, &c. Inſtat vlteriùs obiectio: Cur non ſimiliter dicere poſſumus, Spiritum ſanctum de Patre per Filium procedere, ſicut diximus, omnia à Patre facta fuiſſe per Verbum, quod eſt Filius? Sicuti enim cùm Pater facit per Verbum ſuum, non facit per aliud, quàm per hoc quod ipſe eſt; nimirum, per eſſentialem poteſtatem, quæ eſt eadem Verbi; & tamen non dicitur facere omnia, niſi per Verbum: cur non ſimiliter dicemus Spiritum S. à Patre procedere per Verbum? Licèt enim non procedat de Patre, niſi quatenus procedit de Deitate, quæ èſt ipſi eadem cum Filio; adhuc locus erit, vt Spiritus ſanctus dicatur procedere à Patre per Verbum ipſum, quamvis nõ eo ſenſu quo creaturæ omnes dicuntur factæ per Verbum.

165 *VIDEAMVS QVID SEQVATVR*, &c. Reſpondet, ſicut ſuprà *num.* 157. præmonuimus, admittendo eam locutionem Græcorum, ſi in recto ſenſu intelligatur, vt pacem cum Latinis habeant. Itàque dici poteſt Spiritum S. procedere à Patre per Filium; ita tamẽ vt pariter procedat ex ipſo Filio. Etenim etiam Catholicè dicimus cũ Evangeliſta, omnia fuiſſe facta à Patre per Verbum. Et tamen pariter ea facta ſunt ab ipſo Verbo. Nimirum Chriſtus ait Ioannis 5. cap. *Quæcũque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*. Poſſunt igitur hæc duo componi, vt & Spiritus procedat à Patre per Filium, & tamen pariter procedat ab eodem Filio. In quo ſanè nulla contradictio eſt: cùm iſdem Patres Græci, qui aiunt Spiritum ſanctum ex Patre per Filium procedere, luculenter fateantur, Spiritum ſanctum etiam procedere ex Filio, ſive, quod perinde eſt, ex divinitate Filij, ex ſubſtantia Filij. Si qui autem illorum volunt dici potiùs *per Filium*, quàm ex *Filio*, non propterea negant Spiritum ſanctum ex ſubſtantia Filij exiſtere. Nam, vt vidimus ſuprà in Scholijs ad cap. 1. num. 11. & conſtat ex Concilio Florentino Seſsione vltima in litteris Vnionis, & ex Beſſarione Cardinale Græco, qui fuit vnus ex præcipuis Patribus eiuſdem Concilij, Græci eatenus negârunt Spiritum ſanctum eſſe *ἐκ τȣ̃ υἱȣ̃*, ex *Filio*, quatenus putabant præpoſitionem ἐκ, ſive ἐξ, quæ Latinis eſt ex, denotare primum principium, ſive à ſe habens vim producendi & ſpirandi. Cùmque Filius non ſit Spiritus ſancti primum principium eo ſenſu, ſed principium de principio, ſive habens vim producendi & ſpirandi à Patre communicatam ſibi per generationem; iſdem Græci maluerunt dicere Spiritum ſanctum procedere ex Patre *per Filium*, quàm *ex Filio*, ne viderentur admittere duo principia, aut duas ſpirationes. Cùm verò nullus Latinorum verè in eo ſenſu acceperit particulam *ex Filio*, nec putaverit Filium eſſe principium ſine principio, ſeu habere à ſe vim producendi & ſpirandi; ſed dumtaxat ſibi communicatam à Patre, cum quo vnicum principium conſtituit, vt ambo per vnicam ſpirationem producant Spiritum ſanctum; conſequens eſt, vt abſque diſsidio inter Latinos & Græcos, ac ſine vllo erroris periculo, dici poſsit ac debeat, Spiritum ſanctum *ex Filio* procedere, quemadmodum & ex Patre. Quod verò à quibuſdam Patribus dicitur, Spiritum ſanctum ex Patre procedere *διὰ τȣ̃ υἱȣ̃ per Filium*, non denotat ſtabilem aliquam loquendi formulam, ſed ſolum diſcrimen perſonarum Patris & Filij, vt ſuprà *num.* 154. didicimus ex Baſilio. Quippe perſona Patris ſpirans, eſt principium ſine principio: perſona verò Filij ſpiritus, eſt principium de principio, quoniam quidquid eſt, totum id habet ſibi cõmunicatum à Patre.

166 *NISI FORTE INTELLIGVNT*, &c. Quòd dicatur Spiritus ſanctus procedere ex Patre per Filiũ, poſſet fortaſſe à Græcis intelligi eo ſenſu, quo lacus dicitur eſſe ex fonte per rivum, quia fons fluit in rivum, & rivus colligitur in lacum. Verùm intereſt plurimum diſcriminis, nec ſatis eo exemplo ſignificatur proceſsio Spiritûs ſancti: quoniam rivus non eſt in fonte, ſed extra fontem: Filius verò è contrà, non eſt extra, ſed intra Patrem. Quare non ſic eſt Spiritus S. ex Patre per Filium, ſicut lacus eſt ex fonte per rivum. Verùm permiſſo quòd ita ſit, negari nequit Spiritum S. eſſe de Filio, quando dicitur eſſe de Patre per Filium: ſicut lacus verè eſt de rivo, cùm dicitur eſſe de fonte per rivum. Si enim aliquis neget lacum eſſe de rivo, quoniam priùs eſt de fonte per rivũ; is ſanè dicere conſequenter tenebitur, ſe non eſſe de patre ſuo, ſed de Adamo, quoniam per patrem ſuum eſt de Adamo, à quo priùs ducta eſt generatio. Dicet præterea, Filium Virginis non eſſe de Maria, nec de David, nec de Abraham: quoniam ij priùs exiiterunt de Adam. Vnde & falſum erit, quod dictum fuit Abrahæ Gen. 22. *In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes*. Falſum etiã quod David Regi prædictũ legitur Pſal. 131. *De fructu ventris*

tui ponam ſuper ſedem tuam. Falſum denique erit quod ad Mariam dicitur Lucæ 1. *Benedictus fructus ventris tui.* Quippe iuxta illum dicendi modum, Chriſtus non erit ſemem Abrahæ, aut fructus David, vel Mariæ, ſed Adami dumtaxat, à quo ij omnes priùs ortum duxerunt. Cùm igitur hæc omnia ſint planè abſurda; etiam abſurdum eſt negare lacum eſſe de rivo, ex eo quòd rivus ſit priùs de fonte.

167 *SED NEQVE DE ADAM EST FILIVS VIRGINIS SECVNDVM HVNC SENSVM: SED DE LIMO, DE QVO FACTVS EST ADAM.* Ambigua ſanè ſententia, & quæ diverſimodè accipi poſsit. Sed tamen ſenſus obvius, & inſtituto præſenti aptior, videtur eſſe, quòd Filius Virginis non ſit de Adamo ita, vt negetur eſſe immediatiùs de poſteris illius, ac proximiùs cæteris, de Virgine. quippe quæ ſola immediatè Verbo materiam miniſtravit ad incarnandum, quam Anſelmus appellat *limum, de quo factus eſt Adam:* quoniam, ſcilicet, caro Mariæ de Adamo per naturalem propagationem deſcendit. Neque enim per limum, de quo factus eſt Adam, intelligitur hoc loco terra, quaſi de illa immediatè Verbum ſibi carnem formaverit, quemadmodum de illa plaſmavit Adamum. Id enim eſſet de medio tollere generationem naturalem Chriſti ex Virgine: quoniam iuxta eum ſenſum, non Virgo, ſed terra Verbo materiam immediatè miniſtraſſet. Nomine itaque limi, de quo factus eſt Adamus, intelligitur hoc loco caro Virginis de Adamo propagata. Et ſanè ita oportebat fieri, vt in reparanda natura humana, id eſt, Adami ſtirpe, quæ vitiata fuerat per peccatum, Deus non vteretur immediatè limo, vt materia, vt olim in creatione primi parentis, ſed carnem aſſumeret Virginis, ex eodem Adamo & illius ſtirpe propagatam. Quod ſapienter monet antiquiſsimus ſcriptor Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 31. vbi cauſam aſsignat, cur è ſola fœmina Virgine genitus fuerit Filius Dei, & inquit: *Si autem ille* (Adam) *de terra quidem ſumptus eſt, & Verbo Dei plaſmatus eſt; oportebat id ipſum Verbum recapitulationem Adæ in ſemetipſum faciens, eiuſdem generationis habere ſimilitudinem. Quare igitur non iterum ſumpſit limum Deus, ſed ex Maria operatus eſt plaſmationem? Vt non alia plaſmatio fieret, neque alia eſſet plaſmatio, quæ ſaluaretur, ſed eadem ipſa, recapitularetur, ſervata ſimilitudine.* Veluti ſi quis collapſam domum vult inſtaurare (quod in Irenæo, prout Græcè habetur apud Theodoretum eſt, ἀνακεφαλαιοῦσθαι) non ex alio lapide aut nova materia; ſed *ex* redivivis, ſive materia veteri illam extruit: ita Verbum ad reparandam hominis naturam planè collapſam per peccatum, non aliam materiam delegit prorſus extraneam, ſed carnem ipſam Virginis ex Adamo propagatam, quamvis defæcatam, & primigeniæ labis expertem: Sed de his alibi latiùs & opportuniùs.

168 Hinc obiter refelluntur hæretici veteres, negãtes à Verbo carnem reverà ſuſceptam fuiſſe, & ſolùm in ſpeciẽ illã admittentes: quos Græci Δοκητὰς, & Φαντασιαστὰς appellaverunt. Inter quos potiſsimùm numeratur, quaſi cæterorum prodromus, Simon Magus, apud eundem Irenæum *lib.* 2. adverſus hæreſes cap. 1. Saturnilus eius diſcipulus apud Tertulianum de Præſcriptionibus cap. 46. Baſilius quoque apud Clementem Alexandrinum *lib.* 7. Stromateon; Valentinus, Secundus, Epiphaneus, præterea, & alij plures, apud Epiphanium Hæreſi 31. & Theodoretum *lib.* 1. contra Hæreſ. cap. 14. Hinc etiam exploditur Marcion, qui, teſte Tertuliano, *negavit Chriſto etiam natiuitatem: aut vt natiuitatem negaret, negavit & carnem*: ac denique Manichæi (vt alios ſimilis farinæ hæreticos omittam) qui apud Epiphanium Hæreſi 66. aiebant: ἐλθὼν ὁ υἱὸς, &c. *Veniens Filius ſeſe transformavit in hominis ſpeciem. Ita homini ſimilis hominibus apparebat, etſi homo non eſſet: atque homines natum illum reverà putabant.* Verùm apage ſtupidum errorem. Fateamur itaque Chriſtum verum hominem de Virgine natum, de Davide, Abrahamo, & Adamo propagatum, quod, licèt obiter, opportunè hoc loco monet Anſelmus.

169 *AT INFERENT*, &c. Fortaſse Græci inferent, Spiritum ſanctum non procedere de Filio, ſed de Patre per Filium, quamvis ſit de Patre & Filio: ſicuti dictum eſt, lacum eſſe de fonte & rivo. Diſsidium enim eſt circa proceſsionem Spiritus ſancti de Filio, quam Latini credunt, Græci negant. Atqui lacus de ſolo fonte procedit, tanquam de originali principio: de rivo autem non procedit, ſed ſolùm colligitur. quippe rivus non eſt principium, aut origo aquæ, ſed dumtaxat vehiculum, ſeu aquæductus. Ergo pariter nec Spiritus ſanctus propriè procedit de Filio, ſed de ſolo Patre, tanquam de principio; quamvis per Filium, quaſi per rivum, aut aquæductum.

170 *HOC FORSITAN DICERETVR RECTE*, &c. Verùm præcedẽs obiectio ſolùm poſſet habere locũ, ſi Filius naſcens de Patre procederet extra Patrem, & medio quodam intercedente ſpatio: priùs intelligeretur Spiritus ſanctus eſſe de Patre, quàm

quàm de Filio: ſicuti rivus de fonte fluens extra fontem procedit, & quodam intervallo colligitur in lacum. Sic enim lacus priùs eſt de fonte, quàm de rivo, & ideo eſt de fonte per rivum, non de rivo per fontem. Cæterum lōgè aliter ſe habet res in divinis. Filius enim naſcens de Patre non exit extra Patrem, ſed in ipſo manet; nec loco, nec tempore, nec eſſentiâ diverſus à Patre eſt: ſed vna & eadem eſt Patris & Filij eſſentia, de qua procedit Spiritus ſanctus. Ideoque Cyrillus in Paſchali Epiſtol. 11. aiebat, *Filium in Patre, tanquam in fonte ineſſe. Nam in iſtis vocabulum fontis tantummodo id ex quo ſignificat.* Quare nec eſſe, nec intelligi quidem poteſt, vt Spiritus ſanctus procedat de Patre, quin etiam de Filio: aut quòd ita procedat per Filium, vt non pariter de Filio procedat. De quo vberiùs cap. ſequenti.

171 *SI QVIS TAMEN VVLT DICERE*, &c. Si quiſquam Græcorum dicere velit, Filium magis propriè de Patre procedere, quàm Spiritum ſanctum de Filio (ſicut magis propriè videtur ipſi rivus procedere de fonte, quàm lacus de rivo) tenetur negare Spiritum ſanctum procedere de Filio, id eſt, habere de illo eſſe ſicuti negat lacum procedere, ſeu habere eſſe de rivo. Iuxta eum nāque dicendi modum, Filius non erit verè & propriè principium dans eſſe Spiritui ſancto: ſicut rivus non eſt principium verè & propriè dans eſſe lacui.

172 *NOS NON NEGAMVS*, &c. Latini verò fatemur planè, naſcentem aliquomodo procedere de illo, de quo naſcitur: quoniam, nimirum, proceſsionis notio generatim accepta eſt aliquid commune nativitati, & proceſsioni ſpeciatim dictæ. Hoc autem poſteriori modo dicimus, Spiritum ſanctum procedere de Patre & Filio, non quaſi de duobus fontibus, ſed tanquam de vno: ita tamen vt nec proceſsio Filij amittat ſpecialem nativitatis notionem, nec Spiritus ſancti proceſsio illam recipiat. Nulla igitur ratio eſt, cur magis dici debeat, Filium procedere de Patre, quàm Spiritum ſanctum de Filio. Verùm de eadem ſimilitudine fontis, rivi, & lacûs, vberiùs diſſeremus cum Anſelmo cap. ſequenti: ſicuti & cap. 16. an Spiritus ſanctus ſit principaliter, ſeu magis à Patre, quàm à Filio.

CAPVT DECIMVM.

VBERIOR CONFIRMATIO PRAECEDENTIS DOCTRINA ex conſideratione aquæ in fonte, rivo, & laco.

DILIGENTIVS Conſideremus quomodo lacus ſit de fonte pariter, & de rivo: vt per hoc, ſicut per temporale, & locale, aliquid poteſt intelligi, quod æternum eſt; cognoſcamus Spiritum ſanctum eſſe de Patre, & de Filio. Multa enim in horum conſideratione, ſicut in Epiſtola ad venerabilis memoriæ Vrbanum Papam de Incarnatione Verbi ſcripſi, inveniuntur, quæ vni Deo, & tribus perſonis per quandam ſimilitudinem aptantur. Conſtat enim, quòd vna, eademque aqua eſt, & fons, & rivus, & lacus dicitur: nō tres aquæ, quamvis tres ſint, fons, rivus, & lacus. Diſcernamus itaque inter fontem, rivum, & lacum: & videamus, quid ſingula hæc, cùm tria ſint, in vna intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abyſſo aſcendens ebullit: in rivo de fonte deſcendens fluit: in lacum colligitur, & manet. Per fontem ergo intelligitur aqua de abyſſo ebulliens: per rivum, quia de fonte fluit: per lacum, quia ſimul ibi coadunatur. Videmus autem, quia rivus, non eſt de hoc, vnde aqua fons dicitur: ſed de hoc, quòd eſt, id eſt, de aqua. nec lacus eſt de hoc, vnde aqua dicitur fons, aut rivus: ſed de ipſa aqua, quæ vna & eadem eſt in fonte & rivo. Nō ergo de hoc,

vnde aqua dicitur fons, aut rivus: ſed de ipſa aqua, quæ vna & eadem eſt in fonte, & rivo. Non ergo de hoc, vnde differunt fons, & rivus; ſed de hoc, in quo vnum ſunt, lacus exiſtit. Si ergo non magis fons eſt hoc, vnde lacus eſt, quàm rivus: nequit intelligi lacus magis eſſe de fonte, quàm de rivo. Sic itaque cùm dicitur, Deus Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus, vna in tribus intelligitur eſſentia & vnus Deus: quod nomẽ eſt ipſius ſignificativum eſſentiæ: ſed in Patre intelligitur gignens, in Filio genitus, & in Spiritu ſancto ſingulari quodam, & ineffabili modo procedens. Quemadmodum igitur, lacus non eſt de hoc, vnde diverſi ſunt abinvicem fons, & rivus; ſed de aqua, in qua vnum ſunt: ita Spiritus ſanctus non eſt de hoc, vnde alij ſunt abinvicem Pater, & Filius: ſed de divina eſſentia, in qua vnum ſunt. Si ergo non magis eſt Pater hoc, vnde Spiritus ſanctus eſt, quàm Filius; intelligi nequit cur magis ſit de Patre, quàm de Filio.

174 *QVOD Si dicunt* non eum eſſe poſſe de duabus cauſis, ſivé ex duobus principijs: Reſpondemus: quoniam ſicut non credimus Spiritum ſanctum eſſe de hoc, vnde duo ſunt Pater, & Filius: ſed de hoc, in quo vnum ſunt: ita non dicimus duo eius principia, ſed vnum principium. *Quippe cùm dicimus*, Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnum principium, non tria principia. Sicut vnum creatorem, non tres creatores, quamvis tres ſint Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: quoniam per hoc, in quo vnum ſunt; non per hoc, in quo tres ſunt, eſt Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus principium, ſive Creator.

175 Si igitur, quamvis Pater ſit principium, & Filius ſit principium, & Spiritus ſanctus ſit principium, non tamen ſunt tria principia, ſed vnum: ita cùm Spiritus ſanctus dicitur eſſe de Patre, & de Filio, non eſt de duobus principijs, ſed de vno, quod eſt Pater, & Filius, ſicut eſt de vno Deo, qui eſt Pater & Filius: *Si tamen dici debet Deus habere principiũ, aut cauſam.* Principium namque videtur non, niſi rei incipientis eſſe, & cauſa non, niſi effectus alicuius; & Spiritus ſanctus nunquam incepit eſſe, nec eſt effectus alicuius. Quod enim incipit eſſe, proficit de non eſſe ad eſſe. Et nomen effectus rei, quæ fit, aptari videtur propriè. *Quoniam tamen verum eſt* Filium eſſe de Patre, & Spiritum ſanctum de Patre, & Filio, ſi ſuo quodam, & ineffabili modo intelligitur, quoniam aliter profeeri nequit, dici non incongruè poteſt Pater quodammodo principium Filij; & Pater, & Filius principium Spiritus ſancti. Nec tamen duo confitemur principia, vnum Patrem ad Filium, alterum Patrem, & Filium ad Spiritum ſanctum. Sicut non credimus alium Deum Patrem, de quo eſt Filius, & alium Deum Patrem, & Filium, de quo eſt Spiritus ſanctus: quamvis de eodem Deo, ſive de eodem principio, ſuo quiſque

modo

modo ſit: alter, ſcilicet, naſcendo, alter procedendo: ſed quodam ſingulari, & ineffabili modo intelligitur iſta proceſsio. Proceſsio namque multis modis dicitur, de quibus iſte ſolitarius intelligitur: ſicut nativitas Filij ſingularis cognoſcitur. *Id ipſum intelligitur,* ſi dicimus Patrem eſſe cauſam Filij, & Patrem & Filium cauſam Spiritus ſancti. Nō enim duas poſſumus dicere cauſas; aliam videlicet Filij, aliam Spiritus ſancti: ſed vnam: quemadmodum non duo Dij ſunt, ſed vnus Deus, de quo eſt Filius, & Spiritus ſanctus.

SCHOLIA IN CAPVT X.

Conſideratio aquæ in fonte, riuo, & lacu, qua vtitur Anſelmus, eruitur ex ſacris litteris, & Patrum teſtimonijs, ad probandam Spiritus ſancti proceſsionem ex Patre & Filio; non tanquam ex duplici principio, ſed vno. An ratio principij, & cauſæ admitti poſsit inter diuinas perſonas, prout admittitur ab Anſelmo: & quidnam ea de re alij Patres docuerint.

176 PROSEQVITVR Anſelmus conſiderationem aquæ in fonte, rivo, & lacu, vt ampliùs confirmet proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, non minùs quàm ex Patre. Et quidem ſuperiori capite plura ſubtiliter circa id tradidit, quæ nūc denuo illuſtrare pergit. Nec mirum in ea ſimilitudine expēdenda tempus inſumat: quoniam aptiſsima eſt ad exponendum Trinitatis myſterium, proceſsionemq́ue Spiritus ſancti, ex Patre & Filio ſimul. Vnde & graviſsimi Eccleſiæ Patres ea vſi ſunt, quorum aliquot teſtimonia afferre placet, quòd mirè Anſelmi doctrinam illuſtrent.

177 Ac primò quidem in ſacris litteris Deus fonti, Spiritus ſanctus aquæ comparatur. Etenim Ioannis 7. v. 38. Chriſtus ait: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Præmiſſerat verò cap. 4. v. 13. *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum. qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſaliētis in vitam æternam.* Similiter Pſalmo 35. v. 10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Ex quibus locis Athanaſius libro de Humana natura ſuſcepta ita colligit: οἱ δὲ (Δαβὶδ) παρὰ τοῦ Θεοῦ παρελθόντα τὸν υἱὸν πηγὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος, &c. *Noverat (David) apud Patrem Filium eſſe fontem Spiritus ſancti. Ac per Hieremiam Filius dicit: Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Ex quibus conſtat, quod ſuperiori capite audivimus ex Anſelmo, Spiritum ſanctum comparari aquæ, procedenti ex Filio, tanquam fonte, & eodem fonte cum Patre, intra quem ſemper Filius eſt: proindeq́ue ex Filio, ſicut ex Patre, procedere, quemadmodum aqua oritur de fonte.

178 Similiter loquuntur alij Patres. Cyrillus in Commentarijs ad eadem verba Ioannis nuper allegata, ait, Chriſtum eſſe fontem, aquam verò Spiritum ſanctum. id verò totū ad ſancti Spiritus φύσιν καὶ ἐνέργειαν, *naturam, & efficientiam* referri. Sumit verò efficiētiam latè pro vì producendi, ſeu productione ipſa. Deinde in Epiſtola ad Neſtorium ait: *Quamvis Spiritus in ſubſtantia propria ſit, quatenus Spiritus eſt, & non Filius; eſt tamen ab ipſo non alienus. PROFVNDITVR AVTEM AB IPSO* (vide ſimilitudinem aquæ ex fonte ſcaturientis) *NON MINVS, QVAM EX DEO ET PATRE.* Vbi proceſsionem Spiritus ſancti, inſtar aquæ, cognoſcit æqualiter ex Patre & Filio, tanquam ex vno fonte. Atque in libro 1. Diſputationum cum Palladio ait, Spiritum ſanctum ἐξ ἀμφοῖν προχεῖσθαι, *ex ambobus profluere.* quemadmodum, nimirum, aqua ex fonte profluit. Mitto aliorum PP. loca.

179 Alia Patrum teſtimonia ſunt, quæ per fontem intelligunt Patrem, per aquā Spiritum ſanctum ex ipſo ſcaturientem. Maximus Martyr Centuria I. cap. 4. appellat Patrem *genitorem Filij, Spiritus vero ſancti fontem.* Chryſoſtomus Homilia quadam de Spiritu ſancto, quæ habetur Tomo VI. copiosè & eleganter ait: Τίς δὲ ἡ δύναμις τοῦ ἐκπορεύεσθαι, &c. *Quænam vero eſt vis vocabuli proceſsionis? Vt generationis nomen Scriptura prætermittat, ne Filium appellet ipſum; Spiritum ſanctum nominat, qui ex Patre procedit. Inducit ipſum procedentē, VELVT AQVAM E FONTE MANANTEM, ſecundùm illud, quod de Paradiſo dictum eſt: Fluvius autem egreditur ex Edem; egreditur, & ſcaturit. PATER FONS AQVÆ VIVÆ DICITVR* *ſecun-*

ſecundùm Hieremiam. nimirum, verbis ſuprà allegatis. *Qui à Patre procedit. Quid procedit? Spiritus ſanctus. Quomodò? SIC TANQVAM AQVA DE FONTE.*

180. Denique alij indefinitè ajunt, Spiritum ſanctum ex Deo vt ex fonte procedere; non exprimendo ſingillatim, an eiuſmodi fons ſit Pater, an Filius, an vterque ſimul. Baſilius lib. 5. contra Eunomium loquens de Spiritu ſancto, inquit: οὐδὲν ἔχον ἐν ἑαυτῷ ἐπίκτητον, &c. *Nihil habens in ſe ipſo adventitium, ſed ex æterno habens omnia, tanquam Spiritus Dei, & ex ipſo progreſſus: PRINCIPIVM IPSVM HABENS, TANQVAM SVI FONTEM, INDEQVE SCATVRIENS. Sed & ipſe quoque eſt fons bonorum illorum, quæ recenſuimus. Verùm ille, qui ex Deo SCATVRIT, ſubſiſtens eſt. Hæc verò dona, QVAE EX IPSO MANANT, illius ſunt efficientiæ.* Quo loci patet, rationem huic voci πηγῆς, *fontis*, ſubiectam, exprimere vim τοῦ αἰτίου, *principij*, ſeu cauſæ: proindeque Spiritum ſanctum manantem de Deo vt fonte ſui, procedere ex ipſo, tanquam principio, aut cauſa ſui eſſe. Atqui eadem eſt ratio vt Dei nomine intelligatur Filius, ac Pater, ſicuti & nomine τῆς πηγῆς, cùm in neutro eorum opponantur invicem. Patet igitur, Spiritum ſanctum manare ſeu procedere ex Patre & Filio, tanquam ex vno principio & fonte. Similiter Auctor Dialogi illius ſecundi de Trinitate contra Anomœum, qui inter Athanaſij Opera editus invenitur, inquit: καὶ τὸ Πνεῦμα δὲ λέγομεν ἀγέννητον, &c. *Et verò Spiritum ſanctum ingenitum dicimus, quia effectorem non habet; non tamen principio carentem. Habet enim principium Deum, non vt effectorem, SED VT SVI IPSIVS FONTEM. Nam vti fons quam emittit aquam, eam non extrinſecus efficit, ſed a ſe ipſo ſcaturire faciens habet: SIC ETIAM DEVS EST FONS SPIRITVS SANCTI, vt dictum eſt, & præbitor ipſius; non ipſum extrinſecus aſſumens, ſed ex ipſo MANARE faciens.* Hactenus ille, in cuius verbis eadem energia invenitur, ac in præcedentibus Baſilij: vt Deus, proindeque Pater & Filius ſint πηγή, id eſt, fons Spiritus ſancti, tanquã τὸ αἴτιον, *principium* ipſius; non quidem efficiens; ſed παράγον, id eſt, manare aut ſcaturire faciens. Quorum omnium Patrum doctrina, aliorumque ſimiliter loquentium, habenda eſt præ oculis, ad intelligendum penitiùs ſenſum Anſelmi in hoc & præcedenti capite. Nunc ad literam illius explanandam accedamus.

181. *DILIGENTIVS CONSIDEREMVS*, &c. Iterum veſtigandum proponit, quomodo lacus ſit de fonte, pariterque de rivo: vt per hanc qualemcumque ſimilitudinem rei corporatæ & temporariæ cognoſcamus ſpiritualem & æternam illam Spiritus ſancti proceſſionem ex Patre & Filio. Etenim in eo exemplo multa inveniuntur, quæ vni Deo & tribus perſonis ſecundùm aliquam ſimilitudinem adaptantur: ſicuti Anſelmus ipſe ait in quadam Epiſtola ad Vrbanum II. Papam, præfixa libro de Incarnatione Verbi; quam ipſe S. Doctor indigitat hoc loco. Nimirum, vna eademque aqua eſt, quæ & fons, & rivus, & lacus dicitur: non tres aquæ, licèt ſint tres, fons, rivus, & lacus. Quare diſcernere oportet inter fontem, rivum, & lacum; & videre, quomodo ij tres cùm ſint, in vna aqua intelligantur. Scilicet, eadem omnino aqua in fonte de abyſſo aſcendens ebullit: in rivo de fonte deſcendens fluit: ac denique in lacũ colligitur, & manet. Itaque per fontem intelligitur aqua, prout de abyſſo ebulliens: per rivum eadem, quatenus fluens: per lacum eadem ipſa prout coadunatur & manet. Porrò ſi intentè ſingula conſiderentur, rivus non eſt de hoc vnde aqua dicitur fons, ſed de hoc quod fons eſt: nimirum, de ipſa aqua. Nec lacus eſt de hoc vnde aqua dicitur fons, aut rivus: ſed de aqua ipſa, quæ vna & eadem eſt in fonte & rivo. Neque enim rivus denominationem trahit à ſcaturigine, ſicut fons; nec lacus à fluxu, ſicut rivus; ſed ab aqua, quæ, ſive ſcaturiens in fonte, ſive fluens in rivo, eadem eſt, & in lacum colligitur. Ergo lacus non exiſtit de illo, in quo differunt fons, & rivus; nimirum, de ſcaturigine & fluxu; ſed de eo, in quo vnum ſunt; nempe de aqua: ac proinde lacus non magis aut minùs exiſtit de fonte, quàm de rivo. Atqui in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vna eſt eſſentia, vnus Deus, qui in Patre gignit, in Filio gignitur, in Spiritu ſancto ineffabili modo procedit. Ergo quemadmodum lacus non eſt de eo, vnde invicem differunt fons & rivus, ſed de aqua, in qua ſunt vnum: ita Spiritus ſanctus non exiſtit de illo, in quo Pater & Filius differunt; ſed de vna eademque eſſentia divina, in qua vnum ſunt. Igitur ſicut propter rationem dictam lacus non magis exiſtit de fonte, quàm de rivo, ita etiam nec Spiritus ſanctus magis procedit de Patre, quàm de Filio. Quæ certè ſimilitudo rationis aptiſſima eſt, & digna ingenio Anſelmi: conſonatque verbis Cyrilli ſuprà exſcriptis de Spiritu ſancto: *Profunditur autem ab ipſo* (Filio) *non minùs, quàm ex Deo & Patre.*

182. *QVOD SI DICVNT*, &c. Obijci poſſet, ſi Spiritus ſanctus procedit pariter ex Patre & Filio, illum exiſtere de duobus

bus principijs: quod videtur inconveniens. Quo argumento Græci Latinos impetebant, & ex illis præſertim Epiſcopus Nicomedienſis apud Hugonem Etherianum lib. 2. cap. 3. opponens, ſeu inferens ex ſententia Latinorũ, duo fore principia Spiritus ſancti, ſi à duabus perſonis oritur. *Quod enim* (aiebat) *aliquibus provenit, illa habet principia ex quibus provenit.* Vrgebat quoque idem argumentum Gemiſthus Pletho, inferens, *vel non eſſe ſimplex quippiam Spiritum ſanctum ſi ex duplici productione* (Græcè apud ipſum legitur, *δυεῖν προβολαῖν*) *exiſtit. Vel ſi vnica productione ambo illum emittunt; ſiquidem vt perſonæ ſunt, contractio quædam erit perſonarum & confuſio, & ad duas perſonas redacta erit Trinitas. Sin eſt, vt ſecundum communem eſſentiam producere dicatur, non erit eiuſdem, atque illi, eſſentiæ Spiritus ſanctus.*

183 Verum reſpondetur, quemadmodum Spiritus ſanctus non procedit de eo, in quo differunt Pater & Filius, ſed de eo in quo ſunt vnum, vt paulo antè dictum eſt: ita non procedere de ijs, tanquã de duobus principijs, ſed vno. Quæ eſt ſolutio Anſelmi hoc loco, & præoccupat obiectionem præiactam Græcorum, poſtea ab ijs in Concilio Florentino propoſitam, & à Patribus, tum Latinis, tum Græcis rectè ſentientibus ſolutam ex eadem Anſelmi doctrina. Etenim Spiritus ſanctus procedit ex Patre & Filio, re ipſa quidem diſtinctis perſonis: non tamen quatenus differunt perſonaliter, ſed prout ſunt vnum & idem in eſſentia, ac ſubinde in proprietate illa vtrique communi, quæ eſt vis ſpirandi; & vnica productione communicant eſſentiam, ac dant eſſe Spiritui ſancto. Quare nulla ſequitur duarum perſonarum confuſio: quoniam ſemper manent reipſa diſtinctæ ſuis proprietatibus relativis, paternitatis & filiationis; quamvis habeant rationem vnius principij in ordine ad ſpirandum, ſeu producendum Spiritum ſanctum. Quod ipſum in Concilio Lugdunenſi definitum poſtea fuit. Decretum verò Gregorij X. qui eidem Concilio præfuit, Græcè redditum, Conſtantinopolim, & ad alias Orientales vrbes miſſum, habetur apud Manuelem Calecam, libro contra Græcos cap. 39. illis verbis: *Γρηγόριος δέκατος ἐν τῇ κατὰ Λούγδουνον συγκροτηθείσῃ καθολικῇ συνόδῳ*, &c. Latinè autem ſic idem decretum habemus editum: *Gregorius Decimus in Concilio Generali Lugdunenſi: Fideli ac devota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, NON TANQVAM EX DVOBVS PRINCIPIIS, SED TANQVAM EX VNO PRINCIPIO, NON DVABVS SPIRATIONIBVS, SED VNA SPIRATIONE PROCEDIT. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit: hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet ſacroſanta Romana Eccleſia, mater omnium fidelium, & Magiſtra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter, & Græcorum, incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis in errores varios prolapſi ſunt; Nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere; ſiue etiam temerario auſu aſſerere, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tanquã ex duobus principijs, & non tanquam ex vno, procedat.* Hactenus Pontifex Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi definiens, veluti fide certam, doctrinam hoc loci traditam ab Anſelmo.

184 *QVIPPE CVM DICIMVS*, &c. Confirmat doctrinam ſolutionis traditæ exemplo Theologico, & ſanè aptiſsimo, operationum Dei, quibus efficit quælibet creata. Etenim ad illa molienda & efficienda concurrunt tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non vt tria principia, ſed veluti vnum principium, & vnus Creator: quia non operantur aliquid extra ſe per id, in quo diſtinguuntur, ſed per Omnipotentiam, in qua vnum ſunt. Quapropter licèt vnuſquiſque illorum ſit principium & Creator, non tamen tria principia, aut tres Creatores, ſed vnus. Cùm igitur Spiritus ſanctus non procedat ex Patre & Filio ſecundùm id, in quo differunt, ſed ſecundùm divinitatem & vim ſpirandi, in qua ſunt vnum omnino atque idem; conſequens eſt, vt de duobus quidem perſonis procedat; non tamen veluti ex duobus principijs, ſed vnico. Quo ipſo exemplo vſus fuerat in eandem rem explicandam S. Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 14. his verbis: *Si ergo & quod datur, principium habet eum, à quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab ipſo procedit; fatendum eſt Patrẽ, & Filium, principium eſſe Spiritus ſancti, NON DVO PRINCIPIA. Sed ſicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator, & vnus Dominus, ſic RELATIVE AD SPIRITVM SANCTVM, VNVM PRINCIPIVM: AD CREATVRAM VERO PATER, ET FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS, VNVM PRINCIPIVM, SICVT*

SICVT VNVS CREATOR, ET VNVS DOMINVS.

185 Nimirum, hæc eſt monarchia illa, ſive vnitas principij, quam ſiniſtrè à Catholicis exigebant Ariani, præſertim Euſebius dum Marcellum inſectabatur. Statuentes enim vnicum rerum omnium principium, negabant Filium eſſe conſubſtantialem Patri, ne admittere cogerentur plura principia ab antiquioribus hæreticis tradita. Verùm Ariani volentes vitare Charybdim vnius hæreſis, inciderunt in Scyllam alterius: quoniam non conſiderarunt, Patrem & Filium eſſe vnius eſſentiæ & poteſtatis, ſicuti & in cæteris, penes quæ non opponuntur relativè. Vbi autem vnius eſſentiæ & poteſtatis ſunt circa quælibet creanda, neceſſum eſt vt non ſint illorum duo principia, ſed vnum. Cùm igitur Pater, & Filius ſpirent, non quatenus relativè inter ſe opponuntur, ſed per eſſentiam & vim ſpirandi, quæ vna in ambobus eſt; non duo principia, ſed vnum, in ordine ad proceſsionē Spiritus ſancti ſunt.

186 *SI TAMEN DICI DEBET DEVS HABERE PRINCIPIVM, AVT CAVSAM.* Cùm præmiſsiſſet, Patrem & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti; nunc proponit dubitationem, an ita loqui liceat, vt Spiritus ſanctus aliquod principium, aut cauſam ſui, habere dicatur. Ratio autem dubitandi, ſeu reſpuendi eam locutionem eſt: Quia videtur Deo repugnare vt habeat principium aliquod ſui: cùm hoc ſit proprium rerum illarum, quæ incipiunt eſſe. Similiter cùm cauſa ſolùm dicatur in ordine ad effectum, & Spiritus ſanctus non ſit effectus alicuius (vtpote non factus) neque etiam cauſam ſui aliquam habere poteſt.

187 *QVONIAM TAMEN VERVM EST,* &c. Reſpondet obiectioni propoſitæ quoad priorem ſui partem, quæ eſt circa rationem principij: atque, quamvis ſubobſcurè, rationem principij ſolùm eſſe ſitam in eo, vt ſit illud, ex quo aliquid procedit, qualitercumque in reliquis ſe habeat. Cùm igitur Pater & Filius ſint verè id ex quo Spiritus ſanctus procedit; verè etiam, ſeu non incongruè dici poſſunt principium ipſius. Neque enim ad exponendam illam ineffabilem originem inveniuntur aliæ voces æquè aptæ, ac principij, & procedentis à principio, ſive comparando Patrem & Filium inter ſe, ſive vtrumque cum Spiritu ſancto. Dicitur enim Pater principium Filij, & ambo principium Spiritus ſancti, non duplex, ſed vnicum: ſicuti non eſt alius Deus Pater, de quo exiſtit Filius; nec alius Deus Pater & Filius, de quo Spiritus ſanctus habet eſſe: quamvis de eodem Deo, ſeu principio, habeant eſſe ſuo modo Filius & Spiritus ſanctus; ille quidem naſcendo, hic autem procedendo ſingulariter & ineffabiliter. Nimirum, cùm proceſsio multipliciter accipiatur, & ſit nomen valde commune, ſumitur proprio quodam & ſingulari modo circa Spiritum ſanctum, ſicut nativitas circa Filium. Ex quibus omnibus conſtat, non omne id quod habet principium ſui eſſe, habere initium: quoniam habere initium eſt illorum dumtaxat quæ fiunt, ſeu ex nihilo extrahuntur, vt ſint, ac proinde non erant, antequam exiſterent. Filius autem non fit à Patre, nec Spiritus ſanctus ab vtroque: neque quiſquam eorum è nihilo extractus fuit, vt eſſet: ſed ex æterno habuit eſſe, & divinitatem eandem ſui principij. Habuit ergo principiū ſui Filius, & ſimiliter Spiritus ſanctus: non tamen initium. quæ fuit dubitatio propoſita ab Anſelmo.

188 Quod vt pleniùs innoteſcat, obſervandum eſt, *τὴν ἀρχὴν*, id eſt, *principium*, ſeptem modis accipi ab Ariſt. *lib. 4. Metaph. cap.* 1. qui tamen omnes ad duos revocantur præcipuos; quorum alter eſt proprius, & ſignificat principia naturalia rei: alter improprius, & denotans ea, quæ ſolùm ex accidenti ſunt principia. Ratio verò principij vniversè, ſive abſtracta ab ijs ſeptem modis, aut differentijs, in hoc ponitur ab Ariſtotele, vt illud ſit principium rei, *ὅθεν ἢ ἔστιν ἢ γίνεται, ἢ γινώσκεται. Vnde aut eſt, aut fit, aut cognoſcitur.* Porrò ex ijs ſeptem differentijs, quod ad noſtrum inſtitutum attinet, ſolùm oportet conſiderare duas Patribus, & Theologis celebriores: quorum altera in eo ſolùm ſita eſt, vt principium ſit id, *à quo aliquid oritur*, quocumque id modo accidat, ſive in tempore, ſive ex æternitate: altera verò in eo conſiſtit, vt principium ſit initium exiſtendi, quo eſſe incipit res, quæ antea nō erat. Circa has duas principij acceptiones fuit acerrima illa inter Catholicos & Arianos cōtroverſia, quoniam aliter & aliter ab vtriſque in divinis admittebatur. Si enim *ἀρχὴ*, *principium*, accipiatur primo modo, Catholici fatebantur, Verbum habere principium; nimirum, Patrem à quo oritur: eademque eſt ratio de Spiritu ſancto relativè ad Patrem & Filiū. Si verò accipiatur ſecundo modo, Verbum non habet principium, ſed eſt *ἄναρχον*, id eſt, expers principij, ſicut Pater. Hoc ſenſu loquitur Cyrillus lib. 5. Theſauri, dum ait, *impiè loqui eos, qui ab initio aliquo cœpiſſe generare Deum aſſerunt.* Et ſtatim: *Vt Pater ipſe initio caret, minimeque factus eſt: ſic Verbum, quod ex ipſius ſubſtantia* pro-

proceſſit, initio carens, expers erit temporis, neque factum; vti nec ille, qui ipſum genuit. Itaque Catholico ſenſu Filius (idemque eſt de Spiritu ſancto) habet quidem principium, à quo oritur ex æternitate: non autem principium, ex quo habeat initium exiſtendi: cùm ſit coæternum ſuo principio. Ariani contrà ſolùm accipiebant in diuinis rationem principij ſecundo modo: quia putabant, nihil habens principium ſui, eſſe æternum; neque aliam eſſe principij vim, quàm vt faciat, & det initium alicui, quod antea non erat. Quare, cùm ſtatuerent, Filium habere principium, inferebant illum habuiſſe initium, ac proinde non eſſe Deum, ſed creaturam. Quem ſenſum impietate plenum ſatis denotant verba illa Arij & ſociorum in Epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, in quibus ita conqueruntur de Catholicis: *Nos ob id inſectantur, quod diximus:* ἀρχὴν ἔχει ὁ υἱὸς ὁ δὲ Θεὸς ἄναρχός ἐστι. *Principium habet Filius: Deus autem caret principio.* Propterea que Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium à Iacobo Gretſero in lucem edito, dixit, vocem τὸ ἀρχῆς, *principij, in magno ſignificationum ambitu fuiſſe.* Rationem reddit, & rem totam, in qua verſamur, optimè explanat: quia *interdum appellatio τοῦ ἀνάρχου (id eſt, carentis principio) non abhorret ab Vnigenito Filio. Nam quando in voce ἀρχὴ nihil intelligitur aliud, niſi id quod ex nullo penitus principio habet, vt ſubſiſtat; hoc ipſum ſolius eſſe Patris proprium confitemur. Cùm autem de reliquis principij ſignificatis inquiſitio ſit; quoniam & creationis principium eſt, & temporis, & ordinis; etiam in ijs Vnigenitum Filium omni principio ſuperiorem eſſe teſtamur; vt ſupra omne creationis principium, & temporis notionem, & ordinis conſecutionem, illum eſſe credamus, per quem omnia facta ſunt. Itaque quem ratione ſubſtantiæ non expertem eſſe principij putamus, in reliquis omnibus carere principio fatemur: & Patrem quidem principio carentem, & ingenitum: Filium vero principio quidem eo, quo diximus, modo carentem; non tamen ingenitum eſſe dicimus.* Huc uſque Nyſſenus ſcitiſſimè, ac maximè opportunè ad litteram Anſelmi illuſtrandam.

189 Similiter Nazianzenus, nec minùs Catholicè, vtramque principij acceptionem diſtinguit in diuinis perſonis Oratione I. de Filio, dum ait: *Et quomodo non ſunt ſimul cum Patre principij expertes, ſi coæterni ſunt? Quia inde procedunt; etſi non poſt illum ſint. Quod enim principio caret, æternum eſt. quod autem æternum eſt, non protinus caret principio, quandiu ad Patrem, veluti ad principium, refertur. Ergo illi, quantum ad cauſam, non carent principio.* Quibus verbis Filio & Spiritui ſancto tribuit, vt ſint expertes principij dantis initium, quia coæterni ſunt Patri: habeant verò principium, quatenus ex ipſo procedunt. Deinde Oratione XXXVI. ait: *Proprium eius, qui principio caret, nomen, Pater eſt: eius autem, qui citra vllum principium genitus eſt, Filius.* Vbi vox ἀρχὴ, & ἄναρχος, id eſt, principium, & expers principij, dupliciter accipitur: quoniam cùm Pater propriè appellatur *expers principij*, negatur de ipſo omne genus originis, ſeu proceſſionis ab alio, ſiquidem Pater à nullo procedit. Dum autem Filius dicitur carere principio, excluditur principium dans initium, ſiue creans; non autem generans. Itaque, vt ad rem noſtram, regrediamur, Pater & Filius ſunt quidem principium Spiritus ſancti; non tribuens initium, ipſi, qui coæternus ambobus eſt, ac proinde eo ſenſu ἄναρχος, inſtar vtriuſque: ſed ſolùm dans eſſe, ſiue ſpirans ex æternitate, & abſque vllo prorſus initio.

190 ID IPSVM INTELLIGITVR, &c. Quod nuper dixerat de ratione principij, id ipſum intelligi vult de ratione cauſæ: vt quemadmodum Pater dicitur principium Filij, & vterque ſimul principium vnum Spiritus ſancti: ita etiam Pater dicatur cauſa Filij, & vterque ſimul cauſa vna, non duplex, Spiritus ſancti. Non enim licet Patrem & Filiũ dicere duas Spiritus ſancti cauſas, ſed vnam: quemadmodum non duo dij ſunt, ſed Deus vnus, de quibus Spiritus ſanctus procedit. In qua doctrina Anſelmus, non ait ex animi ſententia Patrem debere dici cauſam Filij, nec Patrem & Filium eſſe Spiritus ſancti cauſam vnam: ſed permittit ita loqui, quoniam id familiare fuit Patribus Græcis, vt admitterent inter diuinas perſonas inuicem comparatas, non ſolùm rationem principij, & procedentis à principio, ſiue *principiati*, vt plerique loquuntur, ſed etiam αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ, *cauſæ, & cauſati*, vt familiaris in Scholis locutio eſt.

191 Circa quod obſeruare oportet, idipſum quod Græci ἀρχὴν *principium*, appellant, etiam ab ijs αἰτίου, vel αἰτίαν, id eſt, cauſam nominari: vt proinde Ariſtoteles lib. 4. Metaphyſicæ cap. 1. tam latè acceperit nomen cauſæ, quàm principij. Cùm enim explanaſſet plures principiorum differentias, ſubdit: ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται· πάντα γὰρ τὰ αἴτια ἀρχαί. *Toties autem cauſæ dicuntur, omnes enim cauſæ ſunt principia.* Quod tamen Aſclepius in Commentario eius loci

loci cenſet non fuiſſe traditum ex proprio ſenſu, ſed ex vulgari opinione: idque ex eodem Philoſopho in eo ipſo capite probat dicens: *Nam amplior principij ſignificatio eſt, quàm cauſæ. Ideo priore loco, & ante cauſam, commemorauit principium. Etenim quicquid eſt cauſa id ipſum & principium eſt: non tamen viciſsim quidquid eſt principium, id cauſa eſſe debet. Siquidem principium quod ratione ſitus dicitur, & viæ* (vt tradidit Ariſtot. eo loco) *principiũ quidem eſt, ſed cauſa eſſe non poteſt. Quare ad vulgi opinionem reſpiciens Philoſophus æqualiter patere dixit cauſæ vocabulum.*

192 Quidquid tamen ſit, an Ariſtoteles ex animi ſententia, an iuxta vulgi opinionem locutus fuerit, id certum eſt, plerumque apud Patres Græcos ſignificari vocabulo τȣ̃ αἰτίȣ, *cauſæ*, omne illud principium, ex quo aliquid procedit, ſeu accipit ſuum eſſe per realem influxũ, vt in Scholis loquimur: ac proinde Patrem ab ijs appellari, non modò principium, ſed & cauſam Filij, ſicuti & vtrũque, cauſam Spiritus ſancti. Id planè conſtat ex Baſilio de Græcis ſuis teſtante lib. 1. contra Eunomium, vbi ait ſuo atque ipſorum nomine: *Nos autem ſecundùm cauſarum habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium aſſerimus.* Ac præterea: *Vox ipſa Patris, quid aliud ſignificat, niſi hoc, quod CAVSA EST ET PRINCIPIVM eius, qui ex ipſo genitus eſt?* Similiter loquitur Nazianzenus Oratione XXIV. vbi tanquam præcipuum caput diſtinctionis perſonarum in divinis aſsignat rationem τȣ̃ αἰτίȣ, *cauſæ*. Vnde Elias Cretenſis in Commentarijs ad eum locum num. 13. inquit: *Vocat cauſam tam Vnigeniti Verbi, quam Spiritus ſancti, Patrem; non quidem effectricem, nec artificialem, ſed naturalẽ: illius, nimirum, vt Patrem: huius autem, vt productorem: ſic tamen, vt ipſe nec natura, nec tempore, nec vlla alia re præcedat.* Mitto plura alia Patrum Græcorum teſtimonia, quia obvia ſunt.

193 Latini Patres etiam interdum nomen cauſæ in divinis admittunt, quamvis non ita frequenter, ac Græci. Ex illis apertiſſimè loquitur Auguſtinus lib. LXXXIII. QQ. quæſt. 16. dicens: *Deus omnium, quæ ſunt, cauſa eſt: etiam ſapientiæ ſuæ cauſa eſt: nec vnquam Deus ſine ſapientia ſua. Igitur ſempiternæ ſuæ ſapiẽtiæ cauſa eſt ſempiterna: nec tempore prior eſt, quam ſua ſapientia.* Vbi Patrem nõ modò principium, ſed cauſam appellat, id eſt, originem ſapientiæ ſuæ, ſcilicet, Verbi. Hilarius quoque lib. 11. de Trinitate Patrem appellat *cauſam natiuitatis Filij.* Deinde lib. 12. differens de æterna Filij generatione, ait *Et ex cauſa, licèt perfecta, atque indemutabili, naſcens, neceſſe eſt ex cauſa in cauſæ ipſius proprietate naſcatur.* Victorinus Afer lib 1. adverſus Arium: *Pater,* inquit, *dedit Filio omnia, & cauſa eſt ipſe, vt ſit, vt iſto modo ſit.* Richardus Victorinus lib. 5. de Trinitate cap. 7. loquens de divinis perſonis ait, *quod non poteſt eſſe prius temporaliter, poſſe eſſe prius cauſaliter, & eo ipſo naturaliter:* ac præterea, *vnam perſonam eſſe cauſam alterius.* Deuique Anſelmus hoc loci eodem modò loquitur. Verùm ij Patres Latini pauci ſunt, & rarò in divinis vocabulum cauſæ admittunt: cùm tamen Græcis id commune & familiare fuerit. Propptereaque S. Thomas Opuſculo contra Græcos de Proceſsione Spiritus ſancti cap. 1. & 1. P. q. 33. art. 1. ait, frequens eſſe apud Græcos, minùs autem vſitatum apud Latinos, vt vna aliqua ex perſonis divinis dicatur cauſa alterius. Ideo Eugenius IV. in Concilio Florentino in litteris Vnionis, & ſeſſ. 15. definivit, *Filium eſſe, ſecundùm Græcos quidem cauſam, ſecundum verò Latinos principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem.* Quare Beſſarion Cardinalis Patriarcha Conſtantinopolitanus in Oratione pro Vnione, quæ habetur ad finem eiuſdem Cõcilij Florentini *cap. vlt.* poſtquam differens cum Græcis de proceſsione Spiritus ſancti vſus fuerat nomine τȣ̃ αἰτίȣ, *cauſæ*, ſolùm vt ijs morem gereret, ſubdidit: *Notandum quòd ſancti Patres Orientales, etiam in diuinis vtuntur nomine cauſæ & cauſati largo modo: non quidem, vt limitationem & dependentiam importat; ſed prout productionem & emanationem à principio eius, quod eſt à principio, ſignificat: ideo me etiam ad Græcos loquentem eiſdem nominibus vſum fuiſſe.*

194 Ratio autem cur Latini Patres maluerint in divinis vti vocabulo principij, quàm cauſæ, & hoc poſterius pauci aliquod vix admiſſerint, traditur à Divo Thoma loco nuper indicato: quoniam ſi Pater eſſet cauſa Filij (eademque eſt ratio vtriuſque in ordine ad Spiritum ſanctum) profectò eius cauſalitas deberet ſpectare ad ſolum genus cauſæ efficientis. Cùm verò cauſa efficiens debeat cõſtare diverſa eſſentia ab eo, quod fit; negârunt Patres Latini, Patrem eſſe cauſam Filij, ne viderentur in vtroque agnoſcere diverſam eſſentiam, ſed vnicam, contra quàm Arius ſenſit. Præterea ait, nomina eò magis habere locum in divinis, quò communiora ſunt; eò autem minùs, quò magis propria. Propterea

enim

enim nomen ὁ ὤν, *qui eſt*, maximè proprium eſt Dei, quia communius eſt, & quaſi indefinitè ſignificat *τὸ πέλαγος τῆς οὐσίας*, *pelagus eſſentiæ*, vt loquitur Damaſcenus. Ratio autem principij communior eſt, quàm cauſæ: ideoque plura dicuntur principia aliorum, quorum tamen cauſæ non ſunt. Meliùs itaque admittitur in Deo ratio principij, quàm cauſæ. Denique cauſa ſupra principium videtur addere dependentiam in effectu, qui proinde inferior eſſe debet. In divinis autem nulla perſona dependet ab alia, nec eſt inferior, aut ſuperior: *ſed omnes tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*, vt habetur in Symbolo S. Athanaſij. Non ergo in divinis vna perſona dicenda eſt cauſa alterius.

195 Verùm, quoniam Anſelmus hoc loco admittit vocabulum cauſæ in Patre circa Filium, & in vtroque relatè ad Spiritum ſanctum, ſicuti & nonnulli alij ex Patribus Latinis, & omnes Græci; occurrendum eſt rationibus præiactis, docendumque in divinis cauſalitatem ſpectare quidem ad ſolum genus cauſæ efficientis; non tamen propriè & directè, ſed indirectè, & per reductionem quandam. Nimirum, cùm nulla perſona ex divinis habeat eſſentiã diſtinctam ab alia, neque vllatenus ab alia dependeat, non habet in iis locum cauſalitas efficiens propriè dicta, quæ ſola directè ad id genus pertinet. Solùm itaque vna perſona dicitur à Patribus cauſa alterius, quatenus activè illam producit, ſive generando, ſive ſpirando perſonam, & communicando eandem omnino cum producente eſſentiam, abſque dependentia vlla in termino producto. Quo ſenſu, ſicuti vna perſona dici poteſt principium activum alterius, ita & in re appellari potuit cauſa activa alterius. Iam verò in Scholis ab aliquot ſæculis vocabulum cauſæ exolevit circa divinas perſonas, & invaluit nomen principij, quoniam magis alienum videtur ab illa ſuſpicione dependentiæ, & inæqualitatis, quæ frequenti hominum ſenſu videtur ſignificari in ratione cauſæ.

CAPVT VNDECIMVM.

OBIECTIO QVAEDAM GRAECORVM, EXTRICATA.

SI *Autem quæritur* cùm Dominus dixit: *Cùm venerit Paraclitus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, cur non addidit, & à Filio, vel à me, ſi ſic voluit intelligi? *Nõ eſt hoc inuſitatum* in dictis illius, vt cùm attribuit aliquid Patri, quaſi ſoli, vel ſibi, vel Spiritui S. velit in aliis intelligi, quod de vno loquitur. Nam cùm dicit: *Beatus eſt Simon Bar-iona, quia caro, & ſanguis, non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*: Nonne ipſe Filius, & Spiritus ſanctus intelligendus eſt revelaſſe cum Patre? Quoniam enim Pater non revelat per hoc, quia Pater eſt, ſed per hoc, quia Deus eſt, & idem Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; ſequitur, vt quod revelat Pater, revelet Filius, & Spiritus ſanctus. Item cùm dicit: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius: & cui voluerit Filius revelare*; quaſi ſolus Filius cognoſcat, & revelet Patrem, & ſe, & ſolus Pater cognoſcat Filium: intelligendum eſt ibi, revelare, & noſſe tribus perſonis eſſe commune: quoniam non per hoc, quòd alij ſunt abinvicem, ſed per hoc, quod vnum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, cognoſcunt, & revelant. Cùm etiam dicit, Patrem noſſe Filium, & Filium noſſe Patrem, & revelare ſe, & Patrem; apertè vult intelligi, quia Pater cog-

noſcit Spiritum ſanctum, & Filius noſcit, & revelat Spiritum ſanctum: quoniam idipſum, quod eſt Pater & Filius, eſt & Spiritus ſanctus. Similiter cùm dicit: *Qui me videt, videt, & Patrem*; non eſt ſeparandus Spiritus ſanctus: quoniam, qui videt hoc, vnde vnum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, non poteſt videre vnum de his tribus, ſine alijs duobus. De Spiritu ſancto dicit quoque ad Apoſtolos: *Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; quaſi ſolus Spiritus ſanctus doceat omnem veritatem: cùm nec ſine Patre, nec ſine Filio doceat omnem veritatem. Non enim per hoc, quòd eſt ſpiritus alicuius, ſcilicet, Patris, & Filij ſpiritus; ſed per hoc, quòd vnum eſt cum Patre, & Filio; id eſt, per hoc quòd Deus eſt, docet omnem veritatem. *Videtis igitur quomodo* in his, quæ propoſui, vni, quaſi ſoli attribui, ab alijs non poſſit perſonis ſeparari. Multa huiuſmodi in ſacra Scriptura legimus. vt quod de vna perſona ſingulariter dicitur, indifferenter de tribus intelligatur. Quidquid enim de vna perſona pronuntiatur, de alijs pariter oportet intelligi: niſi cùm hoc, vnde aliæ ſunt (vt dixi) abinvicem obviare cognoſcitur. Quapropter cùm credimus, Spiritum ſanctum de Patre procedere, quoniam Deus de Deo, id eſt, eſſentia Spiritus ſancti, de eſſentia Patris, quæ vna eſt, in tribus eſſe intelligitur; neceſſe eſt, vt de Filio eum ſimiliter eſſe confiteamur, ſi Filius non eſt de illo. De hoc enim eſt Spiritus ſanctus, quod eſt Filius, & quod eſt Pater.

SCHOLIA IN CAPVT XI.

Proceſsionem Spiritus ſancti à Filio non excludi verbis illis Scripturæ, aut Patrum, in quibus ſolùm fit mentio proceſſionis à Patre. Illuſtria ex ſacris litteris loca in id confirmandum, ab Anſelmo expenſa, aliorum Doctorum expoſitionibus redduntur clariora.

197 S*I AVTEM QVÆRITVR*, &c. Obijcit ſibi præcipuum Græcorum argumentum, deſumptum ex verbis illis Chriſti Ioannis 15: *Cùm venerit Paraclitus Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.* Non dixit *a Filio*, ſed *a Patre*. Dixiſſiſſet autem vtrumque, ſi ab ambobus procederet: nec vlla erat cauſa, ſive ratio ſubticendi. Dum igitur ſilentio premit proceſsionem Spiritus ſancti à Filio, videtur illam implicitè negare. Quod argumentum Photius, Latinæ Eccleſiæ infeſtus hoſtis, appellabat *acutum & inevitabile telum*: vt conſtat ex illo libro, quem adverſus Nicolaum I. ſcripſit, cuius mentio fit in Actis Synodi VIII. Generalis. Et, vt refert Hugo Etherianus *lib. 2. cap. 15.* ille ipſe, ſic adverſus Latinos declamatorio more arguebat: *Ex Patre Filius Spiritum procedere adſtruit; & in auctorem quæris, per quem facias; immo perficias impietatem, dum fabularis Spiritum ex Filio procedere?* Similiter eodem argumento vtitur Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha adverſus Latinos in Reſponſo ſecundo ad Vuittembergenſes, pag. 102.

198 *NON EST HOC INVSITATVM*, &c. Reſpondit Anſelmus, non eſſe inuſitatum in verbis Chriſti, vt quod ille attribuit vni alicui ex perſonis divinis, intelligatur pariter attributum alteri, aut reliquis duabus: proindeque locum eſſe, vt quando ait, Spiritum ex Patre procedere, ſit ſenſus pariter procedere ex Filio. Rem illuſtrat pluribus ſacræ Scripturæ teſtimonijs, in quibus intelligitur dictum de pluribus perſonis, quod de vna nominatim legitur.

199 Primum teſtimonium deſumit ex verbis Chriſti Math. 16. *Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & ſanguis non revelavit*

lavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Vbi neceſſariò ſubintelligendus eſt ipſe Filius & Spiritus ſanctus idipſum revelaſſe ſimul cum Patre. Non enim Pater revelat, ſive manifeſtat aliquid Simoni, aut cuivis alteri ex rationalibus creaturis, ſecundùm id, quo Pater eſt; nimirum, ſecundùm paternitatem: ſed penes id, quo Deus eſt; nimirum, ſecundùm divinitatem. Cùm igitur divinitas ſit eadem omnino in Patre, Filio, & Spiritu ſancto; quidquid dicitur revelari à Patre, intelligi debet revelatum à duobus reliquis, quamvis id non exprimatur in littera. Quo ſenſu par eſt interpretari Rupertum Abbatem *lib. 2. de Glorif. Trinitatis cap. 2. & ſeq.* vbi vult, verbis illis, *Qui à Patre procedit*, non intelligendam eſſe *Patris* nomine perſonam primam, ſed divinitatem: quia non eſt additum pronomen *meo*, vt diceret Chriſtus, *Qui à Patre meo procedit*. Hanc expoſitionem reijcit Petavius, vt abſurdam: quaſi Rupertus intellexerit, vbi Pater abſolutè ponitur, ſine pronomine *meus*, totam Trinitatem eſſe interpretandam. Sed enim vir eruditiſsimus potuit facilè eximere Rupertum ab eo nævo, vt eius ſenſus ſit, in his verbis Chriſti non intelligi primam perſonam, penes id, quo prima perſona eſt; nimirum, penes paternitatem: ſed penes divinitatem, quæ eadem omnino eſt in Patre, & in Filio; & per eandem vtriuſque vim ſpirativam eſt principium, quo Spiritus ſanctus producitur. Id verò totum eſt, quod Anſelmus impræſenti docet.

200 Secundum teſtimonium advocat ex verbis illis Math. 10. *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius: & cui voluerit Filius revelare.* Quæ iam ſuprà expenſa ſunt *cap. 7.* & in Seholijs *à num. 155.* Vbi in ſpeciem ſignificatur Patrem à ſolo Filio cognoſci, & revelari; Filium quoque à ſolo Patre cognoſci. Atqui reipſa intelligi debet ibidem cognitio & revelatio, non vt aliquid peculiare alicui divinæ perſonæ, ſed veluti commune tribus. Non enim cognoſcunt aliquid, aut revelant penes proprietates perſonales, quibus differunt; ſed penes abſolutam perfectionem, in quâ conveniunt, & ſunt vnum atque idem. Igitur ſimiliter, quando Chriſtus ait, Spiritum ſanctum à Patre procedere, locus eſt vt intelligatur, non de Patre ſecundùm proprietatem perſonalem; ſed ſecundùm id, in quo eſt vnum atque idem cum Filio. Vnde hunc locum, & illum præcedentem à Græcis pro ſe adductum, coniungit Epiphanius in Ancorato N. 72. & Hæreſi 74. dicens: εἰ τοίνυν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, &c. *Si igitur à Patre procedit, & de meo, vt ait Dominus, accipiet, quemadmodum nemo novit Patrem, niſi Filius; neque Filium, niſi Pater: ita dicere audeo, neque Spiritum, niſi Pater, & Filius, a quo procedit, & a quo accipit: & neque Filium ac Patrem, niſi Spiritus ſanctus; qui verè glorificat, qui docet omnia, qui teſtatur de Filio; qui a Patre, & ex Filio.*

201 Tertium teſtimonium eruit ex verbis Chriſti apud Ioannem cap. 14. *Qui videt me, videt & Patrem.* Vbi non licet ſeparare ab obiecto viſionis Spiritum ſanctum: quoniam quiſquis videt eſſentiam, in qua Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt vnum atque idem, nequit non videre omnes tres perſonas. Sicuti enim nulla ex ijs videri poteſt, quin videatur eſſentia, quæ eſt eadem cum perſona qualibet: ita neque eſſentia videri poteſt, niſi tres perſonæ videantur, cum quibus illa vnum atque idem eſt. Neque enim audiendi ſunt Ariani, & Anomœi, atque ipſorum parens Origenes, qui exiſtimàvit Patrem à Filio non videri, id eſt, non clarè intelligi; ſicuti nec Filium à Spiritu ſancto. Ariani quoque ipſi, & Anomœi, arbitrati ſunt, Patrem non cognoſci perfectè à reliquis duabus perſonis. Patres verò contra diſputabant; quia Filius eſt perfecta & exacta Patris imago, à qua nihil abſit eorum, quæ in Patre ſunt, vt proptereà nequeat alter videri, quin & alter videatur. Exindeque contra eoſdem hæreticos probabant, dicem iudicij perſpectum eſſe Filio: quoniam cui notus eſt Pater, nequit aliquid aliud eſſe ignotum. Hinc autem planè colligitur ex mente Patrum, non poſſe videri perſonam aliquam divinam, niſi reliquæ videantur: quod & planè pronũtiat Anſelmus. Sed de hoc latiùs Tomo II. Diſp. LXVIII. vbi nos ſententiam eandem amplexi fuimus.

202 Quartum teſtimonium affert ex cap. 16 Ioannis, vbi Chriſtus loquens de Spiritu ſancto, ait: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* quaſi ſolius Spiritus ſancti ſit omnem veritatem docere. Atqui non propterea intelligitur excluſio aliqua Patris aut Filij: cùm docere omnem veritatem, tribus perſonis commune ſit. Nimirum, Spiritus ſanctus non docet omnem veritatem, quatenus procedit à Patre & Filio, tanquam Spiritus vtriuſque; ſive, quod perinde eſt, quatenus ab vtroque diſtinguitur ſecundùm proprietatem perſonalem: ſed prout eſt vnum atque idem cum vtroque, ſive vnus Deus, cuius eſt omnem veritatem revelare. Similiter ergo, quamvis Spiritus ſanctus dicatur procedere à Patre, nõ ideo excludendus eſt Filius: cùm locus ſit vt

Spiritus ſanctus à Patre procedat; non quà Pater eſt, & à Filio diſtinguitur; ſed prout eſt vnum & idem cum ipſo in virtute ſpirandi.

203 *VIDETIS IGITVR, QVOMODO*, &c. Ex præiactis Scripturæ teſtimonijs colligit Anſelmus, ſæpe in ſacra Scriptura tribui vni perſonæ, quod reliquis quoque commune eſt indifferenter, nec ab ij ſeparari poteſt. Quidquid enim de vna aliqua ex divinis perſonis dicitur, de alijs quoque oportet intelligi, niſi obviet aliqua relationis oppoſitio: vt ſupra dictum fuit capite tertio, & in Scholijs à num. 36. Atqui in hoc quod eſt, Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicuti à Patre, nulla inter Patrem & Filium relationis oppoſitio intercedit. neque enim Pater prout ſpirans tertiam perſonam opponitur Filio relativè. Ergo dum de Spiritu ſancto dicitur procedere à Patre, etiam à Filio procedere exiſtimandus eſt quoniam eſſentia & virtus ſpirādi in vtroque eſt vna. Nimirum quod in illo loco aſſeritur de Patre nominatim, intelligi pariter debet de Filio, quatenus vnum cum Patre eſt.

204 Hanc ipſam regulam Anſelmi, Scripturæ teſtimonijs luculenter ab ipſo comprobatam tradunt alij Patres, & inter eos Paſchaſius Diaconus lib. 2. cap. 4. ex doctrina Auguſtini. *Nam cum vnum*, inquit, *ſine alio dicitur, tacetur alterum, non negatur: ſecundùm illam regulam, quam Antiſtes Auguſtinus inſinuat: NON OMNIA, QVÆ TACENTVR, NEGANTVR.* Vnde neque aliqui ex Patribus dum aiunt Spiritum ſanctum à Patre procedere, propterea negant proceſsionem eius à Filio. Quare nullius eſt momenti quod ait Gloſſa ad legem ſecundam de Summa Trinitate & Fide Catholica. Cùm enim ibidem Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius, dicunt, ſe *Spiritum ſanctum ex ſummo rerum Parente & ſperare, & accipere*, ſubdit auctor Gloſſæ, illos loqui *ſecundùm Græcos. Vnde dic quòd Græcus fecit iſtam legem.* At id abſurdè notatum fuit. Non enim Græci modò, ſed Latini quoque ita loquuntur interdum. Quippe Bernardus Serm. 4. in Vigiliam Nativitatis Domini inquit: *Fontem aſsigna Patri, ex quo naſcitur Filius, & procedit Spiritus ſanctus.* Similiter Pelagius I. Pontifex, prædeceſſor Magni Gregorij, in Epiſtola ad Childebertum Regem Francorum, Fidei confeſſionem tradens, ait, *Spiritum ſanctum ex Patre intemporaliter procedentem, Patris eſſe, Filijque Spiritum.* Sicut & alij ex Latinis Patribus ita loquentes, quorum loca omitto. Non ergo Græci dumtaxat, vt Gloſſa ait.

205 Denique Auguſtinus, Eccleſiæ ac Theologiæ lumen longè clariſsimum, aliam rationem reddidit, ne in illis verbis, *Qui à Patre procedit*, Filius excluſus videatur. Etenim tract. 99 in Ioannem inquit: *Si ergo & de Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit, DE PATRE PROCEDIT? Cur putas, niſi quemadmodum ad eum ſolet referre & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? Vnde illud eſt, quod ait, MEA DOCTRINA NON EST MEA, SED EIVS QVI MISSIT ME. Si igitur intelligitur hic eius doctrina, quam tamē dixit non ſuam, ſed Patris: quanto magis illic intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, vbi ſic ait, DE PATRE PROCEDIT, vt non diceret; De me non procedit? A quo autem habet Filius, vt ſit Deus (eſt enim de Deo Deus) ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus ſanctus: ac per hoc Spiritus ſanctus, vt etiam de Filio procedat, ſicut procedit à Patre, ab ipſo habet Patre.* Quod ipſum docet lib. XV. de Trinit. cap. 27. & lib. III. contra Maximinum cap. 14. Verùm ea ipſa ratio revocatur in vnam Patris ac Filij eſſentiam, in qua nititur Anſelmus hoc loco, ad interpretationem illius teſtimonij à Græcis obiecti.

CAPVT DVODECIMVM.

Inſtantia quædam adverſus doctrinam capitis præcedentis, ſoluta.

SED Dicet aliquis: Ideo intelligimus Filium, & Spiritum ſanctum revelare, quod ſolus Pater revelare dicitur; & Patrem, & Spiritum ſanctum revelare, & noſſe, quod ſolus Filius facere dicitur; & Patrem, & Filium docere, quod ſolus Spiritus ſanctus doctum ire promittitur: quia, quod de vno ſolo, in vno loco legitur, de alijs alibi apertè ſignificatur. Cùm verò dicit, Spiritum S. de

Pa-

Patre procedere, non legimus alicubi, cum de Filio procedere. Per quòd monemur, non noſtro ſenſu, quod nuſquã dictum eſt, aſſerere. *Ad quod reſpondemus*, quia potiùs docemur per hæc, quæ ſic dicta ſunt, ea quæ in ſimilibus dictis tacentur, ſimiliter intelligere: præſertim cùm ex his, quę dicuntur, nulla ratione contradicente, ea, quæ non dicuntur, rationabili neceſsitate conſequi apertiſsimè viderimus. Cùm enim dicit Dominus ad Patrem: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: An ideo debemus ſeparare ab hac ſalubri & vitali cognitione Spiritum S. quia nuſquam legitur: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant Patrem ſolum verum Deum, & Spiritũ ſanctum? Aut, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant Filium ſolum verum Deum, & Spiritum ſanctum? Aut, cùm legimus: *Quia ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit, & Filio vitam habere in ſemetipſo*; dicemus Spiritum S. non habere à Patre, à quo eſt, vt habeat in ſemetipſo vitam, ſicut habet Pater, & Filius, quoniam hoc nuſquam dicit Filius de Spiritu ſancto, ſicut de ſeipſo? Item cùm dicit: *Pater in me eſt, & ego in Patre*; &, *Qui videt me, videt, & Patrem*; an negabimus Spiritum S. eſſe in Patre, & Filio, & Patrem, & Filium eſſe in Spiritu ſancto? Aut, eum, qui videt Filium, videre Spiritum ſanctum, ſicut videt Patrem; ſi hæc non eadem pronuntiatione leguntur, qua de Patre, & Filio proferuntur? *Immo, quoniam vnus* idemque Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. cùm dicitur, cognoſcere ſolum verum Deum, Patrem, & Filium, eſſe vitam æternam, inſeparabiliter intelligendus eſt in illa cognitione Spiritus S. Et cùm legimus: *Quia ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam in ſemetipſo*: non debemus vitam eandem exiſtimare alienam à Spiritu ſancto, aut quod illam non à ſemetipſo habeat. Et cùm audimus: *Pater in me eſt, & ego in Patre, &, Qui me videt, videt, & Patrem*: cognoſcere debemus per hæc, quæ ita dicuntur, quia Spiritus ſanctus non eſt extra Patrem & Filium, aut Pater & Filius extra Spiritum S. quia per viſionem Filij videtur Spiritus ſanctus, ſicut & Pater. Sicut enim non eſt alius Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus S. ſic non habet Deus in ſe ipſo aliud, quàm Deum. non eſt Deus extra Deum: neque Deus diſsimilis Deo.

Ioan. 17. v. 3.

Ioan. 5. v. 26.

Ioan. 14. v. 9. 10. & 11.

DENIQVE Non legimus in Propheta, aut Euangeliſta, aut Apoſtolo his verbis, Deum vnum eſſe tres perſonas, aut vnum Deum eſſe Trinitatem, aut Deum de Deo. Sed neque illo Symbolo in quo non eſt prolata proceſsio Spiritus S. de Filio, inuenimus nomen perſonæ, vel Trinitatis. Quoniam tamen ex his, quæ legimus, hæc apertiſsimè ſequuntur: conſtanter ea, & corde credimus, & ore confitemur. Quare non tantùm ſuſcipere cum certitudine debemus, quæ in ſacra Scriptura leguntur: ſed etiam ea, quæ ex his, nulla alia contradicente ratione, rationabili neceſsitate ſequuntur.

SCHOLIA IN CAPVT XII.

Proceſsionem Spiritus Sancti ex Filio intelligi debere, etiam in ijs Scripturæ locis, in quibus tacetur. Alia teſtimonia in id probandum expenduntur; præſertim illud Ioannis 14. Ego in Patre, & Pater in me eſt: *ex quo Anſelmus, & alij Patres, περιχώρησιν, diuinarum perſonarum probat, id eſt, circuminſeſsionem. Illuſtratur latè ſententia Anſelmi.*

107 SED DICET ALIQVIS, &c. Adverſus ea quæ docuit ſuperiori capite, proponit hanc difficultatē, quâ videntur enervari quæcumque ibidem dicta ſunt ex varijs Scripturæ locis. Vt enim oſtendatur Filium non excludi, dum dicitur Spiritum ſanctum à Patre procedere, allata ſunt teſtimonia varia Scripturæ, in quibus, quod de vna aliqua perſonarum divinarū nominatim dicitur, de alia quoque, aut etiam de duabus reliquis ſubintelligitur. Atqui ea omnia præter rem adducta videntur: ſiquidem quod in ijs locis tribuitur vni perſonæ, in alijs Scripturæ teſtimonijs tribuitur etiam perſonis reliquis. Quod enim Pater revelaſſe dicitur Simoni Bar-iona, aut ſolus noviſſe Filium, aut videri viſo Filio; aut Spiritum ſanctum docere omnem veritatem (quæ ſunt quatuor loca ibidem ab Anſelmo expenſa) conſtat planè ex alijs Scripturæ teſtimonijs, eſſe commune tribus divinis perſonis, ideoque nulla earū excluditur. At verò id locum nō habet in verbis illis Chriſti de Spiritu ſancto dicentis: *Qui à Patre procedit.* Nullus enim præterea locus Scripturæ eſt, in quo aſſeratur, Spiritum ſanctum etiam procedere à Filio. Igitur putandus eſt procedere à ſolo Patre: vt Photius, & Hieremias Patriarcha, alijque ex Græcis contendebant eo teſtimonio innixi.

108 *AD QVOD RESPONDEMVS,* &c. Occurrit difficultati Anſelmus, & inſtaurat doctrinam præcedentis capitis, ex qua convincitur, quæ in ijs, & ſimilibus teſtimonijs tacentur, neceſſariò intelligi in ijs debere comprehenſa, quoties nulla ratio vrget in oppoſitum: propterea que quidquid de vna aliqua perſona ex divinis nominatim dicitur, de reliquis quoque tradi, vbi nulla relationis oppoſitio obviat. Quamvis verò in id probandum ſufficerent teſtimonia ibidem propoſita, adhuc ſubijcit quædam alia, quibus res fiat illuſtrior. *Primum* deſumit ex verbis Chriſti Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti IESVM-CHRISTVM.* Vbi videbatur excludi à vera divinitate Spiritus ſanctus, quoniam nullibi in Scripturis legitur: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant Patrem ſolum verum Deum, & Spiritum ſanctum. *Secundum* teſtimonium habetur Ioannis 5. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ita & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo.* Quod tamen de Spiritu ſancto nuſquam invenitur dixiſſe Chriſtus: ac proinde videbatur ipſi negandum, quòd vitam in ſemetipſo habeat. *Tertium* eſt apud eundem Ioannem cap. 14. vbi Chriſtus ait: *Ego in Patre, & Pater in me eſt:* & præterea: *Qui videt me, videt & Patrem.* Vbi in ſpeciem colligere licet, nec Patrem nec Filium eſſe in Spiritu ſancto, & è converſo: nec Spiritum ſanctum videri ab ijs, qui vident Patrem & Filium: quoniam Chriſtus in ijs pronuntiatis ſiluit nomen Spiritus ſancti, neque alicubi talia dixiſſe legitur.

109 *IMMO QVONIAM VNVS,* &c. Refellit illationes eiuſmodi, tanquam abſurdas quoniam etiam in ijs tribus locis, quod de Patre & Filio dicitur, pariter de Spiritu ſancto dictum cenſetur, quamvis nec in ijs, nec alibi à Chriſto expreſſum inveniatur. Per hoc enim quòd Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſint vnus Deus, manifeſtè probatur, quidquid in ijs teſtimonijs de vno aliquo illorum dicitur, de reliquis quoque intelligi debere. Nulla quippe relationis oppoſitio obviat inter divinas perſonas, quantum ad id quod in prædictis locis aſſeritur de vna aliqua: ſicut neque in tribus teſtimonijs nuper ex Ioannis Evangelio adductis. Quod patet excurrendo per ſingula. Cùm enim dicitur, vitam æternam ſitam eſſe in cognoſcendo Patrem ſolum verum Deum, & IESVM Chriſtum, neceſſariò intelligitur etiam Spiritus ſanctus: quoniam in ratione obiecti beantis nullam eum ijs oppoſitionem relativam habet. Ideoque neceſſum eſt vt qui videt vnam ex perſonis divinis, videat & reliquas, iuxta ea quæ latè diximus Tomo II. Diſp. LXVIII. præſertim ſectione quinta. Cùm Pater dicitur vitam habere in ſemetipſo, & Filio dediſſe vt vitam habeat in ſemetipſo; id etiam de Spiritu ſancto intelligi debet, quia eandem divinitatem & vitam cum ijs habet, nec penes illam ab aliquo eorum differt. Cùm denique aſſeritur Patrem eſſe in Filio, & Filium in Patre; etiam intelligendum eſt Spiritum ſanctum eſſe in vnoquoque eorum, & è converſo: cùm ij tres invicem ſe videant eâdem viſione. Cùm enim non ſit alius Deus Pater, alius Deus Fi-

Filius, alius Deus Spiritus ſanctus, ſed vnus omnino idem Deus, nequit vna aliqua ex ijs perſonis eſſe in alia, quin & reliquæ, tum reipſa, tũ & in ratione obiecti viſi. Neque enim Deus in ſe ipſo poteſt habere aliud, quàm Deum: nec Deus eſſe extra Deum, nec Deus eſſe Deo diſsimilis.

210 Nimirum, hæc eſt illa περιχώρησις à Patribus Græcis tradita, à Latinis de Schola Theologis *circuminſeſsio* dicta, in divinis perſonis: quoniam in ſe invicem ſunt, & vnaquæque earum non minùs eſt in reliquis duabus, quàm in ſeipſa, ratione eiuſdem omnino divinitatis, ſeu eſſentiæ. Illam verò Anſelmus hoc loco, & cæteri Patres colligunt ex nuper allegatis verbis Chriſti: *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Scilicet, cùm eadem ſit ſubſtantia, ſive eſſentia trium perſonarum, nequit non eſſe inter eas ſumma ac mutua coniunctio, non ſolùm ſecundùm immenſitatem, ſive præſentiam, vt vbi eſt vna illarum, ſint reliquæ inſeparabiliter; ſed etiam ſecundùm nexum ſubſtantialẽ & eſſentialẽ: prout Anſelmus in præſentiarũ ſignificat. Id verò iã antè tradiderat Athanaſius Orat. IV. adverſus Arianos in illa Verba Chriſti: *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quæ ſic exponit: *Eſt enim Filius in Patre, quatenus intelligere licet, eo ipſo, quòd totum id, quod eſt Filius, ſubſtantiæ Patris proprium eſt,* &c. Ac paulò poſt: *Nam cùm id quod proprium eſt, nempe divinitas Patris, ſit eſſe Filij; conſequẽs eſt vt & Filius in Patre ſit, & Pater in Filio. Etenim propterea meritò cùm ante dixiſſet, Ego & Pater vnum ſumus, adiecit, Ego in Patre, & Pater in me eſt: VT ET IDENTITATEM DIVINITATIS, ET SVBSTANTIÆ VNITATEM OSTENDERET.* Similiter Cyrillus lib. 1. Commentar. in Ioannem eodem, quo Anſelmus, ſtylo, ait Filium eſſe in Patre, & Patrem in Filio, viderique alterum in altero, οὐ γὰρ δήπου κατὰ μόνην τὴν ὁμοιότητα τῆς οὐσίας, &c. *non propter ſolam ſimilitudinem ſubſtantiæ; vt & Filium in Patre velut characterem contemplemur; aut velut archetypum in Filio Patrem: verùm & Filium per generationem è Patris emicantem ſubſtantia, & ex ea propriè exiſtentem, ac ſubſiſtentem, Deum Verbum profitebimur: Patrem rurſus in Filio; tanquam in conſubſtantiali fœtu.* Vnde idem Cyrillus apud Euthymium Panopliæ Parte 1. Tit 11. definiens eandem περιχώρησιν, *circuminſeſſionem*, inquit: *Alicubi Saluator ait, ſe in Patre eſſe quidem ipſum, & in ſe ipſo eſſe ſimiliter Patrem. Verùm perſpicuum id omnibus eſt, non ſic intelligendum hoc eſſe, vti, tanquam corpus in corpore; vel vas in vaſe, ita Pater in Filio capiatur; vel Filius viciſsim quodammodo immittatur in Patrem. Sed hic in illo, & in hoc ille videtur; PRO IDENTITATE SVBSTANTIÆ, NVLLA RE DIFFERENTE, ET NATVRALI VNITATE AC SIMILITVDINE.* In quibus circuminſeſsionem perſonarum divinarum non ſecundùm præſentiam loci, aut incluſionem vnius in altero, quæ per idem *vbi* à Philoſophis explanari ſolet, ſed per ſubſtantivam identitatem eiuſdem prorſus eſſentiæ declarat. Dionyſius quoque ijs omnibus longè antiquior lib. de Divinis nomin. cap. 2. dum exponit ea quæ communia ſunt tribus perſonis, & diſtincta, περιχώρησιν eandem definit, dicens: *Vna eſt, & communis mutua in ſe invicem, ſi ſic loquendum eſt, vniprincipalium hypoſtaſeon manſio, & ſtabilitas, vniuersè ſupra omnem modum vnita, ac nulla parte confuſa.* Quod ibidem aliquali exemplo illuſtrare pergit, & concludit: *Illam ſuperſubſtantialem vnionem eminere ducimus; non modò ſupra vniones illas, quæ cernuntur in corporibus, ſed eas etiam, quæ in animabus ipſis, & in ipſis mentibus exiſtunt.* Itaque περιχώρησις, id eſt, *circuminſeſsio*, ex mente Græcorum Patrum, longè maior eſt, quàm ſecundùm indiſtantiam, ſeu præſentiam loci eiuſdem, quæ etiam inter corpora & ſpiritus mutua inveniri poteſt. Etenim perſonæ divinæ non eo dumtaxat modo ſibi præſentes invicem ſunt, ſed etiam ſubſtantivo nexu, ex identitate eiuſdem omnino ſubſtantiæ & naturæ.

211 Similiter Latini Patres eandem Anſelmi doctrinam tradunt de circuminſeſsione divinarum perſonarum, vt vnaquæque illarum invicem ſit in alia ſecundùm identitatem ſummam eiuſdem naturæ, veluti ſubſtantivum nexum. Ita Hilarius lib. 7. de Trinitate ſub finem, inquiens: *Vt cùm Patrem noſceremus in Filio, Filium tamen eſſe meminiſſemus in Patre; ne transfuſio potiùs in alterum exiſtimaretur, quàm per generationem nativitatemque vnitas eiuſdem in vtroque naturæ,* &c. Et lib. 8. eiuſdẽ Operis ait: *Pater in Filio eſt, & Filius in Patre, PER INSEPARABILIS NATVRÆ VNITATEM.* Ac denique lib. 9. *Credendus eſt Pater in Filio, & Filius in Patre, PER NATVRÆ VNITATEM, PER VIRTVTIS POTESTATEM, PER NATIVITATIS GENERATIONEM.* Chryſologus quoque Sermone 88. ſibi obijciens hæretici cuiuſdam argumentum, contendentis non fore alium Patrem à Filio,

ſi alter viciſsim in altero eſt, inquit: *Sed dicis, & ſi in ipſo eſt, quomodo eſt alius? Hæretice, ſic eſt alius perſona, vt ſit ipſe ſubſtantia: ſic eſt ipſe ſubſtantia, vt nulla ſit confuſio Trinitatis. Sic eſt vnitas Trinitatis, vt nulla ſit in deitate diſtantia: ſic in ſe eſt, & ſine ſe tota Trinitas non eſt, vt inſit in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, perſonalitas definita, non ſeparata diuinitas.* Vbi rationem potiſsimam & immediatam cur vna perſona ſit in alia, ſitam ait in identitate ſubſtantiæ, ſive deitatis. Fulgentius ſimiliter lib. 3. adverſus Monimum cap. 8. genuinam rationem *circuminſeſsionis*, aſsignat ex vnitate naturæ in divinis perſonis, dum ait: *Illud Verbum, quod Deus eſt, ſic apud Deum eſſe, de quo eſt, VT PER VNITATEM NATVRÆ IN DEO SIT, ET PER EANDEM VNITATEM VNVS CVM ILLO DEVS SIT.* Ex eadem naturæ vnitate, veluti ratione à priori, colligit Noſter Alchuinus lib. 1. de Trinitate cap. 14. περιχώρησιν perſonarum, abſque vlla ſeparatione vnius ab alia. Ait enim: *Inſeparabilis igitur naturæ vnitas, non poteſt ſeparabiles habere perſonas. Hæc verò ſummæ Trinitatis, atque indiuiduæ vnitatis natura, quæ ſola eſt vbique tota, SICVT INSEPARABILEM HABET VNITATEM NATVRÆ, vel operis; ſic ſeparationem non poteſt recipere perſonarum.* Denique idem Anſelmus infrà cap. penultimo huius Opuſculi luculenter idipſum confirmat, reddens rationem cur vna ex perſonis divinis ſit in alia, ob vnam eandemque ipſarum divinitatem, & ſubſtantivum in ea nexum.

212 Ex dictis refelluntur aliquot Theologi, qui minùs bene circuminſeſsionem explicuiſſe videntur: vt Suarez *lib. 4. de Trinitate cap. 16.* Vazquez *Tomo 2. in 1. part. diſp. 169 cap. 2.* & Ruiz de Montoya *Diſp. 107. de Trinit. ſect. 7. n. 9.* iuxta quos circuminſeſsio *quidditatiuè formaliterque cōſiſtit in præſentia intima; & inſeparabili, atque perpetua, ſecundùm immenſum Vbi.* Refelluntur, inquam: quoniam, vt conſtat ex allegatis Patribus, ex vi identitatis, & ſubſtantivi nexùs in eâdem numero natura, quælibet ex divinis hypoſtaſibus, ſive perſonis, eſt invicem in alia, antequam concipiamus in ijs *vbi* infinitum, ſive præſentiam in omni loco. Igitur circuminſeſsio non conſiſtit quidditativè & formaliter, vt Ruizius loquitur, in ea præſentia intima, ſed in aliquo priori ſecundùm conſiderationem. *Deinde.* Præſentia triū perſonarum intima in omni loco ſecundùm rationem explicitam & formalem non conſtituit ſubſtantiam Dei, neque prout vnus, neque prout trinus eſt: ſed ſupponit illam conſtitutam pro aliquo priori rationis. Eſt enim immenſitas, ſeu intima præſentia in omni loco, attributum quoddam ordine rationis ſuperveniens divinæ ſubſtantiæ ex integro conſtitutæ. Ergo ſupponit nexum ſubſtantivum divinarum hypoſtaſeon in eadem numero ſubſtātia & natura, ac proinde circuminſeſsionem vnius in alia. Illuſtratur res exemplo vnionis ſubſtantialis inter animam & corpus, quæ prior eſt ſecundùm rationem, quàm mutua & intima præſentia vtriuſque: quoniam hæc eſt accidens quoddā; illa verò ſubſtantivus vtriuſque nexus. Vnde quemadmodum excluſa per intellectum præſentia mutua animæ & corporis, quæ ad locum ſpectat, integrè concipitur ſubſtantia ipſa animæ vnita ſubſtantiæ corporis: ita præciſa per intellectum præſentia illa intima trium perſonarum in omni loco, adhuc concipitur vna ſubſtantialiter eſſe in alia.

213 Confirmatur. Dum enim ij Auctores exponunt circuminſeſsionem per immenſitatem, ſeu præſentiam intimam in omni loco, aut volunt illam eſſe debere in omnibus ijs, quorum vnum in alio viciſsim eſſe dicitur; aut in altero tantùm. Hoc ſecundum nec dicent, nec dicere poſſunt. Alioquī inter Deum & quamlibet rem creatam eſſet circuminſeſsio: cùm Deus ſit immenſus, & intimè præſens cuilibet rei creatæ. Abſurdum eſt autem creaturæ in conſortio Dei tribuere circuminſeſsionem illam, quam Patres & Theologi ſpeciatim divinis perſonis adſcribunt. Si autem ad περιχώρησιν illam, ſeu circuminſeſsionem, quam ex Patribus Græcis deducunt, requiri immenſitatem aſſerunt in ijs omnibus, quorum vnum in alio invicem eſſe dicitur; refellentur planè ex ijſdem Patribus Græcis, præſertim Nazianzeno Epiſt. 1. ad Cledonium, quæ eſt Oratio ipſius LI. & Damaſceno lib. 3. Fidei cap. 4. vbi duas Chriſti naturas, divinam, & humanam, miſceri invicem, & inter ſe viciſsim commeare aiunt: Græcè περιχωρεῖν εἰς ἀλλήλας, id eſt, *immeare invicem, ac ſeſe pervadere.* Atqui ex duabus Chriſti naturis divina ſolùm immenſa eſt, non humana: vt fide ſanctū eſt adverſus Vbiquetarios. Non ergo ad περιχώρησιν illam, ſeu circuminſeſsionem, quam prædicti Theologi aiunt traditam à Patribus Græcis, exigitur immenſitas in ijs omnibus, quorum vnum eſſe invicem in alio dicitur. Igitur quidditas, ſeu ratio formalis circuminſeſsionis non conſiſtit in immenſitate, ſed in nexu aliquo eſſentiali aut ſubſtantivo, quo ex duobus aut pluribus vnum invicem in alio eſt.

Ira-

214 Itaque ad περιχώρησιν & ἐνυπάρξιν, id eſt, circuminſeſsionem & inexiſtentiam illam, quam Patres tradunt, & cum ijs Anſelmus hoc loco, duo exiguntur omnino. Alterum eſt diſtinctio realis extremorum, quæ copulantur: quoniam nihil propriè dicitur eſſe in ſe ipſo, aut in ſe immeare, ſed in alterum: ideoque Nazianzenus, & Damaſcenus, quoties de περιχωρήσει ſermonem habet, accipiunt verbum περιχωρεῖν relatè εἰς ἄλληλα, quaſi per vices, & circuitum, qui non niſi inter plura eſt. Alterum verò, vt in aliquo ſubſtantiali omnino conveniant, ſintque vnum & idem: ſive illud ſit eſſentia, vt in divinis perſonis; ſive proprietas perſonalis, vt in Chriſto, cuius duplex natura eâdem prorſus & ſubſtantiali Verbi divini hypoſtaſi copulatur. Ex his duobus capitibus conſurgit circuminſeſſio illa à Patribus tradita, tum inter divinas perſonas tum inter duas Chriſti naturas hypoſtaticè vnitas, independenter ab immenſitate, vel vllo reſpectu ad locum.

215 Verum quidem eſt, ex illa circuminſeſsione perſonarum divinarum, quæ eſt ſecundùm identitatem eiuſdem omnino naturæ, colligi præſentiam intimam & inſeparabilem illarum viciſsim in omni loco, ſeu infinito *vbi*, vt nulla vſpiam ſit abſque alia. Quoniam cùm immenſitas ſit attributum, ſeu proprietas divinæ naturæ, cuicumque hæc ineſt, etiam illa ineſſe debet: ac proinde cùm eadem omnino natura divina ſit in tribus perſonis, eadem quoque immenſitas eſt, quâ nulla à reliquis ſeparari, aut ſine ijs eſſe poſsit. Ideoque Patres aliqui ab eruditiſsimo Petavio allegati lib. IV. de Trinitate circuminſeſsionem illam perſonarum divinarum, ſeu mutuam inexiſtentiam, exponunt per præſentiam localem, & *vbi* immenſum. Id tamen ſolùm eſt à poſteriori: quoniam priùs ſecundùm conſiderationem intelligitur formalis ratio τῆς περιχωρήσεως, ſeu ἐνυπάρξεως, quam Græci Patres tradiderunt. In Chriſto autem Domino non infertur, vbicumque eſt natura ipſius divina, eſſe quoque humanam. Nam quamvis inter vtramque Nazianzenus & Damaſcenus agnoſcant aliquod circuminſeſsionis genus, illud non eſt exactum, & adæquatum ex capite vtriuſque extremi hypoſtatice vniti: nec immenſitas eſt proprietas ſubſiſtentiæ Verbi vnitæ humanitati, ſed ſolius naturæ divinæ; nec humanitas eſt capax vt per immenſitatem propriam naturæ divinæ ponatur præſens vbique. Sed de hoc latiùs in Diſputationibus Theologicis de Trinitate.

216 Nec Theologis ſuperiùs impugnatis favet Noſter Genebrardus, vir ſanè doctiſsimus, & eruditiſsimus, lib. 2. de Trinitate pag. 103. vbi illorum ſententiam tradidiſſe dicitur. Ibidem enim περιχώρησιν & *circuminſeſsionem illã, ait, dici poſſe vnionem, NON TANTVM PER NATVRÆ PARTICIPATIONEM, ſed etiam per plenam & intimam præſentiam. Hoc inexiſtentiæ, vt ſic dicam, genus Noſtri circuminſeſsionem appellant; quia per illud aliqua, quantumvis à ſe invicem abſque ſeparatione diſtinguantur, in ſe abſque confuſione inſunt; ſeque velut immeant: vt cùm Deus illapſu ſuo in piorum mentes ſe inſinuat, infunditque ſubſtantialiter: aut cùm immundus ſpiritus in animos abreptitiorum, quos ἐνεργουμένους vetus Eccleſia nominavit, introit; atque illabitur.* Subdit exempla in corporibus glorificatis, quæ alia corpora penetrant, & in Angelis, qui ſe invicem poſſunt immeare. Verùm primo loco ad exponendam circuminſeſsionem dixit, illam eſſe ſitam in vnione per participationem naturæ eiuſdem. quæ profectò eſt ratio à priori inferens mutuam præſentiam divinarum perſonarum & inſeparabilitatem ſecundùm locum, vt iam diximus. Quare Genebrardus potiùs pro noſtra, quàm contraria opinione allegandus videtur.

217 *DENIQVE NON LEGIMVS*, &c. Vrget iterum Græcos Anſelmus: Quia non legitur in aliquo ex Prophetis, Apoſtolis, aut Evangeliſtis, aliqua ex ijs propoſitionibus expreſſa: *Deum vnum eſſe tres perſonas: nec, Deum vnum eſſe Trinitatem: nec, Deum eſſe de Deo.* Quin neque in illo Symbolo, in quo non eſt prolata proceſsio Spiritus ſancti de Filio (de quo ſatis ſuprà dictum eſt in Scholijs ad caput quartum) invenitur nomen Trinitatis. Et tamen eas omnes propoſitiones ore confitemur, & corde veras credimus, quoniam apertiſsimè continentur, ſive ſequuntur ex alijs fide divina certis. Cùm igitur oſtenſum iam ſit, ex pluribus Scripturæ teſtimonijs apertiſsimè ſequi proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, ſicut ex Patre, quamvis id non exprimatur, certò etiam credere debemus, Spiritum ſanctum procedere ex Filio. Hoc loci diſſerendum videbatur, An ex ſacra Scriptura apertè colligatur Trinitatis myſterium: ſimiliterque, An ea, quæ neceſſariò ſequuntur ex doctrina revelata, credantur fide divina, vel potiùs ſciantur habitu Theologiæ. Verùm de ijs fusè in Diſputationibus Theol.

(o)

CA-

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

PROBATIO ALIA, EX EO QVOD SPIRITVS SANCTVS ſit Spiritus Patris & Filij, etiam iuxta Græcos.

QVAMVIS Quæ iam ſupra dicta ſunt, ſufficere poſsint; adhuc tamē aliquid addam, vnde Spiritus ſanctus cognoſcatur eſſe de Filio. Confitentur Græci nobiſcum Spiritum ſanctum eſſe ſpiritum Dei, & ſpiritum Patris, & ſpiritum Filij. Quæro itaque, ſi eodem modo intelligũt eſſe illum ſpiritum Dei, & ſpiritum Patris, & ſpiritum Filij, aut diſsimiliter? Certum eſt autem, quia non dicitur ſpiritus Dei, ſicut poſſeſsio, vt cùm dicitur equus alicuius, vel domus. Maior enim eſt, qui poſsidet, quàm quod poſsidetur: Deus autem non eſt maior Spiritu S. quia Spiritus S. eſt Deus, nec Deus eſt maior Deo. Neque dicitur ſpiritus Dei, vt mēbrũ Dei, ſicut manus, vel pes hominis. nō enim Deus habet membrum, vel partem vllam. Quomodo ergo intelligendus eſt ſpiritus eſſe Dei, niſi quia hoc, quod ex Deo eſt? Non autem ſignificat aliud nomen Patris, quàm Deum, qui eſt Pater, aut relationem eius ad Filium, ex qua nomen Patris habet. Similiter dicēdum eſt de Filio. Quid namque intelligitur, in nomine Filij, niſi Deus, qui Filius eſt: aut relatio, quæ refertur ad Patrem, per quam Filius appellatur? Sed nullus ſenſus capit Spiritum ſanctum eſſe ſpiritũ Patris, aut Filij, ſecundùm quòd alter eſt Pater, alter Filius; ſed ſecundùm quòd vterque, vnus idemque Deus eſt. Quare idem eſt intellectus, cùm dicitur Spiritus ſanctus ſpiritus Dei, & ſpiritus Patris, & ſpiritus Filij. Sed ſpiritus Dei, & ſpiritus Patris dicitur, quia eſt, & procedit de Deo, & de Patre. Itaque eſt, & procedit de Filio, quia eodem ſenſu ſpiritus Filij dicitur. *Nā cùm dicitur* Spiritus ſanctus, ſpiritus Dei, & ſpiritus Domini; ſi nō intelligimus ibi ſpiritum Filij eo ſenſu, quo ſpiritum Patris; aut ſeparabimus Filium à nomine Dei, vel Domini: aut bifariàm intelligeretur ſpiritus Dei, ſiue ſpiritus Domini. Sed vnde hunc habent ſenſum? Aut vbi legitur in ſacra Scriptura, quod ſimiliter non intelligatur de Patre, & de Filio, cùm legimus ſpiritum Dei, aut ſpiritum Domini? aut quid inuenitur, vnde hoc non ſequatur? *Nam ſi dicunt*, cùm dicitur ſpiritus Patris, duobus modis intelligitur: eſt enim Spiritus Patris, quia eſt de Patre, & quia datur à Patre; Filij verò Patris non eſt, niſi quia datur à Filio: *Hoc eſt, quæro, vnde habeant.* Et ſi dicunt, quòd in nulla authentica dictum eſt pagina, nec ſequitur ex eo, quòd ibi ſcriptum ſit: cur nos reprehendunt cùm dicimus Spiritum ſanctum procedere de Filio, ideo, quia hæc verba non leguntur? Cùm ex his, quæ legunt, & credunt, hoc ex neceſsitate ſequi intelligimus?

mus? Iudicent quoque ipſi, quid potiùs ſuſcipiendum ſit, quamvis in ſacra pagina vtrumque taceatur, an hoc, quod nos dicimus Spiritum ſanctum procedere de Filio (quod oſtendimus ex his conſequi, quæ veraciter credimus) an quod ipſi dicunt Spiritum ſanctum aliter eſſe ſpiritum Patris, aliter eſſe Filij: quod nec auctoritate, nec ratione, neque ex his, quæ certa ſunt poſſunt oſtendere. Vtique, aut debent ceſſare ab hac ſua ſententia, ſi tamen hoc dicunt, vt audio, quòd Spiritus ſanctus, aliter eſt Filij ſpiritus, quàm ſpiritus Patris; cùm nuſquam hoc legant; vel vnde hoc probent: aut ſaltem nos reprehendere non debent, qui dicimus Spiritum ſanctum procedere de Filio, quamvis his verbis non legamus: quoniam ex his, quæ pariter credimus, hoc conſequi monſtramus. Sed ſi ceſſant ab hac ſua aſſertione, credant pariter nobiſcum Spiritum ſanctum ſimiliter eſſe Patris, & Filij ſpiritum; & intelligent eum à Filio, ſicut à Patre procedere. Et ſi nos reprehendere deſinunt; fateantur nobiſcum hoc, vnde cognoſcunt, nos reprehendi non debere.

SCHOLIA IN CAPVT XIII.

Non poſſe cohærere, quòd Spiritus ſanctus ſit Spiritus Filij, ſicut & Patris, quin à Filio procedat, quemadmodum & à Patre. Græci dicentes, Filium dari quidem a Filio, non tamen procedere ſicut à Patre, refelluntur multipliciter.

219 Q*VAMVIS QVÆ SVPRA*, &c. Videbatur iam actum de opinione Græcorum. Verùm adhuc inſtaurat Anſelmus eandem ferè rationem, quam ſuprà cap. 7. obiter attigerat. Græci enim nobiſcum fatentur, Spiritum ſanctum eſſe Spiritum Dei, & Spiritū Patris, & Spiritum Filij. Quos nos in Scholijs ad eum locum probavimus cum Anſelmo ex varijs Scripturæ, & Patrum Græcorum, Latinorumq́ue teſtimonijs: nec repetere opus eſt. Eo verò ſuppoſito, inquiritur à Græcis, an Spiritus ſanctus eodem modo ſit Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Spiritus Filij: an potiùs diſsimili modo. Certum autem eſt, non dici Spiritum Dei, inſtar poſſeſsionis cuiuſdam: qualiter equus aut domus dicitur eſſe alicuius. Quidquid enim ſic poſsidet aliud, eſt maius illo, quoniam habet id ſub dominio. Deus autem nō eſt maior Spiritu ſancto, neque dominium in illum habet. Non ergo ille eſt Spiritus Dei, tanquam illius poſſeſsio. Neque etiam Spiritus Dei dicitur, tanquam ipſius Dei membrū, aut pars, ſicut manus aut pes appellatur pars vel membrum hominis: cùm Deus ſit ſummè ſimplex, proindeq́ue expers quorumlibet mēbrorum partiumq́ue. Supereſt itaque vt Spiritus ſanctus dicatur Spiritus Dei, quatenus ex Deo eſt.

220 Hinc autem planè probatur, Spiritum ſanctum ſimul eſſe, ſeu procedere ex Patre & Filio, dum ex Deo procedit. Quippe Patris nomine nihil aliud ſignificatur, quā Deus, qui eſt Pater; aut relatio eius ad Filium, à qua denominatur Pater. Similiter Filij nomine nihil aliud intelligitur, quàm Deus, qui Filius eſt, & relatio eius ad Patrem, à qua dicitur Filius. Atqui manifeſtum eſt, Spiritum ſanctum non eſſe Spiritum Patris, aut Filij, ſecundùm quòd alter eſt Pater, & alter Filius: ſed penes id quo vterque vnus & idem Deus eſt. Ergo etiam eſt manifeſtum, Spiritum ſanctum procedere ex Patre & Filio, quatenus ambo ſunt vnus & idem Deus. Si enim Spiritus ſanctus ex Deo procedit, quatenus Spiritus Dei eſt, vt nuper probatum fuit: pariter procedere debet ex Patre & Filio, quatenus ambo ſunt vnus Deus, quoniam ſub hac ratione eſt Spiritus vtriuſque. Hanc rationem videntur ex Anſelmo mutuaſſe Manuel Calecas libro contra Græcos cap. 22. & Demetrius Cydones lib. de Proceſsione Spiritus S. cap. 10. quorum ea ſententia eſt, *Vnum alterius dici, vel hoc huius proprium in diuinis reiecta materia, & ijs quæ materiam conſequuntur, neque tanquam membrum, neque tanquam poſſeſsionem, neque ratione alicuius excellentiæ, vel alterius cuiuſpiam affinitatis: ſed ratione ſola principij, & eius quod eſt à principio: in quo vnum ab altero diſ-*

diſcerni comprehendimus. Quare perſpicuum eſt, cùm dicimus Spiritum ſanctum proprium eſſe Filij, id ſolâ illa principij ratione dictum intelligi poſſe.

221 *NAM CVM DICITVR*, &c. Vrgetur ampliùs eadem probatio. Cùm Spiritus ſanctus dicitur Spiritus Dei, & Spiritus oris Domini, pariter intelligi debet Spiritus Filij, ac Spiritus Patris, eodemque ſenſu. Alioqui ſeparabimus Filiũ à nomine Dei, vel Domini; aut etiam bifariam accipietur Spiritus Dei, vel Spiritus Domini, abſque fundamento vllo in ſacra Scriptura: iuxta quam, quidquid legitur de Spiritu Dei, & Spiritu oris Domini, æquè intelligitur de Patre & Filio: vt probatum fuit luculentis teſtimonijs ſuprà cap. 7. At ideo Spiritus ſanctus dicitur & eſt Spiritus Dei, & Spiritus oris Domini, quia ex Deo & Domino procedit. Ergo pariter ideo dicitur Spiritus Patris & Filij, quoniam ex vtroque procedit.

222 *NAM SI DICVNT*, &c. Poſſet forſitan reſponderi, cùm Spiritus ſanctus dicitur Spiritus Patris, id dupliciter intelligi: nimirum, quoniam & procedit à Patre, & præterea datur ab eo. Cùm autem dicitur Spiritus Filij, id vno dumtaxat ſenſu intelligi, quatenus datur à Filio. Vnde non videtur probari proceſsio Spiritus ſancti ex Patre & Filio, ſed ſolùm ex Patre, cuius ſolius dicitur Spiritus eo duplici titulo.

223 *HOC EST QVOD QVÆRO*, &c. Refellit Anſelmus evaſionem præcedentem, quoniam non niſi è Græcorum cerebro conficta eſſe poteſt: cùm illa non habeatur in Scriptura, aut Concilijs, nec exinde colligatur. Quin & ratione vrgentiore premuntur, dum nos impetunt, quoniam aſſerimus Spiritum ſanctũ ex Filio procedere; cùm id non legatur expreſſum in Scriptura ſacra. Premuntur, inquam, vrgentiùs: Quia licèt in ea expreſſum non ſit; habetur tamen implicitè in pluribus teſtimonijs, fide divina certis, ex quibus id neceſſariò infertur: vt conſtat ex dictis toto ferè tractatu. At verò Spiritum ſanctum eſſe duplici eo titulo Spiritum Patris, & vno ſolùm Filij Spiritum (quod ipſi aiunt) nec expreſſum in Scriptura habetur, neque ex vllo eius teſtimonio colligitur, nec ratione vlla probatur. Non ergo cenſeri debet Spiritum ſanctum eſſe duplici titulo Spiritum Patris, & vnico Filij: ſed potiùs æqualiter vtriuſque Spiritus dicendus eſt. Si autem pariter eſt Spiritus vtriuſque; pariter debet ab vtroque procedere. Supereſt igitur vt id nobiſcum fateantur Græci, & criminationem illam ponant, quâ pervicaciter nos inceſſunt, quoniam credimus aliquid non expreſſum in ſacris litteris. Sat enim eſt quòd in ijs implicitè contentum ſit, & inevitabilibus argumentis inferatur; vt hactenus demonſtratum eſt.

224 Porrò Spiritum ſanctum eſſe duplici titulo Spiritum Filij, perinde ac Patris, quatenus & ex eius ſubſtantia procedit, & ab illo datur (quod Anſelmus hoc loco adverſus Græcos docet) iam ſuprà in Scholijs *ad cap. 5. 6. & 7.* nos abundè confirmavimus quampluribus Patrum Græcorum ac Latinorum teſtimonijs, iiſque iuxta ſacræ Scripturæ ſenſum. Quibus addo inſignem locum Cyrilli Dialogo VII. vbi ita de Christo loquitur: ἔπεμψε δὲ ἡμῖν ἐξ οὐρανοῦ τὸν παράκλητον, &c. *Miſit ad nos è cœlo Paraclitum, per quem, & in quo nobiſcum eſt, & in nobis habitat; non tanquam peregrinum in nos effundens, ſed ſubſtantiæ tam ipſius quam Patris ſui, proprium Spiritum.* Vbi diſertè & perſpicuè tradit, Spiritum ſanctum non modò mitti, ſeu dari à Filio, quod Græci vltro fatentur: ſed etiam eſſe Spiritum proprium ſubſtãtiæ Filij, perinde ac Patris; quod ij pertinaciter negant. Similiter lib. XXXIV. Theſauri vtrumque id apertiſsimè ac ſimul tradit his verbis: Ἀνάγκη τὸ πνεῦμα, &c. *Neceſſe eſt fateri Spiritum è ſubſtantia eſſe Filij, Nam vt ex ipſo naturaliter exiſtens, & in creaturam ab ipſo miſſus, renovationem efficit.* Non ergo eſt Spiritus Filij ſolùm quia ab eo mittitur, ſive datur: ſed etiam quatenus ex ipſius ſubſtantia procedit. Præterea in Anathematiſmo IX. ait Spiritum ſanctum *eſſe proprium Spiritum ipſius Filij*: & ad eundem Anathematiſmum reſpondens Theodoreto, inquit, *perinde eſſe Filij Spiritum, atque ipſius Patris.* Non ergo ſolùm eſt Spiritus Filij quatenus à Deo datur; ſed etiam quoniam ab eo procedit perinde atque à Patre.

225 Idipſum docet S. Maximus in Tractatu de Candelabro Zachariæ, dicens: *Spiritus ſanctus, quemadmodum natura eſt Dei ac Patris ſecundùm ſubſtantiam, ſic eſt Filij ſecundùm ſubſtãtiam.* Non ergo eſt diſcrimen aliquod inter Patrem ac Filium, quantum ad proceſsionem attinet: ſed quemadmodum ab vtroque datur, ita etiã ab vtroque procedit. Baſilius quoque lib. de Spiritu ſancto cap. 17. ait: ὡς τοίνυν ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, οὕτω πρὸς υἱὸν τὸ πνεῦμα. *Igitur vt ſe habet Filius ad Patrem, ita Spiritus ſanctus ad Filium.* Atqui Filius ita ſe habet ad Patrem, vt non modò ab eo detur, ſive mittatur, ſed etiam ac priùs ſubſtantialiter ab eo procedat. Ergo etiam Spiritus ſanctus ita ſe habet ad Filium, vt non ſolùm ab eo detur, mittaturve, ſed etiam ſubſtantialiter

pro-

procedat. Auguſtinus vtens eodem diſcurſu Anſelmi lib. IV. de Trinitate: *Nec poſſumus dicere,* inquit, *quod Spiritus ſanctus à Filio non procedat; neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris & Filij Spiritus dicitur.* Vbi ex eo quòd Spiritus ſanctus ſit Spiritus Patris & Filij; probat illum ex vtroque procedere. Non ergo ſolùm à Filio datur, ſed etiam procedit, quemadmodum & à Patre. Deinde Tractatu XCIX. in Ioannem inquirens, vtrum à Filio; quemadmodum & à Patre procedat Spiritus ſanctus, ita quæſtionem dirimit: *Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus ſanctus, cùm Filij quoque ipſe ſit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non poſt reſurrectionem ſe repræſentans diſcipulis ſuis, inſufflans diceret: ACCIPITE SPIRITVM SANCTVM. Quid enim aliud ſignificavit illa inſufflatio, niſi quòd procedat Spiritus ſanctus & de ipſo?* Non igitur cohærere poteſt, quòd Spiritus ſanctus ſit Spiritus Filij, etiam fatentibus Græcis, & quòd ab eo non procedat, quemadmodum à Patre, ſed ſolùm detur aut mittatur.

226 Denique probatum iam fuit toto ferè cap. 6. & 7. non eſſe locum vt Spiritus ſanctus detur, ſeu mittatur à Filio, quin ab eo accipiat eſſe, ſive, quod idem eſt, ſubſtantialiter procedat. Idque, præter Anſelmum & plurimos Patres ibidem allegatos, docet Hilarius lib. VIII. de Trinitate, dicens: *A Filio igitur accipit, qui ab eo mittitur, & à Patre procedit,* &c. Nugantur itaque Græci, dum diffitentur ex Filio procedere Spiritum ſanctum, quem fatentur ipſius Spiritum, & ab eo dari vel mitti.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

REFVTATVR QVAEDAM GRAECORVM CRIMINATIO adverſus Latinos.

AD Hoc autem, quod nos reprehendunt in Symbolo illo, quod pariter nos, & illi ſuſcipimus, & tenemus, addidiſſe Spiritum ſanctum à Filio procedere, & quærunt, cur hoc factum ſit, & quare hoc priùs eorum Eccleſiæ monſtratum nõ eſt, vt communiter conſideraretur, & communi conſenſu adderetur, quod addendum erat. ***Ad hoc, inquam, reſponſum ſufficiens habemus.*** Nam ſi quæritur, cur factum ſit; dicimus, quia neceſſe erat, propter quoſdam minùs intelligentes, qui non animadvertebant in illis, quæ vniverſa credit Eccleſia, contineri, & ex his ſequi Spiritum ſanctum de Filio procedere: ne fortè hoc credere dubitarent. Quod quàm neceſſarium fuerit, per illos, qui hoc negant, quia in illo Symbolo poſitum non eſt, cognoſcimus. Quoniam igitur, & neceſsitas cogebat, & nulla ratio prohibebat, & vera Fides hoc admittebat: fiducialiter aſſeruit Latinitas, quod credendum, & confitendum eſſe, cognoſcebat. *Scimus enim,* quòd non omnia, quæ credere, & confiteri debemus, ibi dicta ſunt; nec illi, qui Symbolum illud dictavere, voluerunt Fidem chriſtianam eſſe contentam, ea tantummodo credere, & confiteri, quæ ibi poſuerunt. Vt enim alia taceam, non ibi dicitur Dominus ad infernum deſcendiſſe, quod tamen pariter, & nos, & Græci credimus. Si autem dicunt, nullo modo debuiſſe corrumpi Symbolum tanta auctoritate firmatum; nos nõ iudicamus eſſe corruptionem, vbi nihil addidimus, quod his, quæ ibi dicta ſunt, adverſetur. *Et quamvis defendere poſſemus,* hanc adiectionem, non eſſe corrup-

corruptionem; ſi quis tamen hoc contentioſè voluerit aſſerere: Reſpondemus, nos illud non corrupiſſe, ſed aliud novum edidiſſe: illud enim ſecundùm proprietatem Græci dictaminis tranſlatum, cum illis integrum ſervamus, & veneramur. Illud autem quo, frequentiùs in populi audientia vtimur; Latino more dictatum, cùm additamento ſuprà dicto edidimus. *Quod autem quæritur*, quare hoc Græcorum Eccleſiæ conſenſu factum non eſt: Reſpondemus, quia & nimis erat difficile Latinis, eorum Epiſcopos ad conſulendum de hac re colligere, nec erat neceſſe. Vnde non dubitabant hoc in quæſtionem adducere. *Quæ eſt enim Eccleſia*, quæ, vel per amplitudinem vnius regni dilatatur, cui non liceat aliquid, ſecundùm rectam Fidem conſtituere, quod in conventu populi vtiliter legatur, aut cantetur? *Quantò ergo magis* licuit Latinis, hoc conſtanter proferre, in quo omnes gentes, & omnia regna, quæ Latinis vtuntur litteris, pariter concordant?

SCHOLIA IN CAPVT XIV.

An expoſtulatio Græcorum aduerſus Latinos, quod ijs inconſultis addidiſſent Symbolo particulam FILIOQVE, fuerit iuſta? Vrgetur illa multipliciter; & obſervatis pluribus ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, refutatur, itque exploditur iuxta mentem S. Anſelmi. Vbi de poteſtate Pontificis Romani extra Synodum Oecumenicam ad pronuntiandum de fide, & addendum aliquid Symbolo.

228 AD HOC AVTEM, &c. Obijcit Anſelmus veterem Græcorum criminationem, & ſuo ſæculo adhuc non ſedatam, contra Eccleſiam Latinam, cur Symbolo Conſtantinopolitano addidiſſet particulam *Filioque*, Græcis ipſis inconſultis. Videbatur enim nihil Symbolo addendum, niſi poſt longam & maturam conſultationem totius Eccleſiæ, Latinæ ſimul & Græcæ. Huius expoſtulationis iam ſuprà meminimus in Scholijs ad caput 3. pluraque obſervavimus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantia, quæ non eſt opus hoc loci repetere. Itaque ijs nunc prætermiſsis, videbitur alicui forſan rationabilis querela Græcorum: quoniam communi Eccleſiæ decreto ſancitum fuerat, ne quidquam Symbolo adderetur. Porrò de Symbolo Apoſtolorum conſtat, nuſquam vſque hodie additum fuiſſe: vt ibidem *num.* 72. obſervavimus: ideoque aiebat Ambroſius Epiſtola ad Siricium Papam: *Creditur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Vnde hodieque initio Officij divini, ſive Horarum Canonicarum, & in fine, illud ipſum Symbolum integrè, ac ſine vlla prorſus additione recitamus, prout ab Apoſtolis traditum fuit initio ipſo naſcentis Eccleſiæ.

229 Similiter Nicæno Symbolo à trecentis decem & octo Patribus edito, nunquam fuit aliquid additum, vel detractum; quoniam in Synodo Sardicenſi in quodam decreto relato ab Athanaſio in litteris Synodalibus ad Eccleſiam Antiochenam, ſtatutum fuit, omnes debere eſſe contentos fide Nicæna, vtpote plena & integra, neque edendum aliud Symbolum, *ne illis, quibus libido eſt, ſemper nova ſtatuere, occaſio ſuppeditaretur, vt iterum atque iterum de fide definiant.* Vnde in Synodo Chalcedonenſi Act. 1. clamarunt Epiſcopi Ægyptij: *Nemo ſuſcipit adiectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa conſtituta ſunt, teneant. Catholicus Imperator hoc iuſsit.* Ac prætereà: *Adiectionem nullus ſuſcipit. Teneant quæ Patrum ſunt: teneant quæ in Nicæa conſtituta ſunt: teneant quæ de Spiritu ſancto ſunt; Catholicus Imperator hoc iuſsit.* Deindè ijdem Epiſcopi in litteris, quæ poſt eandem Synodum Chalcedonenſem editæ inveniuntur, Epiſt. 24. hæc ſcribunt ad Leonem Auguſtum: *Suggerimus nos trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum, qui in Nicæa ciuitate collecti, & per ſanctum Spiritum ſunt locuti, Symbolum atque fidem tenere & cuſtodire, & NEQVE AVGMENTVM ALIQVOD, NEQVE IMMINVTIONEM RECIPERE. Ea namque, quæ à ſancto Spiritu dicta atque conſcripta ſunt, fas non eſt aliquo modo* re-

retractari, nec augmentum aliquod, nec imminutionem eis inferre.

230 Deinde, quælibet additio aut imminutio Symboli, ſive Nicæni, ſive Conſtantinopolitani, videtur proſcripta decreto Felicis III. Papæ Epiſt. 35. in litteris ad Petrum Fullonem Epiſcopum Antiochenum, & Zenonem Auguſtum: vbi damnat additamentum excogitatum ab eodem Petro Fullone ſupra ea quæ tradita fuerant in Synodis Nicæna & Conſtātinopolitana: atque adeò damnat omnem additionem vtriuſque Symboli, traditi in iis Concilijs. Nempe vt refert Antheon Epiſcopus Arſenoites, in ſecundo articulo Symboli Conſtantinopolitani, Gelaſius Pontifex in Romana Synodo recenſens authenticas Scripturas, poſt Canonicas refert eandem Synodum, veluti firmam regulam Eccleſiæ Romanæ. nimirum, veluti vnum ex quatuor primis Concilijs Generalibus, quæ ab Hormiſda Papa, & Gregorio Magno, præcipimur venerari, *tanquam quatuor Dei Euangelia.*

231 Denique in Synodi Chalcedonenſis Appendice, Actione II. conſtitutus fuit canon, ne Symbolo Nicæno quidquam adderetur. Quin & Valenti Auguſto rogāti ab eo expungi vocem illam *ὁμοούσιον*, *conſubſtātiale*, ob Eccleſiarum pacem, reſpondit Baſilius in libris adverſus Eunomium, referente ita Nyſſeno, fidei in eo Symbolo traditæ nihil poſſe demi, vel addi, nec mutari de ordine, quo eius formula diſpoſita fuit. Immo & multi Epiſcoporum exiſtimarunt ea lege ligari etiam Synodos Generales, nullumque de cætero ſcribi poſſe decretum fidei, & ſola voce exponi debere laudatum Symbolum adverſus inſurgentes errores. Vnde & in eâdem Actione Cecropius Antiſtes Sebaſtopolitanus dixiſſe legitur glorioſiſsimis Iudicibus: *Precamur vt ea, quæ ſanctorum Patrum trecentorum decem & octo ſunt, & quæ ſanctiſsimi Leonis, recitentur.* Cùm verò id placuiſſet Iudicibus, Eunomius Nicomedienſis Epiſcopus, Bythiniæ Metropolites, ex codice recitavit Symbolum Nicænum, & omnes Epiſcopi vna voce clamârunt: *Hæc Catholicorum fides. Huic omnes credimus. In hâc baptizati ſumus. Beatus Cyrillus ſic docuit. Papa Leo ſic docuit. Papa Leo ſic interpretatus eſt.* Poſtea Ætius Eccleſiæ Conſtantinopolitanę Archidiaconus ex codice recitavit pariter Concilium Conſtantinopolitanum: & iterum Epiſcopi acclamarunt: *Hæc omnium fides: hæc Orthodoxorum fides, Omnes ſic credimus.* Itaque videtur nullatenus licuiſſe Latinis Eccleſijs addere Symbolo, ſeu Nicæno, ſeu Conſtantinopolitano, particulam *Filioque*: cùm omnis additio, aut imminutio Symboli vtriuſque tot antea ſæculis eſſet prohibita à Concilijs, & Patribus. Ergo criminatio Græcorum adverſus Latinos apparet iuſta.

232 *AD HOC, INQVAM, RESPONSVM SVFFICIENS HABEMVS*, &c. Occurrit Anſelmus expoſtulationi Græcorum, & ait convenientē ac neceſſariam fuiſſe additionem illam, propter quoſdam minùs intelligentes, qui non animadvertebant, proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio contineri in iis, quæ vniverſa credit Eccleſia: ac propterea illam negabant, quemadmodum & ij ipſi, qui in Concilio Barenſi eam additionem criminabantur. Itaque & vrgente neceſsitate, & nulla ratione prohibente, quin & fide ipſa ita exigente, Latina Eccleſia id expreſſum eſſe voluit, quod antea in ipſis myſterijs creditis implicitum habebatur.

233 *SCIMVS ENIM*, &c. Neque ex eo quòd in illo Symbolo Conſtantinopolitano omittatur, ſeu non exprimatur proceſsio Spiritus ſancti ex Filio, excludenda eſt illa ab articulis fidei ex neceſsitate credendis: quoniam nec in eodem Symbolo exprimitur deſcenſus Chriſti ad inferos, qui tamen certus ſecundùm fidem eſt, & in Symbolo Apoſtolorum habetur. Quemadmodum verò Eccleſia Romana potuit & poteſt in Symbolo Conſtantinopolitano, quod publicè & ſolemniter canit, exprimere deſcenſum Chriſti ad inferos, quem in eo hactenus omiſsit: ita etiam potuit explicare proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, quæ ſatis ſuperque in ſacris litteris ſignificabatur. Nimirum, tam apertè continetur in pluribus Scripturæ teſtimonijs eiuſmodi proceſsio, vt Eccleſia Romana non opus habuerit condendi novum articulum fidei, ſed ſolùm clariùs exponendi idipſum, quod non ita manifeſtè in Scriptura exprimebatur. Porrò quot, & quàm illuſtria ſint ea teſtimonia, patet ex capitibus præcedentibus. Quare immeritò Græci aiunt, nos illud Symbolum corrupiſſe. Nullam enim corruptionem paſſum eſt, dum nihil additum fuit vllo modo contrarium iis, quæ in eo continentur. Quippe proceſsio Spiritus ſancti ex Filio nullatenus opponitur proceſsioni ipſius ex Patre, quæ in illo Symbolo exprimebatur: quin potiùs neceſſariò cum ea cohæret, vt ſuperioribus demonſtratum eſt.

234 *ET QVAMVIS DEFENDERE POSSEMVS*, &c. Ratio nuper aſsignata ſatis evincit, adiectionem illius particulæ *Filioque* non fuiſſe corruptionem Symboli Conſtantinopolitani. Verùm ſi quiſ-

quam

quam Græcorum adhuc pertinaciter contendat in oppoſitum, facilè dici poſſet, Eccleſiam Latinam nihil illi Symbolo addidiſſe, ſed aliud novum quoddammodo inſtituiſſe. Etenim illud ipſum Symbolum, quod in Synodo Conſtantinopolitana editum eſt, relictum fuit Grecè ſcriptum, & Latinè tranſlatum, in Actis eiuſdem Concilij, per totum Orbem Chriſtianum diſtractis, abſque adiectione vlla: prout tempore Anſelmi legebatur; & hodie legitur in quibuſlibet editionibus. Et huc ſpectat quod teſtatur Magiſter in 1. diſt. 11. Leonem III. ad fidei noſtræ cautelam poſuiſſe in tabula argentea Symbolum Conſtantinopolitanum ſine vllo additamento *Filioque*, in altari SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Nimirum, id ſolùm fecit ad conſervandã memoriã eius, prout ab initio editum fuerat. Symbolum autem, quo Eccleſia vtitur in Miſſa, cum particula *Filioque*, eſt quoddammodo aliud ab illo, & quaſi noviter inſtitutum ab Eccleſijs Latinis ex conſenſu Pontificis Romani, cui ſuprema poteſtas à Chriſto data eſt ad definiendum ea, quæ credere oportet, & ad novum Symbolum condendum ex iuſta cauſa: vt docet D. Tho. 2.2. q. 1. ar. 10.

235 *QVOD AVTEM QVÆRITVR*, &c. Inſtant Græci, & querelas ingeminant: cur illa additio, ſeu nova inſtitutio Symboli, non fuerit inducta ex conſenſu Eccleſiæ Græcæ. Reſpondet Anſelmus, non fuiſſe expectatum illius conſenſum: quia & nimis difficile erat colligere in vnum omnes Græciæ Epiſcopos ad Generale Concilium, quod plurimo labore, ſumptu, & longis peregrinationibus Patrum congregandorum ex toto orbe paratur: & præterea neceſſarium nõ erat in re adeo certa, qualis eſt proceſsio Spiritus ſancti ex Filio, tot Scripturæ teſtimonijs contenta, & vniversè à Patribus Latinis Græciſque tradita. Itaque ſupervacaneum videbatur Synodum Generalem cogere ad eam rem definiendam.

236 Hinc obiter colligitur ex mente Anſelmi, Pontificem non habere opus Cõcilio Generali ad definiendas res fidei: quoniam Synodum vniverſalem cogere, & eſt nimis difficile, & neceſſarium non eſt, vt ipſe loquitur. Ita communiter Doctores Catholici, exceptis quibuſdam paucis, quorum opinionem non modò improbabilem, & temerariam, ſed fidei contrariam, & promiſsis Chriſti erga Petrum, eiuſque legitimos Succeſſores, adverſantem, exiſtimat Suarez *diſp.* 5. *de Fide ſect.* 8 & reliqui ferè DD. quos Diſp. VI. & VII. allegavimus: inſuper & Pontifices ac PP. laudati Diſp. XXII. ſect. 1. exiſtimantes ſententiam communẽ eſſe certam ſecundùm fidem. Cuius doctrinæ rationem haud obſcurè indicat hoc loco Anſelmus, ex ſumma difficultate congregandi Synodum Oecumenicam Patrum Orientis & Occidentis. Etenim non apparet credibile, Chriſtum dediſſe Vicario ſuo poteſtatem definiendi controverſias fidei ſub ea conditione, quam in actu ponere, ſæpe eſt moraliter impoſsibile. Atqui ſæpe moraliter impoſsibile eſt, vt Vicarius Chriſti cogat Generale Concilium ad res fidei definiendas, v.g. in magna aliqua perſecutione Eccleſiæ ab infidelibus allata, ob quam non poſſent Epiſcopi ex præcipuis mundi partibus in vnum locum convenire: quemadmodum contigit tribus primis Eccleſiæ ſæculis, in quibus, præter Concilium Apoſtolorum, nullum aliud fuit Generale: vt monet Bellarminus *lib.* 1. *de Concil. cap.* 5. Eademque ferè ratio eſt vbi Principes Chriſtiani ſeſe invicem cruentis bellis inceſſunt terra ac mari; vel ab infidelibus longè ac latè inpetuntur. Tunc enim vix, aut ne vix quidem locus eſt, vt è tot Regnis ac provincijs vſque adeò diſsitis, in vnum aliquem locum coeant Catholici Præſules. Aliſide verò vrgere poteſt neceſsitas abſcindendi radicitus hæreſim aliquam recèns exortam, ne ſerpat & inferat damnum aliquod irreparabile: vel declarandi veritatem, quæ aliquid momenti ad ſalutem conferat. Itaque in ijs & ſimilibus caſibus, vrget neceſsitas, vt Vicarius Chriſti, non expectato Concilio Generali, ſed conſultis Patribus ijs ac Theologis gravioribus, quos advocare facilè & cõgregare poteſt, indicta oratione & præmiſsis operibus pietatis ad divinam opem implorandam, definiat ex cathedra id, quod expedire videbitur. Alioqui enim Chriſtus reliquiſſet Eccleſiam ſuam ingenti & pene irreparabili periculo expoſitam circa doctrinam fidei & morum. quod neque de ſumma ipſius pietate & amore in Eccleſiam ſponſam ſuam exiſtimare fas eſt, neque cum eius promiſsis cohæret. Sed de hoc latiùs egimus toto Tractatu I.

237 *QVÆ ENIM EST ECCLESIA*, &c. Confirmat Anſelmus doctrinam præcedentem: quoniam nulla eſt Eccleſia, vel per amplitudinem vnius Regni dilatata, cui non liceat aliquid ſecundùm rectam fidem conſtituere, quod in conventu populi vtiliter legatur, aut cantetur. Vnde, vt vidimus in Scholijs ad caput tertium ex *num.* 77. Eccleſiæ Hiſpaniarum in Concilio I. Toletano, aut Calleccienſi, in ipſa Fidei Profeſsione poſuerunt Spiritus ſancti proceſsionem ex Filio. Deinde in Concilio III. Toletano addiderunt ipſi Symbolo particulã *Filioque*. quod & in Concilijs ſequentibus VI. & VIII. & XI. pariter ſervatum fuit. Nec tamen ideò repre-

reprehenduntur Patres in Concilijs illis congregati, quorum aliqui fuerunt ſpectatiſsimi, & Sanctorum faſtis adſcripti. Similiter Concilium Francofordienſe, quod ſolùm fuit Provinciale, vel ſummùm Nationale, definivit contra Felicem & Elipandum, Chriſtum non fuiſſe Filiũ Dei adoptivum. Error quoque Pelagij proſcriptus fuit in Concilijs Provincialibus, Paleſtino, Milevitano, & Arauſicano. Et tamen doctrina in ijs contenta ſtatim ac probata eſt à Pontifice Romano ex cathedra definiente, ab Eccleſia fuit laudata, & certa ſecundùm fidem habita. Nimirum (quod maximè notandum eſt, & ſubintelligendum in littera Anſelmi). ijs omnibus definitionibus Conciliorum Provincialium acceſsit conſenſus, ſaltem tacitus, Summi Pontificis, quo non præeunte, aut ſequuto, nullam poſſent inducere certitudinem in rebus definitis. Potuit etiam Romanus Pontifex aliqua ex dictis Concilijs probare non definiendo ex cathedra, ſed ſimplici alio approbationis genere, & ſine animo docendi totam Eccleſiam. quod & factum fuiſſe circa Concilia Toletana, in quibus tradita fuit proceſsio ex Patre & Filio, veroſimile iudicavimus ſuprà Diſp. 42. circa finẽ.

238 *QVANTO ERGO MAGIS*, &c. Si autem Eccleſia intra vnius Regni fines clauſa poteſt aliquid conſtituere ſecundùm rectam fidem, annuente Sũmo Pontifice, aut cõfirmante: quantò magis omnes Eccleſiæ Latinæ, tot Regnis & nationibus diſperſæ, potuerũt addere particulam illam *Filioque*, ſive legendam, ſive canendam in Symbolo, accedente conſenſu Summi Pontificis, & iuſta vrgente cauſa, atque impedimento intercedente, ad congregandum in vnum Patres Græcos ex toto Oriente? Porrò acceſsiſſe conſenſum Sũmi Pontificis ad eam particulam in Symbolo addendam, multò antequam Barenſis Synodus cogeretur tẽpore Anſelmi, patet ex verbis ijs Vrbani II. ad ipſum, apud Vvilhelmum Malmesburgenſem lib. 1. de geſtis Anglorũ Pontificum: *Pater & Magiſter Anſelme, Anglorum Archiepiſcope, vbi es? Ille, vbi ſe vocari audiuit, in pedes conſtitit. Quẽ Apoſtolicus compellãs, Nunc, inquit, Magiſter, opus eſt ſcientia, opus eloquentiæ tuæ opera. Veni, aſcende huc, & defende matrem tuam Eccleſiam, quam Græci labefactare conantur.* Hactenus Pontifex Romanus, cuius iudicio proceſsio Spiritus ſancti à Latinis credita, iam diu erat probata à Sede Apoſtolica: ideoque quidquid Græci adverſus illam meditabantur, dicitur fuiſſe contra matrem Eccleſiam. Patet igitur, non temerè, aut ſine debita conſultatione additam fuiſſe illam particulam ab omnibus Eccleſijs Latinis.

239 Ex dictis facile erit occurrere teſtimonijs, quæ ab initio ferè capitis obiecimus nobis ipſis pro criminatione Græcorum. Quod attinet ad Symbolum Apoſtolorum, fatemur cum Ambroſio ibidem, intemeratũ ab Eccleſia ſervari, ac retineri hodieque, initio & fine Horarum Canonicarum, abſque additione aut imminutione vlla. De Symbolo Nicæno etiam dicimus ſervari integrum & illibatum, prout primo editum fuit ab alijs trecentis decem & octo Patribus. Oportuit verò vt aliud quodammodo Symbolum poſtea ederetur in Concilio Generali Conſtantinopolitano, propter quoſdam errores noviter ortos Macedonij & Apollinarij; quibus non occurrebatur in Symbolo Nicæno, quod nondum eſſet orta controverſia circa divinitatem Spiritus ſancti, in Conſtãtinopolitano expreſſam adverſus illos. Quare illud in primo ingreſſu Patrum ad ipſum Concilium fuit compoſitum, deinde à Damaſo Papa cõfirmatum, à Græcis omnibus Eccleſijs ſolemniter decãtatum, à Synodo Chalcedonenſi approbatũ, & à tota Eccleſia receptum, veluti Evangeliũ ipſum. Ex Eccleſijs verò Occidẽtalibus primam fuiſſe Hiſpanam, quæ eo vſa fuerit ſolemniter, iam alibi oſtendimus, & præterea liquet ex Synodo II. Bracarenſi, & S. Ætherio Vxamenſi Epiſcopo in libris contra Elipandum Archiepiſcopum Toletanum. Porrò in Synodo Chalcedonenſi Act. 4. Legati Sedis Apoſtolicæ Tomum S. Leonis Papæ definivere orthodoxum, & ab omnibus Catholicis recipiendum cõtra Eutychen, quòd eſſet conformis Symbolo Nicæno & Conſtãtinopolitano; quo ipſo approbatur vtrumque Symbolum. Deinde Action. 5. plena Synodus in Fidei decreto, quod integrè à S. Leone Papa confirmatũ fuit, vtrũque Symbolum pari veneratione ſuſcipit his verbis: *Inennarrabilem PP. renovavimus fidem, Symbolum trecentorum decem & octo* (nempe, Nicænum) *omnibus prædicantes: Et eos, qui hanc veluti teſſeram pietatis acceperunt, vt proprios Patres etiam adſcribimus: eos, nimirum, qui poſtea in magna Conſtantinopoli congregati ſunt centum quinquaginta, & eandem fidem ipſi quoque confirmarunt.* Subdit verò cauſam rationabilem, cur aliqua exprimantur in Symbolo Conſtantinopolitano, quæ in Nicæno expreſſa non erant: *Decrevimus ſervari & ea, quæ apud Conſtantinopolim à centum quinquaginta Patribus decreta ſunt ad expellẽdas quidem hæreſes, quæ eo tempore germinaverant* (ſcilicet, Macedonij, & Appollinarij) *& ad confirmationem eiuſdem Catholicæ & Apoſtolicæ fidei.* Denique Pergamius Antiochiæ Epiſcopus in litteris Syno-

nodalibus ad Leonem Auguſtum, quæ poſt eandem Synodum Chalcedonenſem habentur, Epiſtola 41. adhuc luculentiùs id exponit, laudans, non Nicænos modò, ſed & *ſanctiſſimos centum quinquaginta Patres, qui infirmati languoris Macedonij, ſancti Spiritus diuinitatem negantis, ſalutaris auxilij medicinam obtulerunt, apertè firmitatem fidei docentes, & Diuinitatem Vnitatis inſeparabilirer adorandam.* Patet itaque abundè, vltra Symbolum Nicænum, meritò Patres illos Conſtantinopoli congregatos, cõdidiſſe aliud, quo & Nicæna fides confirmaretur, & nonnulla alia exprimerentur opportuna ad debellandos errores Macedonij & Apollinarij, qui litem intentabant circa divinitatem Spiritus ſancti.

240 Quod autem *num.* 229. obijciebatur ex Concilio Sardicenſi vetante additionem fieri Nicæno Symbolo, præter rem eſt. Non enim vetat quodlibet illius additamentum, ſed qualem continebant tabellæ ibi propoſitæ per quoſdam Fpiſcopos, & ab eâdẽ Synodo reprobatæ. Quare licuit poſtea centum quinquaginta Patribus Conſtantinopoli congregatis auctoritate Romani Põtificis cõdere aliud Symbolum, in quo errores noviter exorti proſcriberentur. Minùs verò obſtant voces illæ Epiſcoporum Ægyptiorum in Synodo Chalcedonenſi clamantium, & poſt illã ſcribentium ad Leonem Auguſtum: quoniam ij non erant Catholici, ſed nequiſsimi Eutychianiſtæ, & aperti hoſtes Concilij Conſtantinopolitani, quorum decreta angue & cane peius oderant. Nimirum, ij ſunt, quorum calcibus, aut ſaltem inſidijs, interemptus fuit S. Flavianus Archipręſul Conſtantinopolitanæ vrbis; & S. Proterius Alexandrinus, in ipſo Baptiſterio, Gentilibus ipſis venerando, redactus per ignem in cineres fuit, & in ventos ſparſus. Vnde & ij pugnabant pro Epheſino latrocinio, in quo laudatus Flavianus impiè ab ijs occiſus fuit. Quare Epiſcopi Orientales clamaverunt contra illos: *Hæc Eutyches dixit*: quoniam, nimirum, loquebãtur Ægyptij illi iuxta ſenſum Eutychis, qui in Epheſino latrocinio doloſam fidem exhibuit, admittens ſolum Concilium Nicænum & Epheſinum, omiſſo Conſtantinopolitano, in quo eius perfidia iugulabatur. Quapropter inte ac meritò Diogenes Epiſcopus Cyzianus in eundem Eutychem ita loquitur ad Synodum Chalcedonenſem Act. 2. *Doloſè præpoſuit Synodum ſanctorum Patrum, quæ in Nicæa facta eſt. Accepit namque additamenta à ſanctis Patribus propter perverſum intellectum Apollinaris, & Valentini, & Macedonij, & qui eis ſimiles ſunt. Et additum eſt in Symbolo ſanctorũ Patrum* (nimirum, in Conſtantinopolitano) *QVI DESCENDIT, ET INCARNATVS EST DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE. Hoc namque prætermiſſit Eutyches, ſicut Apollinariſta. Nam etiam Appollinaris ſuſcipit ſanctam Synodum, quæ in Nicæa facta eſt, ſecundùm propriam perverſitatem intelligens.* Iure quoque Seleucus Epiſcopus Amaſenus, & Metropolita Hellenoponti, in litteris Synodalibus ad Leonem Auguſtum Epiſt. 53. aiebat: *Novimus, quia omnes heretici ſanctas Synodos, eorum malas ſectas deſtruentes, accuſant.* Patet igitur nullius momenti eſſe clamorem illum Epiſcoporum Ægypti, qui cum Eutyche diſipiebant, & propterea Symbolum Conſtantinopolitanum execrabantur. Denique Felix Papa III. loco allegato *num.* 230. damnat quidem additionem Petri Fullonis factam vtrique Symbolo: quoniam ille nec auctoritate ſufficienti ad id præditus erar, neque vlla apparebat neceſſitas quidquam addendi eo tempore. Idque ſolùm probant, quæcumque *numero* 231. obiecta ſunt. Cæterum inde nullatenus prohibetur vt Eccleſia, cuius caput eſt Pontifex Romanus, ipſo approbante, aut aliquid addat Symbolo, ſicubi fortè res & occaſio exegerit: aut aliud quoddammodo Symbolum condat, retenta ſemper doctrina Nicæni & Conſtantinopolitani. Nimirum, eiuſdem modò auctoritatis eſt Eccleſia & Romanus Pontifex, ac ſæculis ijs, in quibus vtrumque Symbolum editum eſt. Et ſanè mirum eſt, quomodo Græci execrentur additionem illam tanta auctoritate & ratione factam; cùm tamen nunquam conquesti ſint de alia longè maiore in Symbolo Conſtantinopolitano, vbi primùm fuit poſitum illud: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre procedit*; &c. quod antea in Symbolo Nicæno non habebatur.

241 Vnde Græcorum criminatio corruit: cùm Eccleſiæ omnes Latinæ ex conſenſu Summi Pontificis potuerint addere particulam *Filioque* in Symbolo Conſtantinopolitano, quæ iam antea in doctrina divinitus revelata implicitè continebatur, & ab omnibus Eccleſiæ Patribus tradita fuerat; immo & in quibuſdam Concilijs ſaltem Provincialibus, expreſsè definita. Nec propterea Symbolum illud corruptionem paſſum fuit, quia omnia eius verba retenta ſunt, prout ab initio erant in exemplari Græco. Aut ſi Græci eam additionem pervicaciter calumniantur, velut corruptionẽ, dicamus fuiſſe novũ Symbolũ quoddãmodo à Latinis Eccleſijs

iuſta

iuſta ex cauſa editum, vt loquitur Anſelmus; idque Pontifice Summo approbante, qui controverſiarum fidei ſupremus iudex eſt, & ex iuſta cauſa ac neceſsitate novam Symboli editionem inducere poteſt, vt docet S. Tho. 2.2. q. 1. ar. 10. in corpore dicens: *Nova editio Symboli neceſſaria eſt ad vitandũ inſurgẽtes errores. Ad illius ergo auctoritatẽ pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſſa fide teneãtur: hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur: vt dicitur in Decr. diſt. 17. cap. Multis. Vnde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem conſtituit: Ego pro te rogavi Petre, vt nõ deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Et huius ratio eſt: quia vna debet eſſe fides totius Eccleſiæ ſecundùm illud. 1. Corinth. 1. Ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinetur per eum qui toti Eccleſiæ præeſt: vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur. Et ideò ad ſolam auctoritatem Sũmi Pontificis pertinet nova editio Symboli, ſicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, vt congregare Synodum Generalem, & alia huiuſmodi.*

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

ANACAEPHALEOSIS DOCTRINAE SVPERIORIBVS tradita. Vbi, an Spiritus ſanctus ſit principaliter à Patre?

COLLIGAMVS Breviter, quod ſuprà pluribus rationibus effectum eſt. Conſtat inexpugnabili ratione, Spiritum S. eſſe de Filio, ſicuti eſt de Patre; nec tamẽ eſſe de duobus diverſis, ſed de vno. Ex eo enim, quòd Pater, & Filius vnum ſunt, id eſt, ex Deo, eſt Spiritus S. non ex eo, vnde alij ſunt abinvicem. Sed quoniam Deus, de quo eſt Spiritus S. eſt Pater, & Filius; idcircò verè dicitur eſſe de Patre, & Filio, qui duo ſunt. *Et quoniam Pater non eſt* prior, aut poſterior Filio, aut maior, aut minor, nec alter magis, aut minùs eſt Deus quàm alter: non eſt Spiritus ſanctus priùs de Patre, quàm de Filio, nec de Filio, quàm de Patre; nec maior, nec minor eſt exiſtens de Patre, quàm exiſtens de Filio; nec magis, nec minùs eſt de vno, quàm de altero. Nam ſi priùs aut pòſt, vel maior, vel minor, aut magis, aut minùs de vno eſſet, quàm de altero: ex neceſsitate ſequeretur, vt aut Spiritus ſanctus non eſſet de hoc, in quo vnum ſunt Pater, & Filius; aut ipſum vnum non eſſet perfectè, & ſimpliciter vnum: ſed eſſet ibi aliqua diverſitas de qua illa, quam dixi, in exiſtendo de eodem vno Spiritu S. eſſet varietas: ſed dici non poteſt, quòd Spiritus S. non ſit de hoc, in quo vnum ſunt Pater, & Filius. alioquin non eſſet de Deo. Nec credi debet, quòd in ipſo vno ſit, ſecundùm quod eſt aliqua diverſitas. Quæ res nec priùs, nec pòſt, nec maior, aut minor, nec magis, aut minùs eſt Spiritus S. de Patre, quàm de Filio, aut de Filio, quàm de Patre. *Non enim vnus*, idemque Spiritus S. qui ſimul eſt totus de Deo toto, magis, aut minùs poteſt eſſe de vno, & ſummè ſimplici Deo. *Quòd ſi dicitur*, quia Spiritus S. principaliter eſt de Patre, quaſi magis ſit de Patre, quàm de Filio: Non ita dicendum eſt, vt intelligatur vlla prædictarum varietatum in eſſe: ſed quoniam Fi-

lius hoc,quod eſt,de Patre habet,idcircò hoc ipſum, quòd Spiritus S.eſt de Filio,habere de Patre,de quo habet eſſe,non inconveniẽter aſſeritur. Quoniam tamen ſic habet eſſe de Patre Filius, vt omnino idipſum ſit, quod Pater,& vnus idéque Deus: ſicut ſolus,& ſimplex Deus nõ poteſt eſſe maior,vel minor ſeipſo,nec prior,nec poſterior,nec aliquid in ſe habet diverſum;ſic Filius nec prior,nec poſterior,nec maior, nec minor eſt Patre,nec habet aliquid in ſe diverſum ab eo:ſed ſicut habet ab illo perfectè eſſe:ita habet per omnia ab eodem æquale illi,& ſimile, immo id ipſum eſſe. Quapropter,ſicut Pater non eſt magis Deus, quàm Filius, quávis Filius habeat eſſe de Patre: ita non eſt magis Spiritus S. de Patre, quàm de Filio,licèt Filius à Patre habeat,vt de illo ſit Spiritus S. *In eo enim* in quo eſt vnus,idemque cum Patre,id eſt,in eo,quòd Deus eſt, nec eſt alius ille,& alius Pater,neque diſsimiliter habet aliquid:quia nõ eſt alius Deus Pater, & alius Deus Filius; neque diſsimiliter ſunt id, quod ſunt; ſed in eo,quod ille eſt Pater,iſte Filius, alius eſt ille,& alius eſt iſte.Et ſicut Filius non eſt alius Deus quàm Pater: ita ſecundùm quòd Deus eſt, non habet aliquid ab alio, quàm à ſe ipſo. Nam cùm dicimus Deum de Deo,Filium de Patre,non alium intelligimus Deum de Deo alio;ſed eũdem ipſum Deum de eodem ipſo Deo,quamvis dicamus alium de alio, Filium,ſcilicet,de Patre.Sicut enim ſuprà dictum eſt, quemadmodum Deus, ſecundùm nomen ſignificans vnitatem, nullam recipit diverſitatem; ita ſecundùm nomina ſignificantia,Deum eſſe de Deo, neceſſariò admittit pluralitatem. *Si ergo dicitur*, quòd Spiritus S. principaliter à Patre ſit; non aliud ſignificatur, quàm quia ipſe Filius, de quo eſt Spiritus S.à Patre habet hoc ipſum,vt Spiritus S.ſit de illo:quoniam id,quod eſt, habet à Patre. Non quemadmodum in rebus creatis, cùm aliquid aſſerimus eſſe principaliter, volumus ſignificare, quòd magis ſit hoc, quod dicitur eſſe principaliter, quàm illud, ad quod refertur.

SCHOLIA IN CAPVT XV.

Spiritum ſanctum non priùs, aut magis procedere de Patre, quam de Filio. An dicendus ſit de Patre procedere principaliter, & quo ſenſu? An etiam propriè de Patre exiſtat, & qualiter intelligendi Patres ita loquentes.

245 COLLIGAMVS BREVITER; &c. Colligit in vnum Anſelmus, & breviter pręſtringit plura,quæ hactenus fusè docuit, & inexpugnabilibus argumentis probavit. Ac primò quidem, Spiritũ ſanctum exiſtere de Filio, quemadmodum de Patre. Secundò,non procedere ab ijs tanquam diverſis, ſive duobus principijs, ſed tanquam ab vno. Procedit enim ex eo, in quo Pater & Filius ſunt vnum, nimirum, ex Deo: non autem ex illo, in quo ſunt invicem diverſi; nimirum, ex paternitate & filiatione. Quod idẽ S. Doctor iam præmiſsit in Monologio *cap.* 52. vbi probat, vnicum eſſe amorem, quo ſé invicem diligunt Pater & Filius: *quia non ex eo procedit, in quo plures ſunt Pater & Filius, ſed ex eo, in quo vnum ſunt. Nam nõ ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt (alia eſt enim relatio Patris, alia Filij) ſed ex ipſa ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.* Verùm cùm Deus ipſe,de quo Spiritus ſanctus procedit, ſit Pater & Filius; meritò ille dicitur procedere de Patre & Filio, qui duo ſunt, cùm dicitur de Deo procedere. Quod ſuprà c. 10. latè explanatum fuit.

244 *ET QVONIAM PATER*, &c. Infert vlteriùs,Spiritum ſanctum nõ procede-

cedere priùs de Patre, quàm de Filio, aut è converſo: nec maiorē aut minorem eſſe prout exiſtit de Patre, quàm prout de Filio: nec magis aut minùs procedere de vno, quàm de altero. Omnia hæc exinde colligit, quòd Pater non ſit prior aut poſterior Filio; nec maior, aut minor; nec alter eorum ſit magis aut minùs Deus, quàm alter. Immò & omnia ea deducit ex eo, quòd Spiritus ſanctus procedat ex Patre & Filio, tanquam ab vno principio, & vno Deo. Si enim procederet priùs, aut magis de vno quàm de alio; vel eſſet maior aut minor quatenus ex vno eorum procedit, quàm prout ex alio; neceſſariò ſequeretur alterum ex his: nimirum, vt vel Spiritus ſanctus non eſſet de eo, in quo ſunt vnum Pater & Filius: vel quòd illud ipſum non eſſet perfectè & ſimpliciter vnum. Quippe in eo ipſo, penes quod ſunt vnum, deberet eſſe aliqua diverſitas, vel varietas. Atqui probatū eſt ſuperioribus Spiritum S. eſſe de eo, in quo ſunt vnum Pater & Filius; & illud ipſum, de quo Spiritus ſanctus exiſtit, eſſe perfectè & ſimpliciter vnum, abſque vlla diverſitate, aut varietate. nimirum, eandem omnino divinitatem, & vim ſpirandi. Non ergo Spiritus ſanctus procedit priùs aut poſteriùs, magis aut minùs, de vno, quàm de altero, nec minor eſt prout ex vno, quàm prout ex altero procedit. Vnde cùm aliqui ex Patribus Græcis aiunt, Filium *ἀμέσως* & *προσεχῶς*, *immediatè ac propriè* à Patre produci; Spiritum ſanctum verò *ἐμμέσως*, *mediatè*, ſive interpoſito Filio; non ita intelligendum eſt, vt ſolum Filium proximè producat Pater; & deinde Filius ſolus proximè Spiritum ſanctum emittat. Quippe id procul debere eſſe à ſenſu Catholicorum, conſtat ex Auguſtino Tract. 100. in Ioannem, vbi ait: *Non enim propterea, ſicut quidam hæretici putaverunt, minor eſt Filio Spiritus ſanctus: quaſi Filius accipiat à Patre, & Spiritus ſanctus à Filio, quibuſdam gradibus naturarum.* Quare id Patrum Græcorum effatum ita intelligendum eſt, vt prima ex proceſsionibus divinis ſit origo Filij immediatè à ſolo Patre: Filio autem iam producto, ſeu interpoſito, Spiritus ſanctus ſit æquè immediatè & proximè ab vtroque; licèt à Patre ſolo habeat Filius, vt de eo Spiritus ſanctus procedat. Quod idem Auguſtinus præmiſerat Tract. XCIX. dicens: *Spiritus autem ſanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandum creaturam: SED SIMVL DE VTROQVE PROCEDIT: quamvis hoc Pater Filio dederit, vt quemadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat.* Similiter Auctor Confeſsionis Theologicæ, quam aliqui Caſsiano tribuunt, alloquens Spiritum ſanctum, inquit: *Et ideo vnum ſunt Pater & Filius: quia tu æqualiter ab ambobus procedis, Deus Spiritus.*

245 *NON ENIM VNVS*, &c. Cōfirmat doctrinam præcedentem: quoniam Spiritus ſanctus vnus idemque procedēs totus de Deo toto & ſimplici, nō poteſt eſſe magis aut minùs de illo. Vbi enim principium eſt omnino ſimplex & vnum, ac terminus productus pariter vnus & ſimplex, nullus locus eſſe poteſt, vt in ipſo principio cogitetur aliquid, de quo terminus procedat magis aut minùs. Atqui res ita ſe habet in Spiritu S. vt termino proceſsionis ex Patre & Filio, tanquam vno & ſimplici Deo, vno & ſimplici principio. Nullus ergo locus eſt vt Spiritus S. procedat magis aut minùs ex Patre, quàm ex Filio.

246 *QVOD SI DICITVR*, &c. Poſſet quiſquam dicere Spiritum S. eſſe de Patre principaliter, quaſi magis ſit de illo, quàm de Filio. Verùm hoc ſenſu negandum eſt Spiritum ſanctum eſſe principaliter ex Patre: cùm procedat ab illo; quatenus eſt aliquid omnino vnum & idem cum Filio; ſive quatenus ambo ſunt vnus & idem Deus omnino ſimplex, qui propterea nequit eſſe maior aut minor, prior aut poſterior ſeipſo, nec vllam in ſe admittere diverſitatem. Nō ergo Spiritus S. eſt de Patre principaliter, quaſi ſit de ipſo magis, quàm de Filio. Si autem eſſe de Patre principaliter, idē ſit ac dicere, Filium à Patre habere hoc quod eſt ſpirare, ſeu producere Spiritum S. non verò Patrem à Filio id accipere; poteſt non incongruè dici, Spiritum S. ex Patre procedere principaliter. Verùm in hoc ſenſu, manet ratum ac firmum, Spiritum S. non magis eſſe à Patre, quàm à Filio; nec maiorem eſſe prout à Patre, quàm prout à Filio. Id patet exemplo ipſius Filij, qui à Patre habet totū id quod eſt: & tamen non propterea eſt prior aut poſterior, maior aut minor Patre, nec vllam ab eo diverſitatem habet quantum ad divinitatem: ſed eſt æquè Deus, immò vnus Deus cum illo. Sicut ergo Filius non eſt minùs Deus quàm Pater, licèt habeat eſſe de Patre: ita etiam Spiritus S non minùs procedit ex Filio, quàm ex Patre, licèt à Patre habeat Filius, vt de eo Spiritus ſanctus exiſtat.

247. *IN EO ENIM*, &c. Explanat vberiùs eandem rationem: Quoniam in eo penes quod Filius eſt vnus idemque cum Patre, nimirum, quatenus Deus, non eſt alius à Patre, nec diſsimiliter eſt id quod eſt: ſed tota alietas, vt ita loquamur, vtriuſque eſt penes paternitatem, & filiationem. Quemadmodum verò Filius non eſt alius Deus, quàm Pater: ita etiā quatenus Deus eſt, non habet aliquid ab alio, quàm à ſeipſo. Quippe enim cùm dicimus

Deum de Deo eſſe, non intelligimus alium Deum de Deo alio, ſed eundem ipſum Deum, de eodem ipſo Deo; quamvis dicamus alium de alio, nimirum, Filium de Patre. Etenim initio huius Opuſculi dictum eſt, quemadmodum Deus ſecundùm id nomen ſignificans vnitatem, nullam diverſitatem admittit: ita ſecundùm nomina ſignificantia proceſsionem, ſive Deum eſſe de Deo, neceſſariò exigit pluralitatem perſonarum.

248 *SI ERGO DICITVR*, &c. Concludit, ſi dicatur Spiritum ſanctum principaliter à Patre procedere, nihil aliud ſignificari, quàm quòd Filius, de quo procedit Spiritus ſanctus, habet à Patre communicatam virtutem ſpirandi: quoniam quidquid eſt, & habet Filius, profectò à Patre habet. Non autem dicere fas eſt, Spiritum ſanctum à Patre procedere principaliter, eo ſenſu, quo in rebus creatis dicere ſolemus aliquid eſſe principaliter à quoquam, quaſi magis ab illo, quàm à quodam alio ſit.

249 Doctrina Anſelmi hoc loco ab alijs quoque Patribus traditur: ac primùm quidem ab Auguſtino lib. XV. de Trinitate cap. 17. vbi cùm dixiſſet, Spiritum ſanctum de Patre *principaliter* procedere, ſubdit: *Ideo autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur: ſed hoc quoque illi Pater dedit, non iam exiſtenti, & nondum habenti: ſed quidquid Vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus ſanctus Spiritus eſſet amborum.* Itaque dicitur Spiritus ſanctus à Patre procedere principaliter, non quia ſimul, aut æquè à Filio non procedat: ſed quia Filius à Patre per generationem accipit hoc quod eſt ſpirare, ſeu eſſe principium Spiritus ſancti: quod tamen Pater non habet à Filio. Hic enim ſenſus eſt Catholicus: ille autem abſurdus, & à Græculis Sophiſtis excogitatus: contra quos invehitur Hugo Etherianus lib. 1. cap. 15. quoniam per calumniam fingebant, Latinos dicere, Spiritum ſanctum *primò* à Patre procedere, & *ſecundariò* à Filio, & illum potiùs aut magis, quàm iſtum, exiſtere Spiritus ſancti principiũ. Quæ omnia refellens Hugo, ſic de Latinis loquitur: *Ideo principaliter procedere Spiritum ſanctum ab alterutro removentes, de vtroque procedere affirmant æqualiter. Inquiunt enim: Si non eſt in ſancta Trinitate prius ſecundùm tempus, nec ſecundùm naturam, honoremve, potentiamve; non eſt aliqua trium perſonarũ principaliter ab alia: magis autem quod à nullo ſecundùm rationem poſteriorem provenit, principaliter ab alio non videtur procedere.* Itaque eatenus ſolùm negat, Spiritum à Patre procedere principaliter, quatenus opponitur huic, quod eſt *æqualiter* procedere; aut quatenus denotat procedere magis à Patre, quàm à Filio: non autem prout ſignificat, Patrem dare Filio, vt ſit principium Spiritus ſancti. quæ eſt ipſiſsima ſententia Anſelmi, & Auguſtini ſuprà allegati, & probata in Concilio XI. Toletano in Profeſsione Fidei, atque vſurpata ab Agobardo Lugdunenſi in Sermone de Trinit. & ab Auctore libri illius de Trinitate & Vnitate Dei, qui habetur in Appendice Tomi IV. Operũ Auguſtini editionis Plantinianæ anni 1575. cap. 3. Conſonat D. Thom. 1. p. q. 36. ar. 2. ad 2. vbi inquit: *Si Filius acciperet à Patre aliam virtutem numero ad ſpirandum Spiritum S. ſequeretur quod eſſet ſicut cauſa ſecunda & inſtrumentalis: & ſic magis procederet à Patre, quàm à Filio. Sed vna & eadem numero virtus ſpirativa eſt in Patre & Filio: ET IDEO ÆQVALITER PROCEDIT AB VTROQVE. Licèt aliquando dicatur ſecundùm prædictam habitudinem principaliter vel propriè procedere de Patre, PROPTER HOC QVOD FILIVS HABET HANC VIRTVTEM A PATRE.* Denique poſt eos PP. Ioannes Theologus Græcus in Cõcilio Florentino Seſſ. 24. eodem ſenſu Patrẽ appellat cauſam principalem Spiritus S. dum ait: Κατὰ μίαν τὴν πνευματικὴν δύναμιν, &c. *Igitur ſecundùm vnicã ſpirandi vim perſonarum duarum, & vnicam producendi facultatem, non duo productores, neque duæ cauſæ ſunt, ſed vna & eadem numero, PRINCIPALITER QVIDEM PATRIS ESSE INTELLIGITVR, A QVO FILIVS HANC HABET. Et ob vim illã Pater & Filius dicitur vnũ principiũ nõ confuſione perſonarum.*

250 Itaque dum aliqui ex Patribus aiunt, Spiritum ſanctum à Patre procedere principaliter, non ideò volunt procedere ab eo magis, quàm à Filio; ſed ſolùm ita loquuntur ad ſignificandum; Patrem à ſe habere vim ſpirandi; Filium verò non, niſi à Patre ſibi communicatam. Quod hoc loci tradit Anſelmus; & nec latum vnguem diſsidet à ſana & Catholica doctrina. Conſonant Scholaſtici: vt Bonaventura *in* 1. *diſt.* 12. *q.* 2. Durandus *q.* 2. Gabriel *q.* 3. Scotus *q.* 2. Marſilius *in* 1. *q.* 15. *ar.* 2. *concl.* 2. docentes Spiritum ſanctum à Patre & Filio æquè perfectè, & eodem modo procedere quoad virtutem ſpirandi, quę eadem omnino in vtroque eſt. Addunt tamen, ſi proceſsio comparetur cum ſuppoſitis producentibus, Spiritum ſanctum non procedere eodem modo, ſive vniformiter, vt ipſi lo-

loquuntur: quoniam Pater à ſe ipſo habet virtutem ſpirandi; Filius autem à Patre, qui eam ipſi communicat media generatione.

251 Verùm Bonaventura & Marſilius locis indicatis non renuunt concedere, Spiritum ſanctum à Patre procedere principaliùs, quamvis fateantur à Filio procedere principaliter. Vbi diſtinctionem aliquam cogitaſſe videntur inter procedere *principaliùs*, & *principaliter*. Durandus quoque adverbium *principaliter* vſurpat ſenſu comparativo. Meliùs tamen Anſelmus hoc loco illud accipit abſque comparatione vlla: ſicuti & D. Thomas, & cæteri Patres allegati, qui ſolùm aiunt Spiritum ſanctum procedere à Patre principaliter, quatenus à ſe habet vim ſpirandi. Et quamvis locutio Bonaventuræ ac Marſilij in re nihil doceat à veritate abhorrens; in modo tamen loquendi non caret ſuſpicione aliqua: quoniam dicere, Spiritum ſanctum procedere à Patre principaliùs, ſeu principaliter in ſenſu comparativo, videtur denotare inæqualitatem aliquam, ſeu maiorem perfectionem Patris, quàm Filij in ſpirando. quod non modò ſentire, verùm & ſignificare ex modo loquendi, nullatenus licet. Quin & Scotus vbi ſuprà refert, Bonaventuram fuiſſe à quodam Theologo reprehenſum, quòd illo adverbio vteretur in ſenſu comparativo inter Patrem & Filium; cùm tamen Filio non conveniret poſitivum illius, ſcilicet, ſpirare principaliter, quoniam non habet à ſe vim ſpirandi. Comparatio autem ſolùm inter ea, quæ eandem formam participant, fieri debet.

252 Colligitur ex dictis, inter Patrem & Filium non eſſe vllum ordinem originis quoad actum ſpirandi: ſive, quod perinde eſt, alterum illorum non ſpirare priùs altero. Etenim vbi eſt ordo originis inter aliqua, debet eſſe vnum prius alio ſecundùm aliquem ſenſum. Pater autem non eſt prior Filio quoad actum ſpirandi, ſed ſolùm in habendo virtutem ſpirãdi, quæ licèt ſit eadem in vtroque, eſt priùs origine in Patre, quàm in Filio. Vbi verò vterque intelligitur illam habere, ambo ſimul ſpirant. Neque obſtat quòd Pater ſpiret à ſe, & Filius ſpiret ab alio. Inde enim ſolùm colligitur, Patrem habere à ſe virtutem ſpirandi, & Filium à Patre, ac propterea eſſe ordinem originis inter vtrumque in habendo vim ſpirandi; non autem in ſpirando: ſiquidem ipſa ſpiratio eſt origo conſtituens ordinem inter ſpirantem & ſpiratum, & æquè immediatè eſt ab vtroque, per eandem virtutem fœcundo. Igitur quoad actionem ſpirandi nullus ordo originis eſt inter Patrem & Filium.

253 Colligitur vlteriùs, quonam ſenſu aliqui ex Patribus dixerint, Spiritum ſanctum propriè à Patre procedere. Etenim inter Opera S. Hieronymi editionis Pariſienſis anni 1609. Tomo IV. extat quædam Explanatio Fidei ad Cyrillum, cuius initium eſt Symbolum Nicænum, non tamen purum, ſed quibuſdam additis interpolatum: inter quæ habetur: *Et in Spiritum ſanctum, qui de Patre procedit propriè, & Deus eſt verus, ſicut Filius.* Ac prætereà in eâdem Explanatione dicitur, *Spiritum ſanctum de Patre propriè eſſe.* Quæ cauſa fuit vt Noſter Cardinalis S. Petrus Damiani in Opuſculo de Proceſsione Spiritus ſancti cap. 7. diceret: *Vnde cùm in Cõcilij Nicæni Symbolo, quod ſuperiùs memoravimus, Spiritus ſanctus non dicatur à Patre procedere, ſed addatur PROPRIE (Et in Spiritum, inquit, ſanctum, qui de Patre procedit propriè) hæc proprietas non ideo datur Patri, vt Spiritus ſanctus de ſolo illo procedat; ſed quia ab ipſo datum eſt Filio, vt etiam ex ipſo procedat.* Vbi Damianus, ſuppoſito quòd particula *propriè* extaret in Symbolo Nicæno, quemadmodum dicitur in Explanatione illa, congruenter ſatis explicuit vocem *propriè*, & eodem ſenſu, quo ſuprà particula *principaliter* ab Anſelmo, & alijs Patribus explanatur. Cæterum verè in Symbolo Nicæno non fuit poſita particula *iδιως*, *propriè*: ſed duntaxat: *Et in Spiritum ſanctum.* Poſtea verò in Symbolo Conſtantinopolitano additum fuit: *Qui à Patre procedit.* In nullo autem eorum particula *propriè* addita fuit: ſed ſolùm ab Auctore Explanationis prædictæ fuit poſita.

254 Hugo Etherianus lib. 1. contra Græcos cap. 16. exiſtimat illam Explanationem eſſe Hieronymi, & allegata ipſius verba conferens cum teſtimonijs Auguſtini aſſerentis Spiritum ſanctum à Patre procedere principaliter, exiſtimat, vtraque vocem, *propriè*, & *principaliter*, vſurpari per catachreſim. Ait enim: *Ergo abuſiuè dictum eſt, PRINCIPALITER, & PROPRIE; quòd hoc habet Pater a ſe, non ab alio: Filius autem à Patre hoc habet, vt de ipſo ſit, & procedat; ſicut de Patre eſt, & procedit Spiritus ſanctus.* Verùm Petrus Abaelardus lib. 2. Introductionis Theologiæ cap. 15 referens illa Auguſtini & Hieronymi teſtimonia, dubitat an vocabulum *propriè* ſignificet idem, ac *principaliter*: nec tamen affirmare id audet: quoniam iis ipſis locis Filius dicitur propriè de Patre natus; cùm tamen de illo principaliter natus dici non poſsit, quoniam de nullo alio natus eſt. Non ergo idem ſignificat vocabulum *propriè*, ac *principaliter*.

255 Dicendum itaque videtur cum Petavio lib. VII. de Trinitate ſicubi fortè apud Patres legitur, Spiritum ſanctum ἰδίως, propriè ex Patre procedere τὸ ἰδίως idem eſſe ac οὐσιωδῶς, id eſt, *eſſentialiter*, aut *ſubſtantivè*: quoniam, nimirum, Spiritus ſanctus procedit ex ipſa Patris ſubſtantia, & longè aliter quàm creaturæ, quæ ſolùm libera Dei voluntate & electione exiſtunt. Quo ſenſu etiam à Filio dicitur procedere Spiritus ſanctus *propriè*, ſive ab vtroque ſimul cùm indiviſim de eàdem vtriuſque ſubſtantia, ſeu eſſentia exiſtat: vt loquitur Epiphanius Hæreſi LXII. quæ eſt Sabellianorũ: vbi inquit de Spiritu ſancto: οὐκ ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ, &c. *Non eſt alienus à Patre & Filio: ſed ex eadem ſubſtantia, ex eadem divinitate; ex Patre & Filio, cum Patre & Filio, ſubſiſtens ſemper Spiritus ſanctus.* Vbi *nõ alienus*, perinde eſt, ac *proprius*, ſive ex propria vtriuſque ſubſtantia exiſtens. Deinde Cyrillus Dialogo VII. de Trinitate docet, Spiritum ſanctum non eſſe adventitia ſanctitate perfuſum, inſtar hominum aut Angelorum, ſed ſubſtantiva: idque probat ex eo quòd ſit *proprius* Filij Spiritus, ſeu *propriè* ex Filij ſubſtantia procedens. Vnde ait: *Qui enim ex ipſo eſt, & in ipſo*, καὶ ἴδιον αὐτοῦ, *ET IPSIVS PROPRIVS; quomodo vnquã participabit ipſum, & perinde atque externa quadam habitudine ſanctificabitur, alienuſque ſecundùm naturam futurus eſt ab eo, cuius etiam PROPRIVS eſſe dicitur?* Vbi, vt vides, dicitur *proprius* Filij, nõ quaſi ſolius, vel prout diſtincti à Patre: ſed tanquam de ipſius ſubſtantia naturaliter procedens, & eo ſenſu quo *proprius* diſtinguitur contra extraneum, aut alienum. Pariter ergo ſicubi fortè Spiritus sãctus à Veteribus Theologis dicitur *proprius* Patris, eodem modo id interpretandum eſt. Nimirum, idem Cyrillus Dialogo X. allegatus à Ioanne Becco, exponens quomodo Pater & Filius veniant in iuſtorum animos & manſionem in ijs faciant, eodem ſenſu inquit: *Domeſtico, & in ſeſe habitante, vtroque Deo, ditatur quiſpiam eatenus, quatenus Spiritum ipſius accipit, NON VT ALIENVM ALIQVID ET SEPARATVM SVBSTANTIALITER; ſed eiuſmodi, quod ex ipſo, & in ipſo*, καὶ ἴδιον αὐτοῦ, *ET PROPRIVM EST IPSIVS, & æqualem cum ipſo dominatum gerit.* Vbi Spiritus ſanctus indiviſim dicitur *proprius* Patris & Filij; quatenus non eſt alienus ab vtroque, aut ſubſtantialiter ſeparatus, ſed ex eadem vtriuſque ſubſtantia exiſtens. Deinde loquens de Chriſto ait: *Miſit ad nos de cœlo Paraclitum, per quem & in quo nobiſcum eſt, & in nobis habitat, non tanquam peregrinum in nos effundens, SED SVBSTANTIÆ TAM IPSIVS, QVAM PATRIS SVI, PROPRIVM SPIRITVM.* Quid illuſtrius? Patet itaque; quo ſenſu accipi debeat, quod alicubi in Patribus legitur, Spiritum ſanctum *propriè* ex Patre procedere.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

EXPLANATVR VBERIVS DOCTRINA CAPITIS præcedentis.

VT Cùm diſpenſator alicuius domini, eius præcepto paſcit familiam domus, dominus principaliter, & magis eam paſcere rectè dicitur, quàm diſpenſator. Nam non omnia, quæ ſunt domini, ſunt diſpenſatoris æqualiter; ſicut ea, quæ ſunt Patris, Filij quoque ſunt, non inæqualiter. *Quæret forſitan aliquis*, & mirabitur dicens: Quomodo poteſt intelligi, vt habeat aliquid eſſe de aliquo, & non ſit aliquo modo id, de quo eſt, principalius, & dignius: & hoc, quod ex eo, non eſt quodam modo minus, & quaſi ſecundarium? Præſertim, cùm id, quod eſt de aliquo, videatur indigere, vt ſit, eo, de quo eſt: illud verò de quo eſt, nequaquã egeat eo, quod de ſe eſt? *Ad quod reſpondendum*, quòd ſicut eſſentia Dei valdè diverſa, & aliena eſt à creata eſſentia: ita cùm dicimus Deum de Deo exiſtere naſcendo,

cendo, vel procedendo, longè aliter intelligenda eſt iſta nativitas, ſive proceſsio, quàm cùm dicimus in alijs rebus aliquid naſci, vel procedere. Ibi enim nihil eſt, aut natura, aut tempore, aut in aliquo priùs, aut poſteriùs, magis, aut minùs, aut vlla ratione aliquo indigens; ſed totum, quod eſt, non tam æquale, vel ſimile ſibi, & coæternum; quàm idem ſibi ipſi, & per ſe ſibi ipſi omnino ſufficiens; nec naſcitur, vel procedit ibi aliquid, quaſi de non eſſe proficiens ad eſſe. Sicut igitur intellectus noſter non poteſt tranſire vltra æternitatem, vt quaſi de principio eius iudicet: ſic non poteſt de hac nativitate, vel proceſsione, nec debet ad ſimilitudinem creaturæ ſentire, vel iudicare. Sed quoniam, & quod naſcitur, & quod procedit, non eſt aliud, niſi id, de quo eſt naſces, vel procedens, quod eſt ſolus, & vnus Deus; ſicut idē Deus non eſt ſe ipſo maior, vel minor: ita in tribus, hoc eſt, in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, non eſt aliquid maius, vel minus, nec eſt alius alio, hoc quod eſt maius, vel minus: quamvis verum ſit, quòd Deus eſt de Deo naſcendo, & procedendo.

257 *Ecce vidimus*, quanta veritate, & quanta neceſsitate ſequatur, Spiritum ſanctum de Filio procedere. Quod ſi verum non eſt; aut aliquid eorum, ex quibus hoc diximus conſequi, falſum eſt; quod eſt contra Chriſtianā fidē, quam cum Græcis tenemus: aut non conſequenter concluſsimus: quod oſtendi nequit. Quare ſi verum non eſt, fides Chriſtiana deſtruitur. *Palàm etiam eſt* intelligenti, ſi falſum eſſe ponitur, quia nulla inde veritas naſcitur. Conſideremus quoque quid eveniat, cùm pro vero aſſeritur. Vtique ſi verum eſt, Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicut à Patre; ſequitur, quia Filij ſpiritus eſt, ſicut Patris; & mittitur, & datur à Filio, ſicut à Patre: quod divina docet auctoritas, & nulla penitus ſequitur falſitas. Cùm autem proceſsio Spiritus ſancti à Filio negata tantam inducit falſitatem, vt illa, ex quibus eam conſequi monſtravimus, deſtruat contra fidem chriſtianam; nec vllam generet veritatem, & aſſerta tantam probet veritatem (ſicut oſtendimus) nec aliquam vllatenus ſecum trahat falſitatem: cogitet cor rationale, qua ratione illam excludat à fide Chriſtiana. *Denique ſi error eſt* hanc credere de Filio Spiritus ſancti proceſsionem; ipſa divina auctoritas nos in errorem inducit: cùm & illa, ex quibus hæc ſequitur proceſsio, & quæ illam ſequuntur, nos docet; nec alicubi, aut illam negat, aut quod illi repugnet aliquo modo pronuntiat. Si ergo opponitur, quia nuſquam eam profert divina auctoritas, ideò non eſſe dicendam: Dicatur ſimiliter, quia nuſquam illam negat, nec aliquid dicit, quod repugnet, non eſſe negandam. Dicimus etiam; quia ſatis illam affirmat, cùm illa aſſerit: vnde probatur; & nullo modo aliquid ſignificat, vnde negetur.

SCHOLIA IN CAPVT XVI.

Iterum confirmatur proceſsio Spiritus ſancti æqualiter ex Filio, ac ex Patre. Porrò huic æqualitati non obſtare, quòd Filius à Patre procedat, & habeat vim ſpirandi, ſicut non obſtat vt Filius ſit æqualis Patri. Quomodo Eccleſiæ Patres id intellexerint: & quam vera ſit Spiritus ſancti proceſsio ex Filio.

258 PROSEQVITVR Anſelmus, vt vberiùs exponat doctrinam traditam ſuperiori capite; confirmetque, ſi quando apud Patres dicitur, Spiritum ſanctum eſſe principaliter à Patre, id nòn debere ita intelligi, vt ſit magis à Patre, quàm à Filio.

VT CVM DISPENSATOR, &c. Nimirum, non ſe habet Filius relatè ad Patrem, ſicuti diſpenſator relatè ad dominum, cuius præcepto paſcit familiam. Etenim dominus principaliter & multò magis cenſetur domum paſcere, quàm diſpenſator: quoniam bona, ſive facultates domûs, inæqualiter ad vtrumque ſpectant, & longè magis ad dominum, quàm ad diſpenſatorem: ideoque bonorum diſtributio potiùs adſcribitur domino, cuius propria ſunt, quàm diſpenſatori iuxta ipſius præceptum diſtribuenti. Cæterum quæcumque ſunt bona Patris æterni, æqualiter Filij bona ſunt. Æqualiter ad vtrumque ſpectat productio Spiritûs ſancti, vt capite præcedenti oſtenſum eſt: quoniam inter divinas perſonas nulla eſt inæqualitas. Ergo ſi quando dicitur Spiritus ſanctus procedere principaliter de Patre, id non eſt ita accipiendum, qualiter dicitur familia paſci à domino, relatè ad diſpenſatorem. Quod iam in præcedentibus fusè confirmatum eſt.

259 *QVÆRET FORSITAN ALIQVIS*, &c. Obijcit ſibi quandam difficultatem in hunc ferè modum. Non videtur cogitatione capi, aut reipſa eſſe poſſe, vt id, de quo aliquid habet eſſe, non ſit principalius & dignius. Atqui Filius habet eſſe de Patre, & de illo etiam habet vt ſit principium Spiritus ſancti. Ergo nec intelligi, nec eſſe poteſt, vt Pater non ſit aliquid principalius, digniuſque, quàm Filius, in ordine ad productionem Spiritus ſancti. Ratio autem à priori ea eſt: quoniam id, quod accipit ſuum eſſe ab alio, videtur ab eo dependere: ac proinde eſſe minùs, & veluti aliquid ſecundarium: id autem, quod dat eſſe alteri, nullatenus ab eo dependet, nec illo eget: ac proinde eſt aliquid præſtantius & principalius Filio, cui dat eſſe, & vt ſit principium, ſive comprincipium Spiritus ſancti.

259 *AD QVOD RESPONDENDVM*, &c. Occurrit Anſelmus difficultati propoſitæ, reddendo diſcrimen proceſsionum divinarum à creatis. Etenim quoties in creatis vnum ex alio procedit, eſt poſterius illo, ſeu tempore, ſive ſaltem, ſeu naturâ, & diverſam proinde eſſentiam ab illo habet, ac dependentem ab eo, inferioremque quoddammodo; quatenus per ipſius cauſalitatem habet transferri de non eſſe ad eſſe. In divinis autem proceſsionibus alia omnia inveniuntur: quia nulla ex perſonis eſt in aliquo prior aut poſterior aliâ tempore, vel naturâ, nec maior aut minor, vel vllatenus eâ indigens. Quippe quælibet ex divinis perſonis, totum id quod eſt, non tam habet per æqualitatem, aut ſimilitudinem, aut coæternitatem, quàm per identitatem eiuſdem eſſentiæ, quâ ſibi ipſi omnino ſufficiens eſt, abſque indigentia vlla. Neque ibi aliquid naſcitur aut procedit, quaſi gradum faciens, aut progrediens de non eſſe, ad eſſe: cùm tres perſonæ ſint coæternæ. Intellectus autem noſter ob limitationem ſuam, ſicut nequit dignè concipere æternitatem omni initiò carentem; ita non poteſt æternas illas proceſsiones apprehendere, niſi inſtar proceſsionũ creatarum. Sed enim corrigendus eſt: quia in creatis id, quod procedit ab aliquo, eſt aliud naturâ ab ipſo, ideoque poſterius, & dependens, & eo indigens eſſe poteſt, vt ex nòn ente tranſeat ad exiſtendum. In divinis autem id, quod naſcitur, & quod procedit, non eſt aliud, ſed ipſum quod eſt id, à quo naſcitur, ſeu procedit: nimirum, eſt vnus & ſolus Deus. Quemadmodum verò idẽ Deus nequit eſſe maior aut minor, prior aut poſterior, vel dependens aut indigens ſeipſo: ita etiam nulla ex tribus perſonis, eſt maior aut minor, prior aut poſterior, vel dependens ab alia, aut eâ indigens, quamvis vna naſcatur, vel procedat ex alia.

260 Eandem doctrinam ſolutionemque Anſelmi invenio à Patribus traditã, præſertim contra Arianos, qui ſimili ferè argumento contendebant, Filium eſſe minorem inferioremque & poſteriorem Patre, quoniam ab eo vt cauſa, ſive principio, proceſsit. Reſpondet verò Hilarius lib. XI. de Trinit. ſub initium: *Deum naſci, non eſt aliud, quam in eâ natura eſſe, quâ Deus eſt: quia naſci, cùm cauſam nativitatis oſtendat, non diſproficit tamen in genere auctoris exiſtere. Quod autem non diſproficit in genere, debet quidem auctori cauſam nativitatis ſuæ: naturam tamen ex ſe non amiſsit auctoris: QVIA NATIVITAS DEI NEQVE ALIVNDE, NEQVE ALIVD EST.* Itaque cum nativitate, ſeu proceſsione vnius

ab

ab alio, cohæret quòd vterque retineat dignitatem auctoris, ſcilicet, Dei: quoniam in omnibus perſonis divinis eadem natura eſt, quæ non ſinit vnam earum eſſe minorem, aut poſteriorem alia. Fauſtinus quoque, quem aliqui Gregorium Bæticum appellant, lib. de Trinitate & Fide, ex Catholicorum ſenſu ait, *Patrem & Filium eiuſdem eſſe ſubſtantiæ: & ideo ſecundùm ſubſtantiam alterum altero non eſſe maiorem.*

261 Neque obſtant verba illa Chriſti Ioannis 14. v. 27. *Pater maior me eſt.* ex quo loco Ariani exiſtimabant actum eſſe de doctrina Catholica, & cònſubſtantialitate Filij ac Patris. Non, inquam, obſtant: quoniam is locus à pleriſque Patribus accipitur de Chriſto, non vt eſt Filius æterna generatione procedens à Patre, ſed quâ homo in tempore natus ex Matre; ac proinde inferior, non Deo ſolùm, ſed & Angelis, ſecundùm naturam aſſumptam. Ita enim exponunt Athanaſius *lib. de humana natura ſuſcepta*, pauló poſt initium, & in fine: Cyrillus *lib. 10. in Ioannem*, Baſilius *Epiſt. CXLI.* Gregorius Nyſſæ Antiſtes, eiuſdemque Baſilij frater, *lib. de Abraham*, apud Ioannem Cypariſſiotum *Decade 9. cap. 3.* Ambroſius *lib. 3. de Fide cap. 4.* Auguſtinus ſæpe, & præcipue *lib. 3. contra Maximinum cap. 14. & lib. 1. de Trinitate cap. 7. & tract. 18. in Ioannem, & Epiſt. 175.* Anphilochius apud Theodoretum *Dialogo 3. contra hæreticos*, Leo Papa *Serm. de Pentecoſte, & in Epiſt. ad Flavianum*, Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap. 16.* Ioannes Papa *Epiſt. 2. ad Valerium*, Fauſtus *lib. de ratione Fidei*, Iſidorus lib. *de Differentijs num. 14.* Alchuinus *lib. 3. de Trinitate cap. 7.* Rhabanus Maurus *lib. 1. de Vniuerſo cap. 1.* ac plures alij, præſertim verò Epiſcopi Catholici Occidentis, qui Hilarij tempore Synodo Pariſienſi contra Arium interfuerunt, quorum Epiſtola extat apud Iacobum Sirmondum *Tom. 1. Conciliorum Galliæ pag. 17.* tùm ij qui cum S. Ambroſio convenerunt ad Synodum Aquileienſem, & in ea condemnarunt Palladium & Secundinum, Epiſcopos Arianos. Denique eodem ſenſu Anſelmus noſter id teſtimonium accepiſſe videtur; quoniam impræſentiarum loquens de perſonis procedentibus intra Deum, negat prorſus aliquam eſſe minorem, inferiorem, aut poſteriorem alia. Quo ipſo denotat ſatis verba illa Chriſti, *Pater maior me eſt*, non de Filio ſecundùm naturam divinâ accipienda eſſe, ſed penes humanam dumtaxat. Vide quæ diximus Tomo II. Diſp. 73.

262 Scio equidem multos ex Patribus id teſtimonium accepiſſe de Chriſto, non ſolùm vt homine, ſed etiam vt Filio Dei per æternam generationem procedente à Patre. Illorum teſtimonia latè & eruditè, vt aſſolet, expendit Petavius, vir meâ opinione incomparabilis, *lib. 2. de Trinit. cap. 2.* Vt autem illorum ſententia procul à ſenſu Arianorũ ſit, & Catholicis auribus non diſſonet, intelligendum eſt, ab ijs Patribus non dici Patrem maiorem Filio ſecundùm naturam (quippe quam vnam omnino in vtroque agnoſcunt) ſed ſolùm quatenus Pater ſub ratione principij, ſeu genitoris, comparatur ad Filium, prout Filius eſt: vt proinde neuter altero maior aut minor ſit penes abſolutam perfectionem, naturamque in qua ſunt vnum: ſed penes proprietates perſonales, in quibus differunt. Neque enim propterea quòd hoc poſteriore ſenſu dicatur ab ijs Pater minor Filio, negant alterum alteri conſubſtantialẽ eſſe, ſed immò verò id expreſsè profitentur contra Arianos. Quare Cyrillus lib. 11. Theſauri illorùm argumentum ita refellit: ἐμβαινόντος τοίνυν καὶ ἐπὶ τῶν ὁμοουσίων, &c. *Quare cùm & in ijs, quæ conſubſtantialia ſunt, locum habeat maioris & minoris illa comparatio, fruſtra vos in Patre & Filio demonſtrari putatis argumento illo, diuerſam in ambobus eſſe ſubſtantiam.* Nimirum, quoniam, vt præmiſerat, etiam lignum vnum conſtat alio maius eſſe: cùm tamen ambo æqualem & eandem ſpecie, quamvis, non numero, naturam habeant. Similiter Baſilius lib. 4. contra Eunomium: ὥσπερ τὸ μεῖζον οὐ πάντως ἀντιτεθέν, &c. *Non enim quod maius dicitur, ſtatim conſequens eſt, diuerſæ eſſe ſubſtantiæ: Nam & homo homine, & equus equo maior dicitur.* nec tamen propterea diverſæ naturæ ſunt duo homines, aut duo equi. Itaque quamvis ij Patres aſſerant, Filium vt Filium eſſe minorem Patre conſiderato ſecundùm proprietatem perſonalem, & munus generandi, dignitatemque principij: non propterea admittunt, aut dicunt, Filium eſſe minorem Patre ſecundùm divinitatem, ſeu naturam, quã prorſus vnam in vtroque agnoſcunt. Idemque exiſtimandum de illorum ſenſu circa Spiritum ſanctum relatè ad Patrem & Filium, tanquam ad principium ipſius. Nec vacat modò eam locutionem fuſiùs expendere, vel ad trutinam Scholaſticam examinare, poſtquã de illa vberiùs egimus Diſp. citata ſect. 6.

263 *ECCE VIDEMVS*, &c. Infert ex dictis toto Opuſculo, quàm rectè colligatur, & neceſſariò ſequatur, Spiritum ſanctum de Filio, non minùs quàm de Patre, procedere: ſiquidem ineluctabili illatione deducitur ex ijs, quæ palam docet Chriſtiana Religio, & pariter Græci cum Latinis credũt

quæ-

quæque prorſus corruerent, & falſa eſſent, niſi verum exiſteret, quod ex ijs concluſum eſt.

264 *PALAM ETIAM EST*, &c. Attingit illam Dialecticorum regulam: *Ex antecedenti vero non colligitur, niſi conſequens verum.* Nimirum, cùm antecedentia, ex quibus probata fuit proceſsio Spiritus ſancti è Filio, vera & certiſsima ſint, nequit eſſe falſa proceſsio, quæ ex ijs neceſſariò colligitur, ſed vera. Nempe ex eo quòd Spiritus ſanctus ſit Spiritus Filij, ſicut & Patris, & mittatur à Filio, ſicut à Patre (quæ docet planè auctoritas divina in libris revelatis) manifeſtè concluditur, Spiritum ſanctum pariter ex Filio, ſicut ex Patre procedere; nullaque inde falſitas ſequitur. Contrà verò ſi negetur proceſsio Spiritus ſancti ex Patre & Filio, inde nulla infertur veritas, ſed potiùs multiplex falſitas, contra ea, quæ diſertè habemur in ſacra Scriptura. Quare nulla demum ſupereſt dubitandi ratio, circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, ſicuti ex Patre.

265 *DENIQVE SI ERROR EST*, &c. Hoc loci Anſelmus pia quadam audacia non dubitat dicere, ſi error eſt credere Spiritus ſancti proceſsionem de Filio, nos planè in errorem induci ipſa auctoritate divina: ex qua habemus plura teſtimonia, quæ vera eſſe nequeunt, niſi Spiritus ſanctus verè de Filio procedat, & nullum omnino, quod repugnet. Nec obſtat quòd nullibi in Scriptura legatur expreſsè Spiritum ſanctum de Filio procedere. Satis enim eſt ad id credendum firmiter, quòd in Scriptura ſint plura teſtimonia, ex quibus neceſſariò id infertur, & nullũ prorſus quod contradicat, neque abſurdum quod ſequatur.

266 Ex ijs verbis Anſelmi videtur anſam ſumpſiſſe Richardus Victorinus lib. 1. de Trinitate cap. 2. vt pariter diceret: *Domine, ſi error eſt quem credimus, à te decepti ſumus. Iſta enim* (ſcilicet, fidei dogmata) *talibus ſignis confirmata ſunt, quæ non, niſi à te, fieri potuerunt.* Colligitur quoque ex doctrina eâdem repugnare omnino actui fidei falſitatem, ſive deceptionem: ſicuti omnino repugnat Deo vt aliquem decipiat. Vnde corruit contraria aliquorum opinio apud Ripaldam *diſp.* 59. de Ente ſupernaturali, exiſtimantium, poſſe abſolutè infundi à Deo aliquem actum falſum. Sed de hoc aliàs latè egimus Tomo I. Diſp. XXI. num. 49. & ſeqq.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

COROLLARIA DOCTRINAE PRAECEDENTIS.

PATET Ergo, ſicut ſuprà præmiſsi, præter hoc, quia Filius exiſtit naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo; hac quoque cauſa, quia ſcilicet Spiritus ſanctus eſt de Filio, eos adinvicem non poſſe dici: & propter hoc ſolùm Filium non poſſe eſſe de Spiritu ſancto. Nam quoniam (vt dictum eſt) aut Filius eſt de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus de Filio; ſi non eſſet Spiritus ſanctus de Filio, ſequeretur, de Spiritu ſancto Filium eſſe. *Apparet itaque* per ſupra dictas rationes, quia Pater eſt Deus, de quo Deus eſt, & non eſt Deus de Deo; & Filius eſt Deus de Deo, & Deus de quo eſt Deus; & Spiritus ſanctus Deus de Deo: nec eſt Deus, de quo eſt Deus. *Et quamvis de Patre ſint duo*, id eſt, Filius, & Spiritus ſanctus; nõ tamen duo Dij ſunt de Patre, ſed vnus eſt Deus, qui eſt Filius, & Spiritus ſanctus. Et licèt duo ſint, de quo eſt Filius, & qui eſt de Filio, id eſt, Pater, & Spiritus ſanctus; non tamen ſunt duo Dij; ſed vnus Deus, qui eſt Pater, & Spiritus ſanctus: & quamquam Spiritus ſanctus ſit de duobus, id eſt, de Patre, & Filio; non tamen de duobus eſt Dijs; ſed de vno Deo, qui eſt Pater, & Filius. *Si autem Pater, & Filius*, & Spiritus ſanctus bini conſiderentur, liquet

quet ex his, quæ dicta ſunt, quia neceſſe eſt alterum ex altero, aut eſſe, quia ille non ex ſe eſt; aut non eſſe, quia ille eſt ex ſe. Nam ſi conferamus Patrem, & Filium, videmus Filium eſſe de Patre, quia Pater non eſt de illo; & Patrem non eſſe de Filio, quia Filius eſt de Patre. Et ſimiliter ſi non conſideremus Patrem, & Spiritum ſanctum; invenimus Spiritum ſanctum eſſe de Patre, quia non eſt de illo Pater; & Patrem non eſſe de Spiritu ſancto, quia Spiritus ſanctus de illo eſt. Ita quoque ſi Filius, & Spiritus ſanctus, quomodo ſunt adinvicem ſpeculemur; intelligimus, Spiritum ſanctum eſſe de Filio, quia Filius non eſt de illo: & Filium non eſſe de Spiritu ſancto, quia Spiritus ſanctus eſt de Filio. *Apparet igitur*, quod ſuprà dixi: quia relationes prædictæ, licèt ſint in vno, non poſſunt vnitati immittere pluralitatem ſuam, nec vnitas relationibus ſingularitatem ſuam.

268 *PORRO Sex ſunt differentiæ* Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ex his naſcentes nominibus; id eſt, habere Patrem, & non habere Patrẽ; habere Filium, & non habere Filium; habere Spiritum ſanctum de ſe procedentem, & non habere Spiritum ſanctum de ſe procedentem. Harum differentiarum ſingulus quiſque habet vnam propriam, quâ differt ab alijs duobus: & duas ita communes, & proprias, vt quâ communicat vni, ea differat ab altero. Pater namque habet Filium ſolus, quo differt ab alijs duobus: habet Spiritum ſanctum procedentem de ſe, quod cõmune eſt illi cum Filio, & quo differt à Spiritu ſancto. Patrem autem nõ habet, ſicut nec Spiritus ſanctus, & in hoc differt à Filio. Filius ſolus habet Patrem: in quo differt à Patre, & Spiritu ſancto. Et illi commune cũ Patre, ſicut dictum eſt, quia procedit de illo Spiritus ſanctus; vnde ab eodem Spiritu ſancto diverſus eſt: caret autem Filio, ſicut Spiritus ſanctus, vnde diſcrepat à Patre. Spiritus ſanctus ſolus eſt, de quo alius non procedit. Commune eſt illi cum Patre, vt dixi, non habere Patrem, in quo diſsimilis eſt Filio. Cum Filio quoque eſt illi commune, vt iam mõſtratum eſt, non habere Filium, vnde Patri non concordat. Solus itaque Pater eſt, qui eſt de nullo, & de quo ſunt alij duo. Solus ècõtra Spiritus ſanctus eſt, qui de duobus, & de quo nullus. Solus Filius, qui de vno, & de quo vnus. Eſt autem tribus commune, ad duos habere relationem: Pater enim ad Filium, & Spiritum ſanctum refertur, ſicut ad illos, qui de ſe ſunt; Filius ad Patrem, & ad Spiritum ſanctum, quia eſt de Patre, & Spiritus ſanctus de illo. Spiritus ſanctus ad Patrem, & Filium: quia eſt de vtroque. *Poſsidet ergo vnuſquiſque ſuas propietates*, quarum collectio in alio non eſt eadem, ad ſimilitudinem diverſarum hominum perſonarum. Per hoc enim hominum perſonæ diverſæ ſunt abinvicem: quia vniuſcuiuſque proprietatum collectio, non eſt in alio eadem. *Intereſt tamen aliquid.* Nam in perſonis hominum, ſi vna eſt perſona, vnus eſt homo

mo; & ſi vnus eſt homo, vna eſt perſona. Item, ſi plures ſunt perſonæ, plures quoque ſunt homines. Et ſi iſti plures ſunt, illæ & pluralitatem non effugiunt. In Deo verò, quamvis tres perſonæ ſint, vnus tamen eſt Deus: & licèt ſit vnus Deus, nequaquam tamen perſonæ pluralitatē amittunt. In hoc itaque, quòd relativè Deus ad Deum dicitur, ſicut plures homines; perſonarum admittit pluralitatem, & diverſitatem. In hoc verò, quòd per ſe, id eſt, in Deo; inſeparabilem ad ſimilitudinem vnius hominis ſervat ſingularitatem: pluralitas namque humanarum perſonarum non eſt, niſi in pluribus hominibus, nec vnus homo pluralitatem accipit perſonarum. Deus verò vnus eſt tres perſonæ, & perſonæ tres vnus Deus. Hoc itaque modo, nec vnius, nec diverſarum integrè ſervat aliarum perſonarum proprietatem.

SCHOLIA IN CAPVT XVII.

Inferuntur quædã ex dictis toto Opuſculo, & aſſignantur ſex differentiæ inter divinas perſonas invicem collatas. Naturam eſſe omnino vnam & eandem numero in perſonis divinis: ſecus verò in humanis. Quid circa hoc ſecundum docuerint Patres, præſertim Græci. Exponuntur piè, & iuxta ſenſum Anſelmi, communemque Philoſophorum.

269 RESVMIT Anſelmus hoc loco, & breviter perſtringit plura fuſiùs tradita in præcedentibus, ac nõnulla alia tradit, vt appareat diſcrimen perſonarum divinarum, ſi invicem conferantur.

PATET ERGO, &c. Colligit primò ex dictis, Spiritum ſanctum non ſolùm differre à Filio, quatenus alter procedit ex Patre, alter naſcitur: verùm etiam prout Spiritus ſanctus procedit à Filio, & non è converſo: quia abinvicem ambo nequeunt procedere: vt ſuprà cap. 3. dictum, probatumque eſt. Omne autem quod procedit ex aliquo, debet ab eo reipſa diſtingui: & in divinis ſolùm ea diſtinguuntur realiter, quorum vnum ab alio procedit. Quare vt Filius & Spiritus ſanctus reipſa diſtinguantur, opus eſt, vt alter ab altero procedat. Cùm igitur fide certum ſit, Filium à Spiritu ſancto non procedere, neceſſum eſt vt hic ab illo originem ducat. De quo legendus D. Tho. 1. p. q. 36. ar. 2. ad 2. præter ea quæ dixi in Scholijs ad cap. 3. nuper allegatum.

270 *APPARET ITAQVE*, &c. Colligit ſecundò, Patrem eſſe Deum, de quo eſt Deus; non tamen Deum de Deo: Filium autem eſſe Deum de Deo, & Deum, de quo eſt Deus: Spiritum ſanctum denique eſſe Deum de Deo; non tamen Deum, de quo ſit Deus. Ratio primi eſt: quia Pater eſt Deus, de quo Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus procedit, quin ipſe ab aliquo eorum originem ducat. Ratio ſecundi: quoniam Filius Deus de Deo Patre exiſtit, & rurſus de Filio Spiritus ſanctus, pariter Deus. Ratio tertij: quia Spiritus ſanctus Deus procedit ex Deo Patre & Filio, quorum neuter ab illo originem ducit.

271 *ET QVAMVIS DE PATRE SINT DVO*, &c. Colligit tertiò, quamvis de Patre ſint duo, id eſt, Filius, & Spiritus ſanctus; non propterea ex Patre eſſe duos Deos, ſed vnum, qui ſimul eſt Filius & Spiritus ſanctus. Similitèr, licèt duo ſint, quorum alter eſt principium Filij, alter ex Filio procedens, non tamen eſſe duos Deos, ſed vnum, qui eſt Pater & Spiritus ſanctus. Denique, licèt Spiritus ſanctus ſit de duobus, id eſt, de Patre & Filio, non tamen de duobus Dijs, ſed de vno, qui ſimul Pater & Filius eſt. Ratio omnium deducitur ex ipſo Trinitatis myſterio, iuxta quod vnus & idem Deus ſubſiſtit in tribus perſonis: atque adeò licèt illæ numerum conſtituant, & diverſimodè inter ſe comparentur ſub ratione principij, aut procedentis à principio; idem omnino Deus in ijs omnibus eſt.

272 *SI AVTEM PATER ET FILIVS*, &c. Colligit quartò, neceſſum eſſe vt comparando divinas perſonas inter ſe, quælibet illarum comparetur ad alteram in ratione principij, aut procedentis ex principio. Ratio eſt: quoniam aliter nullus erit locus ad diſtinctionem realem illarum: cùm alioqui in divinitate ſint omnino vnum, atque idem. Idque ſingillatim oſtendit Anſelmus de vnaquaque illarum. Si enim conferamus Patrem cum

tum Filio, Filius eſt de Patre, quoniam Pater ex Filio non eſt, & viciſsim Pater non eſt de Filio, quia Filius ex ſe ipſo naſcitur: nequeũt verò alter ab altero invicem exiſtere, ſeu procedere. Si verò conferamus Patrem, & Spiritum ſanctum, liquet hunc exiſtere à Patre, quia Pater ab illo non procedit; & Patrem non exiſtere à Spiritu ſancto, quoniam hic procedit ex illo. Denique conferendo Filium & Spiritum ſanctum inter ſe, intelligimus Spiritum ſanctum eſſe de Filio, quoniam Filius de ipſo non eſt: Filium quoque de Spiritu ſancto non eſſe, quia Spiritus ſanctus de illo exiſtit. Nimirum, nulla perſonarum diſtinctio eſt in divinis niſi ſecundùm relationes oppoſitas: hæ verò inveniri nequeunt, niſi inter perſonas, quæ invicem comparantur in ratione τοῦ αἰτίου, καὶ αἰτιατοῦ, ſive *principij & principiati*, vt vulgò dicitur.

273 *APPARET IGITVR*, &c. Colligit quintò, quod ſuprà dixerat cap. relationes prædictas, quibus conſtituuntur perſonæ divinæ, ita afficere naturam divinam, vt in nullo lædant vnitatem ſummam illius, vel quoddammodo dividant, aut multiplicent: ac præterea ita ſe habere vnitatem naturæ, vt nullatenus impediat pluralitatem relationum, neque illas confundat, aut reſtringat earum numerum. In quo ſanè conſiſtit altiſsimum illud Trinitatis myſterium, & natura Dei ſummè fœcunda, ac longe diſsita à qualibet natura creata, quæ non vna & eadem eſt in diſtinctis perſonis, ſed iuxta illarum numerum dividitur, & multiplicatur. Contra ſe habet res in divinis. nam vt inquit Damaſcenus lib. 3. Fidei cap. 6. ἡ αὐτὴ φύσις ἐν ἑκάστῃ τῶν ὑποστάσεων θεωρεῖται. *eadem natura in qualibet hypoſtaſeon ſpectatur.*

274 *PORRO SEX SVNT DIFFERENTIÆ PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, EX HIS NASCENTES NOMINIBVS.* Eas verò Anſelmus diſtinctè, & ſuo ordine numerat, redigendo illas ad triplicem differentiam bimembrem. *Prima* eſt, habere Patrem, & non habere Patrem. *Secũda*, habere Filium, & non habere Filium. *Tertia*, habere Spiritum ſanctum ex ſe procedentem, & non habere Spiritum ſanctum ex ſe procedentem. Deinde eas differentias ſubtiliter diſtribuit: vt quælibet ex divinis perſonis ſingillatim habeat vnam propriam, quâ differat ab alijs duabus; & duas ita communes ac proprias, vt qua communicat vni, eâdem differat ab altera perſona.

275 Id diſtinctè & ſingillatim exponit hoc modo. Pater habet Filium ſolus, quo differt ab alijs duobus, quorum neuter Filium habet. Cæterum in eo quod eſt habere Spiritum ex ſe procedentem, convenit cum Filio, vt in toto hoc Opuſculo oſtenſum eſt, & differt à Spiritu ſancto. E contrà verò Pater, in non habendo Patrem convenit cum Spiritu ſancto, & differt à Filio. Præterea Filius ſolus Patrem habet, & in eo à Patre ſimul & Spiritu ſancto differt. Cæterum commune eſt ipſi cum Patre habere Spiritum ſanctum ex ſe procedentem, in quo differt à Spiritu ſancto: & aliunde cum eo convenit in non habendo Filium, differtque à Patre, qui ſolus Filium habet. Denique ſolus Spiritus ſanctus eſt, de quo nullus procedit: in quo differt à Patre & Filio. Verùm aliunde convenit cum Patre in non habendo Patrem, & in eo ipſo differt à Filio: ſicuti è contrà convenit cum Filio in non habendo Filium, in eoque à Patre differt.

276 Rurſus, loquendo de iis, quæ vni dumtaxat perſonæ competunt, ſolus Pater eſt, qui de nullo habet eſſe, & de quo ſunt alij duo: ſolus è contrà Spiritus ſanctus, qui eſt de duobus, & de quo nullus: ſolus denique Filius eſt qui de vno, & de quo vnus. Commune autem tribus perſonis eſt habere relationem ad duos. Pater enim tum ad Filium, tum ad Spiritum ſanctum refertur, tanquam ad habentes eſſe ex ipſo. Filius deinde refertur ad Patrem, de quo naſcitur, & ad Spiritum ſanctum, ex ſe procedentem. Denique Spiritus ſanctus ſimul ad Patrem & Filium refertur, quoniam ex ambobus procedit. Patet itaque in quo tres perſonæ divinæ inter ſe conveniant & differant.

277 *POSSIDET ERGO VNVSQVISQVE SVAS PROPRIETATES.* nimirum hoc ipſo capite explanatas, quarum collectio in nullo alio eſt, quẽadmodum & in perſonis, ſive individuis humanis videre licet: quæ eatenus invicem differunt, quatenus proprietates vnius non inveniuntur aggregatæ in alio. Quibus ferè verbis Anſelmi fit alluſio ad definitionem illam cõmunem individui, vt ſit, *cuius proprietates aggregatæ in nullo alio inveniuntur.* Nimirum, licèt in aliquo individuo aut perſona humana ſit vna vel alia ex affectionibus alterius individui aut perſonæ humanæ; in nullo tamen invenitur cumulus ille affectionum ſeu proprietatum individualium, qui exiſtit in alio. In quo certè mirabilis apparet Omnipotentia & Providentia Dei, qui tot individuis eiuſdem ſpeciei tam miram membrorum, vultuum, complexionum, lineamentorum, & quarumlibet affectionum varietatem indidit, vt nullum omnino alteri per omnia ſimile inveniatur, ſemperque diverſitas aliqua illorum ſit,

penes

penes aliquid ſaltem, vt propterea mirum fuerit, quod contigit Matriti anno M. D. C. LXXIV circa diem VI. Septembris. Etenim in Noſtro S. Martini Monaſterio (vbi tunc eram, & pene oculatus teſtis interfui) ea ipſa die ſimul eodem tumulo ſepultæ ſunt, ſimulque obierunt eâdem ægritudine correptæ, duæ eiuſdem piſtoris filiæ ſexennes, quæ eodem partu editæ fuerant, eiuſdemque omnino vultus, ſtaturæ, complexioniſque, abſque diſcrimine vllo, quantum apparebat; qualiter nec inter ovum & ovum, vt in proverbio eſt. Quod veluti mirum & inſolitum, narravi quibuſdam magnis viris, ac præſertim Excellentiſsimo Comiti de Peñaranda, D. D. Gaſpari de Guzman, Principi eruditiſsimo, & Mœcenati ac præſidio (heu quondam!) meo: qui rem adeò raram & inſolitam, vt par erat, miratus eſt; nec aliam ſimilem à ſe lectam meminit, aut viſam in tot Regnis & Provincijs Europæ ab ipſo peragratis. Verùm adhuc credo, vel in ijs ipſis puellis fuiſſe aliquod diſcrimē, quāvis levo, ſaltē penes tēpus aliquod breviſsimū, quo altera & altera genita & nata eſt: vel etiam penes conſtitutionem membrorum, aut humorum complexionem: neque enim ea ad amuſsim explorare potuerunt illarum parentes, quamvis extimis lineamentis vultus & corporis viderentur nullatenus differre. Quēadmodum igitur poſſunt in vno homine inveniri affectiones aliquæ, quales in alio, non tamen omnes ſimul: ita licèt in aliqua ex divinis perſonis ſit vna aut alia proprietas, quæ in alia etiam eſt; non tamen omnes ſimul.

278 *INTEREST TAMEN ALIQVID*, &c. Quamvis rem explicuerit exemplo individuorum naturæ humanæ, ſubdit ſtatim diſcrimen: quia in perſonis hominum, ait, ſi vna eſt perſona, vnus etiam eſt homo: & ſi vnus eſt homo, vna etiam perſona eſt. Similiter ſi plures ſunt perſonæ, plures quoque ſunt homines: quemadmodum ſi plures ſunt homines, plures quoque perſonę ſunt. Contrà verò res habet in divinis. Nam licèt tres perſonæ ſint, vnus eſt Deus: & vnitas Dei nullatenus obeſt pluralitati perſonarum. Nimirum; quatenùs ad invicem referuntur, ſunt plures & diverſæ perſonæ, inſtar plurium hominum: in eo verò quod per ſe ſunt, ſive ad ſe, ſcilicet, in divinitate, ſervant inſeparabilem ſingularitatem, inſtar vnius hominis. Pluralitas enim perſonarum humanarum non eſt, niſi in pluribus hominibus: nec vnus homo admittit perſonarum pluralitatem. Deus verò vnus, eſt ſimul tres perſonæ, & perſonæ tres, vnus Deus. Ex quibus conſtat, exemplum illud non eſſe adæquatum: quia ſingularitas & pluralitas, quæ in divinis eſt, non integrè ſervat proprietatem pluralitatis & ſingularitatis, quæ cernitur in humanis.

279 Ratio autem eius doctrinæ eſt, quā ſuprà ex Damaſceno indicavimus: nimirum, quod ſolùm in divinis eadem numero natura in qualibet hypóſtaſeon ſpectatur, nec vllo modo dividitur in tribus perſonis, ſed omnino eadem ac tota in ſingulis eſt. Cæterum non eadem numero natura, ſed ſpecie dumtaxat, eſt in diverſis perſonis humanis, ſive in pluribus hominibus. Propagatur enim natura, & multiplicatur, iuxta pluralitatem individuorum, quamvis ab omnibus illis abſtrahatur eadem naturæ ratio & ſpecies, quæ potiùs eſt convenientia & ſimilitudo in prædicatis eſſentialibus, quàm vnitas. Etenim vna ſpecie natura, ſive vnus homo ſpecie, dicuntur omnes homines, & ijdem plures numero homines, ſeu plures numero naturæ humanæ particulares, quarum omnium convenientia & ſimilitudo quoad prædicata eſſentialia, in cauſa eſt, vt intellectus ex illis omnibus abſtrahat vnam ſpecie naturam, tribuatque ipſi vnitatem communem & vniverſalem; quam in re non habet. Quæ eſt doctrina communis Philoſophorum, hoc loco tradita ab Anſelmo, & à nobis fuſè probata in Philoſophia Rationali *diſp. 12. à num. 7.* cum Ariſtotele *lib. 7. Metaph.* & D. Thoma, ac cæteris Scholaſticis. Eamque declarat Otto Friſingenſis *lib. 1. de geſtis Friderici cap. 53.* vbi diſſerit de cauſa Gilberti Porretani. Cùm enim præmiſiſſet, *in naturis proprietatem ſubſtantialem aliam vniverſalem, aliam eſſe ſingularem, vel individualem, vel particularem*: ſtatim de priore illarum ſubdit: *Vniverſalem verò dico, non ex eo, quòd in pluribus ſit, quod eſt impoſsibile: ſed ex hoc, quòd plura in ſimilitudine vniendo, ab aſsimilandi vnione, vniverſalis, quaſi in vnum vniverſalis dicitur.* Vbi licèt ridicula ſit eius nominis deductio, doctrina tamen vera eſt, naturam dici *Vniverſalem*, non quaſi reipſa ſit vna numero, in pluribus individuis exiſtens: ſed quoniam propter ſimilitudinem plurium inter ſe, intellectus abſtrahit vnam aliquam rationem communem, ipſique vnitatem intra animum tribuit, quam reipſa non habet. Etenim ex pluribus inter ſe convenientibus in ratione formali, ſeu definitione, vnum aliquid omnibus ijs commune in mente apprehendit. Alioqui in individuis omnibus cuiuſlibet ſpeciei, & quibuſlibet hominibus, ſeu perſonis ſpeciei humanæ, eſſet eadem numero natura, identitatem cum ſingulis habens, quamvis reipſa diſtinctis inter ſe: atque adeò non eſſet ineffabile myſterium Trinitatis: quippe quod in ipſa natura humana, & alia quavis, abſque

licet

licet exemplum adæquatum haberet. Id verò abſurdiſsimum eſſe patet. Meritò itaque Anſelmus hoc loci aſsignat diſcrimen naturæ divinæ ab humana, quòd prior eadem omnino in tribus perſonis ſit; ideoque non liceat dicere plures Deos, ſed vnum: poſterior verò ſit multiplex, ſeu multiplicata quoad numerum in ſingulis hominibus, ac proinde meritò dicantur eſſe plures homines.

280 Vbi Anſelmus exiſtimandus eſt correxiſſe, ſive piè expoſuiſſe doctrinam plurium Patrum Græcorum, qui videntur manifeſtè oppoſitum docere, & dicere, quemadmodum vna prorſus natura eſt in tribus perſonis divinis, ita etiam vnicam omnino naturam eſſe in pluribus perſonis humanis; ideoque quemadmodum eam ob cauſam non licet dicere tres Deos, ita nec propriè dici poſſe plures homines, quamvis per abuſum & impropriè plures homines dicantur. Sanè id paradoxon videtur planè tradidiſſe S. Gregorius Nyſſenus, alioqui ſapientiſsimus, in eo libello, cui epigrapha eſt, *Cur non ſint tres Dij?* quem ad Ablabium ſcripſit. Ibidem nanque inquirit, cur non dicamus tres Deos, quemadmodum tres homines dicere conſuevimus; ſiquidem ratio vtriuſque videtur eadem, cùm vtrobique ſit eadem natura. Et reiecta ratione diſcriminis vulgari ab alijs tradita, ne cum Gentilibus videamur admittere multitudinem Deorum, quaſi non ſufficiat dubitationi propoſitæ; ipſe aliter occurrit dicens, reprehendi etiam debere communis ſermonis vſum, quo numerum pluralem accommodamus ijs, qui naturâ diviſi non ſunt: vt quando dicimus, *multi homines*. Id enim perinde ferè eſt ac dicere, *plures humanas naturas*. quod tamen alienum eſt à veritate, cùm eadem natura inſit pluribus hominibus, in quam conveniunt invicem, quamvis differant proprietatibus perſonalibus, ſive hypoſtaſibus. Verba Gregorij ſunt: τῶν ὑποστάσεων λόγος, &c. *Hypoſtaſeon ratio, propter eas proprietates, quæ in vnoquoque conſiderantur, partitionem recipit, & per compoſitionẽ ſpectatur in numero. Natura autem vna eſt, ſecum ipſa coniuncta, & individua, exacteque vnitas; quæ nec acceſſione creſcit, nec ſubtractione minuitur: ſed id quod eſt, vnum cùm ſit, vel in multitudine, ſectionis apparet expers, & continuata, & integra: neque cum ſingularibus, qui eius ſunt participes, vna dividitur. Atque vti plebs, populus, exercitus, concio ſingulari vocabulo nuncupantur, cùm eorum quodlibet in multitudine intelligatur: ita, ſi accuratiùs loqui velimus, homo itidem vnus propriè dici poterit, tametſi qui in eadẽ natura demonſtrantur, multitudo ſint.* Quare ſubdit, oportere vt corrigatur abuſus, quo plures homines dicere ſolemus, ſiquidem omnium illorum eadem prorſus natura eſt. Verùm cùm ſit admodũ difficile emendare eam locutionẽ, tot ſæculorum diuturno vſu contritã, id demũ curandum, ne illa circa res divinas admittatur, in quibus maius errandi periculum eſt. Patet verò ex prædictis verbis, Gregorium in ea opinione fuiſſe, vt natura, quæcũque cõmunis eſt pluribus individuis, ſit exactè vna, nec pro ſingularium numero diviſa, aut multiplicata; ſed veluti ἐν ἀτόμῳ, id eſt, in individuo, ſeu, vt vulgò dicitur, in indiviſibili conſiſtens: præterea arbitratũ, collectione fieri vnitatẽ, ſicuti vna civitas collectione civium, vnus exercitus collectione militum conſtat. An verò ex ijs verbis anſam errandi ſuſceperit Ioachimus Abbas in Concilio Lateranenſi damnatus, quòd diceret vnitatem naturæ, ſubſtantiæ vel eſſentiæ divinæ, *non eſſe veram ac propriam, ſed quaſi collectivam, quemadmodũ dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Eccleſia;* fortaſsè quiſpiam exiſtimaverit, nec ego decernere auſim. Præterea idem Gregorius eandem doctrinam tradit lib. περὶ κοινῶν ἐννοιῶν, *de communibus notionibus*, vbi ex inſtituto docet, quemadmodũ in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, non ſunt οὐσίαι, id eſt, eſſentiæ tres, ſed vna: ita etiã in Petro, Paulo, & Barnaba, non eſſe tres οὐσίας, ſive eſſentias, ſed vnam. Vnde inquit: οὐδὲ γὰρ Πέτρον, &c. *Neque enim Petrum & Paulũ & Barnabam, tres vſias* (id eſt, ſubſtãtias, vel eſſentias) *dicimus, ſed vnam. Et vnam dicentes ſubſtantiã, cuius eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. cõſentaneè dicimus vnũ Deũ.* Hactenus ille. Vnde & ſubdit, ſicut ſuprà, Petrum, Paulum, & Barnabam, ſolùm abuſione quadam dici tres homines, cùm reipſa vna & individua natura conſtent.

281 Eadem opinio inſediſſe videtur Cyrillo Alexandrino libro IX. Commentar. in Ioannem, vbi naturam vnam in tribus divinis perſonis probat ſimilitudine vnius naturæ humanæ in pluribus perſonis ſeu hominibus. Vnde inquit: Πέτρος γὰρ Πέτρος ἐστὶ, &c. *Petrus enim Petrus eſt, & non Paulus; & Paulus non eſt Petrus: verumtamen indiſtincti manent natura. Vna eſt enim in ambobus ratio ſubſtantiæ, & eadem citra varietatem vllam habent, quæ ad naturalem vnitatem colligantur.* Præterea Dialogo primo de Trinitate idipſum confirmat dicens: *Quomodo eadem eſſentia vna & vna intelligatur eſſe? Non enim fas eſt in hominibus, qui vnam & eandem conſubſtantialitatis nacti ſunt rationem,*

vnam & vnam dicere ſubſtantiam, & vnicuique rei tribuere veluti propriam quamlam, ac peculiarem rationem, eam quæ ad communitatem pertinet. Itaque opinione Cyrilli nefas eſt dicere vnam & vnam ſingularium hominum naturam, quæ potiùs vna & eadem in omnibus cenſeri & dici debet, quemadmodum & natura omnino eadem in tribus divinis perſonis. Eiuſdē ſententiæ eſt Maximus Martyr Dialogo primo de Trinitate, qui cum alijs inter Opera Athanaſij editus fuit. Ibidem enim ait: Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ Τιμοθέου τρεῖς ὑποστάσεις, καὶ μία ἀνθρωπότης. *Petri, & Pauli, & Timothei, tres hypoſtaſes* (ſunt) *& humanitas vna.* Præterea Anomœo obiſcienti, ſi ita res ſe habet in divinis, tres fore Deos, quemadmodum & tres homines ſunt; Reſpondet, Petrum, Paulum, & Timotheum, non eſſe tres homine: quoniam fideles dicuntur eſſe vnum cor, & vna anima, ſolumque differre, vbi diſſidia inter eos ſunt. Sed quoniam hic ſenſus potiùs apparet myſticus, quàm litteralis, & ex conditione naturali rerum petitus, idem Maximus redit ad naturæ identitatem in ſingulis hominibus numero diſcretis, & inquit: ὡς Πέτρου, καὶ Παύλου, οὐκ εἰσὶ δύο ἀνθρωπότητες, οὐδὲ δύο θεότητες πατρὸς καὶ υἱοῦ. *Quemadmodum Petri & Pauli non ſunt duæ humanitates, ita nec duæ diuinitates Patris & Filij.* Quod ipſum eo loco fuſiùs explanare pergit.

282 Præterea eodem modo alij loquuntur: præſertim auctor libelli compendiariæ fidei explicationis, qui tribuitur Anaſtaſio Patriarchæ Antiocheno, & Cyrillo Alexandrino, edituſque eſt Græcè & Latinè à Theodoro Beza. Ibidem nanque, poſt ſtatutam triū perſonarum vnam eſſentiam, ſive naturam in divinis, ſubditur: *Et eſſentia quidem, ſiue natura, id quod commune eſt, deſignat: hypoſtaſis autem, ſiue perſona, quod ſingulorum proprium eſt, declarat. Vt exēpli gratia ſi dicamus, in homine: Omnes homines vnius & eiuſdem naturæ ſumus: vna & eadē natura omniū eſt: ſiquidem omnes homines ex anima intelligente & corpore cōſtamus; hypoſtaſibus vero multis, & infinitis, & innumerabilibus.* Ioan. quoque Damaſcenus lib. 3. Fidei Orthodoxæ c. 8. ἰστέον δὲ, ὡς ἀριθμὸς τῶν διαφερόντων ἐστὶ, &c. *Sciendum eſt, numerum eſſe differentiam rerum. Impoſſibile eſt enim ea numerari, quæ in nihilo differunt. Etenim ſecundùm id, quo differunt, numerantur. Veluti Petrus & Paulus ſecundùm quod vniuntur, non numerantur. Quippe ratione naturæ vniti, duæ naturæ dici minimè poſſunt: at hypoſtaſi cùm differant duæ hypoſtaſes dicuntur.* Præmiſſeratque cap. 6 eiuſdē libri: ἀριθμῷ γὰρ, καὶ οὐ φύσει, διαφέρειν λέγονται αἱ ὑποστάσεις. *Numero enim, non autem natura dicuntur hypoſtaſes differre.* Denique libro de duabus Chriſti voluntatibus ait: *Alius eſt Petrus, alius Paulus; alia hypoſtaſis, & alia: non autem alia natura Paulus, & alia Petrus:* πάντες γὰρ ἄνθρωποι μιᾶς φύσεώς εἰσι. *omnes enim homines vnius naturæ ſunt.* Conſonat Theorianus in Diſputatione cum Armenijs, vbi docet, *vnam omnium hominum eſſe naturā*: probatque ex eo, quòd omnium illorum vna ſit definitio, quæ naturam explanat: quoniam τὰ ἄτομα ἴδιον ὅρον οὐκ ἔχουσιν, id eſt, *indiuidua propriam definitionem non habent.*

283 Denique ex Patribus Græcis Theodorus Abucara Opuſculo ſecundo idem paradoxon amplecti videtur, dum Petrum & Paulum negat appellari poſſe homines plurali numero. Et addita ratione ſatis obſcura eius theſis, ſubdit: *Eodem modo demonſtratur, Patrem, & Filiū, & Spiritum S. non eſſe tres Deos; licèt horum quilibet ſit Deus perfectus: quemadmodum vnuſquiſque illorū* (Petrus & Paulus) *homo perfectus eſt: verùm nō dicuntur plures homines. Igitur Pater, & Filius, & Spiritus S. tres ſunt hypoſtaſes, ſi ut & illi.* Ac præterea Opuſculo 38. eandē doctrinam repetit, aſſerēs vnam tribus divinis perſonis eſſe Deitatem, ſicut Petro & Paulo ineſt eadem humanitas, & renatis omnibus eadē immortalitas. Favere autem videntur ex Latinis PP. eidem doctrinæ nonnulli: ac primò quidem Auguſtinus libro 2. contra Maximinum cap. 6. vbi ait: *Diuerſa quidem ſubſtantia eſt Deus Pater, & homo mater: non tamen diuerſa ſubſtantia eſt Deus Pater, & Deus Filius: ſicut non eſt diuerſa ſubſtantia homo mater, & homo filius.* Vbi pariter videtur loqui de vnitate naturæ in pluribus hominibus, ac in pluribus divinis perſonis. Quo etiam modo ferè Ambroſius, & Hilarius, alicubi locuti fuiſſe inveniuntur.

284 Sed quid? Propterea cenſebimus Patres prædictos ex animi ſententia dixiſſe, vnam omnino & eandem, indiviſamque naturam eſſe in omnibus hominibus, quemadmodum & in tribus divinis perſonis? Nequaquam. Solùm enim docuerunt quod veriſsimum eſt, & contritum apud Philoſophos, naturam omnium hominum vnam & eandem omnino eſſe ſecundùm ſpeciem, nec vllo modo in ijs diverſam quoad prædicata eſſentialia: licèt in ſingulis perſonis ſit numero diſtincta & multiplicata iuxta pluralitatem indivi-

dividuorum, cum quibus identitatem habet. Verùm ij Patres hoc ſecundum in teſtimonijs præiactis non expreſſerunt, ſed illud priùs de vnitate ſecundùm ſpeciem: quoniam id ſolùm aut præcipuè è re ipſorum erat. Concedebant enim cum Arianis, & præſertim Anomœis, qui pertinaciter aſſerebant in tribus divinis perſonis, eſſe tres naturas ſpecie diverſas, proindeque inæquales: vtpotè quarum vnam ſolam perſonam Patris exiſtimabant increatam, reliquas verò duas, id eſt, Filij, & Spiritus ſancti creatas. Contrà verò Patres relati, & alij plures, probabant; nullam eſſe diverſitatem eſſentialem, quaſi in ſpecie, in natura Patris, Filij, & Spiritus ſancti, licèt ſint tres perſonæ diverſæ: ſicut nulla eſt diverſitas eſſentialis, quoad ſpeciem inter Petrum, Paulum, & Timotheum, quamvis tres perſonæ diverſæ ſint. Poteſt enim diverſitas tam in divinis, quàm in humanis, non provenire ex natura, ſed ex proprietatibus ſingularibus perſonarum. Itaque quemadmodum diverſæ perſonæ humanæ conſtant eadem prorſus & vna natura ſecundùm ſpeciem, ſive rationem formalem; ita etiam ij Patres aſſerebant, & eodem exemplo confirmabant, poſſe vnam naturam divinam, quaſi ſecundùm ſpeciem, aut eandem rationem formalem, eſſe in tribus perſonis diverſis per ſe proprietates ſingulares. Eoque ſolùm ſenſu negabant dici propriè plures homines, perinde ac plures Deos. Quod ſatis ipſis erat ad occurrendum Arianis, præſertim Anomœis; quibuſcum de æqualitate perſonarum divinarum diſputabant. Inde verò nullatenus impeditur, vt ipſi iuxta ſenſum fidei Catholicæ eandem numero naturam, eamque prorſus indiviſam aſſererent in tribus perſonis (quod palam & tertio quoque verbo profitentur) aliundeque ad præſcriptum veræ & communis Philoſophiæ ſupponerent naturam in alijs atque alijs hominibus eſſe numero diſtinctam, quamvis ſit ſpecie ac definitione vna in omnibus. Quæ eſt ipſiſsima ſententia Anſelmi hoc loco, palam & luculentiùs longè ab ipſo explanata.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

EXPLANAT AMPLIVS, QVALITER INTER DIVINAS perſonas ſit vnitas, & pluralitas.

CVR Autem ita ſit, quamvis in præfata Epiſtola de Incarnatione Verbi, de hoc aliquantulum dixerimus; breviter tamen hic repetam. *Sæpe fit, vt plura* conveniant in vnum, ſub eodem nomine, & eadem qualitate, quam habebant ſingula, antequam vnum fierent. Quippe ſi punctum puncto addimus, ſine intervallo; aut æqualem lineam, inæquali lineæ; aut ſuperficiem æqualem, inæquali ſuperficiei collocamus; non fit, niſi vnus punctus, vna linea, vna ſuperficies. In multis, ſi quis voluerit quærere, inveniet ſimile. *Hoc itaque modo*, quamvis non ſint plures æternitates; ſi tamen dicitur æternitas in æternitate, non eſt niſi vna æternitas, & lumen in lumine, vnum tantùm lumen eſt. *Eodem modo quæcumque* de Dei dicuntur eſſentia, ſi in ſe replicentur; nec quantitatem augent, nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem Deus eſt æternitas; ſicut extra æternitatem nihil eſt omnino, ita extra Deum penitus, non eſt aliquid. Atque ſicut æternitas in æternitate non eſt, niſi vna æternitas; ſic Deus in Deo, vnus ſolus eſt Deus. Habemus autem ex vera fide, Deum eſſe de Deo naſcendo, & Deum de Deo procedendo. Sed quoniam non eſt aliquid extra Deum, cùm naſcitur Deus de Deo;

vel cùm procedit Deus de Deo, non erit naſcens, vel procedens extra Deum, ſed manet in Deo. Quoniam ergo Deus in Deo non eſt niſi vnus Deus; cùm naſcitur Deus de Deo, vnus ſolus eſt Deus gignens, & genitus: cùm procedit Deus de Deo, vnus tantummodo Deus eſt, & procedens, & de quo procedit. *Vnde inevitabiliter ſequitur*, quoniam Deus nullas habet partes, ſed totus eſt, quidquid eſt; vnum eundemque, & non alium Deum, totum eſſe Patrem, totum eſſe Filium, totum eſſe Spiritum ſanctum. Quare Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus per hoc, quia cùm eſt Deus de Deo, & Deus in Deo non eſt, niſi vnus Deus; ſervant in deitate ad ſimilitudinem vnius hominis ſingularitatem. *Per hoc verò*, quia cùm Deus eſt de Deo, aut naſcendo, aut procedendo, non poteſt vnus, idemque eſſe, qui eſt de aliquo, & de quo eſt; ſecundùm nomina has relationes ſignificantia, tenent, ſicut diverſæ hominum perſonæ, pluralitatem. *Notandum tamen*, quia nec Deus eſt ſine perſona, nec perſona ſine Deo; & quia ſingulis perſonis attribuimus aliquando propria ſingularum; aliquando vni, quaſi proprium, quod commune eſt alijs. Nam cùm dicimus, ſolus Pater eſt in tribus perſonis, qui à nullo eſt; ſolus Filius, qui eſt de vno, & de quo vnus; ſolus Spiritus ſanctus, de quo nullus eſt; ſingulas perſonas nominantes, ſingulis propria attribuimus. Cùm
Matth. verò legimus: *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, ni-*
11.v.27. *ſi Filius*: Et: *Quæ ſunt Dei, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei*; quamvis vi-
1. Cor. 2.v.11. deatur Scriptura, quod de vna dicit perſona, negare de alijs; commune tamen eſt omnibus, quod ſingulis quaſi proprium attribuit. Non enim ignorat Pater aut Filius ſeipſum, & quæ Dei ſunt: neque Spiritus ſanctus Patrem, aut Filium. Cur autem, & quando, quod de vno, quaſi de ſolo dicitur, de alijs intelligatur, ſatis ſuprà dictum eſt.

SCHOLIA IN CAPVT XVIII.

Ediſſeritur qualiter vnitas in divinis ſervetur abſque diſpendio pluralitatis: quomodo item aliqua tribuantur vni perſonæ, quæ ſunt reliquis communia.

285 DIXERAT Anſelmus ſæpe obiter in hoc Opuſculo, & in Epiſtola de Incarnatione Verbi ad Vrbanum II. Pontificem vberiùs explicuerat, qualiter pluralitas trium perſonarum in divinis non obſtet vnitati in eſſentia. Nunc verò eandem doctrinam reſumit, ne fortè quiſquam audiens, Filium eſſe Deum de Deo, & Spiritum ſanctum pariter Deum de Deo, propterea exiſtimet eſſe tres Deos, ſeu differre in natura, quemadmodum in perſonis.

SÆPE FIT VT PLVRA, &c. Præmittit generatim, ſæpè accidere, vt plura aliquot eiuſdem nominis, ſimiliſque rationis, poſtquam coniunguntur, in vnum coeant. Exemplum affert in duobus punctis, quorum vnum immediatè coniungitur alteri; & in duabus lineis, aut ſuperficiebus inæqualibus, quarum altera immediatè alteri additur. Quippe poſt coniunctionem duorum immediatam, vnicum reſultat punctum, vnica linea, aut ſuperficies. Quod ipſum in alijs quoque rebus inveniri monet: generatimque appareret in continuo corpore homogeneo, quod vnum dicitur & eſt, quoties plura eiuſdem rationis coniunguntur: vt ſi aquæ præexiſtenti addas aliam aquam, vel oleo oleum, non propterea dicuntur poſtea duæ aquæ, ſed vna & eadem, idemque oleum.

Ve-

Verùm ad rem præſentem accomodatius eſt exemplum puncti, lineæ, & ſuperficiei; quatenus, nimirum, illæ ſunt indiviſæ, prior verſus latitudinem, poſterior ſecundùm profunditatem: quoniam ſub hac conſideratione, ſi linea lineæ, aut ſuperficies ſuperficiei immediatè addatur, habent ſe inſtar puncti, quod immediatè additum puncto non facit maius aliquid, vel extenſum: vt communis ferè ſententia eſt Philoſophorum cum Ariſtotele *lib. 6. Phyſicorum*: noſque ibidem latè confirmavimus *diſp.* 33. & ſequentibus. Itaque punctũ in puncto, linea in linea, & ſuperficies in ſuperficie, non conſtituit niſi vnum punctum, lineam, & ſuperficiem.

288 *HOC ITAQVE MODO*, &c. Adhibito iam exẽplo, deſcendit ad exponendum vnitatem peeſonarum divinarum in eſſentia, & proprietatibus abſolutis; ac primò quidem in æternitate, quæ non eſt multiplex, ſed vna, in divinis perſonis. Si enim dicatur æternitas in æternitate, nõ erit niſi vna æternitas: quemadmodum & lumen in lumine, vnũ dumtaxat lumen eſt. Ac meritò illam exponit ſimilitudine puncti. nam quemadmodum punctum eſt ſimul & indiviſim quidquid eſt, neque vllæ in eo partes ſunt: ſic etiam æternitas interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſsio eſt, ac proinde indiviſa & quibuſlibet partibus carens. Quare ſapienter Plato aiebat in Timæo: τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, &c. ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν. *id quod ſemper eſt, neque ortum habet, eodem ſemper modo habet.* Et præterea opportuniùs ait: *Errore quodam duci homines in loquendo, qui partes illas temporis, erat, eſt, & erit, in æternam ſubſtantiam imprudentes transferunt. Dicimus enim de illa, erat, eſt, & erit. Sed illi revera ſolum EST competit: at erat, & erit, ad generationem, quæ in tempore procedit, referri convenit. Motus enim ſunt. Quod autem eodem ſemper modo ſe habet immobiliter, neque vetuſtius, neque recentius vnquam oportet eſſe: neque hunc fuiſſe, neque deinceps fore. ac nihil eorum penitus, quæ generatio iis affixit, quæ ſub ſenſus feruntur.*

289 *EODEM MODO QVÆCVMQVE*, &c. Poſtquam æternitatem in æternitate vnam & ſolam eſſe dixit, procedit ad eſſentiam Dei, & docet, quæcumque de illa dicuntur, quamvis in ſe replicentur, non ideo quantitatem augere, nec pluralitatem admittere. Quoniam verò Deus eſt æternitas; ſicuti extra æternitatem nihil eſt omnino, quoniam illa omnem durationem indiviſim continet: ita nihil omnino eſt extra Deum, quia omnia complectitur. Quare ſicuti æternitas in æternitate non eſt, niſi vna æternitas: ita Deus in Deo vnus eſt Deus. Certum autem fide divina eſt, Deum de Deo eſſe naſcendo, & Deum de Deo procedendo. Cùm igitue non ſit aliquid extra Deum, fateri neceſſariò oportet, cùm naſcitur Deus de Deo, & cùm procedit Deus de Deo; naſcentem, & procedentem, non eſſe extra Deum, ſed manere in Deo. Atqui Deus in Deo non eſt, niſi vnus Deus: ſicut æternitas in æternitate, & punctum in puncto, eſt vna æternitas, & vnum punctum. Ergo cùm naſcitur Deus de Deo, vnus eſt Deus, gignens, & genitus: cumque procedit Deus de Deo, vnus dumtaxat Deus eſt, procedens, & de quo procedit.

290 *VNDE INEVITABILITER SEQVITVR*, &c. Infert præterea, cùm Deus nullas habeat partes, ſed totus ſit quidquid eſt (nimirum, inſtar atomi, aut puncti, in quo exemplum ſuprà adhibuit) vnum omninò eundem totum eſſe Patrem, totum Filium, & totum Spiritum ſanctum. Cumque Deus in Deo non ſit, niſi vnus Deus, vt ſuprà conſtitutum fuit; Pater, Filius, & Spiritus S. ſervant ſingularitatem in natura divina, ad ſimilitudinem vnius hominis, conſtantis ſingulari natura. Vbi confirmat Anſelmus doctrinam ſuperiori capite traditam de natura ſingulari & diſtincta in quolibet homine, prout ibidem explicuimus.

291 *PER HOC VERO*, &c. Progreditur iam ad exponendam pluralitatẽ perſonarum, non obſtanti vnitate in natura divina. Cùm enim Deus ſit de Deo naſcendo, & Deus de Deo procedendo, & præterea nihil poſsit ex ſe ipſo naſci aut procedere, ſed ex alio dumtaxat; oportet vt tres perſonæ divinæ ſecundùm nomina ſignificantia eiuſmodi proceſsiones & relationes, ſervent pluralitatem, ſicut diverſæ hominum perſonæ. Quod iam ſuprà *cap.* 3. vberiùs explanatum fuit.

292 *NOTANDVM TAMEN*, &c. Verùm monet, nec Deum eſſe ſine perſona, nec perſonam ſine Deo: ac præterea nos ſingulis perſonis interdum attribuere, quæ ſingularum propria ſunt: interdum verò vni, quaſi proprium, quod cõmune eſt alijs. Nimirum, tunc ſingulis perſonis ſeorſim ac nominatim attribuimus, quæ ſingulis propria ſunt, cùm dicimus, ſolum Patrem in tribus perſonis eſſe, qui à nullo eſt: ſolum Filium, qui eſt de vno, & de quo eſt vnus: ſolum Spiritum S. de quo nullus eſt. Interdum verò vni cuipiam ex divinis perſonis tribuitur aliquid, quod tamen reliquis eſt commune. Sic Math. 11. dicitur: *Nemo novit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius.* Inſuper 1. Corinthiorum 2. *Quæ ſunt Dei, nemo*

novit, niſi Spiritus Dei. Quibus locis, licèt Scriptura videatur negare de alijs perſonis, quod nominatim vni attribuit; non tamen reipſa id negat. Neque enim Pater aut Filius ignorat ſeipſum, vel quæ Dei ſunt: nec Spiritus ſanctus ignorat vtrumque illorum. Cur autem, & quando, quod de vno, quaſi de ſolo, dicitur, de alijs intelligatur, ſatis ſuprà dictum eſt: nimirum *cap. 3. & 6. & 7.* ex quibus conſtat omnia in divinis eſſe communia tribus perſonis, vbi nullatenus obviat relationis oppoſitio: proptereaque, eâ ſeclusâ, quidquid de vna aliqua perſona dicitur, affirmari debere de alia. Vide Scholia in ea loca. neque enim repetere impræſentiarum opus eſt.

CAPVT DECIMVMNONVM.

CONCLVSIO OPVSCVLI.

HAEC De proceſsione Spiritus ſancti, alijs cogentibus, non de me, ſed de eodem Spiritu ſancto confidens, pro Latinis contra Græcos ſcribere, & ea occaſione de vnitate Deitatis, & de Trinitate perſonarum, aliquid addere præſumpſi: quamvis innumerabiles ſint inter illos, qui Latinis vtuntur litteris, qui hoc meliùs, quàm ego, facere poſsint. Quidquid ergo dixi, quod ſuſcipiendum ſit, non mihi attribuatur; ſed Spiritui veritatis. Si autem aliquid protuli, quod aliquatenus corrigendum ſit, mihi imputetur; non ſenſui Latinitatis.

SCHOLIA IN CAPVT XIX.

Modeſtia & humilitas mira Anſelmi, poſt abſolutam contra Græcos tractationem de Spiritus ſancti proceſsione. Quibus in Concilijs Generalibus definita fuerit, & qualiter poſt tempus Anſelmi confirmata, præſertim in Synodo Florentina.

Imperij Græcorum excidium, propter contrariam & inveteratam hæreſim.

124 CLAVDIT Et conſignat Anſelmus aureum Opuſculum, & eruditiſſimam, ac mirè ſubtilem tractationem, verbis ſpe in Deum, atque humilitate & modeſtia plenis. Spem in Deum, & diffidentiam de ſe ipſo, ſatis exponit, dum ait: *NON DE ME, SED DE EODEM SPIRITV SANCTO CONFIDENS.* Humilitatem & modeſtiam erga alios, planè etiam indicat, dum ait: *QVAMVIS SINT INNVMERABILES INTER ILLOS, QVI LATINIS VTVNTVR LITTERIS, QVI HOC MELIVS, QVAM EGO FACERE POSSINT.* Non ſatis ipſi viſum exiſtimare ac dicere, plures ex Latinis meliùs hoc Opus aggreſſuros; niſi & innumerabiles: vt proinde non vni cuipiam, aut paucis Theologis Latinis cederet, ſed innumeris, infinita propemodum humiliatione ſui. Et hoc quidem ex animi ſententia protulit eximius ille Vir, & incomparabilis Theologus ſui ævi, ac ſequentium planè Magiſter: à quo Petrus Lombardus, Alexander Alenſis, Divus Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, cæterique Scholaſtici, effata, theſes, rationeſque, veluti cœleſtem quandam doctrinam, didicerunt & mutuarunt. Addo vlteriùs. Ea verba humilitate tanta & tali plena protulit clariſsimus ille Doctor, & Præſulum gemma, cui vni, præ cæteris omnibus Patribus in Barenſi Concilio congregatis, Vrbanus II. Pontifex Maximus & ſanctiſsimus commiſsit diſputationem Eccleſiæ Latinæ adverſus Græcos, dicens: *PATER ET MAGISTER ANSELME, ANGLORVM ARCHIEPISCOPE VBI ES? Ille vbi ſe vocari audiuit* (verba ſunt Vvilhelmi Malmesburienſis lib. 1. de Geſtis Anglorum Pontificum) *in pedes conſtitit. Quem Apoſtolicus compellans: NVNC, inquit, MAGISTER, OPVS EST SCIENTIA, OPVS ELOQVENTIÆ TVÆ OPERA. VENI, ASCENDE HVC, ET DEFENDE MATREM TVAM ECCLESIAM, QVAM GRÆ-*

GRÆCI LABEFACTARE CONANTVR. Hæc Vrbanus Pontifex, digna ſanè repeti, poſtquam alibi à nobis exſcripta fuerunt, iuxta teſtimonium Eadmeri, qui Concilio aderat. Quid illuſtriùs pro Anſelmo? Aut cui vnquam alteri Doctorum Eccleſiæ ad Synodum congregatæ legitur Romanus Pontifex palam & publicè talia dixiſſe? Et tamen Anſelmus ille poſt tam inſolitum elogium, acclamationeſque Patrum in Concilio Barenſi, & triumphum de Græcis reportatum; adeò humiliter de ſeipſo ſentit, vt dicat hoc loco: *Quamvis ſint innumerabiles inter illos, qui Latinis vtuntur litteris, qui hoc meliùs poſſint facere, quàm ego.* Quin & prætereà ſubdit: *Quidquid ergo dixi, quod ſuſcipiendum ſit, non mihi tribuatur; ſed Spiritui veritatis. Si autem aliquid protuli, quod aliquatenus corrigendum ſit; mihi imputetur, non ſenſui Latinitatis.* Ea clave aureâ conſignat, imponitque coronidem Diſputationi cedro dignæ: nihil ſibi honoris quærens, ſed Deo, & Eccleſiæ Latinæ: immò ſi quid peccatum, erratumve eſt in Opere hoc, quamvis eruditione & ſubtilitate pleno, ſibi vni adſcribi deſiderat, non ſenſui Latinorum, pro quibus diſſeruit.

295 Procul equidem ab hac Anſelmi humilitate & modeſtia mira, veteres illi Philoſophi, & *animalia gloriæ*. Vt enim obſervat Magnus ille Auguſtinus in Pſalmum 31. *Hæc aqua humilitatis cordis, hæc aqua vitæ ſalutaris, abycientis ſe, nihil de ſe præſumentis, nihil ſuæ potentiæ ſuperbè tribuentis; hæc aqua in nullis alienigenarũ libris eſt. Non in Epicureis, non in Stoicis, nõ in Manichæis, non in Platonicis. Vbicumque etiam inveniuntur optima præcepta morum & diſciplinæ, humilitas tamen iſta non invenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat. A Chriſto venit. Hæc via ab illo eſt, qui, cùm eſſet altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit, humiliando ſe, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis? Quid aliud docuit ſoluẽdo quod non debebat, vt nos à debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus, qui peccatum non fecit; crucifixus, qui reatum non habebat? Quid aliud docuit, niſi hanc humilitatem?* Ab illo itaque fonte didicit Anſelmus: ab illo bibit ſalutarem humilitatis aquam, Philoſophis Ethnicis prorſus ignotam: eamque in lacinia huius Operis velut effudit: vt & nos homunciones, ac nullius pretij, qui qualiacumque ſcripta edimus, humiliter de nobis ipſis ſentiamus, erubeſcamuſque tam procul eſſe ab humilitate, quàm à ſapientia Anſelmi, & clariſsimorum illorum Eccleſiæ luminum.

Sed enim Anſelmus, vel ipſa ſui abiectione, ſummam laudem & gloriam apud Deum & homines conſecutus eſt, quam alij famæ aucupes, & cenodoxiæ amantes, irrequiſito conatu, & aſsiduis laboribus non meruerunt. Nimirum, vt aiebat Sapiens quidam, *Veræ famæ hæc eſt glorioſa proprietas, vt appetitores ſui contemnat, appetat contemptores. Famam fugiendo cõſequitur, qui illam perderet ſequendo.*

296 Iam verò ſupereſt, quid tandem ex illa diſputatione Anſelmi cum Græcis concluſum fuerit. Ac primò quidem Acta eius Concilij Barenſis iniuria temporum perierunt, nec vllibi edita inveniuntur. Id tamen teſtimonio Hiſtoricorum conſtat, Græcos ibidem convictos fuiſſe ab Anſelmo. Et quidem eadem doctrina ante Concilium Barenſe, & tempus ipſum Anſelmi, abſdubiò in Eccleſia altiſsimas radices miſerat; ſiquidem Vrbanus Secundus Pontifex vocans Anſelmum ad diſſerendum cum Græcis ea de re, dixit: *Aſcende huc, & defende matrem tuam Eccleſiam, quam Græci labefactare conantur.* Quibus verbis planè indicatur, eo iam tempore Spiritus ſancti ex Filio proceſsionem fuiſſe dogma inconcuſſum Eccleſiæ; & Græcos illud impugnantes, Eccleſiæ hoſtes ſe geſsiſſe in Barenſi Concilio. Ergo tunc ſaltem veritas illa definita erat ab Eccleſia, ſive intra, ſive extra Generale aliquod Concilium.

297 Quia tamen Græculorum ſuperbia & pervicacia adhuc rebellabat adverſus Eccleſiam, opus poſtea fuit, vt eadem veritas palam definiretur in Concilio Lateranenſi Generali ſub Innocentio III. capite 1. cui interfuerunt Græci pariter & Latini: vt conſtat ex capite 4. eiuſdem Concilij. Rurſus confirmata fuit in Concilio Generali Lugdunenſi ſub Gregorio X. vbi Græcis & Latinis Patribus congregatis, eademque veritate iterum definita, Symbolum Nicænum cum particula *Filioque* ter cantatum fuit. Habetur autem ea definitio in Sexto capite 1. de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Denique renaſcentibus in Græcia capitibus hydræ veteris, eadem proceſsio Spiritus ſancti ex Filio, identidem confirmata fuit in Concilio Generali Florentino, poſt longiſsimam & accuratiſsimam diſcuſsionem inter Latinos, & Græcos, præſente Imperatore Orientis Ioanne Palęologo, anno Chriſti MCCCCXXXIX. Eugenio IV. Pontifice. Ibidemque in vltima ſeſsione præcipui è Græcis, Gregorius Scholarius vir doctiſsimus, Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Epiſcopus Ruthenus, Cardinalis Beſſarion, vir incomparabilis, &

Epiſcopus Mytilinenſis, aliique plures, pro-feſsi palam ſunt, proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed vno, prout eouſque ab Eccleſia Latina traditum fuerat, eſſe conformem ſacræ Scripturæ, SS. Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus: ideoque publicè admiſerunt particulam *Filioque* in Symbolo. Vnus reſtitiſſe, & in ſua perfidia manſiſſe memoratur, Marcus Epheſius, cuius nulla ratio in Concilio habita eſt, quominus ea veritas ab Eccleſia vniverſa firmiter ac ſolemniter definita perſiſteret. Quin & eundem Marcum doctiſsimè refutavit ex ipſis Græcis Gregorius Hieromonachus, Magnus Protoſyncellus, qui eidem Synodo interfuit, & poſtea creatus fuit Conſtantinopolitanus Patriarcha, ac Diſputationem edidit, quæ Græcè & Latinè habetur poſt Acta eiuſdem Concilij. De qua nonnulla obſervavimus ſuprà Diſp. XVI. ſectione tertia. Cætera prætereo: quoniam in Actis eiuſdem Concilij habentur Græcè & Latinè edita, quæ præ manibus cuique ferè ſunt.

298 Verum, quamvis vna hirundo non faciat ver (quo proverbio alicubi vtitur Ariſtoteles) illa vna Marci Epheſij protervia in Concilio Florentino ſatis fuit, vt Græculi turmatim adverſus Eccleſiam Catholicam rebellarent; & ad ingenium ſuum redirent. Neque enim illos ad ſanum ſenſum reducere potuerunt aliqui ex Græcis ipſis præcellentes viri, qui Florentinæ Synodo interfuerant, & Marcum Epheſium doctiſsimè confutaverant: præſertim Cardinalis Beſſario Epiſcopus Nicænus, Iſidorus Archiepiſcopus Theſſalonicæ, Ioſephus Epiſcopus Methonenſis, & Gregorius Hieromonachus nuper laudatus. Quæ illorum perfidia in cauſa fuiſſe creditur, vt quatuordecim poſt annis, divinam vltionem iuſtam & horribilem ſubierint. Conſtantinopolis enim Græciæ caput, & Imperij Orientalis Regia, irruentibus Othomanis capta eſt; & Imperium ipſum extinctum; Græcis, qui antea dominabantur, ſervire coactis, & duriſsimam ſubire tyrannidem, quam hodieque experiuntur.

DISPVTATIO XLIV.

AN LONGE ANTE CONCILIVM BARENſe, cui interfuit S. ANSELMVS, Eccleſia addidiſſet Symbolo particulam illam, FILIOQVE; & quo primùm tempore.

VIDIMVS Diſputatione præcedenti ex Anſelmo cap. 4. & in Scholijs num. 72. ſuo ipſius tempore Latinos fuiſſe reprehenſos à Græcis propter additionem particulæ FILIOQVE in Symbolo, qua exprimitur, Spiritum ſanctum à Filio procedere. Et licet plura ibidem dixerimus circa tempus in quo facta primùm fuit à Latinis ea additio, placet adhuc iterum accuratiùs idipſum examinare. Eſt enim controverſia ſolùm obiter ab Hiſtoricis libata, quam fuſiùs examinare oportet. Non procedit autem de Symbolo Apoſtolorum, nec de Nicæno, quibus nihil vſque modò additum fuit; ſed de Conſtantinopolitano, quo præcipuè vtimur in ſacrificio Miſſæ. Placet verò in hac re primò excurrere per aliorum opiniones, deindeque noſtram tradere.

(o)

SECTIO PRIMA.

Varia quorumdam placita circa tempus, in quo primùm addita fuit Symbolo particula FILIOQVE, referuntur, & improbantur.

1 ILLVSTRISS. Loayſa, Magiſter Catholici Regis PHILIPPI III. & poſtea Archiep. Toletanus, cui Concilia Hiſpaniæ plurimùm lucis debent, in notis ad Concilium III. Toletanum, verbo *Item fides ſancta*, pag. 237. cenſet particulam FILIOQVE primùm additam fuiſſe Symbolo in ipſo Concilio Generali Conſtantinopolitano I. vbi illud editum fuit, & vnde appellationem accepit. Ait enim: *Hoc eſt Symbolum Concilij Conſtantinopolitani à centum & quinquaginta Patribus celebrati aduerſus Eunomium, Photinum, & Macedonium: IN QVO ALIQVA EXPLICATA SVNT, ET POSITA IN SYMBOLO, QVÆ IN NICAENO NON ERANT: vt eſt illud,*

quod

quod ad perſonam Spiritus ſancti ſpectat: credimus in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, FILIOQVE procedit, &c. *Neque exiſtimo, vt alij, poſtea hæc verba, ex Patre, Filioque, addita in Synodo Romana, ſed in ipſa prima Symboli formatione fuiſſe poſita, vt cōſtat ex D. Hieronymo in Symbolo, & ex lib. 9. Tripartitæ cap. 16. & ex Concilio Florentino.* Hactenus ille ad verbum.

3 Sed enim ſententia hæc ſingularis eſt, & reijcitur: Quia in nullo exemplari Græco, aut Latino eius Synodi, quotquot extant, & manibus omnium teruntur, apparet in Symbolo ipſius ea additio τὸ ὑιοῦ, ſeu *Filioque*. Quin prætereà neque in vllo ex Concilijs Generalibus ſubſequentibus vſque ad XIV. Generale, id eſt, Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. Papa annō Chriſti M. CC.LXXIV. vnquam legitur illa, quamvis in pleriſque legatur Symbolum ipſum Conſtantinopolitanum: vt iam obſervavimus Diſp. XLII. Non ergo in ipſo Concilio II. Generali CL. Patrum CP. fuit facta illa additio ad Symbolum. Secundò Ruiz diſp. 67. de Trinitate refellit hanc opinionem: Quia nec in Concilio Toletano III. invenire potuit Loayſa ex Symbolo CP. quod ibidem proferunt Patres pluſquam verba illa, *A PATRE PROCEDENTEM*, prout omnes aliæ editiones habent. Cæterum fallitur Ruizius: quoniam in editione fideliſsima Loayſæ ex antiquiſsimis exemplaribus, legitur ibidem Conſtantinopolitanum Symbolum pag. 205. cum particula, *EX PATRE ET FILIO PROCEDENTEM*. Nec contradicunt aliæ editiones, ſaltem quibus nos vtimur. Nam in ea quæ prodijt Venetijs anno M. D.LXXXV. apud Dominicum Nicolinum, & alterâ Severini Binij Pariſijs anno M. D.C. XXXVI. non habetur totum CP. Symbolum, ſed ſolùm eius inchoatio, cæteris remiſsis in Symbolum ipſum, prout extat in Synodo III. Toletana. Itaque priori impugnationi à nobis propoſitæ adverſus Loayſam inſiſtendum eſt, præter ea, quæ contra aliorum opiniones ſubijciemus, & ipſum pariter impugnant.

4 Secundò alij cenſent, particulam *Filioque* additam fuiſſe à Damaſo Papa in Concilio Romano, in quo probavit decreta Concilij II. Generalis, id eſt, Conſtantinopolitani prædicti. Ita Emanuel Calecas lib. adverſus Græcos; addens, Damaſum id feciſſe, vt frænaret quandã hæreſim tunc ortam, quam complexo vocabulo τῆς υἱοπατρίας appellat, *quod Filium Dei affirmaret eſſe Patrem Spiritus ſancti, & hunc Patris nepotem. Idcirco Damaſus Romanus Epiſcopus collecta Synodo ad Symbolum adiecit à Filio procedere Spiritum ſanctũ, vt illud refelleret, quod gigni dicebatur a Filio.* Porrò Calecas ipſe ad id ſtabiliendum allegat Hiſtoricum quendam Græcè dictum Σκυλίτζην. Sed & Ioſephus Methones citat pro eodem placito Gregorium Ariſtinum, quemadmodum & Noſter Genebrardus lib. 3. de Trinitate Alexium Ariſtinum.

5 Denique id ipſum tuetur Staniſlaus Socolovius in Annotationibus ad cap. 1. cenſuræ Orientalis Eccleſiæ factæ à Hieremia Patriarcha CP. Allegat pro ſe Epiſtolam eiuſdem Concilij CP. ad Damaſum Papam, quæ ponitur in eius principio ferè Tomo I. editionis Binij pag. 665. & incipit: τὸ μὲν ἀγνοοῦσαν τὴν ὑμετέραν εὐλάβειαν διδάσκειν, &c. Sed enim in tota ea Epiſtola nec verbum quidem indicatur de additione prædictæ particulæ. Deinde appellat Socolovius librum 9. Tripartitæ capite 14. aut 16. Verùm neutro ex iis locis habetur aliquid quod ad rem ſit. Ibidem enim referuntur decreta Cōcilij Romani, inter quæ nihil ſtatuitur circa proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, ſed dumtaxat can. 16. inuritur anathemate, qui dixerit, Spiritum ſanctum à Patre non procedere. Vlteriùs id colligere tentat ex Symbolo Damaſi apud Hieronymum Tomo IX. quaſi ibi habeatur particula illa. Sed imprimis iam oſtenſum fuit Diſput. XLII. num. 3. id Symbolum eſſe ſuppoſititium, & Damaſo affictum. Rurſus, nec illud eſt Nicænum, aut Conſtantinopolitanum, de quo ſolo diſputamus, quandonam additionem illam ſubierit. Denique non meliori iure appellat Socolovius pro ſe Hugonem Ætherianum lib. 3. de Proceſsione cap. 16. Nam ibidem non exponit quiſnam fuerit Pontifex eius additionis auctor, ſed ſolùm probat, potuiſſe Romanum Pontificem exponere Symbolum: de quo nunc eſt controverſia. Itaque opinio hæc videtur omni ſolido fundamento carere.

6 Quin & prætereà illa reijcitur: quia in nullo exemplari eius Concilij Romani à Damaſo celebrati, quotquot extare inveniuntur, apparet ea additio in Sybolo. Hoc autem inducit moralem certitudinem, quòd tunc facta non ſit. Deinde apud nullum ex Patribus, aut Scriptoribus eius temporis, etiam eorum qui ſcripſerunt contra Theodoretum negantem palam Spiritus ſancti proceſſionem ex Filio, allegatur tale decretum, aut definitio Damaſi in oppoſitum. quod certè oporteret, ac ſufficeret ad illius opinionem penitùs proſcribendam. Inſuper Theodoretus ipſe in Hiſtoria ſua affert Epiſtolam Conſtantinopolitani Concilij paulò ante memo-

moratam, & Inſuper alteram Damaſi ad idem Concilium: in quarum neutra extat aliquid de proceſsione Spiritus ſancti ex Filio. Non eſt autem veroſimile, Theodoretum auſum id reticere, aut mutilare vtramque eam Epiſtolam, quæ aliquot iam antè annis publici iuris facta fuerat, & vbique circumferebatur Sic enim argueretur impudentiæ, quaſi manifeſtus temerator earum litterarum.

7 Tertiò Baronius ad annum Chriſti DC. LXXX. docet, proceſsionem Spiritus ſancti à Filio definitam fuiſſe ab Agathone Papa in Synodo Romana contra Monothelitas coacta: conqueritur tamen, eam particulam Pontificiæ Epiſtolæ abraſam fuiſſe mala quorumdam Græcorum manu, prout in Synodo Florentina conqueſtus fuit Iulianus Cardinalis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & longè antea Emanuel Calecas Græcus auctor ſcribens contra errores Gentis ſuæ. Addit idem Baronius ad annum DCC. LXXXVII. particulam *Filioque* fuiſſe Symbolo CP. additam in VII. Synodo Generali, id eſt, Nicænâ II. Similiter ferè Ruiz de Montoya, vir ſanè erudit iſsimus, & mirè verſatus in lectione Conciliorum ac Patrum diſputatione 67. ſectione 5. opinatur, particulam *Filioque* adiectam fuiſſe Symbolo CP. tempore VI. Synodi Generalis à Romano Pontifice poſt annum Domini ſexcenteſimum. Probat primò ex Andræa Theologo Latinorum in Concilio Florentino ſeſsione 7. inter medium, & finem dicente: *Maximo in Gallia, & in Hiſpaniis ſchiſmate imminente, cùm iam EX FILIOQVE celebraretur paſſim, Romano Pontifici fuit neceſſe in multorum Occidentalium, ampla dignitatis, magnoque Concilii Patrum conventu, addito EX FILIOQVE, Symbolum magis illuſtrare.* Hæc ille. *Secundò* probat: quia in Concilio Octavo Toletano recitatur idem Symbolum cum ea particula. Fuit verò id celebratum circa annum Domini ſexcenteſimum quinquageſimum tertium: ante quod tempus nullibi invenitur Symbolum Conſtantinopolitanum ita declaratum. Nec enim invenitur in Concilio Toletano Septimo, vt patet etiam iuxta editionem Loayſæ. *Tertiò* id confirmat ab indicio: quoniam Concilium Gentiliacenſe fuit convocatum à Pipino Galliarum Rege anno ſeptemgeſimo ſexageſimo ſexto: atque in eo agitata fuit quæſtio inter Græcos & Latinos de ea additione Symboli. *Quarto*: quia in Synodo Septima Generali legitur cum dicta additione. Fuit autem illa coacta circa annũ Domini ſeptingenteſimum octogeſimũ ſeptimum. Vnde demũ colligitur, quamvis non conſtet de certo, ac determinato anno, conſtare ſaltem, additionem illam fuiſſe factam tempore interiecto vtrique Synodo Sextæ, & Septimæ Generali.

8 Verumtamen ſententia hæc, licet veroſimilior præcedentibus, adhuc eſt difficilis ex multiplici capite. *Primò*: quia in nullo Concilio Generali ex vndecim primis legitur definita proceſsio Spiritus ſancti ex Filio: vt fusè, & ſingillatim oſtendimus Diſputatione præcedenti, ſectione ſecunda, & tertia, multò autem minùs in Symbolo Conſtantinopolitano, prout ab iis relato, invenitur additio *Filioque*: vt patet iuxta omnes editiones quæ circumferuntur in Eccleſia. Quod verò ii Auctores aiunt, in Synodo Romana ſub Agathone, fuiſſe id definitum; non conſtat ex exemplaribus, quotquot extant, nec ex vllo hiſtorico gravi illorum temporum; quidquid conqueſti fuerint longè poſtea Iulianus, & Calecas. Deinde patet, nec in Septima Synodo Generali legi additionem illam Symbolo factam, vt oſtendimus loco indicato numero 13. Quippe in omnibus exemplaribus Græcis eiuſdem Synodi, quotquot extant, ſolùm ibi legitur in Symbolo CP. *τὸ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον*, id eſt, *ex Patre procedentem*, quamvis in aliquo exemplari Latino legerit prædictus Andræas particulam *Filioque*. Patet verò, minorẽ fidem vnico exemplari præſtari debere, cæteris paribus, quàm reliquis omnibus.

9 Præterea, vt teſtatur Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 11. capite 2. Leo III. Pontifex Romanus (qui rexit Eccleſiam circa annum Domini octingenteſimum, id eſt, quatuordecim annis poſt Septimam Synodum Generalem, ac centum viginti poſt tempus Agathonis Papæ) poſuit in tabula argentea Symbolum Conſtantinopolitanum poſt altare ſancti Petri ſine additione illa *Filique*. Si autem hæc particula fuiſſet adiecta eidem Symbolo, vel ab Agathone Papa, vel in Concilio Generali Septimo, nulla congruenti ratione Pontifex illam omiſiſſet. Quippe nulla ratio eſt omittendi, præſertim in inſtrumento publico, & Pontificio, & pluribus ſæculis manſuro (qualis fuit tabula illa) formulam fidei à Concilio Generali editam.

10 Vlteriùs, nec tempore Agathonis Papæ, nec in ea Synodo Septima Generali, nec in vlla alia ex quatuordecim Generalibus ſequentibus legitur orta controverſia, aut diſputatio aliqua inter Latinos, & Græcos, multò autem minùs inter Latinos ipſos, ſive circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, ſive circa additionem eius particulæ ad Symbolum: vt patet ex ipſorum om-

nium

nium Actis, & Canonibus, quantùm nobis licuit ea evolvere. Neque obſtat quod ſcribit Addo in chronico circa annū DCC.L.XVII. *quæſtionem ventilatam fuiſſe inter Græcos & Romanos de Trinitate: & vtrum Spiritus ſanctus ſicut procedit à Patre, ita etiam a Filio.* Id enim non fuit diſputatum in Concilio Generali, ſed in Gentiliacenſi prope Lutetiam; de quo plura Petavius Tomo II. Theologicorum Dogmatum, & Philippus Labbé in Synopſi Conciliorum ad eundem annum DCC. LXVII. nihil verò omnino Cabaſſutius in Notitia Eccleſiaſtica nuperrimè edita, vbi tamen aliorum omnium Conciliorum Acta eruditè illuſtrat. Quin & cùm plurimi ex Græcis, ne dicam omnes, circa tempora Septimæ, Octavæ, & trium ſequentium Synodorum Generalium, præeuntibus Theodoreto, & Photio, negarent Spiritum ſanctum ex Filio procedere, immò & pro ſe allegarent ſanctum Ioannem Damaſcenum, qui circa tempus inter Sextam, & Septimam Synodum floruit; non eſt veroſimile Eccleſiam Catholicam definiſſe eam cōtroverſiam ſine matura diſcuſsione, & auditâ vtrâque partium: multò autem minùs id Symbolo adijcere voluiſſe. Cùm ergo non legatur in vlla ex ijs Generalibus Synodis diſputatio, aut cōtroverſia aliqua de hac re, inter Eccleſias Græcam, & Latinam; cenſeri debet, tum controverſiam ipſam non fuiſſe ab Eccleſia Catholica definitam, tum particulam illam *Filioque* non fuiſſe ab aliqua Synodo Generali, nec à Romano Pontifice adiectam.

11 Denique, vt plura alia omittam, ſi proceſsio Spiritus ſancti à Filio fuiſſet definita ab Agathone Papa anno ſexcenteſimo octuageſimo, vt cenſet Baronius; vel adiecta Symbolo ab Eccleſia Catholica à tempore, aut circa tempus Septimæ Synodi Generalis, vt Ruizius vult; quicumque ex Græcis illam deinceps negârunt vſque ad tempus Duodecimæ Synodi Generalis, id eſt, Lateranenſis ſub Innocentio Tertiò per ſpatium pluſquam quingentorum, vel ſaltem quadringentorum, & eo ampliùs annorum (quippe fluxerunt inter eam vtramque Synodum quadringenti triginta duo) fuiſſent hæretici. Cùm ergo omnes Græci, aut ferè omnes, non modò è media plebe, ſed docti, & indocti, nobiles, & ignobiles, toto eo tempore proceſsionem Spiritus ſancti à Filio negaverint, dicendum eſſet, totam Græciam obfirmato animo tandiu perſtitiſſe in aperta hæreſi. Hoc autem durum dictu, & creditu difficillimum apparet: cùm ſaltem vſque ad annum 1050. tot ſæculorum Imperatores plerique Orientis & Patriarchæ, & Epiſcopi, & Græciæ populi, ſubiectionem profiterentur erga Eccleſiam Catholicam & Pontifices Romanos, ab eiſque benignè exciperentur, neque vnquam anathemate notarentur eam ab cauſam, tanquam hæretici, licèt ſæpè quidam eorum velut ſchiſmatici notati ſint. Non ergo particula illa fuit, vel definita ab Agathone Papa, vel addita Symbolo ab Eccleſia Catholica circa tempora Septimæ Synodi Generalis.

Neque obſtant fundamenta Ruizij numero 7. obiecta in oppoſitum. Ad primum dicimus, narrationem illam Andreæ Theologi in Concilio Florentino non debere intelligi de additione facta circa Septimam Synodum: cùm quatuordecim annis poſt illam Leo Papa III. Symbolum ipſum in lamina argentea exarari fecerit ſine particula *Filioque*, & publicè collocaverit in perpetuam rei memoriam poſt altare D. Petri, vt vidimus numero 9. Ergo illa nondum addita fuerat Symbolo ab Eccleſia in Septima Synodo Generali, vel ab aliquo Romanorum Pontificum. Ad ſecundum, & tertium conſtabit ex dicendis ſectione ſequenti. Ad quartum patet ex dictis numero 14. non ſatis conſtare an ea additio Symboli facta fuerit in Septima Synodo Generali. Quin potiùs cùm omnia exemplaria Græca, & Latina illins, quotquot extare inveniuntur, exprimant Symbolum ſine particula *Filioque*; cenſeri debet poſtea addita: quamvis fortè in aliquo exemplari illa fuerit inventa à quopiam. Adde, videri incredibile, vt tam multa exemplaria Conciliorum Generalium, quæ Romæ, & in alijs Eccleſijs Latinis, ac Monaſterijs extabant, vitiarentur fraudulenta manu Græcorum in Oriente habitantium; quibus non facilè præberetur aditus, vel occaſio vitiandi manuſcripta tanto in pretio habita, & ſolicitè ſervata à Romanis Pontificibus, alijſque Patribus Latinis.

SECTIO SECVNDA.

Particulam FILIOQVE videri primùm additam fuiſſe Symbolo CP. in Concilio III. Toletano. Difficultates quædam in oppoſitum obiectæ & ſolutæ præſertim ex doctrina S. Anſelmi in Diſputatione contra Græcos. Plura etiam obſervata ad hiſtoriam & chronologiam Conciliorum ea de re ſpectantia.

11 QVEMADMODVM Sæpè, ac verè dicitur, facilius eſſe deſtruere, quàm ædificare: ita etiam in hac re magis pronum, & in aperto eſt aliorum refel-

refellere opiniones, quàm propriam ſtabilire. Itaque nobis etiam coniectandi, & divinandi opus eſt, quando primùm ea particula fuerit addita Conſtantinopolitano Symbolo, donec alij eruditiores rem maturiùs expendant, & definiant.

13 Certè, ſi ſtandum omnino ſit exemplaribus Conciliorum Hiſpaniæ editis à Loayſa, viro ſanè graviſsimo, qui tot, & tam emaculata illorum manuſcripta vidit, ac contulit; proculdubio dicendum eſt, particulam *Filioque*, primùm additam fuiſſe Symbolo Conſtantinopolitano in Concilio Toletano Tertio LXII. Epiſcoporum ſub Gelaſio Secundo Papa, anno quarto Recaredi Regis, Eræ DC. XXVII. præſentibus, inter alios Hiſpaniæ Præſules, Euphrmio Toletano, & Leandro Hiſpalenſi. Ibidem namque pag. 203. editionis eiuſdem Loayſæ legitur Symbolum ipſum cum particula: *EX PATRE ET FILIO PROCEDENTEM.* Nullum autem aliud Concilium, ſivè Provinciale, ſive Generale, eſt illo antiquius, in quo additio eadem facta Symbolo legatur: vt patet ex omnibus illorum editionibus, & magna ex parte obſervatum relinquimus in ſuperioribus, præſertim facto excurſu per ſingula ex Generalibus. Deinde in Octavo Concilio Toletano Epiſcoporum LII. regnante in Hiſpanijs Receeſuimho, Era DC. XCI. circa tempora Martini I. Papæ, poſt Profeſsionem Fidei ab ipſo Rege editam, & ſubſcriptam, Patres ibidem congregati titulo primo proferunt Symbolum Conſtantinopolitanum, & in eo Spiritum ſanctum, *DE PATRE, FILIOQVE PROCEDENTEM,* vt eſt apud Loayſam pag. 422. Vtrumque verò id Concilium Toletanum abſdubio præceſsit tempore Sextam Synodum Generalem: vipotè coactam Conſtantinopoli anno 680. ſub ſancto Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Imperatore. nam Tertium Concilium Toletanum fuit celebratum anno Chriſti D. LXXXIX. in quem incidit Era 627. id eſt, nonaginta, & vno annis ante Synodum Sextam: Octavum verò Concilium Toletanum anno Chriſti D. LIII. cui reſpondet Era DC. XCI. viginti ſeptem annis ante eandem Sextam Synodum. Cùm igitur nullum aliud Concilium extet, nec Generale, nec Provinciale, in cuius Actis appareat illa additio facta ad Symbolum Conſtantinopolitanum ante Toletanum Octavum, & multò minùs ante Tertium, prout ex omnium exemplaribus hucuſque editis conſtat; videtur admodum probabile, eam additionem ad Symbolum fuiſſe primùm in ijs Concilijs Toletanis factam.

14 Dices, id nòn cedere in decus Toletanæ, vel Hiſpanæ Eccleſiæ, ſed potiùs adſcribi debere ingenti temeritati: quoniam nec Eccleſiæ Toletanæ, nec cuipiam alteri, licuit quidquam addere Symbolo à Concilijs Generalibus Nicæno, aut Conſtantinopolitano editis. Quod multipliciter ſuaderi poteſt. *Primò* ex decreto Concilij Sardicenſis relato ab Athanaſio in litteris Synodalibus ad Eccleſiam Antiochenam, In quo cautum fuit, nihil vlteriùs definiendum eſſe circa res fidei, ſed conctos debere eſſe contentos fide Nicæna, vtpotè plena, & integra, neque aliud Symbolum edi debere, *ne illis quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere, occaſio ſuppeditaretur, vt iterum, atque iterum de fide definiant.* Cùm igitur certum, exploratumque ſit, decreta Sardicenſis Concilij in ſumma ſemper veneratione fuiſſe apud Romanam Eccleſiam, videtur reprehenſione dignum, quòd Patres Concilij Toletani Tertij & & Octavi auſi fuerint addere particulam illam Symbolo.

15 Secundò in oppoſitum videtur vrgere, quòd cùm Patres CL. Synodi II Generalis, id eſt, Conſtantinopolitanæ I. condidiſſent idem Symbolum, de quo eſt quæſtio, atque in eo expreſsiſſent conſubſtantialitatem Spiritus ſancti cum Patre & Filio, eiuſque à Patre proceſsionem, quæ in Nicæno Symbolo non exprimebatur, poſt quinquaginta annos in Symbolo Chalcedonenſi Epiſcopi Ægyptij clamaverunt Actione prima: *Nemo ſuſcipit adiectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa conſtituta ſunt, teneant. Catholicus Imperator hoc iuſsit.* Ac præterea: *Adiectionem nullus ſuſcipit. Teneant quæ Patrum ſunt: teneant quæ in Nicæa conſtituta ſunt: teneant quæ de Spiritu S. ſunt. Catholicus Imperator hoc iuſsit.* Iidem Patres in litteris extantibus poſt eandem Synodum Chalcedonenſem Epiſtola 24. ita ſcribunt ad Leonem Auguſtum: Suggerimus nos trecentorum decem & octo Patrum ſanctorum, qui in Nicæa civitate collecti, & per ſanctum Spiritum ſunt locuti, Symbolum tenere, atque cuſtodire, *ET NEQVE AVGMENTVM ALIQVOD, NEC IMMINVTIONEM RECIPERE.* Ea namque, quæ à ſancto Spiritu dicta, atque ei ſcripta ſunt, fas non eſt aliquomodo retractari, *NEC AVMENTVM ALIQVOD, NEC IMMINVTIONEM EIS INFERRE.* Si autem iudicio Epiſcoporum omniũ Ægypti non licuit, ne quidem Synodo Generali apud Conſtantinopolim coactæ, addere quidquam, vel imminuere traditis in Nicæno Sym-

Symbolo; multò minùs licere potuit Concilio Tertio Toletano, vtpotè Provinciali ſolùm, aut Nationali, quidquam Conſtantinopolitano Symbolo addere. Ergo tam procul eſt à vera laude Eccleſia Toletana, & Hiſpana ob eam cauſam, vt potiùs reprehenſionem mereatur.

16 *Tertiò* id ipſum confirmari poteſt ex Actis Synodi Aquiſgranenſis ſub Leone Tertio Papa, & Carolo Magno Imperatore, circa annum Chriſti octingenteſimum nonum. Ex ijs enim apparet, additionem *Filioque* in Symbolo introductam fuiſſe à quibuſdam Eccleſijs Occidentalibus, antequam Romana id probaret, aut exemplo ſuo confirmaret. Vnde poſt longam diſputationem in eo Concilio, & legationem ad ipſum Leonem Tertium, hic reprehendit quòd aliquid ab eis Eccleſijs additum fuiſſet Symbolo. Quare ſic ad Legatos dixit: Si prius quàm ita cantaretur, interrogatus eſſem; ne inſerretur, vtique reſpondiſſem. At nunc (quod tamen non affirmandu, ſed vobiſcum pariter tractando, dico) quantum menti occurrit, ita mihi videtur poſſe vtrumque fieri: vt paulatim in Palatio, quia in noſtra ſancta Eccleſia non cantatur, cantandi conſuetudo eiuſdem Symboli intermittatur: ſicque fiet, vt quod ipſum vt cantaretur non quælibet imperantis auctoritas, ſed audiendi id fecerat novitas, ſi dimittatur à vobis, dimittatur ab omnibus. Et ita fortaſsè quantum eſſe poteſt, non incongruè vtrumque fieri poſsit: vt quod iam nunc à quibuſque priùs naſcentibus rectè creditur, credatur: & tamen illicita cantandi conſuetudo ſine cuiuſcumque fidei læſsione tollatur. Hactenus Leo Tertius. ex cuius verbis videntur duo conſtare. Alterum eſt, eo tempore nondum acceptam fuiſſe ab Eccleſia Romana additionem illam Symboli: alteram verò, reprehenſos à Pontifice Leone fuiſſe, qui illam induxerant, tam in Gallia, quàm in alijs Occidentalibus Eccleſijs. Cùm igitur prima iſtarum fuerit Toletana, ſive generatim Hiſpana, vt in Aſſertione diximus; conſequens apparet, vt illa temerè id egerit, & reprehenſionem Pontificis iure ſubierit. Ne ergo illam hac nota iniuſtam fateamur, opus eſt dicere, additionem prædictam alibi initium habuiſſe.

17 His obiectionibus, ſeu difficultatibus, quibus nos ipſi propriam ſententiam vtcumque impugnamus, ad rei veritatem eruendam, reſpondere debent Auctores aliarum opinionum in ſuperioribus reiectam. Nam ſi nihil omnino licet addere in formula fidei præter ea, quæ in Symbolo Nicæno tradita ſunt, iuxta præſcriptum Concilij Sardicenſis, cuius tenaciſsima vbique ac ſemper fuit Catholica Eccleſia; quomodo vel Damaſus Pontifex in Concilio Romano, vel Synodus Secunda Generalis, addidit particulam *Filioque*, quorum prius volunt Emanuel Caleca, Ioſephus Methones, & Staniſlaus Socolovius, poſterius verò Loayſa? Rurſus, ſi tempore Leonis Tertij, & Concilij Aquiſgranenſis, circa annum Chriſti octingenteſimum nonum additio illa nondum probata fuerat ab Eccleſia Romana; quomodò Baronius, & Ruizius volunt iam probatam fuiſſe ab Agathone Papa anno ſexcenteſimo octogeſimo, id eſt, centum triginta retro annis, aut etiam longè pluribus? Itaque omnes ij hærent in eâdem ſalebra.

18 Reſpondeo itaque, difficultates obiectas non eſſe tanti ponderis, vt nos dimoveant à ſententia tradita. Ad primum dico, quamvis Concilium Sardicenſe fuerit ſemper in ſumma veneratione apud Eccleſiam Romanam, non propterea huic ademptam fuiſſe poteſtatem declarandi aliquas veritates ad fidem ſpectantes, virtute, aut implicitè contentas, vel in ſacris litteris, vel in Symbolo Nicæno, quoties gravis, & iuſta occaſio id exigeret. Hanc verò interveniſſe in Secunda Synodo Generali ad exprimendam proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre, atque identitatem cum ipſo in ſubſtantia, vel natura, quarum neutra fuerat expreſſa in Nicæno Symbolo, patet: cùm poſt illud editum ſurrexerit hæreſis Macedonij, & generatim Pneumatomachorum, ſeu impugnatorum Spiritus ſancti, quam iugulari oportuit in ipſa fidei Catholicæ profeſsione. Quare in venerationem Concilij Nicæni, nihil omnino additum fuit, vel detractum ipſius Symbolo, prout in Synodo Sardicenſi cautum erat. Verùm Patres CL. Concilij Secundi Generalis ad omnia hæreſum veterum, & recèns ortarum monſtra radicitùs iugulanda, ediderunt iure ac meritò aliud quoddammodo Symbolum, in quo diſtinctè, & vberiùs exprimerentur ea, quæ preſsiùs, ac breviùs in Nicæno tradita fuerant. Aliud quodammodo, inquam. nam reverà idem eſt, & ſola maiori expreſsione quarumdam veritatum differt Conſtantinopolitanum à Nicæno. Addo, nec Patres Concilij Sardicenſis prohibere quamlibet additionem Symboli Nicæni ſed qualem continebant tabellæ quædam propoſitæ ibidem per quoſdam Epiſcopos ab eodem Concilio reprobatæ: de quibus neſciens earum reprobationem, dixit Hermias Sozomenus libro tertio Hiſtoriar. capite vndecimo: *Ediderunt Patres* (nimirum Sardicenſes) *aliam fidei formulam, pluribus*

qui

quidem verbis ſcriptam ; ſed tamen eandem complectentem ſententiam, & verbis non multùm ab ea diſcrepantem. Quamvis verò fallatur Sozomenus tribuens aliam fidei formulam Patribus Sardicenſis Concilij, quam ſoli aliqnot Epiſcopi inducere volebant, cæteris diſſentientibus ; quod ille dixit de tabellis ijs per inſcitiam prohibitionis illarum, dici iure ac verè poteſt de Symbolo Conſtãtinopolitano & Nicæno. Quemadmodum enim Symbolum Nicænum contra Sabellianos, Arianos, & multiplicem illorum ſectam, quaſi plura eiuſdem hydræ capita, *certis finibus & verbis Diuinitatis doctrinam circumſcripſit*, vt loquitur Nazianzenus in Encomio Heronis: ita etiam Symbolum Conſtanſtinopolitanum poſtea nonnihil ampliùs explicatâ eâdem Nicæni doctrinâ, Macedonianos hæreticos, Apollinariſtas, & generatim Pneumatomachos vnico ferè impetu perſtrinxit, & reiecit.

19 Vnde tam procul fuere Patres Conſtantinopolitanæ Synodi à reprehenſione Eccleſiæ ob eam additionem, vel maiorem explanationem Nicæni Symboli, vt potiùs exinde laudem, & approbationem meruerint ; tum à Damaſo Papa, qui eam Synodum CL. Patrum confirmavit ; tum prætetea à tota Synodo Generali Chalcedonenſi, in cuius Actione quarta Legati Sedis Apoſtolicæ ſcriptum ſancti Leonis Papæ contra Eutychianos definivêre orthodoxum, & ab omnibus recipiendum, quòd prorſus cohærens eſſet Symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano, ac decretis Concilij Epheſini. Eamque definitionem poſtea tota Synodus confirmavit. Prætcrea Actione quinta in Decreto Fidei quoad omnia confirmato à ſancto Leone Papa, aiunt Patres Chalcedonenſes.
„ Inenarrabilem Patrum renovavimus fidem:
„ Symbolum trecentorum decem & octo Pa-
„ trum (id eſt, Nicænum) omnibus prædi-
„ cantes. Et eos qui hanc veluti teſſeram pie-
„ tatis acceperunt, vt proprios Patres etiam
„ adſcribimus: *EOS NIMIRVM QVI*
„ *POSTEA IN MAGNA CON-*
„ *STANTINOPOLI CONGRE-*
„ *GATI SVNT CENTVM ET*
„ *QVINQVAGINTA, ET EAN-*
„ *DEM FIDEM IPSI QVO-*
„ *QVE CONFIRMARVNT.* At-
„ que inferiùs addunt: Decernentes ſervа-
„ ri & ea quæ apud Conſtantinopolim à ſan-
„ ctiſsimis centum & quinguaginta Patribus
„ decreta ſunt, ad expellendas quidem hæ-
„ reſes, quæ eo tempore germinaverunt, &
„ ad confirmationem eiuſdem Catholicæ, &
„ Apoſtolicæ noſtræ fidei. „ Denique Pergamius Antiochiæ Epiſcopus, ac Piſidiæ Metropolita in Synodalibus litteris ad Leonem Auguſtum, quæ extant poſt eandem Synodum Generalem Chalcedonenſem Epiſtola 41. non ſolùm laudat Nicænos, ſed etiam ſanctiſsimos centum quinquaginta Patres, qui infirmitati languoris Macedonij, ſancti Spiritus divinitatem degantis, ſalutaris auxilij medicinam obruleront, apertè firmitatem rectæ fidei docentes, & Divinitatem vnitatis inſeparabiliter adorandam. Non ergo Patres Conſtantinopolitani reprehenſionem vllam metuerunt, ſed potiùs ſummam laudem; quoniam in ſuo Symbolo, ſeu fidei profeſſione, expreſſerunt, vel addiderunt aliquid, quod in Nicæno expreſſum non erat, ad repellendum hæreſes poſt illud ortas. Potuit ergo ſimiliter Concilium Tertium Toletanum ſine reprehenſione, immò cum laude, adijcere Symbolo ipſi Conſtantinopolitano particulam *Filioque* ad reijciendum errorem antiquum Theodoreti, & quorumdam aliorum è Græcis, qui poſt quinque priores Synodos Generales inficiabantur proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio.

20 Verùm dices, longè diſsimilem eſſe vtriuſque rationem: nam Synodus Conſtantinopolitana, fuit Generalis, eaque ritè coacta, & poſtea probata à ſancto Damaſo Papa, qui potuit ſupremâ, quam in terris habuit, poteſtate, declarare ampliùs præcedens Symbolum Nicænum, & quædam addere in Conſtantinopolitano opportuna ad hæreſes debellandas: Toletanum verò Tertium fuiſſe dumtaxat Nationale, cui longè minor auctoritas, ac certè nulla ad Symbolum vecumque variandum, vel ad aliquid in eo addendum: præſertim nullo accedente conſenſu aut approbatione Gelaſij Secundi Papæ, cuius tempore celebratum creditur. Neque enim eiuſmodi approbatio extat, vel legitur in eius exemplaribus tot diverſarum editionum. Ergo Patres Concilij Tertij Toletani temerè, & inconſultò addiderunt Symbolo CP. particulam *Filioque*.

21 Reſpondeo, quamvis Concilium illud Conſtantinopolitanum, fuerit Generale, & ritè coactum, iubente, aut probante Damaſo Papa, nullam tamen eius decretum, vel definitionem habuiſſe vim, & firmitatem omnimodam vſque dum à Pontifice confirmaretur pro tota Eccleſia. Quare iidem Patres ſolùm addiderunt particulas quaſdam in Symbolo fidei ſuæ ſub correctione Romani Pontificis; idque cum laude, ac merito, quoniam ijs expedite viſum ad coercendas hæreſes negantium divinitatem ſolidam Spiritus ſancti, & æternam ex

Patre

Patre proceſsionem. Ergo proportione quadam Patres Concilij Tertij Toletani, quamvis Nationalis, potuerunt pro Eccleſijs Hiſpaniæ addere ipſi Symbolo particulam *Filioque*, ad profligandum errorem contrarium multorum, fortè tunc temporis ad hoc Regnum è Græcis, aut Arianis derivatum; idque ſub correctione Summi Pontificis, cui non potuerunt eſſe ignota eiuſdem Synodi Acta: præſertim cùm in ea adeſſent ſanctiſsimi, & doctiſsimi Præſules, Euphemius Toletanus, & Leander Hiſpalenſis; qui nullatenus auderent id facere ſine vrgenti ratione, & occaſione ac ſubiectione debita ad Romanum Pontificem, quamvis huius non extet aliqua expreſſa approbatio, ſed ſolùm tacita, quatenus prudenter cenſetur reſciviſſe decreta eius Toletani Concilij, & permiſsiſſe additionem illam pro Regnis Hiſpaniæ; veluti traditam à ſanctiſsimis Patribus Græcis, & Latinis, cohærentemque ſacræ Scripturæ teſtimonijs, quamvis euſque nondum ab Eccleſia Catholica definitam. Quo ſenſu accipio verba ſancti Anſelmi Diſputatione XLIII. iam in ſuperioribus exſcripta, ſeu potiùs libro de Proceſsione capite decimo quarto, vbi hanc ipſam Græcorum criminationem obijcit ſibi, ac ſolvit, dicens: *Quod autem quæritur, quare hoc* (nimirum additio Symboli) *Græcorum Eccleſiæ conſenſu factum non eſt: Reſpondemus: quia & nimis erat difficile Latinis, eorum Epiſcopos ad conſulendum de hac re colligere; nec erat neceſſe, vnde non dubitabant hoc in quæſtionem adducere. Quæ enim Eccleſia eſt, quæ vel per amplitudinem vnius Regni dilatatur, cui non liceat aliquid ſecundùm rectam fidem conſtituere, quod in conventu populi vtiliter legatur, aut cantetur? Quanto ergo magis licuit Latinis hoc conſtanter proferre, in quo omnes gentes, & omnia Regna, quæ Latinis vtuntur litteris, pariter concordant?* Vide Scholia noſtra ad eum locum num. 228. & ſeqq. Itaque nulla in eo apparet temeritas Toletanorum Patrum: præſertim cùm eo tempore nulla eius additionis prohibitio ex vi alicuius legis, vel decreti Eccleſiaſtici legeretur, ipſique Patres in ea additione ſe ſommitteſent iudicio Romani Pontificis, ad quem ſpectat quælibet additio, aut immutatio Symboli: vt docent Theologi cum Divo Thoma 2. 2. quæſtione prima, articulo decimo. Potuit quoque Summo Pontifici fortaſsè eſſe iuſta cauſa ſinendi, aut permittendi eam additionem in Hiſpania, vbi non imminebat periculum aliquod: & ſimul ne illam præciperet pro tota Eccleſia, vt plerique ex Græcis negantibus tunc proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, non acciperent inde anſam recedendi penitùs ab Eccleſia. Quod malum pluribus longè ſæculis poſtea incurrerunt, vbi veritas eadem à Generalibus Concilijs Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & Florentino ſub Eugenio IV. definita fuit.

22 Ad ſecundam obiectionem numero decimo quinto propoſitam, dico, Epiſcopos illos, qui in Synodo Chalcedonenſi criminati ſunt adiectionem illam à Concilio Conſtantinopolitano factam in Symbolo, & poſtea ſcripſerunt ad Leonem Auguſtum, non fuiſſe Catholicos, ſed hæreticos Euthychianos, Eccleſiæ Catholicæ infenſiſsimos, quorum aut calcibus, aut conſilijs iniquis, cæſus fuit ſanctus Flavianus Patriarcha Conſtantinopolitanus (ad quem extat mirabilis illa, & cœleſtis Epiſtola ſancti Leonis Papæ) atque in ipſo Baptiſterio, non ſine horrore, vel Gentilium ipſorum, ſanctus Protherius Alexandrinus fuit in cineres redactus per ignem, & in ventos ſparſus. Quare nulla habenda eſt ratio criminationis illorum contra additiones factas in Symbolo CP. ſupra ea quæ in Nicæno habebantur. Nec obſtat quòd ijdem Epiſcopi videantur, in ea Epiſtola profiteri ſeſe communicare Synodis apud Epheſum coactis. Non enim id tam dicunt propter legitimam & Generalem Synodum Epheſinam, quæ certè in omnibus Conſtantinopolitanam ſecuta, ac venerata eſt, quàm propter Conciliabulum quoddam, ſive latrocinium Epheſinum, in quo prædictus ſanctus Flavianus à quodam alio Epiſcopo impijſsimo illorum complice trucidatus fuit. Quare in eadem Synodo Chalcedonenſi cæteri Patres Orientales, Orthodoxique, contra illorum dicta clamaverunt: *Hæc Eutyches dixit.* Nimirum, Eutyches ipſe eorum anteambulo, in confeſsione ſuæ fidei exhibita Conciliabulo Epheſino, ſolùm admittebat Synodos Nicænam, & Epheſinam, omiſsâ penitùs Conſtantinopolitanâ, in qua ipſius hæreſis apertè iugulabatur. Vide Chriſtianum Lupum in Scholijs ad eandem Synodum, vbi plura de hoc. Vnde ex impio clamore eorum Epiſcoporum, nihil colligitur, vel contra additiones Symboli in Synodo CP. vel contra illam, quæ in Toletano Concilio III. facta eſt.

23 Ad tertium ex numero decimo ſexto dicendum eſt, Concilium illud Aquiſgranenſe fuiſſe quidem celebratum anno Domini octingenteſimo nono ſub Leone Tertio,

tio, & Carolo Magno; ob controverſiam quandam, tunc temporis excitatam à quodam Ioanne, quem Addo Monachum Hieroſolymitanum fuiſſe ait, & Petrus Pithœus ſuſpicatur fuiſſe Damaſcenum illum ſanctitate, & doctrina celebrem, quem Græci poſteriores ſubſcripſiſſe Theodoreto contendunt in neganda proceſsione Spiritus ſancti à Filio. Verùm fallitur Pithœus, alioqui eruditiſsimus: tum quia Damaſcenus nunquam invenitur reipſa negâſſe proceſſionem Spiritus ſancti ex Filio: vt oſtendit Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis Epiſtola ſecunda ad ſuos Græcos (apud noviſsimam Bibliothecam Patrum Aniſlonianam Tomo vigeſimo ſexto, ſæculo XIV.) & Beſſarion Cardinalis, aliiſque Græci, in Actis Concilij Fiorentini: ac nos ipſi vberiùs demonſtravimus Diſput. XLIII in Scholijs ad caput quartum, & quartumdecimum Anſelmi de Proceſsione. Tum præterea, quia Damaſcenus eo tempore iam defierat inter mortales eſſe, atque in cœlum migraverat longè anteà: cùm obitus eius communiter accidiſſe cenſeatur inter Sextam, & Septimam Synodum Generalem, & vltima illius mentio apud Hiſtoricos inveniatur apud Baronium anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, in quo ille reviviſcentem Gnaplæi hæreſim auctoritate ſua extinxit: deinde verò quinque poſt annis in Conciliabulo Iconoclaſtarum, memorato ab eodem Baronio, eiuſdem Damaſceni memoria; ſicuti & aliorum Patrum ſacris Imaginibus faventium, quaſi iam vitâ functorum, inani & phantaſtico anathemate inuratur. Itaque Damaſcenus iam obierat ſexaginta circiter annis ante Concilium illud Aquiſgranenſe. Non ergo congregatum fuit ob controverſiam tunc excitatam à ſancto Ioãne Damaſceno, ſed à quopiam alio Monacho Hieroſolymitano eiuſdem nominis.

24 Cæterùm quidquid de hoc ſit, quod ſolùm obiter libatum volo, id certum apparet, controverſiam illam non fuiſſe excitatam circa proceſsionem ipſam Spiritus ſancti à Filio, ſed circa additionem particulæ *FILIOQVE* ad Symbolum, quod eo tempore in quibuſdam Eccleſijs Occidentalibus, ſeu Latinis, cantari ſolemniter cœperat cum eadem additione. Id patet ex Actis eiuſdem Concilij: in quibus nihil extat circa controverſiam præcipuam Latinorum cum Græcis, procedatnè Spiritus ſanctus à Filio, an ſecus: ſed circa additionem eius particulæ in Symbolo. Conſtat præterea ex Adelmo in Annalibus eius temporis teſtante, Carolum Magnum miſiſſe Romam Legatos ſuos, Bernharinum Epiſcopum Vvormacienſem, & Adalardum Benedictini Monaſterij Corbeiæ Abbatem (Virum eo tempore celeberrimum) ad Pontificem Leonem Tertium, vt controverſiam in eo Concilio agitatam definiret. Patet verò ex argumento ipſo, & reſponſo eiuſdem Pontificis, quod nobis ſuprà num. 16. obiecimus, Pontificem tunc nihil definiſſe circa proceſsionem Spiritus ſancti, an ſit ex Filio; ſed ſolùm fuiſſe hortatum ad vitandam de cætero additionem illam in quibuſdam Galliæ Eccleſijs nuper factam in cantu ſolemni Conſtantinopolitani Symboli. Igitur quæſtio non fuit in eo Concilio circa proceſsionem, ſed circa additionem eius particulæ ad Symbolum in cantu ſolemni. Alioqui Imperatoris Legati non de hac, ſed de illa Pontificem conſuluiſſent: aut certè ipſe Leo Tertius non reſpondiſſet ad rem, nec vllo modo diremiſſet Concilij illius controverſiam. Et quidem ille, vt ſuprà vidimus, non facilè probaret additionem illam Symboli, nec coherenter ad laminam argenteam in ſuperioribus memoratam, in qua Symbolum CP. ſcribi iuſsit ſine particula *FILIOQVE*; & iuxta altare S. Petri in perpetuam rei memoriam ſervari.

25 Dices. Ergo & idem Pontifex in eo decreto damnat implicitè ſaltem, aut æquivalenter, additionem Symboli introductam in Hiſpania à tempore Concilij Tertij Toletani, vt nos aſſeruimus. Reſpondeo, Leonem imprimis non damnare additionem illam quomodocumque factam, ſed in cantu ſolemni Symboli intra ſacrificium Miſſæ vetare vſum illius. Sic enim noviter in Gallijs introducta fuerat abſque ſufficienti auctoritate; & fortaſsè nondum in Hiſpania Symbolum ita additum cantabatur, ſicuti nec in Concilio Tertio Toletano cantatum legitur, licèt omnium Patrum ibidem congregatorum nomine prolatum extet in editione Loayſæ. Deinde nec Pontifex abſolutè damnat additionem illam Symboli in cantu ſolemni: ſed ſolùm hortatur ad dimittendam illam, veluti nondum convenientem in Gallijs eo tempore, propter controverſiam de ea ortam. Cùm verò nulla circa id in Hiſpania fuiſſe legatur, potuit forſan in eâ eſſe ac vigere conſuetudo cantandi in Miſſa Symbolum ita additum citra reprehenſionem aliquam. Verùm quo tempore Hiſpanæ Eccleſiæ cœperint cantare ſolemniter in Miſſa Symbolum cum ea additione, non conſtat, neque hactenus invenire potui apud Auctores allegatos.

Simi-

26 Similiter incertum mihi eſt, quo primùm tempore Eccleſia Romana, cæterarum Mater, & Magiſtra, cœperit addere particulam illam *FILIOQVE* in cantu ſolemni Symboli Conſtantinopolitani ad Sacrificium Miſſæ. Id ſaltem conſtat, longè poſt tempora prædicti Leonis III. introductum fuiſſe: ac præterea in Actis Conciliorum Generalium Octavi, Noni, Decimi, & Vndecimi, nullum eius additionis veſtigium eſſe: vt oſtenſum fuit ſingillatim Diſputatione quadrageſima ſecunda ſectione ſecunda. Deinde quamvis in Duodecimo Generali, id eſt, Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. definita fuerit proceſsio Spiritus ſancti ex Filio, conſentientibus pariter Latinis, & Græcis (vt conſtat ex capite quarto ipſius, & habetur in capite *Firmiter* de ſumma Trinitate, & Fide Catholica) non tamen legitur ibidem facta additio eius particulæ ad Symbolum, ſive intra Miſſam, ſive extra. Nam extra Concilium Generale admiſſam fuiſſe eam additionem in Symbolo ab Eccleſia Romana longè ante tempus eiuſdem Innocentij Tertij, immo & ſuo tempore in omnibus Eccleſijs Latinis, teſtatur S. Anſelmus verbis ſuprà numero vigeſimo primo exſcriptis.

27 Solùm itaque, quantum conijcere poſſum, legitur ea additio ſolemniter facta in cantu Symboli apud Cōcilium Quartum decimum Generale, id eſt, Lugdunenſe Secundum, ſub Gregorio Decimo Papa anno Chriſti milleſsimo ducenteſsimo ſeptuageſſimo quarto, in quo idem Pontifex cum Epiſcopis circiter quingentis, tum Latinis, tum Græcis, & Patriarchis Conſtantinopolitano, & Antiocheno, cecinit publicè, atque ingenti omnium lætitia, Symbolum C. P. cum additione *FILIOQVE*. Itaque ab eo ſaltem tempore videtur id in tota Eccleſia receptum cum eâ particulâ in ſacrificio Miſſæ, exceptis pleriſque Græcorum, qui pauló pòſt ad ingenium ſuum redierunt, & adhuc longè poſtea eandem doctrinam iterum confirmatam in Concilio Generali Florentino, turpiter eiurarunt. digni planè propterea, vt amiſſo Orientis Imperio, quod tandiu retinuerant, ab Othomanis in duram ſervitutem redacti fuerint vſque in præſentem diem.

***

SECTIO TERTIA.

Appendix ad Diſputationem eandem, & defenſio, tam Concilij Toletani Tertij, quam Eccleſiæ Latinæ generatim, in additione eius particulæ ad Symbolum, contra criminationes Græcorum. Quæ iam obiter obſervata de Formoſo Papa, & ſtabilitate Sedis Apoſtolicæ in fide.

28 OPINIO Hactenus tradita de additione particulę *FILIOQVE* primùm facta in Hiſpania, idque in Concilio Toletano Tertio, iam à nobis ſtabilita fuerat, immo & prælo edita anno M. DC. LXXXI. Tomo. II. Theologiæ S. Anſelmi Diſputatione XCII. & à pluribus obiectionibus vindicata, cùm illam ipſam legere liceat poſtea breviter traditam à Ioanne Cabaſſutio in Notitia Eccleſiaſtica edita Lugduni anno milleſsimo ſexcenteſsimo octuageſsimo operâ Aniſſoniorum, pagina 543. vbi excitatâ Diatribâ de Additione ad Symbolum, numero ſexto. ait: *Prima quæ legitur ad Symbolum facta additio de proceſsione iſta ex Filio, viſitur in Concilio Toletano III. anni 589. quo Hiſpaniarum Gothi eiurata hæreſi Ariana fidem profeſsi ſunt orthodoxam. Eaque additio legitur in tribus eius Concilij locis.* Similiter cùm eadem ſententia à nobis latè & ex inſtituto confirmata fuiſſet, incidimus in Tomum Tertium Chriſtiani Lupi in Concilia, Diſſertatione *De S. Leonis Vndecimi Papæ Actis*, Crimine ſeptimo, pagina 914. vbi ita loquitur doctiſsimus ille Scholiaſtes: *Vocem* FILIOQVE *primi addiderunt Hiſpani. Et ipſos dudum & acriter improbavit Gallicana Eccleſia. Sub Caroli Magni Imperio & hæc admiſit: & graviter obſtitit, ac duriſsimè tulit Romana Eccleſia. Quòd & ipſa tandem admiſerit, palàm hic affirmat Cardinalis Humbertus: Formoſus Pontifex paſsim creditur admiſiſſe. Proinde Græci voces iſtas Symbolo non abſtulerunt, ſed nos Latini addidimus. Nam hinc ab illis invidioſiſsimè clamamur eſſe prævaricati Epheſinam Synodum, & amiſiſſe veram Chriſtianitatè. Quæ omnia ſunt alibi largiùs elucidanda.* Vtinam id præſtitiſſet Lupus. Sed tamen non videtur feciſſe in libris hactenus editis, quorum quinque volumina in Concilia ad nos pervenerunt, & aliud præterea Commentariorum in librum Tertulliani de Præſcriptionibus. Porrò pleraque eorum quæ tradit

verbis ijs, iam à nobis fusè explicata ſunt, tum in hac ipſa Diſputatione, tum præterea Diſputatione quadrageſsima tertia, niſi quòd nonulla etiam ibidem afferat, quę aliquanto ampliùs examinare aut elucidare oporteat.

29 Quod attinet ad eam additionem primùm factam in Hiſpania, iam vidimus id in Concilio Toletano Tertio contigiſſe, quamvis Lupus non videatur meminiſſe eius Synodi, ſicuti neque Cardinalis Bellarminus, qui cenſuit additionem primò omnium fuiſſe factam in Concilio Toletano Octavo, nec ſatis attendit, longè antiquiorem fuiſſe. Nec mirum quòd ibidem Patres Symbolo addidiſſent eam particulam: ſiquidem longè antea in Concilio Primo Toletano celebrato Æræ Chriſtianæ anno CD.XXXVIII. teſtata habebatur proceſsio Spiritus ſancti à Patre & Filio: vt legere eſt in eius Actis apud Loayſam pagina quadrageſsima quinta. Quin & in Concilio Primo Braccarenſi coacto anno CDXI. prout habetur in recenti editione Labbeana, iam Epiſcopi Hiſpaniarum profeſsi fuerant, Spiritum S. à Patre & Verbo procedere. Quod verò addit Lupus, Gallicanam Eccleſiam dudum & acriter impugnaſſe eam additionẽ in Hiſpania factam, incertum mihi eſt: certum autem, poſtea receptam fuiſſe apud Gallos, ſaltem ſub imperio Caroli Magni, vt ſuprà numero vigeſsimo ſecundo, & vigeſsimo tertio, vidimus, ac præterea conſtat ex teſtimonio Vualafridi Strabonis libro de Rebus Eccleſiaſticis capite vigeſsimo ſecundo, vbi ait, tempore eiuſdem Caroli Magni, *apud Gallos, & Germanos, poſt deiectionem Felicis hæretici, ſub glorioſiſsimo Carolo Francorum Rege damnati, idem Symbolum.* (id eſt C P.) *latiùs & crebriùs cœpiſſe in Miſſarum Officijs celebrari.* Scilicet cum additione illa iam memorata ex Actis Concilij Aquiſgranenſis. Extat verò is liber Strabonis nuper recuſus in Bibliotheca VV. Patrum Aniſſoniana Tomo decimo quinto Sęculo Nono. Neſcio autem vnde Lupus colligat, Romanam Eccleſiam graviter obſtitiſſe, & duriſsimè tuliſſe eam additionem. nam verba Leonis III. ad Legatos Caroli Magni ea de re mitia, ac benigna ſunt: vt patet ex ijs ipſis iam numero vigeſsimo tertio exſcriptis. Cùmque additio ipſa à tempore Concilij Tertij Toletani introducta fuiſſet in Hiſpania, ducentis viginti annis ante Cōcilium Aquiſgranenſe, toto eo tempore non legimus indignationem aliquam Romanæ Eccleſię, nec Summorum Pontificum contra illam. Quin nec Leo III. in reſponſione dicta ad Legatos Caroli Magni loquitur quidquam de additione vlla prout in Hiſpanijs facta, ſed in Gallijs, vbi noviter induci cœperat: nec præterea videtur loqui de qualicumque additione, ſed in cantu ſolemni ad ſacrificium Miſſę: qua ratione incertum eſt an tunc temporis eſſet introducta ab Hiſpanis.

30 Confirmatur hæc ipſa coniectura, ac defenſio Eccleſiæ Hiſpanæ: quoniam Ioannes Beccus Patriarcha C. P. electus à Michaele Palæologo Orientis Imperatore, vt exequeretur, & firmaret vnionem Græcorum cum Latinis in Concilio Lugdunenſi factam ſub Gregorio Decimo anno milleſsimo ducenteſsimo ſeptuageſsimo quarto, circa proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, aut ex Patre per Filium, vt Græcorum aliqui fuerant loquuti, non ſolùm oſtendit præclarè, vtramque eam locutionem habere eundem ſenſum; ſed etiam fatetur, in additione prędicta ad Symbolum, *ſe vix culpam levem agnoſcere.* Ita habet libro ſexto capite vigeſsimo quinto. quod & teſtatur Gregorius Pachymeres. Non ergo additionī illi graviter obſtitit, neque eam duriſsimè tulit Romana Eccleſia. Quin nec levem in eo culpam fuiſſe, indicatam à Ioanne Becco, exiſtimabit, qui legerit quæ ad excuſandam Synodum illam Toletanam præmiſimus numero 21. & 22. & præſertim Diſp. XLII. ſect. 2.

31 Vrgetur ampliùs ex declaratione Eugenij IV. Papę in Concilio Florentino anno Ærę Chriſtianę M. CCCC. XXXIX. vbi poſt vnionem Grecorum cum Latinis in eo factam, tradit Symbolum C.P. Armenis cum additione FILIOQVE in vltimo decreto, non longè à fine, dicens: „ * Imprimis ergo damus eis ſanctum Symbolum à centum quinquaginta Epiſcopis in Oecumenico Conſtantinopolitano Concilio editum cum illa additione *FILIOQVE*, ipſi Symbolo, declarandę veritatis gratia, & vrgente neceſsitate, *LICITE ET RATIONABILITER APPOSITA.* * Hæc ibi Pontifex. Si autem licitè, & rationabiliter facta fuit additio illa: ergo citra culpam, adhuc levem, & multò magis citra gravem Eccleſiæ Romanæ indignationem. Pergit verò Eugenius, & ſubdit: * Hoc autem ſanctum Symbolum, *SICVT APVD LATINOS MOS EST*, ita decernimus per omnes Armenorū Eccleſias intra Miſſarum ſolemnia ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & maioribus feſtivitatibus decantari, vel legi. * Quibus verbis teſtatur Pōtifex iam tum temporis in more poſitū fuiſſe Latinis Eccleſijs,

his, vt Symbolum CP. cum prędicta additione diebus Dominicis, & in feſtis maioribus cantaretur, aut legeretur, quamvis non indicet tempus, à quo id cœperit, ſed indefinitum relinquat.

42 Vnde refellitur vetus calumnia Photij ſchiſmatici, & infenſiſsimi hoſtis Latinæ Eccleſiæ, eam accuſantis, tum quòd crederet, Spiritum ſanctum ex Filio procedere, tum quòd ea additio facta fuiſſet Symbolo. Quam criminationem longè poſtea excitavit Michael Patriarcha C. P. circa annum Chriſti milleſsimum quinquageſsimũ quartum, ob varios errores anathemate inuſtus ab Eccleſia: atque ex parte ratam habuit eodem tempore, inter alios Gręcos, Petrus Antiochię Patriarcha, dicens adverſus Latinos: *Sed malum eſt iſtud, & malorum peſſimum, additio in Symbolo. Si enim Evangelia noſtra ſunt eadem cum illorum Evangelijs, vnde illi, plura quàm nos edocti, huiuſmodi alienam additionem fecerunt?* Vt autem nos quoddammodo excuſet, ſubdit ſtatim cauſam riſu dignam: *Sed vt videtur, amiſſerunt Romani exempla Nicænæ ſanctæ Synodi, cùm Vuandalica gens Romæ Imperio diu potita ſit. Nobis enim ſatis eſt ad perfectam veritatis cognitionem, & confirmationem, ſapiens illud, & ſalutare divinæ gratiæ Symbolum. Docet enim nos perfectè de Patre & Filio, & Spiritu ſancto; Incarnationem præterea Domini fidelibus manifeſtat, qui illam recipiunt. Illos itaque qui Symbolo aliquid addunt, vel auferunt, anathemate damnamus. Siquis enim, inquit Apoſtolus, evangelizaverit vobis præter id, quod evangelizatum fuit, anathema ſit. Bonum eſt enim ad bonum reſpicere, præſertim cùm neque Deus, neque fides patitur detrimentum, ad pacem ſemper declinare, & fratrum dilectionem. Fratres enim noſtri ſunt iſti: licèt ruſticitate, vel ignorantia contingat, illos ſæpè à recto decedere, propriæ ſervientes voluntati. Nec oportet nos adeò exactam diligentiam quærere inter barbaras gentes, quam nos quærimus, qui circa litteras verſamur. Magnum erit, ſi apud illos abſque aliquo errore ſanctiſsima Trinitas, vitæ origo, & cauſa prædicetur, & ſi Incarnationis etiam Myſterium iuxta noſtram ſententiam illi confiteantur.* Hæc ille: in quibus poſtquam criminatus graviſsimè fuerat additionem illam, profert duplicem egregiam excuſationem ſceleris adeò immanis: alteram, amiſſionem exemplarium Symboli C P. (hoc enim intelligit per Nicænum) ob incurſionem Vvandalorum, & dominium diuturnum ſupra Romanum Imperium: alteram verò, barbariem, & ruditatem Latinorum, quæ proinde veniam mereatur.

43 Sed enim vtraque excuſatio eſt riſu digna. Prior quidem: nam licèt frequentes fuerint Vvandalorum, & aliarum nationum efferatarum incurſiones in Romanum Imperium, ſemper & vbique in tota Eccleſia Latina permanſerunt, non chiliades modò, ſed myriades exemplarium Symboli tam Nicęni, quàm Conſtantinopolitani: immò & data hypotheſi planè chimærica, quòd aliquando penitùs excidiſſent ſcripto, adhuc in memoria fidelium permanſiſſent, ac rurſus ſcriptis innumeris conſignata eſſent. Præſertim cùm Ioannes Abbas Biclarienſis, gravis & antiquiſsimus ſcriptor (cuius Opuſcula miror non fuiſſe edita in magna Bibliotheca Patrum Aniſſoniana anno milleſsimo ſexcenteſsimo ſeptuageſsimo ſeptimo) teſtetur Iuſtinum Secundum Imperatorem, anno primo Imperij ſui, qui fuit Chriſti D. L X V. *Symbolum Conſtantinopolitanum centum quinquaginta Patrum in omni Catholica Eccleſia a populo cõcinendum intromiſsiſſe priuſquam Dominica diceretur oratio.* Deinde elapſis viginti quatuor annis poſt prædictum Iuſtini decretum, id eſt, anno Chriſti D. L X X X I X. idem Symbolum C P. in Eccleſijs Hiſpaniæ receptum fuit ſub Reccaredo ipſarum Rege iuſſu Concilij Tertij Toletani toties memorati Canone ſecundo, in quo Patres congregati ſanxerunt, *vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, & Galliciæ* (Loayſa ſæpiùs *Gallæciæ* exſcribit iuxta exẽplaria vetera) *ſecundùm formam Orientalium Eccleſiarum Concilij Conſtantinopolitani centum quinquaginta Epiſcoporum ſymbolum recitetur vt priuſquam Dominica dicatur oratio, voce clara à populo decantetur.* Si autem Symbolum C P. à principio ferè adeò pervulgatum, ac ſolemne erat in tota Eccleſia Catholica, & nominatim in Hiſpanijs: qua ſpecie veritatis potuit dicere Petrus Patriarcha Antiochenus, exemplaria eius Symboli apud Latinos non manſiſſe? Nec tamen ideò exiſtimes, Patres eius Concilij ſtatuiſſe, vt Symbolum id voce clara à populo cantaretur cum ea additione: nam quamvis ipſi addiderint particulam *FILIOQVE* intra ipſum Concilium, vt ſuprà vidimus, non conſtat pariter eos ſanxiſſe, vt idem Symbolum cum ea additione à populo cantaretur.

54 Poſterior verò excuſatio, ſeu miſeratio ruditatis Latinorum, non tam ex charitate, aut vera miſericordia videtur proceſsiſſe, quàm ex notiſsimo illo, ac penè ingenito Græcorum ſupercilio, & faſtu quo cæteros homines, etiam Romanos, & excultiſsimos, Barbarorum appellatione notabant. Ne tamen tempus inſumam propulſandæ huic calumniæ, quę apud plurimos ex Latinis iam antè condignas pœnas dedit; licuerit Gręcis iam diu muris eſſe, vbi toties Catholica Eccleſia proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio definivit, ſaltem in Concilijs Oecumenicis, Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & tandem in Florentino ſub Eugenio IV. Quod & præterea verbis numero trigeſsimo primo exſcriptis probavit additionem illam Latinorum ad Symbolum, tanquam *declarandæ veritatis gratia, & vrgente neceſsitate licitè, & rationabiliter appoſitam.* Non ergo ex ignoratione, aut barbarie Latinorum. Sed & quàm cohærenter ad Evangelij doctrinam vtrumque id factum fuerit ab Eccleſia Latina, oſtendimus ſatis Diſputatione præcedenti XLIII. in Scholijs ad Opuſculum Anſelmi de proceſsione Spiritus ſancti.

55 Denique quod addit Chriſtianus Lupus, Eccleſiam Romanam tempore Humberti Cardinalis iam admiſiſſe additionem illam ad Symbolum, eſt omnino certum, loquendo extra Generale Concilium: quoniam Humbertus ipſe floruit tempore S. Leonis IX. Papæ, qui anno M. LIV. illum miſsit legatum Conſtantinopolim: vbi inter alia plura, quæ reprehendit in Michaele Patriarcha eius vrbis, vnum memoratur, quòd is negaret Spiritus ſancti proceſsionem à Filio: vt conſtat ex brevi notitia rerum in ea legatione geſtarum, ab ipſo, vt creditur, Humberto conſcripta, cuius meminit Baronius ad eundem annum. Quin & prędictus Michael fretus Imperatoris patrocinio eò audaciæ pervenit, *vt Pontificem Romanum cum ſuis excommunicatum eſſe proclamaret, eò quod in Symbolo addidiſſent illud, FILIOQVE*, prout refert idem Sanctus Leo IX. in Epiſtola ad Conſt. Monomachum. Cumque præterea idem Cardinalis pijſsimus ſanè ac doctiſsimus (quem propterea ex noſtris celebrant Cardinalis Leo Hoſtienſis, & Lanfrancus Archiepiſc. Cantuarienſis, ac Magiſter Anſelmi, eiuſdem temporis Scriptores) reſtetur, aditionem illam non ſuo ipſius tempore factam in Romana Eccleſia; non poteſt de hoc rationabiliter dubitari. Conſonat eidem teſtimonio Anſelmus, in Opuſculo de Proceſsione conſcripto quadraginta ſeptem poſt annis, id eſt, Chriſti milleſsimo centeſsimo primo, capite quarto, inquiēs de Græcis: *Nec eſt poſitum in illo Symbolo, in quo reprehendimur ab illis addidiſſe proceſsionem eius* (nimirum Spiritus ſancti) *de Filio.* Idéque teſtatur poſtea capite decimo quarto. Ergo temporibus S. Anſelmi, immò & Humberti Cardinalis, ac Leonis Papæ IX. Romana Eccleſia iam admiſerat eam additionem in Symbolo.

56 Quod tandem Chriſtianus Lupus teſtatur, Formoſum Papam admiſiſſe paſsim eam additionem in Symbolo, dubium mihi eſt: nec aliquod eius rei veſtigium invenio apud Baronium, qui ad annum Chriſti 891. electionem eius in Romanum Pontificem enarrat, honeſtatemque morum, integritatem vitæ, & doctrinę commendat, ex Luitprando, Anaſtaſio Bibliothecario, & Hincmaro Rhemenſi, eiuſdem temporis Scriptoribus: & tandem ad annum 897. invehitur adverſus Stephanum Sextum, qui dirè & immaniter ſe geſsit cum eius cadavere, & propterea omnium ferè animos in ſe concitavit. Nimirum, Stephanus ipſe, vt habetur in Actis Synodalibus ſub Ioanne IX. eo odio exarſit adverſus Formoſum iam vitâ functum, vt eius cadaver è ſepulchro extrahi fecerit, atque in Sedem Romani Pontificatus Sacerdotalibus indutum veſtibus collocari. Deinde ipſi, quaſi viventi, exprobravit, quòd nimia ambitione ex Portuenſi Epiſcopatu Sedem Apoſtolicam occupaſſet. Poſtea damnatum, & ſacris exutum veſtibus, ac tribus digitis mutilatum, quibus benedicere moris eſt, in Tiberim iactavit, pluraque alia horrenda præſtitit, in odium eiuſdem Formoſi, licèt Luitprandus allegatus & alij quidam eiuſmodi immanitates potiùs Sergio Tertio, quàm Stephano Sexto tribuant: alij verò vtrique, alteri tanquam incitatori, alteri tanquam auctori.

57 Immeritò tamen propterea aliqui ex Heterodoxis Sergium & Stephanum prædictos, alioſque Pontifices, ipſorum facinus improbantes, accuſant violatæ fidei ab alterutris eorum: nullus enim ex ijs aliquid fidei contrarium decreviſſe invenitur: vt vidimus Tractat. II. Diſputatione XXX. ſectione ſexta à num. quinquageſsimo quarto. Sed quoniam eius rei narratio prodeſt ad confirmandam ſtabilitatem Sedis Apoſtolicæ, & Romanorum Pontificum, in tuenda & docenda fide, etiam in quovis miſerrimo ſtatu; accipe verba Spondani ad prædictum annum 897. numero tertio ita loquentis ex Baronio: * Hæc ſunt infeliciſſima

,, ſima illa Romanæ Eccleſiæ tempora, at-
,, que omnium luctuoſiſsima, quibus ipſam
,, contigit domeſtico bello agitari: quæ
,, nunc cœpta, multo tempore maximo dam-
,, no eam ſem afferunt: illata ipſa per Adel-
,, bertos Marchiones potentiſsimos Tuſciæ.
,, Ita enim nominat eos Luitprandus: non
,, autem Comites, vt alij, Tuſculanos: hi
,, enim poſtea, licèt ex eadem radice, pro-
,, venerunt. Et quidem iſtum, qui Stepha-
,, num intruſit, Luitprandus ait tantæ fuiſſe
,, potentiæ, vt inter omnes Italiæ Princi-
,, cipes ſolus ipſe cognomento diceretur Di-
,, ves. Iidem verò munitione Sancti Angeli,
,, olim mole Adriani dicta, potiti, quæ
,, non ſunt auſi in Romanam Eccleſiam? Vt
,, abſque vlla controverſia dici poſsit, nul-
,, lam vnquam, ſive à Gentilibus, ſive ab
,, hereticis, ſive à ſchiſmaticis, alijſve per-
,, duellibus, duriorem ac diuturniorem paſ-
,, ſam eſſe perſecutionem, quàm pertulit
,, ab iſtiuſmodi Marchionibus. Verùm etſi
,, ſæpiùs deforme valdè, turpeque conti-
,, gerit apponi ab ipſis Eccleſiæ Caput: to-
,, lerandum tamen fuit, quòd non penitùs
,, amens ſit inventum; ſed fide Catholica
,, ſemper ſibi conſtiterit, virtute promiſsio-
,, nis divinæ, quâ nunquam portæ inferi præ-
,, valere valeant contra Sedem Petri firmiſ-
,, ſimis fundamentis ſtabilitam. Quod & my-
,, ſticè tunc deſignatum videri potuit, cùm
,, eodem tempore, quo execrandum illud
,, ſcelus adverſus Formoſi cadaver Stepha-
,, nus commiſsit, ſacroſancta Baſilica La-
,, teranenſis, Primaria Pontificis Sedes, ab
,, Altari vſque ad portas ſolo penitùs pro-
,, ſtrata corruit, Sanctuario tantummodò
,, relicto integro, in quo ipſa Sedes Ponti-
,, ficis exiſtebat. Sicut & quantæ pietatis
,, fuiſſet Formoſus inde demonſtratum eſt,
,, quod (vt refert Luitprandus) dum eius
,, corpus à piſcatoribus poſtmodum inven-
,, tum ad ſancti Petri Baſilicam deportatum
,, eſſet, Sanctorum Imagines illud in locu-
,, lo poſitum, venerabiliter ſalutaverint.
,, Licet porrò tot tantaque nefaria crimina
,, Stephanum Papam infamarent; nullus ta-
,, men fuit principalium Sedium Epiſcopo-
,, rum, qui ob id ſe ſubtraheret ab obedien-
,, tia, quæ impertiri ſoleret Romanæ Ec-
,, cleſiæ Pontificibus: probè ſcientes Primæ
,, Sedis Pontificem, minorum Sedium
,, non ſubiacere iudicio. Narratque de Ful-
,, cone magni nominis & auctoritatis Rhe-
,, menſi Archiepiſcopo Frodoardus, mag-
,, nam intercurriſſe litterarum conſuetudi-
,, nem inter ipſum, & eundem Stephanum
,, Papam: à quo etiam Fulconem ait voca-
,, tum ad Synodum Ravennæ celebrandam:
,, ſed ipſum ſe excuſaſſe, quòd ob bellorum
,, fragores præſens adeſſe minimè poſſet. De
,, qua quidem Synodo mentio nuſquam ali-
bi. * Hucuſque Spondanus. Porrò ſi verè Formoſus Papa indulſit aut decrevit, vt additio *Filioque* paſsim adhiberetur in Symbolo, vt Lupus teſtatur; inde conijcere licebit, ipſum, etiam in hac parte, optimum Pontificem egiſſe, adverſus impietatem Photij, & aliorum ex Græculis, debachantium in Eccleſiam Romanam, quòd proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio, & non ſolùm ex Patre, palam profiteretur. Sed, vt præmiſsi, nihil ea de re à Pontificibus Romanis definitum invenio, vſque ad tempus S. Leonis IX. Papæ, qui rexit Eccleſiam ſæculo ipſo S. Anſelmi.

(***)

DISPVTATIO XLV.

QVIBVS TANDEM OFFICIIS ANSELmus Sedem Apoſtolicam, ſive cathedram S. PETRI ſibi devinxerit, quà verbo, quà opere; & quot labores propterea paſſus fuerit.

VBI OBITER EXPENDVNTVR NONNVLLA EORVM, quæ in nupera Declaratione Cleri Galliarum habentur, & geruntur in eodem Regno.

VIDIMVS Diſputatione XLII. & XLIII. ac ſæpe aliàs, quàm conſtanter auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ in pronuntiando de fide & moribus agnoverit & tradiderit S. ANSELMVS. In quo planè contradicit nuperæ Declarationi editæ nomine Illuſtriſsimi Cleri Gallicani die decimo nono Martij anno milleſsimo ſexcenteſsimo octuageſsimo ſecundo. Verùm tam in ea ipſa, quam in occaſione propter quam ſcripta fuit, continentur aut occurrunt nonnulla alia, tum circa ius Regaliæ in bona & Beneficia (dicamus Inveſtituras, ſi placet) quarundam Eccleſiarum; & in Epiſcopos ratione iuramenti fidelitatis erga Regem; tum etiam circa appellationes ad Summum Pontificem SS. D. N. Innocentium Vndecimum: quaſi eæ repugnent iuribus & privilegijs Eccleſiæ Gallicanæ. Oportebit itaque indicare quid docuerit & fecerit in ſimilibus ferè controverſijs, occaſionibuſue, S. ANSELMVS. Hinc enim vberiorem lucem & auctoritatem mutuabunt quæ in decurſu Operis circa eæ omnia præmiſsimus, nec iam inculcare, ſed ſummùm indicare opus erit.

SECTIO PRIMA.

Anſelmum in obſequium Sedis Apoſtolicæ, iuri Inveſtiturarum vſurpato à Regibus Angliæ, primum omnium reſtitiſſe, ſimiliterque invaſioni bonorum Eccleſiæ; proptereaque perſecutiones plurimas paſſum, Romam ingenti cum labore adijſſe.

2 POSTQVAM S. Gregorius I. Papa, cognomento MAGNVS, Angliam ad fidem Catholicam convertit, miſsis eò prædicandi gratiâ Auguſtino, & alijs Monachis, abſdubiò Benedictinis (quod nuperrimè, poſt plurimos alios Scriptores, demonſtrat Mavillon Tomo ſecundo Sæculorum ex antiquiſsimis monumentis, & perpetua traditione Anglorum, etiam Heterodoxorum) electiones Epiſcoporum in ea inſula iuxta Sanctę Eccleſiæ præſcriptum, & ad normam ſacrorum Canonum factę ſunt. Nullus Regum Angliæ aut Principum auſus fuit ſe ingerere in eligendos, nominandos, aut inveſtiendos Pręſules Pontificalibus inſignibus annuli aut baculi. Nec minus ita fieret in Regno illo: cùm idipſum in reliquis Orbis Chriſtiani obſervaretur.

3 Verùm poſtea ex quo tempore Normanni in Anglia regnare cœperunt, libertas Eccleſię in ea parte violata fuit: nulluſque pene Epiſcopus vel Abbas fuit, qui non priùs Hominium (ſic appellabant profeſsionē ſpecialis obſequij & fidelitatis) exhiberet Regi, & ab eius manu Inveſtituram acciperet; donec S. Anſelmus primus omniū tam iniquæ corruptelæ, aut potiùs tyrannidi reſiſtere cœpit. Teſtatur id Eadmerus Anſelmi perpetuus convictor, & geſtorum eius ſcriptor fideliſsimus, in Præfatione Hiſtoriæ Novorū nuper editæ Pariſijs anno 1675. apud Ludovicum Billaine, ſtudio & curâ Cl. V. Gabrielis Gerberonis: ex qua mutuabimus ad litteram pleraque in hac Diſputatione dicēda. Sic nimirū loquitur in Præfatione indicata prædicti Operis: Et ea quidē huius Operis intētio

pręci-

præcipua eſt, vt deſignato qualiter Anſelmus Beccenſis Cœnobij Abbas fuerit Cantuarienſis Archiepiſcopus factus, deſcribatur quamobrem, orto inter Reges Anglorum & illum diſsidio, totiens & tandiu exulauerit à Regno, & quem eventum ipſa diſsidij cauſa ſortita ſit. Ipſa denique cauſa *nova res huic noſtro ſæculo eſſe videtur*, & à tempore quo in Anglia Normanni regnare cœperunt (non dico priùs) Anglis inaudita. Ex eo quippe quo Vvilhelmus Normaniæ Comes terram illam debellando ſibi ſubegit, nemo in ea Epiſcopus vel Abbas ante Anſelmum factus eſt, qui non primò fuerit HOMO REGIS, ac de manu illius Epiſcopatus vel Abbatię Inveſtituram per dationem virgæ Paſtoralis ſuſceperit, exceptis duobus Epiſcopis, Erneſto videlicet atque Gundulfo. Hi nãque, vnus poſt vnum, Roffenſi Eccleſię præſidentes, ex more à venerandæ memoriæ Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi, in Capitulo Fratrum Cantuariæ, ipſo Epiſcopatu inveſtiti fuerunt. *Hunc ergo morem, quaſi Deo, ſacriſque Canonibus contrarium, Anſelmus abolere, ac per hoc iniuſtitias inde manantes reſecare deſiderans, Regibus ipſis inuiſus effectus eſt, & patriam exire coactus.** Hæc ille.

4 Porrò Anſelmus ab ipſo ferè initio ſui Archiepiſcopatus (quem non niſi diu multomque reluctans, & cum ingenti cordis mœrore, vix tandem admiſsit, vt iam alibi monuimus) abuſui Inveſtiturarum in Anglia receptarũ palam bellum induxit. Cùm enim Vvilhelmus Rex ipſi iam nominato ſeu electo Archipræſuli Cantuarienſi pallium à Summo Pontifice impetraſſet, abſque onere eundi Romam, vt moris erat, ad illud conſequendum, inſtarunt Aulici vt illud de manu Regis acciperet. Verùm ille recuſauit omnino, nec ſe vllis vel precibus vel minis vinci paſſus eſt. Audiamus id ab Eadmero lib. 2. Hiſt. Novorum col. 3. pag. 45. aiente: *Cùm autem de Pallij ſuſceptione ageretur, & quidam pro captanda Regis gratia virum ad hoc ducere molirentur, vt pro Regiæ Maieſtatis honorificentia, illud per manum Regis ſuſciperet; non acquievit, rationabiliter oſtendens, hoc donum non ad Regiam dignitatem, ſed ad ſingularem pertinere B. Petri auctoritatem: vnde cùm omnes ſilentio preſsi conticuiſſent, ſtatutum eſt, vt à quo Pallium in Anglia delatum eſt, ab eodem Cantuariam ſuper Altare Saluatoris deferretur, & inde ab Anſelmo quaſi de manu B. Petri pro Summi, quo fungebatur Pontificatus honore, ſumeretur. Acquievit iſtis multitudo omnis; & in quo ita fieret præfixus eſt dies.* Vſque adeò exoſæ fuerunt Anſelmo Inveſtituræ per manus Principum laicorum collatæ, vt nequidem Pallium, iam à Romano Põtifice miſſum, ſibi tradi Regijs manibus paſſus fuerit, quaſi in hoc derogaretur aliquid iuri Sedis Apoſtolicę.

5 Deinde, quibuſdam interiectis, proſequitur Eadmerus eâdem col. ad ennarrandum qualiter Anſelmus Pallium acceperit; * *Deinde*, inquit, *Doroverniam properavimus, illic aduentum Romani Epiſcopi* (nimirum, miſi à Pontifice Romano ad Pallium Anſelmo deferendum) *præſtolaturi. Qui Epiſcopus iuxta condictum, die Dominica, quæ erat quarto Idus Iunij, venie, Pallium in argentea capſula decentiſsimè deferens: itumque eſt obuiam à Monachis in ipſa Metropoli Sede Domino Chriſto famulantibus, aſſociato ſibi Fratrũ Conventu vicinæ Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Abbatiæ, cum numeroſa Clericorum, necnõ immẽſa laicorũ diuerſi ſexus ætatiſque multitudine. Pater etiam ipſe Epiſcopis, qui ob hoc Cantuariam venerant, dextra levaque ſtipatus ac ſuſtentatus, ſacro B. Apoſtolorum Principis muneri nudis pedibus, ſed indutus ſacris veſtibus, devotus occurrit. Tali devotionis cultu, Pallium ſuper Altare delatum ab Anſelmo aſſumptum eſt, atque ab omnibus pro reverentia ſancti Petri ſuppliciter deoſculatum. Indutus eo Pontifex de hinc Summus, ad celebranda Miſſarum ſolemnia, magno cum honore adductus, Altario præſentatur.* Itaque Anſelmus obtinuit Pallium à ſola Sede Apoſtolica, nec paſſus fuit vt ſibi per manus Regis traderetur.

6 Cùm verò Anſelmus (quod iam diu veritus fuerat, & ob cuius timorem tandiu reſtiterat electioni ſui in Archiepiſcopatum) experiretur res Angliæ quotidie in pedes ruere, & Regem Vvillelmum Eccleſię iura violare pro libito, eiuſque bona invadere, ac diſtrahere; nec poſſet illum vllatenus continere in officio; petijt ſępe ab eo licentiam adeundi Romanum Pontificem Vrbanum II. nec obtinuit: quamvis Epiſcopis & Principibus alijs, cauſam Regis agentibus, dixiſſet Anſelmus, vt eſt apud Eadmerum pag. 47. *Precor Dominum meum* (Regem) *quatenus bona mente, & alacri vultu, vt eum decet, mihi licentiam, quam poſtulo, det, indubitanter ſciens quòd cauſa meæ ſalutis, cauſa ſanctæ Chriſtianitatis, & verè cauſa ſui honoris ac profectus, ſi credere velit, ire diſpono.* Quin & adiecit, nullius ſibi momenti eſſe amiſsionem Archiepiſcopatus, dummodo Romam petere ſineretur. Cumque

nihil proficeret apud Regem, nec inveniret quemquam ex Epiſcopis ſibi faventem (omnes enim ij, licèt illum agnoſcerent virum ſanctum, & ſolum Deum præ oculis habentē, non audebant Regi vllatenus contradicere, ſed potiùs aiebant ſe fidelitatem illi ſervaturos, vt poſtea núm. 9. videbimus ex ipſorum verbis) plurimas ob eandem cauſam perſecutiones paſſus eſt.

7 Sed tandem poſt plura diſsidia & altercationes, quas in progreſſu opportuniùs narrabimus, ęgrè ac vix obtinuit licentiam adeundi Romam: & perâ ac baculo peregrinantium more ſuſcepto ex Altari Eccleſiæ ſuæ Cantuarienſis, itineri ſe accinxit: ac ſine vllo ferè commeatu, cum paucis Monachis, quorum vnus erat Eadmerus eius Hiſtoriæ Scriptor, ad portum Dofris pervenit. Ibidem verò iuſſu Regis adfuit Clericus quidam Vvillielmus nomine: qui Anſelmum, *Patrem Patriæ, Primatem totius Britanniæ, quaſi fugitiuum, vel alicuius immanis ſceleris reum, in littore detinuit; ac ne mare tranſeat ex parte Domini ſui iubet, donec omnia quæ ſecum ferebat, ſibi ſingulatim revelet. Allatæ igitur ante illum bulgiæ, & manticæ reſeratæ ſunt, & tota ſuppellex illius ſpe pecuniæ reperiendæ ſubverſa, & exquiſita eſt, ingēti plebis multitudine circunſtante, ac nefarium opus, pro ſui novitate, admirando ſpectante, & ſpectando execrante. Rebus ergo everſis, ſed nihil eorum, quorum cauſa everſæ ſunt, in eis reperto, deluſa ſollicitudo perſcrutantis eſt, & Anſelmus cum ſuis abire permiſſus. Itaque navem ingredimur, ventis vela panduntur, & poſt modicum orta aliquanta difficultate, ſed ea reſpectu clementiæ Dei in brevi ſedata, proſperrimè marinos fluctus evecti Vuitſandis pro voto appulimus. Rex autem Vuillielmus vbi audiuit Anſelmum trāsfretaſſe, confeſtim præcepit cuncta quæ illius iuris fuerant, in ſuum tranſcribi dominium, & irrita fieri omnia, quæ per ipſum mutata, vel ſtatuta fuiſſe probari poterant, ex quo primo venerat in Archiepiſcopatum. Deſævijt igitur quandoque per Epiſcopatum tam ſæva tempeſtas, vt tribulationes, quæ factæ ſunt in illo poſt mortem venerandæ memoriæ Lanfranci ante introitum Patris Anſelmi, parvipenſæ ſint comparatione tribulationum, quæ factæ ſunt his diebus.* Miraberis profectò illiberalem, ne dicam ſordidum, animum Regis, qui ſcrutari fecerit viaticum Archiepiſcopi pauperis, peregrini, & exulantis, pecuniæ expilandæ gratia. Verùm qui antea in rebus alijs ab Eadmero narratis tam avarum ſe oſtenderat, & quęſtui deditum, nihil mirum ſi poſtea abiectum & vilem.

8 Poſtquam verò Anſelmus ab Vvitſandis progreſſus fuit ad S. Bertinum, deindeque Cluniacum, & tandem Lugdunum; inde miſsit Epiſtolam ad Vrbanum II. Papam, in qua ſtatum miſerum Angliæ, tribulationes cordis ſui, & cauſam itineris ſuſcepti narrat. Placuit illam κατὰ πόδας exſcribere ſectione ſequenti, prout in Hiſtoria prędicta habetur pag. 50.

SECTIO SECVNDA.

Exſcribitur Epiſtola S. Anſelmi ad Vrbanum II. Papam, deplorantis miſerum ſtatum Angliæ, cuius Rex omnia perturbabat, Eccleſiæ iura, & bona invadebat, nemine Epiſcoporum, niſi ipſo, contradicere audente. Vbi obiter de ijs quæ modò in Gallia geruntur.

9 PROMISSAM Epiſtolam S. Anſelmi ſubiungo: ex qua pręterea conſtabit, quot ille labores pertulerit ob tyrannidem Vvilhelmi Regis, omnia ſibi licere arbitrantis, & vſurpantis iura ac bona Eccleſiæ. Videbimus præterea, quod paulo antè luculentiùs dictum fuit, neminem ex Epiſcopis Anglicanis, niſi Anſelmum, Regię cupiditati & licentiæ effręni in Eccleſiam repugnare auſum. Vnde & multi eorum ad ipſum dixerunt pag. 47. apud Eadmerum: *Domine Pater, ſcimus te virum religioſum eſſe ac ſanctum, & in cælis converſationem tuam. Nos autem impediti conſanguineis noſtris, quos ſuſtentamus, & multiplicibus ſæculi rebus, quas amamus, fatemur, ad ſublimitatem vitæ tuæ ſurgere nequimus; nec huic mundo tecum illudere.* Egregiam porrò excuſationem! quaſi ſolius conſilij eſſet, non præcepti ac iuris divini & naturalis, Eccleſias ſibi commiſſas tueri vſque ad ſanguinem. Sed iam ad exſcribendam Anſelmi Epiſtolam accedamus.

Domino & Patri cum amore reverendo, & cum reverentia amando, Summo Pontifici Vrbano, Frater Anſelmus, ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, debitam ſubiectionem, & orationum devotionem.

10 NOVIMVS, Domine Reverende, & Pater diligende, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſublimavit Sanctitatem Veſtram in Eccleſia ſua,

ſuis, ad conſulendum, & ſubueniendum his, qui ad ſupernæ Patriæ requiem anhelantes, in huius ſæculi exilio diuerſis fatigantur tribulationibus. Hac igitur ſpe, & conſideratione, ego humilis ſeruus veſter, in anguſtijs cordis mei ad ſinum paternę, & Apoſtolicæ pietatis veſtræ per exhibitionem præſentiæ meæ confugere diſpoſui: ſed hoc vtique facere non poſſum ſicut deſidero. Cur autem non poſſim, per præſentium latorem cognoſcetis.

11 Quoniam ergo per memetipſum præſentiam veſtram ſecundùm deſiderium meum adire nequeo, per litteras, vt poſſum, clementiæ veſtræ anguſtias meas inſinuo, quatenus eius conſolatione eædem anguſtiæ mitigentur, & anima mea deſideratam tranquillitatem per affectum veſtræ compaſſionis ſe adipiſci gratuletur. Tanta enim eſt cordis mei tribulatio, vt nec verbis, nec litteris ſufficiam illam exprimere; ſed oro Deum qui nouit occulta, vt eam vos intelligere faciat. & per viſcera miſericordiæ ſuæ, viſcera veſtra ad eius miſerationem ſecundùm deſiderium & neceſsitatem meam commoueat.

12 De hac tamen neceſsitate mea, & meo deſiderio, aliqua aperio, per quę veſtram prudentiam poſſe intelligere quid mihi expediat, non dubito. Notum eſt multis, mi Pater pie, quâ violentiâ, & quàm inuitus, & quàm contradicens captus ſim, & detentus ad Epiſcopatum in Anglia, & quomodo obtenderim repugnantiam ad huiuſmodi officium, naturæ, ætatis, imbecillitatis, & ignorantiæ meæ, quæ omnino omnes ſæculi actiones fugiunt, & inceſſabiliter execrantur, vt nullatenus illas tolerare poſsim cum ſalute animæ meæ.

13 In quo Archiepiſcopatu iam per quatuor annos manens, nullum fructum feci; ſed in immenſis, & execrabilibus tribulationibus animæ meæ inutiliter vixi, vt quotidie magis deſiderem mori extra Angliam, quàm ibi viuere. Nam ſi ita vitam præſentem, ſicuti eram, ibi finirem; plus videbam animæ meæ damnationem, quàm ſalutem. Videbam enim multa mala in terra illa, quæ nec tolerare debebam, nec Epiſcopali libertate corrigere poteram. Ipſe quoque Rex faciebat quædam, quæ facienda non videbantur de Eccleſijs, quas poſt obitum Prælatorum aliter quàm oporteret, tractabat. Me etiam & Eccleſiam Cantuarienſem multis modis grauabat. Terras namque ipſius Eccleſiæ, quas poſt mortem Archiepiſcopi Lanfranci, cùm in manu ſua Archieſpiſcopatum teneret, militibus ſuis dederat, mihi ſicut eas idem Archiepiſcopus tenuerat, non reddebat, ſed inſuper alias ſecundùm libitum ſuum, me nolente, dabat. Seruitia grauia, & Anteceſſoribus meis inuſitata, vltra quàm ferre poſſem, aut pati deberem, à me exigebat. Legem autem Dei, & Canonicas, & Apoſtolicas auctoritates, voluntarijs conſuetudinibus obrui videbam. De ijs omnibus cùm loquebar, nihil efficiebam, & non tam ſimplex rectitudo, quàm voluntariæ cõſuetudines obtendebantur.

14 Sciens igitur quòd ſi hæc ita vſque in finem tolerarem, in damnationem animæ meæ ſucceſſoribus meis tam prauam conſuetudinem confirmarem, nec de his placitare poteram (*nullus enim aut conſilium, aut auxilium mihi ad hæc audebat dare*) petij à Rege licentiam adeundi veſtram Paternitatem; quatenus illi & cordis mei anguſtias oſtenderem, & deinde eius conſilio, & auxilio quod ſalubrius eſſet animæ meæ, agerem. Quâ de re iratus petijt vt de huius licentiæ petitione, quaſi de graui offenſa, illi ſatisfacerem, & ſecurum illum facerem, me deinceps nullo modo requiſiturum pro aliqua neceſsitate Apoſtolicum; nec ſaltem inde locuturum, aut ſi vnquam hoc facturus eram, in præſenti hoc facerem. Sic itaque mare tranſij, cauſâ ad vos veniendi. Quod ſi, cut dixi facere non poſſum.

15 Quoniam autem impoſsibile eſt me huiuſmodi vitæ concordare, aut animã meam in tali Epiſcopatu ſaluari, tum propter rerum quas dixi qualitates, tum propter meas multimodas & ſenſus, & morum, & naturæ, & ętatis imbecillitates: hæc eſt ſumma ſupplicationis meæ, propter quam ad vos ire volebam, vt ſicut Deum animæ meæ, & animam meam Deo deſideratis, per paternam, & Apoſtolicam pietatem, quę eor veſtrum inhabitat, animam meam de vinculo tantæ ſeruitutis abſoluatis, eique libertatem ſeruiendi Deo in tranquillitate reddatis; ne abundantiore triſtitia, ſicut iam nimis paſſa eſt, abſorbeatur, & de dolore temporali ad æternum pertrahatur; deinde vt Eccleſiæ Anglorum ſecundùm prudentiam, & auctoritate Apoſtolatûs veſtri conſulatis. Omnipotens Dominus veſtram ſanctitatem Nobis in ſuæ gratiæ proſperitate diu ſeruet incolumem. & conterat Sathanam & portas inferi ſub pedibus veſtris. Amen. *

16 Hucuſque Anſelmus. Cuius Epiſtolam, laboreſque innumeros, & perſecutiones dum lego, toleratas ob defenſionem libertatis Eccleſię contra iura prętenſa Regis Angliæ, nullo alio ex Epiſcopis ſibi fauente, ob illius metum; ſubit animum recordatio ærumna-

narum & afflictionum, quas nuper paſſus fuit in Gallia Franciſcus bonę memorię Epiſcopus Appamiarum ob defenſionem iurium & bonorum Eccleſię ſibi commiſſę, abſque ope vlla in Præſulibus eiuſdem Regni: vt ſuprà Diſput. XI. ſect. 12. & 13. vidimus. An verò ij iure ſe ſubtraxerint ab eiuſdem cauſæ patrocinio; an perculſi ſolo metu indignationis Regiæ, vel ducti vtilitatis cuiuſpiam aut gratiæ intuitu, officij ſuis partes deſeruerint; non obſcurè expoſuit SS. D. N. Innocentius XI. in Reſcripto ad eoſdem Illuſtriſs. Antiſtites expedito die 11. Aprilis 1682. quod exſcripſimus loco citato pagin. 165. illis præſertim verbis: *Nihil ſanè lætum, & veſtris nominibus dignum, eas litteras* (nimirum ſcriptas ab ijs die tertia Februarij eiuſdem anni) *continere, in ipſo earum limine intelleximus. Nam præter ea, quæ de norma in Comitijs convocandis, peragendiſque, ſervata afferebantur, ANIMADVERTIMVS EAS ORIRI A METV VESTRO: quo ſuaſore nunquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent in ardua & excelſa, pro Religione, & Eccleſiaſtica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes. quem quidem metum falsò indicaviſtis poſſe vos in ſinum noſtrum effundere. In ſinu autem noſtro hoſpitari perpetuò debet charitas Chriſti, quæ foras mittit, & longè arcet à ſe timorem.* Cætera eiuſdem Reſcripti verba lege: in quibus ea Prçſulibus forma tuendi Eccleſiam præſcribitur, quam veteres illi Patres, & clariſsima Eccleſiæ lumina, ſicuti & Anſelmus, verbo & exemplo probarunt.

17 Cùm verò poſtea Anſelmus Romam adijſſet, honorificentiſsimè ſuſceptus fuit à Vrbano II. Papa, & ipſius hoſpes fuit decem diebus intra Palatium Lateranenſe: nec tamen ab eo obtinere potuit vt Archiepiſcopatum Cantuarienſem dimittere ſineretur. Cumque poſtea in Concilio Barenſi S. Doctor differens contra Grçcos negantes proceſsionem Spiritus ſancti ex Filio ampliſsimum triumphum reportaſſet, vt in ſuperioribus dictum fuit; cauſa Vvilhelmi Regis Angliæ, invaſoris bonorum Eccleſiæ, & proptcrea perſecutoris Anſelmi, exagitari cœpta eſt. Pontifex ingenti dolore conquerebatur de iniurijs à Rege illatis Anſelmo, *quem propterea* (aiebat apud Eadmerum lib. 2. Hiſtor. pag. 53.) *etiam regni ſui fecit extorrē, QVONIAM A B. PETRI FIDELITATE ET OBEDIENTIA NEQVIVIT SEPARARE.* Hoc, nimirum, ſcelus Anſelmi, hæc indignationis Regiæ, & tot dirarum contra ipſum cauſa fuit. Adiecitque Pontifex: *Ecce vita illius tyranni, qualis ad Apoſtolicam Sedem ſæpe delata eſt: Cui pro correctione ſui plura multoties cohortatoria ſimul & caſtigatoria ſuaſione verba mandavimus: ſed afflictio atque depulſio tanti viri, quem coram videtis, ſatis innuit quantum profecimus.* Sanè in hoc, & pluribus alijs, quæ Eadmerus ſubiungit, Vrbanus II. ſe geſsit tunc cum Anſelmo, quemadmodum nuper SS. D. N. Innocentius XI. cum Franciſco Epiſcopo Appamiarum apud Gallias, egregio defenſore immunitatis Eccleſiaſticæ, quem viventem & vità functum protexit laudavitque, contra prætenſa iura Chriſtianiſsimi Regis Ludovici XIV. Sicuti autem non propterea Franciſcum Anſelmo in ſanctitate æquiparamus: ita etiam nec æquâ lance Ludovicum cum Vvilhelmo componimus. Nimirum, quot & quàlia fuerint geſta Ludovici in obſequium Eccleſiæ, & dilatationem fidei Catholicæ, iam alibi ſatis indicavimus, & Innocentius ipſe non ſemel in litteris exhortatorijs ad ipſum, ſuprà exſcriptis Diſp. XI. ſect. 10. teſtatus eſt. Vvilhelmus verò quàm crudelis invaſor bonorum Eccleſiæ, & perſecutor S. Anſelmi extiterit, ac denique quàm horribili morte vivis ereptus fuerit, eodem loco ſect. 11. num. 141. ſine indicavimus. Accipienda itaque erit comparatio κατὰ μέρος ſolùm, & ἀναλόγως: vt Glorioſiſsimo Galliarum Regi debiti honoris illibata iura permaneant.

18 Vnde & longè mitiùs ac benigniùs ſe gerit Innocentius XI. cum Ludovico XIV. quàm olim Vrbanus II. cum Vvilhelmo, quem ſacro anathematis fulmine ab Eccleſia ſeparare decrevit, poſt tres admonitiones fruſtra impenſas. Vt enim ita faceret hortati ſunt Conſiliarij eiuſdem Pontificis, dicentes ad eum: *Si ſemel, ſi ſecundò, ſi tertiò vocaſti, & renuit audire, renuit diſciplinam accipere; reſtat vt gladio S. Petri ſub anathematis ictu percuſſus, quod meruit, ſentiat, donec à ſua pravitate diſcedat.* Reſponditque Pontifex: *ITA EST.* Sed cùm ſtatim proferenda eſſet ſententia anathematis in Regem Angliæ (verba ſunt Eadmeri lib. 2. pag. 53.) *Audiens hæc Anſelmus illico ſurrexit, & flexis genibus coram Papa, præfatum Regem iam tum excommunicare parato, vix obtinuit ne in Regem faceret quod communis omnium ſententia promulgavit.* Longè verò aliter Innocentius XI. cum Ludovico XIV. Galliarum Rege, quem, poſt tres illas Epiſtolas Diſp. XI. ſect. 10. exſcriptas, partim dulcedine, partim rationum pondere, partim denuntiatione cœleſtis iræ plenas, adhuc immotum, & tenacem in prætenſis Regaliæ iuribus

bus circa bona quarundam Eccleſiarum, flectere potiùs conatur & ſperat paternali benignitate & patientia longanimi, quàm ſacrâ anathematum vi. *Cor Regis in manu Dei eſt: quocumque volueri, convertet illud.* Faxit ille, vt cedat tandem, & communi Eccleſiæ totius Parenti in ea parte debitum obſequium reddat!

SECTIO TERTIA.

Horrenda mors Vuilhelmi Ruffi Angliæ Regis, invaſoris bonorum Eccleſiæ, & perſecutoris S. Anſelmi. Huius reditus in Angliam, & diſſidium cum novo Rege Henrico I. ob Inveſtituras. Epiſtola gravis & ſevera Paſchalis II. Papæ ad illum ob eam cauſam, digna legi à Principibus.

19 NEC Vrbani II. admonitiones, quibus denuntiabat Vvilhelmo iram cœleſtem ob invaſionem bonorum Eccleſiæ, & ſacrarum Inveſtiturarum; nec Anſelmi orationes, & preces pro illo ad eundem Romanum Pontificem, aliquid profecerunt, vt reſipiſceret ab impietate. quam potiùs augebat, occaſione deſumptâ ex aſsiduis proſperitatibus & victorijs. Omnia enim ipſi pro voto contingebant, neque aliquid adverſum, ſive in rebus politicis, ſive militaribus, experiebatur, quaſi fortunam ipſam ſub ditione ſua haberet, vt teſtatur Eadmerus. Verùm cùm venationi vacaret, ſera vindicta Dei, qui tandin illum expectaverat, ſubitò irruit ſuper eum. Sagittâ enim ipsâ, quam portabat ſecum ad feras vulnerandas, confixus miſerrimè periijt, veluti crudelior feris; nemine ſervorum ſpectante, donec ab ijs proprio cruore perfuſus & iam exanimis inventus fuit. *Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Divos,* aiebat ille. Et alius quiſpiam olim cecinit:

Sic plerique rotis fortunæ ad ſidera Reges.
Evecti, ambitio quos iuvenilis agit;
Poſt magnam humani generis cladem- que, ſuamque,
Cunctorum pœnas denique dant ſcelerum.

20 Statim verò S. Hugo Abbas Cluniacenſis divinitus novit horribilem Vvilhelmi mortem, eamque S. Anſelmo, tunc hoſpiti ſuo, narravit: qui, inſtar alterius Davidis in morte Saulis, amatiſsimè flevit, & multis gemitibus miſeram perſecutoris ſui necem lamentatus fuit. Poſtea verò nuntij ex Anglia venientes, revelationis veritatem comprobarunt. *Secundo itaque anno* (his verbis inchoat Eadmerus librum tertium Hiſtoriæ Novorum) *ex quo à Roma Lugdunum venimus; qui erat noſtri exilij annus tertius, venerunt ad Anſelmum iam tertium diem in Cœnobio, quod Caſa Dei dicitur, agentē, duo Monachi, vnus Cantuarienſis, & alter Beccenſis, nunciantes ei iam ſæpè memorati Vuillielmi Regis vitæ exceſſum. Quo ille vehementi ſtupore percuſſus, mox eſt in acerbiſsimum fletum concuſſus. Quod videntes, admirati admodùm ſumus. At ille, ſingultu verba eius interrumpente, aſſeruit in ipſa veritate, quam ſervum Dei transgredi non decet, quia ſi hoc efficere poſſet, multò magis eligeret ſe ipſum corpore, quā illum ſicut erat mortuum eſſe.* Diſcant Reges, quantumvis potentes, & proſperitatibus cumulati, ac victorijs felices, non inſoleſcere, nec violare Eccleſiæ iura, aut detrectare obedientiam venerationemque debitam ſacris Præſulibus, & ipſorum monitis. Certè SS. D.N. Innocentius XI. in tertia Epiſtolarum ſuarum ad Chriſtianiſsimum Regem Ludovicum XIV. ſuprà exſcripta, pag. 182. num. 136. ſimili ferè occaſione ait: *Magnopere veremur ne aliquando ſubire debeas, quam tibi alijs in litteris denuntiavimus, & nūc iterum, ac tertiò, inviti quidem, quantum pertinet ad ſenſum amoris in te noſtri, ſed Deo nos interiùs movente, APERTE DENVNTIAMVS COELESTIS IRÆ ANIMADVERSIONEM.*

21 Erepto vivis Vvilhelmo, cui frater Henricus I. in Regnum Angliæ ſucceſſit, tam novus Rex cum Proceribus ſuis, quàm Eccleſia Anglicana, per nuntios ſuos & epiſtolas reverentiæ plenas, exorarunt Anſelmū, vt ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem adminiſtrandum rediret. Acquievit ille publicis ipſorum precibus: & cum ingenti lętitia ac plauſu totius Angliæ exceptus fuit: Henrico ipſo in die inaugurationis ſuæ ſpondente, interpoſito iureiurando, obſervantiam iuſtarum legum, abſciſsionemque pravarum conſuetudinum inductarum ab Vvilhelmo, tam circa res & perſonas Eccleſiaſticas, quàm erga negotia ſęcularia. Omnes quoque ſperabant ex ijs bonis initijs novi Regis, & reditu Anſelmi, communis Britannię parentis, cum tanto omnium gaudio, omnia in melius mutanda, & aurea ſæcula reditura.

22 Verùm paucis pòſt diebus Henricus ipſe, velut immemor religionis iuramēti, quo ſe obſtrinxerat, exegit ab Anſelmo, vt ſibi *Hominium faceret, & Archiepiſcopatum de manu eius acciperet*, inquit Eadmerus loco citato. Vſque adeò difficilè corrigunt aut abſcindunt Reges abuſus à Deceſ-

ceſſoribus introductos in vtilitatem coronæ ſuę. Anſelmus contrà renuit, teſtatuſque eſt, cùm ipſe Romæ intereſſet, latam fuiſſe excommunicationem adverſus omnes laicos, qui Inveſtituras Epiſcopatuum vel Abbatiarum dant, & in eos qui accipiunt: ac propterea ſibi neceſſum fore vt iterum Angliam deſerat, & abſtineat à communione Regis, ſi ſecus faciat. *His Rex auditis*, proſequitur Eadmerus, *graviter conturbatus eſt. Grave quippe ſibi viſum eſt Inveſtituras Eccleſiarum, & Hominia Prælatorum perdere: Grave nihilominus Anſelmum à Regno, ipſo nondum in Regno plenè confirmato, pati diſcedere. In vno ſiquidem videbatur ſibi quaſi dimidium Regni perdere: in alio verebatur fratrem ſuum Robertum, qui tunc de Ieruſalem Normanniam redierat, Anſelmus adiret, & eum in Apoſtolicæ Sedis ſubiectionem deductum (quod facillimum factu ſciebat) Regem Angliæ faceret.*

23 Sed hac diſſenſione orta, induciæ factæ fuerunt vſque ad Paſcha; & interea decretum, vt vtrimque nuntij Romam mitterentur ad conſulendum ea de re Paſchalem II. Papam, qui Vrbano II. ſucceſſerat: cumque adveniente Paſchate nuntij nondum rediiſſent, dilatæ fuerunt vſque ad adventum illorũ. Interea vulgatum fuit Robertũ fratrem Regis in Angliam advenire: ſtatimque magna nobilitatis pars ad eum coronandum inclinavit, vt propterea Rex instructo exercitu ad ſui defenſionem nulli Principum confideret, & opus haberet confugiendi ad Anſelmum, è cuius auctoritate ſumma rerum pendebat. Quare ad impetrandum eius auxilium, & ſtabilitatem in Regno, iterum promiſsit ſe omnia iura Eccleſiæ in eius poteſtate relicturum, ac iuſsionibus Sedis Apoſtolicæ per omnia obtemperaturum. Anſelmus, quamvis facilè poſſet illum Regno abdicare, introducto eius loco Roberto; adhuc conforme iuſtitiæ cenſuit, vt ille permaneret Rex. Nec Robertus auſus fuit litem intentare Henrico, ſciens Anſelmũ eius patrocinium ſuſcepiſſe, & timens ne forte in ſe gladio excommunicationis animadverteret. Quare nullo modo ad arma deventum eſt: & pace inita inter ambos fratres, Henricus Rex vt antea permanſit.

24 Dum omnes ſperarent Henricum, ſaltem titulo gratitudinis, plenè ceſſurum Anſelmo, nuntij Romà reverſi ſunt deferentes ad Regem Epiſtolam Paſchalis Papę, lectu ſanè digniſsimam: in qua Apoſtolico zelo reprehendit ipſum ob non ſervatam obedientiam promiſſam, & petitioni ſeu iuri prætenſo Inveſtiturarum contradicit, allatis in medium auctoritatibus, & rationibus, gravitate plenis. Illam ſubiungo, conferendam ab erudito Lectore cum aliis SS. D. N. Innocentij XI. ſuprà exſcriptis Diſp. XI. ſect. 10 ad Chriſtianiſsimum Regem Ludovicum XIV. Inveniet, credo, eundem ſpiritum, conſtantiam, & zelum pro libertate Eccleſiæ.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto Filio Henrico Regi Anglorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

25 LEGATIONIS Tuæ verba, Fili chariſsime, gratanter excepimus; ſed
vellemus obedientiam promittentis.
, In quibus nimirum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ
, illa in tuo regno pollicebaris, quę tempore
, tui patris habuerat; eos requirens honores,
, quos Anteceſſorũ noſtrorum tempore pater
, tuus habuerat. Quæ profectò omnia grata in
, ſuperficie viderentur, interiùs requiſita, &
, Legati tui vocibus expoſita, gravia & vehe-
, mentiſsima patuerunt. Quærebas enim, vt
, tibi, Epiſcoporum, Abbatumque per Inve-
, ſtituram conſtituendorũ, ius & facultas à Ro-
, mana indulgeretur Eccleſia; & quod per ſe
, ſolum fieri omnipotens Dominus perhibet,
, hoc Regiæ poteſtatis fieret. Ait enim Do-
, minus: *Ego ſum oſtium; per me ſiquis in-*
, *troierit, ſaluabitur.* Cùm autem Eccleſiæ
, oſtium Reges eſſe arrogant, fit profectò, vt
, qui per eos Eccleſiam ingrediuntur, non pa-
, ſtores, ſed fures, & latrones habeantur, eo-
, dem Domino dicente: *Qui non intrat per*
, *oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliun-*
, *de, fur eſt, & latro.*

26 Et quidem ſi à nobis magnum
, aliquid tua dilectio poſtularet, quod cum
, Deo, cum iuſtitia, cum noſtri Ordinis ſalu-
, te concedi poſſet, graviter vtique concede-
, remus. Hoc verò tam grave, tam indignum
, eſt, vt nulla ratione Catholica id admittat
, Eccleſia. Faciliùs ad extrema quælibet B.
, Ambroſius cogi potuit, quàm Imperatori
, Eccleſię permittere poteſtatem. Reſpondit
, enim: *Noli gravare te Imperator, vt pu-*
, *tes mea, quæ diuina ſunt, Imperiale ali-*
, *quod ius habere. Noli te extollere: ſed ſi*
, *vis diutiùs imperare, eſto Dei ſubditus,*
, *Scriptum eſt: quæ Dei Deo; quæ Cæſaris,*
, *Cæſari. Ad Imperatorem palatia perti-*
, *nent, ad Sacerdotem Eccleſiæ: publicorũ*
, *tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſa-*
, *crorum. Quid tibi cum adultera? Adul-*
, *tera eſt enim quæ non eſt legitimo coniu-*
, *gio copulata.*

27 Audis, ò, Rex, adulteram Eccle-
ſiam

ſiam nuncupari, quæ non legitimè nupſerit. Eccleſiæ ſiquidem ſponſus vnuſquiſque æſtimatur Epiſcopus, iuxta Scripturam illam, qua ex fratris vxore frater non ſui nominis filios ſuſcitare præcipitur, & ſponſæ contemptor à futuro ſponſo diſcalceari mandatur. Vides igitur, ò, Rex, quàm ignominioſum, quàm periculoſum ſit per filios ſuos matrem adulterio pollui. Si ergo Eccleſiæ filius es, quod vtique omnis Catholicus Chriſtianus eſt, permitte matri tuæ legitimum ſortiri coniugium, vt non per hominem, ſed per Deum, & hominem Chriſtum legitimo ſponſo copuletur Eccleſia. Per Deum enim Epiſcopos eligi, cùm Canonicè eliguntur, teſtatur Apoſtolus Paulus, dicens: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Et B. Ambroſius: *Merito,* inquit, *creditur quod diuino eſſet electus iudicio, quē omnes poſtulaviſſent.* Et poſt pauca: *Vbi vniverſorum poſtulatio congruit, dubitare nos non oportet ibi Dominum Ieſum & voluntatis auctorē, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præſulem, & largitorem gratiæ.* Præterea Propheta David ad Eccleſiam loquens ait: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes, ſuper omnē terram* Eccleſia filios genuit: Eccleſia Principes ſtatuit.

28 Poſſemus alia de Scripturis ſacris teſtimonia & exempla proponere, quibus conſtaret Eccleſiæ ſponſos, ac Paſtores Epiſcopos non ſæcularium poteſtatum nutu, ſed Chriſti diſpoſitione & Eccleſiæ iudicio præponendos. Vnde etiam Imperator Iuſtinianus ſanxit in legibus ſic: *Debet enim priùs diſceptari de vita Epiſcopi, vtrum bona ſit, an reprehenſibilis, & vtrum bonis teſtimonijs muniatur, an non.* Et infrà: *Fiat,* inquit, *facultas vnicuique ſi velit contradicere. Et ſi quidem ante conſecrationem fuerit contradictio facta, non priùs conſecretur Epiſcopus, niſi diſceptatio de contradictione ſit facta, & vndique appareat innoxius is, qui ad Epiſcopatum vocatur.* Ecce quod populi totius eſſe pronuntiat Imperator, hoc ſui ſolius eſſe Regia poteſtas inceſſit.

29 Ipſius etiam Imperatori lege cautum eſt, vt nec profectio, nec ingreſſus ad Imperatorem, ſine Metropolitani litteris pateret Epiſcopo. Quem ergo in Curia tua ſine Metropolitani litteris admittere non debes, eum vis, ò, Rex in Eccleſia Principem conſtituere? Monſtruoſum profectò eſt, vt Patrem filius generare, homo Deum creare debeat. Sacerdotes namque in Scripturis ſanctis Deos vocari tanquam Dei Vicarios manifeſtum eſt. Vnde ſanctæ memoriæ Conſtantinus Imperator de Epiſcorum cauſis diſceptare auſus non fuiſſe deſcribitur.

30 Propter hoc ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica per Prædeceſſores noſtros Regiæ vſurpationi, & inveſtituræ abominabili vivaciter obviare curavit, & graviſsimis perſecutionibus per tyrannos affecta vſque ad tempora noſtra, non deſtitit. Confidimus autem in Domino, quoniam nec in nobis confidentiæ ſuæ virtutem Eccleſiæ Princeps Petrus, & Epiſcoporum primus amittet.

31 Porrò ſæcularium Poteſtatum & Regum in Eccleſia quod ſit officium, exponit Apoſtolus Paulus, dicens: *Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum. Non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim Miniſter eſt vindex in ira ei, qui malè agit.* Et Petrus Apoſtolus in eadē verba conſentiens: *Siue Regi,* ait, *quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſsis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

32 Inter iſta, Rex, nullius tibi perſuaſio profana ſurrepat, quaſi aut poteſtatē tuæ aliquid diminuere, aut nos in Epiſcoporum promotione aliquid nobis velimus ampliùs vendicare. Immò ſi ab hoc propter Deum deſiſtas, quod contra Deum eſſe manifeſtum eſt, quod cum Deo nec tu exercere, nec nos concedere, aut cum noſtra, ſeu tua ſalute poſſumus; quidquid deinceps poſtulaveris, quod cum Deo poſſumus, libentiùs indulgebimus & honori tuo, & ſublimationi propenſiùs inſiſtemus.

33 Nec exiſtimes quòd poteſtatis tuæ columen infirmetur, ſi ab hac profana vſurpatione deſiſtas. Immò tunc validiùs, tunc robuſtiùs, tunc honorabiliùs regnabis, cum in regno tuo divina regnabit auctoritas. Tunc amicitiam & familiaritatem noſtram firmiùs obtinebis, & regni tutores Beatos Apoſtolos habere gaudebis. Nec tibi nunc in petitionibus tuis abeſſe poterimus, cui petitionum noſtrarum fautorem Dominum adeſſe ſenſerimus. Ipſe omnipotens Deus, in cuius manu corda ſunt Regum, adſit hortatui noſtro, adſit auditui tuo, vt dum iuxta præcepta eius tuas diſpoſueris actiones, ipſe regnum tuum pacis, & honoris ſui ſtabilitate, ac ſublimatione diſponat. Amen.

(†)

****

****

SE-

SECTIO QVARTA.

Henricus I. adhuc inhiat Inveſtituris, nolens cedere Romano Pontifici. Epiſcopi & Proceres adulantur Regi. Solus Anſelmus reſiſtit, & iterum Romam adire cogitur: donec tandem poſt multos illius labores Rex flectitur, & Eccleſiæ libertas reſtituitur. Elogium S. Anſelmi.

34 QVIS Non crederet, Henricum Regem, partim ductum gratitudine erga Anſelmum, à quo nuper ſtabilitatem in Regno acceperat, partim territum litteris Apoſtolicis, ſtatim ceſſurum à iure pretenſo Inveſtiturarum? Sed alia omnia acciderunt. Robertus indignatus Anſelmo, quòd prępoſuiſſet Henricum ipſi in iure ad Regnum, ſimul cum ſequacibus ſuis Regem hortatus eſt, vt Inveſtiturarum iure prætenſo in Anſelmum, & cæteros Præſules vteretur. Quare ipſi demandatum fuit à Rege, vt *Hominium* illi faceret, & Epiſcopos Abbateſque ab eo nominatos conſecraret, vel ſtatim ab Anglia exiret. Anſelmus obteſtatus fuit, ſe non poſſe in id conſentire: quòd contrarium eſſet ſtatutis recentibus Concilij Romani, & auctoritati Sedis Apoſtolicæ. Occurrunt autem memoriæ quæ in Gallia his diebus acciderunt, dum poſt hæc narrata ab Eadmero lib. 3. pag. 60. col. 2. lego ſtatim: *Acta ſunt in hunc modum de his multa: ſed eorum omnium hæc extitit ſumma, EPISCOPIS, REGNIQVE PROCERIBVS, vt ſub alio Rege ſolebant, verba hinc inde ferentibus, ET IN SINGVLIS REGIÆ VOLVNTATI PARERE CERTANTIBVS, IMMO NE ROMANI PONTIFICIS OBEDIENTIÆ SVBDERETVR, SVMMOPERE INSISTENTIBVS.*

35 Quis id crederet de tot Epiſcopis Catholicis, quorum muneris eſt non lactare Reges deſiderijs ſuis omnia metientes, aut Eccleſiæ iura violantes, ſed ſtare in acie pro honore Dei & Eccleſiæ auctoritatem libertatemque tueri vſque ad ſanguinem? Sed Catholici etiam ſunt Illuſtriſsimi Galliarum Pręſules: & tamen in alia cauſa ſimili ferè, pleriſque illorum exprobrat SS. D.N. Innocentius XI. litteris datis Romæ 11. Aprilis, 1682. quòd nihil egerint pro auctoritate & libertate Eccleſiæ, cùm tamen Aulici & Adminiſtri acriter pugnaverint pro iure prætenſo Regis Chriſtianiſsimi. Vnde præter plura alia, quæ ſuprà pag. 166. legi poſſunt, inquit: *Quis veſtrum in arenam deſcendit, vt opponeret murum pro domo Iſrael? Quis auſus eſt invidiæ ſe offerre? Quis vel vocem vnã emiſit memorem priſtinæ libertatis? Clamarunt interim, ſicuti ſcribitis, & quidem in mala cauſa pro Regio iure, clamarunt Regis Adminiſtri, cùm vos in optima pro Chriſti honore ſileretis.* Non ſic Anſelmus: non ſic. Reſpondit, ſe iam ſatis exercitatum fuiſſe in laboribus, & diuturno exilio: paratumq; id iterũ ſubire, priuſquã officij ſui partes deſerere.

36 Poſt hæc iterum nuntij ab vtrãque parte Romam mittuntur, Anſelmo interea omnes boni Paſtoris numeros explente. Paſchalis II. iterum in ſententia perſiſtit, *Regi inter alia*, inquit Eadmerus pag. 81. lib. 3. *Eccleſiarum Inveſtituras IVDICIO SANCTI SPIRITVS INTERDICENS; Anſelmum vt quæ agebat ageret, & quæ loquebatur affectuoſè deprecans, firmata & Apoſtolicæ Sedis auctoritate roborata in omnibus ſui Primatus dignitate.* Quã in rem ad vtrumque litteras ſcripſit.

37 Denique poſt plurima alia narratu longa, apud Eadmerum legenda, lib. 4. Anſelmus plurimos labores & perſecutiones paſſus, iterumque Romam peregrinatus, quamvis ſeptuagenario maior, & inde rediens, tandem flexit animũ Regis Henrici, & ab eo honorificè ſuſceptus fuit. qui & abſtitit ab impia exactione Inveſtiturarum, Hominijque, ſeu Homagij: eo enim nomine appellabatur obſequium illud, ſeu obligatio ſpecialis à quibuſdam Epiſcopis ſuſcepta indignè erga Reges. Bona etiam Eccleſiarum vſurpata reſtituit, & tandem per omnia Anſelmo, veluti amantiſsimo parenti, & totius Angliæ digniſsimo Primatui, ceſsit, obedivitque. Vt à ſimili diſcas quàm verum ſit, quod SS. D.N. Innocentius dixit ad memoratos Galliæ Præſules, quoſdam eorum Deceſſores liberè agentes cauſam Eccleſiæ coram Regibus, ſæpè à conſpectu eorum victores diſceſsiſſe. Nimirum idipſum contigit Anſelmo, cum ingenti gaudio totius Angliæ, & Paſchalis Papæ, qui illam Henrici Regis mutationem & reſipiſcentiam, Anſelmi meritis & conſtantiæ adſcribendam duxit.

38 Iam quod attinet ad iuramentum fidelitatis erga Regem, cuius ſubditos nullã Eccleſiaſtica poteſtate eximi poſſe ab ea obligatione pronuntiant in ſua Declaratione Illuſtriſs. Præſules Gallicani; longè aliter ſenſit Anſelmus. Etenim Epiſcopi plures Germaniæ ipſius tempore ſe obſtrinxerant eiuſmodi iuramento erga Henricum III. aliàs IV. Regem, eiuſque filium & ſucceſſorem Henricum V. Et tamen poſtquam ij rebellârunt in Sedem Apoſtolicam, ſive in Romanos Pontifices Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. & Paſchalem II. iuſtique fuerunt anathemate

ob

ob eam cauſam, Anſelmus illos omnino vitandos cenſuit, & eos Epiſcopos qui fidelitatem priori eorum ſervabant, non dubitavit appellare ſectatores Neronis, ac Iuliani Cæſaris. Tam procul fuit ab exiſtimando, Papam non poſſe eximere ſubditos ab obedientia Regibus promiſſa, quoties ij in Eccleſiam rebellant. Quod ipſum fecerint in varijs Concilijs Patres Eccleſiæ Gallicanæ, excommunicantes peſteriorem eorum: vt ſuprà vidimus Diſp. XI. ſect. 6.

39 Præterea, vt fusè narrat Eadmerus lib. 2. Hiſtoriæ Novorum pag. 48. col. 2. & 3. cùm Anſelmus vellet recurrere ad Sedem Apoſtolicam, & Romam adire, ob iniurias ab Vvilhelmo Rege illatas Eccleſiæ, ſive eius immunitati; Rex ipſe cum Proceribus ſuis conqueſtus fuit, ſibi non ſervatam fidelitatẽ promiſſam ab Anſelmo, nec hunc potuiſſe appellare Romanum Pontificem poſt vinculum iuramenti, quo ſe olim obſtrinxerat eidem Regi. Repoſuit verò Anſelmus, iuramentũ eiuſmodi eatenus obligationem inducere potuiſſe, vt non præiudicaret fidelitati erga Deum, & Sedem Apoſtolicam: ideoque adiecit: *Fides quam debeo, & ſervitium eius, cogunt me AD CAPVT CHRISTIANITATIS ACCEDERE, & ab eo perneceſſarium Eccleſiæ Dei, & mihi conſilium petere.* Quin & adiecit: *Ad ea quæ iubes, vt quò ſecurus de me poſsis àmodò eſſe, iurem tibi, quòd nunquam ampliùs pro qualibet cauſa B. Petrum, vel eius Vicariũ in Anglia appellem; dico huiuſmodi iuſsionem tuam, qui Chriſtianus es, omnimodis eſſe non debere. HOC ENIM IVRARE, B. PETRVM EST ABIVRARE: QVI AVTEM B. PETRVM ABIVRAT; CHRISTVM, QVI EVM SVPER ECCLESIAM SVAM PRINCIPEM FECIT, INDVBITANTER ABIVRAT.* Vide quo ſenſu Anſelmus id iuramentum Epiſcoporum acceperit. Vnde & Romam adijt, licèt cum ingenti labore, prout ſuprà narravimus: vt omnia ea diſsidia Apoſtolicæ Sedis iudicio finirentur.

40 Plura alia eodèm ferè ſpectantia legi poſſunt apud laudatum Eadmerum, ex quibus conſtat, S. Anſelmum longè aliter ſenſiſſe de auctoritate & poteſtate Romani Pontificis, quàm in illa recenti Illuſtriſs. Galliæ Præſulum Declaratione habeatur. Quare supereſt vt Tractatui coronidem imponamus hoc qualicumque elogio S. Doctoris, aliquomodo collati cum Magno Auguſtino, quem ſemper & vbique Ducem ac Præcurſorem in doctrina habuit.

DIVO ANSELMO,
DOCTORI THEODIDACTO,
Theologorum ſui temporis ſummo,
præcedentium Compendio, ſubſequentium Scholaſticorum Duci:
ALTERI AVGVSTINO,
ſi Auguſtinus numerum patitur: aut Mentis Auguſtini Menti alteræ,
quantum fas fuit exprimere Magnum Auguſtinum:
ALTERÆ INGENIORVM AQVILÆ.
volanti vſque ad ipſam incomprehenſibilem Deitatem, ſupra mortalia omnia
& caduca, cœleſtia, terreſtria, viſibilia, & inviſibilia:
ALTERÆ CYNOSVRÆ, AVT HELICI,
quam primùm Magiſter Sententiarum, deinde Thomas, Bonaventura, & Scotus,
intentè ſpectárunt navigantes in Theologiæ mari:
ALTERI INVICTO DEBELLATORI
hoſtium Eccleſiæ Catholicæ, quotquot præceſſerunt, quotquot poſtea orti,
Athei, Ethnici, Iudæi, Hæretici, & Schiſmatici:
ALTERI CONCILIORVM PATRI,
Summorum Pontificum teſtimonio, & totius Barenſis Synodi acclamatione,
triumphanti è Græcis, Latinæ Eccleſiæ adverſarijs:
ALTERI STRENVO ASSERTORI
Divinitatis adverſus Atheos, vnius Dei contra Ethnicos & Idololatras,
perfectionum divinarum in Errones quoſdam:
ALTERI EGREGIO VINDICI
Trinitatis contra Sabellium & Arium, Spiritus ſancti adverſus Pneumatomachos,
proceſsionis eius ex Patre & Filio ſimul contra Græculos:
ALTERI FORTISSIMO MALLEO
Iudæorum negantium Deitatem Chriſti, Pelagianorum gratiæ hoſtium,
Prædeſtinatianorum evertentium liberum arbitrium:

AL-

ALTERI SVBTILI VESTIGATORI

veritatum divinarum creatarumque, rationibus adinventis, quantum fas fuit,

ἑτέρῳ καὶ μείζονι Ἀριστοτέλει, αἰτιολογικωτάτῳ πάντων:

ALTERI INTERPRETI FIDELISSIMO

Sacræ Scripturæ, Myſteriorumque Dei Altiſsimi,

Prędeſtinationis & gratiæ cohærentis cum libero arbitrio,

ruinæ Angelorum perduellium, & lapsùs primi hominis:

ALTERI PIISSIMO SCRIPTORI

Meditationum & Orationum, cœleſtem amoris ignem ſpirantium,

ex ardenti pyra pectoris eius profluentem:

ANGLIÆ PRIMATI, ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI,

Præſulum ſpeculo, Sacerdotum gemmæ, Doctorum exemplari miro,

quà vita, quà doctrina, quà opinione omnium:

DEFENSORI INVICTO CATHEDRÆ S. PETRI,

AVCTORITATIS EIVS INFALLIBILIS STRENVO ASSERTORI,

PRO IMMVNITATE ECCLESIÆ ROMANÆ, ET SVÆ,

PERFVNCTO LABORIBVS MAGNIS;

exilium longum non ſemel paſſus terrâ marique,

direptionem bonorum, odium potentiſsimorum Regum:

TANDEM REGIS AC REGNI ANGLIÆ

CVM ECCLESIA ET PONTIFICE ROMANO RECONCILIATORI;

Regibus ipſis Britanniæ venerabili, populis amabili,

Deo & Cœlitibus chariſsimo, ac miraculis celeberrimo:

TRACTATVM HVNC POSTREMVM

PRO CATHEDRA S. PETRI,

Frater Ioſephus, vitâ peccator, appellatione Monachus;

in aliquale Dei, Eccleſiæ, & eiuſdem S. Doctoris obſequium;

DICAT, CONSECRAT:

TOTVMQVE OPVS S. SEDIS APOST. IVDICIO INFALLIBILI,

MENTE, CORDE, VERBO, SCRIPTO, SVBIICIT,

SACRISQVE PEDIBVS SS. D. N. INNOCENTII XI.

HVMILITER ADVOLVIT.

INDEX ALPHABETICVS RERVM

ET VERBORVM MEMORABILIVM:

In quo *d.* ſignificat diſputationem, *n.* numerum vnicuique ferè §. præfixum.

A

ABAILARDI Hæreſes quænam, quando, & quomodo proſcriptę ab Eccleſia, d. 11. n. 11. vſque ad 19. Reſipuit ab ijs, & inſigni pœnitentię, obſervantię, atque humilitatis exemplo; diem clauſit extremum. Ibid. n. 16. Vide etiam poſtea n. 45. & 46.

Abbas Ioachim. Vide *Ioachim.*

Abbas Panormitanus, quid ſenſerit circa poteſtatem Papę, & Concilij, d. 16. ſect. 4.

Abbo Floriacenſis Gallus agnovit auctoritatem infallibilem Romani Pontificis, d. 3. num. 12.

Abſtinentia, præſertim à carnibus, impetitur ab hæreticis, pręſertim Centuriatoribus, & Lutheranis, d. 27. n. 22. Defenditur tanquam ſalutaris, & maximè vtilis ad pudicitiam ſervandam. Ibid. n. 24. & 25.

Acaciani, quomodo Eccleſiam exagitaverint prætextu ſervãdorum Canonum, d. 57. num. 10.

Academia Athenienſis, quàm deſolata eſſet tempore S. Syneſij, & ſæculis ſequentibus, d. 8. n. 49.

Academia Lovanienſis quid olim docuerit, poſtea ſtatuto, & iuramento confirmaverit, & tandem exequatur, circa doctrinam de auctoritate infallibili Romani Pontificis, d. 1. ſect. 1. & d. 22. num. 18. Vide *Lovanienſes.*

Academia Oxonienſis, Profeſſorem habuit impijſſimum Vvicleffum, d. 14. n. 26. Remiſsè admodum, & oſcitanter ſe habuit in eo reprimendo iuxta mandatum Gregorij XI. Papæ. Ibid. num. 27. Qualiter propterea fuerit reprehenſa, & quàm malè audierit, d. 21. n. 41.

Academia Pariſienſis; quę aſſerta ediderit anno 1662. & qua occaſione, d. 1. n. 9. 10. & 11. An eouſque tradiderit auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiendo, d. 6. per totam. Quàm pauci ex alumnis eius illam negaſſe inveniantur, & quid de ijs alij ſentiant, d. 7. per totam, & d. 22. num. 17.

Academia Salmanticenſis perpetuò docuit, docetque auctoritatem Pontificis in definiendo eſſe prorſus infallibilem, d. 7. n. 16. Vna ex quatuor Generalibus Academijs probatis in Synodo Oecumenica Viennenſi ſub Clemente V. Ibid. Quibus laudibus celebretur à Romanis Pontificibus. Ibid. Profeſſorum Theologię in eadem Academia ab initio vſque modò quanta, & quàm conſtans integritas in tuenda, & docenda fide Catholica, d. 15. num. 45.

Academiæ Hiſpanæ omnes execrantur doctrinam recentis Declarationis Gallicanę, & accedente mandato Romani Pontificis ad ferendum de ea iudicium, graviſſimâ cenſurâ eam notabunt, d. 7. num. 16. & d. 4. num. 17.

Auſcultatio pœnitentium ſecundi gradûs in Primitiva Eccleſia, d. 35. num. 60.

Acta Conciliorum variorum. Vide v. Concilia.

Adelberti Archiepiſcop. Moguntini inſignis locus, d. 10. n. 27.

Adoptianorum hæreſis, quę, & quando damnata, d. 9. n. 19.

Adrianus I. Papa plura Reſcripta dedit ad Epiſcopos Galliarum; & ad Carolum Magnum earum Regem, cum quo & ſtrictam amicitiam habuit, d. 5. n. 26. Eius Epiſtola lecta, & probata in VII. Synodo vrgetur contra Declarationem Gallicanam, d. 9. num. 21. An conceſſerit Carolo Magno ius eligendi Romanum Pontificem, d. 35. n. 15. & 23.

Adrianus VI. antequàm eſſet Pontifex quid ſenſerit de auctoritate Papæ, d. 7. n. 12. Quid poſtea docuerit, & quomodo errores Lutheri independenter à Concilio damnaverit edito Diplomate, d. 17. ſect. 2. latè.

S. Agatho Papa coegit Synodum VI. Oecumenicam contra Monothelitarum hæreſim iam antè damnatam à Sede Apoſtolica, & cur d. 9. num. 9. 10. & 16. Eius illuſtre teſtimonium contra Declarationem Gallicanam. Ibid. Plures eius laudes prolatæ à Patribus eius Synodi, d. 9. n. 13. & 14. Similiter à Conſtantino Pogonato Imperatore, d. 9. n. 40. fine.

Albigenſes hæretici, quando, & quomodo damnati, d. 12. num. 31. & 32. ac præterea d. 13. num. 2. & ſeqq. atque inſuper n. 20. & 21.

Alcuinus Caroli Magni Regis Galliarum Magiſter auctoritatem infallibilem Romani Pontificis profitetur, d. 3. n. 17.

Alexandri I. Papæ, & Martyris locus, d.23. n.10.

Alexandri III. decretum contra inveſtitutas de manu Principum laicorum, d. 11. n.32. Celebravit Concilium XI. Generale, aliàs III. Lateranenſe, & quid in eo præcipuè definitum fuerit, d. 12. n. 38. & 39. Vindicatur à calumnijs quibuſdam, d.32.num.2. & 3.

Alexandri VI. ævo,quæ hæreſes ortæ,& quomodo damnatæ,d.15.n 46.47. & 48.

Alexander VII. Papa definivit, quinque propoſitiones præcipuas Ianſenij fuiſſe damnatas à Deceſſore ſuo Innocentio X. in eodē ſenſu, quo ab auctore prolatæ ſunt; & contrarium effutientes appellavit *filios iniquitatis*, d.1. n.6. Eius diploma receptum, & iuramento confirmatum ab Academia Lovanienſi.Ibid. Et tamen adhuc multi in Belgio, & Lovanij videntur docere oppoſitum, d.19. ſect.2. præſertim per recurſum ad quæſtionē, & errorem facti, d. 20. per totam. Refelluntur latè, & oſtenditur id ipſum tradere quod Ianſenius, d.11.per totam.

Alphonſi Toſtati ſenſus circa auctoritatem Papę expenditur, d.16. num. 62. & ſeqq.

Alphonſi à Caſtro opinio circa idem, d.7. num.12.

Almaini opinio de auctoritate Papæ,d.7. n.15. Reiecta ab alijs. Ibid. & ſeqq.

Alvarus Pelagius aſſertor auctoritatis ſupremæ Romani Pontificis, d.7. n.20.

S. Ambroſij plura teſtimonia vrgentur contra Declarat. Gallican. præſertim d. 8. num. 47. & d.10. num. 21. & d.35. num.62. 78. & 80.

S. Anacleti Papæ & Martyris illuſtria teſtimonia contra doctrinam Cleri Gallicani, d.8. num. 13. & d.23. n.6. & 7. Vindicatur ille à calumnia Centuriatorum, d. 26. n.19. & 20.

Anaſtaſius Imperator qualiter admonitus à Pontificibus Romanis, & nolens acquieſcere, lapſus fuerit in graviſsima ſcelera, & horrendam mortem ſubierit, d. 35. num. 22.

Anaſtaſius II. Papa vindicatur à quorundam calumnijs, d.29. n.12. & 13.

Andræas Duvallius quid ſenſerit circa auctoritatem infallibilem Papæ, d. 6. n. 22. Arguitur τῆς ἀσυνεχείας, Ibid. n.23.

Angeli à Nuce Archiepiſcop. Roſanenſis cenſura in Declarationem Gallicanam, d.40. num.17.

Angliæ Regum ſubiectio, & obedientia erga Romanum Pontificem vſque ad tempus miſeri Henrici VIII. d. 35. ſect. 4. Donatia, & tributa Sedi Apoſtolicæ ſolvebant, d. 35. num. 36. & 39. Idque non conſuetudine ſolùm, ſed lege vſque ad tempus infelicis Henrici VIII. Ibid.

S. Aniceti Papæ, & Martyris locus,d.23. num. 11.

Annales Bertiniani, Fuldenſes, Metenſes, alijque varijs locis allegantur.

S. Anſelmus Cantuarienſis qualiter aſſeruerit auctoritatem infallibilem Pontificis Romani in definiendo, d. 1. num. 1. Noluit ſalutare Vvaleranum Epiſcopum Nevemburgenſem, quod ſequeretur partes Henrici IV. contra Pontificem Romanum. d. 11. num. 172. Defenſor cathedræ S. Petri contra rebelles pręſertim Gręcos. Tractatu Appendice per totum. Eius laudes præcipuæ habentur in Epiſtola ad Innocentium XI. eidem Tractatui præfixa. Quomodo Anſelmus palam ſteterit pro auctoritate ſuprema, & infallibili Sedis Apoſtolicę, atque obedientia Romanorum Pontificum, d.41. ſect. 4. per totam. Qualiter in dubijs occurrentibus circa fidem, aut mores conſuluerit Romanos Pontifices, eorum iudicium acceperit veluti regulam credendi infallibilem, d. 41. ſect. 5. per totam. Quomodo opinionem Græculorum de proceſsione Filij à ſolo Patre, nondum eouſque damnatam in aliqua Synodo Oecumenica, ſed ſolùm à Sede Apoſtolica, confutaverit in Concilio Barenſi coram Vrbano II. d. 42. ſect. 4. Quantum laudis, & venerationis habuerit ibidem à Pontifice, & Patribus in eo Concilio congregatis. Ibidem. Diſſertatio eruditiſsima ipſius de proceſsione Spiritus ſancti ex Filio contra eoſdem Græcos, Commentarijs illuſtrata, d. 43. per totam. Modeſtia, & humilitas mira S. Doctoris poſt illam ſcriptam. Ibidem num. 294. & ſeqq. Vtrum ante tempus S. Anſelmi Eccleſia addidiſſet Symbolo particulam FILIOQVE, & quo primùm tempore, d.44. per totam. Quibus tandem officijs S. Doctor Sedem Apoſtolicam ſibi devinxerit; quà verbo, quà opere, & quot propterea perſecutiones ſubierit, d. 45. per totam. Qualiter reſtiterit iuri Inveſtiturarum prætenſo à Regibus Angliæ. Ibid. latè.

S. Anſelmus Lucenſis, quam conſtanter defenderit Gregorium VII. Papam, d.31. num. 7. & 23.

Antipapæ venditati à Vigorio pro veris Pontificibus, d. 33. num. 15. & 17.

Anto-

Antonij Auguſtini Archiep. Tarraconenſis elogium, d.7. n.23.

Apollinaris Hæreſiarcha quando, & ob quid damnatus, d.8. n.35. 36. & 38.

Apoſtaſia quid ſit, & an ex parte etiam vſurpetur, d.35. n.11.

Appellationes à definitione Papæ ad Cōcilium videntur intentatæ à quibuſdam in Belgio, licèt ſubobſcurè, d.1. n. 1, 2. 3. 4. Fuit ea nota, aut mos hęreticorum, & ſchiſmaticorum, d.8. n.28. & 30.

Appellationes à iudicio Papæ ad Imperatorem inventæ à Paulo Samoſateno, & poſtea continuatę à Photino & Donatiſtis, d.36. num.12. Appellationes à Papa ad Concilium propriæ hęreticorum, & ſchiſmaticorum, Ibid. & num. 13. ac 14. Reijciuntur tam ex Iure, quam ex praxi omnium ferè ſæculorum, ab omnibus Eccleſijs, Epiſcopis, Imperatoribus, Regibuſque confirmata, d. 36. ſect. 3. per totam.

Approbatio ſcriptorum alicuius Patris vel ſcriptoris in genere ſolùm data à Papa, vel Concilio Oecumenico, quid operetur, d.42. n.7.8. & 9.

Arcadius Imperator, & Eudoxia Auguſta excommunicati fuerunt à S.Innocentio I.Papa, d. 35. num. 62. Formula anathematis, Ibidem.

Arius Hęreſiarcha cum erroribus ſuis quomodo damnatus fuerit in Nicęna Synodo, d.8. num. 34.

Armacani errores quinam, & quando damnati, d.14.n.24.

Arnaldi de Brixia hęreſes, quales, & quomodo proſcriptę, d.12. n.16.17. & 37.

Arreſta duo horribilia Curiæ Parlamenti Galliarum indicantur, & refelluntur, d. 11. n.197. vſque ad 202.

S.Athanaſij Alexandrini plurima loca allegantur contraria Declarationi Cleri Gallicani, præſertim, d.8. n.45. 46. & d.24. n.6. & 8. De ſententia lata contra ipſum tempore Liberij Papæ. Vide plura d. 28. ſect. 2. & d. 43.

Auctoritas infallibilis Romani Pontificis in pronuntiando ex cathedra de fide, & moribus, ſtabilitur latè toto Tractatu I. Quantum oporteat, vt illa aſſeratur ab omnibus Catholicis, ad extirpandas hęreſes, pręſertim Ianſenianam, d.1. per totam. Quinam illam videantur nuper negare in Belgio, d. 1. n.2. & 3. Quinam in Academia Pariſienſi anno 1662. Ibid. n. 9. Similiter Clerus Gallicanus illam negavit recentiùs anno 1682. Martij 19. d. 1. n. 18. An illam aſſeruerint palam Epiſcopi Galliarum vnanimi conſenſu in varijs Epiſtolis ad Innocentium X. d. 2. per totam. An priſci Patres Eccleſiæ Gallicanæ illam tradiderint, d. 3. per totam. An etiam Synodi Galliarum, tum veteres, tum recentes, d.4. per totam. An conſtet ex Reſcriptis Romanorum Pontificum ad Epiſcopos Galliæ, d. 5. per totam. An ex conſenſu communi DD. Academiæ Pariſienſis vſque ad annum 1662. d.6. per totam. Quàm pauci ex ijs illam negaverint, & quid de eorum opinione reliqui ferè omnes ſentiant, d. 7. per totam. An tradita fuerit, & credita à tota Eccleſia Catholica primis quinque ſæculis Eræ Chriſtianæ, d.8. per totam. An in alijs quinque poſterioribus, d. 9. per totam. An fuerit definita in VIII. Synodo Generali, d.9. ſect. 5. per tot. An credita & tradita ab Eccleſia ſæculo vndecimo, & ſeq. vſque ad noſtra tempora, d. 10. & ſeq. vſque ad d.18. An certa ſecundùm fidem ex vi teſtimoniorū Scripturæ, d.22. per totam. Qua cenſura inuratur à Patribus opinio negans auctoritatem infallibilem Romano Pontifici, ſimiliterque à cæteris ferè Doctoribus, d. eadem 22. ſect. 1. An eadem auctoritas certa ſit ex traditione Apoſtolica, d.23. per tot. An denique ex definitionibus Conciliorum Generalium, d.24. per totam. Quonam ſenſu ſit infallibilis, & talis à nobis cum communi ſententia aſſeratur, d.25. per totam. An colligatur ſatis ex privilegijs à Deo conceſsis B. Petro, d. 26. An aliquis Romanorum Pontificum vſque modò erraverit in definitionibus ex cathedra prolatis, d.27. & ſeqq. per totas vſque ad 34. Auctoritas Epiſtolarum Decretalium, quanta ſit, & qualiter accipienda, d.30. ſect. 2. 3. 4. & 5. latè. Auctoritas Romani Pontificis ſupra Reges, Imperatoreſque, & poteſtas ad eos excommunicandos, immò & abdicandos propter hæreſim, ſtabilitur latè, d.35. per totam. An illa ſit ſupra Concilia Oecumenica, d.15. 16. & 36. per totas. An ſit reſtringendus eius vſus iuxta Canones vniverſales Conciliorum, vel peculiares Regnorum, aut certarum Eccleſiarum, d.37. per totam. An in opinione negante auctoritatem infallibilem R. Pontifici ad definiendum, lateat aliquid veneni contra auctoritatem Conciliorum Vniverſalium, d.39. per totam.

S. Auguſtinus, clariſsimum Eccleſię, & Theologiæ lumen, ſæpè allegatur toto Opere contra Declarationem Cleri Gallicani: pręſertim verò d.8. n.2. & 62. Hęreſim Prædeſtinatianam non fuiſſe ortam ex doctrina ipſius, ſed ex prępoſtera, aut rudi interpretatione aliquorum, d. 8. ſect. 8. latè. per tres ſubſectiones. Plurima eius teſtimonia expenduntur. Ibid. Plura alia d. 10. n.22. 31. 32. 33. Aliqua pro innocentia S. Marcellini Papæ,

d.28. n.6. & ſeqq. Denique allegantur quam plurima ipſius teſtimonia toto Opere, præſertim d.41. & 43.

Auguſtini Triumphi laus & teſtimonia contra Declarationẽ Gallicanam, d.14.n.30.

S. Auitus Viennenſis in Gallia Epiſcopus ſuo & totius eius Regni nomine agnoſcit auctoritatem infallibilem in Romano Pontifice, d.3. num.6.

Auſtriacæ Domûs Auguſtæ & Regiæ teſſera, Religio Catholica, d.35. n.116.

B

Baius propoſitiones plurimas edidit damnatas à Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. d.1.n.5. Earum damnationem humiliter, & reverenter ſuſceperunt DD Lovanienſes: ſed poſtea aliqui ex ijs videntur quaſdam inſtauraſſe, d.1. n.5 & 6. Idque contra religionem iuramenti, quo ſe adſtrinxerunt. Ibid. An idem Baius cenſuerit iudicium Apoſtolicæ Sedis eſſe irreformabile, d.18. ſect 1. Ceſsit humiliter iudicio illius. Ibid. n.2. Deterior eſt cauſa ſequacium Baij, & Ianſenij, quàm utriuſque illorum, d. 19. ſect. 3. per totam. Vide *Ianſenius*.

Baptiſmi forma an tradita fuerit à Nicolao I. Papa contra definitiones præcedentes Pontificum Pelagij, & Zachariæ, d. 30. ſect. 4.& 5. latè.

Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis Græcus ſæpè allegatur cum laude, præſertim, d. 45. num. 12.

Baronius Cardinalis lumen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ citatur ſæpè ſępiùs toto Opere.

Baſileenſe Concilium fuit origo Bituricenſis Conventûs erratici, d.11. num.143. Illius Acta contra Eugenium IV. & Apoſtolicam Sedem refutantur latè, d.15.16.& d.36.

S. Baſilij Magni, & Coepiſcoporum verba obſervanda ad Pont. Romanum. d.8. n.47. Citantur & plurima alia ipſius teſtimonia, præſertim, d.43.

Baſilius Macedo Imperator Orientis timuit gladium excõmunicationis, d.35. n.65.

Bedæ loca pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ, d. 9. num. 22. Quo anno obierit, d.30. num.50.

Beguardorum, & Beguinarum ſecta quęnam, & quando damnata, d.14. n.6. & ſeqq.

Bellarminus Cardinalis citatus ſæpiſsimè, & laudatus decurſu Operis.

Benedictus XI. Papa definivit animas ſufficienter purgatas frui ſtatim viſione Dei, d.14. n.13.

Benno pſeudo-cardinalis ſchiſmaticus reprehenditur, & confutatur, d.28.n.26.& 27. & d.31. num.7. ac ſeqq.

Berengarius Hęreſiarcha ſæpè relapſus, & in varijs Concilijs damnatus; quòd negaret veram pręſentiã Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, d.10. n.4.5.6.& 7. Sectariorum recentium prodromus in ea parte, & in commercio cum malo genio. Ibid.n.7. Reſipuit verè, ac tandem. Ibid. n.5.

Bernabovis tyranni Mediolanenſis matrimonium an ſolutum fuerit ab Vrbano V. & quo iure, d.32. n. 16. & ſeqq.

S. Bernardus Abbas Claravallenſis, Vir omni laude maior, decus Galliarum, & totius Eccleſię, laudatur ſæpè, & allegatur in decurſu Operis pro doctrina contraria Declarationi recenti Gallicani Cleri. Vide præſertim d.3. n. 10. & d.12. n. 11. 16. 43. 44. 45. & d.26. n.3. & d.37. n.35.

Bertholdi Conſtantienſis Hiſtorici fideliſsimi & pij teſtimonium pro Gregorio VII. d.31. n.38.

Bertrandus Cardinalis in Gallia, inſignis defenſor libertatis Eccleſiaſticæ, laudatur ſępè, præſertim, d.11. n.141. & d.14. n.34. & d.35. n.33. & 50. Vbi invenies illuſtria eius teſtimonia, præſertim de poteſtate Papæ ſupra Reges, & Principes quoſlibet.

Beſſarion Cardinalis doctiſsimus Græcorum, qui convenerunt ad Concilium Florentinum, citatur ſępè, & laudatur, præſertim d.43. varijs locis.

Bibliotheca Magna Aniſſoniana an.1677. Lugduni edita, varijs locis allegatur.

Bituricenſis Conventus, ſeu Conciliabulum, quàm indignè, & irreverenter ſe habuerit erga Romanos Pontifices, teſte etiam Spõdano, d.16. n.43. Ortum duxit ex rebellione Patrum Baſileenſium contra Eugenium IV. Papam, & in eo plura ἀσύστατα, ac planè invicem pugnantia fuerunt tradita. Ibid. latè. Vide inſuper, d.17. & 36. contra Baſileenſes, & Bituricenſes.

Boleſlaus impius Poloniæ Rex, interfector S. Staniſlai, à Gregorio VII. Papa excommunicatus, & Regno privatus fuit, d.35. n.95. Quàm miſerè vitam finierit. Ibid.

S. Bonaventura primùm Pariſienſis Academiæ lumen, & deinde totius Eccleſiæ graviſsimus Doctor, quàm apertè docuerit, iudicium R. Pontificis pronuntiantis de fide eſſe infallibile, d.6. num. 15. & d. 13. num.41. 42. & 43.

Bongomilorum ſecta quænam, & quando damnata, d.12. n.4.

S. Bonifacius, Apoſtolus Germaniæ dictus, fuit Legatus Sedis Apoſtolicæ in Germania &c. d.9. n.18. Damnavit hęreſes Alberti, & Clementis. Ibid. Eius inſignis locus, d.15. n.13.

Bonifacius I. Papa accuſatus erroris à Centuria-

turia-

ſuriatoribus, defenditur, d. 30. n. 2. & 3.

Bonifacius II. Papa confirmavit Synodum Arauſicanam II. d. 8. n. 92. Teſtimonium ex quadam Epiſtola ipſi adſcripta, d. 9. n. 6. Delegit ſibi Succeſſorem Vigilium Diaconum: verùm poſtea id correxit, d. 37. n. 6.

Bonifacius VIII. Papa vindicatur à calumnia & nota hæreſeos, d. 32. n. 13. Vbi plura obiter de ipſo, & de perſecutionibus illatis à Philippo Pulchro Galliarum Rege. Eius Conſtitutio Extravagans, *Vnam ſanctam*, explanatur, d. 33. n. 22. Nihil in ea definitum eſt, quod opponatur doctrinæ traditę ab Innocentio III. Ibid. Quid tandem acciderit Philippo poſt perſecutiones Bonifacij, d. 35. n. 99. Nonnullæ eius laudes, Ibidem.

Bruno Abbas Caſsinenſis, & Epiſcopus Siguinus, allegatur varijs locis contra Inveſtituras de manu Laicorum, d. 12. n. 6. 7. 17. & 42.

Busbequij Legati Cęſarei ad Regem Chriſtianiſsimum Henricum III. notabile teſtimonium de rebus Gallicis, d. 11. n. 144.

Bzovius ſæpe citatur.

C

Cabaſſutius recens, & eruditus Galliarum ſcriptor laudatur ſæpè varijs locis: ſed præcipuè, d. 7. num. 6. & d. 16. num. 47. & d. 22. num. 7.

S. Cæleſtini Papæ celebris Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum expenditur, d. 5. n. 16. Varia eius teſtimonia, & acta vrgentur contra Declarationem Gallicanam, d. 8. n. 51. 52. 53. 54. & 55. Vindicatur à calumnijs hęreticorum, d. 29. n. 4. & 5.

Cæleſtinus III. an erraverit tradens matrimonium ſolvi per hæreſim, d. 32. n. 4. & 5.

Cæſari quo ſenſu præcipimur reddere quæ ſunt Cæſaris, & quæ Dei Deo, d. 34. ſect. 9. per totam, & rurſus ſect. 10. n. 118. & 119.

S. Calliſti I. Papę Reſcriptum ad Galliarum Epiſcopos, d. 5. num. 4. Aliud teſtimonium ipſius notabile, d. 8. num. 19. & d. 13. num. 13.

Calliſtus II. Papa celebravit Concilium IX. Generale, aliàs Lateranenſe I. pręſertim contra inveſtituras Principum, d. 12. n. 33. Qua verborum formula Henricum V. euſque rebellantem, in gratiam admiſerit. Ibid. num. 35.

Canones Conciliorum plurimi explanantur, & illuſtrantur decurſu Operis: ſpeciatim verò Canones Concilij Nicęni, d. 24. & 37. Concilij Conſtantienſis, d. 15. 16. & 36. per totas. An iuxta Canones, ſive Vniverſales Conciliorum, ſive peculiares Regnorum aut Eccleſiarum, moderandus ſit, & reſtringendus vſus auctoritatis Pontificię, d. 34. ſect. 4. & d. 37. per totam. Canonum, & conſuetudinum Eccleſiæ mutationes, aut moderationes factę ob neceſsitatem, aut malignitatem temporum, d. 34. n. 33. & d. 37. ſect. 3. per totam. Sub prætextu Canonum ſervandorum, litem intentarunt Pontificibus Romanis Eutychiani, & Acaciani, deinde Photius in Græcia, & Hincmarus in Gallia, d. 37. ſect. 2. per totam. Canon quidam Concilij Sardicenſis an revocatus in Concilijs ſeqq. d. 37. n. 3. 18. & 19. In Canonibus Apoſtolorum an Papa arbitrare, aut diſpenſare poſsit, d. 37. n. 40. & 42. Qualiter Græci cum Photio ad tuendos ſuos errores, ſive impunitatem obtinendam, allegarent Canones, d. 41. ſect. 2. latè.

Canoniſtæ communiter cenſent, definitiones Pontificum independenter à Concilio Oecumenico eſſe omnino certas, & irreformabiles, d. 7. ſect. 3. per totam. Iidem docent, Pontificem eſſe ſuperiorem Concilio Oecumenico. Ibid. & d. 36. n. 24. ac ſæpè alibi. Frequenter opinantur, Papam habere poteſtatem temporalem directam in Regna, & Imperia, d. 35. n. 104. Eandem tradunt aliqui ex Theologis & Iuris Civilis Doctoribus. Ibid. Contraria eſt longè communior, d. 35. num. 107.

Capitularia Caroli Magni, & Ludovici Pij, varijs locis citantur, & explanantur: præſertim, d. 4. n. 13. & d. 37. n. 20.

Caroli Cardinalis à Lotharingia opinio de libertatibus Gallicanis confutata, d. 34. num. 10. & ſeqq.

Carolus Caluus Rex Francorum. Eo regnante varia Concilia in Gallijs habita, in quibus agnoſcitur ſumma & infallibilis auctoritas Romani Pontificis, d. 4. n. 18. Ob vſurpationem bonorum Eccleſiæ reprehenditur ab Adriano II. Papa, eiuſque obiurgationes humiliter excipit, d. 35. num. 30.

Carolus de Abra de Raconis Epiſcopus in Gallia nuper egregiè pro primatu, & auctoritate ſuprema Sedis Apoſtolicæ ſcripſit, d. 35. n. 100. & d. 39. n. 3.

Carolus Magnus Principum exemplar mirum, Rex Francorum, & poſtea Imperator, laudatur, & celebratur ſæpè. Adfuit Concilijs Ratiſponenſi, & Francofordienſi, in quibus damnata eſt hæreſis Felicis Epiſcopi Vrgellitani, d. 4. n. 9. & 10. Quantum veneratus fuerit Romanos Pontifices, & in ijs Leonē III. quomodo etiam illū de rebus dubijs conſuluerit. Ibid. n. 11. 12. 13. 14. 15. & d. 22. n. 13. Eximię eius laudes, & inſignia merita in Eccleſiam Romanam, d. 11. n. 107. An Adrianus I. Papa ipſi conceſſerit ius eligendi Romanum Pontificem, d. 33. n. 25. & 23. Dignitas Impe-

patoria illi acceſsit præter omnẽ ſui expectationem ex nutu & electione libera Leonis III. Papæ, d.35.n.25.54.& 55. Subiectio illius, & obedientia mira in Sedem Apoſtolicam. Ibid. Multo antequam coronaretur Imperator à Leone III. Pontifices plenum ius temporale Romanæ ditionis habebant, d.35.n.111.

Carolus Martellus Regio nomine adminiſtrans Galliam, & innumeris victorijs, atque obſequijs in Sedem Apoſtolicam clarus, ob invaſionem iurium, & bonorum Eccleſię peſsimè audijt, d.11. n.205. fine.

Carolus V. Maximus, Germaniæ Imperator, & Hiſpaniarũ invictus, ac Glorioſiſsimus Rex, quantum veneraretur Sedem Apoſtolicam, & Romanos Pontifices, d.35. n.35.

Canus. Vide *Melchior Canus.*

CATHEDRA S.PETRI oſtenditur Infallibilis in ſuit definitionibus Tract I. per totum. Vindicatur ab obiectionibus toto Tractatu II. Munitur contra Declarationẽ Gallicanã quoad ſingula eius Capita toto Tractatu III. Oſtẽditur ſuperior omnibus Concilijs, etiam Oecumenicis, d.15.16.& 36. per totas. Defenſa ab Anſelmo contra rebelles, præſertim Græcos, Tract. Append. ſeu IV. integro.

Cauſæ maiores referuntur ad Sedem Apoſtolicam ex ſolemni Eccleſiæ more, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retinerĩ pro iure ſuo poſtulat. Hæc ſunt verba Epiſcoporum Galliæ ſcribẽtium ad Innocentium X. d.21. n. 6. Eadem doctrina apertis teſtimonijs Pontificum & Conciliorum ſæpiſſimè confirmatur toto Opere: præſertim d.8. 23.24. & 36.

Cauſæ, & principij ratio, an locũ habeat inter divinas perſonas, d.43.n.186.& ſeqq. latè.

Cenſura Patrum, & Doctorum ferè omnium adverſus theſes contentas in Declaratione Cleri Gallicani, d.7. ſect. 2. & 3. inſuper d.22. ſect.1.& d.16.ac 27.& d.35. ſect.2. & d.40. ſect.3.

Centuriatores Magdeburgenſes dum accuſſant erroria & hæreſis plurimos Romanos Pontifices, nec Divis quidem parcunt, ne quidem S.Petro Apoſtolo, d.27.n.2. Varia illorum argumenta, ſeu potiùs ſophiſmata impudentiæ plena, obijciuntur, & ſolvuntur, d.27. & ſeqq. vſque ad d.34.

Cerdo Hęreſiarcha, & alij plures ſecundi ſæculi, quando & qualiter damnati, d.8.n.10.

Ceſsio iurium Eccleſiæ nuper facta ab Epiſcopis Galliarum in gratiam Chriſtianiſsimi Regis, qualis fuerit, d.11.n.144.145.& 146. Quid de ea ſentiendum, & qualiter declarata fuerit irrita ab Apoſtolica Sede, d.11.n.147. 148. & 149.

Childericus Gallię Rex. Vid. V. *Hildericus*.

Chriſtianus Lupus, doctiſsimus Conciliorũ Scholiaſtes, ſępe citatur decurſu Operis.

Chriſtus D. vt homo, an habuerit poteſtatem temporalem in Regna mundi: ac proinde illam contulerit B.Petro, eiuſque Succeſſoribus, d.35. ſect.9. per totam.

Chronica Luitprando, Dextro, Maximo, Helecæ, Iuliano, Hauberto Hiſpalẽſi & Liberatõ à Recentioribus adſcripta, & Scholijs explanata, an fidem mereantur, d.9.n.57. & 58.

Chryſoſtomus quando obierit, d.8. n.59. Eius teſtimonium pro auctoritate Sedis Apoſtolicę, d.8.n.59. & d.26.n.3. Qualiter S.Innocentius I.Papa ob eius perſecutionem iniquam excõmunicaverit Arcadiũ, & Eudoxiã, alioſque, & qua verborũ formula, d.35.n.62. Celebrans Miſſæ ſacrificium, quàm frequentibus, & divinis viſionibus illuſtraretur, d.27. n.16. Vt ipſum reſtitueret Sedi ſuæ non dubitavit S. Innocentius I. Papa plures Orientis Epiſcopos cõmunione interdicere, d.37.n.34.

Circuminſeſsio, Grecè περιχώρησις, divinarum perſonarum, quid ſit, d.43.n.29.& ſeq.

Claudius Taurinenſis propagator hæreſeos Iconomachorum in Gallia, damnatus à Paſchali I.Papa, d.9. n.24. & 25.

Clemens VI. doctiſsimus, & admiranda memoria preditus, d.35.n.100. Exauctoravit Ludovicum Bavarum, & Imperio deiecit. Ibid.

Clemens VII. Papa quo elogio decoraverit Salmanticenſem Academiam, d.7.n.17. fine.

Clerus Gallicanus Illuſt. Pariſijs congregatus anno 1682. die Martij 19. quam Declarationem ediderit circa Eccleſiaſticam poteſtatẽ, d.1.n.12. vſque ad 20. An ea Declaratio ſit cõtraria ſenſui communi Epiſcoporũ Galliæ expreſſo in binis litteris ipſorum ad Innocentium X. d.2. per tot. vbi & litteræ ipſæ exſcribuntur, expenduntúrque, veluti cõtrariæ recenti Declarationi. Ibid.n.12.& ſeq. Evaſio quædã præcluſa, & multipliciter refutata, d.2. n.19.& ſeqq. Exceptio aliâ veroſimilior, exploditur latè. Ibid.n.28.& ſeqq. Cleri eiuſdem Declaratio, quatenus negat auctoritatẽ infallibilem Romano Pontifici, an ſit contraria priſcis Patribus Eccleſiæ Gallicanæ, d.3. per tot. An adverſetur Synodis Galliæ antiquis, & recẽtioribus, d.4. per tot. An repugnet decretis, & reſcriptis Pontificum Romanorum ad Epiſcopos Galliæ, d.5. per tot. An contradicat veteri, & communi doctrinę inſignis Scholæ Pariſienſis, d.6. per totam. An repugnet communi Doctorum ſenſui; tam Theologorum, quàm Canoniſtarum, d.7. per tot. Oſtenditur, illam repugnare etiam Gerſoni, ſeu nullum in eo pręſidium habere, d.7. n. 26. An Clerus ipſe in litteris ad Innocentium X. 19. Iulij 1653. verè, & ſapienter teſtatus fuerit ex

ſenſu

ſenſu Veteris Eccleſiæ Catholicæ, definitiones Romani Pontificis in rebus fidei & morū eſſe infallibiles, d.8. per ſeptē integras ſectiones. An ea propoſitio nupera Cleri Gallicani negantis auctoritatē infallibilē Romano Pontifici ſeorſim ac per ſe definienti, ſit contraria ſenſui cōmuni Eccleſiæ, Conciliorū, & Patrū expreſſo in quinque ſæculis poſterioribus primi millenarij Eræ Chriſtianæ, d.9. per totam. An etiā contraria ſit ſenſui Eccleſiæ, Conciliorū, Patrumque ab initio poſterioris millenarij vſque ad hæc noſtra tēpora, d. 10. & ſeq. per totas vſque ad d.18. Quā immeritò abutatur teſtimonijs Cōcilij Conſtantienſis ad deprimendā auctoritatē Papæ certi, & explorati, d.15.16. & 36. latè. An ea opinio Cleri de iudicio fallibili Papæ ſit contraria teſtimonijs Scripturæ, d.22. per totam. An traditionibus Apoſtolicis, d. 23. An doctrinæ definitæ in Cōcilijs Generalibus, d.24. per tot. An in eadem Declaratione edita an. 1682. iure merito præferantur Libertates Gallicanæ, veluti peculiares eius Nationis, & Eccleſiæ, d.34. per totam. Quàm malè in ea negetur Apoſtolicæ Sedi poteſtas ſuprema ad abrogādos Reges & Principes propter hæreſim, d.35. per tot. Quā fruſtra & extra rē ea Theſis edita fuerit, Ibid. n.116. Quàm immeritò innovatū paradoxon de auctoritate Papæ ſupra Conciliū, d.36. per totam. Quo ſenſu accipiēdum, aut reijciendū, quòd vſus Pontificiæ poteſtatis ſit moderandus iuxta Canones, d.37. per totam. An iure merito Clerus declaret, valere regulas, mores, & inſtituta recepta in Gallijs, d.38. per totam. An in Theſi, qua negat Romano Pontifici iudiciū irreformabile in quæſtionibus fidei, lateat quidquā veneni contra auctoritatem Cōciliorum Vniverſaliū, d.39. per tot. A quibus Patribus accipere potuerit Clerus doctrinam eius Declarationis, d.40. per tot. Oſtenditur, illā ſolū accipi potuiſſe ab Ochamo, & deinde à Baſileenſibus, & Bituricenſibus, Ibid. Cleri Gallicani Epiſtola recens ad Innocētium XI. d.11. ſect.5. n. 47. & ſeqq. latè vſque ad 67. Expenditur latè, d.11. ſect.7. & 8. per totas. Reſcriptum eiuſdem Innocentij ad Clerum, cum notis & obſervationibus varijs, d. 11. ſect.8. & 9. Antiſtites Gallicani nova ceſſione iurium Eccleſiæ in Regem, videntur induxiſſe ſervitutem Clero, & nec Regi, nec Regno conſuluiſſe, d.11. ſect.11. & 16. latè.

Concilia ferè omnia, aut pleraque ex iis, præſertim iuxta noviſsimam editionem Labbeanam, diſtribuuntur per varia ſæcula, & allegantur contra Declarationem Gallicanam, Tract.I. d.4. & deinde d.8. & ſeqq. vſque ad d.25. ac rurſus ſparſim citantur innumera ferè eorum loca, expenduntùrque in progreſſu Operis vſque ad finem.

Concilia Africana tempore S. Auguſtini celebrata adverſus Pelagium, d.8. n.50. & 51. Alia Concilia Africana tempore S. Damaſi Papæ, & notanda verba illorum de Privilegio Romanæ Sedis, d.8. n.43.

Concilium Alexandrinum contra Arium, & Sabellium tempore S. Sylveſtri Papæ coactum anno 319. d.8. n.32.

Concilia Anglicana citantur ſæpè. ſed potiſsimum veſtigatur illud quod ſub Theodoro Archiepiſcopo celebratum eſt, & à Zacharia Papa refertur Canone *In Synodo* de Cōſecratione diſt.4. Vide d.30. ſect.5. latè.

Concilium Antiochenum duplex contra Paulum Samoſatenum tempore S. Dionyſij Papæ, & Martyris, d.8. n.23.

Concilium Apoſtolorum circa legalia, quando & quomodo celebratum, d.26. ſect.2. & d.27. ſect.1.

Concilium Aquiſgranenſe ſub Leone III. & Carolo Magno, quale, d. 44. n. 16. 23. & 24.

Concilium Arauſicanum II. quando celebratū, & quid in eo definitū ſit Canone. 25. d. 8. n. 70. Eadem doctrina confirmata in Concilio Valentino anno 855. & tandem in Tridentino. Ibid. n.71. Priùs verò à Bonifacio II. Papa, d.8. n 92.

Concilium Barenſe ſub Vrbano II. contra Græcos, præſente S. Anſelmo, d.42. ſect.4. & d.43. n.17. 18. 294. & 296.

Concilium Baſileenſe quale, & cuius auctoritatis. Initio fuit legitimum, ſed paulò poſt tranſijt in Conciliabulum: idque oſtenditur ex Actis eius, d. 16. & d.36. latè.

Concilium Cæſareenſe, aliàs Palæſtinum, communiter dictum, *primum poſt Apoſtolorum tempora*, tempore S. Victoris Papæ, & Martyris celebratum, anno circiter 197. aut 198. d.8. n.17.

Concilium Romanū, itemque Ponticū, eodē Pontifice, adverſus Quartadecimanos. Ibid.

Concilium Chalcedonenſe. Vide *Concilium IV. Oecumenicum.*

Concilium Conſtantienſe. Vide V. *Concilium XVI. Oecumenicum.*

Concilia Conſtantinop. Vide *Concilium Oecumenicum II. V. VI. VII. & VIII.*

Concilium Epheſinum. Vide *Concilium III. Oecumenicum.*

Concilium Florentinum. Vide *Concilium XVII. Oecumenicum.*

Concilia Lateranenſia. Vide *Concilium Oecumenicū IX. X. XI. XII. & XVIII.*

Concilia Lugdunenſia. Vide *Concilium Oecumenicum XIII. & XIV.*

Concilium Tridentinum. Vide *Concilium XIX. Oecumenicum.*

Concilia Galliarum vetera, & recentiora an tradiderint auctoritatem infallibilem Romani Pontificis definientis de fide, & moribus. d. 4. per totam. Concilium antiquiſſimum Galliæ tēpore S. Eleutheri Papæ. Ibid. n. 2. Aliud poſterius contra Quartadecimanos. Ibid. Lugdunenſe ſub Stephano I. Papa. d. 4. n. 3. Aliud ſub Cęleſtino I. contra Prædeſtinatianos, teſte Hincmaro Rhemēſi. Ibid. n. 4. Arelatēſe ſub S. Leone Magno Papa. n. 5. Arauſicanum II. ſub Felice IV. Papa d. 4. n. 6. Confirmatum à Bonifacio II. Ibid. Aurelianenſe IV. & V. illud ſub Vigilio Papa, iſtud ſub Ioanne III. celebratum. Ibid. n. 7. Compendienſe ſub Paulo I. n. 8. Ratiſponenſe ſub Adriano I. n. 9. Francofordienſe ſub eodem, & præſente Carolo Magno. d. 4. n. 10. & 11. Aquiſgranenſe anno 799. Ibid. Moguntiacū anno 813. imperante eodem Carolo. Ibid. n. 15. Concilia Francorum tempore Ludovici Pij Imperatoris: Attiniacenſe anno 822. d. 4. n. 16. Pariſienſe anno 824. Vvormatienſe anno 829. Concilia Francorum ſub Carolo Calvo: Vernenſe anno 844. Pariſiēſe 846. Turonenſe IV. anno 849. Pontigonenſe anno 876. d. 4. n. 18. Francofordienſe ſub Adriano I. anno 794. contra hæreſim Felicis, & Helipandi, & plura circa illud obſervata d. 9. n. 18. ac 21. Varia alia Concilia Gallicana, quibus nota inuritur doctrinæ contentę in nupera Declaratione. d. 22. n. 10. 11. 12. 14. & 15.

Concilia Galliarum ſæculi decimi, Meldenſe tempore Ioannis XII. Papæ, Rhemenſe anni 975. ſub Benedicto VII. Meſſonēſe 995. ſub Ioanne XV. Rhemenſe aliud, itemque San-Dionyſianum eodē anno. d. 4. n. 19. Concilium aliud Rhemenſe ſæculo vndecimo celebratum, tempore S. Leonis IX. Papæ anno 1049. Ibid. Lugdunenſia ſæculo duodecimo contra Inveſtituras de manu Laicorum. d. 11. n. 8. 9. & 10. Viennenſe, & Rhemenſe ſimiliter annis 1112. & 1115. contra illas d. 11. n. 28. & 47. Plura alia vetera Concilia Galliarum ſæpe citantur.

Concilia Galliarum recentiora, in quibus eadem auctoritas ſumma Pontificis ex cathedra definiētis ſtabilitur. d. 4. n. 20. & ſeqq. Senonenſe, aliàs Pariſienſe anni 1528. Ibid. & latiùs multo. d. 17. n. 46. & 47. Rhotomagenſe anni 1581. d. 4. n. 21. Rhemenſe 1583. n. 22. Burdigalenſe, & Turonenſe eodem anno celebrata. Ibid. n. 23. & 24. Bituricenſe anni 1584. n. 25. Aquenſe anni 1585. n. 26. Citantur plura alia Conciliorum Gallię teſtimonia longa indicatu.

Concilia Oecumenica congregare, quando expediat, vel neceſſarium videatur. d. 33. n. 11. & ſeqq.

Concilium Oecumenicum nullum fuit tribus primis ſæculis, & tamen intra ea plurimę hæreſes à Sede Apoſtolica damnatæ ſunt, tota Eccleſia ſubſcribente. d. 8. ſect. 1. 2. & 3. per totas. Nullum eorū eſt irreformabile niſi confirmetur à Sede Apoſtolica. d. 8. n. 38. An ſit ſupra Papam certum, & indubitatum. d. 15. 16. & 36. per totas. An in Concilijs Oecumenicis definita fuerit auctoritas infallibilis Romani Pontificis in pronuntiando de fide, & moribus. d. 24. per totam. An Pontifex poſſit moderari, reſtringere, interpretari, aut diſpenſare in Canonibus Conciliorum Vniverſalium. d. 34. ſect. 4. & d. 37. per totam. An in opinione negante auctoritatem infallibilem Romano Pontifici, lateat aliquid veneni contra auctoritatem infallibilem Conciliorum Vniverſaliū. d. 38. per totam. An in aliquo ex primis octo Concilijs Oecumenicis fuerit definita proceſsio Spiritus S. ex Filio. d. 42. ſect. 1. & 2. In quonam Concilio primùm addita fuerit Symbolo particula FILIOQVE. d. 44. per totam.

Concilium I. Oecumenicum qualiter celebratū, pręcipuè contra Ariū, an. 325. ſub S. Sylveſtro Papa, & Conſtantino Magno præſente, cōgregatis in eo Viris graviſsimis, & ſanctiſſimis. d. 8. n. 34. Cur multarū hæreſum præcedentiū nulla mentio in eo facta fuerit. Ibid. n. 39. Veſtigantur plura circa Canones eius Cōcilij. d. 8. n. 42. & d. 24. ſect. 1. per tot. Quanta eius auctoritas. Ibid. & d. 37. ſect. 1. Concilium Sardicenſe fuit illius veluti appendix. Ibid. n. 3. Quidā eorum Canones explanantur contra Declarationem Gallicanam. Ibid. Alij ſimiliter. d. 37. n. 28. & 29.

Concilium II. Oecumenicum apud Conſtantinop. an. 381. Cur non fuerit celebratum pręſentibus Legatis S. Damaſi Papę. d. 8. n. 34. & ſeq. An in eo definita fuerit proceſsio Spiritus S. ex Filio. d. 42. n. 2. & 3. Patres eius Synodi vindicantur à calumnijs veterum hæreticorum, criminantium novum Symbolum ibidem editum. d. 44. ſect. 2. latè.

Concilium III. Oecumenicum Epheſi congregatum an. 430. ſub S. Cæleſtino Papa adverſus Neſtorium. d. 8. n. 52. Plura circa eius Acta obſervantur. Ibid. & n. 53. 54. & 55. & d. 10. n. 33. An in eo definita fuerit proceſſio Spiritus S. ex Filio, quatenus in eo probata eſt Epiſt. S. Cyrilli ad Neſtorium. d. 42. n. 4. & ſeqq. latè.

Concilium IV. Oecumenicum Chalcedone coactum, an. 451. ſub S. Leone I. Papa, teſtatur S. Petrum eius ore locutum fuiſſe. d. 2. n. 17. duplicatn. Plura obſervata circa illius Acta. d. 8. n. 56. & 57.

Concilium V. Oecumenicum Conſtantin. cele-

celebratũ anno 553. & plura obſervata circa illius Acta, d.9.n.2. Initio fuit nullum, donec tandem confirmatũ fuit, vel à Vigilio Papa, vel à S.Gregorio Magno. Ibid. D.Petrus Marca detexit, edíditque Epiſtolam Vigilij confirmantis eam Synodum, d.40.n.

Conciliũ VI. Oecumenicũ ſub S. Agathone Papa annis 680. & 681. celebratũ contra Monothelitas, & plura circa illud obſervata, d.9.n.9.10. 12.13.14. 16. An in eo definita fuerit auctoritas infallibilis Romani Põtificis, d.9.n.40. An in ea Synodo definita fuerit proceſsio Spiritus S. ex Filio, d.42.n.10. An addita fuerit Symbolo particula *FILIOQVE* in ea Synodo, d.44.n.7. & ſeqq.

Conciliũ Quini-Sextum apud Conſtantinop. coactũ anno 692. aut 707. tempore Sergij I. Papæ, & Canones in Trullo editi, an ſint alicuius auctoritatis, d.9. n.11.

Concilium VII. Oecumenicũ, aliàs Nicænũ II. anno 787. celebratũ ſub Adriano I. Papa, præcipuè pro ſacris Imaginibus, d.9.n.19. Plura circa illud obſervata. Ibid. & n.20. ac 21. Prohibuit Principibus Inveſtituras, d.11. n.34. Eius Canones non fuere confirmati, niſi quoad doctrinam, ſive decretum de fide quoad cultum ſacrarum Imaginum. Ibid. Quantum eidem decreto reſtiterint multi ex Epiſcopis Gallicanis, idque multo tempore, d.37.n.14. & ſeqq. ac d.39.n.10. & ſeqq. An in ea Synodo definita fuerit proceſsio Spiritus S. ex Filio, d.42.n.12. An ibidẽ addita fuerit Symbolo particula *FILIOQVE*, d.44.n.7. & ſeqq.

Concilium VIII. Oecumenicũ Conſtantinop. celebratũ anno 869. ſub Adriano II. Papa, d.9.n.34. An in eo definita fuerit auctoritas infallibilis Romani Pontificis, & plura alia circa eam Synodum obſervata. Ibid. latè uſque ad n.40. Quid in eo decretũ circa Inveſtituras de manu Principũ laicorum, d.11.n.23. An in ea Synodo definita fuerit proceſsio Spiritus S. ex Filio, d.42. n.14. & 15.

Conciliũ IX. Oecumenicũ, id eſt Lateran. I. Romæ celebratum à 997. Patribus anno 1122. ſub Calliſto II. Papa, nullã hæreſim eius ſæculi damnavit, & cur, d.12.n.7. & 33.

Conciliũ X. Oecumenicũ, aliàs Lateran. II. ſub Innocentio II. anno 1139. cui inter fuere mille circiter PP. vix aliquã hæreſim damnavit, niſi vnicã Arnaldi de Brixia, d.12. n.37.

Conciliũ XI. Oecumenicũ, aliàs Lateran. III. ſub Alexandro III. anno 1179. quas hæreſes damnaverit, d.12.n.38. & 39.

Concilium XII. Oecumenicũ, aliàs Lateran. IV. ſub Innocentio III. anno 1215. conſtans Patribus bis mille ducentis duodecim, quas hæreſes damnaverit, d.13. ſect.1. per 101. Expenditur eius doctrina pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ, Ibid. n.122. Hæreſes in eo dãnatæ, & decretum de Fide Cathol. Ibid. Eius cap.5. expenditur, d.13.n.37. & 38.

Conciliũ XIII. Oecumenicũ, aliàs Lugdunenſe I. ſub Innocentio IV. anno 1244. nullam hæreſim damnavit, & cur, d.13.n.20. In eo abrogatus fuit ab Eccleſia Fridericus II. Imperator, &c. d.35.n.97. Vide plura ibid.

Concilium XIV. Oecumenicũ, alias Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. Papa anno 1274. Eius Canon 21. expenditur, d.11.n.109.

Concilium XV. Oecumenicũ, aliàs Viennenſe in Gallia celebratum à Clemente V. quas hæreſes damnaverit, & quid docuerit de auctoritate R. Pontificis ad definiendum, d. 14. ſect.1. per totam.

Concilium XVI. Oecumenicum, aliàs Conſtantienſe, celebratum tempore Schiſmatis, eiuſque Acta examinantur latè, d.15. 16. & 36. ferè per totas.

Concilium XVII. Oecumenicũ, aliàs Florentinum, ſub Eugenio IV. celebratum, expenditur quoad auctoritatem Summi Pontificis, d.9.n 38. 39. & d.15.n 31.32. & 33. ac d.36. n.3. & 4.

Conciliũ XVIII. Oecumenicũ, aliàs Lateranenſe V. ſub Leone X. anno 1517. celebratum, expenditur quoad auctoritatem Papæ, d. 35.n.34. & ſeqq. ac d.36.n.5. & ſeqq.

Concilium XIX. Oecumenicũ, aliàs Tridentinum, vltimum omnium hucuſque celebratorum, quid definierit circa auctoritatem Papæ in pronuntiando de fide, d. 15. n. 37. 38 & 39. Quàm indignè de illo loquantur, non modò manifeſti Sectarij, ſed & aliqui è Janſenianis, d.21.n.45. & 46.

Concilia Romana diverſa. Adverſus Quartadecimanos ſub S. Victore Papa & Martyre circa annum Chriſti 197. d. 8. n. 17. contra Novatianos ſub S. Cornelio P. & M. anno circiter 252. d. 8. n.22. Contra Donatiſtas ſub S.Melchiade P. & M. anno 313. n.30. Aliud ſub S.Sylveſtro Papa anno 324. contra Valentinum, & Sabellium, d. 8. num. 33. Aliud ſub S.Damaſo Papa anno 381. contra Pneumatomachos, d.8. n.34. Cur poſtquam damnati fuerunt ij à S. Damaſo, damnati etiam fuerint in Concilio II. Oecumenico eodem anno, Ibid. n.36. & 37. Aliud ſub S. Cœleſtino Papa anno 430. contra Neſtorium, d.8.n. 52. Aliud ſub Simplicio Papa anno 475. contra Timotheum Ælurum. Ibid. n. 58. Aliud ſub Felice II. Papa contra Acacium, & Petrum Fullonem anno 483. Ibid. Aliud contra eoſdem anno ſequenti. Ibid. Romanum anni 680. ſub S.Agathone Papa, contra Monothelitas, d.9. n.9. Aliud ſub Gregorio II. anno 726, contra Iconomachos, d.9. num. 20,

20. Aliud ſub Gregorio III. anno 732. contra eoſdem. Ibid. Concilia varia Romæ, & alibi contra hæreſim Berengarij, d. 10. n.4. 5.6.7.S. Gregorius VII. Papa decem Concilia Romæ celebravit contra hæreſes & varia ſcelera ſui temporis, d.10.n.18. Alia ſub Paſchali II. d.11.n.15.16.17. & 18. Alia denique plurima, & iudicatu prolixa, citantur decurſu Operis.

Concilium Sardicenſe Oecumenicum, fuit veluti appendix Nicæni I.d.37.n.3. Canō illius explicatur. Ibid.n.28.& 29.

Concilij Sinueſſani Acta an vera, an potius conficta à Donatiſtis, vel à quopiam alio. d.28.ſect.1. ferè per totam.

Concilij Sirmienſis Acta, in quo ſententia contra S. Athanaſiũ lata fuit, d.28.& ſeqq.

Concilia Toletana ſæpè allegantur, & exponuntur varijs locis huius operis. An Patres Concilij Toletani XV. ſupplicaverint ad Pōtificem Romanum, vt denuo examinaret propoſitionẽ aliquam ex cathedra damnatã à Sede Apoſtolica, d.25.ſect.2. ferè per totam.

Concilium I. Toletanum, quo tempore celebratum, d.42.n.27. In eo definita fuit primùm proceſsio Spiritus S. ex Patre, & Filio. Similiter tradita eſt in Cōcilijs Toletanis III. IV.VI.VIII.& XI.d.42.n.28.29 & 30. An rectè id factũ, an potiùs temerè. Ibid.n.31.& 32.

Concilium III. Toletanum primò omniũ addidit Symbolo Conſtantin. particulam *FILIOQVE*, & an iure, an potiùs temerè, d. 44. ſect.2. per totam.

Concilia alia plurima tum Provincialia, tum Nationalia, tum Oecumenica antè memorata, ſæpiſsimè citantur, aut expenduntur decurſu totius operis, præſertim celebrata in Gallia, quæ vix, aut difficillimè hoc loco indicari poſſunt.

Concordata in Gallijs ſuffecta loco Pragmaticæ Sanctionis, d.11. n.75. Qualis eorum abuſus in eo Regno, & quot mala inde ſequuta, d.11. n.81.& 82. ac d.34 n.28.

Confirmationis ſacramentũ impetitur ab hæreticis, veluti adinventũ ab Vrbano I. Papa: verùm aſſeritur tanquam à Chriſto inſtitutũ, d.27.n.33.34 35.36. Eius miniſter ordinari⁹, ſolus Epiſcopus. Ibid. n. 35. An S. Gregorius Magnus erraverit in permittẽda eius adminiſtratione Presbyteris Sardiniæ, d. 29. ſect.2. per tot. Vbi de illi⁹ miniſtro extraordinario.

Conſcientiæ ſtimulus, etiã in malis moribus inveteratis, pungit. d.38.n.12.

Conſiliarij Galliæ. Vide v. *Magiſtratus*.

Conſtantienſis Concilij Seſsio IV.& V. latiſsimè expenditur contra Declarationẽ Gallicanam, d.15.& d.16.& d.36.per tot.

Conſtantinopolitana Eccleſia non habet annexũ privilegiũ infallibilitatis: ideoq; ſæpè ſaltẽ magna ex parte cũ ſuis Patriarchis naufragium in fide fecit, d.26.n.15.16.17.

Conſtantinus Magnus repulit appellationem Donatiſtarum ad ſe à iudicio Melchiadis Papæ, d.8. n.30. Eius præclara ſententia in Concilio Niceno, d. 35. n. 23. Quid ſentiant Auctores de Donatione illius facta Pōtificibus Romanis, d.35.n.11.

Conſtantinus Pogonatus Imperator, quàm obediens erga Pontificẽ Romanũ, d.35.n.24.

Conſuetudines receptæ in Gallia & alijs Regnis, quo ſenſu probari, aut improbari debeant, d 38. per tot. Vbi plura & varia invenies. Quàm periculoſũ ſit probare vniverſim mores alicuius Regni, & quãto delectu id fieri debeat. Ibid. ſect.2. Aliquæ ſpeciatim conſuetudines in Gallia receptæ nequeunt probari. Ibid.n.12.

Coriolanus in Opere de Cōcilijs allegatur.

S.Cornelius Papa & Martyr, quas hæreſes damnaverit, d.8.n.23. Impetitur ab hæreticis, & defenditur, d.27.n.40.& ſeqq.

S. Cyprianus Epiſc. & M. ac Doctor clariſsimus ſæpè citatur, præſertim d.10,n.25. & 12.n.27. ac 28.& d.17.n.1. Qualis fuerit eius diſſenſio cũ S. Stephano Papa in quæſtione de rebaptizãdo; & qualiter in eo ſe geſſerit, d.33. n.5.6.7. & 8 atque iterũ d.41.ſect.1.latè.

S.Cyrilli Alexandrini illuſtria teſtimonia contra Declarationẽ Gallicanam vrgentur, d. 8.n. 60. De eius Epiſtola contra Neſtorium differuntur plura, d.42.n.4. & ſeqq. ac deinde n.17. & ſeqq & plura adhuc d.43.

D.

Damaſceni locus pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ, d.9. n. 23. Cognominatus fuit Chryſoroas propter auream, & fulgentẽ Spiritus S. gratiã, d.35 n.64. Ipſe cum Epiſcopis Orientalibus excommunicavit Leonem Iſaurum Imperatorem. Ibid. Damaſcenus non negavit Spiritũ S. procedere ex Filio, quidquid alij dicant, d.43 n.8.& ſeqq. latè.

S. Damaſus Papa prius damnavit hæreſim Pneumatomachorum Romæ, quàm ea in Synodo II. Oecumenica proſcriberetur, d.8. n. 35.& ſeqq. Idque profeſſus fuit Clerus Gallicanus in litteris ad Innocentiũ X. anno 1653. Ibid. Quantũ ipſi detulerint Concilia Africana, d.8. n. 43. Eius elogium in VI. Synodo Generali. Ibid. n.44. Ipſius Damaſi illuſtria teſtimonia contra nuperam Declar. Gallicanam. Ibid. Alia memorata in Concilio Lateranenſi vltimo ſub Leone X. d.16. n.34. poſt medium. An Damaſus definierit proceſſionem Spiritus S. ex Filio, d. 42. n. 11. An addiderit Symbolo particulam *FILIOQVE* in Concilio Romano, d.44.n 4.5.6.

Da-

David Papebrochius continuator magni Operis, cui inſcriptio Acta SS. laudatur, d. 28.n 3.

Declaratio recens Cleri Gallicani exſcribitur,d.1.n.14 & ſeqq. Impugnatur toto ferè decurſu Operis: præſertim d.2.& ſeqq. vſque ad d 25.& rurſus,d.34. & ſeqq. vſque ad 41. impugnatur ſingillatim quoad ſingula capita. Vide præterea d.17. n.12.13. 14. & 54. An illa habeat quidquam commercij cum aliquibus propoſitionibus damnatis Vvicleff, d.15. n.28 & 29. An etiam cum quibuſdam theſibus Lutheri.d.16. n.13 & 14. Quàm præter rem,& occaſionem edita fuerit, d.11. n 210. & d 35 n 115.& ſeqq vſque ad finẽ. An Illuſtriſsimi EpiſcopiGalliarũ illam acceperint à Patribus,an aliũde,d.40.per tot. Vide v. *Epiſcopi Galliarum*,& v. *Clerus Gallicanus*, & v. *Opinio*, & v. *Auctoritas*, & v. *Concilia* Galliarum.

Decreti, & Decretalium Epiſtolarũ quam plurima loca citantur, & illuſtrantur decurſu Operis. *Deſiderius* Abbas. Vide *Victor III.*

Dictatus S. Gregorij VII. Papæ. In quo ſententiæ,ſive definitiones ipſius viginti ſeptẽ breviores habẽtur,exſcribitur,d 35.n.93.

S.Dionyſius Alexandrinus,& S.Cyprianus qualiter ſegeſſerint cum S.Stephano Papa in quęſtione illa de iterando Baptiſmo, d. 35. n.5.& ſeqq.ac deinceps,d.41.ſect.1.latè.

S. Dionyſij Areopagitæ teſtimonia aliquot explanantur,d.8.n 9.

S.Dionyſij Papæ, & Martyris loca contra Declarationem Gallicanam,d.23.n.16.

Dionyſius Petavius,Vir eruditionis incõparabilis, Hebraicæ,Græcæ,& Latinæ,allegatur ſępiſsime decurſu Operis pręſertim,d.43.

Doctores Pariſienſes,paucis exceptis, & pręſertim celebriores,tradiderunt auctoritatẽ Romani Põtificis in pronunciando de fide, & moribus eſſe infallibilem,d.6.& 7.per tot.

Doctores Salmanticenſes ſæpè allegãtur decurſu Operis, & laudantur, præſertim d.7. n.16. &d.15. n.45.

Dodechinus Mariani Scoti continuator, quid dicat de Henrico IV. & Gregorio VII. d.31.n.11.

S.Dominicus,quàm ſtrenuè ſe geſſerit cõtra hæreticos Albigenſes,d.12.n.31 & 32.

Dominici Soto ſentẽtia de auctoritate Papæ,d.7.n.16. Eius opinio,quæ & Cani,acBellarmini, de auctoritate Epiſtol. Decretalium examinatur, & vindicatur ab obiectionibus Patris Vazquez,d.30.ſect.5.latè.

Donatio Conſtantini Magni in gratiam Pontificis Romani,qualis,d.35.n.111.

Donatiſtæ hæretici, quando & quomodo damnati ab Eccleſia, d.8.n.28. Varij illorum errores.Ibid.n.29 Appellantes à iudicio Melchiadis Papæ ad Conſtantinũ Magnũ Imperatorẽ,ab hoc repelluntur,d.8.n.30 An ab ijs cõficta fuerint Acta Cõcilij Sinueſſani,in quo habetur lapſus Marcellini P. d.28.ſect.1.latè.

Dulcini ſecta quænam, & quando damnata, d.14.n.12.& 13.

E.

Eadmarus aſsiduus convictor S. Anſelmi Cantuarienſis,rerumque ipſius accuratiſsimus ſcriptor, citatur ſæpè, præſertim in Hiſtoria Novorum,ex Mſs. veteribus edita nuper à V. Cl.Gabriele Gerberone.

Eccleſia Catholica Vetus quinque primis ſæculis certã omnino cenſuit auctoritatẽ infallibilẽ Romani Pontificis in pronunciando de fide,& moribus,independenter à Concilio Oecumenico,vel conſenſu Eccleſiæ accedẽte, d.2.ſec.2.3.&4 Deinde latiùs d.8 per tot.Idẽ ſeqq.ſæculis demonſtratur ſingillatim de illa, d.9.& ſeqq.vſq;ad 25.ac præter.d.39.per tot.

Eccleſia Gallicana graviſsima,& à priſcis ſæculis longè ac latè venerabilis, d.2. n.1. ac ſæpè alibi.An tempore Innocentij X.tradiderit doctrinã contrariam Declarationi nuper editæ nomine Cleri,d.5 per tot.Qualiter Patres eius Eccleſiæ tradiderint auctoritatẽ infallibilẽ R.Pontificis in pronunciãdo de fide, & moribus, d.3. 4. & 5.per tot.ac ſæpè alibi Tract.I. & II. atque inſuper Tract. III. d.38. Qualiter docuerit,Papã eſſe ſuperiorẽ Cõciliis,etiã Oecumenicis,d 15.& 16.& 36.Quomodo agnoverit poteſtatẽ Sedis Apoſtolicæ ſuperiorẽ Canonibus,etiã Conciliorum Vniverſaliũ, d.37. per tot.Eccleſiæ Gallicanæ libertates quænã ſint, ſive in quo conſiſtant, d. 34.per tot.Quo ſenſo valeant mores & ſtatuta recepta ab Eccleſia,& Regno Galliarũ, d.38. per tot.Vide *Clerus Gallicanus*, & præterea *Concilia Gallicana*.

Eccleſia Hiſpana.Vide *Hiſpana Eccleſia*.

Eduardus Angliæ Rex, qualiter profeſſus fuerit obedientiã R.Põtifici Nicolao II.d.35. n.36.Donationes,& pẽſiones debitas B.Petro addidit. Ibid. Id ipſum ferè eſt de Eduardo alio, tẽpore Bonifacij VIII.& de alio Eduardo, tempore Clementis VII. Ibid n.39.

Elceſæi hæretici quinam, quando & qualiter damnati,d.8.n.10.

S.Eleutheri Papæ reſcriptum memorabile ad Galliarum Eccleſias,d.5.n.2.& 3.

Epiſcoporum munus, quàm periculoſum, & quanti oneris,d.11.n.154 & 155.

Epiſcoporum iudicia,& aliæ cauſæ maiores,ex traditione Apoſtolica,iure Pontificio, & decretis Generaliũ Conciliorũ, ſunt reſervata Sedi Apoſtolicæ.Id traditur plurimis locis totius Operis,præſertim d.5 n.2 & 3. ac lon-

longè latiùs d.23. & 24. ſed ſpeciatim vide d.36.n.16.17.& ſeqq. vſque ad 24. Interdum Imperatores,& Reges excommunicarunt,immò & poteſtate ſæculari privarunt,d.35.ſect. 6.7 & 8. varijs locis.

Epiſcopi Galliarum,quã nuper Declarationem ediderint,& qualiter ea contraria ſit doctrinæ communi Epiſcoporum eiuſdẽ Regni in Epiſtolis ſcriptis triginta retro annis ad Innocentium XI d.2. per tot. Contradicunt etiam priſcis Patribus Eccleſiæ Gallicanæ,d. 3.per tot.Et Concilijs Galliarũ priſcis, ac recentibus,d.4 per tot.Et Reſcriptis Romanorũ Pontificũ ad varias conſultationes Veterum Epiſcoporũ Galliæ,d.5.per tot.Contradicunt pariter ſenſui totius Eccleſiæ Catholicę primis quinque ſæculis,d.8. per tot. Et quinque alijs ſæculis poſterioribus Eræ Chriſtianæ,d. 9. per tot.Similiter & ſenſui illius ab initio vndecimi ſęculi vſque modò,d.10.& ſeqq.vſque ad 18.Quædã eorũ Epiſtola ad SS. D.N. Innocentium XI.d,11. ſect. 5. Non videntur ſequi veſtigia Deceſſorum ſuorum in tuenda Eccleſiarũ libertate.d.11.ſect.6.& 7. per tot. Quibus rationibus ductus Innocentius XI.eos pereellat,& qualę Reſcriptum dederit , d.11. ſect.7. & 8. Notæ ſeu obſervationes in idem Reſcriptum. Quàm nociva ſit Eccleſiæ , & Regno Galliarum ceſsio iurium Epiſcopaliũ nuper facta in gratiam Chriſtianiſsimi Regis, d.11.ſect.11.Eius ceſsionis formula, Ibid. n. 145.Immeritò excuſant doctrinam Magiſtratuum de iure corvo Regiæ coronæ circa res Eccleſiaſticas , cùm communiter cenſeatur hæretica,etiam iudicio Præſulum Galliæ Veterum,d.11. n.149. Quantũ periculi ſubeant ob ceſsionem prædictam , & defectum conſtantiæ,fortitudiniſque,d.11.n.156.Quã longè fuerint in ea parte à prædeceſſoribus ſuis, d.11.ſect.16. Quàm immeritò nunc ſuſcitaverint deploratam illam opinionem , toties convulſam,& damnatã. de poteſtate Concilij Generalis ſupra Papam certum & indubitatũ, d.15.16.& 36.per tot.Quàm prępoſterè acceperint doctrinã Cõcilij Conſtantienſis Seſ.IV. & V. in eum ſcopum.Ibid.latè. Quo iure,aut ſenſu affectent Libertates Regni, & Eccleſiæ Gallicanæ,d.34.per tot. Quàm malè negent Apoſtolicæ Sedi poteſtatem, ſaltem indirectã in Regna,& dominia tẽporalia,d.35. per tot. Quàm malè ręſtringant vſum poteſtatis Apoſtolicæ, tanquã exigendus ſit iuxta Canones, d.37. per tot. An in ea parte Declarationis, qua negant Romano Pontifici iudicium irreformabile in quæſtionibus fidei , lateat aliquid veneni contra auctoritatem Conciliorũ Vniverſalium,d.39.per tot.Quantum oneris, & periculi apud ſe receperint probantes ſtatuta , & mores receptos à Regño, & Eccleſiæ Gallicana,d.38.per tot.An verè eam Declarationem acceperint à Patribus , an aliunde,d. 40. per tot. Sunt & plura alia per totũ opus ſparſa circa eoſdẽ Illuſtr.Pręſules Gallicanos, ita diſpoſita,vt quamvis impugnentur,ſemper habeatur ratio dignitatis,auctoritatis,nobilitatis,doctrinæ,& eruditionis ipſorũ:quæ omnia Auctor ſemper habuit præ oculis. Vide v. *Clerus Gallicanus*,& v. *Declaratio*,& v. *Concilia Gallicana* , & v. *Auctoritas*.

Epiſtolæ variæ Epiſcop. Galliæ ad Innocentium X.exſcribuntur,& expenduntur latè, d.1.ſect.2.3. & 4. Alia recens ad Innocentiũ XI. d.11.ſect.5.Expenditur,d.11. ſect.6.& 7. Innocentij XI. Epiſt. ſeu Reſcriptum ad illos cum obſervationibus,d.11.ſect.8.& 9.Eiuſdẽ Innocentij tres Epiſt. ad Regem Chriſtianiſsimũ Ludovicũ XIV.d.11.ſect.10.expendũtur ibid. ſect.11. Alia ipſius Epiſt.ad Epiſcopum Appamiarũ,notis illuſtrata, d.11.ſect.12.Aliæ ad Capitulum Appamienſe,Sede vacante,&c. cum notis.d.11.ſect.13.& 14.Aliæ Epiſt.eiuſdem Pontificis circa oppreſionẽ Parthenonũ quorundam,d.11.ſect.15.Epiſtola Pij II.Papæ pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſupra Concilia quælibet,d.16.ſect.1. Notæ ſeu obſervationes in illã Ibid.ſect.2. Epiſt. Adriani VI. Papæ contra Ducem Saxoniæ hæreticũ,d.17. ſect.2. Epiſt.Vigilij Papæ ad Theodorã Auguſtam,an ficta, d.29.n.14.& ſeqq.Epiſt. Auctoris ad SS.D.N.Innocentiũ XI.initio Operis, & alia inſuper initio Tract. Appendicis ante Diſput.XLI.Epiſt.S.Gregorij VII.Papæ ad S.Anſelmũ Cantuarienſem Archiep. d.41. ſect.4.Alia Paſchalis II.Papæ ad eundẽ,ſect.5. Epiſt. S.Anſelmi ad Vrbanum II. d.45.n.10. & ſeqq. Epiſt.Paſchalis II. Papæ ad Henricũ Angliæ Regem,d.45.n.25.& ſeqq.

Epiſtolæ Decretales Summorum Pontificum , earumque varia teſtimonia allegantur, & exſcribuntur, notiſque illuſtrantur paſsim toto Opere.Quanta ſit illarum auctoritas , d. 30.ſect.2.3.4.& 5.Vide etiã ſpeciatim, d.36. n.17. Vbi an Epiſtolæ Decretales quatuor priorum ſæculorum falſatæ fuerint ab Iſidoro Mercatore.

Error, an cõtingere poſsit in definitionibus Pontificijs de fide,& moribus.Res eſt latiſsimè diſcuſſa Tract.I.& II.& d.39.

Errorem in doctrina commiſſum quã difficilè aliqui corrigant,d.16.n.7.Quàm malum id ſit,& pernicioſum.Ibid. & d.40.n.21.

Error facti an intervenerit in damnatione Pontificia dogmatũ Ianſenij, d.20. & 21. per tot.Error in fide,etiã pertinax,an accidere poſsit Romano Pontifici, d.25.n.2.& 3. Error facti. Error facti poteſt in eum cadere. Ibid.

Ibid. n. 4. 5. 6. & 7. Poteſt etiã circa ius errare vt Doctor ſingularis, vel perſona privata, d. 25. n. 8. 9. & 10. Quo ſenſu nullus error iuris poſsit in eo habere locum. Ibid. n. 11. vſque ad finem Diſputationis.

S. Evariſti Papæ, & Martyris inſigne teſtimonium, d. 8. n. 14. & d. 23. n. 9.

Eugenius III. Papa qualiter diſcuſſerit, & damnaverit errores Gilberti Porretani, d. 12. ſect. 3. per tot. Inſuper & errores aliorum, d. 12. n. 129.

Eugenius IV. Papa qualiter, & quàm inįuſtè exagitatus fuerit in Concilio Baſileenſi, ſeu potiùs Conciliabulo, aut Conventicula, d. 15. n. 23. & ſeqq. ſed latiùs d. 16. ferè per tot. Quæ hæreſes illius tempore damnatæ, d. 15. n. 43. Vindicatur à nota hæreſis, d. 32. n. 23. 24. & 25.

S. Euſebij Papæ Epiſtola ad Galliarum Epiſcopos, d. 5. n. 7.

Eutychiani expoſtulàrunt Canones violatos à Sede Apoſtolica, d. 37. n. 10. & à Concilio II. Oecumenico Conſtantinop. Ibid. n. 28. Verùm reiecti ſunt tanquã hæretici. Ibid. & d. 44. n. 15. 19. & 22.

Excommunicationes latæ à Pontificibus Romanis, immò & interdum ab Epiſcopis in Reges, Imperatoreſque, d. 35. ſect. 6. per tot.

F.

S. Fabianus Papa & Martyr, quas hæreſes damnaverit, d. 8. n. 22. Eius prima Epiſtola Decretalis ab aliquo ſciolo depravata fuit. Ibid. Qualiter noluerit recipere ad communionem Philippum Imperatorem Romanum, niſi premiſſa eius pœnitentia publica, d. 35. n. 60. Eius loci contra declarationem Gallicanam, d. 23. n. 14.

Feminæ non ſolùm Chriſtianæ, ſed Hebrææ, & Gentiles, in templis capita velati ſolitæ, d. 27. ſect. 2. Quantum momenti id afferat ad ſervandam pudicitiam. Ibid.

Fauſti Rhegienſis doctrina & res examinantur, d. 8. n. 69. 78. 83. 84. 85. 86. 87. 88.

Felix Epiſcopus Vrgellitanus, effutiens Chriſtum D. eſſe Filium Dei adoptivum, damnata ea impietate in Concilio Ratiſponenſi, illam abiuravit coram Adriano I. Papa, d. 4. n. 9. Relapſus in eandem hęreſim damnatur in Concilio Francofordienſi, ſimul cum Elipando Archiep. Toletano. Ibid. n. 10. & 11. Plura de vtroque eorum, d. 9. n. 18. & 21.

S. Felicis I. Papæ, & Martyris Epiſt. ad Epiſcopos Galliarum, d. 5. n. 6. Aliud eius teſtimonium obſervatu dignum, d. 8. n. 24.

S. Felix II. Papa & Martyr, vindicatur à tetra Arianiſmi nota, quam ipſi inurunt Sectarij, d. 28. ſect. 3. latè. Vbi quæ ad ipſum ſpectant, examinantur.

Ferdinandus Caſtellæ & Aragonum Rex, cognomento Catholicus, quantum venerare-tur Romanam Eccleſiam, d. 35. n. 35.

Ferrandus Diaconus interdum allegatur.

Ferrarienſe Concilium ſub Eugenio IV. Baſileã tranſlatum, d. 15. n. 27.

Filioque particula quando primùm addita Symbolo Fidei, d. 43. n. 77. 78. 79. & latiùs, d. 44. per totam.

S. Firmilianus, S. Cyprianus, & S. Dionyſius Alexandrinus, qualiter ſe habuerint cum S. Stephano Papa in quæſtione illa de iterando Baptiſmo hæreticorum, d. 41. ſect. 1. latè.

Flagellantium ſecta quænam, & quomodo damnata, d. 13. n. 34.

S. Flavianus Archiep. Conſtant. iniquè cæſus ab hæreticis Eutychianis, d. 37. n. 28.

Flodoardus quis, quid, & quo tempore ſcripſerit, d. 9. n. 60.

Formoſi Papæ acta, quomodo probata, aut improbata fuerint à Succeſſoribus, & an quiſquam eorum in fide erraverit, d. 30. n. 54. latè. Quàm dirè cum eo iam vità functo egerit Stephanus VI. vel Sergius III. d. 44. n. 36. Quænam mira tunc acciderint, & qualiter ne ijs quidem temporibus Sedes Apoſtolica in fide vacillaverit, d. 44. n. 37.

Franciſcus Petrarcha allegatur & laudatur.

Franciſcus Ramos. Vide Ramos.

S. Frãciſcus Saleſius laudatur, d. 35. n. 75.

Franciſci Victoria ſententia de auctoritate Papæ, d. 7. n. 16. Eius diſcipulus fuit Melchior Canus. Ibidem.

Fratricellorum ſecta quænam, & quando damnata, d. 13. n. 28. & 29.

Fridericus I. Imperator ſæpè à Pontificibus Romanis excommunicatus fuit, d. 35. n. 71.

Fridericus II. Imperator abrogatus in Concilio I. Lugdunenſi Oecumenico ob ſcelera ſua, communi conſenſu, d. 35. n. 98. Formula abrogationis. Ibid.

Fridericus Saxoniæ Dux Lutheri fautor reprehenditur, & excitatur ad pœnitentiã ab Adriano VI. Papa, d. 17. ſect. 2. per tot.

S. Fulgentius nonnunquam allegatur, eiuſque teſtimonia expenduntur.

G.

Gabriel Gerberon ſæpè allegatur in recenti editione Operum S. Anſelmi, quàm mirè expolivit, & publici iuris fecit Pariſijs anno 1675.

Gallicana Eccleſia, ſæpe varijs elogijs celebratur ab auctore decurſu totius ferè Operis. Illa ab initio & perpetua traditione excepit definitiones Romanorum Pontificum, ve-

lati

luti oracula divina,d.3.per tot. Etiā in Conciliis,tum veteribus, tum recentioribus,quorū plurima allegantur,d 4.per tot. Vide *Concilia Gallicana* ſuprà. Conſuluit in dubijs de fide & moribus Romanos Pontifices, & ab ijs Reſcripta varia reverēter accepit,d.5.per tot. Gallicanæ Eccleſiæ Libertates , quænam ſint, ſive in quo poſitæ,d.34.& 37.ferè per tot. An illa ſibi arrogaverit aliquando licentiam inquirendi in definitiones, ſeu decreta Conciliorum Vniverſalium, d.39.præſertim ſect.2. Quando primū cantare Symbolum CP.cœperit cum particula *Filioque*,d.44.n.16. 23. & 24. Vide v.*Clerus Gallicanus*, & v. *Auctoritas*,& v. *Concilia Gallicana*,& v. *Epiſcopi Galliarum*, & v.*Declaratio*.

Gallicana Natio plurimis locis laudatur, celebraturque: præſertim d. 11. n. 46. Gallicanæ libertates quænam,& in quo ſitæ, d.34. & d.37.per tot. Gallicanæ conſuetudines, regulæ,& ſtatuta, quatenus probari aut improbari mereantur,d.38. per tot.

S.Gelaſij I.Papæ varia teſtimonia vrgentur contra Declarationem Gallicanam , d.7. n.25. & d.8.n.64.& d.37.n.23.alijſque locis. Vindicatur à calumnijs Centuriatorum,d.29. n.8. & ſeqq.

Gemellarum puellarum hiſtoria mira ab Auctore obſervata,d.43.n.277.

Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis, Vir ſummę doctrinę,& exquiſitæ eruditionis laudatur ſæpè. Teſtimonia ipſius notabiliora, vide d.11.n.81.& d.35.ſect.3.ferè per tot. & d. 35.n.14. & d.38. n.2.

Gennadij Maſſilienſis res,& ſcripta , ac fides examinatur, d.8.n. 72.78. 86.

Gregorius,ſive Gennadius Scholarius.

Gerſo Cancellarius Pariſienſis quid circa auctoritatem R.Pontificis docuerit,quo tempore, qua occaſione,& quid de eius doctrina in ea parte aliqui ferè omnes ſentiant , d.7. n.2 & ſeqq. latè. Quinam eius opinioni adhæſerint. Ibid n.9.10.11.12. Qualiter ab omnibus alijs DD. illa improbetur,etiam intra Galliam, d.7.ſect.2. & 3. Qualiſcumque aliàs ſit eius doctrina,non favet Declarationi Cleri Gallicani , ſed potiùs contradicit , d. 7. n.26.

Gnoſtici hæretici quādo & qualiter damnati,d.8.n.10.

Godefridus Henſchenius continuator magni Operis, cui inſcriptio Acta SS.laudatur ſæpè,ſed præſertim d.28.n.3.

Goffridi Abbatis Vindocinenſis in Gallia,& Cardinalis S. Priſcæ , varia teſtimonia allegantur contra Declarationem Gallicanā: præſertim d.11.n.5.& d.12.n.40.

Gotheſcalcus communiter cenſetur inſtaurator fuiſſe hæreſeos Prædeſtinatianæ, & ob eam damnatus in varijs Concilijs, d.8. n. 71.& d.9.n.26.27.28.29.30.

Gothofredus Ambianenſis in Gallia Epiſcopus agnovit auctoritatem infallibilem R. Pontificis,d.3.n.8.

Græci qualiter cum Michaele Imperatore in Epiſtola ad Concilium Lugdunenſe II. Oecumenicum profeſsi fuerint auctoritatem infallibilem & ſupremam Papę in totam Eccleſiam,d.13. n.46. Similiter in Concilio Florentino Seſs.vlt.d.16. n.31. Expenduntur verba Seſsionis eius contra Declarationem Gallicanam. Ibid.n.32.& 33. ac rurſus d. 36. n.3. & 4. Græci Patres communiter agnoverunt auctoritatem infallibilē cathedræ S. Petri, ſive Romanæ, in definiendo, d. 41. n. 22. exceptis ſchiſmaticis aut refractarijs. Ibid. Quin & auctoritas ipſa fuit definita in Concilijs Vniverſalibus VI. VII.& VIII.celebratis in Oriente à Græcis ipſis,d.41.n.7.& alijs locis ibidem citatis. Quinam Græcorum à tempore Concilij VIII.Generalis eam auctoritatem negaverint, d.41.ſect.2. vbi plura de Photio ſchiſmatico. Græculi negantes Spiritum S. ex Filio procedere , convicti fuerunt erroris à S.Anſelmo in Concilio Barenſi , d. 42. ſect. 4. Quantus honor & triumphus S. Doctoris coram Vrbano II. & PP.congregatis. Ibid.& d. 43. n. 294.295.& 296. Græci Patres, excepto Theodoreto, palam tradiderunt proceſsionem Spiritus S. ex Filio, d.43. n.1. & ſeqq. latè , ac deinceps ſæpiſsimè in decurſu eius longæ diſputationis. Græcorum qui convenêre ad Florentinam Synodum, varia teſtimonia. Ibid.ſparſim. Græculorum opinio in quibus tandem Concilijs Generalibus palā damnata, d.43.n.297. Verùm poſtea relapſi ſunt in eundē errorē vſque modō. Ibid. n.298. Plura de eiſdē Græcis ſparſim,d.44.

Gratianus ſæpiſsimè allegatur,dum varia loca Decreti expenduntur.

S.Gregorius I. Papa, cognomento Magnus,plura Reſcripta dedit ad Epiſcopos Galliarum ipſum conſulentes, d.5.n.25. Deinde plurimas Epiſtolas Decretales edidit extra omne Concilium Oecumenicum, quæ à tota Eccleſia ſtatim cum ſumma veneratione receptæ fuerunt,d.9.n.4. Varia teſtimonia illius pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ. Ibid.n.5. Confirmavit quatuor priora Concilia Oecumenica,& præterea V.Synodum,cuius auctoritas putabat adhuc. An erraverit indulgens Presbyteris Sardiniæ vt adminiſtrarent Sacramentum Confirmationis abſente Epiſcopo,d.29.ſect.3 latè. Ibid. Cenſuit, Pontificem Romanum poſſe exauctorare Principes ſæculares,d.35.n.63.& 86.

Gre-

Gregorius II. Papa excommunicavit Leonem Iſaurum Imperatorem, d.35.n.64. Romã cũ tota Italia ab eius Imperio recedere fecit. Ibidem n.87.

Gregorius III. an erraverit in doctrina, quam tradidit circa ſolutionem matrimonij, d.30.ſect.2.per tot.

Gregorij IV. Papæ verba contra Declarationem Gallicanam, d.22. n.8. Eius teſtimonium obſervatu dignum, d.38.n.13.

S.Gregorius VII. Papa, antea dictus Hildebrandus, in varijs Concilijs damnavit hæreſim Berengarij, d.10. n.6. Similiter in alijs Synodis damnavit Henricum IV. Imperatorẽ ſchiſmaticum, & Guibertum Antipapam, idolum ab ipſo fabricatum, d.10. n. 8. Illius laudes eximiæ, innocens vita, & mors pretioſa coram Domino, d.10. n. 17. Contra hæreſes & ſcelera ſui temporis coegit Romæ decem Synodos & alibi plures alias. Ibid.n.18. Duo eius Canones pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ expenduntur & illuſtrantur. Ibid. vſque ad finem n. 22. Repreſsit licentiam Principum laicorum & preſertim Henrici IV. circa Inveſtituras. Ibid n.23. Alius Canon eiuſdem Pontificis in Dictato de Eccleſia Romana nulli vnquam errori obnoxia, expenditur latè, d. 10.ſect.4.per tot.

Idem S. Gregorius VII. An definierit, laicam Inveſtituram Epiſcoporum eſſe hæreſim, & in hoc erraverit, d.11.latè ſect.1.2. 3. 4.& 16. Vbi plura & varia. Attulit ingens bonũ Eccleſiæ curans eius libertatẽ. Ibid. n.24. Claruit miraculis antè & poſt obitum, eiuſque corpus poſt quingentos fermè annos inventum fuit ac permanet incorruptum. Ibid. In Martyrologio Romano celebratur eius memoria cum inſigni elogio. Ibid. An in Catalogo SS. collocaverit Liberium Papam, & in eo erraverit, d.28.n.26.& 27. Quot criminationibus impetatur eius honor, præſertim à ſchiſmaticis, & hæreticis, & quàm iniuſtæ eæ ſint, d.31. per tot. Vbi plura & varia elogia ipſius, reſque admodũ memorabiles. Qualiter Boleslaum Poloniæ Regem, & Henricum IV. Imperatorem Germaniæ, excommunicaverit, d. 35. n.68. Quomodo, & qua verborum formula poſteriorem hunc exauctoraverit, d. 55. n.91. 92.& 93. Eiuſdem S. Gregorij Dictatus varijs Canonibus conſtans, d.35. n 93.& 94. Boleslaum ſuprà dictũ Regno privavit, d.35.n.95. Eius decretum contra Presbyteros coniugatos & ſchiſmaticos, defenſum ab Apologo, & S. Anſelmo Cantuarienſi, Scriptoribus eiuſdem temporis, & ab ipſo S. Gregorio, d. 37. num. 26. Eius Epiſtola ad ipſum Anſelmum, diſput. 41. num. 20.

Gregorius X. Papa in Concilio Lugdunenſi definivit Spiritum S. procedere ex Patre & Filio, tanquam ex vnico principio, d.43.n.183.

Gregorius XI. Papa an damnaverit dogmata Raymundi Lullij, d.13.ſect.3.

Gregorij Hieromonachi illuſtris locus contra Declarationem Gallicanam, d. 16. n. 54.55.& 56. Vbi plura obſervatu digna.

S.Gregorij Nazianzeni teſtimonia plura proferuntur contra Declarationem Gallicanam: præſertim d.8.n.47.& d.35. n.80. & 119.& d.43.

S.Gregorius Nyſſenus ſæpe citatur, præſertim d.43. varijs locis.

Gregorij Valentiæ teſtimonium pro communi Orthodoxorum ſententia de poteſtate Papæ ad abdicandos Principes hæreticos, quàm verum ſit, d.35.ſect.2.

Guidonis Abbatis teſtimonium pro Gregorio VII. d.31. n.19.

Guillelmus Epiſc. Traiectenſis, quàm miſeram mortem obierit, propter perſecutionẽ Gregorij VII. d.31.n.22.

Guitmundus cauſam agit Gregorij VII. d.31.n.12.

Guillelmus Ocham. Vide *Ochamus.*

Hæreſiarchæ olim comparere ſoliti ante R.Pontificẽ, d.8.n.20. Omnibus ſæculis damnati cum ſuis erroribus ab Apoſtolica Sede. Vide d. eadem 8. per tot. & ſeqq. vſque ad 20. & præterea quære propria præcipuorum nomina. Illorum lapſus initium duxit à ſuperbia, d.8.n.18. & ab inobedientia ac receſſu à decretis & definitionibus Romanæ Sedis, d.17.n.1.

Hæreſes damnare iudicio infallibili ſolita eſt Apoſtolica Sedes, ſive intra, ſive extra Concilium Oecumenicum, ex ſenſu totius Eccleſiæ Catholicæ, & teſtimonio Præſulum Gallicanorum in Epiſtolis ad Innocentiũ X. d.2.n.12.& ſeqq.

Hereſes I. Sæculi damnatæ à Pontificibus Romanis ſine vllo Concilio Oecumenico, d.8.ſect.1.per tot. Hæreſes II. Sæculi. Ibid. ſect.2. Hæreſes III. Sæculi. Ibid.ſect.3.

Hæreſes IV. Sæculi damnatæ intra aut extra Concilia Oecumenica, d.8.ſect.4.& 5.

Hæreſes V. Sęculi proſcriptæ à Sede Apoſtolica extra Synodos Epheſinam & Chalcedonenſem, d.8.ſect.6. Hæreſis Prędeſtinatiana an extiterit eodem Sæculo, & quænam fuerit, aut quando damnata, d.8. ſect.8. latè à n. 66. vſque ad 92. & iterum d.9.ſect.4.

Hæreſes VI. Sæculi damnatæ à ſede Apoſtolica extra Synodũ Oecumenicã, d.9 ſect.1.

Hæreſes VII. Sæculi proſcriptę extra Synodũ VI. Oecumenicã à Romanis Pontificibus, d.9.ſect.2.

He-

Hæreſes VIII. Sæculi, d.9.ſect.3.

Hæreſes IX. Sæculi extra Oecumenicam Synodum damnatæ, d.9.ſect.4.

Hæreſes X. Sæculo ortæ non Inveniuntur, d.9. n.63.

Hæreſes XI. Sæculi proſcriptæ ſine vllo Concilio Oecumenico, d.10. ſect.1.

Hæreſes XII. Sęculi damnatę, d.12. per totam latè.

Hæreſes XIII. Sęculi, d.13. per tot.

Hæreſes XIV. Sęculi dānatę, d.14. per tot.

Hæreſes XV. Sæculi, d. 15. ſect.1. & 5. per tot.

Hæreſes XVI. Sæculi à Luthero traditæ & damnatæ à Leone X. expenduntur pro cathedra S. Petri, d. 17. ſect. 1. Similiter ab Adriano VI. Ibid. ſect.2.

Hæreſes Ianſenij damnatæ ab Innocentio X. d.18. ſect.2.

Hæreſes diverſorum contra auctoritatem Apoſtolicæ Sedis, damnatæ ab Academia Pariſienſi, d 6. ſect.1.

Hallier celebris Doctor Pariſienſis egregiè ſcripſit pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & Conciliorum Vniverſalium, d.39.n.3.

Hebræorum Summus Sacerdos præditus erat auctoritate infallibili ad pronuntiandũ ex cathedra de fide & moribus, d.21. ſect.5. latè. Potiori iure id competit Summo Sacerdoti Chriſtianorum. Ibid. Habebat etiam poteſtatem abdicandi Reges apoſtatas, d. 35. n. 76.77. & 78. Maliò magis Papa Ibid.

Henricus I. Angliæ Rex, frater & ſucceſſor Vvillelmi Ruffi, quomodo illius imitatione inhiaverit Inveſtituris, & S. Anſelmum Cantuarienſem ſibi reſiſtentem perſecutus ſit, ac tandem quomodo ceſſerit Rom. Pontifici Paſchali II. & ipſi Anſelmo, d.45. ſect.3. & 4.

Henricus II. Angliæ Rex, ab excommunicationibus S. Thomæ Cantuariẽſis Archiepiſcopi appellavit Sedem Apoſtolicam, d. 35. n.72. Quàm humiliter pœnitentiam egerit vt abſolveretur poſt necem eiuſdem S. Th. Ibid.

Henricus III. Imperator, IV. Rex Germaniæ, impiiſſimus, ſchiſmaticus, flagellũ Eccleſiæ Romanæ & S. Gregorij VII. Papæ, aliorũq; Pontificũ ſequentiũ, notatur ſæpe, & anathematizatur in varijs Concilijs, privatur Regno, & moritur excõmunicatus. Omnia hęc & plura alia traduntur varijs locis: ſed præcipuè d. 11. & 31. & 35. Quibus locis proferuntur teſtimonia graviſſimorum Scriptorum, pręſertim temporis ipſius, à quibus notatur, veluti peſtis ſui ſæculi. Formula anathematis & abrogationis ipſius edita à Gregorio VII. d.31. n.36. Eius cadaver effoſum fuit iuſſu Paſchalis II. & poſtea vix permiſſum iterum ſepeliri, d.35. n.67. vbi plura alia de illo.

Henricus IV. Imperator, aliàs V. Germaniæ Rex, filius præcedentis Henrici, quãtũ inhiaverit Inveſtituris, & quàm dirè exagitaverit Paſchalem II. Papam, d.11. n.3. Quãtum exarſerint Cardinales, & Epiſcopi, præſertim Galliarum, in Henricum ipſum, immo & in Paſchalem, quòd ſe vinci ab eo paſſus fuiſſet, d.11. n.5. 6. 7. 8. 9. 10. Excommunicatus fuit propterea Henricus in multis Concilijs. Ibid. n.28. & 47. Qualiter tandem ceſſerit Calliſto II. Papæ, & abſolutionem ab eo impetraverit, d.12. n.34.35. & 36. Plura de eodẽ Henrico, d.35. n.70. & latiùs d.45. ſect. 3. & 4.

Henricus VIII. infeliciſſimus Angliæ Rex, initio quàm obediens Sedi Apoſtolicæ, deinde verò quàm elatus & inſolens, d.35. n. 39. Eius lapſus quoddammodo ſignificatur exemplis aliquorum, qui egregiè orſus turpiſsimo fine clauſerunt. Ibid. Ipſe fuit cauſa communis apoſtaſiæ Anglorum aſsiduis lacrymis dignæ. Ibid.

Henricus de Gandavo, Doctor Solemnis Academiæ Pariſienſis, allegatur ſæpe contra Declarationem Gallicanam.

Henricus Spondanus. Vide *Spondanus.*

Hierarchia Eccleſiaſtica impetitur ab hæreticis, præſertim Lutheranis, d.27. n.22. Defenditur. Ibid. n.23. & ſeqq. vſque ad 28.

S. Hieronymi Doctoris maximi teſtimonia vrgentur contra Declarationem Gallicanam, præcipuè d.6. n.14. & d.8. n.61. & d.10. n.20. & d.26. n.2.

Hieronymi Albani ſententia de auctoritate Papæ, d.7. n. 32.

S. Hilarius Pictavienſis in Gallia Epiſc. allegatur pro auctoritate R. Põtifici, d.3. n.4.

Hilari, ſeu Hilarij Papæ Epiſt. ad Leontiũ Epiſcopum Arelatenſem in Gallia, d.5. n.22. Varia eius decreta, d.37. n.5.

Hildebrandus. Vide *Gregorius VII. Papa.*

Hildericus, aliàs Childericus Galliæ Rex, quòd inutilis eſſet ad regnandum, abrogatus fuit à Zacharia Papa, auctoritate Apoſtolica, d.35. n.88. Vide plura ibi.

Hincmarus Archiep. Rhemenſis, ſæpè laudatur toto ferè decurſu Operis, in quo varia eius teſtimonia allegãtur, & expendũtur. Qualiter cum alijs Patribus in varijs Concilijs damnaverit Prędeſtinatianã hęreſim Gotheſcalco adſcriptam, d.9. ſect.4. Reprehenditur quòd in multis imitatus fuerit Photium eodẽ tempore viventem, d.37. n. 14. 15. & 16. Parallelus vtriuſque. Ibid n.17.18. & 19. Fruſtra, atque immeritò vterque allegabat Canones contra R. Pontificẽ Nicolaũ I. d.37. n.22.25. & 34. Refractarius in VII. Synodũ Generalẽ,

&c

& cultum ſacrarum Imaginum in ea defini-tum, d.39. n. 11. Quos adhuc defenſores habeat Hincmarus, & quos impugnatores, d.37. n. 15.

Hiſpana Eccleſia quando vſa fuerit in Symbolo Fidei particula illa *Filioque*, d.43. n.77.& 78. Prima omniũ illam addidit contra Græcos, d.44. per totam. Vbi plura ad id ſpectantia examinantur.

Hiſpaniæ Reges, antonomaſticè Catholici, quàm obedientes R.Pontifici, non ſolũ facto, ſed iure præſcripto legibus Alphonſi ſapientis, d.35.n.35. Non ſinunt quemquam in Regnis ſuis aliam profiteri religionem, quàm Catholicam. Ibid. n. 116.

Honorius I. Papa an lapſus fuerit in hæreſim Monothelitarum, d.30.n.4. & ſeqq.

Honorij IV. ſententia adverſus Fratricellos, d.13.n.29. Expenditur. Ibid. n.30.

Hugo Etherianus citatur, & expenditur, præſertim d.43.

Hugonis Flaviniacenſis teſtimonium pro Gregorio VII. d.31. n.28.

Hugo Victorinus ſæpe allegatur.

Humbertus Cardinalis laudatur.

I

Iacobus Sirmondus Scriptor erudit. ſæpe ſæpius allegatur, præ ſertim d.8.ſect.8.

Ianſenius Epiſcop. Iprenſis tradidit varia dogmata damnata à Sede Apoſt. iuxta ſenſum ab ipſo intẽtum, d.1.n.2. Et tamen plures deffẽſores habuiſſe atque habere videtur in Belgio & Academia Lovanienſi. Ib.n.3.4.5.ac 6. Epiſcopi Galliar. 85. ſcripſere ad Innoc. X. vt de quinque præcipuis theſibus ipſius diſtinctã & peculiarem cenſurã ferret, d.2.n.6. Latam cũ applauſu magno receperunt, veluti divinũ Oraculũ. Ib.n.12. Diploma Innocentij contra illas exſcribitur, d.18.ſect.1. An Ianſenius negaverit Sũmo Pontifici iudiciũ irreformabile in quæſtionibus fidei. Ib. latè. Quomodo recepta fuerit in Lovanienſi Academia damnatio doctrinæ Baij & Ianſenij, d.19. per totã. Qualiter aliqui eludere conentur dãnationem doctrinæ vtriuſque per recurſum ad quæſtionem facti, d.20. per totam. Oſtenditur ne hoc quidem modo erraſſe Pontifices illam damnãtes, d.21. per totam. Quin & eadem dogmata dãnata videntur totidem ferè verbis tradita à Lovanienſibus quibuſdam. Ibidem latè. Qualiter ij cum Heterodoxis conveniant, & ab ijs differant, d.21.ſect.6.

Iconomachorum hæreſis quæ, & quando damnata, d.9.20.21. Graſſata eſt per Galliam. Ib.n.24.& 25. Sed latiùs, d.39. n. 10. & ſeqq.

Ieſſe Ambianenſis in Gallia Epiſc. pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ. d. 3. n. 8.

S. Ignatij Epiſc. & Martyris teſtimonia pro Sedis Apoſtolicæ auctoritate, d.8.n.9.

Imperatoribus & Regibus prohibitæ Inveſtituræ. Vide v. *Reges*. Imperatores Orientis quomodo circa id ſe geſſerint, d.11.n.34. & ſeqq. vſque ad 4. Imperatorum ſubiectio erga Sedem Apoſtolicam memoratur plurimis locis, ſed præcipuè, d.35. per totam. Vbi de eorum abdicatione facta à PP. Romanis. Imperatorum ſpecialis dependentia à Pontificibus R. d.35.n.25.54.& 55. Vide v. *Reges*.

S. Innocentius I. Papa dãnavit hæreſim Pelagianam extra Concilium, tota Eccleſia Catholica ſtatim aſſentiente, d. 2. n. 12. Variæ eius Epiſtolæ allegantur pro auctoritate infallibili Sedis Apoſtolicæ, ad Epiſcopos Galliarum ſcriptæ, d.5.n.12.13.& 14. Vindicatur à calumnijs Centuriatorũ, d.29.n.2.& 3. Excommunicavit Imperatorem Arcadiũ & Eudoxiam Auguſtam, ob perſecutionem Chryſoſtomi, d.35.n.61. Notanda formula Anathematiſmi. Ib. Eius illuſtre teſtimonium pro obſervantia Canonum, d.38. n.8.

Innocentius II. Papa plures hæreſes ſui temporis damnavit extra omne Concilium Oecumenicum, tota Eccleſia excipiente iudicium illius, veluti irreformabile, d.12.ſect.2. per totam: ac præterea n. 45. & 46. Celebravit Concilium X. Generale, aliàs II. Lateranenſe, d.12.n.37.

Innocentius III. Papa fortiter ſe geſſit in tuenda Eccleſiarum libertate adverſus Principes ſæculares, d.11.n.108. Vindicatur à nota erroris in fide, d.32.n.6.7.8.& d.33.n.22. Plura & varia illius decreta allegantur, & explanantur decurſu Operis. Excommunicavit Othonem V. Imperatorem & Ioannẽ Angliæ Regem, d.35.n.73. Eos tandem privavit. Ibid. n.96 & 97. Laudes eius. Ibidem.

Innocentius IV. Papa celebravit Conciliũ I. Lugdunenſe Generale, d.13. n.20. Quid in eo definitum fuerit. Ibid. Depoſuit in eo Fredericum II. Imperatorem, ex communi omnium Patrum aſſenſu, d.35.n.98. Formula abrogationis. Ibidem.

Innocentius VI. Papa quas hæreſes damnaverit, d.14.n.24.25. & 26.

Innocentius VIII. vindicatur à nota erroris, d.33.n.25.& 26.

Innocentius X. Papa damnavit quinque præcipuos errores Ianſenij, d.1.n.6. Conſultus fuit ea de re, & rogatus ſententiã ab 85. Epiſcopis Galliæ, d.2.6. Definitio ipſius ab ijs recepta, veluti divinũ Oraculũ. Ib.n.12. ſine vllo recurſu ad Conciliũ, vel ad conſenſũ Eccleſiæ accedentẽ. Ib.n.13. latè vſque ad finẽ Diſput. Diploma illius contra Ianſeniũ. d.18.ſect. 1. Qualiter Ianſeniani illud eludere conentur per recurſum ad quæſtionẽ facti, & quã fruſtra d.20. per tot. Quã verè Pontifex idẽ adſcripſerit Iãſenio eas theſes dãnatas, & qualiter illas ho-

hodie videatur aliqui palá tueri, d. 21. per tot.

Innocentius XI. Papa quantus Pontifex, & quàm immeritò impetitus Declaratione recenti Gallicani Cleri. Vide Epiſtolam Nũcupatoriam ad ipſum initio Operis ac præterea d. 11 n. 76. 77. 83. & alibi ſæpe. Eius Reſcriptum ad Epiſcopos Galliæ, lectu & veneratione digniſsimum, d. 11. ſect. 8. per totam, à n. 83. vſque ad 104. Notæ ſeu obſervationes in illud, d. 11. ſect. 9 per totam. Eius tres Epiſtolæ ad Chriſtianiſsimum Regem Ludovicũ XIV. d. 11. ſect. 10. per totam. Laudantur & expenduntur latè, veluti in quibus cauſa Dei, Eccleſiæ, & Regis ipſius ac Regni Galliæ agitur, d. 11. ſect. 11. per totam Eiuſdem Reſcripta ad Franciſcum Epiſcopum Appamienſem, & notæ in illa d 11. ſect. 12. Epiſtolæ variæ illius ad Capitulum Appamienſis Eccleſiæ, Sede vacante, d. 11. ſect. 13 & 14. Aliæ duæ ad Ioſephum Archiep. Toloſſanum, d. 11. ſect. 13. & 15 Alia ad Moniales Charonenſes, d. 11. n. 191. & ſeqq. Arreſtum Parlamenti audax in oppoſitum. Ibidem n. 195. Diploma Innocentij contra illud. Ibid Aliud Arreſtum eiuſdem Parlamenti contrarium Diplomati Pontificis. d 11. n. 197. Expenditur. Ibid. n. 198. Diploma aliud ad Sanctimoniales Charonenſes Ib. n. 199. 200. & 201. Iterũ probantur res geſtę ab Innocentio in hijs diſsidijs cũ Chriſtianiſs. Rege & Clero Galliar. d. 11. ſect. 16.

S. Inquiſitionis origo & vtilitas, d 12. n. 31. & 32. Auctoritas eius in apoſtatas, ſive hęreticos, d. 35. n. 84 Inquiſitionis Hiſpaniæ auctoritas, & nupera cẽſura adverſus præcipuas theſes cõtẽtas in Decl. Gall. d. 40. n. 18. 19. 20

Inveſtitura Epiſcoporum, Abbatum, &c. facta per manus laicorum, etiam Regnm aut Imperatorum, an damnata fuerit à S. Gregorio VII. Papa tanquam hæreſis, idque iure ac meritò, d. 11. ſect. 1. 2. 3. & 4 per totas. Inveſtitura ex errore iuris eſt hæretica, non item ex errore ſolius facti. Ibid. n 31. & ſeqq & 78. Inveſtituræ dari ſolitæ ab Imperatoribus Oriẽtis, quamvis prohibitæ in VII. Synodo Generali, d. 11. n. 34. Idem mos Imperatorum eorũdem, etiam Turcorum, vſque ad hæc poſteriora ſæcula. Ibid. n. 35. & ſeqq. vſque ad 40. Reiectæ à Patribus Eccleſiæ ſęculo XI. & XII. præſertim Gallicanis, veluti hæreticæ, aut ſchiſmaticæ, d. 11. ſect 1. 3. & 4. An moderni Galliarum Præſules inſiſtant viam Deceſſorum ſuorum in reijciendis Inveſtituris, & aſſerenda libertate Eccleſiarum, d. 11. ſect. 5. 6. 7 9. & 16 Primus omnium S. Anſelmus reſtitit iuri prætenſo Regum Angliæ ad Inveſtituras, & propterea diu ac multũ paſſus fuit, d 45. ferè per totam.

Ioachimi Abbatis error proſcriptus à Cõcil. Lateran. ſub Innoc. III. d. 13. n. 13. Non tamen ideo dãnatus ipſe Auctor. Ib. n. 14. & 15.

B. Ioannes de Capiſtrano allegatur contra Declarationem Gallic. d. 16. n. 53.

Ioannis Huſs hæreſes quænam, & quando damnatę, d. 15. ſect. 1. per totam.

Ioannes Paleologus Orientis Imperator qualiter obedientiam profeſſus fuerit R. Põtifici, eiuſque ſupremam poteſtatem agnoverit in Concilio Florentino, d 35. n. 47.

Ioannes Sariſberienſis in Gallia Epiſcop. Carnotenſis agnoſcit in Papa poteſtatem cõdendi nova iura, & vetera abrogandi, ſalvo iure divino. d. 37. n. 39.

Ioannes Caſsianus, d. 8.

Ioannes Duns Scotus, d. 8.

Ioãnes Maxẽtius, d 8. *Ioãnes Tritemius*.

Ioannes Villanus, d. 32 n. 16.

Ioannes Scotus (longè alius à Doctore Subtili, & antiquior) quis, & an auctor hæreſis Sacramentariorum, d. 9. n. 32.

Ioannis Poliaci errores quinam, & quando damnati, d. 14. n. 19.

Ioanni VIII. Papę quantum honoris & reverẽtiæ exhibuerint Epiſcopi Galliar. d. 4. n. 18.

Ioannes XXII. Papa & Nicolaus IV. an oppoſita & pugnãtia definierint d. 32. ſect 2. Vindicatur à nota hæreſeos. Ibid. n. 14.

Ioſeph Gibalinus Gallus ſcriptor, citatur ſæpe veluti tradens oppoſitũ doctrinę in Declarat. Gallic. Vide pręſertim d. 2. n. 27 & 32. Quædam ἀνακόλουθα in ſcriptis eius detecta, ſeu potiùs cento aſſutus Operi extraneâ manu, d. 6. n. 30. & d 16. n. 48.

Ioſephus Methones interdum allegatur, d. 42. & 43.

S. Irenæus Epiſcop. Lugdunenſis allegatur ſępe pro auctoritate ſuprema, & infallibili R. Eccleſiæ, eiuſque Pręſulũ, ſed præcipuè d. 3. n. 2. Eius Scholiaſtes Fevardẽtius vindicatus ab impudentia Riveti cacodoxi. Ibid. Conciliũ primum Galliæ tempore Irenæi celebratum, d. 4. n. 2. Vide etiam d. 8. n. 15

S. Iſidorus Archiep. Hiſpal.

Iſidorus Mercator quis, & an è cerebro ſuo finxerit, aut intruſerit Epiſtolas Decret. nomine Pontificũ Veterũ ſcriptas, d. 36. n. 17.

S. Iulij Papæ teſtimonia aliquot expenduntur, d. 23. n. 21. & 22.

S. Ivo Carnotenſis in Gallia Antiſtes, ſæpe laudatur & allegatur contra Decl. Cleri Gall. ſed præcipuè d. 3. n 9 & d. 9. n. 36. & d. 11. n. 19. Varia eius loca invicẽ pugnãtia, & quomodo ille circa Inveſt. ad ſaniorẽ mentẽ redierit, d. 11. n. 43. 44. 78. & d. 12. n. 41. & d. 37. n. 38.

Ius coævũ aut cognatũ Regię coronę in bona aut res Eccleſiaſticas, ſine hæreſi non videtur defendi poſſe. d. 11. n. 42. 43. 44. 78. 148. 149.

Ius-

Iuſtinianus Imperator qualiter ſe geſſerit circa fidem, & Sedem Apoſtolicam, d.29.n. 20.& 21. Eius mors qualis.Ibid.n.22.23.24. Qualiter veneraretur Apoſtolicam Sedem antequam laberetur in hereſim,d.35.n.44.

Iuſtinus Imperator quàm obediens Romanę Eccleſiæ & Pontifici,d.35.n.24. Curavit vt Symbolum Conſtantin. caneretur in omni Catholica Eccleſia antequam Dominica oratio diceretur, d.43.n.78.

K

Kenulphi Angliæ Regis ſubiectio erga Leonem III. Papam,d. 35. n.43.

L

Ladiſlaus Hungariæ Rex, quantum veneraretur Romanum Pontificem, d.35. n.35. *B. Lanfrancus* Abbas Beccenſis in Gallia agnoſcit in R.Pontifice auctoritatem infallibilem ad definiendũ, d.3.n.15. & d. 10.n.29.

S.Laurentij Iuſtiniani teſtimonium exſcribitur contra Declarat. Gallic. d.16.n.50.

Leges humanæ an ferantur ſub conditione acceptationis,d.34.n. 23. Saltem vbi Legislator vult efficaciter vt illæ obligent independenter ab acceptatione, ſtatim obligant, d. 34.n.24. & ſeqq.

S.Leander Archiep. Hiſpalenſis adfuit Concilio III. Toletano, in quo particula illa Filioq; addita fuitSymbolo Fidei,d.43.n.77.

Leo Hoſtienſis Cardinal. ſæpe allegatur.

S.LEO Papa I. cognomento magnus quantæ venerationi fuerit Epiſcopis Galliarum,d. 5.n.4.& 5. Illuſtria quædam eius teſtimonia pro auctoritate Sedis Apoſtolicæ infallibili, d.5.n.17.18.19.& 20.Summa Leonis auctoritas & eximiæ laudes in Conc. Chalcedonenſi,d.8.n. 50.& 57.Varia eius teſtimonia vrgẽtur contra Declar. Gallicanam.Ibid.61. & d. 22.n.7.& d.26.n. 3. Vindicatur à calumnijs hæreticorum,d.29.n.6.7.

S.Leo II. Papa quantæ venerationi fuerit Conſtantino Pogonato Imperatori,d.9.n. 14. Confirmavit VI. Synodum, quam & Latinè reddidit. Ibid.

Leo III.Papa atrociter vexatus,erutis oculis, & abſciſſâ linguâ, qualiter ingenti miraculo fuerit reſtitutus ſanitati & integritati membrorum, d. 4. n. 12. Qualiter conſultus fuerit à Carolo Magno circa quæſtionem celebrem *de purgatione Canonica*.Ibid. n.13. Contulit ipſi nihil tale cogitanti Imperatoriam dignitatem. d.35.n.25.54. & 55. Id fecit auctoritate Apoſtolic. Ibidem n.89. Idem Leo Symbolum Conſtantinopolitanum exaratum in lamina argentea ſine particula *Filioque*, collocavit Romæ poſt altare S.Petri, d.44.n.9. & 12. Qualiter ſe geſſerit cum Legatis Caroli Magni,& Synodi Aquiſgranẽſis, circa particulam *Filioque* additam Symbolo cantari ſolito in Gallijs, d.44.n.16.23.& 24.

Leo IV. Papa confirmavit VII. Synodum, & in Bibliotheca Vaticana appingi curavit, d.15.n.34.

S.Leo IX. clariſsimus genere ac pietate electus Pontifex cõmuni conſenſu 1049. d. 10. n.4.Damnavit Berengarium eiuſque hereſim in varijs Concilijs. Ibid. Eius inſigne teſtimonium pro auctoritate infallibiliSedisApoſtolicę, d.10.n.10. Formula profeſsionis Fidei, aureis litteris ſcribi digna,d.10.n.11.12 13.14.An primus ex cathedra definierit proceſsionẽ Spiritus S. ex Filio.Ibid n.16. Quæ prodigia præceſſerint eiusPontificatum,d.31 n.32. Quantum auctoritatis habuerit apud eũ Hildebrandus,qui poſtea fuit Greg. VII.Ibid.

Leo X. Papa iniit Concordata cum Rege Galliarum Franciſco, vice Pragmaticę Sanctionis,d.11.n.81. Quid de ijs, ſive de ipſorum abuſu, ſentiant graves Scriptores Galli. Ibid. & n. 108. circa finem.

Leo Allatius recens ſcriptor Græcè & Latinè eruditiſſ.laudatur,d.9.n.53.& d.35.n.60

Leo Armenorum Rex qualiter Innocentiũ III. Papam veneratus fuerit,d.35.n.47.

Leo Iſaurus Imperator CP. Iconomachus à Gregorio II.Papa excommunicatus fuit, d. 35.n.64.

Leo Imperator Conſtantinop. eius nominis VI.cognomento Sapiens,auctor variorum Operum, ſed præcipuè Ἐξηκονταβίβλος, laudatur, d.9.n.54.Excommunicatus fuit à Nicolao Patriarcha CP. ſed abſolutus à Ioanne IX.Papa,d.35.n.44.& 66.

Liberius Papa an aliquando fuerit reus violatæ Catholicæ fidei, d.28.ſect.2. latè, & ſect.3. varijs locis.

Libertates Gallicanæ, quæ in ipſo aditu Recentis Declarationis præfiguntur, examinantur latè d.34.per totam, & d.37.ſect.4.& d.38.ſect.2.& d.39.& d.40.præſertim ſect.2.

Libertatis multiplex notio,d.34.n.4.5.6.

S.Linus Papa & Martyr vindicatur à nota erroris,d.27.ſect.2.per totam.

Loayſa Archiep. Toletanus, Vir doctiſſ. ſæpe citatur.Impugnatur d.42.n.2.& 3.

Loci tres præcipui Theologorum, quinam ad comprobandum aliquid, tanquam fide divina certum,d.22.n.19. Oſtenditur omnes illos intervenire circa auctoritatem infallibilẽ R.Pontificis. Ibid.ſect.2. & ſeqq. vſque ad finem,& d.23.ad 24.per totas.

Lolhardorum ſecta quænam, & quando damnata, d.14.n.18.

Lotharius Imperator Ludovici Pij filius ob multa crimina contra Eccleſiam, patrem, & fratres,commiſſa, exauctoratus fuit ab Epiſc. Gall.d.35.n.28.& 89.

Lotharius Rex Galliarum, prædicti Lotharij Imperatoris filius, reprehenſus à Pontificibus Romanis ob ſcelera ſua, qualiter ſe geſſerit, & vitam finierit, d. 35. n. 29.

Lovanienſes multi videntur negare nunc auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiendo, d. 1. n. 2.3.4.contra veterem & receptam doctrinam eius Academiæ. Ibidem n. 4. etiam iuramento ſtatutam, d. 1. n. 5. & poſt Bullas Innocentij X. atque Alexandri VII. Ibid. & n. 6. An Michael Baius, & Cornelius Ianſenius, Profeſſores eius Academiæ, negaverint auctoritatem infallibilem Romani Pontificis ad pronuntiandum de fide & moribus, d. 18. per totam. Quid tradiderint Profeſſores eius nobiliſsimæ Academiæ circa id poſt damnatam doctrinam Baij, & deinde Ianſenij, d. 19. per totam. Qualiter aliqui ex ijs eludere conentur iudicium Romani Pontificis quoad quæſtionem facti, d. 20. per totam. Reijciuntur Severo Diplomate Alexandri VII. Ibidem ſect. 3. Quàm malè & falsò dicant aliqui ex ijs, nō extare in Ianſenio propoſitiones quinque damnatas ab Innocentio X. d 21. per totam.

Lucas D'Acherius Benedictinus, ſcriptor celeberrimus à quadraginta circiter annis vſque modò in Gallia, citatur ſæpe, & laudatur præſertim d 9. n. 65.

Lucidus Presbyter an in hæreſim Prędeſtinatianam inciderit, d. 8. n. 88 & 91.

Lucius Anglorum Rex Chriſtianus primus, qualiter obedientiam profeſſus fuerit S. Eleuthero Papæ, d. 35 n 36.

S. Lucij Papæ & Martyris Epiſtola ad Galliarum Epiſcopos, d. 5. n. 5.

Ludovicus Bavarus excommunicatus & privatus dignitate Imperatoria à Pontificibus, d. 35. n. 100. Habuit ſtipendiariū Theologum ſibi devinctum Ochamum. Ibidem.

Ludovicus Pius Francorum Rex, & Imperator glorioſus. Concilia eius tempore celebrata agnoſcunt auctoritatem infallibilem Romani Pontificis, d. 4. n. 16. & 17. Quantum curaverit Eccleſiarum libertatem, & quomodo ob peccata ſuam publicam pœnitentiam egerit, d. 35. n. 26. Quàm obediens fuerit Romano Pontifici, & quomodo iniuſſu ipſius Comitia Eccleſiaſtica celebrare non fuerit auſus, d. 35. Ibid. n. 27.

S. Ludovici Galliarum Regis laudes habentur varijs locis: ſed præcipuè ex Broimardo, & Genebrardo, d. 11. n. 142. Quibus verbis commendaverit Philippo filio ſuo obedientiam erga R. Pontificem, d. 35. n. 32.

Ludovicus XI. Galliarum Rex quantum ſiduterit ſervandę libertati Eccleſiarum, d. 11. n. 142. circa finem. Quanta eius veneratio erga Romanum Pontificem, d. 16. n. 37. 38. & d. 35. n. 34.

Ludovici XIV. nunc regnantis in Gallia laudes, d. 11. plurimis locis habentur: ſed præcipuè d. 11. n. 46. 75. 77. 141. 142. 205. & d. 45. n. 17. Nihil ſalutarius ipſi Glorioſiſſimo Principi & Regno fore, quàm acquieſcere Pōtificis monitis, & conſulere omnimodæ libertati Eccleſiarum, electionumque ad ſacra munia: nihil autem exitialius vtrique quàm ſecus facere, d. 11. ſect. 6. 7. 11. & 16. ferè per totas.

Luitprandi quænam vera ſcripta, quænā ſuppoſititia, d. 9. n. 56. & d. 28. n. 12.

Lutetia Pariſiorum ſæpe laudatur ab Auctore, veluti oculus litterarij Orbis.

Lutherus cum ſequacibus initio ferè dānatus à Schola Pariſienſi, d. 6. ſect. 1. Vberius autē à Leone X. d. 17 ſect. 1. Deinde ab Adriano VII. Ibid. ſect. 2. Quibus locis exſcribuntur vtriuſque Pontificis graviſsima Diplomata in illū impium & perditiſsimum Hęreſiarcham, huiuſque mores & dogmata peſtilentiſsima. Luterani impetentes Hierarchiam Eccleſiaſticam, Miſſæ ſacrificium, & abſtinentiā à carnibus, refelluntur, d. 27. n. 22. & ſeqq.

M

Macedonius Hæreſiarcha quando & quomodo damnatus ab Eccleſia, d. 8. n. 35 & ſeqq.

Magiſtratus Galliæ, ſeu Conſiliarij aut Cōſulti aliquot, tradunt, Regibus Chriſtianiſsimis eſſe ius, coronæ ipſi coævum, ad quaſdam res, functiones, & bona Eccleſiaſtica: verùm inſigni errore, & fidei Catholicæ contrario, d. 11. n. 42. 43. 44. 60. 78. 148. 149. Arreſta duo illorum contraria Romano Pontifici indicantur & improbantur, d 11 n. 195. 197. & 198. Videntur aliqui eorum premere veſtigia Petri de Cognerijs, d. 14. n. 20. & 21.

Marca Archiep. Pariſienſis citatur & laudatur ſæpe: ſed præcipuè d. 6. n. 26. Eius doctrina circa Gallicanas Libertates, exſcribitur, d. 24. ſect. 2. Examinatur latè. Ibi. ſect. 3 & 4. Quid ſentiat circa moderationem Pontificiæ poteſtatis, an iuxta Canones exigenda ſit, d. 37. n. 3. 4. 41. & 45. Plura ex ipſo obſervata circa theſes erroneas & ſchiſmaticas, quorundam hypercriticorum Galliæ, d. 40. n. 8. 9. 10. Reijciuntur ab ipſo. Ibid. n. 14. laudandus in eo præ nuperis Antiſtitibus Galliæ, quàvis & interdū lapſus fuerit, d. 40. n. 15. 16. & 17.

S. Marcelli P. & Martyris teſtimoniū contra Declar. Gall. d. 8. n. 40. & 45. & d. 23 n. 17.

S. Marcellinus Papa & Martyr an aliquādo negaverit fidem Chriſti, cæteriùs ſaltem, offerendo thus idolis, d. 28. ſect. 1, latè.

S.

S. Marci Evangelium qualiter approbatum fuerit, d.8.n.6.

S. Marci Papæ inſignis locus contra Declarat. Gall. d.23.n.20.

Marcus Antonius de Dominis, impius, Apoſtata, reijcitur, præſertim, d.39.n.24.

Marcus Epheſius negans in Conc. Florentino proceſsionem Spiritus S. ex Filio, & ſupremam auctoritatē Papæ non ſatis agnoſcens, qualiter refutatus fuerit à Gregorio Hieromonacho, d.16.n.54.55.56. Vide etiam d. 43.n.297.& ſeqq.

Mariani Scoti teſtimonium pro Gregorio VII. Papa, d.31.n.10.& 20. & 38.

S. Martinus I. Papa vindicatur à nævo Novatianiſmi, d.30.n.8.& 9.

Martinus V. qualiter confirmaverit decreta Concilij Generalis Conſtantienſis, d.15.n. 9.10.& 12. Definivit, tam iure divino, quàm humano & Eccleſiaſtico, nulli fas eſſe declinare iudicium Pontificis vllo modo in cauſis fidei, vel ab eius ſententia appellare, d.15.n. 12. Indixit quidem Concil. Baſileenſe, & Legatum ac Præſidem nominavit Iulianū Cardinalem, d.15.n.20.21. & 22. Eius Decretū memorabile editum toto Concilio Conſtantienſi approbante, d.15.n.42.

Mavillon recens & erudiriſſ. in Gallia ſcriptor Sæculorum Benedictinorum, aliorūque Operum, allegatur ſępe, præſerrim n. 24. & 31.

S. Maximi illuſtris locus pro auctoritate Infallibili Romani Pontificis, d.33.n.24.

S. Medardi Monaſterium in Gallia quàm inſigne privilegium acceperit à S. Gregorio Magno, d.35.n.63.

S. Melchiades Papa quas hæreſes extra omnem Synodum Oecumenicam damnaverit, d. 8.n.28. & 29. Teſtimonium eius obſervatu dignum contra Declarationem Cleri Gallicani. Ibidem, & d.23.n.20.

Melchior Canus ſummus & eruditiſsimus Theologus, laudatur ſæpe, præſertim d. 7. n. 16.& d.22.n.41. Defenditur ab impugnationibus P. Vazquez, d.30.ſect.5. Vide etiam d. 36.n.13. poſt medium.

Michael Cerularius Patriarcha Conſtātinop. ſchiſmaticus, quàm immaniter debachatus fuerit in Papam, & Eccleſiam Romanam, d.41.ſect.3.latè.

Michael Imperator Orientis in Epiſtola ad Concilium II. Lugdunenſe Oecumenicum profitetur obedientiam R. Pontifici, eiúſque ſupremam poteſtatem agnoſcit, d.35.n.45.

Michael Medina inſignis Theologus laudatur interdum, præſertim d.7.n.15.& d.37. n. 4 fine.

Miſsio divinarum perſonarum duplex: quædam æterna, alia temporalis. Ex vtraque convincitur, Spiritum S. procedere à Filio, ſicuti à Patre, d. 43. n.91.& ſeqq. ac n. 107. & ſeq.

Montani hæreſis quando damnata, & qualiter à Tertulliano recepta, ac poſtea refutata, d.8.n.18. Immerito illius approbatio imputatur Zephyrino Papæ, d.27.n. 29. & ſeqq.

N

Nationum diverſarum varij mores, ſtatuta, & regulæ, obſervātur generatim, d. 38.n.2. Quatenus probentur aut improbentur ab Eccleſia. Ibid. latè tota diſputat. in qua & varij textus Iuris Canonici explanantur.

Natura trium perſonarum in divinis vnica eſt & eadem numero, iuxta Catholicam fidem, d.43.n.271.273.& 278. Qualiter exponenda ſint teſtimonia quædam Patrum aientium, in pluribus hominibus eſſe vnam naturam, non plures, d.43.n.279.& ſeqq. latè.

Nauclerus quid ſentiat de Gregorio VII. Pontifice ſanctiſsimo, d.31.n.19.

Neophyti non obſtante mandato Apoſtoli, interdum electi fuerunt ex iuſta cauſas Epiſcopi, tota Eccleſia vidente, & probante, d.37.n.41.

Neſtorij hæreſis damnata in Conc. Epheſino Oecumenico memoratur varijs locis: & pręſertim d.43.n.122. De Epiſtola S. Cyrilli adverſus Neſtorium ipſum deſſeruntur plura, d.42.ſect.1.& 2.

Nicæna I. Synodus. Vide *Conc. I. Oecumen.*

Nicæna II. Synodus. Vide *Conc. VII. Oecumenicum*. Quantam contradictionem in Gallis experta fuerit quoad cultū ſacrarum Imaginum, ſicuti & in Græcia, d.37.n.14.& ſeqq. ac d.39.n.10.11.12.13.& 14. An in ea definita fuerit proceſsio Spiritûs Sancti ex Filio, d.42.n.12.

Nicænum Symbolum exhibetur ad litteram, d.43.n. 73. Multa circa illud obſervantur, & præſertim cur in eo non fuerit expreſſa proceſsio Spiritûs S. Ibid. n.73.74.& 75.

Nicephori Calliſti varia teſtimonia allegantur: ſed præcipuè circa Liberium Papam, d.28.n.24. circa Vigilium Papam & Iuſtinianum Auguſtum, d.29.num.20. circa Philippū Imperatorem, d.33.n.60.

Nicolai I. Papæ decretum quoddam pro auctoritate & iudicio irreformabili Romanorum Pontificum, d.5.n. 27. Vide præterea d.9. n. 36. & alijs pluribus locis teſtimonia illius clariſsimi, & ſanctiſsimi Pontificis allegantur, expenduntúrque. An erraverit pręſcribens formam Baptiſmi reiectam à Prædeceſſoribus ſuis Pelagio & Zacharia, d. 30. ſect. 4.& 5. latè. Eius diſsidia cū Hincmaro Rhemēſi apud Galliā & Photio invaſore Sedis CP. in Græcia, d. 37. ſect. 2. latè. Audenter impetitus fuit, & hæreſeos accuſatus ab ipſo

Photio.d.41.n.8.Defenſus ab Adriano II.Papa, & à Synodo VIII. Generali. Ibidem n.8, 9. & ſequentibus.

Nicolaus IV. Papa, & Ioannes XXII. an oppoſita invicem & pugnantia definierint. d. 32 ſect.2.& iterum ſect.3.n.24. & 25.

Nicolai V. tempore damnata fuit hæreſis quædam Mathæi Palmarij.d.15.n.44.

Nicolaitæ hæretici quinam, quando, & quomodo damnati. d. 8. n.8. An verè Nicolaus Diaconus fuerit auctor hæreſeos ipſorum. d.28.n.12.

Noetiani hæretici damnati extra Concilium Oecumenicum.d 8.n.13.

Nomina perſonarum divinarum ſunt relativa.d.43. n.22.23.24. Nomen πνευματικὸς, ſive ſpiritûs.eſt σχετικὸς. ſeu importans habitudinem ad alium. Ibidem.

S. Norbertus hæreſes profligavit Apoſtolico ſpiritu. d. 12.n.8.

Notiones propriæ ſingularum ex divinis perſonis explanantur.d.43.n.274. & ſeqq.

O

Occidentis Imperatores Regeſque Catholici obedientiam & reverentiam exhibere ſoliti Romanis Pontificibus.d 35.ſect.3.4.& 5. ſæpe ab ijs excommunicati fuerunt.Ibid.ſect. 6. Sæpe etiam privati poteſtate temporali ob apoſtaſiam & alia graviſsima ſcelera. d. 35. ſect.7 & 8.

Ochami opinio quædam hæreſis nomine damnata à Ioanne XXII.Papa.d.14.n.12.Nec vllo modo probata à. Nicolao IV. Ibid. Fuit ſtipendiarius Theologus Ludovici Bavari Imperatoris,excommunicati & dignitate privati à Pōtificibus Romanis.d.35.n.100. Genius illius, & ſtudia, à Raynaudo deſcribuntur.d. 36.n.15. Poſuit ova,quæ Gerſo poſtea excluſit. Ibid Sed reſipuit tandē. Ibid.Plura de illo Genebrardus.d.39.n.2.Vide etiam d.40.n.7.

Oculorum licentia frænanda ad ſervandā pudicitiam.d.27.n.16.17.18.

Opinio negans auctoritatem infallibilem Romano Pontifici ad dirimendū quæſtiones fidei & morum, independenter à Concilio Oecumenico, vel conſenſu Eccleſiæ accedentes, quibus notis inuratur à Doctoribus, & Patribus.d 7.ſect.2.& 3. ac d.22. ſect.1.& d. 40.ſect.3.Opinio negans Papam eſſe ſuperiorem Concilio Oecumenico, quàm contraria ſit definitionibus Conciliorum, Patrum, & Doctorum. d 16.17. 36. ferè per totas, & d. 40.n.18. Opinio negans Papæ poteſtatem ad exauctorandos Principes hæreticos, qualiter exoſa omnibus verè orthodoxis.d.35.præſertim ſect. 2.& d. 40. n. 18. Opinio ſubijciens Papam Canonibus Synodorum,quàm falſa,d. 37 per totam.Opinio negans Papæ auctoritatem infallibilem,niſi accedat conſenſus Eccleſiæ, an aliquid veneni includat contra auctoritatem Conciliorum Vniverſalium.d.39. per totam.

S.Optati Millevitani varia teſtimonia vrgentur contra DeclarationemGallicanam:ſed præcipuè d.10.n.20.& d.22.n.7.

Orebitæ hæretici quinam, & quomodo damnati. d.15.n.41.

Orientis Imperatores qualiter abuſi fuerint Inveſtituris vſque ad vicina ſæcula.d.11. n. 34. & ſeqq. vſque ad 41. Subiectionem & obedientiam profeſsi Romanis Pontificibus. d.35.ſect.3. 4. 5. 6. ſparſim. Ab ijs interdum excommunicati. Ibidem.

Origenis lapſus miſerabilis, & varij evētus, atque hæreſes ipſi adſcriptæ, & à Sede Apoſtolica damnatę.d.8.n.18 & 20.

Oſuuius Angliæ Rex qualiter obedientiā profeſſus fuerit erga R.Pontificē. d. 35.n.36.

Oſius Cordubenſis Epiſcopus prælедit tanquam Legatus Papæ in Concilio Alexandrino.d. 8.n.32.Deinde in Nicæno Oecumenico. Ibid.n.34.

Otho Friſingenſis quid ſcripſerit de Gilberto Porretano.d.12.n.21.& ſeqq. Qualiter tueatur Gregorium VII.Papam.d.31.n.15.

Otho V. Imperator excommunicatus fuit ab Innocentio III. d. 35. n.73.

P

PAPA an in definitionibus de fide & moribus, prolatis ex cathedra, ſit omnino infallibilis,independenter à Concilio,& à conſenſu Eccleſiæ accedēte. Vide Tract.I.& II. integros ea de re. Nullus Papa hactenus,etiam vt perſona privata, invenitur à fide Catholica deviaſſe. Tract.II. per tot. An id ſit poſsibile. d.33.ſect.1.An ſit ſupra Concilia, etiam Oecumenica.d.15. & 16 & 36.per totas. An ſit præditus poteſtate ſuprema in Regna,& dominia temporalia,ſaltem indirectè, vt poſsit exauctorare quoslibet Principes hæreticos, & ſchiſmaticos.d.35. per totam. An Conſtantini donatio in gratiam Papæ ſit legitimè & authenticè comprobata,Ibid.n.111.An poteſtas eius ſit moderanda aut reſtringenda iuxta Canones Conciliorum Generalium, ſeu particularium.d.37. per totam. Vide v. *Pontifex Romanus*, & v. *Auctoritas.*

Παπισσομανοῦντες, nimirum, inſanientes circa fabulam illam de Ioanna Papiſſa, convincuntur aperti mendacijs & erroris manifeſti. d. 9. ſect. 6. latè.

Paradoxon cuiuſdā Recentioris Pariſienſis circa auctoritatē Conciliorum Vniverſalium, refertur, & confutatur d.30.ſect.3. & 4.

Particula FILIOQVE quando primùm addita Symbolo.d.43 n.77 78.& 79. atque iterum latiùs d 44.per totam.An iure id factum ab Eccleſia Hiſpana, & deinde à Romana. d. 44.ſect.2.& 3.

Paſchalis II. Papa initio reſtitit fortiter Henrico IV. & V. circa Inveſtituras, ſed tandem vi & laboribus confractus, ceſsit, d. 11, n. 2. & 3. Quàm malè audierit propterea apud Cardinales, Epiſcopos, & Patres eius temporis. d. 11. n. 5. & ſeqq. latè. Excuſatur à nota hæreſeos in eo facto. Ibid. n. 28. 29. & 30. Eius reſcriptum ad S. Anſelmi Cantuarienſis conſultationes varias. d. 41. ſect. 5.

Patres Eccleſiæ paſsim ferè allegantur toto Opere. Præcipuorum ex ijs nomina quære in proprijs locis huius Alphabetici Indicis. Eorum auctoritas quanta, etiam iudicio Romanorum Pontificum d. 37. n. 4. Si quiſquam eorum alicubi erraſſe invenitur, humano lapſu, nihil obſtat venerationi ipſius. d. 41. n. 29. Patres Græci & Latini, excepto Theodoreto, communiter tradiderunt, Spiritum S. procedere non ſolùm ex Patre, ſed etiam ex Filio, d. 43. n. 1. & ſeqq. ac deinceps latè diſcurſu eius longæ diſputationis.

Patres. Eccleſiæ Gallicanæ vnanimiter tradiderunt, auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in definiendo de fide & moribus, d. 3. per totam, & ſæpe alijs locis.

Patres I. ſæculi eandem doctrinam tradétes, d. 8. ſect. 1. Patres II. ſæculi, ſect. 2. Patres III. ſæculi, ſect. 3. Patres IV. ſæculi, ſect. 5. Patres V. ſæculi, ſect. 7. Patres VI. ſæculi, d. 9. ſect. 1. Patres VII. ſæculi. Ibid. ſect. 2. Patres ſeculi VIII. ſect. 3. Patres ſæculi IX. ſect. 5.

Patres XI. ſæculi pro eâdem ſententia, d. 11. ſect. 2. 3. & 4. latè.

Patrer XII. ſæculi tradentes eandem doctrinam, d. 12. ſect. 5.

Patres XIII. ſæculi, d. 13. ſect. 5.

Patres XIV. ſæculi, d. 14. ſect. 4.

Patres XV. ſæculi, d. 16. per totam.

Patriarchæ quatuor Eccleſiarum Orientalium ſæpe naufragium fecerunt in fide, immo & Hæreſiarchæ fuerunt, d. 26. ſect. 3. per totam. Nempe non habent privilegiũ cõceſſum Petro, & ſubinde Patriarchę Vniverſali, ſeu Papæ ipſius Succeſſori. Ibid. Aliquádo conati ſunt abrogare Imperatores, d. 35. n. 90.

Patriarchæ Antiocheni hæretici, d. 26. n. 18.

Patriarchæ Alexand. hæretici, d. 26. n. 19.

Patriarchæ Conſtantinopolit. hæretici, d. 26 n. 15. 16. & 17.

Patriarchæ Hieroſolymitani hæretici, d. 26. n. 20.

Patripaſsiani hæretici quinam, & quando damnati, d. 43. n. 47.

S. Pauli Apoſtoli diſsidiũ cum Petro explicatur, d. 27 ſect. 1. Plurima eius loca explanantur decurſu Operis.

Paulo Samoſateni errores damnati in duplici Synodo Antiochena, & à quibus, d. 8. n. 23. Fuit inventor appellationum à iudicio Papę ad Imperatores. d. 36. n. 12.

Paupertas religioſa impetita à quibuſdam Hæreſiarchis, d. 13. n. 22.

Pelagij hæreſis quando orta, à quibus Põtificib⁹, & qualiter dãnata, d. 8. n. 50. 51. & 62.

Philippi Imperatoris Romani humilitas erga Eccleſiam & pœnitentia, d. 25. n. 6.

Philipus Labbe Vir eruditiſsimus, & πολυγραφώτατος, laudatur ſæpiſsimè toto ferè decurſu Operis.

Pikardorum ſecta quæ, & quomodo damnata, d. 15. n. 40.

S. Pij I. Papæ reſcriptũ ad Gallos, d. 5. n. 2.

Pij II. Papę diſertiſsima & eruditiſsima Bulla, in qua damnat Acta Concilij Baſileẽſis, & veterem ſuam opinionẽ retractat. d. 16. ſect. 1. per totam. Notæ in eandem Bullã. Ib. ſect. 2.

Pius IV. Papa qualiter confirmaverit Tridentinam Synodum, d. 17. n. 48. & 49.

B. Pij V. elogium, & qualiter damnaverit dogmata Baij, d. 17. n. 50.

Pithœus ſcriptor eruditiſsimus ſæpe allegatur cum laude.

Pelagius I. Papa an definierit aliquid circa formam Baptiſmi, d. 30. ſect. 4. & 5. latè.

Perronius Cardinalis doctiſsimus, Põtificiæ auctoritatis aſſertor in Gallia, d. 35. & 39

Περιχώρησις, in divinis perſonis, quid ſit, d. 43. n. 211. & ſeqq.

Petrarcha vir ſui ſæculi eruditiſſimus mirè laudavit Vrbanum V. Papam, d. 32. n. 15.

Petavius. Vide *Dionyſius Petavius.*

S. Petri cathedra, eiuſque auctoritas infallibilis & ſuprema in totam Eccleſiam, ſive intra, ſive extra Concilia Oecumenica, defenditur toto decurſu Operis. An ex pollicitationibus Chriſti Petro factis extorqueatur auctoritas infallibilis R. Pontificis in definiendo de fide & moribus, tanquam certa ſecundùm fidẽ d. 22. per totam. An id ipſum conſtet ex privilegijs à Deo conceſsis B. Petro, & ſubinde Eccleſiæ Romanæ, d. 26. per totam. Vbi varia eiuſdem Principis Apoſtolorum privilegia, prærogativæ, & laudes. Qualiter à Sectarijs arguatur erroris, & quomodo ab ea calumnia vindicandus ſit, d. 27. ſect. 1. per totam. Quale fuerit eius diſsidium cum Apoſtolo Paulo circa legalia, & quomodo intelligendum. Ibid. n. 5. & ſeqq. latè. Quantæ venerationi ſemper fuerit eius ſepulchrum, d. 27. n. 19. 20. & 21.

Petrus Bleſſenſis Gallus agnovit auctoritatem Romani P. infallibilem, d. 3. n. 12.

Petrus Marca. Vide *Marca.*

Petrus Oxomenſis qualiter erraverit circa confeſsionem Sacramentalem, d. 15. n. 45. Eius error damnatus fuit, & ipſe illum ſerio retractavit. Ibidem.

Petrus Venerabilis Gallus pro auctorita-

te infallibili Papæ, d. 3. n. 11. & d. 37. n. 78.

Petrus de Cugner, quàm ridiculus in Gallia; & quâ cauſâ, d. 14. n. 20. 21.

Photius invaſor Sedis Conſtantin. continuator fuit erroris Græculorum de proceſsione Spiritûs S. à ſolo Patre, d. 9. n. 31. Schiſmat. impudens adverſus Nicolaū I. Papā; notatur in VIII. Synodo Generali, d. 9. n. 37. Iuratus hoſtis Eccleſiæ Romanę, & ſchiſmaticorum Anteſignanus, qualiter cū ſuis fuerit dānatus in eadem Synodo, d. 37. n. 11. 12. & 13. Ipſum imitatus fuit in multis eodem tempore Hincmarus Remenſis in Gallia, d. 37. n. 14. 15 & 16. Parallelus vtriuſque. Ib. n. 17. 18. & 19. Fruſtra & immeritò ambo allegabant Canones, d. 37. n. 22. 25. & 34. Plura alia de Photio, d. 41.

Philippi Imperatoris Romani humilis ſubiectio erga Romanum Pontificem, & pœnitētia publica, d. 35. n. 60.

Philippus Auguſtalis pater S. Eugeniæ Virginis & Martyris, fuit longè alius à Philippo Imperatore, d. 35. n. 23.

Philippus I. Galliæ Rex fuit excōmunicatus primùm ab Vrbano II. deinde à Paſchali II. ſed reſipuit, d. 35. n. 69.

Philippus Pulcher Galliarum Rex qualiter ſe habuerit cum Bonifacio VIII. Papa, d. 32. n. 13. Quid demum ipſi acciderit, & filijs eius, teſte S. Antonino, d. 35. n. 99.

Philippus Labbe Vir eruditiſsimus, & πολυγραφώτατος, ſæpiſsimè allegatur, præſertim in editione noviſsima Conciliorum, & in Diſſertatione de Scriptoribus ſacris.

Platina allegatur ſæpe in Vitis Pontificum, præſertim Gregorij VII. cuius electionis formulam affert, d. 31. n. 30.

Plebeÿ hæretici quinam, quando, & quomodo damnati, d. 8. n. 7.

Πνεύματος vox, id eſt, ſpiritûs, eſt σχετικὴ, ſeu relativa, quæ importat habitudinem ad πνέοντα, ſeu ſpirantem. d. 43. n. 23.

Pneumatomachi hęretici quando & quomodo damnati, d. 8. n. 35. 36. 37. & 38.

Pœnitentium quatuor gradus olim in Eccleſia, & quinam, d. 35. n. 60. & 61.

Pontificis Romani auctoritas extra & ſupra Concilia, atque in totam Eccleſiā, ad pronuntiandum ex cathedra de fide & moribus, iudicio vltimo & irrefotmabili. Vide toto Tract. I. Quando conveniat aut non conveniat cogere Oecumenicum Synodum ad dirimendas quæſtiones fidei, d. 33. n. 11. & ſeqq.

Pontifices Romani ab erroribus immunes in definiendo, & liberi à nota hæreſeos oſtēduntur, etiam vt perſonæ privatæ. Tract. III. per totum d. 25 vſque ad 34. Pontificum I. ſæculi defenſio, d. 27. ſect. 1. & 2. Pontificum II. ſęculi. Ibid. ſect. 3. & 4. Pontificum III. ſæculi. Ibid. ſect. 5. Pontifices IV. ſæculi vindicantur, d. 28. per totam. Pontifices V. & VI. ſæculi immunes à nota hæreſis & erroris, d. 29. per totam. Pontifices VII. VIII. IX. & X. ſæculi ſimiliter, d. 30. per totam: ac præterea d. 44. n. 37. Ex Pontificibus ſæculi XI. vindicatur latè S. Greg. VII. d. 31. per totam. Pontifices reliqui ſæculorum ſequentiū defenduntur, d. 32. Quibus præterea argumentis impetatur eorū auctoritas, & quàm fruſtrà, d. 33 per totam. Illorum poteſtas ſupra omnes Principes ſæculares, & auctoritas ad eos excōmunicandos, abrogandoſque, latè ſtatuitur, d. 35. per totā. Poteſtas illorum ſuprà Canones Conciliorū tradita & explanata, d. 34. ſect. 4. & d. 37. per totam. Eorum poteſtas ſupra Concilia, etiā Oecumenica, ſtabilitur latè d. 15 & 18 & 38. per totam. An qui negant ijs auctoritatem infallibilem ad definiendum, eandem quoque negēt, aut negare cogantur Oecumenicis Concilijs, d. 39. per totam. Nonnunquā indulgent, vt cōtroverſiæ ab ipſis definitæ, iterū in Concilijs ad maiorem ſolemnitatē diſcutiantur, d. 8. n. 35. 36. 37. & 38. An in Epiſtolis Decretalibus loquantur interdū vt Doctores ſingulares, vel perſonæ privatæ, & proinde aliquādo erraverint, d. 30. ſect. 4. latè. Vide v. *Auctoritas*, & v. *Papa*.

S. Pontianus Papa & Martyr defenditur à calumnijs hæreticorum, d. 27. n. 37. & ſeqq.

Porphyrij impietas in Principes Apoſtolorum, d. 27. n. 11.

Poteſtas ſpiritualis Romani Pontificis in omnes Chriſtianos, etiam Reges & Imperatores, ſtabilitur, veluti certa ſecundùm fidē, d. 35. ſect. 3. 4. 5. & 6. An extendatur ad illos exauctorandos ob apoſtaſiā. Ib. ſect. 7. 8. 9. & 10.

Prædicatorum ordo quàm apertè tradiderit cum D. Thoma auctoritatem infallibilem R. Pontificis in pronuntiando de fide & moribus, d. 6. n. 12. 13. 14. & d. 7. n. 16.

Prædeſtinatiana hæreſis an verè extiterit & quando, ac quomodo damnata fuerit, d. 8. ſect. 8. latè à n. 66. vſque ad 91. Qualiter inſtaurata & denuo proſcripta fuerit ſęculo IX. d. 9. ſect. 4.

Pragmaticorum Galliæ errores varij refutantur, d. 34. & d. 40. ſect. 2.

Principium quotupliciter accipiatur ab Ariſtotele, d. 43. n. 188. An locum habeat inter divinas perſonas. Ibidem & ſeqq. latè.

Proceſsio Spiritus S. à Filio, an definita fuiſſet ab Eccleſia in aliquo Concilio Vniverſali, aut Provinciali, antequam S. Anſelm. illā tueretur in Conc. Barenſi cōtra Græcos, d. 42 latè per totā. Qualiter illam probaverit S. Anſelmus contra Græcos, licèt nondum definita fuiſſet in aliquo Concilio Oecumenico, d. 43 per totam latiſsimè. Vide v. *Spiritus S.*

Pro-

Productio eſt alterum, non ad ſe, tam in divinis, quàm in creatis, d.43.n.44.

Πρόσκλαυσις qunmodo perageretur olim à pœnitentibus, d.35.n.60.

PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR, ex communi Eccleſiæ ſenſu, d.4.n.12.& d.28.n.3.& d.36.n.11.

Primatus Romani Pontificis in totã Eccleſiã firmatur ſæpiſsimè: ſed præſertim ex Conc. Oecumenicis. Vide, præter plura alia loca, d.9.n.37 d.15.n.31.& 34.& d.36.n.10.cum ſeqq.

Principes ſæculares an ob apoſtaſiã à fide exauctorari poſsint à R.Pontifice, d.35.per totam latè. Sententia affirmans S.Thomæ. Ib.ſect.1. Cõmunis apud omnes verè orthodoxos vſque ad initium huius ſæculi, & à ſolis Heterodoxis impetita. Ibid.ſect.2. Probatur ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, d.35.ſect.7. per totam. Probatur ex diuturna Eccleſiæ praxi. Ibid.ſect.8.

Privilegia S.Petro conceſſa, & Eccleſię Romanæ præ alijs Patriarchalibus, an extorqueant auctoritatem ipſius infallibilem, d.26. per totã. Quãtum oporteat vt privilegia Eccleſijs conceſſa ſerventur, d.35.n.63.& 86.ac præterea d.37.n.4.& 5. Privilegia San-Dionyſiana à Gerberto Rhemenſi Archiep. impugnata olim, d.37.n.16.

Profeſsio fidei aureis ſcribi litteris digna, prolata à Petro Patriarcha Alexandrino, & probata à S.Leone IX.Papa, d.10.n.11.12.13.

S.Proſperi Aquitani varia teſtimonia indicãtur aut expenduntur contra Declarationẽ Gallicanam, præſertim d.10.n.32.fine, & d.12.n.18.

Protho Prumienſis Monachus in Diœceſi Trevirenſi, olim ſpectante ad Eccleſiam Gallic. agnovit auctoritatem infallibilem R. Pontificis ad definiendum, d.3.n.19.

Pſeudo-Apoſtolorum ſecta, quænam, & quando damnata, d.13.n.31.32.& 33.

Q

Quartadecimani exagitati in Conc. Gallicano, cùm S.Irenæus eſſet iam Epiſcopus Lugdunenſis, d.4.n.2.

Quinta Synodus Oecumenica. Vide v. *Conc. V.Oecumenicum.*

R

RABANI Mauri Archiep. Mogontini iudiciũ de Gothescalco, eiuſque erroribus, tum in Concilio celebrato, tum in Epiſtola quadam, d.8.n.71.& d.9.n.27.

Ramos Illuſtriſſ. Francorum Comes, & ſcriptor eximiè eruditus, laudatur ſępe; pręſertim d.18.n.4.& d.25.n.12.16.& d.34.n.35.

Raymundi Lullij & diſcipulorum dogmata, quænam, & an dãnata à Sede Apoſt. d.13.ſect.3.

Rebaptizantium hæreſis, quando orta, & dãnata, d.8.n.19. Qualia fuerint diſsidia S.Cypriani, S.Firmiliani, & plurium aliorum Epiſcoporũ Africæ atque Aſiæ in ea controverſia cum Romanis Pontificibus, d.41.ſect.1.

Reliquiæ SS. à primis Eccleſię tẽporibus honorari ſolitæ, d.27.n.19.& ſeqq.

Regibus, & Imperatoribus, alijſque Principibus ſæcularibus, & generatim Laicis, prohibitæ Inveſtituræ, d.11.n.4.& ſeqq. latè. & 23.24.32. alijſque locis. Reges, & Imperatores, alijque Principes, an propter apoſtaſiam à fide, poſsint à R.Pontifice exauctorari, ſeu privari poteſtate temporali, d.35. per totam. Vbi plurima exẽpla invenies, & non pauca in ijs obſervatu digna, præſertim circa ſubiectionem, & obedientiã illorum erga Sedem Apoſtolicã, non modo quoad perſonas, ſed & quoad vſum poteſtatis temporalis, prout confert in bonum ſpirituale. Ibid.ſect.3.4.& 5. Quomodo poſsint à Papa excommunicari, & quàm ſæpe id factum ſit, d.35.ſect.6. Quã ſæpe ob apoſtaſiam exauctorati fuerint. Ibid.ſect.7.& 8. Argumenta in oppoſitum ſoluta. Ib. ſect.9.& 10. Reges & Imperatores ab iniurijs ſibi illatis aut intentatis appellare ſoliti Romanum Pontificem, d.36.n.22.

Relationis oppoſitio eſt ratio diſtinguendi perſonas in divinis: ideòque vbi illa non intervenit, nulla eſt diſtinctio perſonarum, d.43.n.26.& ſeqq. ac rurſus n.34.& ſeqq.

Reſcripta plura & varia Romanorum Pontificum ad conſultatinnes Epiſcoporum Galliæ, allegantur ſæpiſsimè, ſed præſertim d.5. per totã.

Retractare palam errores in doctrina cõmiſſos multi nolunt, d.16.n.7. Quanto cum reatu & periculo id fiat. Ibid. ac præterea d.40.n.21.

Rhegino Abbas Prumienſis quid ſcripſerit, & quo tempore, d.9.n.55.

Richardi II. Angliæ Regis ſubiectio erga R. Pontificem Clementem III. d.35.n.38.

Roma erat ſub pleno dominio Pontificis multò antequam Leo III. CarolumMagnum dignitate Imperatoria decoraret, d.35.n.111. Idque adhuc abſtrahendo à veritate donationis Conſtantini Magni. Ibidem.

Ruardi Tapper ſententia de auctoritate Papę infallibili, d.7.n.13. Teſtatur eſſe communem omnium Veterum, concorditer ea Scripturis illam tradentium. Ibidem.

Ruiz de Montoya Theologus eruditiſsimus, citatur interdũ, & impugnatur præſertim d.44.n.7.8.9.10.11.12.

S

Sabelliani hæretici cum Sabellio in quo errarent, & quando damnati fuerint, d.8.n.23.& 33.& d.43. latiùs n.47.& 48.

Sacerdos Summus apud Hebræos an haberet auctoritatem infallibilem prnnuntiandi de fide, religione, & moribus, d.21.ſect.5. per totam. An etiam ad abdicandum Reges ob apoſtaſiam à fide, d.35.n.77 78.& 79.

Sacramentarij hæretici, ſive negantes præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiã, an initium habuerint ſæculo nono, idque ex Ioanne Scoto, d.9.n.31. Communis ferè opinio fert, eam hæreſim ortam ſæculo vndecimo à Leutherico Archiep. Senonenſi, d.10.n.2

&

& 3. Deinde Berengarius illam aliè imbibit, & palàm diſſeminavit: quin & interdum abiuratã, iterum invexit. Ibid. n. 4. 5. 6. 7. Fuit prodromus Sectariorum recentium in ea parte, & in commercio cum malo genio. Ibid. n. 7.

Sacrificium Miſſæ impetitum ab hæreticis, præſertim Lutheranis, aſſeritur, d. 27. n. 22. 23. 24. 26. 27. 37. 38. & ſeqq.

Sæcula Eræ Chriſtianæ. Vide *Hæreſes*, & præterea *Patres Eccleſiæ*: vbi illarum damnatio, & horum teſtimonia, inſtituto Operis convenientia, diſtribuuntur per ſingula propria ſæcula.

Sæculum X. à pleriſque dicitur ferreum & obſcurum, propter inopiam Scriptorũ. An poſſit vindicari ab ea nota d 9. ſect 7. per totam.

Samuel Mareſius hæreticus ex meris onochroniſmis & ſomnijs excitare noviter auſus ridiculam illam & anilem fabulam Ioannæ Papiſſæ, exagitatur & convincitur, d 9 ſect. 6. per totam. Vide lepidam eius inſcriptionem à Philippo Labbe editam. Ibid. n. 52.

Sanhedrium apud Hebreos quale eſſet, & cuius auctoritatis, d. 22. n. 63. & quatuor ſeqq.

Sauſſius allegatur cum laude.

Scaſnaburgenſis gravis & verax hiſtoricus defendit Gregorium Papam VII. & damnat Henricum III. d 22 n. 63. & quatuor ſeqq.

Schiſmatis tempore Concilium Oecumenicum habet poteſtatem ſupra Papam dubium, non autem ſupra certum exploratumque, d. 15. & d. 16. & d. 35. latè.

Scripturæ teſtimonia plurima ſparſim explanantur toto Opere. Scripturæ teſtimonijs an extorqueatur auctoritas infallibilis R. Pontificis, d. 11. ſect. 2. & ſeqq. Quænã eius Privilegia præcipua ex Scripturis conſtent, d. 26. per totam. An ex ijs habeatur poteſtas ad abdicandos Principes apoſtatas. d. 35 ſect. 7. 9. & 10.

Senonenſe Concilium anni 1558. laudatur, & quædã eius decreta expendũtur, d. 17. n. 46. & 47.

Sepulchra Apoſtolorum Petri & Pauli in quanto honore fuerint à temporibus Primitivæ Eccleſiæ vſque modo, d. 57. n. 19. 20. & 21.

Sergius III. Papa an decreverit aliquid contrarium fidei, d. 30. n. 54. & ſeqq.

Severinus Binius doctiſsimus Conciliorum Scholaſtes, ſæpe allegatur.

Sigibertus Gemblacenſis an fidem mereatur, d. 31 n. 24 & 25.

S. Silueſter I Papa allegatur ſæpe contra Declarat. Gall. præſertim d. 24. ſect. 1.

Silueſter II. quænã ſcripſerit, d. 9. n. 62. Vindicatur à calumnijs, d. 30. n. 6. & ſeqq.

Simon Magus primus Hæreſiarcha qualiter erraverit, & quomodo damnatæ fuerint eius hæreſes, d 8. n. 5.

S. Sixti I. Papæ & M. locus, d. 3. n. 121.

S. Sixti II. Papę & M. teſtimoniũ, d. 23. n. 15.

Sixti IV. tempore quæ hæreſes damnatæ, d. 15. n. 45.

Sfortiæ Cardinalis Pallavicini illuſtris locus in Hiſtoria Concilij Tridentini, d. 2. n. 16.

Societatis IESV Scriptores quàm apertè tradiderint auctoritatem R. Pontificis pronunciantis de fide & moribus eſſe infallibilem, d. 7. n. 17.

Sol deſervit ad exponendum quoddammodò proceſsiones divinas, d. 43. n. 142. & ſeqq.

Spondanus Appamiarum in Gallia Epiſcopus, nobilis ſcriptor, breviator & continuator Annalium Cardinalis Baronij, allegatur ſæpiſsimè in hoc Opere contra omnia ferè capita recentis Declarat. Gallicanæ: ſed præſertim d. 6. n. 27. d. 11. n. 24. 85. 106. 143. & d. 16. n. 40. 41. 43. 44. 45. 46. Qualiter narret mortem Iuſtiniani Auguſti, d. 19. n. 22. 23. & d. 30. n. 62. & d. 31. n. 40. & d. 41. n. 18.

Spiritus S. proceſsio, ex Filio etiam, declarata in Profeſsione Fidei edita tempore S. Leonis IX. Papæ, d. 10. n. 13. & 16. An fuerit ab Eccleſia definita in aliquo Concilio Generali aut Provinciali ante tempus S. Anſelmi, d. 42. per totam. Quomodo illam probaverit S. Anſelmus contra Græcos in Concilio Barenſi, d. 43 per totam, latiſsimè cum Commentarijs. Oſtenditur Patres Græcos, excepto Theodereto, illam tradidiſſe communiter. Ibid. n. 1. & ſeqq. vſque ad 18. Spiritus S. nomen eſt relativum, ſive ad alterum, d. 43. n. 23. & 24. Spiritus S. vocatur propriè quod Pater & Filius dicuntur communiter. Ibid. Eſt & dicitur Spiritus Filij, etiam iuxta Græcos, d. 43. n. 24. Eſt etiam & dicitur Deus de Deo, d. 43. n. 49. & ſeqq. atque iterum n. 71. & ſeqq. Probationes variæ & concludentes, quibus extorquetur Spiritus S. proceſsio ex Filio, n. 55. & ſeqq. latiſsimè vſque ad finem ferè diſputationis. Ex eo quod ſit Deus de Deo, n. 55. & ſeqq. Ex natura miſsionis, n. 91. & ſeqq. Præſertim adiũctis Scripturæ locis, n. 105. & ſeqq. Probatio triplex ex alijs locis Scripturæ, d. 55. n. 121. & ſeqq. vſque ad 140. Non ſunt intervalla penes prius & poſterius inter proceſsiones divinas, d. 43. n. 141. &c. Solis exemplum in id explicandum, Ibid. vſque ad 147. Spiritus S. an ſit à Patre per Filium. Vbi de fonte, rivo, & lacu, d. 43. n. 153. & ſeqq. vſque ad 195. Ratio principij & cauſæ an locũ habeat inter divinas perſonas, d. 43. n. 180. & ſeqq. Procedit ex Patre & Filio tanquam ex vnico principio. Ibid. n. 183. Obiectiones Græcorũ ex Scriptura ſolvuntur, d. 43. n. 197. & ſeqq. vſque ad n. 218. Probationes aliæ, d. 43. n. 219. & ſeqq. Græcorum criminatio adverſus Latinos obiecta & ſoluta, d. 43. n. 218. & ſeqq. latè. Spiritus S. non prius aut magis procedit à Patre, quàm de Filio, d. 43. n. 143. & ſeqq. latè. Æqualiter de ambobus procedens oſtenditur, d. 43. n. 158. & ſeqq. In quibus Conc. General. fuerit definita proceſsio

Spi-

Spiritûs S. poſt tempus S. Anſelmi, d.43.n.297. & 298.

Stephanus VI. Papa an erraverit circa fidẽ, d.30.n.54.& ſeqq.

Stephanus Alberſtatenſis pugnat pro honore Gregorij VII.Papæ, d.31. n.9.

Stephanus Baluzius, ſcriptor eruditiſsimus, interdum allegatur.

Suarez Eximius Doctor ſæpe allegatur contra Declarationem Gallicanam, d. 7. n. 17.& d. 35.n.18.Alijs quoque pluribus locis citatur.

Suplicationes ad R. Pontificem non habent vllum locum circa decreta ſeu definitiones circa fidem aut mores, tanquam per ſe honeſtos, aut prohibitos, d.25. n. 12. & ſeqq. latè. Neque vnquam illæ attentatæ fuerunt, in Regnis præſertim Hiſpaniæ & Neapolis.Ibid.

Symbolum fidei ab Apoſtolis editum, in Eccleſia ſemper intemeratum permãſit, d.43.n 72. Similiter & Nicænum abſque additione vlla.Ib. n.73. Quædam circa illud obſervata. Ibid. & n. 74.Symbolum ConſtantInopolitanum quale, & an in eo expreſſa fuerit proceſsio Spiritûs S. ex Filio, d.43.n.75.& ſeqq. In quonam Concilio, & Eccleſia, fuerit primùm facta ipſi Symbolo additio verborum FILIOQVE, & an in Hiſpana, d. 43.n.76.77.78.& 79 ac latiùs d 44. per totam.

Symmachi Papę Reſcriptũ quoddã, d.5.n.23.

Σύστασις pœnitentium quarti gradus in Veteri Eccleſia, d. 35.n.60.

T

S.Teleſphorus Papa & Martyr accuſatur à Centuriatoribus in eo, propter quod laudari deberet, d.27.n.22.Vindicatur. Ibid.n.22.& ſeqq.

Templarij quando, quomodo, & propter quid damnati, d.14.n.14.15.16. & 17.

Tertulliani loca contra Declarat.Cleri Gall. d 8.n.16. Eius lapſus & occaſio cadendi.Ibid.n. 18.Inde orta videtur Rebaptizantium ſecta, d.8. n.19.Eius doctrina circa Traditiones Apoſtolorum, d.23.n.2.& 3. Alia eius teſtimonia contra Declar.Gall d.23.n.24. 25. & 27. Eius iam lapſi calumnia in Zephyrinum Papam repellitur, d.27.n.29.30.31.32.Quo tempore vixerit, d.27 n.36.Agnovit Sacramentum Confirmationis.Ib.

Theodora Auguſta hæretica, & plura ad ipſam ſpectantia, d.29.ſect.2.

Theodoretus ſolus ex Patribus Græcis negavit proceſsionem Spiritus S.ex Filio, d.43.n.14 & ſeqq.

Theodoſius Magnus à S. Ambroſio excommunicatus, quàm humiliter paruerit, & pœnitẽtiam egerit, d.35.n.23. & 61.

Theodotus Byzantius quis, & qua arte vſus ad ſuam apoſtaſiam excuſandam, d.27.n.28.

Theophilus Raynaudus citatur ſæpe decurſu Operis, præſertim in iis, quibus contradicit doctrinæ contentæ in Declarat.Gallic. v. g.d.2. n.26.& d.4.n.3.& d.6.n.19.& d. 10.n.28. & d. 16.n.49.

S.Thomas Aquinas, mirum & rarum lumen, initio quidem Pariſienſis Academiæ, deinde verò totius Eccleſiæ, allegatur varijs locis contra Declarat.Cleri Gallic. præcipuè verò d.6.n.12. 13.14.& d.13.n.39.40.& 43 & d.35. ſect.1. ac deinde ſect.5.n.50.& ſeqq.

Thomas de Vio Caietanus Opuſculum edidit pro auctoritate Papæ ſupra Concilia, d. 7.n.15.

Thomas Valdenſis contra Vvicleffũ, & quoſdã alios hęreticos ac ſchiſmaticos, aſſeruit Papę auctoritatẽ infallibilẽ in pronuntiando de fide & moribus, d.7.n.4. Perperam ab alijs citatur pro contraria doctrina.Ibid.Plura de ipſo latiùs, d. 16.n.51.& 52.

Thuanus in Hiſtoria allegatur interdum.

Tolerantia ſola Principis non eſt ſufficiens ſignum conſenſus, d.38.n.17.

Toletana Concilia.Vide *Concilia Toletana*.

Toſtatus quid ſenſerit de auctoritate Papæ in pronuntiando de fide, & qua occaſione, d.16. n. 62. & ſeqq.

Traditionum Apoſtolicarum quanta vis, & auctoritas, d.23.n.2.& ſeqq. An ex ijs conſtet auctoritas infallibilis Papæ in definiendo. Ibidem latè per totam diſputationem.

Turrecremata Cardinalis quàm conſtanter aſſeruerit Papæ auctoritatem infallibilem in definiendo ex cathedra, d.7.n 6. 14. Eius ſententia de auctoritate Epiſtolarum Decretalium

V

Valla Critico-grammaticus imponit S. Cæleſtino Papæ Neſtorianiſmum, d.29.n.4. Refellitur.Ibid.n.5.Notam ſubijt ob donationẽ Conſtantini reiectam & impugnatam, d.35.n.111.

Vazquez doctiſsimus Theologus, an rectè impugnet Canum, & Scotum, circa auctoritatẽ Epiſtolarum Decretalium.d.30 ſect.5. latè. Impugnatur ipſe d.43.n.36. & ſeqq.

Velare capita in Eccleſijs iuſſæ ſunt fœminę à S.Lino Papa, quem propterea irrident Centuriatores. Oſtenditur id meritò factum iuxta ſacras & humanas litteras, d.27.ſect.2.

S.Victor I. Papa & Martyr qualiter ſe geſſerit contra Quartadecimanos, d.8.n.14.& d.39.n. 17.Vindicatur à calũnijs hęreticorũ, d.27.n.28.

Victor II.Papa, primũ dictus Deſiderius, Abbas Caſsinenſis, qualis, & quãtus Vir, d.11.n.26. Quantùm reſtiterit electioni de ſe factæ in Pontificatum, & quomodo preſſerit veſtigia Gregorij VII. in damnandis Inveſtituris. Ibidem.

Victricius Epiſcopus Rothomagenſis, quantus Vir, d.5.n.11.

Vigilius Papa quid dixerit de Synodo V.Oecumenica, d.8.n.55.Eius tempore coacta fuit, d. 9.n.2. Quanta vis illata ipſi fuerit à Iuſtiniano Imperatore, vt eius geſta confirmaret Ib. An tradiderit aut ſenſerit aliquid contrarium Catholicæ fidei, d.29.ſect.latè. Vbi plurima ad ipſum

ſpectantia habentur. Excommunicavit Theodoram Auguſtam, d.35.n.63.

Vigorij argumenta inania & futilia contra auctoritatem infallibilem Sedis Apoſtolicæ, obijciuntur & ſolvuntur, d.33.ſect.3. per totam. Ponit in eo fidelitatem & veritatem deſiderari. Ib. Vt carpat Pontifices Romanos venditat pro veris intruſos, quibus crimina aliquot imputata fuerunt. d.33.n.15.& 17.

Vnum ſunt omnia in divinis, vbi non obviat relationis oppoſitio, d.43.n. 26. & ſeqq. late: ac deinde n.34. & ſeqq. Vnitas naturæ divinæ præ humana, qualiter exponẽda, d.43.n.278. & ſeqq. latè. Vnitas in divinis qualiter ſervetur abſque diſpendio pluralitatis, d.43.n.285. & ſeqq.

S. Vrbanus I. Papa & Martyr defenditur à calumnijs hęreticorũ, d 27.n.33.34.35.36. Non adinvenit Sacramentum Confirmationis, ſed inſtitutum à Chriſto præcepit adminiſtrari. Ibid.

Vrbanus II. Papa qualiter ſe geſſerit contra ſchiſmaticos & ambientes ius Inveſtiturarum, d.11. n. 27. Excommunicavit Henricum IV. alias III. Imperatorem. Ibid. Congregavit Concilium Barenſe contra Gręcos negantes proceſsionem Spiritus S. vt Filio, d. 42.

Vrbani V. Papę laudes, & eximiæ virtutes. d.32.n.15. An diſſolverit matrimonium Bernabovis tyranni Mediolanenſis, & in eo erraverit. Ibid.n.16.17.18.& 19.

Vſpergenſis Abbas ſæpe allegatur: ſed præſertim d.31.n.16.17.& 18. in gratiam Gregorij VII. Papæ.

Vtile bonum nequit eſſe regula iuſti & æqui, d.34.n.28. An illud maximè attendatur in Libertatibus Gallicanis. Ibidem.

Vtilitas congregandi Concilia Oecumenica nonnunquam explanatur, quamvis Pontifex ſolus definire poſsit, d.33.n.11. & ſeqq.

Vvaldenſes hæretici quinam, & quando damnati, d.12.n.30.

Vvalerannus Epiſcopus Neuburgenſis initio Henrici III. alias IV. Imperatoris ſchiſmatici partes ſecutus fuit: deinde verò Eccleſiæ reconciliatus fuit. d.11.n.11. Eius auctoritate abutitur D. Petrus Marca, d.40.n.16.

Vvicleffus impijſsimus hæreſiarcha quo tẽpore, & quos errores tradiderit, pluraque alia ad ipſum ſpectantia, d.14. n. 26. vſque ad finẽ ſectionis. Eius hæreſes innovatæ à Hieronymo de Praga in Concilio Conſtantienſi, ibidemque denuo damnatæ, d.15.n.5.6.& 7.

Vvillelmo Angliæ Regi, cognomento Ruffo, bonorũ Eccleſiæ invaſori, & perſecutori S. Anſelmi, intentata fuit excommunicatio ab Vrbano II.d.35.n.72. Plura de illo latè d.45.ſect.1. & 2.

Vvitichindus Monachus ſcriptor, quis & quo tempore, d.9.n.59.

Y

Ὑπόπτωσις pœnitentium primis Eccleſiæ ſæculis, d.35.n.60.

Z

Zacharias Papa ſæpe reſcribit ad Epiſcopos Galliarum, ipſum conſulentes, d.5.n.25. An definierit aliquid circa formam Baptiſmi, cuius oppoſitum decreverit poſtea Nicolaus I. Papa, d.30. ſect.4 & 5. latè. Quo anno obierit Zacharias, d. 30.n.10. Abrogavit Hildericum Galliæ Regem, & quomodo, d.35.n.88. Fuit Pontifex ſanctitate & doctrina inſignis. Ibidem.

Zelus Innocentij XI. pro immunitate Eccleſiæ, commendatur, d.11.ſect.11.& ſeqq.

Zephyrini Papæ teſtimonia aliquot notatu digna, d 8.n.19.& d.23. n. 12. Vindicatur à calumnia Tertulliani iam lapſi, & aliorum hæreticorum, d.27.n.29.& ſeqq.

Zonaras Hiſtoricus Græcus ſæpe allegatur.

Zoſimi Papæ Epiſtolæ ad Epiſcopos Galliarum, d.5.n.14.& 15. Aliquot illius decreta expenduntur, d.37.n.4.

ERRATA OPERIS.

Pag.9.col.1.lin.19. Clericus, lege, *Clerus*. Pag.34.col.2.lin.27. Epiſcoporum, lege, *Epiſcopum*. Pag. 140.col.2 lin.10. illam, lege, *Inveſtituram*. Pag. 187.col.1.lin.13. XI. lege, XIV. Pag.246.col.1.lin. 53. VI. lege, XI. Pag.147.col.1.lin.14. imprudenter, lege, *impudenter*. Pag.326.col.2.lin.48. auctoritatem, lege, *auctoritate*. Pag. 343. col. 1. lin. 11. Veteris, lege, *Veteri*. Pag. 347. col. 2. lin. 45. Lani, lege, *Lini*. Pag. 346. col. 2.lin.29. III. lege, II. Pag. 370. col. 2. lin. 52. puræ, lege, *petræ*. Pag.400.col.1.lin.57. relata, lege, *velata*. Ibidem col.2.lin.54. ſuperaverant, lege, *ſeparaverant*. Pag. 43.col.2.lin.50. confixiſſe, lege, *confinxiſſe*. Pag.480.col.1.lin.42. Ἠξακονταβιβλον, lege, Ἐξηκοντάβιβλον. Pag.501.col.2.lin.54. partes, lege, *parte*. Pag.534.col.2 lin.35. II. lege, I.

Præterea vocabulum *Presbyter* ſæpe editum fuit cum diphtongo *æ*, ſine quo ſcribi debet. Sunt & alia minoris notæ aut facilia correctu, quæ irrepſerunt ob incuriam typographorum, & diſtantiam officinæ à Collegio S. Vincentij: vbi Auctor ſemel ſolùm, & inconſulto autographo, corrigere ſolitus eſt paginas, cùm primùm prælo exprimebantur. Exceptis verò ijs reliqua ſuo exemplari reſpondent. Ita atteſtabar Salmanticæ die 18. Auguſti 1683.

M. D. Petrus Mendez. Primarius Humaniorum litterarum Profeſſor Emeritus, & Corrector Vniverſitatis Salmanticenſis.

SERIES CHARTARVM.

*. **. A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ll. a, b, c, d, e, f, g, h, i, k. a, b.

Omnes ſunt quaterniones excepto *b*, qui eſt ternio.

ALIA CORRECTIO ACCVRATIOR ERRATORVM.

Pagina.	*Columna.*	*Linea.*	*Habetur.*	*Lege.*
9	1	29	Clericus	Clerus
32	2	44	Cornelius	Calliatus
34	2	27	Epiſcoporum	Epiſcopum
86	2	57	negent	dicant
125	1	57	ſolis iis	ſolos eos
217	1	3	quæ	quas
130	1	30	habetur	habentur
140	2	10	illam	Inveſtituram
187	1	23	XI	XIV.
227	1	57	mortuis	mortuus.
230	2	28	fuerunt	fuerint
Ibidem	2	58	Synodalibus	Provincialibus
231	1	3	eorum	earum
234	1	30	habitu	habito
Ibidem	1	42	Ioanne XXII.	Benedicto XII.
236	1	11	fidelium	fidelium cœtu
Ibidem	1	54	habeat	habeant
Ibidem	2	27	ob aliquo	obliquo
238	1	11	Generali	Oecumenico
Ibidem	1	40	poteſtate	poteſtate ſuprema
Ibidem	1	56	perſonarum	perforatum
246	1	2	tradidiſſent	tradidiſſet
Ibidem	1	53	VI.	XI.
247	1	14	imprudenter	impudenter
250	2	40	impacturam	impacturum.
251	2	27	iuriſdictionis	iuriſdictioni
252	1	52. & 53	lege reſiſtentis &	anathematizati
316	2	48	auctoritatem	auctoritate
339	2	18	pugnet	repugnet
342	2	7	poſſet	poſſet diſcernere
343	1	11	Veteris	Veteri
346	2	29	III.	II.
347	2	45	Lani	Lini
363	2	10	careret	carere
370	2	52	puræ	petræ
385	1	18	inter	iter
388	1	55	erriſerunt	emiſſerunt
394	2	40	pertulit	protulit
399	1	17	nimium	nivium
400	1	57	relata	velata
Ibidem	2	58	ſuperaverant	ſeparaverant
401	1	19	Quia	Quin
403	2	50	confixiſſe	confinxiſſe
416	2	25	quæ ſit	quæſito
419	2	24	ſcripta	exſcripta
430	2	12	Clunico	Cluniaco
437	1	33	eſt	eſt, &c
444	1	48	potuit	poterit
480	1	42	Ηξακοντάβιβλον	Εξηκοντάβιβλον
484	2	29	eſt,	es
491	1	30	planè	plenè
505	2	54	partes	parte
532	2	33. & 47. &c.	Adriano II.	Adriano I.
535	2	35	eouſque	eoſque

ANT 1741306

3709

I. 112.

F.

Digitized by Google